ANT14 10379

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

TOMUS QUARTUS,

IN QUO

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis diſſeritur, ac pertractatur.



VENETIIS,
MDCCLX.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANT14 10379

JO. LAURENTII
BERTI
FLORENTINI

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

OPUS
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

TOMUS QUARTUS,

IN QUO

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis disseritur, ac pertractatur.



VENETIIS,

MDCCLX.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

ANT 14 10379

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

E D I T I O N O V I S S I M A

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

T O M U S Q U A R T U S,

I N Q U O

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis disseritur, ac pertractatur.



V E N E T I I S,

M D C C L X.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANT14 10379

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I
FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

TOMUS QUARTUS,

IN QUO

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis disseritur, ac pertractatur.



VENETIIS,

M D C C L X.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

ANT14 10379

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

TOMUS QUARTUS,

IN QUO

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis disseritur, ac pertractatur.



VENETIIS,

MDCCLX.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ANT14 10379

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

E D I T I O   N O V I S S I M A

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

T O M U S   Q U A R T U S,

I N   Q U O

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis disseritur, ac pertractatur.



V E N E T I I S,

M D C C L X.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

ANT14 10379

JO. LAURENTII
BERTI
FLORENTINI

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

OPUS

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

TOMUS QUARTUS,

IN QUO

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis disseritur, ac pertractatur.



VENETIIS,

MDCCLX.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ANT14 10379

JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

O P U S

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

E D I T I O N O V I S S I M A

Ab Auctore recognita, Scholiis perpetuis ac novis quibuſdam Diſſertationibus illuſtrata, atque ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata.

T O M U S Q U A R T U S,

I N Q U O

De Confirmatione, et de reliquis Sacramentis diſſeritur, ac pertractatur.



V E N E T I I S,

M D C C L X.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Google

QUARTI VOLUMINIS

P R O P O S I T I O N E S.

I. *Confirmationem*, *quamvis hoc, aliiſque vocabulis, quibus explicari ſolet a verum divinarum Tractatoribus, non ſemper eadem res deſignetur,* 1
II. *Eſſe verum, propriumque Sacramentum novæ legis demonſtratur divinarum Scripturarum auctoritate,* 3
III. *Atque perpetua, & exploratiſſima Traditione.* 5
IV. *Inſtitutum fuiſſe idem Sacramentum a Chriſto Domino certiſſima fide tenendum eſt:* 8
V. *Et quamquam tempus hujus inſtitutionis non ſit omnino compertum, probabilius exiſtimatur id contigiſſe poſt Domini reſurrectionem.* 9
VI. *Materia autem* eſſentialis *ſacroſancti hujus myſterii non ſolum eſt impoſitio manuum ſacrorum Antiſtitum,* 10
VII. *Verum etiam* Chriſmatis *unctio;* 11
VIII. *Adeo, ut in utroque, impoſitione ſcilicet manuum & Chriſmate, conſtitui debeat materia adæquata* Confirmationis. ibid.
IX. *Utrum vero fidei ſit dogma, quod unctio pertineat ad Sacramenti hujus* eſſentiam, *relinquitur Scholaſticorum diſputationi.* 14
X. *Quod attinet ad Chriſma; ad hoc conficiendum neceſſario primum requiritur oleum ex olivis expreſſum;* 15
XI. *Deinde permixtio balſami,* ibid.
XII. *Non tamen neceſſariæ ſunt omnes illæ fragrantium rerum ſpecies, quas adhibent Græci.* ibid.
XIII. *Mixtionem illam balſami quidam neceſſariam putant neceſſitate præcepti, quidam neceſſitate etiam Sacramenti: iſtis autem arbitramur eſſe adhærendum.* 16
XIV. *Præterea debet Chriſma conſecrari ab Epiſcopo, ad quem duntaxat, jure ſaltem ordinario, pertinet hæc conſecratio; ſed utrum conſecratio ipſa neceſſaria ſit ad Sacramenti* eſſentiam, *nos inter diſcrepantia Theologorum placita nolumus definire.* ibid.
XV. *Ut nunc dicamus de* forma; *hæc non eſt, ut cenſent permulti, oratio Epiſcopi præcedens unctionem Chriſmatis;* 18
XVI. *Sed ſunt verba inunctionem illam comitantia, videlicet,* Signo te, &c. 19
XVII. *Quæ utique verba apud Latinos varias ſubierunt mutationes; ſed accidentarias duntaxat, nec immutantes ſignificationis ſubſtantiam.* 20
XVIII. *At Græci utuntur hac formula,* σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, *valida itidem & perantiqua.* ibid.
XIX. *Soli Epiſcopi ſunt ſacramenti Confirmationis* ordinarii *Miniſtri:* 21
XX. *Tametſi ex diſpenſatione, ſive* extraordinaria *facultate, poſſit a ſimplici Sacerdote conferri.* 24
XXI. *Verum ut ſimplex presbyter valide confirmet, requiritur in Eccleſia Occidentali delegatio ſummi Pontificis; & in Orientali conſuetudo univerſim recepta, quam idem Romanus Pontifex aut approbet, aut ſaltem permittat.* 27
XXII. *Idonei ſunt ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum quicunque ſunt initiati baptiſmate;* 29
XXIII. *Homines etiam infantilis ætatis, ac parvuli:* ibid.
XXIV. *Licet conſultius expectetur in confirmandis uſus rationis.* ibid.
XXV. *Ceterum etiam ægroti, amentes, & energumeni, dummodo quædam regulæ ſerventur, ſunt ab Epiſcopis conſignandi.* ibid.
XXVI. *Adulti, qui ſibimet conſcii ſint mortalis culpæ, debent Confirmationi præmittere Confeſſionem Sacramentalem.* 30
XXVII. *Oportet inſuper, ut inſiſtant orationibus, ac ſint jejuni.* ibid.
XXVIII. *Quamvis autem hoc Sacramentum non ſit neceſſarium* neceſſitate medii *ad ſalutem;* 31
XXIX. *Neceſſarium eſt tamen* neceſſitate præcepti, *ſive in re, ſive in voto, iis omnibus, qui vel coram tyranno fidem profiteri debent, vel adverſus eamdem fidem crebris gravibuſque tentationibus exagitantur.* ibid.

xxx. *Reliqui pariter, qui hoc ſaluberrimum Sacramentum contemnunt, peccant* mortaliter. 32

xxxi. *At quinam contempſiſſe dicendi ſunt? Arbitror non eos tantum, qui illud ſpernunt tanquam inutilem ceremoniam, quod redolet crimen hæreſis & ſacrilegii; ſed etiam qui nullo legitimo impedimento detenti, Epiſcopo præſente & hortante, negligunt conſignari.* ibid.

xxxii. *Debent igitur ad Confirmationem accedere qui provocantur ad negandum Chriſtianam fidem: qui commorantur inter hæreticos: qui tentationibus fidei deſerendæ percelluntur: qui prima tonſura ſunt initiandi, & fortaſſe etiam qui religioſam profeſſionem emittunt; & denique omnes, qui parato Epiſcopo poſſunt ab eo confirmari.* ibid.

xxxiii. *Prior ejuſdem Confirmationis effectus* eſt gratia ſanctificans. 33

xxxiv. *Quæ baptizatis confert gratiæ perfectionem, robur ac firmitatem:* 34

xxxv. *Atque hæc gratia differt a gratia per baptiſmum collata, eaque perfectior eſt, non* abſolute, *ſed tantum comparative.* ibid.

xxxvi. *Hæreticis reſipiſcentibus Sacramentum Confirmationis non confert abſque pœnitentia, vel contritione, primam gratiam; quicquid affirmet Morinus.* ibid.

xxxvii. *Effectus alter hujus Sacramenti eſt* character, *ideoque Confirmatio iterari non poteſt.* 35

xxxviii. *Ritus itaque, quo hæretici olim recipiebantur in Eccleſiam, non erat repetitio ſacramenti Confirmationis:* ibid.

xxxix. *Neque Cyprianus, aut Auguſtinus ullibi affirmavere, recipiendos eſſe repetito hoc Sacramento venientes ab hæreſi.* 37

xl. *Statuenda eſt inter characterem Baptiſmi, & characterem Confirmationis aliqua* connotativa *diſtinctio.* 39

xli. *In Chriſmatis conſecratione recte obſervantur ritus omnes a Romana Eccleſia præſcripti.* ib.

xlii. *Recte quoque in Confirmatione adhibentur patrini:* 40

xliii. *Item inunctio frontis,* ibid.

xliv. *Quæ ex vetuſta conſuetudine liganda eſt linea vitta.* ibid.

xlv. *Probanda poſtremo ceremonia, qua confirmandus leviter cæditur alapa.* 41

xlvi. *Sequitur Sacramentum* Euchariſtiæ; *quod ſitum eſt in viſibili* ſpecie *elementorum, & inviſibili Domini noſtri carne, & ſanguine, non autem in ſola ſymbolorum conſecratione, aut ſumptione.* 42

xlvii. *De hujus Sacramenti inſtitutione diſſerentes principio oſtendimus immolatum olim fuiſſe* Paſcha *Judaicum in menſe Niſan luna xiv. exeunte.* 44

xlviii. *Affirmamus deinde tempore Chriſti Domini non fuiſſe in uſu apud Judæos duplicem Neomeniam.* 45

xlix. *Illud etiam ſtatuimus Chriſtum pridie, quam pateretur,* Legale Paſcha *cum Diſcipulis ſuis manducaſſe.* 46

l. *Præterea aſſerimus celebratum eadem die* Paſcha typicum *a Judæis,* 47

li. *Nullumque iſtorum anno Chriſti emortuali ſolemnitatem azymorum in diem proximum distuliſſe.* 48

lii. *Cum his aſſertionibus minime pugnat textus aliquis Evangelicæ Hiſtoriæ,* 49

liii. *Nec quod Scaliger, aliique objiciunt de Feſto Pentecoſtes; de quo examinantur varia Scriptorum placita.* 51

liv. *Ad hæc demonſtramus Dominum Jeſum in ſuprema Cœna obſervaſſe* legalis Paſchatis *ceremonias.* 52

lv. *Ex quibus omnibus inferimus, Euchariſtiam fuiſſe inſtitutam in Azymo, idque a Græcis perperam denegari.* 53

lvi. *Viguit autem in Romana Eccleſia ab Apoſtolorum ætate ad hanc uſque perpetuus azymi uſus;* ibid.

lvii. *Eratque Euchariſtia in pane azymo conſecrata* Fermentum *illud, quod olim in Eccleſia Romana dirigebatur ad* Titulos. 55

lviii. *Panes azymi in Euchariſtiam conſecrandi debent eſſe exiles, & figura rotundi.* 56

lix. *Fatemur quidem uſum Fermentati obtinuiſſe apud Græcos ante exortum Schiſma Photianum,* 57

lx. *Atque tam in azymo pane, quam in fermentato valide confici Euchariſtiam;* ibid.

lxi. *Eſt enim ſacramenti Euchariſtiæ* materia *panis triticeus,* 58

Cujus loco nequit materia alia ſubſtitui, ibid.

lxii. *Quamvis idem triticeus panis valide conſecretur, cujuſvis quantitatis ſit, modo ſit præſens atque ſenſibilis.* 59

lxiii. *Verum imperite quidam Græcorum vitio vertunt Romanæ Eccleſiæ quod conſecret azymum;* ibid.

lxiv. *Nam ſi ratione pugnandum foret, facile Latini commonſtrare poſſent majorem ſui ritus convenientiam.* ibid.

lxv. Fal-

lxv. *Falluntur qui cenſent Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus fas eſſe conſecrare azymum, & e contra Latinis apud Græcos fermentatum.* 60
lxvi. *Eſt præter panem* materia *divinæ Eucharistiæ vinum, nec hujus loco ſubſtitui poteſt aqua, ſive alius liquor, etiamſi communi uſu deſerviat ad potum.* ibid.
lxvii. *Vino conſecrando modicum naturalis aquæ ex perantiqua traditione, & Eccleſiæ præcepto debet infundi:* 61
lxviii. *Hujuſmodi tamen commixtio non eſt de neceſſitate Sacramenti.* 62
lxix. *Aqua ipſa vino permixta convertitur in Chriſti ſanguinem,* 63
lxx. Immediate, *ut probabilius exiſtimamus.* ibid.
lxxi. *Devenientes ad pertractandum de* forma *Euchariſtiæ, dicimus Chriſtum in illius inſtitutione uſum fuiſſe verbis.* 65
lxxii. *Hoc tamen nullo Eccleſiæ decreto eſſe apertiſſime definitum.* 66
lxxiii. *Sane verbis conſecrant Sacerdotes, & quidem Dominicis, non precibus, quæ ante, vel poſt in Liturgiis recitantur.* ibid.
lxxiv. *Eadem conſecrationis verba ſunt hæc duntaxat,* Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt calix ſanguinis mei, *aut,* Hic eſt ſanguis meus; *quamvis omne ſtudium ſit adhibendum, ne cetera prætermittantur.* 68
lxxv. *Melius eſt proferre hæc verba ſubmiſſa voce, quam elata.* 70
lxxvi. *Vere in Euchariſtia contineri corpus, & ſanguinem Domini N. J. C. profitentur Catholici, innixi ſacrarum literarum auctoritati.* 71
lxxvii. *Confirmant eamdem veritatem ſacroſancta Concilia,* 72
lxxviii. *Perpetua ſanctorum Patrum traditio,* 73
lxxix. *Momenta, quibus ab iiſdem Patribus confutatæ ſunt plures hæreſes,* 74
lxxx. *Exempla, quibus Majores noſtri fidem huic myſterio conciliarunt,* ibid.
lxxxi. *Miracula a Deo patrata in hujus veritatis confirmationem,* 75
lxxxii. *Ipſi denique Catholicæ fidei adverſarii.* ibid.
lxxxiii. *Facillimum eſt refutare omnes hæreticorum objectiones, ſi attendantur decem regulæ a nobis traditæ & explicatæ.* 78
lxxxiv. *Singulas nihilominus objectiones ipſas expendimus.* 81
lxxxv. *Impugnatur quoque evidentiſſime aſſerta ab hæreticis* Conſubſtantiatio, *ſive* Impanatio. 86
lxxxvi. *Haud invicte probatur extitiſſe hæreſim* Stercoraniſtarum: *quæ tamen, ſi fuit aliquando, facile refellitur & confutatur.* 99
lxxxvii. *Ex reali corporis & ſanguinis Domini J. C. præſentia ſub ſymbolis Euchariſticis, infertur primum ipſi Domino in Euchariſtia exiſtenti Latriæ cultum eſſe exhibendum,* 91
lxxxviii. *In templis itidem religioſe ac diligenter ipſam Euchariſtiam aſſervandam,* 92
lxxxix. *Optimo conſilio ſolemne feſtum ſacratiſſimi Corporis Chriſti fuiſſe inſtitutum,* 93
xc. *Et cum eodem ſolemni feſto* Proceſſionem, *in qua ſacratiſſima Euchariſtia circumfertur,* ibid.
xci. *Rurſus hanc religioſiſſime exponi, & circumgeſtari aliis quoque temporibus, modo præceptiones quædam ſerventur.* 94
xcii. *At nulli fas eſt deferre in itineribus Euchariſtiam appenſam collo, tametſi Romanis Pontificibus iter agentibus præferri queat pompa, & comitatu decenti.* 95
xciii. *Euchariſtiam conſecrare & conficere ad ſolos attinet Sacerdotes;* ibid.
xciv. *At aliquando illam diſpenſarunt etiam Diaconi, præſertim ſub* ſpecie *vini, Antiſtitum tamen juſſu, & delegatione.* 97
xcv. *Non eſt Euchariſtia ita ad ſalutem omnibus neceſſaria, ut nemo prorſus poſſit ſine ipſa ſalutem conſequi;* ibid.
xcvi. *Licet manducare corpus Chriſti myſtico ſenſu, quatenus idem eſt, ac Eccleſiæ copulari, ſit omnino aut in re, aut ſaltem in voto, de neceſſitate ſalutis.* 98
xcvii. *Atque de communione hac myſtica, non de ſacramentali, ſermonem inſtituebat Auguſtinus, quando etiam parvulis neceſſariam aſſerebat corporis & ſanguinis Domini communionem;* ibid.
xcviii. *Tenentur tamen præcepto divino ad communionem ſacramentalem adulti,* 99
xcix. *Et præcepto Eccleſiaſtico ſemel ſaltem in anno, recurrente ſolemnitate Paſchali;* ibid.
c. *Quod Eccleſiæ præceptum adimpleri nequit communione ſacrilega.* 100
ci. *Neque divinum præceptum, neque ſalutis neceſſitas exigit, ut laici ſub utraque* ſpecie *communicent;* 101

cii. *In Eccleſia enim Occidentali, etiam ante* xii. *ſeculum, Euchariſtia frequentiſſime ſumebatur ſub unica* ſpecie *panis.* 102
ciii. *Obtinuitque aliquando in Orientali Eccleſia idem uſus.* ibid.
civ. *Revera ſub utraque* ſpecie *continetur totus, & integer Chriſtus;* ibid.
cv. *Eademque gratia confertur communicanti ſub unica tantum* ſpecie, *ac conferatur utramque* ſpeciem *ſumenti,* 103
cvi. *Quapropter, id poſteriorum temporum conditione exigente, uſus calicis jure optimo non Sacerdotibus ſublatus eſt.* ibid.
cvii. *Nec expedit, ut iterum permittatur.* ibid.
cviii. *Deneganda eſt Sacramentalis communio publicis peccatoribus.* 105
cix. *Pueris itidem, & iis, qui nunquam habuerunt uſum rationis,* 106
cx. *Quibuſdam pariter, at non omnibus Energumenis.* ibid.
cxi. *Non autem ſupplicio afficiendis extremo.* ibid.
cxii. *Sive pœnitentibus in mortis articulo conſtitutis.* 107
cxiii. *Nulla autem ratione ori defunctorum eſt ingerenda.* ibid.
cxiv. *Inter diſpoſitiones, quæ requiruntur ad communionem ſacramentalem, commemorantur ex parte corporis jejunium, carnis mundities, cultuſque præſeferens honeſtatem.* 108
cxv. *Ex parte autem animi ſtatus gratiæ, & fidei, ſpei, caritatis, aliarumque virtutum exercitatio.* 109
cxvi. *Commendamus frequentem communionem, ſi circa illam Patrum, & probatiſſimorum virorum documenta ſerventur.* ibid.
cxvii. *Adnotatione denique digna ſunt quæ attinent ad ritus communionis Sacramentalis, videlicet, fractio panis, diſtributio, verborum formula, aliaque id genus.* 111
cxviii. *Et quantum ſpectat ad tempus, etiam poſt miſſam, & in Agenda defunctorum, poteſt Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrari.* 112
cxix. *Non caret myſtica ſignificatione peculiaris ille ritus, quo communionem percipit Romanus Pontifex, quando Divinis ſolemniter operatur.* ibid.
cxx. *Ut modo in iis, quæ ad Sacrificium pertinent, refutemus hæreticos; affirmamus Chriſtum, quando Euchariſtiam inſtituit, obtuliſſe in ea verum ſacrificium, atque præcepiſſe etiam Apoſtolis, ut illud in ſui commemorationem offerrent.* 113
cxxi. *Sacrificium autem iſtud, quod Chriſtus inſtituit, & in Eccleſia offerendum præcepit, non eſt ſacrificium improprie acceptum, atque ut contendunt hæretici, ſola Dominici corporis diſtributio, & communio, ſed vera oblatio habens proprii ſacrificii rationem.* 114
cxxii. *Neque eſt tantummodo ſacrificium* Euchariſticum & Latreuticum, *verum etiam eſt ſacrificium* Propitiatorium, *atque* Impetratorium. 118
cxxiii. *Ideoque jure, meritoque offertur tam pro viventibus, quam pro iis, qui cum pietate defuncti ſunt.* ibid.
cxxiv. *Pro damnatis vero, aut pro ſanctis in cœlo regnantibus nequit hoc ſacrificium offerri tanquam* propitiatorium; *pro his tamen, nempe Sanctis, ob alias cauſas rite peragitur.* 119
cxxv. Miſſæ, *quæ dicuntur privatæ, nullo Theologico argumento demonſtrari poſſunt illicitæ.* ibid.
cxxvi. *Quare impie, & ſacrilege hæretici unam tantum* Miſſam *communem, reprobatis ceteris, commendant & prædicant* 120
cxxvii. *Fruſtra, audacterque calumniantes multitudinem* Miſſarum *fuiſſe pravo fine introductam.* ibid.
cxxviii. *De quæſtione nuper nata, an Sacerdos privatim celebrans teneatur Euchariſtiam laicis petentibus diſtribuere, obſervandæ ſunt Apoſtolicæ litteræ* S. D. N. BENEDICTI XIV. 122
cxxix. *Plura ſunt vocabula, quibus Latini, & Græci ſacrificium* Miſſæ *deſignant.* ibid.
cxxx. *Varia ſunt etiam* Miſſarum *genera, de quibus ſingulis nonnulla diſſerimus.* 123
cxxxi. *Sicut & de loco ad celebrandum idoneo.* 124
cxxxii. *Multiplex ratio ſuadet, ut loca pro ſacrificio peragendo, & pro fidelium conventibus erecta, Deo Epiſcopali conſecratione dicentur.* 125
cxxxiii. *Et, ſi aliquando polluta ſint, purgentur juxta præſcriptionem ſacrorum canonum.* ibid.
cxxxiv. *Attinent præterea ad Miſſæ ſacrificium altaria, horumque conſecratio, & ornatus.* 126

cxxxv. *Sacris inſuper indumentis peragentes ſacrum uti debent.* 127

cxxxvi. *Necnon paratis hujus rei cauſa inſtrumentis.* 128

cxxxvii. *Opportunum deinde Sacrificii tempus attendendum eſt:* 129

cxxxviii. *Itemque cavendum ne plures* Miſſæ *ab eodem Sacerdote eodem die celebrentur.* ibid.

cxxxix. *Denique congruum eſt, ut explicetur quid in præcipuis Liturgiæ partibus lateat myſterii.* ibid.

cxl. *Ut jam de Sacramento* Pœnitentiæ *incipiamus diſſerere; plura ſunt ipſius Pænitentiæ vocabula, quibus perperam contendunt hæretici ſignificari ſolam reſipiſcentiam, ſeu melioris vitæ propoſitum.* 131

cxli. *Duobus igitur modis accipitur nomen hoc,* Pœnitentia; *& juxta priorem eſt virtus vera, divinitus inſpirata, & diſtincta a Sacramento, de quo pertractamus;* 132

cxlii. *Conſiderata autem juxta rationem alteram Pænitentia eſt verum, ac proprium novæ legis Sacramentum,* 133

cxliii. *Et quidem diverſum a Sacramento Baptiſmi.* 135

cxliv. *Inſtitutum fuit a Chriſto Domino.* 136

cxlv. *Atque poſt baptiſmum lapſis neceſſarium eſt ad ſalutem.* 137

cxlvi. *Nullum, quantumvis grave, datur peccatum, quod nequeat per Pænitentiam expiari, & ab Eccleſia remitti.* ibid.

cxlvii. *Partes Pænitentiæ non ſunt terrores incuſſi, & fides, ut volunt hæretici; ſed Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, quemadmodum docent Catholici.* 142

cxlviii. *Ad* Contritionem *requiritur odium, & deteſtatio peccati, melioris vitæ propoſitum, necnon ut interna ſit, vera, ſupernaturalis, atque ut ad omnia patrata ſcelera ſeſe extendat.* 143

cxlix. *Sententia propugnans neceſſitatem* amoris initialis *ad gratiam in Sacramento Pænitentiæ obtinendam, nulla poteſt cenſura notari;* 144

cl. *Etenim e diametro opponitur doctrinæ hæreticorum a ſacroſancto Tridentino Concilio proſcriptæ;* 145

cli. *Quicquid etiam reponere poſſunt patroni* attritionis ſervilis *objicientibus illorum ſententiam in ipſa Tridentina Synodo anathema ſubiiſſe, id ſententiam quoque noſtram catholicam, & directe hæreticis oppoſitam eſſe declarat.* 146

clii. *Ceterum Tridentinum Concilium nequaquam definivit attritionem ab amore initiali ſejunctam ad gratiam in Sacramento Pænitentiæ obtinendam* ſufficienter *diſponere;* ibid.

cliii. *Sed videtur potius noſtra de neceſſitate amoris* initialis *ſententia ejuſdem Tridentini Concilii definitionibus omnino conformis.* 148

cliv. *Eſt præterea ſententia ipſa litterarum ſanctarum auctoritati,* 149

clv. *Necnon Patrum doctrinæ, atque traditioni cohærens.* 151

clvi. *Valide inſuper propugnatur argumentationibus Theologicis:* 152

clvii. *Neque evertitur, ſed corroboratur magno illo numero Theologorum, quorum permulti ſententiam oppoſitam tradiderunt.* 154

clviii. *Amor autem ille, de quo diſputatum eſt, eſſe debet amor caritatis, non autem ſolius ſpei.* 155

clix. *Hæc tandem noſtra ſententia nullo contrario argumento (ſive petatur ex Tridentina Synodo, ſive ex virtute timoris, ſive ex caritatis præſtantia, ſive ex efficacitate Sacramenti, ſive ex numero contradicentium) ſubvertitur, aut infirmatur.* 156

clx. *Sacrarum litterarum auctoritate demonſtratur divinum Sacramentalis Confeſſionis præceptum.* 165

clxi. *Idem ex Majorum traditione, atque ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ uſu habet robur & firmitatem,* 166

clxii. *Neque labefactatur, ſed magis magiſque fulcitur celebri Nectarii facto, de quo variorum ſententiæ expenduntur.* 171

clxiii. *Patribus autem hoc in dogmate Gratianus quoque, & veteres Scholaſtici conſenſerunt.* 174

clxiv. *Ad conſecutionem ſalutis non perutilis tantum, verumetiam prorſus neceſſaria cenſenda eſt eadem Sacramentalis Confeſſio.* 176

clxv. *In eaque enumeranda ſunt peccata omnia lethalia, quorum pænitentes reminiſcuntur.* 177

clxvi. *Hanc Confeſſionem edentes aliquando priſcis ſæculis ob contritionis vehementiam publice enuntiabant peccata ſua,* 178

clvii. *Etſi nulla Divina, aut Eccleſiaſtica lege adigerentur ad palam enuntianda quæ occulte patraverant:* 179

clxviii. *Quæ*

clxviii. *Qua in re ſequebantur prudentis Sacerdotis conſilium, ante publicam exomologeſim, ſecreta patratorum criminum accuſatione ad illius aures præmiſſa.* ibid.
clxix. *Fuit aliquando conſuetum facere generalem, omniumque anteactæ vitæ ſcelerum confeſſionem.* 180
clxx. *Adinveniuntur præterea exempla confeſſionis factæ per litteras;* ibid.
clxxi. *Tametſi confeſſio hujuſmodi nequaquam fuerit ſacramentalis.* ibid.
clxxii. *Moniales nonnunquam per antiſtitam presbytero confitebantur.* 182
clxxiii. *Poſſunt venialia peccata, utiliter citraque omnem præſumptionem ſacerdotibus enuntiari;* 183
clxxiv. *At mortalium ſingulorum debet ſpecies ac numerus aperiri.* ibid.
clxxv. *Circumſtantias item, ſi plurimum peccati gravitatem adaugeant, detegere atque enuntiare æquum eſt.* 184
clxxvi. *Haud ſecus de peccatis dubiis eſt ſentiendum, ſi talia appareant prudenti & rationabili cauſa, non autem levi atque inani.* 185
clxxvii. *Non debet peccatorum confeſſio ita dividi, ut quædam peccata enuntientur uni, quædam alteri ſacerdoti.* 186
clxxviii. *Quum inter ceteras conditiones, banc Confeſſio exigat, ut ſit ſecreta, quiſquis illam audit,* ad ſigillum *naturali, divino, & eccleſiaſtico jure tenetur.* 188
clxxix. *Nulla datur Confeſſio, quæ ſit valida quantum ad ſacramenti ſubſtantiam, & ſit abſque effectu, ſive, ut inquiunt ſcholaſtici,* informis. 189
clxxx. *Epiſcopi duntaxat, ac presbyteri ſacramentum pœnitentiæ poſſunt adminiſtrare:* 190
clxxxi. *Ideoque* Exomologeſis *per diaconum data, de qua Cyprianus, non erat confeſſio, neque abſolutio ſacramentalis;* 191
clxxxii. *Nec ſacramentalis itidem, nec ad ſalutem neceſſaria fuit confeſſio illa, quam nonnulli in exitu vitæ fecerunt laicis.* 192
clxxxiii. *Fuerunt etiam, qui pluribus ſimul ſacerdotibus peccata enuntiarunt; ſed neque id eſt alicujus neceſſitatis, ſive præcepti.* ibid.
clxxxiv. *Sacerdoti, ut aliquem valide abſolvat, excepto mortis articulo, neceſſaria eſt poteſtas juriſdictionis, & approbatio Epiſcopi;* 193
clxxxv. *In qua approbatione ſummopere expedit, ut graviora crimina ſolvenda ſummis ſacerdotibus reſerventur.* 194
clxxxvi. *Ut autem recte presbyter abſolutionem impendat, opus quoque eſt, ſcientia rei agendæ, peritia, atque ſagacitate ſit præditus.* 195
clxxxvii. *Quamquam vero in grave aliquod ſcelus prolapſis danda eſt opera, ut quamcitius confiteantur;* 196
clxxxviii. *Extat nihilominus præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, cui ſatisfit per confeſſionem factam cuique Confeſſario approbato, etiamſi non ſit Parochus.* 197
clxxxix. *Commendanda eſt etiam illorum pietas, qui curant, ne certis anni temporibus confeſſionem ſacramentalem omittant,* 199
cxc. *Atque ſemel in vita generalem exomologeſim edere ſtudent.* 200
cxci. *Perſpicue non evincitur viguiſſe olim ſive apud Latinos, ſive apud Græcos* formam *ſacramentalis abſolutionis* deprecativam. ibid.
cxcii. *Ceterum ſive obtinueris, ſive non, magis congrua & idonea eſt* forma *illa, quæ in Latina Eccleſia uſurpatur.* 202
cxciii. *Hanc* formam *ſacerdos pronuntians non declarat peccata a Deo jam eſſe dimiſſa, ſed ipſe auctoritate a Chriſto accepta eadem peccata relaxat.* ibid.
cxciv. *Videntur ea tantum verba* Abſolvo te, *pertinere ad eſſentiam ejuſdem formæ.* 203
cxcv. *Abſolutionis beneficio privandi ſunt, extra imminentis mortis periculum, implicati inolita peccandi conſuetudine;* 204
cxcvi. *Idemque judicium eſto de iis, qui nolunt proximam peccati occaſionem deſerere:* ibid.
cxcvii. *Sed in exitu mortis nemini baptizatorum, quamvis perditiſſimo, reconciliationem atque abſolutionem petenti, debet hæc denegari.* 205
cxcviii. *Haud aliter de illis dicendum eſt, qui poſteaquam pœnitentiæ ſigna dederunt, loquendi facultate & exteriori ſenſu deſtituuntur.* ibid.
cxcix. *Quid vero de probo, frugique viro, qui nullo præmiſſo pœnitentiæ ſigno, circumvenitur mortis anguſtiis, agitque animam? Gravior, & difficilior eſt quæſtio: eique abſolutionem* conditionate *impendendam eſſe cenſemus.* ibid.
cc. *Si de veteri Eccleſiæ diſciplina velimus diſſerere, ab Apoſtolorum tempore uſque ad ætatem Tertulliani, omnibus peccatis remiſſio & venia conceſſa fuit.* 207
cci. *At circa Tertulliani tempora erant qui mœchis negarent abſolutionem; etſi hæc non eſſet communis Eccleſiarum Catholicarum conſuetudo:* 208

ccii. De-

Google

ccii. *Decreto itaque Zephyrini relaxatus non fuit rigor antiquioris circa mœchiam diſciplinæ, ſed temperata potius diſciplina illa ſeverior circa Tertulliani ætatem invecta.* ibid.

cciii. *Recte proinde geſſit ſe Cyprianus veniam lapſis omnibus poſt actam pœnitentiam indulgens;* ibid.

cciv. *Neque in exitu mortis idem Cyprianus, vel Africanum Concilium negavit lapſis & ſacrificatis reconciliationem & pacem,* ibid.

ccv. *Tametſi prælaudatus Martyr diſciplinæ ſeveritate non relaxata, hujus æquitatem in lapſis recipiendis ſervaverit.* 209

ccvi. *Nec ideo Cyprianus culpandus eſt, quod pacem daret exacta jam pœnitentia, quamvis non ſit de ſacramenti ſubſtantia, ut ſatisfactio præcedat abſolutionem.* ibid.

ccvii. *Atque his, quæ de veteri diſciplina diximus, non adverſantur, quæ apud ipſum Cyprianum, alioſque nonnullos leguntur de reconciliatione aliquando in mortis exitu denegata.* 210

ccviii. *De ſatisfactione, ut de illa agamus modo, hæc ſentimus: Plerumque dimiſſa culpa temporales pœnæ luendæ remanent.* 212

ccix. *Poteſt, ac debet ſacerdos confeſſis pœnas ſatisfactorias injungere;* 213

ccx. *Idque non ad exemplum duntaxat, & ædificationem Eccleſiæ, verumetiam ad redimenda peccata, ad ſatisfaciendum Deo, & ad compenſandas illatas ipſi injurias.* 214

ccxi. *Verum quid in ſatisfactionibus injungendis a Confeſſariis ſervandum eſt? Tradidere hujus rei Patres ac Theologi optima documenta.* 215

ccxii. *Pœnitens autem debet injunctam ſibi ſatisfactionem acceptare, atque implere,* 217

ccxiii. *Si pœnitentia ei injuncta leviſſima ſit, & patratis ſceleribus longe impar, ſponte agere aliam;* ibid.

ccxiv. *Animadvertere, quod ſatisfacere non poteſt niſi peccati abjiciat affectum;* ibid.

ccxv. *Neque propria auctoritate poſſe aliquem ſubſtituere, qui ſui loco injunctam ſatisfactionem adimpleat.* 218

ccxvi. *Poterit pœnitentium torporem excutere, animumque excitare quicquid de publicæ pœnitentiæ gradibus, exercitamentis, & circumſtantiis ceteris traditur.* ibid.

ccxvii. *Novem ſalutaris pœnitentia fructus producit,* 224

ccxviii. *Horumque præcipuus eſt bonorum operum reviviſcentia.* 225

ccxix. *Peccata autem per pœnitentiam remiſſa minime redeunt per ſubſequentem culpam, niſi, ut inquiunt Theologi,* ſecundum quid. 226

ccxx. *Quædam, ne aliquid in Tractatu de Pœnitentia deſideretur, dicenda ſunt de congruo & decenti pro excipiendis fidelium confeſſionibus loco, de tempore, & habitu.* ibid.

ccxxi. *Sacramentum aliud Pœnitentiæ conſummativum eſt Unctio Extrema: quam verum novæ Legis ſacramentum eſſe tum ex Catholica Jacobi Epiſtola,* 229

ccxxii. *Tum ex perpetua traditione invictiſſime demonſtratur.* 231

ccxxiii. *Hujus ſacramenti mentionem fieri capite* vi. *Marci, non quidem certa, ſed tamen admodum probabilis ſententia eſt:* 232

ccxxiv. *A Chriſto hoc ſacramentum, priuſquam in cælos adſcenderet, fuit inſtitutum.* 234

ccxxv. *Ejus materia eſt Oleum ab Epiſcopo benedictum;* ibid.

ccxxvi. *Atque hanc benedictionem perperam Calvinus cum mordacitate deridet.* 236

ccxxvii. *Ipſa benedictio auctoritate Apoſtolica, non autem ordinaria, a ſimplici presbytero in Latina Eccleſia peragi poteſt.* ibid.

ccxxviii. *Diverſa circa partes corporis inungendas obtinuit tranſactis ſæculis diſciplina.* 237

ccxxix. *At Romana Eccleſia rectiſſime unctiones ſeptem præſcribit,* ibid.

ccxxx. *Omittens in feminis unctionem renum,* ibid.

ccxxxi. *Manus autem ſacerdotum inungens exterius,* 238

ccxxxii. *Verum ad ſacramenti ſubſtantiam una duntaxat unctio ſat eſſet;* ibid.

ccxxxiii. *Siquidem omnes ſimul unicum ſacramentum conſtituunt.* ibid.

ccxxxiv. *Aliqua verborum forma in iiſdem unctionibus eſt adhibenda.* 239

ccxxxv. *Qui ajunt formam abſolutam, ſi adhiberetur, validam fore, habent probabilia hujus aſſertionis momenta;* ibid.

ccxxxvi. *Congruentior tamen videtur forma per modum deprecationis prolata.* 240

ccxxxvii. *Neque enim Tridentinum Concilium formam indicativi modi omnino rejecit,* ibid.

ccxxxviii. *Et utraque ſignificare poteſt ſacramentalem effectum:* ibid.

ccxxxix. *Immo differentia, quæ inter unam & alteram formam intercedit, facile poteſt componi.* 241
ccxl. *Miniſtri vero ſacramenti Unctionis Extremæ non ſunt ſeniores ætate, ſed ſacerdotes,* ibid.
ccxli. *Epiſcopi nempe, tum Parochi, iiſque abſentibus alii presbyteri,* 243
ccxlii. *Sed nunquam, ut viſum Launoio, diaconi.* ibid.
ccxliii. *Etſi aliquando ad inungendos ægrotos ſimul ſacerdotes plures convenerint; ad perficiendum tamen ſacramentum ſufficit unus:* ibid.
ccxliv. *Atque ab eodem, qui unctionem peragit, debet forma ſacramentalis proferri.* 244
ccxlv. *Hoc ſacramentum infirmis tantummodo, iiſque adultis eſt conferendum,* 245
ccxlvi. *Quibus præſtat remiſſionem peccatorum, animi alleviationem, & aliquando etiam corporis ſanitatem.* 247
ccxlvii. *Contemnere igitur tantæ efficacitatis remedium eſt maximum ſacrilegium;* 248
ccxlviii. *Sicuti Parochi ad illud adminiſtrandum tenentur, niſi adſit magnum propriæ vitæ periculum.* ibid.
ccxlix. *Parum refert, num Extrema Unctio præmittenda ſit, vel poſtponenda Viatico;* 249
ccl. *Quamquam melius ſit tenere vigentem Eccleſiæ conſuetudinem.* ibid.
ccli. *Poteſt ſacramentum hoc iterari.* ibid.
cclii. *Dum infirmi a ſacerdote inunguntur, debent, ſi tempus ſuppetat, recitari Pſalmi pœnitentiales.* 250
ccliii. *Nunc dicendum de Ordine, quem eſſe proprium Legis Evangelicæ ſacramentum momentis pluribus demonſtratur.* 251
ccliv. *In Eccleſia Latina ab initio ad hæc uſque tempora ſeptem Ordines obtinuerunt.* 255
cclv. *Hunc autem ſeptenarium numerum Ordinum, nec quorumdam aliorum recenſio, nec diſſidium Theologorum poteſt firma aliqua ratione ſubvertere.* 256
cclvi. *Clericalis tonſura obtinuit in Eccleſia ab Apoſtolorum ætate.* 259
cclvii. *Ea tamen non eſt verus Ordo.* 260
cclviii. *Plauſibilis utique, necnon probabilis eſt eorum ſententia, qui negant quatuor minores Ordines eſſe ſacramenta:* 262
cclix. *Sed veriſimilior nobis videtur ſententia oppoſita.* 263
cclx. *Hypodiaconatus eſt ſacramentum, & Ordo ſacer, non autem Hierarchicus.* 266
cclxi. *Diaconatus vero, ad cujus ſacrum miniſterium* ſacramentali ordinatione *promoti fuerunt viri illi ſeptem, de quibus Act.* vi., 268
cclxii. *Eſt ſacramentum,* 269
cclxiii. *Necnon Ordo Hierarchicus.* ibid.
cclxiv. *Hujus generis non fuit diaconiſſarum antiqua inſtitutio.* 270
cclxv. *Ordo Presbyteratus eſt proprium Evangelicæ legis ſacramentum,* 271
cclxvi. *Quo non tantum verbi miniſterium, ſed ulterius offerendi ſacrificium,* ibid.
cclxvii. *Et ſolvendi, ac retinendi peccata confertur poteſtas.* 272
cclxviii. *Arbitramur nos, Epiſcopatum quoque eſſe ſacramentum, & quidem a presbyteratu diſtinctum.* 273
cclxix. *Chorepiſcoporum aliqui fuerunt Epiſcopali conſecratione inſigniti, ſed illorum plurimi fuere duntaxat presbyteri.* 274
cclxx. *A primæva Eccleſiæ catholicæ inſtitutione Epiſcopi fuerunt presbyteris ordine, ac dignitate præſtantiores.* 275
cclxxi. *Facile conciliantur quæ de* materia & forma *ſacrarum Ordinationum ſolent inter Scholaſticos diſceptari.* 283
cclxxii. *Sacramenti Ordinis miniſter eſt Epiſcopus: minores vero etiam Abbates ab Epiſcopis benedicti conferre poſſunt.* 284
cclxxiii. *Vindicatur privilegium collatum ab Innocentio VIII. Abbatibus Ciſtercii ordinandi ſubjectos ſibi Monachos in diaconos.* 285
cclxxiv. *Requiritur ad legitimam & canonicam, non autem ad validam conſecrationem Electi, trium Epiſcoporum præſentia.* ibid.
cclxxv. *A proprio, non ab alieno Epiſcopo ſuſcipiendi ſunt Ordines.* 286
cclxxvi. *Validæ ſunt Ordinationes factæ ab Epiſcopis quacunque hæreſi, aut quovis crimine pollutis, necnon excommunicatione, aut cenſura alia innodatis; dummodo cum neceſſaria intentione adhibeant* materiam, formamque *legitimam, atque ipſi eadem ratione conſecrati fuerint Epiſcopi.* 287
cclxxvii. *Deeſt id in Ordinationibus peractis ab hæreticis Angliæ præſulibus.* 290
cclxxviii. *Mulieres omnes, & viri non baptizati nequeunt ſacramentum iſtud ſuſcipere.* 293

cclxxix. *Ad*

cclxxix. *Ad recipiendum Ordinis* characterem *ſufficit ætas quelibet.* 293
cclxxx. *Nequaquam ſubſiſtit Ordo collatus homini invito penitus, ac reluctanti.* ibid.
cclxxxi. *In Ordinandis ſedulo attendi debent vocatio, ætas, conditio, ſcientia, probitas morum, & ordinationis* titulus, 295
cclxxxii. *Præterea Ordinationum tempora, locus, interſtitia, & conferendorum Ordinum ſeries.* 297
cclxxxiii. *Exigunt Eccleſiaſtici ritus, ut præter* inſtrumenta, *quibus ſinguli Ordines conferuntur, Ordinandis indumenta ſacra imponantur.* 298
cclxxxiv. *In conſecrandis vero Epiſcopis ac presbyteris ſacra quoque Unctio apud Latinos eſt adhibenda.* ibid.
cclxxxv. *Agendum tandem de Matrimonio, quod naturali, & divinæ legi conſentaneum eſt,* 301
cclxxxvi. *Nec malum, ſed licitum, honeſtumque,* ibid.
cclxxxvii. *Et aliquo modo præceptum; non tamen ea ratione, ut in Evangelica lege aliquem in particulari obliget.* 302
cclxxxviii. *Idem Matrimonium ex divina inſtitutione eſt ſignum rei ſacræ;* ibid.
cclxxxix. *Atque in Lege Evangelica ſignum efficax gratiæ, ideoque proprii nominis Sacramentum.* 304
ccxc. *Non pertinet ad Matrimonii* ſubſtantiam, *ut conjuges ſe mutuo cognoſcant carnale commercio;* 307
ccxci. *Pariterque ad valorem contractus matrimonialis neceſſaria non eſt in ipſam carnis commixtionem conſenſio,* ibid.
ccxcii. *Adeo, ut Mariam inter ac Joſeph conjugium legitimum interceſſerit.* 308
ccxciii. *Quamvis communiter loquendo graviter peccent filii, qui matrimonium contrahunt parentibus invitis & reluctantibus; non requiritur tamen eorumdem parentum aſſenſus, ut contractus matrimonialis ratus ſit, ac legitimus.* 310
ccxciv. *Matrimonium quoque inter abſenses initum, dummodo præſcriptæ conditiones erventur, ratum, validumque cenſendum eſt, ſaltem in ratione contractus.* 311
ccxcv. *Ratum nequit eſſe Matrimonium, quod occulta ſimulatione contrahitur:* ibid.
ccxcvi. *Etiamſi filii in illo matrimonio ſuſcepti, tanquam legitimi ſint habendi.* 312
ccxcvii. *Circa matrimonium, quod non eſt Sacramentum, ſed contractus tantum civilis, cujuſmodi eſt illud, quod contrahitur inter infideles, poteſt Magiſtratus & Princeps ſæcularis conſtituere impedimenta, & cauſas aſſumere.* ibid.
ccxcviii. *Statuere autem impedimenta Matrimonii, atque de hoc proferre judicia, poſteaquam ad ſacramenti dignitatem evectum fuit, pertinet ad jus, & auctoritatem Eccleſiæ:* ibid.
ccxcix. *Neque* Eccleſiæ *nomine comprehenduntur in hac quæſtione ſæculares Principes, aut Magiſtratus.* 314
ccc. *Diſpenſare iisdem in Matrimonii impedimentis munus eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis.* 315
ccci. *Qualibet impedimenta tam* dirimentia, *quam* impedientia, *utpote variis implicata difficultatibus, juxta Theologorum ſaniorem doctrinam, Juriſque Canonici præceptiones, ſunt ſingulatim examinanda.* 316
cccii. *Semper Eccleſia Chriſti deteſtata eſt clandeſtina conjugia, etſi quandiu ea toleravit, fuerint vera & rata matrimonia.* 323
ccciii. *At poſt Tridentinum Concilium non ſolum hujuſmodi conjugia noxia & illicita ſunt, verumetiam irrita prorſus, ac nulla.* ibid.
ccciv. *Valida quidem ſunt, ſed noxia & illicita matrimonia Catholicorum cum hæreticis, etiam in fœderatis Belgii provinciis, ſervata tamen BENEDICTI XIV. Conſtitutione.* 324
cccv. *Præmittuntur Matrimonio ſponſalia, atque denunciationes.* 326
cccvi. *Hujus Sacramenti Miniſtrum eſſe Parochum permulti probabiliter aſſerunt; ſed communior ſententia eſt, confici illud a contrahentibus.* 327
cccvii. Polygamia virilis, *ideſt matrimonium plurium virorum cum una uxore, inauditum ac turpiſſimum ſcelus, & omnino juri naturæ contrarium foret.* 331
cccviii. *Uxorum autem pluralitas finibus matrimonii ſecundariis, ac primæ illius inſtitutioni, & perfectioni adverſatur.* ibid.
cccix. *Antiqui Patriarchæ, qui uxores plures duxerunt, immunes fuerunt a culpa.* ibid.
cccx. *Verumtamen in lege Evangelica nefas eſt connubium iniri cum pluribus ſimul uxoribus:* 332
cccxi. *Ac ſolum licet, priore uxore defuncta, aut judicio Eccleſiæ conjugio illius diſſoluto, aliam ducere.* ibid.
cccxii. *Non ſolvebatur olim per* libellum repudii *vinculum matrimonii, nec fas erat Judæis cum alia uxore contrahere: ſed hoc eis Moyſes indulſerat* propter cordis duritiam, *ne exoſas mulieres inteſtino odio proſequerentur, vel morte afficerent.* 333

cccxiii. In

cccxIII. *In Lege Evangelica ſolvi nequit matrimonii nexus & vinculum ob ſolam cauſam fornicationis, ſive adulterii.* 334

cccxIv. *At matrimonium ratum, & non conſummatum, per religioſam profeſſionem vere diſſolvitur.* 335

cccxv. *Fas eſt, & aliquando expedit, ut permanente conjugii fœdere, viri ac mulieres ſeparentur* quoad torum, *dummodo juſtæ interſint cauſæ, idque fiat judicis eccleſiaſtici auctoritate.* 336

cccxvI. *Celebrandum eſt matrimonium cum Sacerdotali benedictione, junctis ſponſorum dexteris, porrectoque nuptiali anulo:* 338

cccxvII. *Flammeum enim, ſertumque nuptarum in deſuetudinem abierunt.* ibid.

BE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS,

In quo de Sacramento CONFIRMATIONIS *inſtituitur Dogmatica, Polemica, & Scholaſtica Diſſertatio.*

QUUM perdifficile ſit de argumento quolibet Theologico accurate & exquiſite diſſerere; difficilius eſt de re Sacramentaria excultos edere commentarios: pertractare autem de Sacramento CONFIRMATIONIS, ut par eſt, atque pro dignitate, laborioſum magis, ac difficillimum. In pluribus enim Theologiæ quæſtionibus, modo polleas ingenii acumine, & arte ratiocinandi, videberis inſignis Scholaſticus, & a multis quoque appellaberis acutiſſimus diſputator; at dum verſaberis poſtrema hac in parte, in qua agitur de Sacramentis, niſi ad mentis aciem, uſumque Dialecticæ acceſſerit aſſiduus labor, apparatus eruditionis, Eccleſiaſticorum Rituum cognitio, nec parva notitia novæ, ac veteris diſciplinæ, honeſtiſſima nomenclatione Theologi cenſendus eris indignus: quod ſane tibi accidet præſertim diſſerenti de Confirmationis Myſterio; in quo intelliges optime quanta ſit cum Orthodoxis, & cum hæreticis altercandi materies, ſi tantum arripias manu Sirmondi, Petri Aurelii, & Calviniſtæ Dallæi, (ut mittam alios mille) lucubratas atque expolitas commentationes. Verſatur propterea in proloquio apud viros doctiſſimos, dijudicare in hujuſmodi controverſiis Theologicarum ſcientiarum cultores, num ſint a Sophiſtarum grege ſecreti. Ego itaque, etſi dedi operam, ut alii quoque tractatus rerum varietate, & eruditionis ornatu redderentur venuſtiores, ac præter antiquorum ſubtilitatem ſeſe ferrent doctrinam & gravitatem recentiorum, & inſuper, ſi fieri poſſet, frequentiſſime novi aliquid exhiberent; quod an fuerim aſſecutus, judicabit Lector ſapientiſſimus, atque humaniſſimus: ego, inquam, libros illos exornans in id ſtudium incumbo, ut ea, quæ præſtantiſſimi viri convenientia arbitrantur, non videantur a me penitus prætermiſſa. Quamquam verò de Confirmationis Sacramento poſt Scholaſticos fere innumeros, & poſt Bellarminum ceteroſque Controverſiarum Scriptores, prolixe ac diligenter pertractarunt Baſilius Poncius Inſtituti noſtri vir celebris, Guilielmus Beyer, Joannes Morinus, & poſterioris ætatis quamplurimi, inter quos aliorum induſtriam ſuperaſſe creditur Anonymus Continuator Witaſſii; in ſpem tamen inducor eos, qui benigne legerint hunc triceſimum ſecundum librum, niſi probaverint laborem meum, rationem, diligentiam, ſedulitatem, quæ omnia cum in me tenuiſſima ſint, promerentur commiſerationem, non laudem, percepturos ſaltem aliquam divinarum rerum notitiam uberiorem; neque in graviſſimis quæſtionibus ſuſpenſuros eſſe judicium, uti fortaſſis eveniet pervolutanti elaboratum egregiumque opus nuperrime commemoratum: ſed illas inventuros fore definitas, confirmatas, atque ad fidem, doctrinam, traditionem, diſciplinamque Romanæ Eccleſiæ propugnandam aptiſſimas. Quæ utique ſpes nequaquam innixa eſt riganti mihi & plantanti, ſed ei primum, qui incrementum dat, Summo Deo; caſtiſſimæ deinde Virgini, inclyto Davidicæ ſtirpis Germini, quæ divinam nobis peperit Sapientiam; tum Auguſtino piiſſimo dulciſſimoque Parenti, ac poſtremo amicorum gratiæ, & facilitati: quibus præſidiis fultus ad inceptum opus perficiendum libentiſſimus appello animum.

CAPUT I.

Traditur Sacramenti CONFIRMATIONIS *multiplex nomen, ac definitio, variaque Impoſitionis manuum genera diſtinguuntur; tum hoſtes, cum quibus decertandum eſt, ſummatim connumerantur.*

CONFIRMATIONEM hac, aut æquivalenti definitione Theologi omnes circumſcribunt: *Confirmatio eſt Sacramentum novæ legis, quo baptizatis Spiritus ſancti robur & firmitudo confertur, ut Chriſtianam fidem firmiter teneant, animoque invicto profiteantur.* De qua definitione, ubi abſolutæ fuerint libri hujus quæſtiones, nulla dubitatio poterit ſupereſſe. Interim conſtat priora verba, *Sacramentum novæ legis*, ceteris inviſibilis gratiæ ſignaculis eſſe communia, & *generis*, ut inquiunt, ſtare loco; reliqua myſterii hujus ſignificare proprietatem, ſeu potius efficientiam. Nam quemadmodum per baptiſmi gratiam homines in novam creaturam generantur; ita per *Confirmationem* augeſcunt, animique robore perficiuntur: & idcirco ſicut generationem incrementum, ita baptiſma conſequitur Confirmatio. Eam itaque definitionem tradiderunt Theologi ipſa re, ſignorumque ſacrorum ordine diligenter ſpectatis. Arbitror temperanter, prudenterque ſe gerere qui hujuſcemodi definitionem arripiunt, nec per *materiam*, & *formam* Sacramenti hujus eſſentiam explicant; congruum enim eſt, ut in rerum definitionibus prætermittamus, quæ etiam inter nos maxime controvertuntur; cujus generis eſt quæſtio *de materia* Confirmationis. Video recentiorum quoſdam Sacramentum iſtud definientes ordinarii quoque miniſtri, ideſt, *Epiſcopi* meminiſſe, quod tamen ad explicandam rei naturam minime eſt neceſſarium. Tenebimus ergo allatam definitionem devitantes interim contentiones Scholaſticas, minutaſque dialecticorum præceptiones haud pluris hac in re facientes.

Non uno autem nomine Veteres Sacramentum iſtud appellitarunt. Dixerunt *Confirmationem*, ut nuper animadvertimus, *ab effectu*: idemque nomen occurrit in 3. libro Conſtitut. Apoſt. cap. 17. in priori canone Concilii primi Arauſicani, in 2. Concilii III. Arelatenſis, in Epiſt. 79. Leonis Magni ad Nicetam, in Florentino Concilio, & Decreto Eugenii, in Tridentino ſeſſ. 7. & eſt modo vocabulum illud in univerſa Eccleſia receptum atque uſurpatum. Appellatum quoque eſt *Perfectio*, ſeu *Conſummatio*, a Cypriano Epiſt. 73. ad Jubajanum, a canone 38. Illiberitano, & libro III. de Sacram. cap. 2. inter Opera Ambroſii; cujus nominis eadem eſt ratio, quod perficit baptizatum, eumque pleniori gratia roborat, & confirmat. Ab *unctione* autem dicitur ab Auguſtino libro 2. contra lit. Petiliani cap. 104. *Sacramentum Chriſmatis*, & lib. V. de Baptiſmo cap. 2. *Oleum ſanctificatum*; a Græcis pariter *Chriſma ſpiritale*, *Chriſma ſanctum*, *Chriſma ſupercæleſte*. Græcorum quidam appellaverunt Confirmationem *Unguentum perenne*, ſuadentes Bulgaris Chriſma in illorum oriri patria, & ab illis per totum mundum diſtribui: quod Nicolaus I. reſcribens ad Conſulta Bulgarorum cap. 94. apertæ falſitatis

revincit. Ab inungendi ritu, ſive potius a *Charactere*, dicitur Confirmatio *ſigillum* atque *ſignaculum*, apud Euſebium lib. 111. H. E. cap. 17. & lib. vi. cap. 35. ubi Clementis Alexandrini, & Cornelii Romani Pontificis verba afferuntur: idemque *ſignaculi* vocabulum in laudata Cypriani ad Jubajanum Epiſtola, & in libro Ambroſii de myſteriis cap. 7. aliiſque in locis compluribus ſignificat Confirmationem. Poſtremo Sacramentum illud vocatur *Impoſitio manus*, non ſolum a Rabano, Hugone Victorino, & Iſidoro, verum etiam a S. Parente Auguſtino lib. 111. de Bapt. cap. 16. ut mittam canones *Omnes fideles*, *De his vero*, & *Manus quoque*, depromptos ex veterum Pontificum decretalibus, de Conſecr. diſt. iv. n. 2. 3. & 4. Pertractarunt de his vocabulis Eſtius, Poncius, Farvacqueſius, ceterique Theologi: exquiſite autem, & luculenter Lindanus in altera parte Apologiæ, & lib. iv. Panopl. cap. 6. Durantius de Ritibus Eccleſ. Catholicæ lib. 1. c. 20. & Joannes Molanus lib. 1. Theolog. Pract. cap. 6.

Sunt tamen quæ hic addamus nec pervulgata, nec inutilia. Et quod ſpectat ad nomen *Confirmationis*, nihil ad rem facit noſtram illius apud Rhetores, & Juriſconſultos ſignificatio: nam illis *Confirmatio* eſt orationis pars, per quam argumentando adjungitur cauſæ fides, auctoritas, & firmamentum, ut in primo de Inventione tradidit Cicero: hi vero, legum ſcilicet tractatores, *confirmari* aſſerunt quæ a teſtamentis tabuliſque vim accipiunt; unde uſitata apud illos phraſis, *Confirmati codicilli*, *confirmata libertas*, *confirmatio adoptionis*, *confirmare acceptilationem*, ideſt, ſolutionem imaginariam. Hæc, inquam, nil ad inſtitutum noſtrum; eaque leviter attigiſſe ſat eſt. At nequaquam prætereundum ſilentio, apud rerum divinarum Scriptores dici etiam de Diaconis, *confirmari* ab his fideles, dum poſt porrectam a Sacerdote *ſub ſpecie panis* Euchariſtiam, præbebant Dominici ſanguinis poculum. Hinc de Diaconis habet Ordo Romanus: *Presbyteri juſſu Pontificis communicant populum, & ipſi viciſſim confirmant*, & paſſim legitur eo loci vox *Confirmare* ſub hac eadem notione. Obſervarunt id Amalarius in Eclogis, Rabanus de inſtitut. Clericorum, & in Gloſſario mediæ, & infimæ Latinitatis Du-Cangius.

Quantum ad *Chriſmatis* & *unctionis* vocabula, acute obſervavit in primo Myrothecio vir eruditiſſimus Fortunatus Scacchus hoc diſcrimen intercedere inter ἀλείμματα, & χρίσματα Græcorum; quod priori voce ſignificentur unguenta voluptariorum ac mollium, altera ea quibus utuntur ſobrii, & ea virtute viventes: idque vir eximius demonſtrat ex Clemente Alexandrino, qui lib. 2. Pædag. ſcribit *fomineum* eſſe ἀλείφεσθαι, χρίεσθαι autem *utile atque honeſtum*. Significat vero utrumque verbum *liniri unguento*. Infert inde Scacchus *Chriſmate* Sacramentum Confirmationis, aut inunctionem Spiritus ſancti ſignificari, ut Joannis Epiſt. 1. cap. 2. Καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, *Et vos Chriſma habetis a Sancto*; & Lucæ iv. πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμὲ οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με, *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me*: ἀλείφειν vero idem eſſe, ac *unguento linire faciem*, ut apud Matth. vi. σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, *Tu autem jejunans unge caput tuum*. Verum nimis ingenioſe ex obſervationibus Caſauboni iſta proferuntur: nam *Confirmare* promiſcue a Græcis dicitur τῷ θείῳ χρίειν ἀλείμματι, *divino linire unguento*; ἀλείφειν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, *perungere ſacro oleo*; τῷ μύρῳ σφραγίζειν, *unguento conſignare*; ut liquet ex Euchologiis, aliiſque ſcriptis Græcorum. Recte itaque dictum ſupra, Confirmationem indiſcriminatim appellari *Sacramentum Chriſmatis, unguenti, olei*.

Impoſitio autem *manus* non ſemper *Sacramentalis* eſt, atque *Confirmatoria*; quamquam Confirmatio frequentiſſime hujuſmodi vocabulo deſignetur. Adhibetur enim manuum impoſitio ad faciendum Catechumenum, ut ait Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 26. ad dæmones expellendos, ut colligitur ex Rit. Rom. tit. de Exorcizandis: ad ſanandos ægrotos, ut legimus capite poſtremo Marci. Præterea alia eſt manus impoſitio, quæ adhiberi ſolet in Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus collatione; alia, quæ in reconciliatione pœnitentium, & receptione hæreticorum; alia demum, quæ baptizatis, ut confirmentur in fide, impenditur ab Epiſcopo. Ac de priori manus impoſitione, quæ eſt ſacrarum ordinationum materia, aperta ſunt divinarum litterarum teſtimonia, Act. vi. 6. in priori ad Timoth. iv. 14. & in 2. cap. 1. 6. aliaque in diſputatione de Sacramento Ordinis producenda. De altera vero impoſitione manus dicturi præmittimus quatuor, aut quinque fuiſſe olim Pœnitentium gradus, qui erant iſti, πρόσκλαυσις, *fletus*, cum pœnitentes extra templorum portas conſiſterent: ἀκρόασις *auditio*, cum intra portam cum Catechumenis ſtarent ſacras audientes conciones: ὑπόπτωσις, *ſubſtratio*, cum ſe ſubſternerent, & illis Epiſcopi manus imponerent: σύστασις, *conſiſtentia*, dum orarent cum fidelibus, poſtquam Catechumeni abiiſſent; μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων, *communicatio divinorum Sacramentorum*, cum abſolutione obtenta accederent ad ſacra myſteria. Atque hanc μέθεξιν, *communicationem*, potius pœnitentiæ exitum, quam gradum appellandam cenſet lib. 2. Obſervat. pag. 367. doctiſſimus Albaſpinæus. In tertio itaque gradu *ſubſtrationis* pœnitentibus manus imponebatur: unde legimus in Concilio iv. Carthag. cap. 8. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a Sacerdotibus imponantur*: & in Laodiceno can. 19. fieri fidelium preces, *cum pœnitentes ſub manum acceſſerint, & receſſerint*. Atque hanc manuum impoſitionem non fuiſſe *Sacramentalem*, inde conſtat, quod pœnitentes in quinto duntaxat gradu, ſive ut placet Albaſpinæo, in exitu pœnitentiæ perciperent abſolutionem. Eo ritu etiam hæretici excipiebantur ad Catholicam venientes; nam Stephanus in decreto, de quo prolixe egimus pertractantes de Anabaptiſmo, *Si quis ergo* (inquit) *a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illis imponatur in pœnitentiam*. Ex vetuſta itaque traditione hæretici per impoſitionem manus recipiebantur. Hinc S. Gregorius lib. xi. epiſt. 67. ſcribit: *Et quidem ab antiqua Patrum traditione didicimus, ut quilibet apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione Chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei, ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur. Unde Arianos per impoſitionem manus Occidens, per unctionem vero ſancti Chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat*. Quod de Occidente ſcribit Gregorius Magnus, de Romana Eccleſia, conterminiſque provinciis eſſe accipiendum, non de Occidente univerſo, apparet ex quo in Galliis, atque Hiſpaniis Ariani ad Catholicam redeuntes Chriſmate fuerint conſignati, ut conſtat ex Concilio 2. Arelat. can. 17. Arauſ. 1. canone 2. & Gregorio Turonenſi lib. 2. Hiſt. cap. 31. & lib. iv. cap. 27. Num hæc impoſitio manus, & Chriſmatis unctio, qua recipiebantur olim hæretici, fuerint *Confirmatoria*, gravis eſt controverſia, de qua infra: modo *Confirmatoriam* non eſſe ſupponimus. De impoſitione manuum, quæ ad Sacramentum hoc attinet, habetur in Ordine Romano, in Pontificali Romano, & in Scriptoribus innumeris poſtmodum laudandis Epiſcopum ſuper capita confirmandorum manum elevare & extendere, illorum frontem ſignare, eiſque largiri Spiritum Sanctum, ſive potius *Spiritum Sanctum advocare, & invitare*, ut in libro de Baptiſmo loquitur Tertullianus. Non enim dant homines Spiritum Sanctum, ſed orant, ut veniat in eos, quibus manus imponunt; quod & de Chriſti Diſcipulis ait lib. xv. de Trinit. cap. 26. præſtantiſſimus Auguſtinus.

Inter hæreticos, qui Sacramentum Confirmationis repudiaverunt, connumerant quidam Arianos, præſertim Orientales, quos ſupra diximus reformatos fuiſſe *per Unctionem*; at ſi Ariani hac de cauſa dicendi ſunt negaſſe Confirmationem, idem profecto aſſerendum erit de Macedonianis, Teſſaradecatitis, Apollinariſtis, & aliis, quos *unctione* recipiendos præcipit Conſtantinopolitana 1. Synodus, canone ſeptimo. Verum *unctionem* illam *Confirmatoriam* non eſſe, ſententia videtur nobis probabilior. Recenſentur præterea Donatiſtæ, qui ex Optato lib. 11. num. 12. *Ampullam Chriſmatis per feneſtram, ut frangerent, jactaverunt*. Verum & Donatiſtas adhibuiſſe Chriſma liquet ex eodem Optato lib. vii. num. 4. pag. 103. nec alia de cauſa projecerunt ſacri Chriſmatis ampullam, niſi in exſecrationem Sacramentorum, quæ extra Eccleſiam ſuam conferebantur: qua impietate etiam Euchariſtiam dediſſe canibus, a quibus lacerati fuerint, narrat eodem loco Antiſtes Milevitanus. Sequuntur Novatiani, de quibus Theodoretus lib. 3. H. Fab. cap. 5. inquit: *Iis, quos baptizant, ſanctiſſimum Chriſma non præbent*. Sed videntur potius Novatiani Sacramentum illud neglexiſſe, quam denegaſſe exemplo Novati, qui baptizatus in lecto, in quo decumbebat, *neque cetera, quibus poſt baptiſmum ſecundum Eccleſiæ canonem imbui oportuerat, acquiſivit, nec Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit*; ut ad Fabium ſcripſit Cornelius Papa, apud Euſebium lib. vi. H. E. cap. 35. Accedunt Valdenſes, quos reprobaſſe Sacramentum Confirmationis affirmat Æneas Sylvius in libro de Origine Bohemorum c. 35. Guilelmus Beyer in Appendice ad Tract. de hoc Sacram. Bellarminus c. 1. Eſtius diſt. vii. §. 3. aliique permulti; idque conſtare ex Raynero ſcribit lib. 3. de Sacram. Confirmat. cap. 17. Calviniſta Dallæus. Ex Raynero tamen hoc unum habemus, Valdenſes mirari, *quare ſolis Epiſcopis liceat confirmare*, ut animadvertit Jacobus Boſſuet lib. xi. Variat. num. 107. Immo ex Confeſſione Valdenſium oblata Uladislao Hungariæ Regi, quam proferunt Witaſſe, ac Tournelius, apparet illos agnoviſſe *ſeptem numero Sacramenta*; unde arbitramur Valdenſes de miniſtro potius, quam de exiſtentia hujuſce Sacramenti hæſitaſſe. Numerantur deinceps Wicleſiſtæ, ſeu Lollardi, a Baſilio Poncio, ab Eſtio, a Bellarmino, ab aliis; eo quod Joannes Wicleſus lib. 4. Trialogi aſſerat hoc Sacramentum non probari ex Scripturis, & quibuſdam videri a diabolo inductam cum ritibus ſuis Confirmationem Epiſcoporum: in libro autem altero, qui forte periit, aperte Sacramentum ipſum rejiciat. Attamen & hæc ambigua ſunt, quoniam in Trialogo aliorum quidem, ſed non

ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem Wiclefi pronuntiatur ſententia; nec in Synodo Conſtantienſi ſeſſ. 8. illud inter cetera hæretici hujus portenta damnatur; ſed illud duntaxat num. 28. *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio reſervantur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris*. De Ruthenis quoque affirmat Suareſius, diſput. 32. ſacramentum Confirmationis negaviſſe; at contra Poncius, & Beyer contendunt Ruthenos caruiſſe utique aliquando Confirmatione, quod in illa *balſamum* non adhiberent, ſed *oleum infirmorum*, non autem ipſam Confirmationem negaſſe. Qui ergo de his, ceteriſque hactenus commemoratis ſentit Confirmationem de Sacramentorum expunxiſſe numero, aut errat, aut ſaltem in ambiguo verſatur.

At extra dubitationem poſitum eſt, poſt duo Novatorum Capita, Lutherum & Calvinum, quotquot in horum abiere partes Confirmationem abjeciſſe, ſecutos doctrinam illorum peſtilentiſſimam. Lutherus in libro de Captivitate Babylonica Confirmationem *ritum quemdam Eccleſiaſticum, ſeu ceremoniam Sacramentalem* eſſe concedit, eſſe *Sacramentum* præfracte negat: immo Melanchthon in Locis Commun. ceremoniam illam cenſet hoc temporis prorſus *inutilem*; nec aliter ſentiunt ceteri hujus ſectæ Theologi, tametſi Lipſienſes & Withembergenſes in Confeſſione anni 1568. receperint Sacramenta ſeptem, ac nominatim ipſam Confirmationem. In qua tamen Confeſſione, ut mos eſt tergiverſantium omnium hæreſum, minime perſtitere. Calvinus autem in Antidoto Concilii Trid. ſeſſ. VII. cap. 2. mendaciter ſcribit, Olei neminem veterum, immo nec eorum qui media ætate floruerunt, feciſſe mentionem: & lib. IV. Inſt. cap. 14. & 19. plura adverſus Catholicam fidem comminiſcens pronuntiare audet, a nobis juſtificationis cauſam, virtutemque Spiritus ſancti vaſculis, aut plauſtris includi; nullam promiſſionem baptiſmati, gratiam vero omnem unctioni attribui, aquam nullo jam numero haberi, & oleum unum magnifice extolli; aliaque temeritatis mendaciorumque pleniſſima, abunde ex dictis de virtute baptiſmatis, atque ex producendis hoc in libro penitus refutata. Pari, niſi audaciori temeritate in Confirmationem acuit veneno tinctum, impudentiſſimumque ſtilum Kemnitius 2. p. Examinis, ubi & illud affirmat, unctionem Chriſmatis prodiiſſe e ſchola Montani, hujuſque pice non Tertullianum ſolum, verum etiam Cyprianum fuiſſe illitum, quod unctionis aliquando meminerint; tametſi nec Epiphanius, nec Philaſtrius, nec Auguſtinus, nec aliquis eorum, qui hæreſeon conſcripſerunt hiſtoriam, recenſuerint inter Montani dogmata, Chriſmatis, Oleique myſterium. His ſubcinuere proteſtantium reliqui, inter quos Theodorus Beza in Reſponſione ad Franciſcum Balduinum, M. Antonius de Dominis lib. v. de Republ. Eccleſ. cap. 5. Joannes Dallæus in Opere de Confirmatione tres in libros diſtributo. Mitto Confeſſionem Saxonicam an. 1551. Magdeburgenſes Cent. IV. c. 6. alioſque permultos capite proximo refellendos.

CAPUT II.

Demonſtratur Confirmationem eſſe verum, propriumque Sacramentum novæ legis.

HÆC præſertim duo ſunt, quibus hæreticorum frangitur pervicacia, divinarum nempe Scripturarum auctoritas, ac perpetuæ Traditionis firmitudo. Scripturis ergo comprobari Sacramentum Confirmationis tenent fere omnes Theologi, idque peracute demonſtrarunt ante recentiores Jodocus Raveſteyn Tiletanus parte 2. Apologiæ, Tapperus ad art. 12. Confeſſionis Lovanienſis, Joannes Heſſelius in Explicat. Sacram. cap. 14. Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 2. Baſilius Poncius de Confirmat. P. 1. cap. 3. Gulielmus Beyer p. prima, Eſtius in IV. diſt. 7. §. 3. ne commemorentur recentiores, Habert, Le-Drou, Tournelius, Witaſſe. Scribunt hi duo, oppoſitum ſentire Scholaſticos illos, qui de Inſtitutione Confirmationis perplexe locuti ſunt, aut auctores illius fecerunt Apoſtolos, iiſdemque Scholaſticis accenſent Scotum in IV. diſt. 7. At revera nunquam Scotus docuit Confirmationem non poſſe e Scripturis probari; ſed aperte docuit in IV. diſt. VII. q. 1. hoc Sacramentum inſtitutum a Domino, *licet tempus & modus hujus inſtitutionis in Scriptura non legatur*: nec de veritate Sacramenti diſputat Scotus, ſed de ejus inſtitutione, ut animadvertit Maſtrius diſput. 2. de Sacram. q. VIII. Commemorandus potius erat Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in Cenſura Confeſſ. Auguſtanæ c. 7. ſcribit, τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφαίνεται ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, *Divini unguenti myſterium non extat in ſacris litteris*: quod avide arripuerunt Lutherani, inde inferentes *Confirmationem* eſſe ἐπεξεύρεσιν τῆς ἐκκλησίας, *adinventionem Eccleſiæ*. Vide Poncium pag. 12. Arcudium pag. 62. Nos, quicquid Hieremias, aut alii quipiam ſint opinati, arbitramur Novatores utroque ex capite, Scriptura ſcilicet, ac Traditione revinci; cum ſola ſacra Scriptura non ſit, quod ſæpe monuimus, regula dijudicandorum dogmatum, infirmumque ſit Lutheranorum illud ex confeſſione Hieremiæ conſectarium.

PROP. I. Catholica veritas firmatur divinarum Scripturarum auctoritate.

Actorum enim Apoſtolicorum cap. VIII. 14. & cap. XIX. 6. deſcribitur *Confirmatio* tanquam ſignum ſenſibile ſignificandi & efficiendi gratiam ac virtutem Spiritus ſancti vim habens. Hujus autem generis ſigna ſunt verum propriumque Sacramentum. Acta ergo Apoſtolica *Confirmationem* tanquam Sacramentum proprie dictum delineant. Majorem probant quæ eo loci leguntur: *Cum autem audiſſent Apoſtoli* (ita extat VIII. cap.) *qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*. Et cap. XIX. de Baptizatis habetur: *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſupra eos*. Quibus in locis habemus rem ſenſui ſubjectam, ſive viſibile ſignum, ideſt, manuum impoſitionem; nec non inviſibilem gratiam, virtutem ſcilicet Spiritus ſancti. Habemus itaque quidquid conſtituit verum ac proprium novæ legis Sacramentum.

Hoc argumentum labefactare conati ſunt Calvinus, & Kemnitius, reponentes deeſſe primum in hac manuum impoſitione *promiſſionem gratiæ ac mandatum*; cum nullibi inveniatur Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis, ut hac ceremonia uterentur, ac multo minus ad illam promiſiſſe collaturum ſe beneficia gratiarum. Addit Kemnitius, ſingulare fuiſſe privilegium Apoſtolicum, non Sacramentum diuturnum & permanens, per impoſitionem manuum largiri gratiarum dona; idque ex eo patefieri, quod modo impoſita ab Epiſcopis manu confirmati non loquantur linguis, nec miracula perpetrent, qualia Apoſtolicis temporibus contingebant. Regerunt præterea, Spiritum ſanctum, quem Apoſtoli conferebant manus imponendo, fuiſſe linguarum donum, virtutemque mirabilia patrandi, non gratiam ſanctitatis, qua baptizati per regenerationis lavacrum fuerant cumulate exornati. Affirmant inſuper illam manuum impoſitionem fuiſſe oblationem quamdam, per quam initiati Deo externa hac ceremonia conſecrarentur. Præter hæc, inquit Dallæus, nullum in his locis oleum ſentiri, nullum odorari balſamum, verba etiam deeſſe, quæ niſi ad elementum accedant, nequit coaleſcere Sacramentum rebus, verbiſque conſtans.

Sed hæc omnia facile refutantur. Ac primum quidem; nam temere aſſeritur præter mandatum, & inſtitutionem Domini Apoſtolos ea ceremonia uſos fuiſſe, & excogitaſſe quod tam eximia virtus, qualis eſt largitio Spiritus ſancti, ineſſet ceremoniæ a ſe pro libito, & abſque Magiſtri præſcripto uſurpatæ. Gratiæ vero non ſolum promiſſio, ſed etiam collatio productis in locis exprimitur. Neque vero, ut ad alterum progrediar, *impoſitio manuum* ad gratiam miraculorum pertinens fuit privilegium Apoſtolorum ſingulare; id enim Ananiæ datum legimus Act. IX. 17. immo unicuique credentium, Marci ult. 18. Quod ergo peculiari titulo Apoſtolis conceſſum fuit, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, eſt baptizatos perficere, & illis ſigno ſenſibili conferre Spiritus ſancti virtutem. Quam ſi elargiri potuiſſet Philippus, qui baptizaverat Samaritanos; non opus fuiſſet ut Samariam adirent Joannes & Petrus. Philippus *itaque, utpote diſcipulus, tantum baptizat* (inquit in Acta pag. 77. Œcumenius) *gratiam vero perficiunt Apoſtoli, quibus hujus doni conceſſa erat auctoritas*, οὗτος ἂν βαπτίζει μόνον, ὡς μαθητής, τελειοῦσι δὲ τὴν χάριν οἱ ἀπόστολοι, οἷς ἡ τῆς τοιαύτης δωρεᾶς αὐθεντία ἐδέδοτο. Utique Apoſtolis, (reponunt hæretici) ſed non Epiſcopis. At mentiuntur plane. *Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia*, ait Auguſtinus de impoſitione manuum, qua Apoſtoli conferebant Spiritum ſanctum, lib. XV. de Trinit. c. 26. Similia Patres alii paullo infra laudandi. Nec officit, quod modo viſibilia ſigna ad impoſitionem manuum Epiſcoporum minime conſequantur: ea namque ſigna virtutis argumentum ſunt ab initio incredulis exhibendum, non ſpiritus interiori gratia animum exornans atque perficiens. Recte prælaudatus Auguſtinus Tract. VI. in Epiſt. Joannis num. 10. *Primis temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus ſanctus, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum ſanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum. Significatum eſt illud, & tranſiit. Numquid modo quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus attendit unuſquiſque veſtrum utrum linguis loquerentur, & cum videret eos linguis non loqui, ita perverſo corde aliquis veſtrum fuit, ut diceret, Non acceperunt iſti Spiritum ſanctum, nam ſi accepiſſent, linguis loquerentur quemadmodum tunc factum eſt?* Hoc Auguſtini teſtimonio converſionis ſuæ rationes confirmavit in

Epiſtola ad Georgium Calixtum pag. 40. Chriſtophorus Ranzovius. Diluitur iiſdem verbis commentum ſubſequens hæreticorum. Teſtatur enim Auguſtinus baptizatos per impoſitionem manuum Spiritum ſanctum accipere, etiamſi linguis non loquantur: ideoque diſtinguit Spiritum ſanctum a dono ipſo linguarum. Inveriſimile præterea eſt, inquit in loca difficiliora Script. pag. 585. Guil. Eſtius, omnes, quibus Apoſtoli manus imponebant, linguis fuiſſe locutos, ſcribente Paulo 1. ad Corinth. XII. 30. *Numquid omnes linguis loquuntur?* Accedit gratias gratis datas, inter quas connumerantur linguæ, etiam improbis aliquando conferri, ut apparet ex Matth. VII. 22. in improbis vero habitare *Spiritum ſanctum* res nova eſt, repugnatque divino eloquio, Sapient. 1. 5. At enim, inquiunt hæretici, nonne baptizati receperunt ſanctitatis & gratiæ dona? Reſpondemus recepiſſe quidem ad renaſcentiam & adoptionem, non ad virtutis robur, ac firmitudinem. Varia ſunt enim Spiritus chariſmata ac munera: ipſique Apoſtoli, juſti utique, & gratia ſanctificationis ornati, poſt Domini aſcenſionem acceperunt *virtutem ex alto*, ut Chriſtus promiſerat, Lucæ XXIV. 49. & Act. I. 8. Hunc ergo *Spiritum*, non ſolum linguarum dona impertientem, verum etiam fidelium animos interno illapſu corroborantem, quem Apoſtoli ſingulari eventu, & abſque viſibili Sacramento ſunt conſecuti, hunc eumdem Spiritum olim quoad utrumque effectum, interioris ſcilicet roboris, & linguarum, poſtmodum quoad primum, atque præcipuum, contulerunt, conferuntque Antiſtites Eccleſiarum. Atque hinc diſpellitur commentatio altera Calviniana, videlicet, impoſitionem illam manuum fuiſſe oblationem quandam, non autem Confirmationem. Ut enim mittam, etiam apud Judæos idem eſſe *χεῖρα ἐκτείνειν*, *manum extendere*, ac deprecari divinæ potentiæ efficaciam, ſpiritusque augmenta, ut permultis Scripturarum exemplis oſtendit in cap. 9. Matth. Acatholicus Grotius, poterat ſane Philippus, ut Samaritas baptizare, ipſorum quoque oblationes excipere, neque ad hoc neceſſum erat, diſcederent Jeroſolymis duo Apoſtolorum. Quamquam & illud perſpicuum eſt, baptiſma ipſum eſſe perſonarum initiationem & oblationem; & ſi oblatio alia requiritur, hanc eſſe non regeneratorum, ſed potius Catechumenorum ad baptiſma accedentium. Quod tandem addunt de Chriſmate, & de verbis, ad illam quæſtionem attinet, in qua diſputatur *de materia, & forma Confirmationis*; ac modo ſat eſt reponere, noſtratium plures hujus Sacramenti *formam* conſtituere in oratione, quam conjunctam impoſitioni manuum colligimus ex eodem cap. VIII. verſ. 5. alios eamdem *formam* aſſignare ex Apoſtolica traditione: de Chriſmate etiam inter Scholaſticos diſceptari; nec aliud inquiri in præſentia, niſi, num in *Confirmatione* deprehendatur ſignum ſenſibile gratiæ, ſeu ratio veri Sacramenti, idque ex Apoſtolicis Actibus evincatur.

In ſua adhuc pervicacia perſiſtunt hæretici, ac duce Dalleo in Apoſtolicis Actibus de ſolo linguarum dono, ſpirituque viſibili inſtitui ſermonem, hiſce momentis ulterius jactitant. Principio, inquiunt, Act. VIII. 16. ubi legunt Latini, *Nondum enim in quemquam illorum venerat*, ideſt, Spiritus ſanctus, extat in autographo Græco, *Οὔπω γὰρ ἦν ἐπ᾽ οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκός*: Eſt autem *ἐπιπίπτειν* idem, ac *irruere*, *illabi*, exprimitque prophetici ſpiritus energiam. Deinde ille ſpiritus ab Apoſtolis conferebatur, de quo Joelis II. 28. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, &c.* Vide Act. II. 17. & Marci ult. 17. Hunc autem *ſpiritum* eſſe ſpiritum propheticum ſatis conſtat. Præterea Apoſtoli illum conferebant *ſpiritum*, quem Simon oblata pecunia expectabat dicens: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum*, Act. VIII. 19. At Simon eum duntaxat *ſpiritum* cupiebat, *quo ſibi quæſtus, & pecuniarum occaſio fieret*, inquit pag. 79. Œcumenius: *ὡς τεραστίων αὐτῷ χαρισμάτων, καὶ ἀφορμὴν γίνεσθαι τινὲ*, donum videlicet miraculorum, non robur animi. Poſtremo Apoſtoli dederunt *ſpiritum*, quem dare non poterat Philippus diſcipulus & diaconus. Atqui ſpiritum ſanctificantis gratiæ etiam Philippus conferre poterat, quemadmodum illum contulit Ananias, Act. IX. 17. Igitur Apoſtoli per manuum impoſitionem dabant dona linguarum & miraculorum, non ſpiritalem atque inviſibilem gratiam. Hinc in cap. VIII. Act. Apoſt. agi de adventu Spiritus ſancti ſecundum externam aliquam & aſpectabilem formam, quæque ſplendenti illuſtraret igne, & donum conferret linguarum, permulti quoque Catholici Interpretes tradiderunt, ut Gaſpar Sanctius, Gagnæus, Menochius, & alii.

Verum neque iſta roboris habent aliquid; fatemur enim externa ſpecie apparuiſſe Spiritum ſanctum, negamus non corroboraſſe interiori gratia cor, animumque baptizatorum. Non ſolum enim Spiritu ſancto repleti prophetabant, loquebanturque linguis; verum etiam timore omni depoſito annuntiabant Chriſti nomen, patiebantur libenti animo contumelias, Evangelium apud incredulos conteſtabantur, nec quidlibet eructabant, ſed ſpiritu interius movente promebant magnalia Dei. Duæ ergo diverſæ res ſunt, accipere Spiritum ſanctum, & linguis loqui; ſeu virtute corroborari, & patrari miracula: quamvis iſtud præſentiæ ſpiritus, ejuſque efficientiæ fuerit manifeſtum invictumque argumentum. Jam vero hæreticorum cavilla diſpungamus. *Ἐπιπεπτωκὸς* eſt participium verbi *ἐπιπίπτω*, quod non eſt tantum *irruo*, & *cado*, ſed etiam *ſupervenio*: nam Ariſtoteles in 3. Animalium *ſupervenientes* vocat *ἐπιπίπτοντας*, ut animadvertit Budæus tom. 1. pag. 706. Eſt ergo idem ſenſus hujus vocabuli *ἐπιπεπτωκός*, ac alterius quod occurrit Act. I. 8., *ἐπελθόντος*, *ſupervenientis*: ubi legimus, *λήψεσθε δύναμιν τοῦ ἁγίου πνεύματος*, *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti*, ſive, ut habet Arabicus, Tom. V. Bibl. Polyglot. pag. 517. *Accipietis robur per adventum Spiritus ſancti*. Quare merito *τὸ ἐπιπεπτωκὸς* redditur a Latino Interprete, *venerat*; ab aliis, *aderat*, *deſcenderat*. Immo variant lectiones Græcæ: habeturque in Codicibus optimæ notæ pro *ἐπιπεπτωκὸς* imperfectum *ὑπῆρχε*, *aderat*, *exiſtebat*. Vide Variantes lectiones Græcas N. Teſt. ad Calcem VI. Voluminis Polyglottarum, pag. 21. Corruit ergo prior argutatio ex verbo *ἐπιπεπτωκὸς* petita; quamquam nec illud a nobis negatur, illapſum Spiritum *ſub viſibili forma*, quæ commonſtraret gratiam inaſpectabilem. Hæc vero proximum quoque argumentum eludunt & frangunt. Ad tertium reſponderi poſſet cum Tirino, Simonem ambiiſſe quoque Epiſcopatum; ſed præeligenda eſt reſponſio Auguſtini ſcribentis Enarrat. 3. in Pſalm. XXX. num. 14. *Admiratus eſt ille* (Simon) *& obſtupefactus tanto divino miraculo, quod ad impoſitionem humanarum manuum venit Spiritus ſanctus & implevit homines, & deſideravit iſtam, non gratiam, ſed potentiam, non unde liberaretur, ſed unde extolleretur.* Et in Pſal. CXXX. num 5. *Plus illum delectavit potentia Apoſtolorum, quam juſtitia Chriſtianorum. Ubi vidit per manus impoſitionem Apoſtolorum, & per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum ſanctum, & quia tunc per miraculum demonſtrabatur adventus Spiritus ſancti: (nec ideo modo non datur Spiritus ſanctus, quia linguis non loquuntur qui credunt. Ideo enim tunc oportebat, ut linguis loquerentur, ut ſignificarent omnes linguas Chriſto credituras. Ubi impletum eſt quod ſignificabatur, miraculum ablatum eſt.) Cum ergo hoc vidiſſet Simon, voluit talia facere, non talis eſſe.* En aperte Auguſtinus diſtinguit Spiritum ſanctum a dono linguarum, ſive potentiam miraculorum a gratia, traditque Apoſtolos utramque dediſſe, Simonem vero *potentiam* qua extolleretur, non *Spiritus ſancti gratiam* poſtulaſſe. Atque hac diſtinctione ſuppoſita corruunt quæcumque produci ab hæreticis poſſunt ex Patribus, ſacriſque Interpretibus, aſſerentibus collatum Samaritanis *ſpiritum*, *donumque ſignorum*; cum donum iſtud gratiam minime excluderet, ſed illam comprobaret ſenſibili teſtimonio. Id vero ſcribunt præcitati Sanctius, Menochius, Tirinus, aliique plurimi, qui etiam docent deſignari his in locis ſacramentum Confirmationis. Ad ultimum ſunt, qui cum Luca Holſtenio diſſert. 1. de Miniſt. Confirmat. reſpondent Ananiam unum fuiſſe ex LXX. diſcipulis, diſcipulos autem Apoſtolorum collegas, illiſque ad prædicandum Evangelium ſuccenturiatos, non ſolum fuiſſe presbyteros, ſed etiam Epiſcopos, cum ab iiſdem LXX. fundatæ fuerint præcipuæ ſedes Epiſcopales, ut Dorotheus, aliique Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores litteris conſignarunt. Quod ſi placet Ananiam meris presbyteris accenſeri, illud tantum, inquiunt, conſequetur, presbyteros accepta ab Apoſtolis facultate contuliſſe *Chriſma*; maximum vero eſſe Ananiam inter, & Philippum diſcrimen, cum is fuerit unus ex ſeptem diaconis, *menſarum viduarumque miniſtris*. At nos arbitramur Ananiam per manus impoſitionem nequaquam dediſſe Spiritum ſanctum, ſed cæcitatem exemiſſe, ut legitur verſu 12. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat.* Quare impoſitio hæc manus non fuit *Confirmatoria*, & qualis deſcribitur Act. VIII. 17. ſed ejuſdem generis, ac illa, de qua Marci ultimo, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Et quidem hæc baptiſmum Pauli præceſſit; illa baptiſmum Samaritanorum eſt conſecuta. Dum ergo ait Ananias, *Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, ut videas & implearis Spiritu ſancto*, ſignificavit miſſum ſe, ut per impoſitionem manuum ſanaret cæcum, ac deinde illum baptizaret in remiſſionem peccatorum. Hinc ſequitur verſu proximo, *Viſum recepit, & ſurgens baptizatus eſt.* Quod ſi in Paulo propter inſignem animi præparationem admittere velimus quamdam ſanctificantis gratiæ anticipationem, ut in Cornelio Act. X. 44. (de quo plura Volumine III. pag. 320.) neque id juvare poterit heterodoxos.

Hi ergo prædictis Scripturæ locis refutantur; quibus Baſilius Poncius de Confirmat. cap. 3. Eſtius diſt. VII. & Auctor de Re Sacram. lib. 2. cap. 2. addunt quæ Paulus ſcribit ad Epheſios I. 13. *In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto*: in II. ad Corinth. I. 21. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*; atque ad Hebræos VI. 1. 2. *Non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei*

Digitized by Google

fidei ad Deum, *baptiſmatum doctrinæ*, *impoſitionis manuum*, *&c.* Plura de primis duobus Pauli locis ſcripſi præcedenti vol. pag. 238. ubi oſtendi Apoſtolum loqui de characture Confirmationis; tametſi non deſint Theologi, qui accipienda hæc aſſerant de variis Spiritus ſancti chariſmatibus: ut vidit idem Eſtius tom. I. in Paulum pag. 424. Tertius autem locus proculdubio *de Confirmatione* eſt accipiendus, cum baptizati per impoſitionem manuum confirmentur, ut ſupra diximus; Calvinus vero qui hunc locum detorquet *ad fidei profeſſionem*, nulla auctoritate, nullaque ratione ducatur. Quippe non ad probandam fidem baptizatorum, ſed ad conferendum Spiritum ſanctum Apoſtolos impoſuiſſe manus declarant Scripturæ, de quarum ſenſu hactenus cum hæreticis pugnatum eſt.

PROPOSITIO II. Eadem catholica veritas firmetur perpetua, atque exploratiſſima traditione.

Hujus traditionis argumentum ſunt Summorum Pontificum teſtimonia, canones Conciliorum, ſcripta Petrum, univerſa denique Eccleſiæ Chriſti conſenſio. Et quantum ad primum attinet; extat apud Euſebium lib. VI. H. Ec. cap. 43. epiſtola ad Febium Antiochenſis Eccleſiæ Præſulem ſcripta a Cornelio ad Pontificatum evectu anno 250., ſive, ut cenſent alii, 254. in qua de Novatiano aqua baptiſmatis perfuſo legimus, *ἀλλ' οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα. τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου*: *Neque poſtquam liberatus eſt a morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent, neque ab Epiſcopo conſignatus eſt.* Quo ſane in loco ſoli offundunt tenebras qui ajunt Cornelium de baptiſmi ritibus fuiſſe locutum; tum quia nullibi ceremonias compleri dicitur σφραγισθῆναι, *conſignari*, tum etiam, quia neceſſum non erat ritus baptiſmi eb Epiſcopo perfici, tum poſtremo, quoniam Cornelius attribuit huic ſignaculo Spiritum ſanctum, e veſtigio ſubjiciens. *τοῦτο δὲ μὴ τυχών, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε*; *Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?* II. Innocentius I. Epiſtola ad Conſultationes Decentii, data anno 416. cap. 3. inquit: *De conſignandis autem infantibus manifeſtum eſt non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam presbyteri licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum.* Quibus in verbis agi de Confirmationis ſacramento, inde manifeſto colligitur, quod ceremonialis unctio etiam Presbyteris a Silveſtri ſaltem ætate fuerit conceſſa; ac præterea ſignaculo facto ab Epiſcopis adſcribat Innocentius collationem Spiritus ſancti: quod proximis verbis idem Pontifex expreſſius inſinuet: *Nam presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Atque hæc verba in Canonem cap. *Presbyteris*, de Conſecrat. diſt. IV. n. 119. fuerunt relata. III. S. Leo Epiſtola 88. ad Germaniæ, & Galliæ Epiſcopos ſcripta circa annum 444. inter ea, quæ prohibentur Corepiſcopis, enumerat *Chriſma conficere, & Chriſmate baptizatorum frontem ſignare.* Et ſerm. 10. de Nativit. *Renati*, inquit, *per aquam & Spiritum ſanctum accepiſtis Chriſma ſalutis, & ſignaculum vitæ æternæ.* IV. Sanctus Gregorius Epiſt. ad Januarium 9. lib. IV. *Presbyteri* (inquit) *baptizandos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte.* Eadem Gregorius epiſt. 26. ejuſdem libri repetens, indulget, ut, ubi Epiſcopi deſint, *Presbyteri etiam in frontibus baptizandos Chriſmate tangere debeant*: ſed quoniam *baptizandos* eit, non *baptizatos*, ſunt qui negant Gregorium Sardis presbyteris jus Epiſcopale confirmandi poſt baptiſmum infantes conceſſiſſe: unde agam rurſus de hoc teſtimonio infra cap. VII. Præterea Gregorius Epiſt. 45. lib. X. mendat Cluſino Epiſcopo, *ut officium viſitationis impendat, ut ii, qui illic Deo propitio baptizantur, inconſignati non debeant remanere.* Hinc liquet ob hunc præſertim finem conſignandi regeneratos, ab Epiſcopis diœceſim luſtrari; quod ex Dialogo Hieronymi adverſus Luciferianos, de quo infra, recte monuit in VI. Notificat. ſapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS. In Sacramentario autem Tom. III. pag. 73. diſtinguit Gregorius unctionem chriſmatis, quam presbyter facit in vertice, & illam, qua Pontifex, *levata manu ſuper capita baptizatorum*, præmiſſa oratione, *& tincto pollice in chriſmate facit crucem in fronte.* Laudet Carolus Vitaſſe, ſeu potius qui Auctoris hujus proſequutus eſt Tractatus Theologicos, ea Gregorii verba in caput I. Cantic. *In Engaddi balſamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur.* Sed expuncta hæc ſunt ab editoribus Benedictinis eodem Volum. 3. pag. 415. utpote ſpuria, ac deprompta ex Beda lib. 2. in Cantica. Satis nihilominus ex dictis conſtat, Gregorium Chriſmatis ſacramentum adſtruere, & unctionem frontis e verticali ſejunctam, ut diximus cap. ultimo de Baptiſmo. IV. Innocentius III. cap. *Cum veniſſet*, de ſacra unctione, ſeu tit. XV. lib. I. decretal. hæc habet: *Per frontis Chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus ſanctus ad augmentum datur & robur: unde cum ceteras unctiones ſimplex Sacerdos, ideſt, presbyter valeat exhibere, hanc nonniſi ſummus Sacerdos, ideſt, Epiſcopus, debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum Vicarii ſunt Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant, quemadmodum Actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat.* Exſcripta hæc ſunt ex Epiſtola Innocentii ad Archiepiſcopum Trinonitanum, de qua Raynaldus Tom. XIII. Annal. pag. 126., ſcripta anno 1204. Prætermitto Epiſtolas Urbani Primi, & Melchiadis in Collect. Iſidoriana, & tom. I. Conciliorum, ex quibus conflata ſunt cap. *Omnes fideles*, *Spiritus ſanctus*, *De his vero*, I. 2. & 3. de Conſecrat. diſt. IV. ne certa permiſceantur ambiguis.

Ut veniamus ad Synodorum canones; Illiberitanum Concilium celebratum, ut fertur, anno 305. ſive potius 315. canone 38. ita ſtatuit: *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate, ita ut ſi ſupervixerit ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit*: ubi *manus impoſitionem* intelligendam illam eſſe, quæ dicitur *Confirmatio*, pluribus argumentis demonſtrat Ferdinendus de Mendoza lib. 3. pag. 569. Sat eſt illud modo animadvertere, baptiſmum a laico datum *integrum* eſſe, adeoque perfectionem ab Epiſcopo requirendam, eſſe *Confirmationem*. Sane quid ſignificet hoc in canone τὸ *lavacrum integrum*, non repetam, cum dixerim tomo III. pag. 281. Vide ejuſdem Illiberitani Concilii canonem 77. quem Alphonſus Piſanus inter Canones Arabicos, Burchardus vero inter decreta Concilii Turonici falſo recenſuerunt. II. Concilium Laodicenum, quod alii celebratum tradunt anno 364. alii 367. edidit hunc canonem, n. 48. *Δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ Χριστοῦ*, quem ita ad literam vertit Gentianus Hervetus; *Oportet eos, qui illuminantur, poſt baptiſmum inungi ſupercaleſti Chriſmate, & eſſe regni Chriſti participes.* In hoc canone tum participium φωτιζομένους, cum præſertim quæ ſequuntur μετὰ τὸ βάπτισμα, *poſt baptiſmum*, invicte revincunt Dallæum canonem de baptizandis, & de unctione catechumeni, quæ baptiſmum præcedit, inepte, imperite, ac nugatorie exponentem. III. Concilium Areletenſe III. anno 455. decrevit, *ut clerici, atque altaris miniſtri, a nullo niſi ab ipſo* (Epiſcopo) *vel cui ipſe injunxerit, ordinentur: Chriſma nonniſi ab ipſo ſperetur: neophyti ſi fuerint, ab eodem confirmentur.* IV. Florentinum & Œcumenicum, ſive Eugenius IV. in decreto pro Armenis an. 1439. hæc protulit: *Secundum ſacramentum eſt Confirmatio; cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt, Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, &c.* V. Tridentinum denique ſeſſ. VII. de Confirmat. anno 1547. hunc priorem canonem edidit: *Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otioſam ceremoniam eſſe, & non potius verum, & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit.* Et canonem 2. *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.*

Recentiores Theologi magnam vim ineſſe putant canoni VIII. primæ Nicænæ Synodi, ubi ſtatuitur, *De his qui ſe nominant Catharos, ideſt mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in Clero permaneant.* Tournelius inquit agi hoc in canone de ſacramento Confirmationis, quoniam Novatiani, auctore Theodoreto lib. 3. hæret. fabul. cap. 5. Chriſmate non utebantur. Vitaſſe autem idem ſentiens oppugnat Gratianum, & Morinum, qui cenſet Novatianos ad Eccleſiam redeuntes repetita ordinatione fuiſſe receptos. Gratiano tamen, ac Morino videbatur favere verſio canonis in collect. Concil. pag. 4. to. I. *Si qui voluerint venire ad Eccleſiam Catholicam ex Novatianis, placuit ſancto Concilio, ut ordinentur, & ſic maneant in Clero.* At Lupus tom. I. pag. 49. ita canonem illum interpretatur, ut nec de Confirmatione ſit accipiendus, nec de iterata ordinatione, ſed ſenſum reddat, *Novatiani jam ordinati, ſi ad Eccleſiam redeant, in Clero permaneant*: quod vir eximius comprobat teſtimonio Hieronymi, Innocentii I., Ferrandi, aliorumque. Poteſt & canon ille ſic accipi, ut Novatiani in Clero maneant, *ſi ordinentur*, ſive ut poſſint adſciſci inter Clericos; nam & hunc ſenſum patitur editio Græca: *περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν αὐτοὺς Καθαροὺς ποτέ, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτούς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. De his, qui ſe cognominant Catharos, ideſt mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes,*

ſic

ſit in Clero permaneant. Vide tom. 1. Conc. Harduini pag. 326. Hunc itaque canonem ad rem noſtram non arbitror eſſe invictiſſimum. Idem cenſet Lupus de canone VII. Concilii primi Conſtantinopolitani, affirmans in eo ſermonem fieri de impoſitione manuum *reconciliatoria*, non *Confirmatoria*. Verum de hoc infra, ubi pertractabo de Confirmatione non repetenda. Sufficiat modo hæc præmonuiſſe.

Veniamus ad Patres. Ac primo prætermittendus minime eſt Auctor Conſtitut. Apoſt. qui, etſi fortaſſe non ſit Clem. Romanus, antiquiſſimus eſt tamen, priorumque ſæculorum fidem commonſtrat. Is ergo lib. 3. cap. 16. pag. 288. de baptizatis inquit: Καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. *Et poſtea Epiſcopus baptizatos ungat chriſmate*: atque ſeq. cap. eadem pag. τὸ μύρον (inquit) βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας, *Chriſma confirmatio eſt confeſſionis*. Quis hic non videat Dallæum aſſerentem his in locis pertractari de *ſimplici oleo*, non *de chriſmate*, cum μύρον Auctor dicat, *unguentum*, diſtinguatque ab τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, *a ſacro oleo*, quo catechumeni inunguntur ante lavacrum? Illud etiam quod ſequitur, βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας, *confirmatio confeſſionis*, nonne exprimit Confirmationis effectum, de quo in Rituali Græcorum pag. 368. τὸ χρῖσμα τοῦ μύρου βεβαιοῖ τὴν πίστιν, *Unguenti chriſma confirmat fidem*? Habes de eodem unguento in eodem Opere lib. VII. cap. 44. pag. 381. hanc deprecationem: σὺ καὶ νῦν τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βέβαιον καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ Χριστοῦ σου, *Tu & nunc praſta ut hoc unguentum efficax fiat in baptizato, quo firma & ſtabilis maneat in ipſo fragrantia Chriſti tui*. II. Nec omittam Dionyſium, ſive Auctorem operis de Eccleſiaſtica Hierarchia, tametſi de hoc quoque diſcrepent eruditorum ſententiæ. Decretoria enim ſunt quæ habet c. 2. pag. edit. Plantin. 28. *Unguenti illa conſummans unctio eum, qui initiatur, odoris ſuavitate perfundit*: ἡ δὲ τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρῖσις, εὐώδη τὸν τελούμενον ποιεῖ. Vide & caput IV. pag. 339. ubi plura de Chriſmate, inter quæ habentur iſta, *Quin etiam ei, qui ſanctiſſimo divinæ regenerationis ſacro initiatus eſt, conſummans illa unctio divini Spiritus illapſum elargitur*, Ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτῷ τῷ τελεσθέντι τὴν ἱερωτάτην τῆς θεογενεσίας τελετήν, τὴν τοῦ θεαρχικοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρῖσις. III. Sequitur Irenæus 2. ſæculi ſcriptor eximius, & auditor Polycarpi, qui lib. 1. contra hæreſes cap. 18. ex diſtinct. Maſſueti 21. num. 4. inter errores Gnoſticorum depravantium Eccleſiæ Catholicæ ritus, illud connumerat quod in baptiſmate aqua utantur quidem, ſed profanas dictiones addant, & ipſi quoque adhibeant unctionem: *Atque ipſi quoque* (ait) *balſamum adhibent*, μυρίζουσι δὲ καὶ αὐτοὶ τῷ βαλσάμῳ. Notandum hoc in loco pronomen, καὶ αὐτοί, *Et ipſi*, quo demonſtratur, uti in *aqua*, ita in *unctione* neophytorum poſt baptiſmum Gnoſticos Eccleſiæ conſuetudinem æmulatos. Vide Not. pag. 96. In lib. autem IV. cap. 38. num. 2. diſertè ſcribit: οἷς γὰρ ἂν ἐπετίθουν χεῖρας (Ἀπόστολοι) ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον, ὅ ἐστι βρῶμα ζωῆς, *Quibuſcumque enim imponebant Apoſtoli manus, accipiebant Spiritum ſanctum, qui eſt eſca vitæ*. IV. Tertullianus, qui floruit ſæculo tertio ineunte, in libro de Baptiſmo cap. VII. ait: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungui oleo de cornu in Sacerdotio ſolebant*: & cap. proximo: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum ſanctum*. Eo loci tribuit unctioni etiam ſpiritalem effectum, ſcribens: *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritaliter proficit; quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus quod in aqua mergimur, ſpiritalis effectus quod a delictis liberamur*. Habes ergo ex Tertulliano utramque Confirmationis materiam, chriſma ſcilicet, & manus impoſitionem, nec non ſenſibilis ſigni ſacramentalem effectum. Legas & de Præſcript. cap. 48. & de Reſurrect. carnis cap. 8. &c. V. Clementis Alexandrini ſervavit nobis præclarum teſtimonium Euſebius lib. III. H. E. cap. 23. ubi de quodam Epiſcopo, qui baptizaverat juvenem ſibi a Joanne Apoſtolo commendatum, inquit Clemens ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ κυρίου, *cum perfecta illum cuſtodia obſignaſſet*, ideſt, *ſignaculo Domini*, ſive, *cum illi perfectam cuſtodiam addidiſſet, ſignaculum Domini*. Porro ſignaculum additum baptiſmati eſt confirmatio, ut oſtendit in notis ad Sacramentarium Gregorii Menardus ex Ecloga Vitæ Athanaſii in Biblioth. Photii cod. 258. τούτους ἐπιχρίσας διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐβεβαίωσεν, ideſt, *Qui cum eos inunxiſſet, Chriſti ſignaculo confirmaſſet*. Utitur his locis vir Cl. Franciſcus Blanchinus in notis ad Anaſt. tom. 2. pag. 297. ad demonſtrandum, Conſtantinum Nicomediæ confirmatum quidem fuiſſe, non baptizatum; propterea quod Euſebius lib. IV. de Vita Conſtantini cap. 62. ſcribat ibidem accepiſſe θείαν σφραγῖδα, καὶ τέλειον φυλακτήριον, *divinum ſignaculum, & perfectum animi tutamentum*. At non videntur probationes iſtæ prorſus invictæ; olim quippe baptiſmus, & confirmatio ſimul conferebantur. Euſebius præterea utrumque commemorat, ſcribens pag. edit. Valeſ. 558. Χριστοῦ μαρτυρίοις ἀναγεννώμενος ἐτελειοῦτο, θείας τε σφραγῖδος ἠξιοῦτο, *In Chriſti Martyriis renatus conſummatus eſt, divinoque donatus ſignaculo*. Aliunde ergo, quam ex hoc loco, ad probandum baptiſma a Conſtantino Romæ ſuſceptum, petenda ſunt argumenta: ſed ille tamen locus commonſtrat *ſignaculum* ſuperinductum baptiſmo eſſe revera Confirmationem. VI. Cyprianus, qui martyr occubuit Valeriano & Gallieno Imperatoribus anno 258., non, ut Vitaſſius ait, 261. in Epiſt. 73. ad Jubajanum pag. 281. *Illi*, inquit, *qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, & intus in Eccleſia, quæ una eſt, & cui ſoli gratiam baptiſmi dare, & peccata ſolvere permiſſum eſt, a Philippo Diacono, quem iidem Apoſtoli miſerant, baptizati erant. Et idcirco quia legitimum & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, ſed tantummodo quod deerat, id a Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur Spiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*. Quis ex his non percipiat (ut verbis Auct. Præf. num. 7.) Confirmationem non eſſe appendiculam quandam baptiſmi, ſed verum & diſtinctum a baptiſmo Sacramentum, quod a Diaconis adminiſtrari non poſſit, quodque non ad exteriora tantum dona pertineat, ſed maxime ad augendam & intenſius roborandam baptiſmi gratiam? Scripſerat ſupra Cyprianus cum aliis Epiſcopis Epiſt. lx2. ad Numidas, pag. 269. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, ideſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit*. Nec aliquem moveat, quod eo loci addit Cyprianus, *Porro autem Euchariſtia eſt unde baptizati unguntur, oleo in altari ſanctificato*. Non enim Euchariſtia eſt proprie *oleum*, ut viſum Rigaltio & Fello, deceptis mendoſa editione, quæ habet, *oleum in altari ſanctificatum*, ſed Euchariſtia eſt id, unde oleum ſanctificatur, ideſt, in Altari & inter ſacrificii preces: quare Cyprianus ſequitur, *Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Unde nec unctio ſpiritalis apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtat oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omnino non poſſe*. VII. Cyrillus Jeroſolym. catech. 3. myſtag. pag. 523. *Et vobis* (inquit) *poſtquam ex aquis ſacri lavacri adſcendiſtis, datum eſt chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus; hoc autem eſt Spiritus ſanctus*: καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων, ἐδόθη χρῖσμα τὸ ἀντίτυπον οὗ ἐχρίσθη Χριστός, τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἅγιον πνεῦμα. Et pag. 257. *Ut enim Salvator per baptiſmum, & illum ſancti Spiritus adventum egreſſus in prælium devicit adverſarium; ſic & vos poſt ſacrum baptiſma & chriſma myſticum induti armis ſancti Spiritus, adverſus oppoſitam vobis poteſtatem conſiſtitis, & præliamini, dicentes: Omnia poſſum in eo, qui me confortat, Chriſto*. ὥσπερ γὰρ Χριστὸς μετὰ τὸ βάπτισμα, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἐξελθὼν κατηγωνίσατο τὸν ἀντικείμενον. οὕτω καὶ ὑμεῖς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα, καὶ τὸ μυστικὸν χρῖσμα ἐνδεδυμένοι τὴν πανοπλίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἵστασθε πρὸς τὴν ἀντικειμένην δύναμιν, καὶ ταύτην καταγωνίζεσθε λέγοντες, πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ. Plura in iſta Catecheſi leguntur adeo aperta, ut Kemnitius Sacramentum Confirmationis appellaverit *Chriſma Cyrillianum*. VIII. Ambroſius de Myſt. cap. 6. num. 29. hæc habet: *Poſt hæc utique adſcendiſti ad Sacerdotem: conſidera quid ſequutum ſit. Nonne illud quod ait David: Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron?* Lib. 2. de Sacram. cap. 7. num. 14. *Ergo merſiſti, veniſti ad Sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te ungat in vitam æternam*. Et lib. III. cap. 1. *Accipis autem μύρον, hoc eſt, unguentum ſupra caput*, &c. Nolo hic rem agere cum Sirmondo, qui confirmationem primis ſæculis datam putat ſola manuum impoſitione: adverſus heterodoxos nunc decerto tam exquiſitis teſtimoniis me communiens. Illic enim *Sacerdotem* Ambroſius appellat Epiſcopum, quod conſtat ſimplici locorum inſpectione, in quibus aliquando legitur *ſummus Sacerdos*, ut cit. cap. lib. 2. paullo poſt verba præcitata. Allucinatur ergo Dallæus ſcribens loqui Ambroſium de unctione, quæ fit a presbytero. Errat etiam, dum conſignationem illam recenſet inter ceremonias baptiſmi, quum de ea ita proſequatur Ambroſius lib. 3. cap. 2. numer. 8. *Sequitur ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat; quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur*. IX. Hieronymus Luciferiano dicenti, *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis manus imponantur, & ita invocetur Spiritus ſanctus?* Reſpondet 2. p. tom. IV. pag. 295. *Non quidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus excurrat*. Addit baptizatos in Eccleſia, *niſi per manus Epiſcoporum, non accipere Spiritum ſanctum*. Quod pariter demonſtrat ex cap. VIII. Act. Apoſt. S. P. Auguſtini teſtimonia plurima collegerunt Hieronymus Torrenſis in Confeſſ. Auguſtin. lib. 3.

cap.

cap. 5. & Auguſtinus a Monte Ilcino, cujus egregium contra hæreticos Opus ante annum 1560. improbo labore conſcriptum inter inedita delitеſcit. Lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 104. num. 239. ita Auguſtinus loquitur: *Et in hoc unguento* (de quo Lucæ xxiv. 47.) *Sacramentum chriſmatis vultis interpretari: quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus, ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis*, ideſt, quantum ad characterem. Vide lib. iii. de Baptiſmo cap. 16. num. 21. lib. xv. de Trinit. cap. 26. num. 46. in Pſ. clxi. numer. 9. & quæ produximus præcedenti prop. 1. Denique Theodoretus (hos enim collegiſſe ſufficiat) in Cantica tom. 1. pag. 1002. exponens ea verba, *Unguentum effuſum nomen tuum*, inquit: *Si magis etiam myſtice vis intelligere, ſacri baptiſmatis myſterium recordare, in quo qui initiantur, poſt tyranni abnegationem, & regis confeſſionem, veluti ſigno & nota quadam regia, ſpiritalis unguenti chriſmate inuncti ſub ea viſibili unguenti ſpecie inviſibilem ſanctiſſimi Spiritus gratiam ſuſcipiunt.* Εἰ δὲ βούλει καὶ μυστικώτερον νοῆσαι, ἀναμνήσθητι τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας, ἐν ᾗ οἱ τελούμενοι, μετὰ τὴν ἄρνησιν τοῦ τυράννου, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως ὁμολογίαν, οἱονεὶ σφραγῖδά τινα βασιλικὴν δέχονται, τοῦ πνευματικοῦ μύρου τὸ χρῖσμα. ὡς ἐν τύπῳ τῷ μύρῳ τὴν ἀόρατον τοῦ παναγίου πνεύματος χάριν ὑποδεχόμενοι. Ergo Patres, ut ex accurata horum teſtimoniorum ponderatione facile quiſque deprehendet, in manus impoſitione & in Chriſmate, quo baptizati per Eccleſiæ Antiſtites liniuntur, agnoſcunt divinum ſignaculum, inviſibilis gratiæ typum, ſubminiſtrationem virtutis ad dæmonem propulſandum, unctionem Dei & gratiam Chriſti, fidei confirmationem, ac donum Spiritus ſancti. Certe qui tam amplis magnificiſque notis delineant Confirmationem, atque in ea deſcribunt viſibilia ſigna gratiarum, connumerant illam inter Catholicæ Eccleſiæ ſacroſancta ſignacula. Non ergo otioſa ceremonia eſt, non ritus aut appendix baptiſmi, non inventum Melchiadis, alteriuſve Pontificis, non denique commentum ſcholaſticum, aut poſteriorum ſæculorum figmentum.

Facit denique ad confutationem hæreticorum, quod oſtendimus lib. xxx. cap. 5. Eccleſias omnes, Romanam matrem ceterarum, Africanam, Græcam, Æthiopicam, Coptam, aliaſque omnes cum Occidentis, tum Orientis, immo & pleroſque Novatorum conventus, nobiſcum in Sacramentis enumerandis convenire; & quod hoſtes veritatis nequeant oſtendere quis inter mortalium primus Sacramentum illud ceteris accenſuerit. At juxta ſaluberrimam Auguſtini regulam lib. 2. de Bapt. cap. vii. num. 12. quod univerſa tenet Eccleſia, nonniſi ab Apoſtolis creditur traditum & commendatum. Apoſtoli ergo nobis ſacramentum Confirmationis commendaverunt: Apoſtoli tradiderunt doctrinam, quam propugnamus: atque, ut ajebat Tertullianus de Præſcript. cap. 21. *Conſtat omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.*

REFELLUNTUR OBJECTIONES.

Quoniam præcipua hæreticorum argumenta aut præcitato capite 5. libri triceſimi fuerunt refutata, aut præoccupata in hoc ipſo; erunt ſummatim & quambreviſſime perſtringenda. Contendunt itaque primo, argumenta a nobis allata eſſe fracta prorſus & imbecillima: quæ proferuntur ex Scriptura, quoniam ibi de dono linguarum fit ſermo; cumque illud modo ceſſaverit, conſequitur impoſitionem manuum otioſam jam eſſe, &, quæ nulli uſui ſit, ceremoniam. Addunt nullam ibi *chriſmatis* mentionem fieri, ideoque fruſtra nos inde confingere Chriſmatis ſacramentum. Quæ vero ex Patribus depromuntur, torqueri a nobis, falſo intelligi, & pluris quædam, quam ſit opus, æſtimari. Enimvero permulti Confirmationem deſcribunt tanquam ceremoniam baptiſmatis, cum ajunt neophytos ſtatim poſt lavacrum unctione obliniri; ipſique unctioni tribuunt baptiſmatis effecta, gratiam, animæ ſignaculum, & ſpiritum ſanctitatis. Alii autem Patres, maxime Apoſtolicis temporibus proximiores, de ſacro chriſmate ne γρῦ quidem; ut Juſtinus, Athenagoras, Tatianus. Nonnulli e cœnoſis rivulis errorem biberunt, ut Tertullianus in Montani deliramenta prolapſus, & Cyprianus, ut baptiſmum hæreticorum, ita illorum unctionem reprobans. Quidam denique ſub falſis nominibus a nobis ad plebem decipiendam celebrantur, dum Opus de Eccleſiaſtica Hierarchia Dionyſio Areopagitæ, Conſtitutiones Apoſtolicas Clementi Romano, librum de Initiandis, ſeu de Myſteriis, & alios ſex de Sacramentis Ambroſio adſcribimus, noſtram oſtentantes in pervolutandis, dijudicandiſque veterum ſcriptis, ſive fidem malam, ſive oſcitantiam. Hoc ergo præcipuum adverſariorum momentum, quod contentione urgent, ornantque amplificatione verborum. Præterea hæretici negant Eccleſias hac in parte nobiſcum conſentire, immo & nos invicem pugnare dicunt; quandoquidem ſacramentum Confirmationis expunxerunt Novatiani, Albigenſes, Valdenſes, Huſſitæ, & ne illi tamquam hæretici contemnantur, non recipit ſacramentum illud Eccleſia Græca, ut conſtat ex Confeſſione Cyrilli Lucar, cuſa an. 1633. typis Genevenſibus: nec Æthiopica, ut affirmat in ſuo Itinerario Alvares Monachus; nec Armenica, teſte Guidone Carmelita. Latini quoque Theologi hac in re non conveniunt: nam quidam hoc Sacramentum a Chriſto, quidam ab Apoſtolis, quidam in Concilio Meldenſi inſtitutum definiunt, ac *de materia* pariter, & *de forma* nectunt litigioſas abſtruſaſque diſputationes. Adduot poſtremo ratiocinationes quaſdam; quarum prior eſt, Confirmationem derogare virtuti & efficaciæ baptiſmatis, cum baptiſmo adimat Spiritum ſanctum, & hunc ſibi vindicet. Sequitur aſſertio altera, fore Sacramentum Confirmationis præſtantius & excellentius baptiſmo, ſi illi donum Spiritus ſancti ſit adſcribendum. Tertia parum abſimilis, cum in baptiſmo Spiritus ſancti gratia, Dei adoptio, & pignus hæreditatis conferatur, ſacramentum Chriſmatis videri ſupervacaneum.

His ad hunc modum reſpondemus. Viſibilis illapſus Spiritus ſancti argumentum erat virtutis baptizatos corroborantis, ac diſſeminandi per linguas univerſas Evangelii; ideoque ceſſavit, dum Evangelium ubique diffuſum non egebat ulterius approbatione miraculorum, deinceps Spiritu ſancto abſque aſpectabili forma per ſacroſancta ſignacula deſcendente, ut Auguſtinus docet Tract. vi. in Epiſtolam Joannis, & in Pſalmum 130. Non eſt ergo impoſitio manus Epiſcoporum inutilis, & otioſa; ſed adhuc efficax, & inviſibilis gratiæ operatrix: alioqui etiam baptiſmus nunc ſuo careret effectu, cum Apoſtolorum ætate ad ejus virtutem commonſtrandam, Act. x. 44. Spiritus ſanctus viſibili forma deſcenderit. Alia eſt enim virtus ſpiritus interius vivificans, & confirmans, quovis tempore Chriſti fidelibus cum adverſario luctantibus neceſſaria; alia exterius effulgens, & ad fidem pertrahens manifeſtatione ſignorum, neceſſaria duntaxat ad fidei primordia, & ad inſtitutionem ac propagationem Eccleſiæ. Ac de primo argumento, quoniam de Chriſmate dicendum eſt infra, hæc tantum. Quod ſequitur ad elevandam Patrum auctoritatem, ſingulis ſuis partibus labefit, ac perfringitur. Cum enim Patres Confirmationi gratiam conferendi vim tribuunt, illamque Auguſtinus in genere viſibilium ſignaculorum appellat ſacroſanctam, comparatque baptiſmati, non utique inter ritus ac variabiles ceremonias ipſam confirmationem connumerant: nec talis cenſenda eſt, quod olim neophyti ſtatim poſt baptiſmum confirmarentur; ſiquidem & aliquando eis porrigebatur Euchariſtia, quam tamen eſſe ritum baptiſmi neque Calvinus, neque Kemnitius, neque Dallæus, neque hæreticorum quiſpiam concedet. Confirmabantur vero neophyti ſtatim poſt baptiſmum, ſi Epiſcopi aderant: nam quos baptizavit Philippus, niſi poſt adventum Petri, & Joannis, non fuerunt conſignati; ſicuti modo in minoribus urbibus illi, quos baptizant presbyteri, confirmantur in Epiſcoporum viſitatione, quemadmodum ſcribunt Hieronymus & Gregorius. Cur autem nunc differatur Confirmatio, dicendum infra. De Juſtino, aliiſque, ſicuti de arcani diſciplina, plura diximus Volum. iii. pag. 187. Si argumentum illud probaret aliquid, nec Sacramenta forent Baptiſmus, & Euchariſtia, de quibus nec γρῦ, nec μῦ, ſive apud Athenagoram, ſive apud Tatianum: hi nimirum pro Chriſtianis ediderunt apologias, calumnias, falſaque crimina propulſarunt, nec religionis myſteria Ethnicis expoſuerunt. Quod ſi his inter mortales degentibus nec audiebatur nomen Confirmationis aut Chriſmatis, unde illud accepere Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, qui ex majorum traditione, & Eccleſiaſtica diſciplina illius meminerunt? At, inquiunt, Tertullianus Montaniſta fuit, ac Cyprianus erravit. Quid vero inde? Nec ullus veterum inter Montaniſtarum portenta connumeravit Chriſmatis ſacramentum; nec Tertullianus defecerat ad Montaniſtas, quando ſcripſit librum de Baptiſmo adverſus Quintillam: quod non ſolum animadverterunt Petrus Allix in diſſert. de vita & ſcriptis Tertulliani; Dupinius in nova Bibliot. tom. 1. pag. 138. & Guilelmus Cave in ſæculo Gnoſtico pag. 57. verum etiam probatur ex quo eo in libro cap. 17. damnet miniſterium mulierum in ſolemni baptiſmo, quod Cataphrygum, & Montaniſtarum opponitur diſciplinæ. In Cypriano damnant quidem omnes anabaptiſmum, chriſmatis unctionem nequaquam: immo ſi hanc factam ab hæreticis tradidiſſet repetendam, quod inquiretur poſthac, non illam tamen denegaſſet; ſicuti nec denegavit ſacramentum baptiſmi, dum propugnavit eſſe iterandum. Scripta vero ſuppoſita non alio fine laudavimus, niſi ad ſtabiliendam communem, receptamque temporum, quibus prodierunt, traditionem. Quemquam ergo concedamus Apoſtolicas Conſtitutiones falſo inſcriptas Clementi; nemo tamen inficias ibit, præceſſiſſe illas quartum ſæculum, nec invicte oſtendet non eſſe idem opus, quod ab Euſebio lib. iii. H. E. cap. 25. appellatur τῶν ἀποστόλων διδαχὴ *Apoſtolorum doctrina*, ut ſentiunt Nicephorus, Zonaras, & Blaſtares. Idem affirmo

Digitized by Google

mo de operibus Dionyſii, dato etiam prodiiſſe illa quarto exeunte ſæculo; tametſi quæſtio de ſcriptis Dionyſianis in utramque partem magnis animorum contentionibus agitetur. Saltem ergo ex libris Conſtitutionum, & de Hierarchia Eccleſiaſtica iſtud inſeras, Sacramentum Confirmationis ante v. ſæculum probatum omnibus, quum nemo id reprehenderit iiſdem in ſcriptis, alias plurimum exagitatis; ſive fœtura germana fuerint, ſive ſpuria. Liber tamen de Myſteriis, ſive *de initiandis*, tantum abeſt, quod non ſit auctoris optimi, judiciique emunctiſſimi, ut ajebat in litteris ad Joachimum Vadianum Henricus Bullingerus, aut mangonis cujuſpiam opus, ut viſum Roberto Coco, & Dallæo: quin magno Scriptorum conſenſu attribuitur Ambroſio, nulloque jure ipſimet abjudicatur, ut in Præf. tom. 2. pag. 310. demonſtraverunt eximii Benedictini Editores. Qui etiam Præf. altera in libros de Sacramentis, pag. 342. adverſus Cocum, Rivetum, Albertinum, aliosque perſpicue commonſtrant hæreticos fruſtra opus illud contumeliis, probriſque laceſſiſſe: complures ſcriptionem agnoſcere tanquam Ambroſianam; partem negantem haud magis eſſe probabilem, quam affirmantem; quacunque tandem ætate prodierit (quod eveniſſe ante ſæculum ſeptimum, liquet ex codice ante annos mille exarato apud illuſtrem Mabillonium p. 7. Muſei Italici) refertum Ambroſii ſententiis, ac plerumque etiam verbis: dignum denique, quod ſancti Doctoris laudetur nomine, & quod in ordine ſuo & poſſeſſione ſervetur. Atque his objectionem ex Patrum auctoritate fabricatam diſſolvimus & contrivimus. Nam quam addunt proximo loco, elidit conſenſus Eccleſiarum circa numerum Sacramentorum, comprobatus tertio Volumine pag. 185. &, ſi Eccleſiæ quædam aut ſchiſmate, aut hæreſi a nobis ſejunctæ numerum illum decurtant, meminerint Refractarii juxta monitum Tertulliani, inveſtigandam eſſe doctrinam Catholicam *in Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus*. Addam modo *Confeſſionem* Cyrilli Lucar fuiſſe refutatam ab Eccleſia Conſtantinopolitana anno 1635. in Synodo Beræenſi 1638. in Synodo Leucoſiæ 1668. in Jeroſolymitana 1672. eique opponi Simeonem Theſſalonicenſem Epiſcopum, Gregorium Protoſyncellum, Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum, aliosque; de quibus adeas Witaſſium pag. 229. & Scriptorem de Re Sacramentaria pag. tomi 1. 288. Fidem quoque Armeniorum aſſeruerunt Uſcanus Epiſcopus Erivanenſis, Jacobus Armeniorum Patriarcha, Onufrius Archiepiſcopus Amerenſis, ſuperiori ſæculo contra Novatorum mendacia, ut poſt Auctorem Operis *de Perpetuitate fidei*, ſcribunt præclari, accuratique Theologi, quos nuper commemoravimus. Mitto quæ de Novatianis, Valdenſibus, & Wicleffiſtis priori capite ſunt prænotata. Ad poſtremas denique ratiocinationes reſpondeo cum Petro Damiano ſerm. 1. in Dedicat. Eccl. *In baptiſma Spiritus ſanctus datur ad veniam, hic ad pugnam: ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur.* Profecto ſi derogaret baptiſmo Sacramentum, quod confert novam perfectionem divinorum donorum, nec Euchariſtia eſſet recipienda. Si hæc nutrit & mentem ſaginat; Confirmatio addit vires, animumque corroborat. Stat ergo ſua cuique ſacramento virtus, & efficientia, ut diximus lib. xxx. cap. 5. ubi etiam ex humanæ vitæ adminiculis comprobatus eſt numerus ſeptem Sacramentorum.

S C H O L I O N.

„ NEquaquam *Canones* omnes collegimus quibus Catholica veritas ſuperius demonſtrata corroboratur. Extat enim *de Conſecrat. diſt. 5. can. 1.* Definitio S. Urbani I. *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum recipere debeant, ut pleni Chriſtiani inveniantur; quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatatur.* Item *eadem diſt. 5. can. 3.* Definitio S. Melchiadis: *De his vero, ſuper quibus rogaſtis vos informari, idest, utrum majus eſſet Sacramentum manus impoſitio Epiſcoporum, aut baptiſmus, ſcitote utrumque magnum eſſe Sacramentum. Et ſicut unum a majoribus fit, idest a ſummis pontificibus, quod a minoribus perfici non poteſt; ita & majori veneratione venerandum & tenendum eſt. Sed ita conjuncta ſunt hæc duo Sacramenta, ut ab invicem, niſi morte præveniente, nullatenus poſſint ſegregari, & unum ſine altero rite perfici non poteſt.* Hi tamen duo Canones, quamvis inſerti *Decreto*, atque primo SS. Conciliorum Volumini, deprompti ſunt tamen ex Epiſtolis *Iſidorianis*; atque de iiſdem memoria repetenda ſunt, quæ ſcripſimus libro 20. cap. 18.

„ Duo tamen ex duplici hoc Canone, ſpurio licet, ab Eccleſia Romana recepto, inferri neceſſe eſt; unum ſcilicet id, quod aſſeritur, *unum ſine altero Sacramenta perfici non poſſe*, ſpectare ad antiquiora illa tempora, in quibus baptizati ſtatim confirmabantur. De qua conſuetudine præcitatus Tertullianus in libro de Baptiſmo cap. 7. *Exinde egreſſi de Lavacro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina*; aliique, de quibus legendus in adnotationibus ad Sacramentarium S. Gregorii Magni eruditus Hugo Menardus. Atque hanc diſciplinam confirmandi Neophytos ſtatim poſt collatum baptiſmum, perſeverare etiamnum apud Græcos, horum Ritualia, & Jacobi Goarii adnotationes commonſtrant. In Eccleſia autem Latina vetuſta illa conſuetudo deſiit, quando etiam puerulis, & abſente Epiſcopo, cœpit baptiſmus adminiſtrari. Videatur Van-Eſpen p. 2. tit. 3. *de Sacramento Confirm.* cap. 1. num. 5. Alterum, quod inde infertur eſt, *magna veneratione* hoc Sacramentum tenendum eſſe, atque ſuſcipiendum; ideoque graviter illos peccare, qui illud contemnunt, aut negligunt, prout declarabo hoc eodem libro capite octavo.

„ Ad vetuſtiſſimam Traditionem teſtimoniis Patrum corroborandam non abs re erit perlegere epiſtolam S. Cornelii Romani Pontificis ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, quæ extat apud Euſebium libro 6. *Eccl. Hiſt. cap. 43.* in qua Epiſtola hæc de Novatiano, qui ſchiſma tertio Eccleſiæ Seculo conflavit, leguntur: *Cum ab Exorciſtis foveretur, in morbum graviſſimum collapſus, dum jam jamque moriturus crederetur, in ipſo in quo jacebat lectulo perfuſus baptiſmum ſuſcepit, ſi tamen hujuſcemodi baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt. Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent: neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo ſpiritum ſanctum potuit accipere?* Ven. Baronius ad annum Chriſti 367. profert vet. Inſcriptionem, *Picentia legitimæ Neophytæ die 5. Kal. Sept. conſignata a Liberio Papa.*

C A P U T III.

Quando Sacramentum Confirmationis fuerit a Chriſto inſtitutum.

OBJICIENTIBUS hæreticis diſſidia Scholaſticorum circa inſtitutionem, ac *materiam* Sacramenti Confirmationis nec verbum duximus reponendum, quod fidei decreta referri nequaquam debeant ad hominum opiniones, & placita. Nunc de hac re inquirentibus brevi ſatisfaciendum eſt, de inſtitutione temperantet, & ſummatim dicendo. Ac primo Sacramentum iſtud fuiſſe inſtitutum a Chriſto, nec poſſe oppoſitum teneri poſt Synodum Tridentinam abſque nota hæreſis, fideique jactura, videri etiam certum, poſitumque extra dubitationem, quod præfata Synodus canone primo ſeſſ. vii. de inſtitutione propria, & *immediata* loquatur, demonſtratum eſt cap. viii. libri triceſimi. Itaque errarunt, (ut dixi ibidem) qui ſcripſerunt ſacramentum chriſmatis in Concilio Meldenſi fuiſſe inſtitutum. Hoc enim Concilium ſedente Sergio II. anno Chriſti 845. coadunatum eſt; quando ſcilicet de Sacramento iſto ſcriptores quamplurimi pertractaverant. Deinde inter lxxx. ejuſdem Concilii canones, & capitula, nihil extat ad inſtitutionem hanc pertinens. Animadverto inſuper ſupponi ab eodem Concilio ſacramentum hoc inſtitutum can. 44. quo vetat, ne Chorepiſcopus *ſanctum chriſma, ſanctumque paraclitum Spiritum, ſolis Epiſcopis juxta decreta Innocentii*, (ſedit Innocentius, cujus decreta ſupra produxi ab anno 402. ad an. 417.) *tribuere debitum, tradere tentet, nec Eccleſias conſecret, &c.* & canone proximo 45. quo jubet, *ut nemo Epiſcoporum, vel quilibet miniſter Eccleſiaſticus propter ſacrum chriſma aliquid muneris accipiat.* Videſis Burchardi decreta lib. iv. & tom. vii. Concil. coll. Lab. p. 1823. Verum eſt, in eodem Concilio præcipi canone 46. *ut nemo ſacrum chriſma, niſi in V. Feria majoris ſeptimanæ conficere præſumat.* At ſi hoc Alenſi, aliiſque perpaucis occaſionem præbuit erroris, apparet hos oſcitantes canones pervolutaſſe, cum nihil novi ibidem præcipiatur, nec extet veſtigium aliquod priſtinæ inſtitutionis. Hanc etiam ad Apoſtolos quidam immerito retulerunt, cum inſtitutor Sacramentorum omnium ſit Chriſtus, eaque partitio *immediatæ*, ac *mediatæ* inſtitutionis nata videatur in ſcholis; ſitque proprie *inſtitutor*, idem, ac qui incipit, ſtatuit, decernit, & *inſtituere* ἄρχεσθαι, ἐπιβάλλειν, ut dixi tom. 3. pag. 193. Accedit, quod Concilium Tridentinum inſtitutionem a promulgatione diſtinguit, ſeſſ. xiv. can. 1. & Vavrenſe celebratum anno 1368. a Petro Narbonenſi, & Gaffredo Toloſano Archiepiſcopis, ac generali Vicario Arnaldi Archiepiſcopi Auxitani, cap. 2. de Fide Catholica ita loquitur: *Porro ſacramenta inſtituere, quæ ex ſui inſtitutione, & ſanctificatione contineant inviſibilem gratiam, competit ſoli Chriſto: qui ſolus poteſtatem excellentiæ ſibi retinuit, poteſtatem miniſterii Apoſtolis, & ceteris ſuccedentibus dedit. Quæ igitur inſtituta ſunt ab Apoſtolis & ſucceſſoribus eorumdem, ut benedictio aquæ & panis, conſecrationes virginum & altarium, & cetera hujuſmodi: non Sacramenta propria, ſed ſacramentalia dici debent. Omnia ergo ſacramenta novæ legis Chriſtus per ſemetipſum immediate inſtituit. Aliqua tamen, præcipue Confirmationem, & extremam Unctionem per Apoſtolos promulgavit: ſicut de Confirmatione patet in Actibus Apoſtolorum, xix. capitulo, & de extrema Unctione Jacobi quinto.* Vide 2. p. tom. xi. Concil. pag. 1980. Atque hunc locum exſcripſi, quoniam quæ præcedenti

Digitized by Google

cedenti libro diſſerui de Inſtitutione Sacramentorum, concordiſſima definitione comprehendit. Certiſſimum ergo eſt a nulla ſimplici creatura, cujus poteſtatem excedit gratiæ efficientiam alligare ſignaculis ſenſibilibus, ſed ab eo, cui *data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra*, Deo & homine Chriſto Jeſu Confirmationem originem habere ſuam, ut jam Theologi omnes fatentur, haud diſſentiente BENEDICTO XIV. Notif. VI. pag. edit. Bonon. 52.

Illud potius inveſtigandum foret, quo tempore contigerit hæc inſtitutio, niſi in re admodum obſcura *tot* adinvenirentur *ſententiæ*, ut eſt in proloquio, *quot capita*. Imitandi conſilium erat Farvacqueſium noſtrum, & Vanroy, qui quæſtione 2. hujus Tract. fatentur id a ſe ignorari, de quo neque per verbum Dei ſcriptum aut traditum, neque per Romanorum Pontificum, & Conciliorum conſtitutiones, neque per Patrum munimenta poſſit certi aliquid affulgere; maxime quod a ſententia dicenda ob cauſam eamdem abſtinuerit præcitatus eximius Theologus, & Pontifex clementiſſimus. Verum cum is de hac quæſtione legendos moneat rerum Theologicarum Tractatores, nec opus ſit in ejuſmodi dubitationibus, quemadmodum in dogmatibus Eccleſiaſticis, proferre momenta roboris, & auctoritatis pleniſſima; dico inſtitutum hoc ſacramentum eo temporis intervallo, quo Chriſtus a mortuis redivivus per dies quadraginta cum Apoſtolis permanſit *loquens de regno Dei*, ut habetur Act. I. 3. Tenent hanc ſententiam Eſtius in IV. diſt. 7. ſub finem §. 4. Merbeſius Summæ Chriſt. P. 3. diſſert. 2. q. 4. Witaſſe pag. 406. &, ni fallor, magis in eam propendet BENEDICTUS XIV. ac ſi velimus tempus magis coarctare, ad illud nempe, quando Chriſtus ait Apoſtolis Joan. XX. 22. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Huic opinioni ſubſcribunt Suarez, Henriquez, Layman, Faber, & quos laudat Theologus oculatiſſimus Baſilius Poncius, de Confirmat. P. I. cap. 4. pag. 26. Trahor vero in hanc ſententiam, ſeu potius opinationem, ob hoc momentum. Exiſtimandum quidem eſt eo temporis Chriſtum nonnulla Sacramenta, atque inter hæc Confirmationem inſtituiſſe, quando promiſit Apoſtolis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti, eis plenam in myſticum Eccleſiæ corpus contulit poteſtatem, pluraque illis revelavit myſteria, & de Eccleſia magna, occulta, divinaque reſeravit; præſertim ſi aliud hujus inſtitutionis tempus nequeat congrua, ac probabili ratione aſſignari. Atqui diebus illis quadraginta, quibus Redemptor cum Apoſtolis converſatus eſt, illam eis gratiam, virtutemque promiſit, quam in nobis operatur per ſacroſanctum Confirmationis ſignaculum, ut conſtat ex Lucæ XXIV. 49. Act. I. 8. omnem illis in Eccleſiam dedit auctoritatem, ut liquet ex Joan. XX. 21. atque iis diebus, ut inquit ſerm. I. de Aſc. cap. 2. ſanctus Leo, *magna in eis confirmata ſacramenta, magna ſunt revelata myſteria*, ad alia autem tempora nequit talis inſtitutio referri. Eo itaque labente tempore ſacramentum Chriſmatis fuit inſtitutum. Revere ſi inſtitutum eſt alio tempore, iſtud, quæſo, deſignent nobis Theologi. Inſtitutum inquiunt complures apud Henriquez lib. III. cap. I. nu. 5. & Baſilium Legionenſem p. 22. cum Dominus Matth. XIX. 13. parvulis manus imponeret; quoniam impoſitio manus eſt ipſum chriſmatis ſacramentum. Sed imbecillis eſt iſta ratio, quia nec omnis impoſitio manus *confirmatoria* eſt, ut dixi cap. I. nec decebat aliquem confirmari ante Apoſtolos, & ante adventum Spiritus ſancti, nec fortaſſe illi parvuli erant regenerati baptiſmo, atque hujus proinde Sacramenti capaces. Sane nullus, quem legerim, aliam hic impoſitionem manus accepit, quam conſuetam apud Hebræos, penes quos adoleſcentuli exemplo Ephraim & Manaſſe Gen. XLVIII. 14. a majoribus impoſita capiti manu benedicebantur, ideoque Chryſoſtomus apud Poſſinum in ſymbolis pag. 265. ait parvulos illos Domino fuiſſe oblatos, *ἵνα εὐλογηθῶσι διὰ τῆς ἐπαφῆς τῶν χειρῶν τοῦ Σωτῆρος, ut benedicerentur contactu manuum Salvatoris*. Vix ergo Matth. XIX. Confirmatio deſignata eſt *typo*, ac *ſymbolo*, non inſtitutione, aut mandato. Quidam putant Confirmationem inſtitutam ante paſſionem, cum ait Dominus Joannis XVI. 7. *Si enim non abiero, Paracitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos:* in qua ſententia videtur S. Thomas q. 72. art. I. Puteanus noſter in eamdem quæſt. dub. 2. concl. ult. Dominicus Soto in IV. diſt. 7. art. 2. At nil aliud ibi apparet, quam promiſſio gratiæ, repetita cap. XIV. 26. XV. 26. & poſt paſſionem, Lucæ XXIV. 49. nec aliud ibi docet revera Angelicus, dum ait Dominum tunc inſtituiſſe hoc Sacramentum *non exhibendo, ſed promittendo*; quod eximius Eſtius putat ita eſſe accipiendum, ut Chriſtus præſentia ſua minime exhibuerit Confirmationem, ſicut exhibuit baptiſmum & Euchariſtiam. Sequeretur quoque ex ea ſententia, quod ſicut promiſſio illa Jo. XVI. in die Pentecoſtes completa eſt; ita tunc temporis exhibitione Spiritus ſancti foret inſtituta Confirmatio. Promiſſionem autem ad inſtitutionem Sacramentorum non ſufficere inde conſtat, quod promiſſio multiplex ſit, inſtitutio una; quod hanc eamdem promiſſionem in Prophetis inveniamus, maxime Iſ. XLIV. 3. & Joelis II. 28. quod etiam gratiam baptiſmatis expreſſerit Chriſtus, Joan. III. 5. alloquens Nicodemum, nec tamen tunc inſtitutus fuerit baptiſmus, quem ipſemet S. Thomas q. 66. art. 2. in Jordane inſtitutum eſſe pronuntiat. Quidam præterea hanc inſtitutionem factam putant in ultima cœna, ut Suarez diſput. 32. ſect. 2. Maurus tract. XVI. q. 114. Maſtrius diſput. 2. q. 8. Gavardi de Confirmat. q. I. art. I. atque hi præſertim ducuntur auctoritate Fabiani Epiſt. 2. cap. I. ubi legitur: *In illa die Dominus Jeſus, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut a ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, chriſma conficere docuit*. At primum a criticis Fabiani Epiſtola amandatur inter apocrypha. Deinde in hoc decreto nihil apparet aliud, quam chriſmatis confectio & conſecratio, quæ & noſtra ætate, atque ex perantiqua diſciplina fit quinta feria majoris hebdomadæ, collocato Corpore Domini ſuper altare; propterea quod, ut ſupra animadverti ex Epiſtola LXX. Cyprianica, viſum veteribus Chriſma in altari, coram Euchariſtia, ac inter ſacrificii preces eſſe benedicendum. Quem vero in finem benedictio & conſecratio chriſmatis traderetur poſtrema cœna, neceſſum non erat ſtatim manifeſtare diſcipulis, quibus plura poſt reſurrectionem erant revelanda; præſertim cum chriſmatis uſus ſit multiplex, puta in Epiſcopis inungendis, in conſecrandis altaribus, in conſignandis neophytis. Nec probabilitate caret Eccleſiam, ad quam diximus ſpectare inſtitutionem *ſacramentalium*, in cœna Domini perficiendam ſtatuiſſe conſecrationem illam chriſmatis, aut ſpectantem figuras veteres, ideſt, obſignationem oſtii, & ſuperliminaris domorum, factam in eſu agni; ut lib. V. de Divinis Officiis cap. 17. ſcribit Tuitienſis Abbas Rupertus, aut memorem *unguenti*, quod ante biduum Paſchæ Maria ad caput, pedeſque Salvatoris profudit, ut cenſent Iſidorus, Rabanus, & Alcuinus in Collectione Romana *de divinis Officiis* pag. 10. 47. & 292. aut denique memoria repetendo, Dominum peracta cœna digreſſum *in montem olivarum*, ad præſignandum quod chriſmate confirmandi eſſent, qui in morte ejus baptizarentur, ut ſcripſit Venerabilis Beda lib. VI. in Lucam cap. 6. Thomas Valdenſis lib. 2. de Sacram. cap. 113. & Dominicus Soto in IV. diſt. VII. quæſt. unica, art. 2. Poſtremo retulerunt nonnulli inſtitutionem hanc ad diem Pentecoſtes; ſed prorſus immerito, primum quia Apoſtoli ea die, non *per viſibile ſignaculum*, ſed ſingulari miraculo receperunt Spiritum ſanctum; deinde quia tunc apparuit potius Confirmationis effectus, quam inſtitutio; tandem quia decebat ſacramenta, quæ Redemptionis noſtræ, & novi Teſtamenti ſunt pars præcipua, a Chriſto inſtitui, priuſquam cælum conſcenderet. Refutatis itaque opinionibus ceteris, ea præferenda eſt, quam ſtudui hactenus propugnare.

Videntur duo tantum argumenta militare ex oppoſito. Primum, quia Joannis XX. 22. illis verbis, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* dedit Chriſtus Apoſtolis poteſtatem abſolvendi a peccatis, non conſignandi neophytos. Alterum, quod Concilium Senonenſe celebratum adverſus Lutheranos anno 1528. Pariſiis ab Antonio *a Prato* S. R. E. Cardinali, Senonenſi Archiepiſcopo, & Germaniæ, Galliarumque Primate, decreto X. inquit: *Nec obſcurius quidem Sacramentum Confirmationis Chriſtus inſtituit, cum parvulis manus imponeret*. His tamen facile occurritur. Non enim nos ex cap. Joannis XX. produximus verſum 22. *Accipite Spiritum ſanctum, &c.* ſed indicavimus tantummodo verſum præcedentem, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; atque hunc ad hoc tantum ut appareret collatam Apoſtolis poſt reſurrectionem Domini plenam Epiſcopalis muneris poteſtatem: cujus tamen argumentum eſt illa quoque retinendi abſolvendique peccata facultas. Inſtitutionem vero Confirmationis factam eo temporis arbitramur, quod videatur illud magis idoneum, ſimulque in eo inveniamus revelationem myſteriorum, auctoritatem Antiſtitum, promiſſumque Spiritus ſancti munimen; opiniones denique aliorum innitantur enervatis magis, & infirmioribus conjecturis. A ſententia autem Synodi Senonenſis, eodem jure fas nobis erit diſcedere, quo illi adverſantur, qui aut in cœna Domini, aut in die Pentecoſtes, aut alio ante paſſionem tempore hanc inſtitutionem conſtituunt, tametſi erga omnes obſequentiſſimi reſpondemus ea in Synodo dici Confirmationem *inſtitutam* Matth. XIX. deſignatione quadam, ac ſymbolo. Excipiemus eadem reverentia Doctorem Angelicum idem, quod Senonenſis Synodus, ſcribentem in IV. diſt. VII. q. I. art. I. maxime quod ſententiam hanc refellunt doctiſſimi Thomiſtarum, Dominicus Soto eadem diſt. pag. 356. Gonet diſput. VI. de Sacram. art. I. §. 3. Contenſonius diſſert. IV. capite 2. ſpeculat. I. aliique aſſerentes Sacramentum Confirmationis inſtitutum in nocte Cœnæ: immo Cardinalis Gotti to. XIII. n. 8. pag. 90. ſententiam illam amplectitur, quam nos defenſitando ad exitum quæſtionem iſtam produximus.

C A P U T IV.

An impoſitio manus, & chriſma ſint hujus Sacramenti eſſentialis materia?

GRAVIOR præcedenti eſt quæſtio *de materia* Confirmationis, quamvis Theologi concordiſſime teneant,

eam eſſe ſive manus impoſitionem, ſive chriſma, ſive utrumque ſimul; atque id fides Catholica profitetur adverſus Lutharum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum, aliosque hæreticos, unum, ideſt, *impoſitionem manus*, poſteaquam ceſſavit viſibilis illapſus Spiritus ſancti, tanquam ceremoniam inutilem reprobantes; alterum, nempe *unctionem Chriſmatis*, appellantes oleum Diaboli mendacio pollutum, pinguedinem fœtore anhelitus inquinatam, & perungendis calceis (tanta eſt perditiſſimorum hominum impudentia) abſque labe ſacrilegii addicendam. In ſola itaque impoſitione manuum conſtituunt hujus Sacramenti materiam Petrus Aureolus, Iſaacius Habert, Jacobus Sirmondus, Sambovius, Nicolaus L' Herminier; qui tamen fatentur unctionem eſſe antiquiſſimam, nec ullo pacto prætermittendam. Statuunt e contra materiam ipſam in Chriſmate S. Thomas; cui ſubſcribit haud exiguus numerus Scholaſticorum, inter quos noſtratium omnes, Poncius, Farvacqueſius, Vanroy, Gibbon, Gavardi, aliique; nec non Bellarminus, Maldonatus, Yſambertus, Petrus Aurelius, Beyer, Arcudius; quorum plures Chriſma receptum cenſent loco impoſitionis manus, ut videntur innuere Œcumenius, & Synodus Moguntina. Quidam utramque materiam disjunctive exiſtimant eſſentialem, adeo ut ſufficiat unam, vel alteram adhibere, ut Ruardus Tapperus, & Joannes Morinus, qui in Opere poſthumo de Confirmat. contendit a Græcis ſolum chriſma, a Latinis vero chriſma cum impoſitione manus fuiſſe ſemper adhibitum. Permulti denique adæquatam confirmationis materiam ſtatuunt ſimul in impoſitione manus, atque in chriſmate; in quam ſententiam conſpirant recentiorum doctiſſimi, Merbeſius p. 3. diſſert. 2. q. 5. Natalis Alexander de Sacram. Conf. cap. 1. art. 2. Gaſpar Juenin diſſert. 3. q. 2. cap. 3. Ludovicus Habert cap. 3. §. 1. & 2. Cardinalis Gotti q. 1. dub. 1. Honoratus Tournely q. 1. art. 3. Carolus Vitaſſe, aut qui hujus Tractatus proſequitur q. 2. art. 3. ſect. 5. & 6. Auctor Operis de Re Sacramentaria quæſt. 3. cap. 1. & 2. Angelus Maria Canali quæſt. 2. cap. 2, Antonius Boucat diſſert. 2. Concl. 1. quos commonſtratis locis recenſeo, ut ſententiæ cui arbitror adhærendum, quiſque facilius adinveniat rationum munimenta, atque auctoritatis præſidia.

PROPOSITIO I. Manus impoſitio eſt ſacramenti hujus *materia* eſſentialis.

Demonſtratur primo: Illa eſt in ſacramento Confirmationis *eſſentialis materia*, per quam confirmatis confertur gratia Spiritus ſancti, qua muniuntur ad pugnam, & in fidei confeſſione corroborantur. At *per impoſitionem manus* obſignatis hujuſmodi gratia confertur. Ergo manus impoſitio in Sacramento Confirmationis eſt *eſſentialis materia*. Propoſitio prior eſt certa; quid enim *materia* nomine intelligimus, niſi rem ſubjectam ſenſibus, quam ex præſcriptione Domini, Apoſtolica traditione, & Eccleſiæ conſuetudine adhibemus in ſacramentis conficiendis, ad gratiam ſpiritalem ſuſcipientibus conferendam? Probatur itaque minor: Apoſtoli per manus impoſitionem dabant *Spiritum ſanctum*, non donum linguarum duntaxat ad Evangelii teſtimonium, & ædificationem credentium, ſed virtutem quoque ſupervenientem regeneratis, ac interius illos perficientem, ut fidem palam profiterentur, pluraque incommoda, atque diſpendia invicte ſubirent: quod demonſtrari verbis illis Act. VIII. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*, conſtat ex præcedenti ſecundo capite. II. Dici nequit Apoſtolos quidem, at non illorum ſucceſſores Epiſcopos eam gratiam dediſſe *per manus impoſitionem*; ſiquidem veteres, quorum teſtimonia ibidem produximus, expreſſe, plane, & perſpicue teſtantur, ut olim Apoſtolos, ita Epiſcopos omnes, dum baptizatis manus imponunt, conferre illis *Spiritum ſanctum*. Ita nimirum docent Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Ita Hieronymus adverſus Luciferianos: *In Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipit Spiritum ſanctum.* Ita Auguſtinus lib. XV. de Trin. cap. 26. *Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Ita Innoc. III. cap. *Cum veniſſet, &c.* III. Idem ex aliorum Patrum traditione deducitur. Tertullianus initio VIII. capitis de baptiſmo, *Dehinc* (ait) *manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum*; & de Reſurrect. carnis cap. 8. *Caro ſignatur, ut & anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.* Euſebius Gallicanus Epiſcopus hom. in die Pentecoſtes, quam alii adſcribunt Eucherio, alii Hilario Arelatenſi, qui ambo ſæculo V. floruerunt, allatis Iſaiæ verbis, *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*, inquit: *Advertamus ſumma divitias bonitatis: quod nunc in confirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc ſpiritus ſancti deſcenſio in credentium populo donavit univerſis.* Extat tom. VI. Bibl. PP. pag. 649. Primaſius Adrumetinus in Bizacena provincia Epiſcopus, Commen. in Epiſt. ad Hebræos cap. VI. in ea verba, *baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*, hæc habet Bibl. PP. tom. X. pag. 259. *Impoſitionem manuum appellat, per quam pleniſſime creditur accipi donum Spiritus ſancti, quod poſt baptiſmum ad confirmationem unitatis in Eccleſia a Pontificibus fieri ſolet.* Gregorius Magnus in Evangelia tom. 1. pag. 1502. de manus impoſitione inquit, *Per quam Spiritus ſanctus accipitur.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Eccleſ. Officiis cap. 26. pag. 31. *Poſt baptiſmum*, inquit, *per Epiſcopos datur Spiritus ſanctus cum manuum impoſitione.* Prætermitto Theodulphum Aurelianenſem, Albinum Flaccum, Amalarium Fortunatum, Rabanum Maurum, Ivonem Carnotenſem, alioſque plures a Sambovio in Tract. de Confirmat. collectos, & apud omnes recentiores diſputationi, in qua verſamur, inſertos. IV. Eadem eſt doctrina Conciliorum. Illiberitanum quippe, de quo ſupra, can. 38. docet baptizatos ab Epiſcopo *perfici per manus impoſitionem*. Arelatenſe I. canone 8. præcipit, ut venientibus ex hæreſi, & baptizatis in nomine Trinitatis *manus imponatur, ut accipiant Spiritum ſanctum*: quem canonem accipiendum de Confirmatione ſcribit Sirmondus, productis quoque verbis magni Leonis Epiſt. ad Nicetam cap. 7. *Qui baptiſmum ab hæreticis receperunt ſola ſancti Spiritus invocatione per impoſitionem manuum confirmandi ſunt.* Vid. tom. 1. Conc. pag. 1567. Sed quæ ad hæreticos ſpectant, peculiarem poſtulant tractationem. Colonienſe autem Concilium an. 1536. p. VIII. cap. 8. hæc habet: *Itidem dum Sacramentum Confirmationis confertur, docebunt vicarii noſtri in Pontificalibus, quid agatur, nempe quod illis ambiatur gratia Spiritus ſancti, qua confirmatur tyro adverſus Satanæ tentationes roboraturque, ut quod corde creditur ad juſtitiam, re quoque palam confiteatur ad ſalutem. Omnes fideles* (*inquit Urbanus Pontifex Romanus*) *per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur, quia cum Spiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam roboratur.* Tom. XIV. Concil. pag. 532. Concilium Moguntinum, celebratum an. 1549. non ut Witaſſius, & Auctor librorum de Re Sacram. ſcribunt, an. 1547. eodem Volum. XIV. pag. 676. poſtquam plura de Sacramento Confirmationis, ejuſque gratia decrevit, illam *transfundi* diſerte aſſeruit *per manuum impoſitionem*. Concilium Rhemenſe an. 1583. Volum. Conc. XV. pag. 891. ita de Confirmatione loquitur: *Quemadmodum humanæ militiæ tyrones, etſi jam adſcripti ſint in numerum militum, nondum tamen illis ſumma belli committitur, niſi fuerint exercitatiores; ſic quamvis unuſquiſque per baptiſmum catalogo fidelium ſit adſcriptus, ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac ſuperandas, nonniſi per impoſitionem manuum Epiſcopi plus roboris, & gratiæ recipit.* Hujus Synodi decreta confirmata fuere die 30. Julii an. 1584. a Gregorio XIII. Pontifice Maximo. V. Quoniam vero Joannes Morinus de Confirmat. inter Opera poſthuma, cap. 4. & 5. pag. 13. & ſeq. ex Græcis PP. eorumque Euchologiis putat invicte demonſtrari, Græcos ſolum *chriſma*, non *manuum impoſitionem* confirmando neophytos adhibere, propoſitio comprobanda erit ipſorum Græcorum auctoritate. Firmilianus Cæſareenſis Epiſcopus Epiſtola 75. inter Cyprianicas pag. 304. ſupponebat ubique Confirmationem fieri *per manus impoſitionem*, quando ex falſa opinione, quod hæreticus non poſſit valide confirmare, & ordinare, iaſerebat errorem alterum, nempe quod nec valeat baptizare, ſcribens: *Sed & ceteri quique hæretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis, aut gratiæ poſſunt, quando omnis poteſtas & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem.* Loquitur autem de illa manuum impoſitione, per quam Paulus Act. 19. contulit baptizatis Spiritum ſanctum: unde infra pag. 308. ſic Firmilianus ratiocinatur: *Si in nomine Chriſti valuit foris baptiſma ad hominem purgandum in ejuſdem Chriſti nomine valere illic potuit & manus impoſitio ad accipiendum Spiritum ſanctum.* Chryſoſtomus hom. XVIII. in Act. Apoſtol. pag. 580. ex quo Philippus per impoſitionem manus non dederit a ſe regeneratis Spiritum fanctum, infert hanc fuiſſe peculiarem facultatem Apoſtolorum, & idcirco idem nunc præſtari ab Eccleſiæ præſulibus, non a ceteris baptizantium: *Igitur* (inquit) *hoc erat in Apoſtolis ſingulare: unde præcipuos, & non alios videmus hoc facere:* [illegible] Ætate ergo Chryſoſtomi Antiſtites Eccleſiarum *per manus impoſitionem* conferebant Spiritum ſanctum, quem etiam Doctor egregius diſtinguit eo loci *a virtute patrandi ſigna*. Theodoretus pariter in Epiſtolam ad Hebræos cap. 6. de iis, qui crediderunt, ait: *Accedunt ad divinum baptiſmum, & per manum ſacratam accipiunt gratiam Spiritus*, [illegible] Ita tom. III. pag. 418. Joannes Morinus pag. 23. Theodoretum explicat de impoſitione manuum, quæ præcedit baptiſmum; ſed quis non videt, Theodoretum huic manuum impoſitioni

ſitioni Spiritum ſanctum adſcribere, ideoque *de materia Sacerdotali*, non de ceremonia, rituque acceſſorio inſtituere ſermonem? Excipit Morinus eadem falſa interpretatione Œcumenium ſcribentem in Comment. Epiſt. ad Hebr. pag. 354. *Alio modo aggreditur ſermonem* (Paulus) *vocans quidem principium baptiſma, & manuum impoſitionem & ſignaculum, quæ in eo ſunt.* ἀλλ' ἑτέρως μέθοδον τὸν λόγον, ἀρχὴν μὲν τὸ βάπτισμα καλῶν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν καὶ σφραγῖδα. At quemadmodum *ſignaculum*, ita *manuum impoſitionem* notat hoc in loco Œcumenius, quorum utrumque baptiſmati ſubſequitur, quamvis juxta veterem conſuetudinem ſimul cum baptiſmate conferrentur. Atque id eo vel maxime, quod Photius tria ibidem ex Apoſtolice doctrina diſtinguit, *credere in Deum, baptizari, & accipere Spiritum ſanctum*, τὸ πιστεῦσαι ἐπὶ Θεόν, τὸ βαπτισθῆναι, τὸ λαβεῖν πνεῦμα ἅγιον, quorum poſtremum tribuit manuum impoſitioni. Expreſſius loquitur ibidem Gennadius, ſcribens ſequenti pag. 355. *Vult autem dicere* (Paulus) *ut a mortiferis operibus reſipiſcant, reſipiſcentes autem in Deum credant, credentes vero baptizentur, baptizati autem ſeipſos ſubjiciant impoſitioni manuum Sacerdotum ad participationem ſpiritus:* βούλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι μετανοεῖν μὲν ἀπὸ τῶν νεκροποιῶν ἔργων ἐχόντως πρῶτον αὐτοὺς προτρεπόμενοι, μανθάνοντας δὲ πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεόν, πιστεύοντας δὲ βαπτίζεσθαι, βαπτιζομένους δὲ τῇ τῶν ἱερατικῶν χειρῶν ἐπάγειν ἑαυτοὺς ἐπιθέσει πρὸς μετουσίαν τοῦ πνεύματος. Quibus ſane verbis *de manus impoſitione* ſubſequente baptiſmum, *Sacramentali*, & qua participatur Spiritus ſanctus, loquitur inſertus Œcumenio Gennadius. Accedit Simeon Theſſalonicenſis, qui in Commentariolo ad Creteuſes, edito a Jacobo Pontano, & in Bibl. PP. tom. XXII. pag. 768. ait Deum gratiam impertiri regeneratis myſterio baptiſmatis, *per manuum impoſitionem, & inſufflationem unguenti.* Nota Simeonem hunc floruiſſe ſæculo XII. poſt exortum ſchiſma Græcorum, ſub Comnenis Imperatoribus. Poſtremo Michael Palæologus Græcorum Imperator anno 1274. miſit ad Gregorium X. fidei profeſſionem, firmatam a Georgio Acropolita & magno Logotheta, ibique hæc leguntur: *Aliud eſt Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impoſitionem Epiſcopi conferunt chriſmando renatos.* ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπίσκοποι φέρουσι χρίοντες τοὺς ἀναγεννωμένους. VI. Hæc omnia ſuppeditant theologicam quoque rationem. Ea enim eſt *eſſentialis materia* Confirmationis ſaltem inadæquata, quam talem eſſe agnoverunt duodecim ſæculorum decurſu Latini, Græcique Patres. Atqui tam Græci, quam Latini Patres per duodecim Eccleſiæ ſæcula agnoverunt manuum impoſitionem, tamquam *materiam* Sacramenti Confirmationis. Eſt igitur manus impoſitio ſacramenti Confirmationis *eſſentialis materia.*

PROPOSITIO II. Etiam unctio eſt hujus Sacramenti *eſſentialis materia*, haud ſecus, quam ſit manuum impoſitio.

Probatur primo ex Romanorum Pontificum definitionibus. Etenim Innoc. I. in Epiſtola ad Decentium ait, ſolos Epiſcopos *frontem ex oleo ſignare, cum tradunt Spiritum Paracletum*. S. Leo epiſt. 88. ad Epiſcopos pariter ſpectare affirmat, *chriſmate baptizatorum frontem ſignare*: quod chriſma ſerm. IV. de Nativit. appellat *Chriſma ſalutis & ſignaculum vitæ æternæ*. Item Gregorius Magnus in Sacramentario ait neophytos confirmari, dum Pontifex *tincto pollice in chriſmate facit crucem in fronte*. Innoc. III. cap. *Cum veniſſet*, ait: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio.* De his vide cap. 2. prop. 2. II. Deinde probatur traditione Occidentalis Eccleſiæ: nam Tertullianus de baptiſmo cap. 7. *Egreſſi* (inquit) *de lavacro perungimur benedicta unctione*: & infra, *In nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit.* Cyprianus Epiſtola ad Numidas: *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, ideſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Ambroſius de Myſt. cap. 6. de Confirmatione exponit hæc Scripturarum loca, Pſalm. 132. 2. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, Cant. 1. 2. *Unguentum exinanitum eſt nomen tuum*, & ibid. 4. *Trahe nos poſt te, in odorem veſtimentorum tuorum currimus*; quia nempe per inunctionem Epiſcopi *omnes in regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia ſpiritali.* S. P. Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum *ſacramentum chriſmatis* ſignificatum docet *in unguento*, de quo Lucæ XXIV. 47. & ſerm. 227. alias 83. de diverſis n. 2. ait: *Acceſſit baptiſmus, & aqua quaſi conſperſi eſtis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum eſt panis ſine igne. Quid ergo ſignificat ignis? Hoc eſt Chriſma. Oleum etenim ignis noſtri, Spiritus ſancti eſt ſacramentum.* Idem tract. III. in Epiſt. Joannis num. 5. *Unctio ſpiritalis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cujus Sacramentum eſt in unctione viſibili.* Et enarrat. 2. in Pſalm. XXVI. num. 2. *Unctio iſta perficiet nos ſpiritaliter in illa vita, quæ nobis promittitur. Ungimur enim modo in Sacramento, & Sacramento ipſo præfiguratur quiddam, quod futuri ſumus.* Theodulphus denique Aurelianenſis de Ord. baptiſmi pag. edit. Sirmond. 52. de baptizatis ait: *Quibus etiam ſeptiformis gratiæ Spiritus per chriſmatis unctionem conceditur.* III. Conſentiunt præterea Græci PP. quorum teſtimonia produximus 2. capite, Dionyſius, Irenæus, Cyrillus Jeroſolymitanus, Theodoretus, quibus accedit Auctor ibi laudatus Conſtit. Apoſtolicarum. Addo modo Cyrillum Alexandrinum, qui in Joelem ad ea verba, *Redundabunt torcularia vino & oleo*, inquit tom. III. pag. 224. *Data eſt nobis ceu in pluvia aqua vivens ſacri baptiſmatis, & tanquam in frumento panis vivus, & tanquam in vino ſanguis. Acceſſit item uſus olei, qui per ſacrum baptiſmum in Chriſto juſtificatis ad conſummationem conferret.* δέδοται γὰρ ἡμῖν ὡς ἐν ὑετῷ τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, ὡς δ' ἐν σίτῳ ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, καὶ ὡς ἐν οἴνῳ τὸ αἷμα. προσεπινένεμηται δὲ καὶ ἡ τοῦ ἐλαίου χρῆσις, συντελοῦσα πρὸς τελείωσιν τοῖς δικαιουμένοις ἐν Χριστῷ διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος. IV. Ad hæc probatur theſis definitionibus Conciliorum. Florentinum quippe in decreto unionis hæc habet: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.* Et Tridentinum ſeſſ. VII. canone 2. *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui ſancto, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt; anathema ſit.* An autem ex definitionibus illis conſequatur ſententiam hanc noſtram pertinere ad fidem, dicendum eſt paullo infra. Synodus denique Bituricenſis celebrata anno 1584. & anno proximo confirmata a Sixto V. tit. 20. hæc habet: *Nos autem pro igne viſibili, qui die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos apparuit, oleum ſanctum, materiam nempe ignis ex Apoſtolorum traditione ad confirmandum adhibemus, eoque frontes Confirmandorum ſignamus, ne pudeat eos crucem Chriſti palam, & aperte profiteri, & in fronte, ſicut in corde geſtare.* Et canone 2. *Nemo dicat chriſmatis confectionem ab alio, quam a Chriſto, inſtitutam eſſe.* V. Ex quibus ita ratiocinamur: Ea res ſpectat ad *materiam* hujus ſacramenti *eſſentialem*, quæ eſt ſymbolum, & cauſa ſpiritalis gratiæ, qua inungimur participatione Spiritus ſancti, & quam Concilia & Patres appellant ſignaculum ſalutis, juſtitiæ conſummationem, & id, per quod ſeptiformem gratiam conſequimur. Hujuſmodi eſt ſacrum chriſma. Ipſum itaque ſacrum chriſma eſt Sacramenti Confirmationis *eſſentialis materia.*

PROP. III. In utroque conſtitui debet *adæquata* hujus ſacramenti *materia*, ideſt, *in manus impoſitione*, & *in chriſmate*.

Sequitur ex dictis, ac brevi probatur. Tam manuum impoſitioni, quam chriſmati Patres indiſcriminatim tribuunt gratiæ ſpiritalis effectum. Utrumque itaque ſpectant tanquam rem ſenſibilem, ad cujus exhibitionem, accedente verbo ideſt *forma*, ſacramentum illud perficiatur. Inſuper nonnulli meminere ſimul materiæ utriuſque, quemadmodum Tertullianus de Reſurrect. carnis cap. VIII. ſcribens: *Caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.* Et Cyprianus ad Jubajanum, *Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Quo in loco *ſignaculum* ab impoſitione manuum diſtinctum eſt chriſma, quo in crucis figuram frons illinitur. Mitto Iſidorum lib. 2. de divinis officiis cap. 27. Amalarium Fortunatum lib. I. cap. 27. & Walafridum Strabonem cap. 26. Tandem etiam ratio (ſi tamen ratio hiſce in rebus valet aliquid) aſſertum confirmat noſtrum. Cum enim ſacramenta, definiente Auguſtino cap. 26. de Catechiz. rudibus, ſint *ſignacula rerum divinarum viſibilia*, illud magna probabilitate creditur ad Sacramentorum *eſſentiam* pertinere, quod cum immemorabili inſtitutione expreſſius ſignificat gratiæ proprietatem. At habemus tam in chriſmate, quam in manus impoſitione, cum inſtitutione divina vim quamdam ſignificandæ eam gratiam, quæ per Confirmationem confertur. Relucet in manus impoſitione Chriſti inſtitutio; nam ut ſupra diximus temere aſſeritur, Apoſtolos præter mandatum & inſtitutionem Domini externo hoc ſigno uſos fuiſſe, ut Spiritum ſanctum darent baptizatis: apparetque eadem inſtitutio in uſu chriſmatis, ut definit Synodus Bituricenſis, quoniam chriſmate neophytos confirmant Eccleſiæ omnes *matrices, & Apoſtolicæ*; atque juxta Tertulliani præceptionem id, in quo Eccleſiæ ipſæ conſpirant, ab Apoſtolis acceperunt, Apoſtolis vero Chriſtus tradidit. Extat inſuper in impoſitione manuum ſymbolum gratiæ, qua præmunimur ad pugnam: nam in ſacris litteris *manum imponere* idem eſt, ac regere, auxiliumque præſtare; unde ait David Pſ. LXXXVIII. 22. *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*; & Iſaias LI. 16. *In umbra manus meæ protexi te.* Oleum quoque gratiæ ac fortitudinis typus eſt; & hinc S. Thomas quæſt. LXXII. art. 2. probat chriſma convenienter aſſignari pro hujus Sacramenti *materia*. Athletas olim perunctos in ſignum fortitudinis, ſcribit Iſidorus: ac de monte Gelboe, ubi cecidit Saul, ait 2. Regum 1. 21. ſanctus David: *Ibi abjectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet unctus oleo.* Eſt ergo militiæ, qua Chri-

eam eſſe ſive manus impoſitionem, ſive chriſma, ſive utrumque ſimul; atque id fides Catholica profiteatur adverſus Lutherum, Kemnitium, Calvinum, Dallæum, alioſque hæreticos, unum, ideſt, *impoſitionem manus*, poſteaquam ceſſavit viſibilis illapſus Spiritus ſancti, tanquam ceremoniam inutilem reprobantes; alterum, nempe *unctionem Chriſmatis*, appellantes oleum Diaboli mendacio pollutum, pinguedinem fœtore anhelitus inquinatam, & perungendis calceis (tanta eſt perditiſſimorum hominum impudentia) abſque labe ſacrilegii addicendam. In ſola itaque impoſitione manuum conſtituunt hujus Sacramenti materiam Petrus Aureolus, Iſaacius Habert, Jacobus Sirmondus, Sambovius, Nicolaus L' Herminier: qui tamen fatentur unctionem eſſe antiquiſſimam, nec ullo pacto prætermittendam. Statuunt e contra materiam ipſam in Chriſmate S. Thomas; cui ſubſcribit haud exiguus numerus Scholaſticorum, inter quos noſtratium omnes, Poncius, Farvacqueſius, Vanroy, Gibbon, Gavardi, aliique; nec non Bellarminus, Maldonatus, Yſambertus, Petrus Aurelius, Beyer, Arcudius; quorum plures Chriſma receptum cenſent loco impoſitionis manus, ut videntur innuere Œcumenius, & Synodus Moguntina. Quidam utramque materiam disjunctive exiſtimant eſſentialem, adeo ut ſufficiat unam, vel alteram adhibere, ut Ruardus Tapperus, & Joannes Morinus, qui in Opere poſthumo de Confirmat. contendit a Græcis ſolum chriſma, a Latinis vero chriſma cum impoſitione manus fuiſſe ſemper adhibitum. Permulti denique adæquatam confirmationis materiam ſtatuunt ſimul in impoſitione manus, atque in chriſmate; in quam ſententiam conſpirant recentiorum doctiſſimi, Merbelius p. 3. diſſert. 2. q. 5. Natalis Alexander de Sacram. Conf. cap. 1. art. 2. Gaſpar Juenin diſſert. 3. q. 2. cap. 3. Ludovicus Habert cap. 3. §. 1. & 2. Cardinalis Gotti q. 1. dub. 1. Honoratus Tournely q. 1. art. 3. Carolus Vitaſſe, aut qui hujus Tractatus proſequitur q. 2. art. 3. ſect. 5. & 6. Auctor Operis de Re Sacramentaria quæſt. 3. cap. 1. & 2. Angelus Maria Canali quæſt. 2. cap. 2. Antonius Boucat diſſert. 2. Concl. 1. quos commonſtratis locis recenſeo, ut ſententiæ cui arbitror adhærendum, quiſque facilius adinveniat rationum munimenta, atque auctoritatis præſidia.

PROPOSITIO I. Manus impoſitio eſt ſacramenti hujus *materia* eſſentialis.

Demonſtratur primo: Illa eſt in ſacramento Confirmationis *eſſentialis materia*, per quam confirmatis confertur gratia Spiritus ſancti, qua muniuntur ad pugnam, & in fidei confeſſione corroborantur. At *per impoſitionem manus* obſignatis hujuſmodi gratia confertur. Ergo manus impoſitio in Sacramento Confirmationis eſt *eſſentialis materia*. Propoſitio prior eſt certa; quid enim *materia* nomine intelligimus, niſi rem ſubjectam ſenſibus, quam ex præſcriptione Domini, Apoſtolica traditione, & Eccleſiæ conſuetudine adhibemus in ſacramentis conficiendis, ad gratiam ſpiritalem ſuſcipientibus conferendam? Probatur itaque minor: Apoſtoli per manus impoſitionem dabant *Spiritum ſanctum*, non donum linguarum duntaxat ad Evangelii teſtimonium, & ædificationem credentium, ſed virtutem quoque ſupervenientem regeneratis, ac interius illos perficientem, ut fidem palam profiterentur, pluraque incommoda, atque diſpendia invicte ſubirent: quod demonſtrari verbis illis Act. VIII. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*, conſtat ex præcedenti ſecundo capite. II. Dici nequit Apoſtolos quidem, at non illorum ſucceſſores Epiſcopos eam gratiam dediſſe *per manus impoſitionem*; ſiquidem veteres, quorum teſtimonia ibidem produximus, expreſſe, plane, & perſpicue teſtantur, ut olim Apoſtolos, ita Epiſcopos omnes, dum baptizatis manus imponunt, conferre illis *Spiritum ſanctum*. Ita nimirum docent Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*. Ita Hieronymus adverſus Luciferianos: *In Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipit Spiritum ſanctum*. Ita Auguſtinus lib. XV. de Trin. cap. 26. *Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia*. Ita Innoc. III. cap. *Cum veniſſes, &c.* III. Idem ex aliorum Patrum traditione deducitur. Tertullianus initio VIII. capitis de baptiſmo, *Dehinc* (ait) *manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum*: & de Reſurrect. carnis cap. 8. *Caro ſignatur, ut & anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur*. Euſebius Gallicanus Epiſcopus hom. in die Pentecoſtes, quam alii adſcribunt Eucherio, alii Hilario Arelatenſi, qui ambo ſæculo V. floruerunt, allatis Iſaiæ verbis, *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*, inquit: *Advertamus ſumma divitias bonitatis: quod nunc in confirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus ſancti deſcenſio in credentium populo donavit univerſis*. Extat tom. VI. Bibl. PP. pag. 649. Primaſius Adrumetinus in Bizacena provincia Epiſcopus, Commen. in Epiſt. ad Hebræos cap. VI. in ea verba, *baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum*, hæc habet Bibl. PP. tom. X. pag. 259. *Impoſitionem manuum appellat, per quam pleniſſime creditum accipi donum Spiritus ſancti, quod poſt baptiſmum ad confirmationem unitatis in Eccleſia a Pontificibus fieri ſolet*. Gregorius Magnus in Evangelia tom. 1. pag. 1502. de manus impoſitione inquit, *Per quam Spiritus ſanctus accipitur*. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Eccleſ. Officiis cap. 26. pag. 31. *Poſt baptiſmum*, inquit, *per Epiſcopos datur Spiritus ſanctus cum manuum impoſitione*. Prætermitto Theodulphum Aurelianenſem, Albinum Flaccum, Amalarium Fortunatum, Rabanum Maurum, Ivonem Carnutenſem, alioſque plures a Sambovio in Tract. de Confirmat. collectos, & apud omnes recentiores diſputationi, in qua verſamur, inſertos. IV. Eadem eſt doctrina Conciliorum. Illiberitanum quippe, de quo ſupra, can. 38. docet baptizatos ab Epiſcopo *perfici per manus impoſitionem*. Arelatenſe I. canone 8. præcipit, ut venientibus ex hæreſi, & baptizatis in nomine Trinitatis *manus imponatur, ut accipiant Spiritum ſanctum*: quem canonem accipiendum de Confirmatione ſcribit Sirmondus, productis quoque verbis magni Leonis Epiſt. ad Nicetam cap. 7. *Qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt ſola ſancti Spiritus invocatione per impoſitionem manuum confirmandi ſunt*. Vid. tom. 1. Conc. pag. 1567. Sed quæ ad hæreticos ſpectant, peculiarem poſtulant tractationem. Colonienſe autem Concilium an. 1536. p. VIII. cap. 8. hæc habet: *Itidem dum Sacramentum Confirmationis confertur, docebunt vicarii noſtri in Pontificalibus, quid agatur, nempe quod illis ambiatur gratia Spiritus ſancti, qua confirmatur tyro adverſus Satanæ tentationes roboraturque, ut quod corde creditur ad juſtitiam, ore quoque palam confiteatur ad ſalutem. Omnes fideles* (inquit *Urbanus Pontifex Romanus*) *per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut plene Chriſtiani inveniantur, quia cum Spiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam roboratur*, Tom. XIV. Concil. pag. 532. Concilium Moguntinum, celebratum an. 1549. non ut Witaſſius, & Auctor librorum de Re Sacram. ſcribunt, an. 1547. eodem Volum. XIV. pag. 676. poſtquam plura de Sacramento Confirmationis, ejuſque gratia decrevit, illam *transfundi* diſerte aſſeruit *per manuum impoſitionem*. Concilium Rhemenſe an. 1583. Volum. Conc. XV. pag. 891. ita de Confirmatione loquitur: *Quemadmodum humanæ militiæ tyrones, etſi jam adſcripti ſint in numerum militum, nondum tamen illis ſumma belli committitur, niſi fuerint exercitatiores; ſic quamvis unuſquiſque per baptiſmum catalogo fidelium ſit adſcriptus, ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac ſuperandas, nonniſi per impoſitionem manuum Epiſcopi plus roboris, & gratiæ recipit*. Hujus Synodi decreta confirmata fuere die 30. Julii an. 1584. a Gregorio XIII. Pontifice Maximo. V. Quoniam vero Joannes Morinus de Confirmat. inter Opera poſthuma, cap. 4. & 5. pag. 13. & ſeq. ex Græcis PP. eorumque Euchologiis putat invicte demonſtrari, Græcos ſolum *chriſma*, non *manuum impoſitionem* confirmando neophytos adhibere, propoſitio comprobanda erit ipſorum Græcorum auctoritate. Firmilianus Cæſareenſis Epiſcopus Epiſtola 75. inter Cyprianicas pag. 304. ſupponebat utique Confirmationem fieri *per manus impoſitionem*, quando ex falſa opinione, quod hæreticus non poſſit valide confirmare, & ordinare, inferebat errorem alterum, nempe quod nec valeat baptizare, ſcribens: *Sed & ceteri quique hæretici, ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis, aut gratiæ poſſunt, quando omnis poteſtas & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem*. Loquitur autem de illa manuum impoſitione, per quam Paulus Act. 19. contulit baptizatis Spiritum ſanctum: unde infra pag. 308. ſic Firmilianus ratiocinatur: *Si in nomine Chriſti valuit foris baptiſma ad hominem purgandum in ejuſdem Chriſti nomine valere illic potuit & manus impoſitio ad accipiendum Spiritum ſanctum*. Chryſoſtomus hom. XVIII. in Act. Apoſtol. pag. 580. ex quo Philippus per impoſitionem manus non dederit a ſe regeneratis Spiritum ſanctum, infert hanc fuiſſe peculiarem facultatem Apoſtolorum, & idcirco idem nunc præſtari ab Eccleſiæ præſulibus, non a ceteris baptizantium: *Igitur* (inquit) *hoc erat in Apoſtolis ſingulare: unde præcipuos, & non alios videmus hoc facere*: τοῦτο δὲ τῶν ἀποστόλων ἐξαίρετον. ὅθεν καὶ τοὺς κορυφαίους, οὐκ ἄλλους τινὰς ἴδοιμεν τοῦτο ποιοῦντας. Ætate ergo Chryſoſtomi Antiſtites Eccleſiarum *per manus impoſitionem* conferebant Spiritum ſanctum, quem etiam Doctor egregius diſtinguit eo loci *a virtute patrandi ſigna*. Theodoretus pariter in Epiſtolam ad Hebræos cap. 6. de iis, qui crediderunt, ait: *Accedunt ad divinum baptiſmum, & per manum ſacratam accipiunt gratiam Spiritus*, προσίασι τῷ θείῳ βαπτίσματι, καὶ διὰ τῆς ἱερατικῆς χειρὸς ὑποδέχονται τὴν χάριν τοῦ πνεύματος. Ita tom. III. pag. 418. Joannes Morinus pag. 23. Theodoretum explicat de impoſitione manuum, quæ præcedit baptiſmum; ſed quis non videt, Theodoretum huic manuum impo-

ſitioni

Digitized by Google

ſitioni Spiritum ſanctum adſcribere, ideoque *de materia Sacerdotali*, non de ceremonia, rituque acceſſorio inſtituere ſermonem? Excipit Morinus eadem falſa interpretatione Œcumenium ſcribentem in Comment. Epiſt. ad Hebr. pag. 354. *Alio modo aggreditur ſermonem* (Paulus) *vocans quidem principium baptiſma, & manuum impoſitionem & ſignaculum, quæ in eo ſunt.* ἀλλ' ἑτέρως μεθόδευσε τὸν λόγον, ἀρχὴν μὲν τὸ βάπτισμα καλῶν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τῶν χειρῶν ἐπίθεσιν καὶ σφραγῖδα. At quemadmodum *ſignaculum*, ita *manuum impoſitionem* notat hoc in loco Œcumenius, quorum utrumque baptiſmati ſubſequitur, quamvis juxta veterem conſuetudinem ſimul cum baptiſmate conferrentur. Atque id eo vel maxime, quod Photius tria ibidem ex Apoſtolica doctrina diſtinguit, *credere in Deum, baptizari, & accipere Spiritum ſanctum*, τὸ πιστεῦσαι εἰς Θεὸν, τὸ βαπτισθῆναι, τὸ λαβεῖν πνεῦμα ἅγιον, quorum poſtremum tribuit manuum impoſitioni. Expreſſius loquitur ibidem Gennadius, ſcribens ſequenti pag. 355. *Vult autem dicere* (Paulus) *ut a mortiferis operibus reſipiſcant, reſipiſcentes autem in Deum credant, credentes vero baptizentur, baptizati autem ſeipſos ſubjiciant impoſitioni manuum Sacerdotum ad participationem ſpiritus*: βούλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι μετάνοιαν μὲν ἀπὸ τῶν νεκροποιῶν ἔργων ἔχοντας πρῶτον αὐτοὺς προτρεπόμενοι, μετανοήσαντες δὲ πιστεύειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, πιστεύοντας δὲ βαπτίζεσθαι, βαπτιζομένους δὲ τῇ τῶν ἱερατικῶν χειρῶν ἐπαγωγῇ ἑαυτοὺς ἐπιδοῦναι πρὸς μετουσίαν τοῦ πνεύματος. Quibus ſane verbis *de manus impoſitione* ſubſequente baptiſmum, *Sacramentali*, & qua participatur Spiritus ſanctus, loquitur inſertus Œcumenio Gennadius. Accedit Simeon Theſſalonicenſis, qui in Commentariolo ad Cretenſes, edito a Jacobo Pontano, & in Bibl. PP. tom. XXII. pag. 768. ait Deum gratiam impertiri regeneratis myſterio baptiſmatis, *per manuum impoſitionem, & inſufflationem unguentis*. Nota Simeonem hunc floruiſſe ſæculo XII. poſt exortum ſchiſma Græcorum, ſub Comnenis Imperatoribus. Poſtremo Michael Palæologus Græcorum Imperator anno 1274. miſit ad Gregorium X. fidei profeſſionem, firmatam a Georgio Acropolita & magno Logotheta, ibique hæc leguntur: *Aliud eſt Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impoſitionem Epiſcopi conferunt chriſmando renatos.* ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπίσκοποι φέρουσι χρίοντες τοὺς ἀναγεννωμένους. VI. Hæc omnia ſuppeditant theologicam quoque rationem. Ea enim eſt *eſſentialis materia* Confirmationis ſaltem inadæquata, quam talem eſſe agnoverunt duodecim ſæculorum decurſu Latini, Græcique Patres. Atqui tam Græci, quam Latini Patres per duodecim Eccleſiæ ſæcula agnoverunt manuum impoſitionem, tamquam *materiam* Sacramenti Confirmationis. Eſt igitur manus impoſitio ſacramenti Confirmationis *eſſentialis materia*.

PROPOSITIO II. Etiam unctio eſt hujus Sacramenti *eſſentialis materia*, haud ſecus, quam ſit manuum impoſitio.

Probatur primo ex Romanorum Pontificum definitionibus. Etenim Innoc. I. in Epiſtola ad Decentium ait, ſolos Epiſcopos *frontem ex oleo ſignare, cum tradunt Spiritum Paracletum*. S. Leo epiſt. 88. ad Epiſcopos pariter ſpectare affirmat, *chriſmate baptizatorum frontem ſignare*: quod chriſma ſerm. IV. de Nativit. appellat *Chriſma ſalutis & ſignaculum vitæ æternæ*. Item Gregorius Magnus in Sacramentario ait neophytos confirmari, dum Pontifex *tincto pollice in chriſmate facit crucem in fronte*. Innoc. III. cap. *Cum veniſſet*, ait: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio*. De his vide cap. 2. prop. 2. II. Deinde probatur traditione Occidentalis Eccleſiæ: nam Tertullianus de baptiſmo cap. 7. *Egreſſi* (inquit) *de lavacro perungimur benedicta unctione*: & infra, *In nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit*. Cyprianus Epiſtola ad Numidas: *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit*. Ambroſius de Myſt. cap. 6. de Confirmatione exponit hæc Scripturarum loca, Pſalm. 132. 2. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*, Cant. I. 2. *Unguentum exinanitum eſt nomen tuum*, & ibid. 4. *Trahe nos poſt te, in odorem veſtimentorum tuorum currimus*; quia nempe per inunctionem Epiſcopi *omnes in regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia ſpiritali*. S. P. Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum *Sacramentum chriſmatis* ſignificatum docet *in unguento*, de quo Lucæ XXIV. 47. & ſerm. 227. alias 83. de diverſis n. 2. ait: *Acceſſit baptiſmus, & aqua quaſi conſperſi eſtis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum eſt panis ſine igne. Quid ergo ſignificat ignis? Hoc eſt Chriſma. Oleum etenim ignis noſtri, Spiritus ſancti eſt ſacramentum*. Idem tract. III. in Epiſt. Joannis num. 5. *Unctio ſpiritalis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cujus Sacramentum eſt in unctione viſibili*. Et enarrat. 2. in Pſalm. XXVI. num. 2. *Unctio iſta perficiet nos ſpiritaliter in illa vita, quæ nobis promittitur. Ungimur enim modo in Sacramento, & Sacramento ipſo præfiguratur quiddam, quod futuri ſumus*. Theodulphus denique Aurelianenſis de Ord. baptiſmi pag. edit. Sirmond. 52. de baptizatis ait: *Quibus etiam ſeptiformis gratiæ Spiritus per chriſmatis unctionem conceditur*. III. Conſentiunt præterea Græci PP. quorum teſtimonia produximus 2. capite, Dionyſius, Irenæus, Cyrillus Jeroſolymitanus, Theodoretus, quibus accedit Auctor ibi laudatus Conſtit. Apoſtolicarum. Addo modo Cyrillum Alexandrinum, qui in Joelem ad ea verba, *Redundabunt torcularia vino & oleo*, inquit tom. III. pag. 224. *Data eſt nobis ceu in pluvia aqua vivens ſacri baptiſmatis, & tanquam in frumento panis vivus, & tanquam in vino ſanguis. Acceſſit item uſus olei, qui per ſacrum baptiſmum in Chriſto juſtificatis ad conſummationem conferret.* δέδοται γὰρ ἡμῖν ὡς ἐν ὑετῷ τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, ὡς δ' ἐν σίτῳ ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, καὶ ὡς ἐν οἴνῳ τὸ αἷμα. προσπεφώνηται δὲ καὶ ἡ τοῦ ἐλαίου χρῆσις, συντέλειαν ἡμῖν τελοῦσα τοῖς δικαιουμένοις ἐν Χριστῷ διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος. IV. Ad hæc probatur theſis definitionibus Conciliorum. Florentinum quippe in decreto unionis hæc habet: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto*. Et Tridentinum ſeſſ. VII. canone 2. *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui ſancto, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit*. An autem ex definitionibus iſtis conſequatur ſententiam hanc noſtram pertinere ad fidem, dicendum eſt paullo infra. Synodus denique Bituricenſis celebrata anno 1584. & anno proximo confirmata a Sixto V. tit. 20. hæc habet: *Nos autem pro igne viſibili, qui die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos apparuit, oleum ſanctum, materiam nempe ignis ex Apoſtolorum traditione ad confirmandum adhibemus, eoque frontes Confirmandorum ſignamus, ut ne pudeat eos crucem Chriſti palam, & aperte profiteri, & in fronte, ſicut in corde geſtare*. Et canone 2. *Nemo dicat chriſmatis confectionem ab alio, quam a Chriſto, inſtitutam eſſe*. V. Ex quibus ita ratiocinamur: Ea res ſpectat ad *materiam* hujus ſacramenti *eſſentialem*, quæ eſt ſymbolum, & cauſa ſpiritalis gratiæ, qua inungimur participatione Spiritus ſancti, & quam Concilia & Patres appellant ſignaculum ſalutis, juſtitiæ conſummationem, & id, per quod ſeptiformem gratiam conſequimur. Hujuſmodi eſt ſacrum chriſma. Ipſum itaque ſacrum chriſma eſt Sacramenti Confirmationis *eſſentialis materia*.

PROP. III. In utroque conſtitui debet *adæquata* hujus ſacramenti *materia*, id eſt, *in manus impoſitione*, & *in chriſmate*.

Sequitur ex dictis, ac brevi probatur. Tam manuum impoſitioni, quam chriſmati Patres indiſcriminatim tribuunt gratiæ ſpiritalis effectum. Utrumque itaque ſpectant tanquam rem ſenſibilem, ad cujus exhibitionem, accedente verbo, id eſt *forma*, ſacramentum illud perficiatur. Inſuper nonnulli meminere ſimul materiæ utriuſque, quemadmodum Tertullianus de Reſurrect. carnis cap. VIII. ſcribens: *Caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur*. Et Cyprianus ad Jubajanum, *Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*. Quo in loco *ſignaculum* ab impoſitione manuum diſtinctum eſt chriſma, quo in crucis figuram frons illinitur. Mitto Iſidorum lib. 2. de divinis officiis cap. 27. Amalarium Fortunatum lib. I. cap. 27. & Walafridum Strabonem cap. 26. Tandem etiam ratio (ſi tamen ratio hiſce in rebus valet aliquid) aſſertum confirmat noſtrum. Cum enim ſacramenta, definiente Auguſtino cap. 26. de Catechiz. rudibus, ſint *ſignacula rerum divinarum viſibilia*, illud magna probabilitate creditur ad Sacramentorum *eſſentiam* pertinere, quod cum immemorabili inſtitutione expreſſius ſignificat gratiæ proprietatem. At habemus tam in chriſmate, quam in manus impoſitione, cum inſtitutione divina vim quamdam ſignificandi eam gratiam, quæ per Confirmationem confertur. Relucet in manus impoſitione Chriſti inſtitutio; nam ut ſupra diximus temere aſſeritur, Apoſtolos præter mandatum & inſtitutionem Domini externo hoc ſigno uſos fuiſſe, ut Spiritum ſanctum darent baptizatis: appareţque eadem inſtitutio in uſu chriſmatis, ut definit Synodus Bituricenſis, quoniam chriſmate neophytos confirmant Eccleſiæ omnes *matrices, & Apoſtolicæ*; atque juxta Tertulliani præceptionem id, in quo Eccleſiæ ipſæ conſpirant, ab Apoſtolis acceperunt, Apoſtolis vero Chriſtus tradidit. Extat inſuper in impoſitione manuum ſymbolum gratiæ, qua præmunimur ad pugnam: nam in ſacris litteris *manum imponere* idem eſt, ac regere, auxiliumque præſtare; unde ait David Pſ. LXXXVIII. 22. *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*; & Iſaias LI. 16. *In umbra manus meæ protexi te*. Oleum quoque gratiæ ac fortitudinis typus eſt; & hinc S. Thomas quæſt. LXXII. art. 2. probat chriſma convenienter aſſignari pro hujus Sacramenti *materia*. Athletas olim perunctos in ſignum fortitudinis, ſcribit Iſidorus: ac de monte Gelboe, ubi cecidit Saul, ait 2. Regum I. 21. ſanctus David: *Ibi abjectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet unctus oleo*. Eſt ergo militiæ, qua Chri-

Chriſtiani dicimur, ac virtutis per quam ſumus *bonus Chriſti odor*, *chriſma* typus ac ſymbolum; quod etiam tradidit in Pſychomachia pag. edit. Hanoviæ 240. Aurelius Prudentius. Hujus autem carminibus, quoniam vulgatiſſima ſunt, & afferuntur in hac controverſia a Bellarmino, a Coccio, Witaſſio, & a Menardo nota 334. in Sacramentarium Gregorii, addam verſus ex veteri carmine de Bebiano, qui nundum in Theologicis ſcriptis apparuere:

Credidit oranti, & ſitientem flumina vitæ
Præcinctus puro perfudit Epiſcopus amni.
Quo peragente pios ſolito mox ordine ritus,
Et dextrale ſacrum libans, & chriſmate fragrans
Attonitum mira ſe majeſtate fatetur.
Sed quis odor quærit, quem ſentiat in ſua labi
Pectora prædulci medicantem nectare fibras.
Sedula tunc conjunx omen de nomine Chriſti
Unguentum ſpirare docet.

Perquiret, cui lubeat, hoſce verſus apud Briſſonium de Spectaculis tom. VIII. Antiq. Græcarum pag. 2412.

AD EA, QUÆ OPPONUNTUR, RESPONSIO.

Opp. I. adverſus 1. propoſitionem: Eccleſia validam ratamque habet confirmationem Græcorum, qui *chriſma* duntaxat abſque *manus impoſitione* ad illam adminiſtrandam uſurpant. Non eſt ergo *impoſitio manus* hujus myſterii *eſſentialis materia*. Probatur ant. a Joanne Morino ex Euchologio Græcorum edito Venetiis an. 1638. in quo nulla impoſitionis manus habetur mentio: ex Ms. Vaticano Simeonis Theſſalonicenſis pag. 129. ex Nicolao Cabaſila Orat. 3. de Vita Chriſti: ex Dionyſio cap. 2. Hierarch. Eccl. Cyrillo Jeroſolymitano catech. 3. & Damaſceno libro IV. de fide Orthodoxa cap. 10. aliiſque præcitatis prop. 2. num. 3. qui hoc myſterium appellant *μύρον*, *unguentum*, *σφραγίδα*, *ſignaculum*, *τέλειον φυλακτήριον*, *perfectum munimentum*, ſive, *cuſtodiam*, *σώματος καὶ ψυχῆς σωτήριον*, *corporis animique vim ſervatricem*, numquam vero *χειροθεσίαν*, *manus impoſitionem*. II. Neque modo apud Latinos per manus impoſitionem neophyti confirmantur, ſed ſupplet *chriſma* illius vices, ut inquiunt Eugenius IV. in decreto pro Armeniis, *Loco illius manus impoſitionis* (de qua Act. VIII.) *datur in Eccleſia confirmatio*. Et Innocentius III. cap. *Cum veniſſet*, *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio modo dicitur Confirmatio*. Habentur ſimilia in Synodo Moguntina celebrata anno 1549. cap 18. *Hoc ſacramentum ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorumdem traditione adhibita chriſmatis unctione cœpit conferri*. Non eſt autem *eſſentialis materia*, quæ in aliam, ſalva ſacramentorum ſubſtantia, poteſt commutari. III. S. Thomas, aliique e Schola Theologi pro *materia* Confirmationis aſſignant *chriſma*, nulla commemoratione facta impoſitionis manuum. Hanc ergo *eſſentialem materiam* nequaquam exiſtimant.

Reſp. complures Græcorum Patres, & quoſdam etiam poſt exortum ſchiſma, meminiſſe *impoſitionis manuum Confirmatoriæ*. Produxi illos paullo ſupra prop. I. num. 5. Quemadmodum ergo hi non excludunt unctionem; ita qui unctionem commemorant, non excludunt manuum impoſitionem, ac infirma proinde ſunt argumenta petita ex aliquorum ſilentio. Receptis deinde Græcorum Euchologiis (quæ tamen edita poſt tot diſſidia, Græcorumque ſciſſuras non ſunt ad faciendam fidem aptiſſima) dicimus *unctionem* ipſam abſque *manus impoſitione* non fieri, ita, ut qui unius meminit, alterum ſimul commonſtret. Nam auctor Conſtit. Apoſt., quem laudat Morinus ad ſententiam firmandam ſuam, lib. VII. cap. 44. pag. 381. recitata Oratione Epiſcopi in conſignandis neophytis, inquit: *Nam hæc eſt poteſtas impoſitionis manuum uniuſcujuſque facta*: *ἐκείνη γὰρ ἡ δύναμις τῆς χειροθεσίας ἐστὶν αὐτῶν*. Scripſerat & ſupra lib. III. cap. 15. pag. 288. *In manus impoſitione caput ipſius unget Epiſcopus*, *ἐν τῇ χειροθεσίᾳ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ χρίσει ὁ ἐπίσκοπος*. Vidit hunc locum etiam Morinus pag. 22. & accipiendum putavit de baptizandis, quibus ab Epiſcopo manus imponebatur. Sed fallitur Morinus: ibi enim deſcribitur baptiſmus mulierum, quarum frontem ante baptiſmum inungebat Diaconus, non Epiſcopus; & fit mentio non unctionis cujuſlibet, ſed illius, *qua baptizati fiunt a Chriſto Chriſtiani, hoc eſt unctionis cognomines, regale ſacerdotium, gens ſancta, Eccleſia Dei, columna & firmamentum præſentis luminis*. Simeon quoque Theſſalonicenſis in lib. de Templo inquit de Epiſcopo neophytos confirmante, *Per manuum impoſitionem & inſpirationem unguenti gratiam inſerit*; *τῇ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν, καὶ ἐμπνεύσει τὴν τοῦ μύρου χάριν ἐντίθησιν*; quem in locum Jacobus Goarius in notis ad Euchologium Græcorum pag. 367. inquit, *Simeonem Theſſalonicenſem ſcripturæ loquendi modum fuiſſe imitatum, nec ſe a vocibus a Patribus Græcis uſurpatis reddidiſſe alienum, immo potius Theologorum noſtrorum mentem & verba, ubi manuum impoſitionem cum unctione confundunt, fuiſſe ſequutum*. Hoc idem eruitur ex Eugenii, & Innocentii Pontificum verbis paullo ſupra productis. In ipſa ergo unctione manus impoſitio comprehenditur: atque hiſce teſtimoniis revincitur vir præclariſſimus Jac. Sirmondus, contendens tactum pollicis in fronte inungenda non poſſe dici manus impoſitionem. His diluitur objectio ſecunda: etenim ſi modo Epiſcopi neophytum conſignantes eum manu tangunt & ungunt, eſt una cum frontis chriſmatione impoſitio manus: nec video cur in Eugenii IV. & Innocentii III. verbis explicandis tantum inſumant operis, ac ſeſe torqueant Scholaſtici. Horum quippe neuter affirmat chriſmationem inductam pro impoſitione manuum, hac ſublata. Eugenius tantum affirmat *loco impoſitionis manus dari confirmationem*. Confirmationem, inquit, non chriſmationem. Sicut ergo ex his verbis nequit inferri, impoſitionem manuum non fuiſſe olim veram confirmationem: ita non infertur, in chriſmatione nequaquam nunc eſſe manuum impoſitionem. Illorum ergo verborum ſenſus eſt, appellari modo *confirmationem*, quod Apoſtolicis temporibus dicebatur *manus impoſitio*. Atque hunc ſenſum præſeferunt verba Innocentii, maxime quod eo loci probat pertinere ad ſolum Epiſcopum chriſmationem frontis, *quia de ſolis Apoſtolis legitur* (*quorum Vicarii ſunt Epiſcopi*) *quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant*. Eſt itaque in chriſmatione idem ritus Apoſtolicus, manuum videlicet impoſitio. Idem eſt ſenſus Concilii Moguntini, quod præcedenti cap. 17. ait etiamnum *per manus Epiſcoporum tradi fidelibus Spiritum ſanctum*, & hanc *normam* accepiſſe Eccleſiam ab ipſis Apoſtolis, qui in alios transfundebant dona Spiritus *per manus impoſitionem*. Ergo ex mente Moguntinæ Synodi confirmatio nunc quoque per manus impoſitionem confertur. Quod vero eadem Synodus tradit ſeq. capite, initio non fuiſſe adhibitam unctionem chriſmatis, paullo infra expedietur. Ex quo præterea Apoſtoli, juxta probabilem ſententiam, aliquando non adhibuerint chriſma, eruitur reſponſio alia perſpicua & plana, nec oppoſita præcedenti, Innocentium ſcilicet, Eugenium, & Moguntinos Patres aſſerere chriſmationem ſtare loco impoſitionis manuum, non quod in ipſa chriſmatione non ſit manus impoſitio, ſed quod manus impoſitio fuerit aliquando abſque chriſmate, atque unctio pro ſimplici manus impoſitione fuerit ſubſtituta. Poteſt & reſponderi, nunc etiam adhiberi impoſitionem manuum, quoniam Epiſcopus antequam conſignet baptizatos, recitat quamdam orationem, *levata manu ſuper capita omnium*: ut habetur in Sacrament. Gregorii, tom. 3. pag. 73. Quam orationem, in qua nonnulli conſtituunt Confirmationis *formam*, recitandam eſſe *manibus extenſis*, *& elevatis verſus confirmandos*, præcipit etiam Antiquus Ordo Romanus, & Pontificale Romanum tit. I. §. 13. unde nonnulli redarguunt Andream Peſcaram Caſtaldum, quod ritum hunc *extenſionis manuum* prætermiſerit in Ceremoniali Epiſcoporum lib. 2. ſect. 15. Ego tamen probo quidem eumdem ritum, quoniam manuum extenſio eſt quædam invocatio Spiritus ſancti; ſed non credo extenſionem ipſam eſſe *materiam* Confirmationis *eſſentialem*, quemadmodum illa oratio, ut oſtendam cap. 6. non eſt *forma*, quæ *materiæ* applicatur; ideoque appello *materiam* hujus ſacramenti impoſitionem illam manuum, quæ comitatur chriſmatis inunctionem. Ad tertium conſtat ex dictis, Doctores Scholaſticos, dum chriſmationem commemorant, innuere ſimul impoſitionem manus, & unum exprimentes alterum ſupponere; maxime quod ceterorum princeps Aquinas lect. 1. in cap. VI. ad Hebræos tom. XVI. pag. 212. agnoſcit *impoſitionem manus ſacramentalem*, per quam *in Confirmatione datur Spiritus ſanctus ad robur*, ut *ſcilicet audacter homo confiteatur nomen Chriſti coram hominibus*.

Opp. 2. contra alteram propoſitionem: Unctio chriſmatis pertinet ad hujus mundi elementa, de quibus Apoſtolus ad Coloſſ. 2. 20. *Mortui eſtis* (inquit) *cum Chriſto ab elementis hujus mundi*. Non ergo in ſacris myſteriis eſt uſurpanda. II. Tertullianus de Baptiſmo cap. 7. ait nos perungi *benedicta unctione ex priſtina diſciplina*. Dionyſius de Eccl. Hier. cap. 2. morem inungendi derivaſſe ſcribit ex Athleticis unctionibus; & Baſilius de Spiritu ſancto ait, *in nullo ſcripto nos habere chriſma*, *ejuſque conſecrationem*. Non eſt ergo *eſſentialis materia*, quod non habet divinam inſtitutionem, ſed humanam, atque ad ſummum Eccleſiaſticam, atque Apoſtolicam. III. S. Lucas in Actis deſcribens Confirmationem datam in Samaria ab Apoſtolis, nullam facit mentionem Chriſmatis, etiamſi impoſitionem manus, & orationem ſilentio non prætermiſerit, ac totum deſcripſerit hujus myſterii ritum. IV. Prælaudatæ Synodi, Moguntina, & Bituricenſis, nec non Eugenius IV. & Innocentius III. & S. Thomas quæſt. 72. art. 2. ad I. docent hoc ſacramentum ab initio fuiſſe exhibitum *ſola manus impoſitione*. Non eſt ergo chriſma *eſſentialis materia*, ſi aliquando ſine chriſmate data eſt Confirmatio: ſiquidem *eſſentialis materia*, ſi fuit a Chriſto præſcripta, non potuit ab Apoſtolis aut prætermitti, aut commutari in aliam, neque eſt in Eccleſiæ poteſtate illam apponere, vel omittere. Atque hoc argumento fulcitur etiam opinio Eſtii, qui ait Apoſtolos aliquando ſola impoſitione manus, aliquando etiam chriſmate confirmaſſe. V. Canon 2. Concilii primi Arauſicani celebrati

Digitized by Google

lebrati anno 441. definit *chriſmationem* eſſe potam ceremoniam, non *materiam eſſentialem*. Inquit enim: *Nullus miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate uſquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem qui in baptiſmate, quacunque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chriſmatis ipſius nonniſi una benedictio eſt: non ut prajudicans quidquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* VI. Nihil alıud ex oppoſitis probationibus deducitur, niſi chriſma eſſe *materiam integrantem*, non vero neceſſariam; primum, quia Eugenius IV. etiam pro *materia* calicis aſſignavit *vinum de vite*, & *aquam*; & tamen aqua non eſt *eſſentialis materia*: ac etiam ſacramenti Ordinis materiam dixit *illud, per cujus traditionem confertur Ordo*, & nihilominus *eſſentialis* Ordinis *materia* non eſt inſtrumentorum porrectio. Ita ergo dum ait *materiam* Confirmationis eſſe chriſma, *de materia integrante* locutus eſt, docens Armenios, ut omnino cum Romana Eccleſia etiam in acceſſoriis ritibus convenirent. Deinde *chriſmatio* non ſemper, neque ratione eadem obtinuit; primis enim ſæculis unctio impoſitioni manuum præmittebatur, ut inquit de Bapt. c. 7. Tertullianus, poſtea fiebat a presbytero baptizante in ipſo actu baptiſmatis, nunc poſt baptiſmum peragitur ab Epiſcopo: & cum olim fuerit una, nunc duplex unctio eſt, in vertice nempe, & in fronte. Demonſtrat ergo tanta rituum variatio, unctionem chriſmatis non ad eſſentiam ſacramenti ſpectare, ſed ad ceremoniam, & ad variabilem diſciplinam.

Reſp. ad I. dici ab Apoſtolo Judaicos ritus *elementa mundi*, quoniam, etſi erant rudimenta religionis, carnalia erant tamen, prænuntiativa futurorum, nec *per ſe* gratiarum ſpiritualium efficientia; a quibus propterea completis, abrogatiſque monet Apoſtolus Coloſſenſes ut abſtineant. Cum itaque non ſint hujus generis res ſenſibiles, quibus utimur in Sacramentis, ſed ex Chriſti inſtitutione ſalutares ſint, antitypi veterum, fructuumque peractæ redemptionis afferant ubertatem; fruſtra Calvinus, & Kemnitius Pauli teſtimonio abutentes ſtudent oleum, chriſma, aliaque hujuſcemodi eliminare; nec advertunt, ſemel probata argomentationum ſuarum ratione, etiam aquam baptiſmatis, panem, vinumque Eochariſticum, & quicquid elementare eſt, ac ſenſibus ſubjectum, exploſum iri. Reſpondet Calvinus lib. IV. Inſtit. §. 4. n. 7. *Quatenus ſubſtantiam ſuam retinent panis, & aqua, quæ aſpectui noſtro in Sacramentis offeruntur, valet ſemper illud Pauli, Eſca ventri, & venter eſcis: Deus utrumque deſtruet. Prætereunt enim, & evaneſcunt cum figura hujus mundi. Quatenus autem verbo Dei ſanctificantur, ut ſacramenta ſint, non in carne nos retinent, ſed vere & ſpiritualiter docent.* Cur idem non dicit de chriſmate per Dei verbum ſanctificato? In altero argumento nihil eſt aliud, quam verboſitas, luſio, rixandique libido. Non enim ait Tertullianus unctionem pertinere *ad diſciplinam*, ſed nos perungi *ex priſtina diſciplina, qua ungui oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant*; ſignificans chriſma noſtrum, unde Salvator *Chriſtus*, nos *Chriſtiani* appellamur, præſignatum in oleo, *quo Aaron a Moyſe unctus eſt*: in nobis tamen *unctionem*, quemadmodum baptiſmi lavacrum, *proficere ſpiritaliter*: quæ reſponſio ſi cui videatur paullulum diverſa a communi, adeat lector librum ipſum Tertulliani. At Baſilius eo in capite hoſtibus Apoſtolicarum Traditionum nimis moleſto, docet *chriſma*, quamvis *e verbo ſcripto* non probetur, firmitatem habere ſuam *ex verbo tradito*: neque ex Traditione repetit Baſilius ritus tantum, & ceremonias, ut conſecrare aquam baptiſmatis, renuntiare ſatanæ, aliaque hujuſce generis; verum etiam complura ſpectantia ad eſſentiam divinorum Sacramentorum, omniaque *dogmata & inſtituta, quæ in Eccleſia prædicantur, & quæ non ex doctrina ſcripto prodita accepimus, ſed ex Apoſtolorum traditione in myſterio, ideſt, in occulto tradita nobis fuerunt.* Dionyſius autem plura, quam vellent hæretici, de chriſmate magnifica, & ornate ſcribit Eccleſiaſticæ Hierarchiæ IV. in capite. Appellat §. 2. myſterium patens ſolum *arcanis ſpiritalis rei ſpectatoribus*: ait §. 3. commendari *a divinis præceptoribus noſtris, tanquam ejuſdem ordinis, & operationis cum ſacroſancta Synaxeos ſacramento*: inquit §. XII. unctionem illam *illapſum divini Spiritus elargiri*: & ipſomet cap. 2. §. 6. ubi meminit *pugilum*, docet ipſam unctionem *debellare mortis & corruptionis imperium*, & adhiberi *pro libertate atque victoria*. Non ergo inſtitutam docet ex pugilum moribus; ſed pugilum utitur comparatione, ut ſignificet chriſmatis uſum *ad ſpiritalia certamina*: immo in eo paragrapho ait ſe μυστικῶς εἰπεῖν, *myſtice loqui*, lectorem commonefaciens, ut Sacramentorum effectus in tropica locutione perpendat. Atque id etiam advertit S. Maximus in Scholiis pag. 270. & Pachymeres in Paraphraſi pag. 279. Illud præterea memoria repetendum eſt, quod ſæpe monui, *dæmonem æmulatorem divinorum Sacramentorum*, ut de Præſcript. cap. 40. ajebat Tertullianus, *ſignare in frontibus milites ſuos*, aliaque religionis noſtræ imitari myſteria; ideoque non ex profanis ritibus Sacramenta Eccleſiæ, ſed ex Sacramentis Eccleſiæ profanos ritus originem, veritate labefactata, duxiſſe. Ad argumentum tertium, quod videtur in hac quæſtione præcipuum, non una eſt Theologorum reſponſio. Negant plurimi Apoſtolos *chriſmate* uſos nequaquam fuiſſe: cum enim hujus chriſmatis mentionem fecerint Patres omnium ſæculorum, nec inſtitutio prima in aliquo Concilio, aut Eccleſiaſtica definitione inveniatur: neceſſum eſt repetere illud a Chriſto, qui ſolus determinavit *materiam*, *formamque* ſacramentorum. Nec obſtat ſilentium Lucæ; noſtrorum quippe dogmatum quædam e ſacris litteris, quædam ex traditione accepimus, ut nuper dictum eſt cum Baſilio. Atque ut ex ipſo libro Actuum Apoſtol. proferatur exemplum aliquod; numquid Apoſtoli non baptizarunt *in nomine Trinitatis*, quia id Lucas minime expreſſit? Numquid Philippus Eunuchum de ſola fide in Chriſtum interrogavit, quoniam idem Lucas interrogationem hanc ſolam mandavit litteris? Numquid de ſola fide, non de præceptis vitæ in melius mutandæ, Apoſtoli egerunt cum baptizatis, quod in Actibus hæc præcepta non reperiuntur inſinuata? *Si ergo Scriptura tacuit, & intelligenda dimiſit cetera* (inquiunt cum Auguſtino lib. de Fide & Operibus cap. IX. num. 14.) *intelligi tamen voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda.* Addunt quidam chriſmatis mentionem fieri in II. ad Corinthios cap. I. 21. & in I. Epiſt. Joannis cap. II. 27. ubi ſignificari Sacramentum Confirmationis docet etiam Auguſtinus ſupra prop. 2. num. 2. laudatus. Addunt Lucam nomine *impoſitionis manuum* intellexiſſe etiam *unctionem*; quemadmodum Patres, licet *unctionem* expreſſe tradant, ſæpe tamen Confirmationem explicant per ſolam *manuum impoſitionem*. Addunt denique nihil ex argumento negante, cujus generis præſens eſt, poſſe concludi. Vide Baſilium Poncium P. 2. cap. 6. pag. 76. Reſpondent alii cum S. Thoma cit. q. 72. art. 2. ad I. Apoſtolos *ſine chriſmate* confirmaſſe baptizatos *per ſolam manuum impoſitionem*, quando Spiritus ſanctus viſibiliter deſcendebat in ſpecie ignis; *Non enim erat neceſſaria ſenſibilis materia ſacramentalis, ubi ſenſibilia ſigna miraculoſe exhibebantur divinitus*: ceterum uſos *communiter chriſmate in exhibitione Sacramenti, quando hujuſmodi viſibilia ſigna non exhibebantur*. Atque hæc eſt ſententia Synodi Moguntinæ, & Bituricenſis, nec non Theologorum complurium. Ex qua ſententia nequaquam ſequitur, mutatam fuiſſe *materiam Sacramentalem*; primum, quia in multorum opinione Apoſtoli ſola impoſitione manuum dantes Spiritum ſanctum non conferebant Sacramentum Confirmationis, ſed abſque ſacramento rem, ſive effectum ipſius, modo quodam excellentiori; & ideo, inquiunt, Innoc. III. ait, *manus impoſitionem deſignari per frontis chriſmationem*, & Eugenius IV. *dari confirmationem loco illius manus impoſitionis*. Deinde, quia potuit Chriſtus ita præſcribere *materiam*, ideſt, impoſitionem manuum, & chriſma, ut iſta uterentur quando ſenſibilia ſigna ceſſaſſent; propterea quod deſcendente Spiritu ſancto in forma ignis, aderat ſymbolum ejuſdem effectus, quem ſignificat oleum, & chriſma: atque hæc mihi videtur ſententia S. Thomæ ibidem ſcribentis: *Quod enim ſenſibiliter Spiritus ſanctus deſcendit in ſpecie ignis, ad eamdem ſignificationem refertur, ad quam refertur oleum*; necnon Synodi Bituricenſis, cujus hæc ſunt verba, *Nos autem pro igne viſibili oleum ſanctum, materiam nempe ignis, ex Apoſtolorum traditione ad confirmandum adhibemus*: quæ tamen Synodus poſtea definit, *chriſmatis confectionem non ab alio, quam a Chriſto inſtitutam eſſe*. Utraque reſponſio optima eſt, nec temere unam prætereo alteri. In ultima tamen non probo, quod ajunt Apoſtolos per impoſitionem manuum *rem ſacramenti*, non *ſacramentum* exhibuiſſe. Principio enim, quid ad *materiam* ſacramenti requiritur, præter rem ſenſibilem, qualis eſt impoſitio manus? Deinde, ſi Apoſtoli manuum impoſitione *ſacramentum* non conferebant; quo jure ex Actibus Apoſtolicis ſacramentum ipſum adverſus hæreticos vindicamus? Quomodo etiam inde concludimus, illius miniſterium ſpectare ad Epiſcopos ſucceſſores Apoſtolorum? Scio reſpondere nonnullos, hæc omnia inferri ex Actibus Apoſtolicis, *ob identitatem effectus*; quia ſcilicet robur Spiritus ſancti, quod Apoſtoli conferebant *impoſitione manus*, Epiſcopi conferunt *chriſmate*. Sed hoc negant hæretici: hoc demonſtrandum eſt, eumdem haberi effectum, etiamſi idem non ſit Sacramentum. Sed de tertio argumento tam multa diximus, ut etiam ad quarti ſolutionem ſufficiant. Quintum eſt illud, de quo acerrima contentione pugnarunt duo præſtantiſſimi viri, Jacobus Sirmondus, & Petrus Aurelius; ac decertatum inter illos tam de verbis, quam de ſenſu canonis Arauſicani. Aurelius in poſtrema periodi parte redundare contendebat particulam *non*, adeo, ut ſit legendum, *ut neceſſaria habeatur chriſmatio*: Sirmondus pro illa retinenda particula digladiabatur. Aurelius de unctione in vertice, Sirmondus de unctione in fronte interpretabatur eumdem canonem. Multum temporis & operæ poſtularet diſſenſionis hujus examen. De appoſitione particulæ *non*

pe-

pendet adhuc cauſa: illam namque omittunt Jacobus Merlinus, Binius, Surius, Fronto, Gratianus, Antonius Auguſtinus, Turrecremata: neſcio, quomodo Harduinus tom. I. Concil. pag. 1784. contra fidem omnium exemplarium aliter adnotavit de Gratiano. Extat particula *Non* in Collect. Regia, Iſidoriana, Crabbiana; in quatuor MSS. Pariſienſibus, & in MS. Henrici Juſtelli. Petrus tamen Crabbe in poſtrema editione anni 1551. negantem particulam ſupplevit in margine. Iſidoriani etiam Codices varii ſunt; nam carent illa particula Codices Vaticani, & S. Mariæ ſupra Minervam, laudati in Præfatione ad Romanam editionem Gratiani an. 1582. eamdemque variationem notavit Gloſſa in cap. *Nullus miniſtrorum*, de Conſecr. diſt. IV. num. 225. At quantum ad ſenſum canonis, nulla ineſt vis argumento, ſive apponatur particula *Non*, ſive removeatur. Verum enim vero de unctione chriſmatis in vertice, non de chriſmatione frontis, ideſt, de ceremonia baptiſmatis, non de ſacramento Confirmationis ibidem ſit ſermo. Primo quia, ut dictum ſupra, jam ab anno 416. Innocentius I. ſtatuerat, ne presbyter baptizans ſignaret frontem chriſmate, ſed ungeret tantum in vertice; dum ergo canone Arauſicano decernitur, ut quando prætermiſſa eſt unctio chriſmatis in baptiſmate, commoneatur in Confirmatione *Sacerdos*, ideſt, Epiſcopus, nihil aliud ſtatuitur, niſi ut ante Confirmationem ſuppleatur ceremonia neglecta, aut omiſſa, ſcilicet inunctio verticis: ideoque ſi legas, *ut neceſſaria habeatur chriſmatio*, ſenſus erit, ut ſuppleatur ritus omiſſus: & ſi legas, *ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*; erit ſenſus, nullum præjudicium afferri ſi omiſſa fuerit unctio verticis, cum ſuppleri poſſit per unctionem in fronte, ſive per Confirmationem Epiſcopi; atque e contra addendam chriſmationem frontis, etiamſi a presbytero facta eſſet chriſmatio verticalis: quamquam poſtremus ſenſus aliquantulum violentus eſt, & obſcurus. Deinde Synodus Arauſicana, dum mandat nulli baptizantium progrediendum ſine chriſmate, aperte commonitrat intelligendum canonem de unctione verticali facienda etiam a presbytero baptizante, non de unctione frontis Epiſcopo reſervata; ideoque dum addit unctionem prætermiſſam eſſe repetendam, quamvis *non ſit neceſſaria*; ſignificat ipſam unctionem verticalem ſupplendam utique, ſed non eſſe neceſſariam ad ſacramentum Confirmationis, quod in unctione frontis, non in unctione verticis ſitum eſt. Hinc & Sambovius, & L' Herminier, tametſi cum Sirmondo cenſent unctionem chriſmatis eſſe Confirmationis ceremoniam, non *materiam eſſentialem*, fatentur nihilominus opinionem ſuam nequaquam ſtabiliri poſſe Arauſicano canone, de quo hactenus. Ad VI. hæc ſit reſponſio: Nequit eſſe *materia* accidentaria illa, quæ eſt ſymbolum & cauſa gratiæ: ac talem eſſe unctionem chriſmatis clamat traditio univerſa. Falſum eſt, Eugenium IV. aſſignare pro *materia* Calicis etiam aquam. Ejus verba ſunt, tom. XIII. Conc. p. 536. *Cujus materia* (Euchariſtiæ) *eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. Admiſcendam vino aquam dixit; pertinere *ad eſſentiam materiæ* non dixit. De Ordine gravior eſt controverſia; nec deſunt Theologi innumeri, qui cum Bellarmino lib. I. de Ord. cap. 9. propugnant traditionem Inſtrumentorum eſſe *materiam eſſentialem*, ſaltem quantum ad aliquam Ordinis poteſtatem. Diximus quædam de hac re lib. XXX. cap. 10. pluraque dicenda erunt lib. XXXVI. Verum dato quod Eugenius doceat Armenios Ordinum accidentariam *materiam*, quoniam illi de impoſitione manuum minime dubitabant; non ſequitur hujuſce generis eſſe *chriſmationem*; quia loquens de Ordine commemorat *inſtrumenta*, tamquam ſymbola munerum ab initiatis exercendorum; et de Confirmatione pertractans andat *chriſma*, tamquam ſymbolum gratiæ conferentis nobis *nitorem conſcientiæ, & odorem bonæ famæ*. Quæ denique opponit circa variam unctionum diſciplinam Sirmondus, nequaquam urgent. nam Tertullianus ait, *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione*; agnoſcit ergo chriſmationem poſt baptiſmum. Num hæc in fronte facta olim fuerit a quolibet presbytero baptizante, ſpectat ad quæſtionem de Confirmationis miniſtro. Diximus diſcrepantes de ceremoniis baptiſmatis permiſſam unctionem verticalem presbyteris a Sylveſtro, vetitam ab Innocentio chriſmationem frontis; unde apparet unctiones iſtas eſſe diverſas. Addam nonnulla paullo infra; & illud quoque revocabo ad examen, quod attinet ad tempus Confirmationis adminiſtrandæ.

APPENDIX.

Quæri ſolet, an ſit fidei dogma, unctionem pertinere ad ſacramenti hujus *eſſentiam*. Ac reſpondent affirmative Suarez, Valentia, Filliucius, Tannerus, Sylvius, Maſtrius, Maurus, Gavardi, alii. Quorum præcipua ratio eſt, ex decreto Eugenii, & ex canone 2. ſeſſ. VII. Trid. deprompta. Negant tamen id tenendum eſſe de Fide non ſolum qui *materiam* confirmationis conſtituunt in ſola impoſitione manus, verum etiam alii permulti; inter quos Ludovicus Habert ait tom. V. pag. 278. id communiter ſentire Theologos adverſus Suareſium. Falli tamen Habertum, percipiat quiſquis adierit Scriptores nuperrime commemoratos. Qui autem in hanc poſtremam ſententiam deſcendunt, ad Eugenii decretum reſpondent, datum fuiſſe Florentino Concilio jam diſſoluto, atque accipiendum, non *de materia eſſentiali*, ſed *integrali*, ut dum locat *materiam* Ordinis presbyteratus *in porrectione calicis cum vino, & pateuæ cum pane*. Tridentinum vero definit tantum, poſſe affirmari abſque injuria Spiritus ſancti, quod inſit virtus aliqua chriſmati conſecrato, minime docens, an hæc virtus ſit ex divina inſtitutione, an ex benedictione, & ſuffragiis Eccleſiæ, quemadmodum in Sacramentalibus.

Quamquam ego non auſim ſententiam dicere, ac multo minus inſimulare aliquem hæreſeos; arbitror nihiloſecius Habertum, L' Herminier, Witaſſe, aliosque, qui ſive circa Confirmationis *materiam* nobiſcum ſentiant, ſive a nobis diſſideant, afferunt probantque reſponſiones iſtas, plurimum allucinari. Ac primum animadverti ſupra, in decreto Eugenii aliter de *materia* Confirmationis, aliter de *materia* ſacrorum Ordinum pertractari, & unctionem eſſe ſymbolum gratiæ, inſtrumenta vero ſymbola duntaxat Eccleſiaſtici miniſterii: idque multo magis tenendum eſt, ſi una cum Pontificio decreto conferatur univerſalis traditio, unctioni ſpiritalem efficientiam adtribuens. Deinde non elevatur Eugenii definitio, ex quo emanata dicatur Concilio jam diſſoluto; ſiquidem ſententia noſtra non pendet a Concilii approbatione Pontificiæ alicujus definitionis robur, aut firmitudo. Præterea initio ejuſdem decreti legitur pag. 530. tom. XIII. Concil. latum fuiſſe, *ſacro approbante Florentino Concilio*, & in fine pag. 540. *Datum Florentiæ in publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno nono*. Falſum inſuper narrat, & imperitis fucum facit Nicolaus L' Herminier, dum tom. I. de Sacram. pag. 403. ſcribit, *Quando Armeni Florentiam advenerant, jam diſſolutum erat Concilium Florentinum, poſt Orientalium ex urbe receſſum, ut referunt Spondanus ad annum 1439. & Pallavicinus pag. I. lib. VI. cap. II.* qua in re ut diximus aſſentiuntur illi Habert, Witaſſius, Sirmondus. Spondanus enim ad eumdem annum, num. XIX. tom. I. pag. 867. hæc habet: *Cum promulgatum Florentiæ fuiſſet*, (decretum Eugenii) *in publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata præſente anno Domini 1439. 10. Calend. Decembris, Pontificatus Eugenii anno IX. inde percipiat, non una cum Græcorum diſceſſu diſſipatam eſſe, quod multi crediderunt, Synodum Florentinam, ſed porro continuatam cum patribus Latinis: nec vero hoc ſolum anno, verum etiam tribus ſequentibus, &c.* Pallavicinus quoque eodem libro num. 12. pag. edit. Plantin. 577. refert, Clodienſem Epiſcopum propoſuiſſe argumentum, ut oſtenderet decretum Eugenii pro Jacobinis obſignatum die IV. Febr. anno 1441. non ſpectare ad Synodum Florentinam, cum illi finem impoſuerit poſtrema ſeſſio anno 1439. *ſed obſervarant Legati* (inquit Pallavicinus, Giattino interprete) *& eorum primus, ſive ſua ſponte, ſive admonitu Cervini reſpondit: Falli eos, qui Florentinæ Synodi exitum anno 1439. tribuebant: ibi quidem deſinere Latinam Verſionem Bartholomæi Abrahami Cretenſis, quod ſolum ad id uſque temporis, hoc eſt uſque ad ſeptimam ſeſſionem ibi Græci fuerint commorati, & Acta perſcripſerint, ex quibus modo laudatus interpres deſumpſit eam partem, quæ Conciliorum Voluminibus fuit inſerta. Revera tres inſuper annos perſtitiſſe Synodum illam Florentiæ, ac inde Romam commigraſſe, uti liquet ex Conſtitutionibus, quæ viſuntur non modo in Actis Synodi poſita, ſed etiam ab Auguſtino Patritio Canonico Senenſi in Epitomen Baſileenſis Concilii a ſe conſcriptam relata*. Neque hæc dicuntur tantum; probantur etiam ex autographis ſervatis in Romana Arce ſancti Angeli: de quibus ibidem Pallavicinus, Cardinalis a Monte tom. XIII. Concil. pag. 1203. necnon Raynaldus Tom. XVIII. Annal. Eccleſ. ad annum Ch. 1442. ubi pertractat de Synodo Florentina Romam traducta. Atque his deteximus ſimul mendacia, aut allucinationes clariſſimorum Scriptorum, & rationem dedimus, cur ſæpenumero decretum Eugenii Synodo adſcripſerimus Florentinæ, cur demum nequeat illud tanta inurbanitate dimitti. De Tridentino autem Concilio nihil addam, niſi quod videatur mihi eam chriſmati tribuere virtutem, quam denegant hæretici, producendi nimirum *per ſe* gratiam ſpiritalem. Videtur enim canon ille, *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui ſancto, &c.* ferire blaſphemiam Calvini ſcribentis lib. IV. Inſtit. §. IV. num. 5. *Poſterior ætas, re prope obliterata, fictitiam neſcio quam Confirmationem pro Dei Sacramento poſuit. Confirmationis virtutem eſſe finxerunt, Spiritum ſanctum conferre ad gratiæ augmentum, qui in baptiſmo collatus ſit ad innocentiam*: & num. 7. *Hoc vero non a me, ſed a Domino audacter pronuntio. Qui oleum vocant oleum ſalutis, ſalutem, quæ in Chriſto eſt, abjurant, Chriſtum abnegant, partem in regno Dei non habent.* Ex his inferimus ſententiam, quæ ſtatuit chriſma *materiam*

Con-

Digitized by Google

Confirmationis *eſſentialem*, talis eſſe generis, ut ſi ad fidem non ſpectat, nequeat tamen ſperni & repudiari abſque nota inconſideratæ temeritatis.

CAPUT V.

Expediuntur quæſtiones aliquæ circa materiam *Confirmationis.*

ORITUR ex dictis prima quæſtio, num ad compoſitionem *chriſmatis* ſufficiat quodcunque oleum, puta ex juglandibus, amygdalis, nucibus, ſeminibus; an requiratur neceſſario *oleum olivarum*. Hoc requiri affirmant Theologi conſenſu unanimi, ea ducti ratione, quod oleum olivarum ſit illud, quod proprie *olei* nomine ſignificatur, & abſque ullo additamento verborum Concilia & Patres ejuſdem olei meminerint. Addunt analogiam olei cum dono Spiritus ſancti, cum oliva ſemper frondibus virens Dei gratiam, miſericordiam, virorumque ſignificet. Obſervant quoque oleum olivarum in uſu eſſe communi, liquores alios, qui ex hujus ſimilitudine *olea* dicuntur, hoc duntaxat deficiente in uſum aſſumi. Hæc ex S. Thoma q. 72. art. 2. ad 3. Quibus ut nonnulla ad munimentum addam veritatis; obſervo primum *oleum* ab *olea*, ſicut ἔλαιον ab ἐλαία derivari, atque Latinum a Græco Αι in Æ abeunte: ἐλαία autem nihil eſt illud, quam *oliva* arbor, aut *olea*. Eſt ergo oleum liquor olivæ, non alterius arboris, aut ſeminis. Præterea ſemper Eccleſia in conficiendo chriſmate oleum adhibuit olivarum, ut de Græca conſtat ex Pontificali notis illuſtrato ab Iſacio Haberto, & de Latina ex vetuſto carmine decantari ſolito Feria v. magnæ hebdomadæ in chriſmatis conſecratione:

Conſecrare tu dignare,
Rex perennis patriæ,
Hoc olivum, ſignum vivum
Jura contra dæmonum.

Inſuper Tertullianus de Baptiſm. cap. 7. & Auctor ſerm. de unctione chriſmatis inter Opera Cypriani, comparant oleum Chriſmatis illi, quo antiquitus ungebantur ſacerdotes & reges; affirmantque unum, & idem eſſe. Oleum vero conſecrationis erat in antiqua etiam lege, שֶׁמֶן זַיִת, *oleum de olivetis*, Exodi xxx. 24. Tandem non ſolum miſericordiæ & gratiæ, verum etiam pacis, victoriæ, ac fortitudinis oliva, aut oleum ſymbolum eſt, Geneſ. viii. 11. Pſ. li. 11. Eccli. xxiv. 19. ad Rom. 11. 17. &c. Noverunt hæc etiam Ethnici; nam de Ænea pacem expoſcente cecinit Virgilius Æn. vii.

Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet ramis velatos Palladis omnes.

Ac de Alcide pugnante Statius Papinius in vi. Thebaidos.

Pulvereumque fera crinem detorſit oliva.

Sed de oliva, oleoque hæc tantum.

II.

Quæſtio altera eſt, num ſimplex oleum abſque balſami mixtione ſufficiat ad conſtituendam Sacramenti hujus *materiam*. Ad hanc vero quæſtionem reſpondendum eſt negative: at non proferemus conſueta quorumdam argumenta ex Epiſtola Fabiani ad Orientales Epiſcopos, & commentariis Gregorii Magni in Cant. & ex Scholiis S. Baſilii in Pſ. 132. Nam Fabiani Epiſtola, quamvis relata in can. *Litteris veſtris*, de Conſecrat. diſt. 3. num. 18. inter ſpurias rejicitur. Gregorii verba, ut dixi prop. 2. cap. 1. inſititia ſunt, & ex caſtigatis editionibus diſpuncta. In ſcholiis Baſilio Magno attributis fit tantum ſermo de ſummorum ſacerdotum unctionibus. Utemur ergo ſequentibus probationibus. Primum antiquus Ordo Romanus, Pontificale, & quotquot de Eccleſ. Officiis ſcripſere, Amalarius Fortunatus, Albinus Flaccus, & alii, Innoc. III. cap. *Cum veniſſet*, De ſacra unctione, Eugenius IV. in decreto pro Armeniis (quæ omnia ſupra fuerunt producta) olei ſimul, ac balſami meminere. Deinde Patres *materiam* Confirmationis aut *chriſma*, aut *unguentum* appellaverunt. *Chriſma* ex oleo, & fragrantis alicujus materiæ permixtione confici demonſtrat ex Hebraicis, Græciſque codicibus Scacchus noſter Myroth. 2. cap. 1. ubi plura de textu Exodi xxx. 25. *Faciesque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii*. Quo in loco etiam aromata ad *chriſmatis* illius compoſitionem recenſentur: & accurate lxx. reddiderunt, Καὶ ποιήσεις αὐτὸ τὸ ἔλαιον χρίσμα. *Et facies illud*, idest oleum, *chriſma*, non *chriſmatis*, ad commonſtrandum *chriſma* confici permixtione, ſine qua oleum non eſt chriſmatis *materia*. Atque eumdem ſenſum exhibet Hebraicus textus וְעָשִׂיתָ שֶׁמֶן מִשְׁחַת *Faciesque pinguedinem Chriſma*. Non aliud innuunt canones Conciliorum, dum vetant presbyteris *conficere chriſma*, ut Concil. Carthaginenſe II. canone 3. & Concilium Carthag. III. canone 36. *Unguentum* porro nihil eſt aliud, quam diverſorum odorum commixtio, nec deſunt qui etymologiam arceſſant ab *unum*, & *ago*: quod in *unguento* plura *uniantur*. Hinc ad conficiendum chriſma *mixtum oleo balſamum*, legimus in Serm. de Unct. Domini inter Opera Cypriani.

Conſentiunt Græci Patres. Nam Irenæus de Gnoſticis æmulantibus mores catholicorum ſcribit inungi ab illis baptizatos *balſamo*. Vide cap. 1. prop. 2. Auctor quoque Conſtit. Apoſt. & Cyrillus Jeroſolymitanus ibidem laudati, ἀπὸ τῷ ἐλαίῳ, *ab oleo*, diſtinguunt τὸ χρίσμα, *chriſma* ἢ τὸ μύρον, *& unguentum*. Sane μύρον eſſe pigmentum, ſeu mixtionem fragrantem & odoriferam obſervarunt Geſnerus, Budæus, aliique interpretes Græcorum vocabulorum. Ait propterea auctor lib. de Eccleſ. Hierarch. pag. 335. λέγομεν ὡς ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις συναγωγή τις ἐστιν εὐπνόων ὑλῶν, *Dicimus quod unguenti compoſitio eſt collectio quædam bene ſpirantium materiarum*. Nec balſamum tantum in conficiendo chriſmate addunt Græci; ſed præter oleum ac vinum triginta tres alias ſpecies fragrantium rerum: quas ut lectorum curioſitati ſatisfaciam, breviſſime exponam.

Ἀχόρου λίτρας β. Venariæ, aut Acori, de quo Dioſcorides lib. 1. cap. 2. Goarius κόρου, *hyperici*, *ſeu coſti*, de quo Dodonæus lib. III. cap. 24. libras 2.

Ξυλοβαλσάμου λίτρας γ΄. Surculorum balſami libras 3.

Ἐχινάνθου λίτρας β΄. Chariophyllorum lib. 2. Goar. junci aromatici.

Πεπέρεως λίτρας ε΄. Piperis libras 5.

Σμύρνης λίτρας δ΄. Myrrhæ libras 4.

Στύρακος λίτρας α΄. Styracis libram unam.

Πεπέρεως μακροῦ λίτρας β΄. Piperitidis, aut ſiliquaſtri libras 2.

Ξυλοκασσίας λίτρας γ΄. Xylocaſſiæ, aut cinnamomi, Goarius ligni acaciæ libras 3.

Φύλλου ἰνδικοῦ λίτρας γ΄. Foliorum indicorum, ideſt, malabathri, libras 3.

Καρποβαλσάμου λίτρας β΄. Fructus, aut ſeminis balſami libras 2.

Κυπέρεως λίτρας ε΄. Cyperi, ſeu junci odoriferi libras 5.

Μυτζοκόκκα λίτρας γ΄. Nucum Cypariſſi libras 3.

Κελτικοῦ λίτρας α΄. Celtici, ſive nardi libram unam.

Κασσίας μελαίνης λίτρας ς΄. Caſſiæ nigræ libras 6.

Ἀσάρου λίτρας β΄. Aſſari, ideſt, nardi ſilveſtris libras 2.

Μάκερος λίτρας α΄. Macaris, corticis rubri, de quo Plinius lib. 12. cap. 8. libram 1.

Τερεβίνθου λίτρας ἕξ. Terebinthi libras 6.

Πευκίνου λίτρας ς΄. Liquoris pini, vel picex libras 6.

Μυροβαλάνου λίτρας β΄. Myrabolani libras 2.

Σαμψύχου λίτρας α΄. Sampſychi, ideſt, amaraci libram unam.

Λαδάνου λίτρας ε΄. Ladani, ciſti fruticis libras 5.

Λιβάνου λίτρας ε΄. Libani, ideſt, arboris thuris, libras 5.

Στάχυς λίτρας α΄. Spicæ, de qua Dioſcorides lib. III. cap. 20. libram unam.

Ζιγγιβέρεως λίτρας δ΄. Zinziberis libras 4.

Ζυτομπᾶ λίτρας β΄. Zutompa, aut zedoariæ, radicis aromaticæ, libras 2.

Ζωτανας ξηροτικάς, Goar βοτανῆς ξηροτικῆς, ναίτας. Foliorum calami aromatici libras duas.

Ἀκίρου λίτρας β΄. Aceri, (ignotæ ſtirpis, niſi ſit ἄκορος) libras 2.

Ἐλενίου λίτρας β΄. Helenii, ſive inulæ libras 2.

Ἀριστολοχίας λίτρας α΄. Ariſtolochiæ, aut alematitis libram unam.

Ἰρεως λίτρας α΄. Jeris, melius Ἴριδος aut ἴρεως, Iridis, de qua Dioſc. lib. 1. libram.

Βόχου λίτρας α΄. Bochi, ſeu bdalii, de quo Plinius lib. 12. cap. 9. libram unam.

Ξυλαλόης λίτρας α΄. Ligni aloes libram unam.

Βαλσαμελαίου, ὅσον δίδωσιν ἡ εὐπορία, Oleobalſami quantum dat annonæ copia.

Hæc ſunt, quæ in conficiendo chriſmate adhibent Græci, ut conſtat ex illorum Pontificali ab Iſacio Haberto notis illuſtrato, paginis Operis hujus extremis, & ex Goario pag. 637. Nemo tamen Latinorum poteſt hæc, aliaque aromata oleo ac balſamo addere; cum debeat quiſque Eccleſiæ ſuæ ſervare conſuetudinem; nec modo Græci ſpecies has omnes permiſcent, quarum aliquæ pluribus ignotæ ſunt, nec abſque labore variorum Lexicorum, Auctorumque de plantis, herbiſque pertractantium collatione, a nobis ſunt explicatæ.

III.

Tertia quæſtio eſt, an *balſamum* oleo debeat permiſceri *neceſſitate Sacramenti*, num vero neceſſitate tantum præcepti. Permiſcendum oleo balſamum ſolius præcepti neceſſitate, ita, ut abſque balſamo vere ſacramentum conficiatur, tenent primum prælaudati Doctores, qui Confirmationis *eſſentialem materiam* in ſola manus impoſitione conſtituunt. Idem cenſent aliqui *unctionem* quidem exiſtimantes neceſſariam, ſed aſſerentes obſignari baptizatos & confirmari ſimplicis olei inunctione; tametſi ex veteri inſtitutione ac præcepto nefas ſit linire abſque balſamo frontem confirmandorum. Id tenent Dominicus Soto,

Digitized by Google

Soto, Cajetanus, Eſtius, Valentia, Juenin, Tournely, Auctor librorum de Re Sacrament. quibus accedit Continuator Caroli Witaſſe pag. 346. Rem valde dubiam, definiendam Epiſcopis, & ſub conditione iterandum Sacramentum, ſi oleo abſque mixtione balſami conferatur, cenſent Bellarminus, Merbeſius, Natalis Alexander, Ludovicus Habert, & alii. Neceſſariam tamen ad ſacramenti valorem mixtionem balſami innuit S. Thomas q. 72. art. 2. & lib. IV. contra Gentes cap. 60. propugnatque cum Thomiſtis ceteris Gonet diſp. 6. art. 6. Franciſcus Sylvius, Joannes Stephanus Duranti lib. 1. de ritib. Eccl. cap. 20. Hoſius in Confeſſione Fidei cap. 38. Auctor Theologiæ Petrocorenſis Tract. 3. cap. e. Maſtrius diſput. 2. q. 8. concl. 2. Noſtratium vero Puteanus, Pervacquez, Gibbon, Poncius, Vanroy, Pietre, Gavardi; & ne longiorem conſcribam catalogum, auctore Bellarmino lib. 2. cap. 9. ad 3. object. Kemnitii, *veteres omnes Theologi, & Juriſconſulti in Cap.* Paſtoralis, *Extra, De Sacram. non iterandis*.

Prior ſententia innititur his momentis. I. Peruanum eſt verum balſamum, atque, ut ſcribit Plinius lib. XII. cap. 25. *uni terrarum Judææ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum XX. non amplius, altero pauciorum*. Addit oſtendiſſe *urbi arbuſculam balſami* Imperatorem Veſpaſianum. Et lib. XXVI. cap. 32. *Faſtidit* (inquit) *balſamum alibi naſci*. Cum autem duo illi horti vaſtati fuerint, dicendum eſt (inquit Kemnitius) naturale balſamum periiſſe. II. Sacramentorum *materia* debet eſſe communis, & cognitu facilis. Verum autem balſamum & pretioſum eſt, ut nuper diximus, & numquam in Italiam defertur, ſcribente cum Aromatariis compluribus Petro Andree Matthioli in librum I. Dioſcoridis cap. 18. delatum ad nos balſamum *adulterinum* eſſe, & ſtactem myrrhæ, aut liquorem ſtyracis. III. Fertur Pium IV. & Paulum III. conceſſiſſe Indiarum Epiſcopis, ut balſamo Indico, quod adulterinum eſt, confirmarent, ut refert p. 2. cap. 1. pag. 34. Baſilius Poncius. IV. Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, Extra de Sacram. non iterandis, ait: *Nos conſulere voluiſti, ſi Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus reſpondendum quod in talibus non eſt aliquid iterandum; ſed caute ſupplendum quod incaute fuerat prætermiſſum*. At quando aliquid ſupplendum eſt, integra Sacramentorum manet *ſubſtantia*, ut conſtet de puero domi baptizato, in quo ſupplendæ ſunt ceremoniæ. Igitur juxta Innocentii Reſcriptum, in eo, qui oleo tantum delinitus fuerat, integra erat *ſubſtantia* Confirmationis. V. Tandem permulti Patres agentes de hoc Sacramento olei, aut unctionis meminere, non balſami; quorum Petrum teſtimonia vide primo, ac ſecundo capite; ſat ergo eſt ad Sacramenti *ſubſtantiam*, ſi confirmandi ſimplici olivæ oleo conſignentur.

Hæc ſententia propugnari poteſt abſque fidei diſpendio: non enim debemus tot viris præſtantiſſimis paullo ſupra commendatis inurere maculam, notamque hæreſis. Quare ſubſcribimus Bellarmino lib. 2. de Conf. cap. 9. ſcribenti, *Neutra opinio eſt de fide, vel contra fidem, & falſitur Kemnitius, ubi docet, Concilium Florentinum definiviſſe contra ſcholaſticos balſamum requiri in chriſmate. Nam Concilium non expreſſit quomodo requiratur, ſed dixit materiam eſſe oleum cum balſamo, ut etiam in Euchariſtia dixerat materiam eſſe vinum cum aqua, & tamen fatentur aquam non eſſe ita de eſſentia, ut ſine ea ſit irritum ſacramentum*. Obſervatum tamen a me ſupra, nequaquam in Florentino Concilio aquam appellari Euchariſtiæ *materiam*. Ceterum quod ait Bellarminus, probant alii quamplurimi, ut Jacobus Andradius lib. VIII. Orthodox. Explic. pag. 683. Jacobus Molanus Tract. IV. cap. 7. Farvecqueſius noſter q. 2. cap. 3. Ab omni itaque cenſura nobis temperandum eſt.

Adhæremus nihilominus poſtremæ ſententiæ. Primum quia Florentinum Concilium ita *balſamum* commemorat, ut in eo agnoſcat gratiæ ſymbolum, & Tridentinum etiam chriſmati virtutem tribuit aliquam: de quorum Conciliorum ſenſu plura in Append. cap. præced. Deinde demonſtravi præcedenti numero, ſimplex oleum abſque permixtione balſami neque eſſe *chriſma*, unde Chriſtiani appellamur, neque *unguentum*, neque τὸ μύρον; quibus nominibus deſignant Patres ſacramenti hujus *materiam*: ideoque ſi aliquando illi meminerunt duntaxat olei, *oleum* permixtum, non ſimplex intellexerunt, præſertim cum multi, adverſariis fatentibus, aperte *oleum* diſtinguant a *chriſmate*. Illud præterea ſpectat ad ſacramenti *ſubſtantiam*, cui applicatur *forma* verborum, & ſacramenti tribuitur effectus: cujuſmodi eſſe *chriſma* conſtat ex Latinorum forma, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*. Inſuper ex antiquis, & recentioribus Romanæ Eccleſiæ Liturgiis manifeſtum eſt liquorem olivæ *ſacro chriſmati deſervire*, & ſuper chriſma *ex diverſis ſpeciebus* compoſitum deprecari Epiſcopum, ut oleum & balſamum *ſimul permixta unum fiant, & quicunque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, ut omnibus ſordibus carens ſe participem regni cæleſtis effici gratuletur*. Singillatim quoque balſamum ſacramenti *materiam* declarat Epiſcopus Deum his verbis exorans: Hanc *odoriferam ſicci corticis lacrymam, quæ felicis virgæ profundendo ſudorem ſacerdotali nos opimat unguento, acceptabilem tuis præſta myſteriis*. Eidem balſamo adſcribitur virtus gratiæ effectrix, nec non ſigilli, & characteris impreſſio proximis verbis: *Huic unguento, quod radix produxit ſtirpea, ſpiritualem gratiam largiendo plenitudinem ſanctificationis infundas. Sit nobis Domine fidei hilaritate conditum: ſit ſacerdotalis unguenti chriſma perpetuum: ſit ad cæleſtis vexilli impreſſionem digniſſimum*. Ex quibus non tantum ex Pontificali, verum etiam ex antiquis Sacramentariis editis a Thomaſio, atque ex antiquo Ordine Romano comprobatis, apertiſſimum eſt, juxta Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, oleum eſſe chriſmatis partialem *materiam*, permiſcendum balſamo, & iſtud ad ſacramenti pertinere *ſubſtantiam*; aut ſaltem ſententiam, cui ſubſcribimus, adeo calculis Theologorum & rationum munimentis firmatam eſſe, ut ſi quis foret oleo ſimplici delinitus, eſſet iterum conditione appoſita chriſmate conſignandus.

Neque vero urgent admodum argumenta contraria. Ad primum enim, quod diximus fabricatum in officina Kemnitii, reponimus non in duobus tantum hortis naſci balſamum, ut ſcribit Plinius, ſed illius copiam abundare apud Hierichuntem, teſte Joſepho lib. IV. Antiquit. cap. 1. num. 5. & lib. 1. de Bello Judaico cap. 7. num. 6. Palæſtinæ regiones alias plenas frumento, balſamo, melle, & reſina, ex Hieronymo in cap. 27. Ezech. tom. 3. pag. 886. naſci balſamum in maritimis Sabæorum, juxta Strabonem lib. XVI. pag. edit. Baſil. 512. germinare balſami arbores in Arabia myrtorum magnitudine, foliiſque amaraci, ex Pauſania in Bœoticis; magnam denique copiam balſami ad nos ex Perſide, & India deferri. Ad alterum reſpondet S. Thomas cit. art. 2. ad 3. *Sufficit, quod materia hujus ſacramenti, quod non eſt tantæ neceſſitatis, ſicut baptiſmus, poſſit de facili ad omnia loca terrarum deferri*. Quibus addo Eccleſiæ, aut oblatione fidelium, aut Principum munificentia numquam ad balſamum comparandum defuiſſe facultatem, quum in Lateranenſi Baſilica ex liberalitate Conſtantini quotannis in phiala aurea arderent in diebus Paſchæ balſami libræ 200. ad compoſitionem autem chriſmatis ſufficiat exigua ejuſdem balſami pars. Ad tertium dicimus, balſamum Indicum, licet colore ſtactæ myrrhæ conſimilis, verum eſſe ac legitimum, & a Syriaco & Palæſtino diverſum duntaxat *accidentaliter*, idque peritiſſimorum medicorum atteſtatione, ut aſſerunt Baſilius Poncius pag. 2. cap. 1. Vanroy q. 4. affirmavitque idem Paulus III. ut adnotavit Sylvius in quæſt. 72. art. 2. Lupus in confut. V. calumniæ Photianæ, & BENEDICTUS XIV. not. 183. in feriam V. M. hebd. Ad IV. quod unice aliquam præfert difficultatem, miſſis reſponſionibus aliis, dicimus Innocentii III. hunc ſenſum eſſe, non iterandam publicam ſolemnitatem Confirmationis, ſed ſupplendam ſecreto unctionem chriſmatis una cum *forma verborum*: primum, quia ita hunc canonem interpretantur percelebres omnes Canoniſtæ, Innocentius IV. Panormitanus, Oſtienſis, alii: deinde quia non ait Pontifex ſupplendum *balſamum*, ſed ſupplendam unctionem chriſmatis, quæ fuerat prætermiſſa; inſuper, quia *materia*, quæ additur ex præcepto *materiæ eſſentiali*, perfecto jam ſacramento non debet ſuppleri; non enim poſt conſecrationem admiſcenda eſt vino aqua, ſi hanc Sacerdos nequaquam appoſuerit: tandem, quia eodem tit. XVI. de Sacram. non iterandis cap. 3. *Presbyter*, ſimiliter ſtatuitur de impoſitione manuum, quæ in Ordinatione Presbyteri, & Diaconi *materia eſſentialis* eſt, ſaltem partialis, *Quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi Ordines conferendos caute ſupplendum, quod per errorem fuerit prætermiſſum*. Eodem modo accipiendum canonem 1. *Paſtoralis*, animadvertit ibidem Gloſſa. Quare præcipuum prioris ſententiæ momentum non evertit oppoſitam, ſed corroborat. Reſpondemus ad ultimum, etiam *chriſma* appellari *oleum*, at non ſimplex atque impermixtum, attento maxime communi Eccleſiæ ſenſu, in quo oleum eſt chriſmatis pars, non μύρον, non chriſma; ut ex præmiſſis, Sanctorum quoque confirmatis auctoritate, arbitror manifeſtum.

IV.

Quarta quæſtio eſt, an chriſma neceſſario debeat eſſe ab Epiſcopo conſecratum. In qua diluenda quæſtione ſupponendum eſt conſecrationem chriſmatis, jure ſaltem ordinario ad ſolos Epiſcopos pertinere. Id conſtat ex Epiſt. Innoc. I. ad Decentium, & S. Leonis ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ relatis cap. 1. prop. 2. Sacramentarium etiam Gregorii, Ordo Romanus, Pontificale, & Euchologia Græcorum eandem conſecrationem committunt Epiſcopis. Haud aliter ſtatuunt canones ſanctorum Conciliorum, canon tertius Concilii 2. Carthag. celebrati anno 390. trigeſimus ſextus Concilii III. an. 397. viceſimus Toletani primi anno 400. ſeptimus Hiſpalenſis 2. anno 619. 2. Vormatienſis anni 868. aliique canones apud Eſtium

diſt.

Digitized by Google

diſt. 7. §. 9. Nat. Alex. de Conf. cap. 1. art. 2. prop. 3. Witaſſium q. 2. ſect. 6. §. 14. Accedit etiam in unctione verticali adhibendum chriſmeab Epiſcopo conſecratum ee cap. *Presbyteris*, de Conſecrat. diſt. IV. n. 119. teneri Parochos ante ſolemnitatem Paſchatis e proprio Epiſcopo petere Chriſma, ee cap. *Presbyteri*, eadem diſt. num. 123. idque ennis ſingulis nulloque exhibito pretio, ut conſtat ex decretis compluribus collectis a Burchardo Wormatienſi Epiſcopo lib. IV. cap. 71. & ſequentibus. Poſtremo etiam presbyteri in Orientali Eccleſia confirmantes (quod num jure faciant, poſtea inquirendum eſt) ſolo chriſmate utuntur ab Epiſcopis conſecrato; &, ſi urgente cauſa ſimplex ſacerdos per Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem adminiſtravit aliquando ſacramentum Confirmationis, id ſolummodo præſtitit *Chriſmate per Epiſcopum confecto*, ut inquit Eugenius IV. in decreto pro inſtructione Armeniorum. Nulla ergo poteſt hac in re ſupereſſe difficultas, ut recte animadvertit Adnot. 184. in Feriam V. majoris Hebdomadæ BENEDICTUS XIV.

Gravior difficultas videtur, an poſſit talis conſecratio ab Apoſtolica ſede committi ſimplici presbytero, in qua ſe tenentes affirmantem partem cum Sirmondo, Scoto, Cajetano, Tournely, Witaſſio, (qui tamen nutat utrinque,) infirmiſſima proferunt argumenta. Inquiunt primo conſecrationem chriſmatis commiſſam Epiſcopo a S. Sylveſtro: at e Sylveſtro repetendam unctionem verticalem, non primam inſtitutionem conſecrationis, de qua agimus, diximus pertractantes de ceremoniis Baptiſmi. Aſſerunt deinde in canone 20. Toletani Concilii legi: *Quia in aliquibus locis, vel provinciis presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum, chriſma conficere*: quo in canone illa presbyterorum benedictio irrita & nulla minime declaratur. Ceterum neque hoc canone dicitur benedictio ipſa legitima, & videtur Concilium eamdem reprobare: præſertim cum Montanus, qui anno 531. præfuit alteri Synodo Toletanæ, in Epiſtola ad Theoribium damnet auſum conſimilium presbyterorum præſumptionis, typhi, ac dementiæ, aſſeratque *jus conſecrationis chriſmæ ab initio fidei Catholicæ, tantum Pontificibus debitum*. Tertio inquiunt Hieronymum in Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem de ſeptem Eccleſiæ gradibus, hæc diſerte proferre, *Presbyteri, ſi neceſſe eſt, poſſunt chriſma conficere*. Sed præterquamquod illius Epiſtolæ auctor non ee propria ſententia loquitur, ſubjicit enim, *Tamen meæ hoc ſenio eſſe ſententia, nulli Epiſcopo ſuper hoc injuriam eſſe faciendam*; abjudicant Hieronymo eamdem Epiſtolam Bellarminus, Eſtius, Marianus Victorius, Witaſſius, Eraſmus, Gulielmus Cave, Dupinius, Lupus in canones VIII. Concilii, Martianæus, qui illam rejecit in Appendicem tom. V. pag. 99. Probant aliqui Epiſtolam hanc ſpuriam eſſe ex inſcriptione ad Ruſticum Narbonenſem Hieronymo poſteriorem, quippe qui floruit ſedente Leone Magno; ſed variat titulus in Exemplaribus, & eſt ratio hæc nimis fracta. Validior eſt, quæ petitur ab orationis diſcrepantia, & e ſilentio ipſius Hieronymi, de qua eo loci illuſtris Martianæus. Urgent quarto loco, quod canones prohibeant presbyteris tam conficere chriſma, quam conſecrare virgines: quare ut illud, ita & illud agere poſſunt Antiſtitum conſenſione. At ex canone 36. Concilii Carthag. III. *Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret, Chriſma vero numquam conficiat*, qui ſentiunt oppoſitum inferunt nec Epiſcopo conſentiente poſſe chriſma confici a ſimplici presbytero, urgentes verborum antitheſim, ejuſdemque canonis expreſſionem. Tandem ajunt nullam eſſe ſublimiorem conſecrationem Euchariſtia, quam cum valeat conficere ſimplex presbyter, poterit etiam benedicere chriſma, quoniam, *Qui poteſt majus, poteſt & minus*. Verum hoc argumentum non concludere affirmat Eſtius, cum vim non habeat adagium illud in iis, quæ a Chriſti pendent inſtitutione; alioqui poſſet ſimplex ſacerdos conferre ſacros Ordines, immo & patrare miracula; quæ ſunt aliquid minus conſecratione Euchariſtiæ.

Quamquam vero hæc argumenta videantur parum firma; ab illa tamen ſententia nec ego recedam. Primum quia canones tam vetant presbyterum conficere chriſma, quam confirmare; & tamen hoc facere poteſt cum Eccleſiæ diſpenſatione, ut oſtendam cap. 7. ideoque iidem canones accipiendi ſunt aut de ordinaria Epiſcoporum facultate, aut diſpenſatione remota. Deinde quia Romani Pontifices non tantum diſpenſarunt cum Miſſionariis ad Indos profectis, ut confirmarent *confecto ab Epiſcopis chriſmate*, verum etiam ut ipſum chriſma conficerent, prout conſtat ex Bulla Eugenii IV. edita anno 1444. pro religioſiſſimo viro Fabiano de Bachia ſacri Ordinis Minorum, & a Luca Wadingo juxta autographum Vaticanum inſerta Tom. V. Annal. ad prædictum annum MCCCC. num. 45. Quia tamen contrarium ſentiunt Theologi celeberrimi, inter quos Suarez, Sylvius, Faber, Toletus, Salmeron, Baſilius Poncius, Gonet, aliique plurimi; ideo hujus diſpenſationis perpauca inveniuntur exempla, & quæ nobis explorata ſunt, præcipiunt ut presbyteri confirment chriſmate ab Epiſcopis confecto; ipſi vero nunquam conficiant, ut apparet ex dictis, & ex proximo cap. VII.

His de chriſmatis benedictione præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem reſpondent Theologorum quamplurimi, & ſi antiquiores conſulantur, fere omnes, nullum eſſe Sacramentum, ſi Confirmatio perficiatur *chriſmate non conſecrato*. Horum argumenta ſunt, quod hujus ſacramenti *materiam*, non oleum ſimpliciter, aut *chriſma* dixerunt Patres, ſed *chriſma ſacrum*, *benedictum*, *ſanctum*, *conſecratum*, ut Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 3. Cyprianus Epiſt. 70. Optatus Milevit. lib. III. & VII. de ſchiſm. Donatiſt. S. P. Auguſt. lib. V. de Bapt. cap. 19. & 20. & Tract. 118. in Joannem. Accedunt Conciliorum canones, 48. Laodiceni, 4. Bracarenſis ſecundi, 2. ſeſſ. VII. Tridentini, decretum ſæpenumero laudatum Florentini pro Armeniis, aliaque conſimilia. Hanc præterea conſecrationem chriſmatis inſtitutam a Chriſto Domino, uſurpatam ab Apoſtolis, & ad nos *antiqua traditione* derivatam probant ex Magno Baſilio lib. de Spiritu S. cap. 27. ex Tertulliano de Bapt. cap. 7. (quorum teſtimonia vide cap. 1. & 4.) eximie duo Eccleſiaſticæ eruditionis ſcriniæ, Chriſtianus Lupus in canones Concilii VIII. & BENEDICTUS XIV. in Feriam magnæ hebdomadæ quintam. Atque iſtorum ſententia ex ſæpe repetito principio fulcrum habet, quod ab Apoſtolis accepimus quicquid per univerſam cuſtoditur Eccleſiam, neque ab aliqua poſteriori Synodo fuit inſtitutum.

Attamen hæc, quamvis chriſmatis conſecrationem commendent, omnino ſervandam eſſe commonſtrent, obtundantque ora blaſphemantium hæreticorum; haud tamen invicte probant conſecrationem hanc requiri *neceſſitate Sacramenti*: nec reprobare auſim ſcitum recentiorum, ſolam hac in re deprehendentium neceſſitatem præcepti. Ita ſentiunt, ut quoſdam proferam, Gaſpar Juenin q. 2. c. 5. Tournely pag. Ven. edit. 248. Card. Gotti tom. III. pag. 308. & Auct. Operis de Re Sacram. lib. III. pag. 322. Atque hi duo Thomiſtarum clariſſimi urgent præſertim comparationem baptiſmi, qui in ſimplici aqua ratus eſt, quamquam præſcribat ejuſdem aquæ conſecrationem perantiqua traditio. Reſpondit tamen hujuſmodi argumento S. Thomas q. 72. art. 3. diſparem eſſe rationem de *materia*, qua uſus eſt Chriſtus, qualis eſt materia baptiſmi, & Euchariſtiæ, ac de *materia*, qua Chriſtus uſus non eſt, cujus generis ſunt oleum infirmorum, & chriſma. Et videtur quidem eo loci S. Thomas veſtigiis antiquorum inſiſtere. Nihiloſecius Baſilius eodem modo loquitur de conſecratione *aquæ*, & *chriſmatis*, dicens: *εὐλογοῦμεν δὲ τό ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως*, *Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleum unctionis*: nec aliter Tertullianus. Ex horum proinde teſtibus nihil aliud inferas, niſi hujus conſecrationis antiquitatem. Idem dico de S. P. Auguſtino, cujus auctoritate Baſilius Poncius p. 2. cap. 3. Farvacquez q. 3. pag. 63. & Vanroy tom. IV. pag. 166. certam putant antiquorum Scholaſticorum communiorem ſententiam. At, quod illorum pace dixerim, falluntur. Etenim S. P. in V. de Baptiſm. 19. & 20. pertractat de Sacramentis collatis ab improbo, idemque pronuntiat de aqua baptiſmatis, & de chriſmate. *Quomodo* (inquit n. 28.) *exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam baptiſmatis, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam?* Similiter Tract. 118. in Joannem de ſigno crucis diſſerens ait: *Quod ſignum niſi adhibeatur, ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguuntur, ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur*. Ex his ergo Auguſtini locis potius inferas, quemadmodum in baptiſmo, ita in Confirmatione prærequiri *benedictionem materiæ* neceſſitate præcepti, & ritus condecentia, non autem neceſſitate ſacramenti. Difficiliora videntur verba Cyrilli Jeroſolym. ſcribentis pag. 524. *myron*, unguentum non eſſe *chriſma*, *niſi poſtquam conſecratum eſt*, ſicut panis non eſt Corpus Chriſti, *niſi poſt ſancti Spiritus invocationem*, *μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος*; & Optati affirmantis lib. VII. n. 4. *liquorem ex nomine Chriſti condiri, & chriſma poſtquam conditum eſt, nominari*. Verum dici poteſt abſque prævia benedictione *formam* verborum, quæ *conſecratoria* eſt, id præſtituram, ut unguentum fiat *chriſma*, & cæleſti ſuavitate conditum, ideſt, imprimat Chriſti ſigillum, & gratiam conferat; ſiquidem *accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum*.

Conſequitur ex dictis, conſecrationem chriſmatis derivatam ex Apoſtolica traditione; jure pertinere ad Epiſcopos; non poſſe illam ſibi vindicare abſque ſingulari diſpenſatione ſimplicem aliquem presbyterum; hanc quoque diſpenſationem juxta complurium placitum non poſſe concedi, ideoque dandam in urgentiſſima duntaxat neceſſitate; nefas omnino eſſe adhibere in confirmando chriſma non conſecratum; ſi denique tale adhiberetur, videri nobis Sacramentum validum, iterandum tamen ſub conditione ob communiorem ſententiam, quæ nullum, irritumque propugnat. Atque hæc *de materia* Confirmationis.

S C H O L I O N.

„ AD alia momenta a me ſuperius producta, quibus de-
„ monſtravi *Chriſma* debere ab Epiſcopo conſecrari, ac-
„ cedit can. 2. diſt. 95. *Presbyteros ultra ſuum modum tendere*

Digitized by Google

„ *prohibemus, nec Epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter*
„ *adſumere, non conficiendi chriſmatis, non conſignationis pon-*
„ *tificalis adhibendæ ſibimet arripere facultatem*. Deſumptus
„ eſt canon ex Epiſtola anno 494. ſcripta a Romano Pontifice
„ S. Gelaſio ad Epiſcopos Lucaniæ, quæ habetur 4. Volu-
„ mine Conciliorum. Habentur ea de re canones alii apud
„ Gratianum Cauſa 26. q. 6. & de Conſec. diſt. 3. Hujuſ-
„ modi Canones ſunt, *Si jubet, Presbyter, Litteris veſtris, &c.*

„ Hanc Chriſmatis benedictionem potuiſſe quocunque
„ tempore fieri ab Epiſcopo declaraverat circa initia ſeculi
„ quinti Concilium Toletanum I. canone 20. ubi legitur,
„ *Epiſcopo ſane certum eſt omni tempore licere Chriſma con-*
„ *ficere*: atque hinc nonnulli cum Zegero Van-Eſpen in-
„ ferunt, ante hanc Toletanam Synodum nequaquam ſta-
„ bilitam fuiſſe præſentem diſciplinam, juxta quam feria
„ tantum quinta *in Cœna Domini* ab Epiſcopis Chriſma
„ conficitur. Ita canon ille refertur a Martino Bracarenſi
„ in Hiſpania Epiſcopo, apud Gratianum, *de Conſecrat.*
„ *diſt. 4. n. 124. Can. Omni tempore*. Verum prælaudata
„ verba in canone Toletano in omni editione non occur-
„ runt: & ubi extant, non indiſcriminatim intelligenda
„ eſſe, *ſed accommodate ad omnes annos, nullatenus vero*
„ *ad omnes anni dies*, docent cum Joanne Cabaſſutio in
„ *Notitia Eccl. ſeculi* 5. nonnulli alii non infimæ notæ Ju-
„ reconſulti; qui ſimul producunt canonem 46. Concilii
„ Meldenſis, *Ut nemo Sacrum Chriſma, niſi in quinta feria*
„ *majoris ſeptimanæ, ideſt, in Cœna, quæ ſpecialiter ap-*
„ *pellatur Dominica, conficere præſumat*. Ex hoc tamen
„ Canone, quoniam Meldenſis Synodus celebrata eſt ſeculo
„ nono vertente, nequit evinci vigentem modo diſcipli-
„ nam ab Apoſtolica ætate fluxiſſe; quemadmodum ne-
„ que id invicte demonſtratur ex præcitato Canone, *Lit-*
„ *teris veſtris*, de Conſecrat. diſt. 3. n. 18. quia deprom-
„ ptus eſt ex Iſidoriana, ſpuriaque Epiſtola Fabiani Papæ
„ ad Orientales. Quidquid ſit; pervetuſtum eſſe morem
„ in Eccleſia Romana conficiendi ſingulis annis Chriſma
„ *in quinta feria majoris hebdomadæ*, manifeſta res eſt ex
„ *Sacramentario* Gregorii, & ex antiquo *Ordine Roma-*
„ *no*, necnon ex pluribus Synodorum ſanctionibus, qui-
„ bus omnibus presbyteris animarum curam gerentibus
„ præcipitur, ut Chriſma petant a propriis Epiſcopis *ante*
„ *Paſcha ſolemnitatem*: quod etiam mandat prælaudatus
„ canon vigeſimus Concilii primi Toletani.

„ In ea quæſtione, an in hoc Sacramento Chriſma non
„ ſolum requiratur *de neceſſitate præcepti*, verum etiam *de*
„ *neceſſitate Sacramenti*, auſus non ſum illorum reprobare
„ ſententiam, qui ipſum Chriſma balſamo confectum ad-
„ hibendum quidem cenſent *ex præcepto*, atque ex inſti-
„ tuto Eccleſiæ, at non ut ſit Confirmatio *Sacramentum*
„ *validum*, habeatque illam, ſine qua effici non poſſit,
„ *materiam*. Ac præter clariſſimorum Theologorum, quos
„ commemoravi, auctoritatem, ſcio in eamdem ſententiam
„ manibus pedibuſque deſcendere JCC. præſtantiſſimos;
„ quoniam Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, de Sacramen-
„ tis non iterandis, interrogatus num repeti deberet Sacra-
„ mentum Confirmationis in eo, qui per errorem non
„ chriſmate, ſed oleo abſque balſamo fuerat delinitus, re-
„ ſpondit, *Nos conſulere voluiſtis, ſi Confirmationis Sacra-*
„ *mentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non*
„ *chriſmate, ſed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus*
„ *reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum,*
„ *ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum.*

„ Non me fugit eſſe, qui ad hanc Decretalem reponant,
„ idcirco ſupplendam eſſe unctionem Chriſmatis, quoniam
„ in eo caſu Sacramentum Confirmationis nullum erat,
„ ideoque unctionem illam eſſe adhibendam una cum ver-
„ bis, quæ ipſius Sacramenti *formam* conſtituunt. De
„ duplici enim quæſtione Innocentius III. conſultus fue-
„ rat, una an permitti debeat miniſtrare, *qui ſine impo-*
„ *ſitione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus aſſum-*
„ *ptus*; altera, an Confirmationis Sacramentum in caſu
„ propoſito *debeat iterari*. Ad utramque, inquiunt, non
„ ad ſecundam duntaxat Innocentius III. reſpondet, *in*
„ *talibus non eſſe aliquid iterandum*, cum Ordo, & Con-
„ firmatio ſint duo Sacramenta, quæ imprimunt characte-
„ rem; ſed *caute* in utraque *ſupplendum eſſe, quod incau-*
„ *te fuerat prætermiſſum*, videlicet, in Ordinatione *cære-*
„ *moniam*, in Confirmatione *materiam & formam*. Verum
„ ſi Pontificis verba expendantur; non ait, Sacramentum
„ illud Confirmationis fuiſſe *nullum*, ſed ſupplendum cau-
„ te quod fuerat omiſſum. Si *forma* in illo caſu præter-
„ miſſa non erat; non erat itaque repetenda, atque ſup-
„ plenda. Proprie etiam *ſuppleri* dicuntur, quæ per erro-
„ rem omiſſa ſunt, & non pertinent ad Sacramentorum
„ *eſſentiam*. Hoc itaque unum indubitatum eſt, licitum
„ non eſſe Sacramentum Confirmationis ſine *vero Chriſ-*
„ *mate* adminiſtrare. In ceteris, quæ pertinent *ad ma-*
„ *teriam & formam* Sacramentorum, norunt omnes pro-
„ babiliorem tenendam eſſe ſententiam.

CAPUT VI.

De forma Sacramenti Confirmationis.

QUÆSTIONEM de hujus Sacramenti *forma*, quam veteres Theologi paucis expediebant, ampliorem reddidis Recentiorum eruditio. Ac primum qui ſtatuunt Confirmationis *materiam* in ſola manuum impoſitione, cohærenter docent verba illa, quæ comitantur unctionem chriſmatis, *formam* eſſe duntaxat accidentariam & integrantem; eſſentialem autem *formam* eſſe orationem Epiſcopi. Contra qui pro *materia* aſſignant chriſma, *formam* conſtituunt in verbis in chriſmatis unctione prolatis. At qui utramque *materiam* propugnant, ideſt, manus impoſitionem & chriſma, quod & nos ſupra definivimus, cenſent neceſſario hanc *formam* in duobus ſitam eſſe, nimirum in oratione Epiſcopi, quæ reſpondeat impoſitioni manuum, & in verbis, quæ in actione proferuntur, & quæ apud Latinos ſunt, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis*; apud Græcos autem, *Signaculum Spiritus ſancti*: quam ſententiam propugnant Nat. Alex. tract. 3. cap. 1. art. 3. Juenin q. 3. art. 3. Tournely q. 1. art. 4. Card. Gotti q. 1. dub. 4. Auctor lib. de Re Sacram. q. 4. pag. 323. Inſuper de *forma* Latinorum, quam nuper commemoravimus, permulti cenſent *eſſentialem* eſſe, & derivatam ex Apoſtolica traditione, ut S. Thomas q. 72. art. 4. Bellarminus lib. 2. cap. 10. Eſtius in diſt. VII. §. 10. Sylvius in præcitatam S. Thomæ quæſtionem, ac Doctorum Scholaſticorum ingens numerus; nonnulli *formam* illam putant olim fuiſſe deprecatoriam, ut Farvacquez cap. 3. q. 1. Vanroy q. VII. concl. 3. & qui diſſertationes ſuas nomine Camili Vitaliſſe honeſtavit q. 3. art. 3. §. 1., ex cujus tamen prolixa diſputatione vix tandem percipies, quam ſententiam debeas amplecti. De præcitata quoque Græcorum *forma* diſſidia peperit copia Eruditorum; nec eam probat Lupus in canonem VII. primi Concilii Conſtantinopolitani, ut mittam Morinum, Nicolaum Cabaſilam, & alios *formam* conſtituentes in Oratione, quæ præcedit unctionem. Pro illa tamen *forma* pugnant Arcudius lib. 2. de Sacram. cap. 7. Beſſarion de Sacram. Euch. Iſaac Habert in Obſerv. ad Ritum Chriſm. pag. 709. Goarius in Euchologio pag. 368. Baſilius p. 2. cap. 7. Farvacquez, & Vanroy, aliique prælaudati. In tanta ergo ſententiarum diſcrepantia exponam primo quid mihi videatur de Oratione Epiſcopi unctionem præcedente: deinde quid de *forma* Latinorum communiter a ſcholaſticis tradita; poſtremo quid de illa, qua utuntur Græci: ita fiet, ut ordinem teneamus, & opinio noſtra, ſalvo aliorum jure, perſpicue & methodice proferatur.

PROP. I. Oratio præcedens unctionem non eſt *forma* Sacramenti Confirmationis, diſtincta a verbis, quæ unctionem ipſam comitantur, partialis, & reſpondens manuum impoſitioni; ut tenent recentiorum Theologorum complures.

In hanc opinionem deſcendo ductus hiſce momentis. Adoptarunt doctiſſimi Recentiores Theologi ſententiam conſtituentem *formam* Confirmationis in præcitata Oratione, tametſi ea ſententia vix antiquioribus comperta fuerit, propterea quod viſum eſt eis impoſitionem manuum, quam & nos diximus hujus ſacramenti *materiam* partialem, eſſe illam manuum elevationem & extenſionem verſus confirmandos, cum qua Epiſcopus recitat Orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus, &c.* Forma enim debet *materiam* concomitari. Atqui illa manuum elevatio & extenſio non eſt impoſitio manuum, quæ eſt Confirmationis *materia*. Ergo neque prædicta Oratio eſt *forma* correſpondens manuum impoſitioni. Probatur minor, primum quia impoſitio manuum, quæ Confirmationis *materia* partialis eſt, fit in ipſa unctione, quando Epiſcopus pollice tangit frontem confirmandorum, ſuperiori manus parte ſupra illorum caput extenſa, prout demonſtravi capite IV. Deinde, quia illa manuum extenſione Epiſcopus confirmandos non tangit, ac tantum commonſtrat ſe orantem invocare ſuper illos *ſeptiformem Spiritum ſanctum*. Inſuper, quia oratione illa completa, Pontificale Romanum præſcribit, ut Epiſcopus ſedeat ſuper faldiſtorium diſpoſitis per ordinem confirmandis, ſingillatim de nomine cujuslibet inquirat, & illos confirmet per ordinem genuflexos; ideoque declarat nondum præcedenti oratione confirmatos fuiſſe. Ad hæc animadverto, Pontificem Sacramenta conficientem ut plurimum in orationibus, quæ præcedunt, depoſita mitra ſtare, tum enim ſupplex invocat Spiritum ſanctum; at cum actu Sacramenta confert, ſedere in faldiſtorio, quod tunc tanquam miniſter Chriſti ſe gerat; idque præſter, ſive baptizet, ſive confirmet, ſive Ordines conferat: quare oratio, de qua inſtituo ſermonem, præparatoria & deprecatoria eſt, non eſſentialis pars Sacramenti. II. Comprobat eamdem propoſitionem ſequens argumentatio. Aliquando impoſitio manuum non ſolum facta eſt poſt orationem præcedentem unctionem, ſed etiam poſt unctionem ipſam. Igitur illa oratio non eſt *forma* reſpondens manuum impoſitioni. Probatur antecedens teſtimonio Tertulliani ſcribentis de Reſurrect. carnis cap. 8. *Caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.* Quibus verbis recitatis, inquit illuſtris Menardus not. 332. in Sacrament. Gregorii: *In illo textu obſervandum, aliquando manus impoſitionem fuiſſe unctioni poſtpoſitam*: quod comprobat verbis Guilelmi Pariſienſis, qui lib. de Sacramentis pertractans de Ritu Confirmat. ait: *Præmiſſa oratione ſuper Confirmandos pingitur ſignum crucis de chriſmate in frontibus eorum: & impoſitis manibus ſuper capita eorum, dicitur eis, Pax tecum: ſiquidem ad impoſitionem manuum Apoſtolorum ſole-*

ſolebat dari Spiritus ſanctus, & datur modo ad impoſitionem manuum Epiſcoporum. III. Addam argumentum alterum. Etſi Eccleſiaſtici ritus variam pro temporum, locorumque circumſtantiis mutationem ſubierint, nunquam tamen *forma* Sacramentorum fuit penitus prætermiſſa, ſed aut iiſdem, aut æquivalentibus verbis ſemper, & ubique ſervata. Sed oratio præcedens unctionem, tam in uſu recepta, quam quælibet alia, fuit aliquando in Confirmatione prætermiſſa. In illa itaque oratione ſita non eſt *forma eſſentialis* Confirmationis; ſed pertinet ipſa oratio ad ritum pro conditione loci, aut temporis variabilem. Conſtat minor ex libro Sacramentorum Monaſterii Moyſacenſis annorum 800., edito a Martenio cap. 2. art. 4. ord. VII. in quo nulla habetur oratio, niſi quæ recitari ſolet Confirmatione peracta: *Deus, qui Apoſtolis tuis, &c.* IV. Si attente vetuſtos omnes Confirmationis ordines expendamus, in oratione, quæ unctioni præmittitur, nulla alia ſunt verba, in quibus poſſit conſtitui ſacramenti hujus *forma*, niſi verba illa deprecatoria, *Conſigna eos ſigno crucis Chriſti in vitam propitiatus æternam*, ſive, ut habetur in Sacramentario Gelaſii, Eccleſiæ Bellovacenſis, aliiſque apud Martenium citato in loco, *Jube eos conſignari ſigno crucis in vitam æternam*; aut verba alia his conſimilia. Atqui hujuſmodi verba referenda ſunt ad unctionem chriſmatis, nec aliud enunciant modo deprecativo, niſi quod exprimitur indicativo proximis verbis, *Signo te ſigno crucis, &c.* Igitur verba præcedentia aut *formæ eſſentialis* non ſunt, aut ſi habent rationem *formæ*, ſpectant ad unctionem chriſmatis, & referuntur ad ea, *Signo te, &c.* Minor probatur; nam Epiſcopus ſtatim ac dixit, *Conſigna eum ſigno crucis Chriſti*, aut, *ſanctæ crucis tuæ propitiatus in vitam æternam*, intincto pollice perungit chriſmate frontem confirmandorum, dicens, *Signo te, &c.* juxta Sacramentarium Gelaſii, *Signum Chriſti in vitam æternam*, juxta Pictavienſe, *Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in conſignatione fidei, &c.* Quis non videat cohærentiam, & relationem verborum, haud ſecus, ac in conferendis ſacramentis reliquis? Ita ſane conſecrantes Euchariſtiam prius orantes dicimus, *ut nobis fiat Corpus, &c.* poſtea accepto pane, *Hoc eſt, &c.* & in Abſolutione Sacramentali primum, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, &c.* deinde, *Ego te abſolvo, &c.* V. Præfata Oratio aliquando recitata eſt immediate poſt baptiſmum a presbytero baptizante, priuſquam Epiſcopus ad illum confirmandum accederet; & ideo non extat, ut diximus, in Ordine monaſterii Moyſacenſis: atque in codicibus optimæ notæ apud prælaudatum Martenium art. 3. num. 7. reperitur cum Ordine baptiſmi, ibique poſt aliquot folia deſcribitur Ordo Confirmationis. Quomodo ergo conſtituit formam hujus Sacramenti oratio aliquando a presbytero non confirmante recitata, ut baptizatus tali prece munitus ad Epiſcopum accederet conſignandus?

Oppones 1. Ex cap. VIII. Act. Apoſt. colligitur Apoſtolos confirmaſſe orando, & manus imponendo, *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum, &c.* quo teſtimonio & nos cap. 1. conati ſumus hoc Sacramentum adverſus hæreticos vindicare. Oratio ergo *forma* eſt Confirmationis, quemadmodum manus impoſitio eſt *materia*. II. Idem docent Patres: Cyprianus Epiſt. ad Jubajanum inquit, *Qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offeruntur, ut per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur.* Similia Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 2. Hieronymus adverſus Luciferianos, & S. P. Auguſtinus lib. XV. de Trinit. cap. 26. quæ & nos laudavimus cap. 1. hujus libri. III. Omnes libri Rituales, Pontificales, Sacramentarii ab Edmundo Martenio collecti certam fidem faciunt, orationem in Confirmatione ſemper fuiſſe uſurpatam. IV. Æquum eſt, ut aſſignetur *forma* aliqua reſpondens manuum impoſitioni: hæc vero quænam erit, niſi ſit oratio, de qua diſſeritur?

Ad primum reſpondet S. Thomas citato art. 4. quod, quando effectus Confirmationis conferebatur per miniſterium Apoſtolorum viſibilibus ſignis, *tunc non erat neceſſaria nec materia, nec forma hujus ſacramenti*: unde mirum permoveri levi hac argumentatione præclariſſimos Thomiſtarum, Natalem Alexandrum, Cardinalem Gotti, & Scriptorem perpoliti Operis de Re Sacram. paullo ſupra commemoratos. Deinde reſpondeo, legi quidem in Apoſtolicis Actibus Apoſtolos oraſſe, *ut* Samaritani baptiſmo regenerati *acciperent Spiritum ſanctum*; at non legitur eo loci orationem illam eſſe *formam* Confirmationis; immo non orationi ibidem tribuitur Spiritus ſanctus, ſed impoſitioni manuum factæ poſt orationem, ut conſtat ex verſu 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Idem habetur cap. XIX. 6. ibique nulla orationis fit mentio. Nec tamen nego Apoſtolos confirmantes adhibuiſſe *formam* verborum; ſed affirmo hanc non conſtare ex Actibus Apoſtolorum, quemadmodum dixi cap. IV. de unctione chriſmatis. Si denique concedam Apoſtolos uſos *forma aliqua deprecatoria*; ergo ne hæc erit oratio præcedens Confirmationem? Ego quidem vim hujus conſecutionis non aſſequor. Alterum argumentum nullius eſt momenti; ubi enim quidam Patres tribuunt Spiritum ſanctum impoſitioni manuum & orationi, commonſtrant *ritum* Confirmationis, cui oratio præmittitur, non *formam*: quod ex ipſis adverſariis evinco. Nam Patres etiam docent Euchariſtiam conſecrari *oratione*, & corpus Chriſti confici *per orationem, & crucis ſignum*. Ita Juſtinus Apolog. 2. Irenæus lib. IV. cap. 34. Cyrillus Jeroſolym. Catech. myſt. 1. & 5. aliique permulti. Quibus non alia ratione occurrunt Tournelius de Euch. pag. 218. Auctor librorum de Re Sacram. pag. 379. omneſque Theologi, niſi, quod Patres conſecrationem Euchariſtiæ tribuunt *precibus*, non tamquam *formæ*, ſed tamquam *ritibus*; ſive quod orationum & precum nomine intelligunt *formam* ipſam; ſive denique quod oratione *præparatorie* quidem, ſed non *formaliter* conficitur corpus Chriſti. Eamdem ergo reſponſionem adhibemus argumento, quod Tournelius objicit de Confirm. pag. 254. & Theologus alter pag. 323. nec aliter reponimus Natali Alex., Juenino, Witaſſio, aliiſque recentioribus opponentibus præcitata Patrum teſtimonia. In confutatione argumenti tertii, quoniam Tournelius provocat ad libros Rituales, & Sacramentarios editos a Martenio; ex eodem eruditiſſimo viro cap. 2. art. 3. tom. 1. de antiq. Eccl. Rit. dico nihil poſſe ex vetuſtis Sacramentariis concludi: primum quia in pleriſque habetur quidem oratio, ſed non habetur impoſitio manuum: deinde quia in nonnullis, ut in libro Sacramentorum Moyſacenſi, eadem oratio deſideratur; præterea quia in quibuſdam Codicibus oratio illa conſpicitur ſub finem Ordinis baptiſmi: tandem quia in omnibus libris Ritualibus, & Sacramentariis præſcribitur unctio facienda ſub certa verborum formula; quæ proinde videtur pertinere ad hujus Sacramenti *ſubſtantiam*. Ad ultimum reſpondeo impoſitionem manuum, quæ Confirmationis materia eſt, fieri in unctione chriſmatis; & conſequenter verba, quæ tunc proferuntur, utrique materiæ correſpondere.

PROP. II. Verba, quæ comitantur chriſmatis inunctionem, ideſt, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, &c.* tametſi accidentariam aliquam variationem ſubierint, ſunt apud Latinos vera, propria, & adæquata *forma* Sacramenti Confirmationis.

Sequitur ex dictis, ſecluſa enim oratione, nulla alia ſunt verba, in quibus rationem *formæ* ſtatuere poſſimus. Probatur tamen I. decreto Eugenii IV. & Florentini Concilii in Inſtructione Armenorum: *Forma autem eſt, Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Hæc forma tradita ab Eugenio non eſt integralis & acceſſoria, ſiquidem per hæc verba determinatur materia ad ſignificandum, & producendum effectum ſacramentalem: iiſdem verbis exprimitur robur, per quod ad ſpiritalem pugnam idonei reddimur; & in verborum illorum prolatione ſigno crucis, & chriſmate conſignamur, tamquam Chriſtianæ militiæ ornati vexillo, fideique athletis adſcripti. Quare Reginaldus Polus in libro de Reformat. Angliæ, qui extat etiam in Collect. Conciliorum tom. XIV. ait, in Decreto Eugenii doctrinam hujus ſacramenti breviter, & dilucide fuiſſe explicatam. II. His accedit ratiocinatio Doctoris Angelici demonſtrantis in hac Verborum formula ſignificari *robur ſpirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ viſibilis ad ſalutem*; quibus concinit Catechiſmus Romanus p. 2. cap. 3. num. 11. Addo illorum verborum prolatione commonſtrari actualem collationem hujus Sacramenti, quemadmodum ſignificatur collatio baptiſmi pronunciatione illius formulæ, *Ego te baptizo, &c.* III. In omnibus Ritualibus, & Sacramentariis libris a Martene ſummo ſtudio collectis præſcribitur unctio peragenda ſub certa verborum formula, ut ipſe teſtatur citato art. 3. num. VII. quod, ut obſervavimus ſupra, non ſervatur in Oratione unctioni præmiſſa; atque id indicio eſt, nunquam unctionem chriſmatis peractam ſine verbis, ipſaque verba ſemper habuiſſe ſacramentalis *formæ* rationem. IV. Sacramentale Ambroſianum pag. 50. præcipit ut hæc ſententia a Parocho explicetur confirmandis, & declaretur quomodo in iis verbis, *Confirmo te chriſmate ſalutis*, deſignetur robur animi & ſpiritus, quod fidelibus ad ſalutem tribuitur, & cur in hujus formulæ pronunciatione fronti imprimatur ſignum crucis, quia nempe dum aliquis confirmatur, in numerum adſciſcitur militum Chriſti: quod & nos paullo ſupra obſervavimus, tradidítque etiam Manuel Caleca contra Græcos, tom. XXVI. Bibl. PP. pag. 372.

At dixi, hanc Latinorum formulam varias interdum ſubiiſſe mutationes, ſalva tamen ſubſtantiali ſignificatione verborum; idque conſtat lectione vetuſtiſſimorum Pontificalium. Quod enim inſcribitur Egeberto, exaratum veniente ſæculo VIII. hanc exhibet formulam, *Accipe ſignum ſanctæ crucis chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu, in vitam æternam*: & poſthac deprecatoria oratione, *Confirmet te Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Gelaſianum juxta Codd. Colbertinum, & Noviomenſem, formulam habet illam, *Signum Chriſti in vitam æternam*, addita pariter deprecatione, *Confirmet te Deus, &c.* In MS. Pictavienſi octingentorum annorum hæc deſcribitur: *Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in confirmatione fidei.* In Pontificali Eccleſiæ Caturigenſis ejuſdem antiquitatis adinvenitur hæc alia, *Confirmo, & conſigno te in*

ſignum ſanctæ Crucis, in nomine Patris, &c. Codex Moyſacenſis hanc habet parum abſimilem, *Confirmo te ſigno crucis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, in vitam æternam*. Prætermitto plures alias uni, aut alteri ex productis conſimiles: quas debemus eruditioni, ſtudioque Martenii tom. I. de antiq. Eccl. Rit. pag. 249. & ſequentibus.

Inferas ex dictis, tempus terere, & per inania diſputationum ſpatia vagari illos e Schola Theologos, qui diſſertant an valida futura ſit Confirmatio, ſi omittatur unum, vel alterum uſitatæ formulæ verbum. Tanta enim Sacramentalium librorum variatio; ne repetam quæ præcedenti Volumine pag. 201. univerſim dixi de iſtiuſmodi mutationibus, oſtendit imprimi ſacroſanctum ſignaculum, modo illud ſignificent verba Confirmantis, nec *ſubſtantialiter* differant ab una, aut altera ex productis formulis; quamvis debeat unuſquiſque (quod ſæpe monuimus) inviolatam cuſtodire Eccleſiæ conſuetudinem.

Opp. S. Gregorius in libro Sacramentorum pag. 74. præter orationem, de qua ſupra, nullam commemorat formulam, ſed ait: *Et interrogantibus diaconis nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate, facit crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſingillatim*. Similiter Amalarius Fortunatus lib. I. cap. 27. *Oratione expleta facit crucem cum pollice in chriſmate in ſingulorum frontibus, ita dicendo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti;* prætermiſſis verbis, *Signo te, &, Confirmo te, &c.* quæ icirco nullatenus pertinere videntur ad formæ ſubſtantiam.

Huic argumento, quod tenentur diluere illi etiam, qui præter orationem Epiſcopi, formulam in unctione adhibitam arbitrantur neceſſariam, ſolet reſponderi, Magnum Gregorium formam Confirmationis ſubiiciuiſſe *ob diſciplinam arcani*, de qua diximus tomo III. pag. 170. aliiſque in locis. Et revera de hac eadem forma ſcripſit Innocentius I. Epiſtola ad Decentium cap. 3. *Verba vero dicere non poſſum ne magis prodere videar, quam ad conſultationem reſpondere*. Verum ego communi huic reſponſioni non acquieſco. Etenim occultaſſe veteres in Epiſtolis, vulgandiſque Operibus Sacramentorum noſtrorum myſteria, formulamque Confirmationis, recte ex Innocentio, aliiſque pluribus demonſtratum eſt, aſſertum a Schelſtrateno, confirmatum a me, probatum Notificatione VI. a beatiſſimo, ſapientiſſimoque Pontifice BENEDICTO, a nullo catholico viro denegatum. At num *ob diſciplinam arcani* prætermittenda hæc erant in libris Sacramentorum, in ſcrinio Eccleſiarum occluſis, a ſacris dumtaxat miniſtris, non a plebe pervolutandis, & ideo hoc nomine *Sacramentorum* inſcriptis, quod arcana comprehendant? Id ego non aſſequor, maxime cum vetuſtiſſimi omnes Codices Sacramentalium librorum hujuſmodi myſteriis pleni ſint, & ipſum Sacramentale Gregorianum pag. 3. contineat verba conſecrationis, pag. 73. formam baptiſmi, pag. 224. conſecrationem presbyterorum, aliaque omnia ſilentio juxta *diſciplinam arcani* ſepelienda. Illam ergo reſponſionem (patiatur lector tarditatem ingenii mei) communem licet probatiſſimamque, non adhibebo. Quare ad Gregorium quod attinet, dicam aut illum ſacramentalis formulæ non meminiſſe, quoniam hæc non aliud exprimit *indicativo* modo, quam id, quod continetur *deprecativo* in extremis orationis verbis, *Conſigna eos ſigno crucis, in vitam propitiatus æternam*, quæ verba etiam formulam in memoriam Epiſcopi poterant revocare; aut forte tunc temporis unctionem peractam fuiſſe in prolatione eorumdem verborum, ita, ut *forma*, quæ modo obtinet, ex *deprecativa* facta ſit; nec tamen utraque retineat in præſentia rationem formæ, quia deprecativa nunc eſt abſque applicatione materiæ. Idem poſſet reſponderi ad verba Amalarii Fortunati, niſi floruiſſet ſæculo IX. & tempore Gregorii IV. quando *forma*, de qua diſputatur, omni procul dubio obtinebat. Reſpondetur itaque Amalarium ibidem citare Ordinem Romanum; nam ſcribit, *Dicit Romanus libellus, de quo ſæpe commemoravi: Oratione expleta facies crucem, &c.* At in Ordine Romano pag. edit. Pariſienſis 83. Romanæ 54. præter ea, quæ Amalarius exſcripſit, continetur etiam formula, *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Igitur Amalarius aut erravit, aut contraxit orationem, aut ea exſcripſit ſolummodo, quæ ornare cogitaverat commentario.

PROPOSITIO III. Græcorum formula, & ea quidem valida, eſt, ΣΦΡΑΓΙΣ δωρεᾶς πνεύματος ἁγίυ, *Signacula doni Spiritus ſancti*.

Solet demonſtrari hæc propoſitio ex canone VII. Concilii CP. primi; ſed quoniam cenſent complures agi eo loci de receptione hæreticorum minime *Confirmatoria*, pertractabo de hoc canone infra cap. IX. poſitionem vero firmabo his munimentis. Conſtat ex Euchologio Græcorum edito a Goario pag. 360. hanc eamdem, non aliam, eſſe apud Græcos *formam* Confirmationis; ibi enim legitur: Καὶ χρίει ὁ ἱερεὺς τοὺς βαπτισθέντας τῷ ἁγίῳ μύρῳ, ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, λέγων. Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίυ. *Et ungit Sacerdos baptizatos ſacro unguento ſupra frontem dicens, Signaculum Spiritus ſancti*. Habetur quidem ibi, formandum ſignum crucis etiam in oculis, naribus, ore, auribuſque; & juxta quædam Exemplaria in pectore, manibus, ac pedibus: verum hæc deſiderari in vetuſtiſſimis Euchologiis tradunt Arcudius lib. I. de Sacram. pag. 59. & Iſaac Habert in Pontific. Græcorum pag. 709. Non ſolvitur argumentum, ſi reponas fractam eſſe Euchologii hujus auctoritatem; primum quia eadem leguntur in MS. Cryptoferratæ, quod tribuitur Beſſarioni; & in altero Barberino, de quibus vide Farvacqueſium cap. 3. q. I. §. I. Deinde, quia, ſi formula illa non valeat, nulla jam ſupereſt in Oriente Confirmatio; cum nullam aliam agnoſcant Græci, etiam orthodoxi, nec a Romana Eccleſia ſeparati, ut obſervat Goarius Not. 25. in Ord. Bapt. Inſuper quia nunquam Latini, nec in Florentino Concilio, hunc inter ceteros Græcorum recenſuerunt errores, quod ſub formula illa conſignent: imo non aliam adhibent Romæ in templo S. Athanaſii, id non ignorante Pontifice. II. Arcudius lib. 2. cap. 7. hanc aſſertionem demonſtrat Patrum auctoritate. Hi namque de Confirmatione, ejuſque effectu pertractantes docent in ea imprimi Spiritus ſancti ſigillum. Aſterius Epiſcopus Amaſeæ, qui floruit deſinente ſæculo tertio, apud Photium Cod. 271. ſcribit, δίδοται σφραγὶς τῦ ἁγίυ πνεύματος, *Datur ſignaculum Spiritus ſancti*. Dionyſius cap. 2. de Eccleſ. Hierarch. Epiſcopum confirmantem appellat, τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ σφραγιζόμενον, *Deificante unguento obſignantem*; Cyrillus in fine Catecheſeos XVIII. de confirmato ait, ἡ σφραγὶς αὐτῷ ἐδόθη ἐκ τῆς κοινωνίας τῦ ἁγίυ πνεύματος, *Signaculum datum eſt illi ex communicatione Spiritus ſancti*. Tradunt conſimilia alii Patres. Cum itaque formula, de qua loquimur, ſignificat Confirmationis naturam atque efficientiam, ſufficiens ac valida cenſeri debet. III. Tourneſius pag. 256. aſſerit aptiſſimam illam formulam probari a Bellarmino poſt S. Thomam q. 72. art. 4. At S. Thomas *de forma* Græcorum nec verbum quidem. Ex illius tantum doctrina poteſt confirmari propoſitio: ſiquidem in hac Græca formula ſignificatur *character*, quo ad pugnam inſignitur miles Chriſti adverſus ſpirituales nequitias, & donum Spiritus ſancti, quo roboratur in fide. Sufficiens ergo eſt ea formula, *ut materiam determinet ad ſpeciem ſacramenti*, ſicuti de forma Latinorum inquit ibidem Doctor Angelicus. De quo argumento legendus Baſilius Poncius p. 2. cap. 7. pag. 91. IV. Illa demum Græcorum formula traditur cap. 3. Cenſuræ ad Germanos conſcriptæ a Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano, pag. edit. Delingæ 58. idemque tertium caput verbis Simeonis Theſſalonicenſis compactum eſt: atque in notis ejuſdem Cenſuræ ab eruditis omnibus contra Lutheri & Calvini hæreſim commendatæ ac productæ, ſcribit præclarus Theologus Staniſlaus Socolovius, *non eſſe illam diſſimilem ab ea formula, qua modo in Eccleſia utimur*. Mitto quæ de eadem formula ſcribit in libro de Sacram. Euch. Cardinalis Beſſarion; de quo vide Arcudium cit. loco pag. 74.

Opp. I. Senſus prædictæ Græcorum formulæ ſuſpenſus & ambiguus eſt, nec reddit finitam perfectamque orationem. Nequit ergo determinare indifferentem materiam ad certum ſacramentum conſtituendum. II. Præterea eſſe inviſibilis gratiæ & Spiritus ſancti ſignaculum ſingulis ſacramentis eſt commune. Igitur non poteſt in hoc ſtatui peculiaris formulæ ratio. III. Severus Patriarcha Alexandrinus in Ordine Baptiſmi aliam a prædicta *formam* Confirmationis aſſignat, eamdemque cum deprecativa Sacramentalis Noviomenſis paullo ſuperius deſcripta. IV. Clemens VIII. in Inſtructione de Ritibus Græcorum edita Romæ anno 1595. num. 2. ac nuperrime confirmata a BENEDICTO XIV. mandat, ut *Epiſcopi Latini infantes baptizatos a presbyteris Græcis, & de facto chriſmate in fronte conſignatos confirment*, apud Græcos enim etiam preſbyteri miniſtri ſunt Confirmationis; ac præcipit, ut utantur hac forma, *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo, &c.* Decernunt itaque Confirmationem Græcorum forma collatam eſſe nullam, & irritam.

Reſpondent ad I. Doctores noſtri, Baſilius Poncius, Favacquez, Vanroy, & Piette, pendere valorem Sacramentorum a Chriſti voluntate, ideoque ſufficere quamcunque *formam*, modo ſit a Chriſto inſtituta; ceterum in his verbis, *Signaculum Spiritus ſancti*, perfectam contineri orationem, haud ſecus, ac in iis, quæ leguntur apud Lucam XXII. 20. *Hic calix novum teſtamentum in meo ſanguine*, in quibus deeſt verbum. Quod accipias de Græco textu, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μυ: ſiquidem in Latino verbum *Eſt* reperitur. Vide & ad Hebr. IX. 20. Addunt formulam, de qua agitur, *practice* habere determinatam ſignificationem, veluti ſi quis porrigens nummum pauperi diceret, *Ecce nummum*. Ad 2. reſpondemus σφραγῖδα non ſignum qualecunque eſſe, ſed notam impreſſam, ſigillum, & ſpecialiter militarem balthenm; δωρεὰ quoque non tantum ſignificat gratiam, ſed largitionem ipſam donorum; obſervatque Budæus ex Plutarcho, Herodiano, & Demoſthene, uſurpari præſertim vocabulum illud ad ſignificandum donum amplum, & regium. Quare licet omnia ſacramenta ſint gratiæ *ſignacula*, ac baptiſmus interdum ratione *characteris* σφραγὶς appelletur; habent tamen hujus formulæ verba vim

quam-

Digitized by Google

quamdam deſignandi gratiam, quæ exornat Chriſti milites, firmatque, & perficit ſanctificationem in baptiſmo collatam. Ad 3. reponet Goarius pag. 369. ignorari a tota Orientali Eccleſia Severum illum infectum labe Eutychianæ hæreſeos, nec recipi excogitatum ab illo baptiſmi ritum, & inventam Chriſmatis formulam. At cum hæc nulla inficiatur hæreſi, & Orientalis Eccleſia ſumma veterum rituum laboret ignorantia; ſatius ducimus reſpondere, quemadmodum apud Latinos, ita apud Orientales aliquam variationem irrepſiſſe, ſalva ſubſtantiali ſignificatione verborum. Ad 4. dicimus Inſtructionem Clementis directam *ad Epiſcopos Latinos, in quorum civitate, vel diœceſibus Græci, aut Albanenſes Græco ritu viventes degunt*. In ea autem Inſtructione mandat primum Pontifex, *ne presbyteri Græci baptizatos in fronte conſignent*, ac jubet, ut prætermittant conſignationem ſimul, & verba, *ubi habetur forma hujus conſignationis*. Deinde præcipit, *ut Epiſcopi Latini conſignatos chriſmate ab illis presbyteris Græcis* (qui ſine diſpenſatione nequeunt eſſe miniſtri Confirmationis) formula apud Latinos uſitata confirment, quoniam Latini Eccleſiæ Latinæ conformare ſe debent; præcipit tamen, ut *cum cautela, & ſub conditione id faciant, videlicet, N. ſi es confirmatus, ego te non confirmo: ſed ſi non es confirmatus, Ego conſigno te, &c.*, & conditionem hanc *præſertim* adhibeant, *cum veriſimiliter dubitari poteſt, quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati*: quoniam nempe ſolent Græci Epiſcopi confirmare ſtatim poſt baptiſmum. Quæ omnia, ſi accurate expendantur, non demonſtrant nullam eſſe, ſed inſufficientem Græcorum formulam; de qua dictum hactenus.

SCHOLION.

A *Forma*, qua in collatione hujus Sacramenti utuntur Latini, ideſt, a verbis, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, &c.* derivatum eſt nomen *Confirmationis*. Hoc tamen nomen non videtur primis Eccleſiæ ſeculis obtinuiſſe, at ſaltem perraro uſurpatum fuiſſe invenitur. Quare a nomine Latinorum *forma* nullam Apoſtolicæ, & nunquam immutatæ inſtitutionis trahit demonſtrationem. Van Eſpen p. 2. t. 3. cap. 3. *in Jus Eccleſ. Univ.* nu. 10. ait *formulam* Latinorum primis decem ſeculis non fuiſſe notam, neque ullum auctorem ante ſeculum duodecimum illius meminiſſe, & conſequenter dici non poſſe *formam* hujus Sacramenti *eſſentialem*; laudatque noſtrum Franciſcum Farvacquium idem docentem in Opuſc. de hoc Sacramento, cap. 3. q. 2. Hinc inferunt, Eugenium IV. in Inſtructione Armeniorum præſcribendo his *formam*, qua utuntur Latini, & de qua plura diximus prop. 2., illis tradidiſſe *formam* in Romana Eccleſia uſitatam, & cui ſeſe conformare peroptabant Armeni, non vero *formam* omnino *eſſentialem*, & quæ ſi aliquatenus immutetur, Sacramentum Confirmationis nullum ſit irritumque. Ego tamen, etiamſi fatear hanc *formulam* Latinorum mutationes aliquas ſubiiſſe, quæ tamen illius ſubſtantiam nequaquam everterint, atque id præmiſſa prop. 2. §. *At dixi* evidenter oſtenſum ſit; exiſtimo nihilominus, ipſam nunc vigentem Eccleſiæ Romanæ *Formulam* vetuſtiſſimam eſſe, atque ab ipſius Eccleſiæ incunabulis deductam; propterea quod hinc repetendum ſit quod non adinventum poſterioribus temporibus conſtitutum; & in Romana Eccleſia ſemper Apoſtolica traditio inviolata permanſerit, ac diligentiſſime fuerit cuſtodita. Antiquorum autem ſilentium *diſciplinæ arcani*, juxta quam Majores noſtri ſacroſancta myſteria occultarunt, adtribuendum eſſe crediderim. Profecto hanc Latinorum *formam* quovis tempore viguiſſe, neque reperiri poſſe ipſius originem, & initium, ſententia eſt S. Thomæ 3. p. q. 72. art. 4. Ven. Bellarmini de Sacram. Confirmat. cap. 10. Eſtii in 4. Sentent. diſt. 7. §. 10. Sylvii in præcit. q. 72. art. 4. Maldonati de Confirmat. qu. 2. aliorumque. Et quidem ſedulo cavendum eſt, ne videamur ſuccinere hæreticis, qui uno ore ipſam Latinorum *formam* rejiciunt, quod neque Dei verbo ſcripto contineatur, neque ex Antiquorum ſcripturis comprobetur; ut ajunt Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 19. Kemnitius in Examine Concilii Trid. p. 4. M. Antonius de Dominis lib. 5. de Republica Chriſt. aliique tum Calviniſtæ, tum Lutherani. Quibus ſat eſt in præſentiarum reſpondere, recipiendas quoque eſſe traditiones Catholicæ Eccleſiæ ore traditas; pro quibus pugnatum etiam a nobis eſt libro harum Theologicarum quæſtionum vigeſimo tertio cap. 5. Hæc tamen non ita a me dicta ſunt, ut rejectis *formis* Græcorum, aliiſque ſola accidentali variatione diverſis a Romana, hanc unam *eſſentialem* eſſe propugnem. Si tamen & iſtud exiſtimet aliquis probabilius; prælaudati S. Thomas, ejuſque diſcipuli plurimi, & S. R. Eccl. Card. Bellarminus, in præcitatis locis argumenta, quibus id valeat quodammodo evinci, abunde, affluenterque ſuppeditabunt.

CAPUT VII.

In quo agitur de Sacramenti Confirmationis Miniſtro.

QUOSLIBET Sacerdotes eſſe *ordinarios* hujus Sacramenti miniſtros contendit Photius Conſtantinopolitanæ Sedis invaſor iniquus, Græcorumque ſchiſmaticorum caput, ac ſignifer; qui ut Bulgaros paullo ante ad Chriſti fidem converſos opera cujuſdam Pauli Romanæ presbyteri averteret ab Apoſtolica Sede, Latinam Eccleſiam impetere conatus eſt nonnullis accuſationum capitibus, quorum unum illud eſt legatos Nicolai primi denuo confirmaſſe inunctos chriſmate a Græcis presbyteris. Photii autem in Romanam Eccleſiam calumnias continet Encyclica illius Epiſtola ad Archiepiſcopales thronos per Orientem obtinentes data an. 867. eaſdemque calumnias Baronius in Eccleſiaſticis Annalibus, Allatius in Opere de Conſenſione Orientalis & Occident. Eccleſiæ, Natalis Alex. in Eccleſ. H., Chriſtianus Lupus in canones VIII. Concilii, aliique viri doctiſſimi confutarunt. Schiſmaticorum deinde Græcorum ſententiam infenſi Eccleſiæ Romanæ hoſtes arripuerunt, Valdenſes, Huſſitæ, Lutherus, Kemnitius, Calvinus, Dallæus, & ceteri Novatores; adverſus quorum nefarium dogma, fide tenendum eſt *ordinarium* Confirmationis miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum, ſicut in Florentino, atque in Tridentino Concilio legimus definitum.

Dixi *ordinarium* miniſtrum; utrum enim poteſtas confirmandi ſimplici presbytero committi poſſit, ſalva fide in utramque partem diſputatur. Ac negantem ſententiam præter Hugonem Victorinum, Guilelmum Altiſſiodorenſem, Hadrianum ſextum, & quoſdam alios Commentatores Magiſtri in diſtinctionem 7. libri IV. propugnarunt quoque Eſtius in eamdem diſtinct. §. 21. Petrus Aurelius in Anærretico, Nicolaus L'Herminier tom. 1. de Sacram. tract. 3. cap. 7. & viri alii percelebres. Affirmanti tamen adhærent fere omnes ex Thomiſtica Schola, necnon ex Franciſcana familia Antonius Andreæ præclarus Scoti auditor, Richardus de Media Villa, Petrus Cardinalis Aureolus, quos adverſus Suavem Franciſcanis omnibus oppoſitum placitum adſcribentem, laudat lib. IX. cap. 7. H. Concilii Tridentini Eminentiſſimus Pallavicinus. Quibus addam Maiſtrium, Claudium Fraiſen, Hennum, & floreutiſſimæ ſcholæ ceteros. Atque in eamdem ſententiam conſpirant univerſitates, quotquot in manus meas pervenerunt: quos inter excellunt, me judice, Baſilius Poncius p. IV. c. 3. Farvacquez cap. 4. q. 3. qui Aurelio Lovanienſi, Leonardo Vantuy, ceteriſque ſuppeditarunt copiam argumentorum. Plura tradidere pro eadem confirmanda ſententia, ne commemorem ætate noſtra de rebus Theologicis optime meritos, Arcudius, Morinus, Holſtenius. Tam igitur de Epiſcopis, quam de Presbyteris eſt pertractandum: quod tribus poſitionibus mox ſubjiciendis præſtare conabimur.

PROP. I. Miniſter *ordinarius* Sacramenti Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus.

Dixi hanc propoſitionem pertinere ad fidem: Florentinum enim Concilium in Inſtruct. Armeniorum, *Ordinarius* (inquit) *miniſter eſt Epiſcopus, & cum ceteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre*, idque probat ex VIII. capite Actuum Apoſtolorum. Tridentinum pariter ſeſſ. VII. can. 3. hunc de Confirmatione edidit canonem, *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Probatur itaque ex Act. Apoſtolicis: quæ cap. VIII. narrant, Petrum & Joannem profectos Samariam, ut per manuum impoſitionem baptizatos a Philippo Diacono confirmarent. Hoc enim præſtitiſſe Petrum & Joannem tanquam presbyteros, non tanquam Apoſtolos, gratis omnino, & adverſus Veterum traditionem autumant adverſarii. II. Etenim Patres (quod erit probatio altera) ita quod in Actis legitur acceperunt, ut Apoſtolis tantum, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis tribuerint *ordinariam* confirmandi poteſtatem. *Id namque* (ait Chryſoſtomus de facultate conferendi Spiritum ſanctum impoſitione manus, Hom. XVIII. in Acta pag. 580.) *erat donum tantummodo duodecim Apoſtolorum*. τοῦτο γὰρ τὸ δῶρον μόνων τῶν δώδεκα ἦν. Similia Œcumenius laudatus cap. 2. prop. 1. Et Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 450. ad Antiochum pag. edit. Morel. 114. *Petrus, inquit, & Joannes Apoſtoli ab Hieroſolymis ad eos deſcendentes, Spiritus ſancti gratiam eis porrexerunt. Quod ſi is, a quo baptiſmum acceperant, ex Apoſtolorum claſſe, ac numero fuiſſet, Spiritus donandi poteſtatem profecto habuiſſet. At vero baptizabat duntaxat ut diſcipulus: Apoſtoli autem gratiam explebant, & perficiebant, ut qui hujuſmodi muneris tribuendi poteſtatem, atque auctoritatem divino beneficio accepiſſent.* Πέτρος δὲ καὶ Ἰωάννης οἱ ἀπόστολοι καταβάντες ἀπὸ Ἱεροσολύμων πρὸς αὐτούς, τὴν τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου παρέσχοντο χάριν. εἰ δὲ ὁ βαπτίσας ἐκ τῶν ἀποστόλων ἐτύγχανεν, εἶχε τὴν αὐθεντίαν τοῦ τὸ πνεῦμα διδόναι. βαπτίζει δὲ μόνον ὡς μαθητής, τελειοῦσι δὲ τὴν χάριν οἱ ἀπόστολοι οἷς ὁ τῆς τοιαύτης δόσεως αὐθεντία δέδοτο. Eadem ſcribit Innoc. III. cap. *Cum veniſſet*, de quo citato cap. prop. 2. Confirmatur tertio catholica theſis perpetua Eccleſiarum

praxi:

praxi: nam ab Epiſcopis perfici & obſignari baptizatos, & quod in exordio Eccleſiæ ab Apoſtolis, poſtmodum ab antiſtibus ſactum eſſe, diſerte tradunt Cornelius Papa in Epiſtola ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium lib. vi. Eccl. H. Auctor Conſtit. Apoſt. lib. 3. cap. 17. Cyprianus Epiſtola ad Jubajanum, Hieronymus adverſus Luciferianos, ac S. P. Auguſtinus lib. xv. de Trinit. cap. 26. quorum teſtimonia præcitato ſecundo capiti ſunt inſerta. IV. Plura ibidem loca produximus, in quibus ſimplici presbytero, nec non Corepiſcopis prohibetur chriſma conficere, eoque baptizatorum linire frontem: cujus generis ſunt quæ recitavimus ex Epiſtola Innoc. I. ad Decentium, Leonis Magni ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ, & S. Gregorii ad Januarium Calaritanum; quæ omnia invenies eo loci diſpoſita.

Opp. 1. Nihil ex Apoſtolicis Actibus pro ſtabilienda ſuperiori theſi proferri poteſt: nihil ex auctoritate Patrum: nihil denique ex perpetua conſuetudine Eccleſiarum. Infirmis itaque momentis innititur hæc propoſitio. Probatur antecedentis prima pars, quoniam Apoſtoli *charactere ſacerdotali* erant exornati, nec ſatis conſtat, eu confirmarint tanquam Apoſtoli, vel tanquam ſacerdotes. Ananias quoque Act. xi. Saulo recens converſo dedit *impoſitione manus* Spiritum ſanctum, nec tamen Ananias Apoſtolico fulgebat honore. Demonſtratur pars altera, nam S. Ambroſius de Myſt. cap. 6. num. 1. inquit *unctionem unguenti fieri a Sacerdote*. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos ait Epiſcopos *ex conſuetudine, non ex neceſſitate*, miniſtros eſſe Confirmationis, hac ratione producta: *Si ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt, qui in remotioribus locis per presbyteros baptizati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inviſerentur*: & Epiſt. 85. nunc 101. *Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod non facit presbyter?* Etiam Ven. Beda in Pſ. xxvi. affirmat, unctionem, *quæ fit per manus impoſitionem ab Epiſcopis, & vulgo Confirmatio dicitur*, eamdem eſſe cum unctione verticali, licet illa conceſſa non ſit ſingulis Sacerdotibus *propter arrogantiam*; quæ etſi non probent poſſe quoſlibet presbyteros confirmare, probant nihilominus *conſuetudine* tantum, & Eccleſiaſtico jure hanc illis denegatam auctoritatem. Probatur oppoſitionis pars tertia: Ex Pontificali, quod tribuitur Damaſo, Sylveſter omnium primus *conſtituit*, ut ſolus Epiſcopus ſacrum chriſma conficiat, & baptizatum conſignet. Igitur ante Sylveſtrum presbyteri ſinguli & chriſma conficiebant, & confirmabant; ideoque hæc peragere non excedit ordinariam presbyteri facultatem. Idem infertur ex Conciliorum definitionibus, ex quibus oppoſitionem alteram conſtruemus.

Reſpond. nego ant. ad cujus probationem primam dicimus, Joannem & Petrum *tanquam Apoſtolos* confirmaſſe, ſi dandi Spiritus ſancti facultatem manus impoſitione fuerit ipſorum Apoſtolorum peculiare donum: quale revera fuiſſe tradunt diſertiſſime Eccleſiæ Patres, neque obſcure innuunt Acta Apoſtolica; quæ nullibi narrant tali dono condecoratos quoſcunque presbyteros, aut alios miſſos ad neophytos obſignandos, præter Apoſtolos. Nam quod ajunt de Anania, refutatum eſt capite 2. hujus libri, prop. 1. pag. 4. Partem alteram hac ratione diluimus. Ambroſius, qui de Myſt. cap. 6. n. 1. miniſtrum Confirmationis vocat *Sacerdotem*, hoc nomine deſignat *Epiſcopum*: hic enim & *Sacerdos* per antonomaſiam nuncupatur, & ille eſt, *ad quem adſcendebant baptizati egreſſi de fonte*, ut conſtat ex libro iii. de Sacram. cap. 1. nu. 4. ubi perficiens neophytos e baptiſterio adſcendentes non dicitur *Sacerdos* duntaxat, ſed *ſummus Sacerdos*. Hinc PP. S. Mauri in notis tom. 2. pag. 336. recte obſervant Dallæum talia objicientem *ſola locorum inſpectione* refelli. S. Hieronymus ſcribens Epiſcopos confirmare *ex conſuetudine*, non illam conſuetudinem dicit, quæ hominum inducitur arbitratu, ſed quæ Apoſtolicæ innixa eſt traditioni: ait enim eo loci pag. 295. *Quod ſi hoc loco quæris: quare in Eccleſia baptizatus niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui; diſce hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit*. Nec te moveat quod Hieronymus ſubjicit, id factum *ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis neceſſitatem*, nam his verbis nequaquam docet neceſſum non eſſe, ut confirment Epiſcopi, quoniam ipſis condecentia quadam tribuitur id muneris, alioqui ab unoquoque Sacerdote complendum; ſed inquit perficere per Confirmationem baptizatos opus eſſe Epiſcopali reſervatum honori; quoniam Sacramentum iſtud non eſt talis neceſſitatis, ſicut baptiſmus, ut cuivis debuerit miniſterium ejuſdem committi: ſiquidem etiam non conſignati poſſunt ſalutem conſequi. Hinc e veſtigio addit: *Alioqui ſi ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus ſanctus defluit: lugendi ſunt qui in lectulis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per presbyteros, & diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inviſerentur*. Diluit vero difficultatem omnem Helladii fallax aſſertio, quam ibi ſanctus Doctor exagitat, *Manifeſtum eſt poſſe aliquem baptizari, & tamen non habere Spiritum ſanctum*. Ita ſuperiori pagina Luciferianus: cujus nefarium dogma & Hieronymi oſtendit ſcopum, & verba complanat, & elidit adverſantium oppoſitionem. At in Epiſtola 101. ad Evangelum, quam editiones aliquæ falſo inſcribunt *ad Evagrium*, comprimit Hieronymus arrogantiam cujuſdam Felcidii, aut alterius hominis, diaconos præferentis presbyteris: ad hujus autem hominis reprehendendam vecordiam, commendat presbyterorum auctoritatem, *ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur*, eoſque demonſtrat Epiſcopis valde proximos, eo quod *conficiendi corporis Chriſti* eamdem facultatem habeant, hoc tantum excepto, quod hanc Epiſcopi per *ordinationem* presbyteris conferunt. Ceterum omnia Epiſcoporum munera nequaquam proſequitur, ſiquidem id agere non erat hujuſce inſtituti: ac diſerte contra Luciferianos diſputans docet Confirmationem honori Epiſcopatus reſervatam. Aliquid ergo præter *ordinationem* facit Epiſcopus, quod non præſtabat ætate Hieronymi ſimplex presbyter. Poteſt & brevi reſponderi, ita locutum Hieronymum reſpiciendo ad conſuetudinem Eccleſiæ Alexandrinæ, in qua presbyteri permiſſione Epiſcoporum chriſmabant, ut oſtendit Holſtenius cap. iv. Ac venerabilis Beda unctionem verticalem, nec non catechumeni ante baptiſmum, eamdem dicit cum unctione facta ab Epiſcopo confirmante, quantum ad materiam chriſmatis, non quantum ad unctionis efficientiam. Aperte namque in unctione poſtrema agnoſcit *ſacramentum mirum & ineffabile*, eique tribuit *ſalutem, in qua magis firmamur, & nomen Chriſti profitemur*, attribuens unctioni ab Epiſcopo factæ quamdam vetuſti ritus rationem, *in qua ſimpliciter abrenunciamus Satanæ*: ac præterea ſcribens in caput viii. Act. Apoſtol. hæc de Philippo pronuntiat: *Si Apoſtolus eſſet, ipſe utique manus imponere potuiſſet, ut acciperent Spiritum ſanctum; hoc enim ſolis Pontificibus debetur, non autem presbyteris: quibus ſive extra Epiſcopum ſive præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod fuerit ab Epiſcopo conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo conſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cum tradunt Spiritum ſanctum*. Quæ verba ex Epiſtola Innocentii I. ad Decentium videntur exſcripta. Illa præterea objectio, ſi quid evinceret, probaret tantummodo unctionem chriſmatis non pertinere ad *eſſentiam* confirmationis; nec ullatenus hanc de miniſtro catholicam ſententiam labefactaret: quamquam nec illud evincit, cum Beda tribuat eidem unctioni *Sacramenti* peculiarem rationem, atque, ut modo diximus, gratiæ ſpiritalis efficientiam. De Sylveſtro dictum ſupra cap. v. q. 4. conceſſum ab eo presbyteris, ut baptizatum chriſmate linirent in vertice. Nec aliquem movere debet quod in Pontificali legitur, *Conſtituit Chriſma ab Epiſcopo confici, & privilegium Epiſcopis dedit, ut baptizatum conſignent propter hæreticam ſuaſionem*. Eo namque in loco verbum, *Conſtituit*, non priorem inſtitutionem ſignificat, ſed perantiquæ confirmationem, atque declarationem, ut ſcribit Lupus in notis ad Canones viii. Concilii, & prælaudata Annot. in f. 5. majoris hebdomadæ num. 184. **BENEDICTUS** Pontifex Maximus. In quorum ſententiam lubens deſcendo, quod in libro Pontificali paucis interjectis de Silveſtro legimus, *Hic conſtituit, ut ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno tincto celebraretur, niſi tantum in linteo ex terreno lino procreato*; quod tamen ab Euſebio ejus prædeceſſore ſtatutum fertur. Sunt qui reponant libro Pontificali fidem non eſſe adhibendam, cum eo in loco tradat a Silveſtro baptizatum Conſtantinum, condemnatum cum Ario & Sabellio Photinum hæreſiarcham, & celebratam Romanam Synodum, cujus acta non probant viri naris emunctæ. At neceſſum non eſt implicemus nos hiſce tricis, maxime quod baptizatum a Silveſtro Conſtantinum affirment etiamnum Hiſtorici præclariſſimi, ac Photinus revera, non quantum ad perſonam, ſed quantum ad dogma fuerit in Synodo Nicæna prædamnatus. Videſis notas in Anaſtaſium tom. 2. pag. 306. edit. noviſſimæ.

Oppon. 2. Canones Conciliorum aut confirmandi poteſtatem tribuunt presbyteris, aut illis antiquitus collatam fuiſſe ſupponunt. Igitur non ſunt ſoli Epiſcopi *ordinarii* Confirmationis miniſtri. Prob. ant. Illiberitana Synodus celebrata, ut fertur, anno 315. canone 38. & 77. mandat ut baptizatus a diacono *per manus impoſitionem perficiatur*. Ergo non tantum presbyteris, verum etiam diaconis erat olim confirmandi perficiendique facultas. Concilium Carthaginenſe ſecundum celebratum anno 390. canone 3. & Carthaginenſe tertium celebratum anno 397. canone 36. præcipiunt, *ne chriſma conficiatur a presbyteris*. Ante illud ergo tempus, inquit Dallæus, presbyteri conficiebant chriſma, ideoque & confirmabant. Toletanum primum anno 400. canone 20. ita definit, *Statutum eſt, diaconum non chriſmare, ſed presbyterum abſente Epiſcopo; præſente vero, ſi ab ipſo fuerit præceptum*. Epiſcopo itaque abſente presbyter olim ordinaria poteſtate chriſmabat; præſente vero Epiſcopo hujus duntaxat juſſu, atque permiſſione. Arauſicanum 1. celebratum anno 441.

canone

Digitized by Google

canone 1. hæc ſtatuit: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, a presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit.* Igitur conſignare poſſunt presbyteri, ſi non adſit Epiſcopus, urgeatque neceſſitas aliqua. Secundum Hiſpalenſe anno 619. canone VII. declaravit *chriſmationem* presbyteris eſſe prohibitam *novellis Eccleſiaſticis regulis*: ideoque non antiquis, non divino jure, non Chriſti inſtitutione, non profecta ab Apoſtolicis temporibus conſuetudine. Extant demum permulti canones de chriſmate gratis nulloque pretio presbyteris diſtribuendo: quem in uſum, niſi ut chriſmate ab Epiſcopo benedicto & ipſi conſignent baptizatos?

Reſp. hiſce ſacrorum Conciliorum definitionibus nullum poſitioni noſtræ præjudicium illatum iri, ſi concedatur collatam fuiſſe illarum vi presbyteris poteſtatem confirmandi, quam ordinario jure nequaquam habuerint. Præterea ad ſingulos præcitatos canones iſta reponimus. Triceſimo octavo, & ſeptuageſimo ſeptimo Illiberitano decernitur, ut baptizatos in neceſſitate a laico, vel a diacono plebem regente, *Epiſcopus per benedictionem perficiat*; ideoque nec diaconus, nec baptizantium alter, excepto Epiſcopo, habet juxta canones illos jus confirmandi. Vide Conc. Hiſpan. tom. 1. pag. 568. & 726. In Concilio Carthaginenſi 2. ac multo magis in tertio, ſupponitur *chriſmatis confectionem*, quam temere ſibi quidam presbyterorum arrogaverant, etiam antiquioribus definitionibus fuiſſe illis prohibitam: nam in eodem canone tertio Concilii 2. legitur dixiſſe Fortunatum, ſive Fortunatianum Epiſcopum, *Memini præterito Concilio fuiſſe ſtatutum, ut chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum conſecratio a presbyteris non fiant*, tom. 2. Conc. pag. 1160. Et in codice canonum Eccl. Africanæ, eodem Volum. pag. 1050. *In præteritis Conciliis ſtatutum meminimus, ut chriſma, &c.* Canone autem 36. Concilii tertii, hoc diſcrimen ſtatuitur inter conſecrationem Virginum, & confectionem chriſmatis, *ut presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret, chriſma vero numquam conficiat*; de qua verborum diverſitate dictum ſupra. Toletano in canone egi de chriſmatione *Sacramentali*, presbyteris tamen extraordinaria facultate commiſſa, ſentit Chriſtianus Lupus tom. 2. pag. 1424. eo quod unctionem verticalem etiam diaconus baptizans poſſit conficere: idemque ſentit vir præclarus de canone, *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignat infantes, niſi forte illi ab Epiſcopo fuerit præceptum*, qui extat cap. 51. Collect. Martini Epiſcopi Bracarenſis. Ceterum videtur nobis pertractari iſto in canone de unctione duntaxat *verticali*, quam ante Epiſtolam Innocentii primi ad Decentium cum licentia Epiſcoporum Presbyteri uſurpabant. Etenim unctionem illam S. Silveſter conceſſit presbyteris abſente Epiſcopo, & *propter occaſionem tranſitus mortis*, ut legitur in libro Pontif. ſcribitque lib. 2. de Sacram. pag. 7. cap. 3. Hugo Victorinus. Adeas notationes ad hunc Toletanæ Synodi canonem tom. 2. Conc. Hiſp. pag. 148. Innocentius itaque anno 416. indulſit, ut presbyteri chriſmate inungerent *in vertice* baptizatos, *ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo*: cum Toletana Synodus declaraſſet, juxta conſuetudinem inductam ſub Sylveſtro, ut chriſmarent in vertice abſente Epiſcopo; præſente autem, *ſi Epiſcopus præcipiat, & annuat*. Ad canonem Arauſicanum reſpondemus non de ſacramento Confirmationis ibidem agi, ſed de reconciliatione hæreticorum, qui, ut diximus capite primo, recipiebantur pluribus in locis *unctione chriſmatis*, non tamen *Sacramentali*, niſi forte ſacramentum Confirmationis non recepiſſent: de qua re differendum poſtea. Errant enim, qui ubicunque nomen audiunt aut *chriſmatis*, aut *conſignationis*, intelligunt ſtatim ſacramentalem unctionem; quod ſatis commonſtrant quæ nuper diximus de unctione verticali ex Innocentiana ad Epiſcopum Eugubinum Epiſtola, & de conſignatione energumeni ibidem num. 6. presbyteris, ceteriſque Clericis non denegata. Canon poſtremo Hiſpalenſis non ait inhibitam Confirmationem presbyteris decretis tantum recentioribus, ſed *novellis & Eccleſiaſticis regulis*, recentibus ſcilicet, antiquiſque: immo eodem in loco, tom. v. Concil. pag. 1666. non ſolum commendatur veterum canonum auctoritas, verum etiam producitur ratio, quam ſemper neceſſum eſt viguiſſe. Aſſeritur enim *illicitam* eſſe presbyteris chriſmationem, *Quia Pontificatus apicem non habent, quem ſolis deberi Epiſcopis auctoritate canonum præcipitur, ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur.* De ceteris autem decretis latis de chriſmate presbyteris diſtribuendo, cum illius uſus ſit quoque in unctione verticali, & idem chriſma deſervire queat Pontificibus luſtrantibus diœceſes, quicquam adjicere non eſt opus.

Opp. 3. Pluribus in locis Presbyteri *ordinaria* poteſtate confirmant. Nam in Commentariis ad Epiſt. ad Epheſios, quæ tribuuntur Ambroſio, tom. 2. pag. 241. Append. legitur, *Apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus*. Idem legitur apud Auguſtinum in Qq. ex utroque Teſtam. q. 101. Neque dicas Opera hæc eſſe ſuppoſititia, ejuſdemque auctoris, ideſt, Hilarii Diaconi Luciferiani, aut ſcriptoris alterius Damaſo Papæ coævi. Ex hoc enim apparet ſcriptoris antiquitas, quæ & commonſtratur quia in priori Opere ii tantum Eccleſiaſtici Scriptores laudantur, qui Damaſum præceſſerunt, ubique præſertim refelluntur Ariani, Donatiſtæ, Novatiani, ac Photiniani circa Damaſi tempora exorti. In alio quoque Opere, q. xl. connumerantur anni circiter 300. a devaſtatis per Veſpaſianum Jeroſolymis; quod ejuſdem vetuſtatis eſt argumentum. Nec Luciferiani nominis macula his fidem derogat; cum hujus factionis homines nequaquam circa Confirmationem deprehendantur erraſſe. Græci etiam ante Photii ætatem a ſimplici presbytero confirmabantur; eamdemque conſuetudinem aliquando in Eccleſiæ Occidentali obtinuiſſe, patefacit conſequens propoſitio.

Reſp. nihil ex hiſce momentis inferri, niſi presbyteros aliquando confirmaſſe; num vero poteſtate *ordinaria*, an Pontificum indulgentia, atque num valide ac licite, an illicite & invalide, minime affirmet auctor quæſtionum, & prædictorum commentariorum, qui hæc refert quidem, at non approbat. Adde non eſſe manifeſtum de qua *conſignatione* Scriptor ille ſermonem inſtituat, atque in MSS. optimæ notæ, necnon in poſtrema editione Pariſienſi pag. 93. Append. tomi 3. Op. Aug. non legi, *Presbyter conſignat*, ſed, *Conſecrat presbyter*. Quantum ad Græcos attinet, olim baptizatos chriſmate inunctos fuiſſe a ſolis Pontificibus, teſtatur Georgius Pachymeres in *Paraphraſi* Dionyſii de Eccleſiaſtica Hierarchia: de quo vide Allatium de Eccleſiæ Occidentalis & Oriental. perpetua conſenſione lib. 111. cap. 13. pag. 1150. Inſuper Matthæus Blaſtarius, licet ſchiſmaticus, apud Arcudium lib. 2. Concordiæ cap. 11. pag. 84. affirmat neque presbyteros, neque Corepiſcopos habere poteſtatem conſignandi, & impertiendi Spiritum ſanctum; & Gabriel Philadelphienſis apud eumdem Arcudium ſeq. cap. 13. pag. 88. affirmet, *antecedenter hoc Epiſcopis datum eſſe* (ut inungant chriſmate baptizatos) *quibus & ſolis hoc licet conficere. Eccleſiam vero Orientalem non tantum Pontificibus, ſed etiam per ipſos presbyteris poſt ſacram baptiſmatis ceremoniam conceſſiſſe citra ullam culpam unctionem chriſmatis, ne quis baptizatorum hujuſmodi gratia privetur, ſi eum contingat, ut ſunt humanæ res, repentina, atque immatura morte ex hac vita migrare.* Simon etiam Theſſalonicenſis apud Socolovium pag. 33. edit. Cracoviæ, miniſtros *ordinarios* Confirmationis facit ſolos Epiſcopos. Ex quibus conſtat apud Græcos a presbyteris Confirmationem conferri *delegata* facultate, non *ordinaria*.

Opp. 4. Si ſolis Epiſcopis hoc datum eſt, ut baptizatos conſignent, unde venit hæc lex? Quiſnam hujus legis conditor? Apoſtolorumne unus? Aliquis vero Patrum? Num etiam aliqua ex Synodis? Sed ubi, & quando congregata eſt hujuſmodi Synodus? & quorumnam calculis confirmata? Præterea ſi non licet Sacerdotibus eos, qui baptizantur, unguento conſignare; igitur nec omnino ſacra facere, nec baptizare, ut tibi nec dimidiatus Sacerdos, ſed integer ad profanum ſtatum relegetur. Hæc Photius in Encyclica ſuperius commemorata.

Reſp. Photium, qui a Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano in Orat. de unione & pace Eccleſiarum veteris, ac novæ Romæ, jure appellatur *ῥίζα τις, καὶ πάσης κακίας ἀρχὴ, radix quædam, totiuſque mali principium*, a Joanne autem Methonenſi in Epiſtolam Marci Epheſii, *πρῶτος σχισματικῶν, μᾶλλον δὲ αὐτουργὸς καὶ δημιουργὸς τοῦ σχίσματος, Princeps ſchiſmaticorum, immo vero auctor & opifex ſchiſmatis*, in Encyclica illa Epiſtola, ut calumniis atrociſſimis in Latinos, ita ineptis argutiunculis abundare. Quod ad præſens attinet inſtitutum, propugnata a nobis lex continetur in Apoſtolicis actibus, ad quorum lectionem ſicut olim Luciferianos amandavit Hieronymus, ita nunc mittimus Photium, ceteroſque ſchiſmaticos. Si Patrum teſtimonia quærit; illum obruere poſſumus nube teſtium, non Latinorum tantum, ſed & Græcorum, magni etiam Chryſoſtomi, Iſidori Peluſiotæ, aliorum. Oſtendemus quoque Orientalis Eccleſiæ morem primævum, ipſis e Græcia accitis ſcriptoribus: nec verbis verba retundimus, ſiquidem quod affirmamus nos poſſe, illud jam egimus. In altero quoque argumento Photius ratiocinatur inepte. Etenim ſi quiſquis baptizare poteſt, poteſt & conſignare; quare Diaconus, qui in neceſſitate baptizat, in neceſſitate nequaquam conſignat? Si non eſt *dimidiatus* Sacerdos, qui conficit Euchariſtiam, ſed Ordines ſacros non confert, quoniam hæc diverſa ſunt munera, diverſaque connotant ſacramenta; cur ſacerdos *dimidiatus* dicendus eſt, qui conſecrare poteſt, confirmare non poteſt? Quod ſi quæras, cum Sacerdos conferat baptizato Euchariſtiam, Sacramentum nempe omnium maximum ac præſtantiſſimum, quam ob rem confirmare non poteſt ipſummet baptizatum? primum id viciſſim a te petam, cur pariter non poteſt ſacerdos conficere chriſma, quod utique non eſt tam amplum ſplendidumque, ut conſecrare corpus Dominicum? Deinde vero dico reſervandum fuiſſe *apici Pontificatus* ſacroſancti chriſmatis miniſterium: quod Dionyſius, ſive quiſquis auctor eſt libri de Hierarchia, cap. 5.

pag.

Pag. 360. ex eo demonſtrat, quod licet e ſacerdotibus veneranda quædam Sacramenta conficiantur; virtus tamen Ordinis Hierarchici per omnes ſacros ordines myſteria perficit, unde nec ſacerdos divinæ communionis myſteria conſecrat, niſi impoſita altari chriſmate delibuto, quin ne ſacerdos quidem eſt, niſi Pontificiis initiationibus ad ſortem iſtam fuerit promotus. *Quapropter* (inquit) *lex divina Hierarchicorum Ordinum ſanctificationem, divinique unguenti perfectionem, ſacramque altaris benedictionem perficientibus divinorum Pontificum virtutibus ſingulariter attribuit*, Ὅθεν ἡ θεία θεσμοθεσία τὴν τῶν ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιαστείαν, καὶ τὴν τοῦ θείου μύρου τελείωσιν, καὶ τὴν ἱερὰν τοῦ θυσιαστηρίου τελετουργίαν, ταῖς τῶν ἐνθέων ἱεραρχῶν τελεσιουργοῖς δυνάμεσιν ἰδικῶς ἀπονέμουσα. Erat ergo Confirmatio, quæ baptizatorum *perfectio* eſt, & myſterii regenerationis conſummatio, Pontificibus reſervanda; maxime quod ad illos attinet deſignare milites Chriſti, quod & in Reipublicæ regimine faciunt imperatores ducesque exercituum.

PROPOSITIO II. Etiam ſimplex Sacerdos poteſt ex diſpenſatione, ſive *extraordinaria* facultate conferre ſacramentum Confirmationis.

Demonſtratur 1. ex decreto Eugenii lato in Florentina Synodo, tom. XIII. Conc. pag. 536. ubi poſtquam definitum eſt *ordinarium* Confirmationis miniſtrum eſſe Epiſcopum, idque comprobatum ex cap. 8. Actuum Apoſtolicorum, hæc ſubjiciuntur: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe ſacramentum*. Neque enim tam aperto teſtimonio reſponderi poteſt, perperam decretum illud laudari ſub nomine Florentini Concilii, nec Eugenium aliud aſſerere, quam id legi *apud Scholaſticos aliquos*, non autem id revera fuiſſe factum; ut poſt Guilelmum Eſtium diſt. VII. §. 22. reponit pag. 420. Nicolaus L'Herminier. Nam hujus reſponſionis partem primam abunde refellit appendix cap. quarti. Partem alteram conterit quod continetur in illius decreti proloquio, latum nempe illud *poſt non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem, quæ ex SS. Eccleſiæ Patribus & Doctoribus deducta ſunt, & earum, de quibus agebatur, rerum diſcuſſionem*; tum eo fine propoſitum, *ne ulla in futurum de fidei veritate apud Armenios dubitatio eſſe valeat, atque idem per omnia ſapiant cum Sede Apoſtolica*; illic demum contineri *ſub quodam brevi compendio Orthodoxæ fidei veritatem*. Quæ penſitantes illuſtres viri, ut Soto, Poncius, & alii non tantum propoſitioni ſubſcribunt noſtræ, verum etiam cenſent ad fidem pertinere: quod tamen ob præclaros Theologos ſentientes oppoſitum, aut diſputantes in partem utramque, non auſim definite pronuntiare. Accedit in veritatis præſidium, quod propoſita a Latinis in Florentino Concilio ex quæſtione, *Quare Epiſcopi non ungunt ſacro chriſmate, ſed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus ſit datum?* Dorotheus Mitylenenſis Metropolita eamdem cum quibuſdam objectis aliis quæſtionem, *canonice legitimeque diſſolvit*. Videatur tom. XIII. Concil. pag. 526. & Lupus tom. 2. in canones Conciliorum pag. 1424. Ludere autem operam videtur Nicolaus L'Herminier reponens ignorari quid objectioni Latinorum reſponderit Mitylenenſis; quando ſcriptor Synodalium Actorum de eo teſtatur *omnia canonice & legitime* diluiſſe, præter creationem Patriarchæ Conſtantinopolitani, eitumque conjugalis vinculi relaxandi: nec Eugenius, aut Florentina Synodus Græcorum conſuetudinem condemnavit. At de Florentina Synodo hactenus. II. Tridentina quoque, dum ſtatuit ſolum Epiſcopum miniſtrum eſſe Confirmationis *ordinarium*, innuere vult haud repugnare, quin *ex delegatione* hujuſmodi miniſterium committatur presbytero. Quamquam vero id minime expreſſit Synodus veneranda, propterea quod nullum vellet afferre ſcholarum placitis præjudicium; ut novimus tamen ex ejuſdem Synodi Hiſtoria conſcripta a Cardinali Pallavicino lib. IX. cap. 7. cum aliqui mallent articulum illum omitti, aliqui ex præcitata Synodo Florentina reponerent Romanos Pontifices gravibus de cauſis indulſiſſe presbyteris ut confirmarent, modo adhiberent chriſma ab Epiſcopo conſecratum, & Nobilius etiam Acienſis contenderet, quod etiamnum ajunt adverſarii, factum ibi narrari, non articulum definiri; ad illum tamen modum editus eſt articulus, quod *fere omnes in ſancti Thomæ ſententiam veniebant, quam præſtantiſſimi ſcholaſtici amplectebantur, poſſe hujuſmodi facultatem Pontificia delegatione ad ſimplices Sacerdotes extendi*. III. Revera aliquando presbyteris poteſtas confirmandi tum in Occidentali, tum in Orientali Eccleſia reperitur conceſſa. Atque de Eccleſia Occidentali occurrit primum Epiſtola S. Gregorii Magni ad Januarium Calaritanum Epiſcopum. Ad hunc ſcripſerat olim Gregorius Epiſt. 9. libri IV. pag. 689. juxta Innocentii primi ad Decentium Capitula, receptamque conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, *Epiſcopi baptizatos infantes ſignare bis in frontibus non præſumant; ſed presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte*. Quod cum ægre ferrent Sardinienſes presbyteri, indeque exoriri ſcandala Januarius Gregorio ſignificaſſet, reſcripſit is epiſtola 26. ejuſdem libri pag. 705. tom. 2. *Nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus; ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos tangere debeant concedimus*. Quibus in verbis Gregorius ut confirmarent indulſit presbyteris Sardinienſibus. Neque vero me latet quanta ad infringendam vim hujus argumentationis ingerantur. Ac primo quod reſpondet Durandus in IV. diſt. 6. q. 4. *Neſcio, cur non poſſit dici, quod Gregorius, cum fuerit homo & non Deus, potuerit errare*, utpote emendicatum, & liberiori prolatum ore, confutatione noſtra non indiget. Quod autem inquiunt Hadrianus & Eſtius eodem lib. IV. diſt. 7. necnon Petrus de Marca ad canonem 28. Concilii Claromontani, & L'Herminier tom. 1. de Sacram. pag. 419. accipiendum eſſe Gregorium *de unctione quadam cærimoniali*, non de Confirmatione, quoniam emendati codices legunt *baptizandos*, non *baptizatos*; quoniam Gregorius pro cauſa prohibitionis ſuæ attulit ſolummodo uſum Romanæ Eccleſiæ, & unctionem quidem frontis permiſit, ſed non *formam* verborum; quoniam denique ſcandalum quorumdam gravis non erat cauſa, nec rationalis, & urgens, qualem requiri in hujuſmodi diſpenſatione declarat Eugenius IV. quod, inquam, hi dicunt, nequit præmiſſam argumentationem labefactare. Enimvero poſteriori Epiſtola Gregorius conceſſit, quod vetuerat præcedenti, ut ſcilicet presbyteri ſignarent baptizatum in fronte, & quod poſt baptiſmum faciendum erat ab Epiſcopo: id vero quis negabit eſſe veram propriamque Confirmationem? At enim, inquis, emendati Codices *baptizandos* habent, non *baptizatos*: de ritu ergo inter baptizandum uſurpato Gregorii accipienda ſunt verba. Minime. Quis unquam audivit inter baptizandum chriſmate liniri frontem? quiſnam ait novum hunc ritum in Sardiniæ inſula viguiſſe? Irrepſerat utique conſuetudo, ut presbyteri baptizatum ſignarent in fronte, quem poſtea Epiſcopi iterum conſignabant; nam conſuetudinem illam arguit Gregorius ſcribens priori Epiſtola, *Epiſcopi baptizatos infantes ſignare bis in frontibus non præſumant*. Eam itaque conſuetudinem, quam SS. Pontifex primum coercet, deinde ad ſcandala avertenda permittit, eſt conſignatio frontis, quam ſemel perficiunt Epiſcopi, & quam Sardinienſes presbyteri ſibimet arrogabant, poſt baptiſmum, non inter baptizandum uſurpata. Nec te permoveat, quod Gregorius ait *baptizandos*; nam ſcripſerat paullo ſupra, *Pervenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod presbyteros chriſmate tangere eos, qui baptizandi ſunt, prohibuimus*; ubi vides *baptizandos* dici jam baptizatos; quod nempe infantes, qui baptizabantur, eodem fere tempore confirmarentur. Deinde conceſſionis ejus reſtrictio, *ubi Epiſcopi* deſunt, evincit Gregorium de illa chriſmatione loquutum, quæ Epiſcopis reſervatur. Quare lectio, quæ habet *baptizandos* ob veterum Codicum auctoritatem commode retinetur, tametſi conatur illam eliminare cap. 15. de Sacram. Conf. pag. 77. Joannes Morinus. Nec levis erat Gregorio cauſa diſpenſationis illius, ſcandalum Sardinienſium, vigenſque apud illos conſuetudo, ſive ex commercio Græcorum, ſive ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ derivata. Quod ſi Gregorius *formæ* verborum non meminit, nec illam eo loci commemorat, ubi ait, *Epiſcopi ungere debent in fronte*; nec novum atque inuſitatum eſt, ſed in ſcriptis Eccleſiaſticis pervulgatum, ut idem ſit *Confirmare*, ac, *Frontem ſignare chriſmate*. Sat eſt perlegere ſæpius laudatam Epiſtolam Innocentii ad Decentium Epiſcopum Eugubinum cap. 3. Atque hinc patet non erraſſe Gratianum, qui diſt. 95. cap. 2. ait Gregorium *pro ſcandalo ſedando* ſemel conceſſiſſe presbyteris facultatem *conſignationis Pontificalis*. IV. Quamvis Eugenius IV. recte affirmet presbyteros confirmantes adhibuiſſe confectum ab Epiſcopo chriſma, tamen etiam hoc datum quandoque presbyteris, ut chriſma conficerent: quod ego ſane non demonſtrabo ex Laodiceno, Toletano, & Bracarenſi, aliiſque Conciliis, quibus ſtatuitur, ne in poſterum presbyter chriſma conficiat, unde Joannes Morinus cap. 13. & Lucas Holſtenius cap. 4. de Miniſtro Confirmat. inferunt presbyteros olim chriſma alicubi conſecraſſe. Dixi enim ſupra id e Conciliis reprobari; nec apparere quo jure presbyteri hoc attentarint: ſed addo teſtimonium expreſſius, de quo Mabillonius tom. 1. Muſei Italici, ideſt, Joannis Diaconi in Epiſtola ad Senarium ſcribentis: *Sed nec illud tangat animum quod ſibi aliquando quædam vis neceſſitatis aſſumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri ſanctum chriſma conficiant: quod merito moveret, ſi iſtam Pontificalis auctoritas licentiam non dediſſet: unde conſtat a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum neceſſitate ut a presbyteris effici poſſit ſuperior Ordo conſtituit*. Quod ſi poteſt concedi presbyteris facultas conficiendi chriſmatis, quemadmodum & ego aſſerui cap. 5. prop. 4. quanto magis concedi eis poterit licentia conſignandi chriſmate ab Epiſcopo conſecrato? V. Non ſemel Romani Pontifices eamdem facultatem presbyteris conceſſere. Hadrianus Sextus, etſi in IV. ſent. docuerat oppoſitum, evectus tamen ad ſummum Pontificatum indulſit Franciſcanis, ut in Indiis adminiſtrarent Confirmationem, extatque autographum hujus facultatis exemplar in Cœ-

Digitized by Google

in Cœnobio S. Franciſci Hiſpalenſi. Atque ante Hadriani diploma iiſdem Patribus Minoribus per Orientis & Septentrionis regiones facultatem illam conceſſerat Joannes XXII. ut refert Wadingus ad annum 1447. numer. 16. Aliud conſimile privilegium Eugenii IV. producit idem Scriptor ad annum 1444. n. 45. Laudes & alia a Nicolao IV., ab Urbano V. & Eugenio IV. emanata: quorum omnium ampliſſimam confirmationem conceſſam a Leone X. narrat idem Wadingus ad annum 1521. nec Wadingus ſolus; alium Henriquez lib. 3. de Confirmat. cap. 6. Suarez diſput. 36. art. 11. ſect. 2. Pallavicinus præcitato lib. 12. cap. 7. ut mittam Arcodium, Farvacqueſium, Morinum, & recentiores quamplurimos. Addit Arcudius lib. 2. cap. 15. ſe accepiſſe a Ludovico Fonſeca ex Indiis Romam miſſo ad Generalia comitia S. J. an. 1593. ab eodem Fonſeca, aliiſque paſſim in Indiis hoc Sacramentum adminiſtratum indulgentia Romani Pontificis, cujus illic legitimum diploma aſſervabatur. Id Patribus Societatis indultum a Gregorio XIII. ſcribit etiam Baſilius Poncius p. 4. cap. 3. ubi ulterius inquit audiviſſe ſe nonnullos, *qui miniſtraſſe hoc Sacramentum ex ea diſpenſatione aſſererent*: atque id notavit etiam Farvacquez in Opuſculo de Confirmat. pag. 125. Audio Nicolaum L'Harminierum inſiſtentem aliorum recentiorum veſtigiis reſpondere pag. 422. *aut falſam eſſe data hæc privilegia, aut id factum contra canones, adeoque nullius eſſe ponderis*. In hanc opinionem inclinat etiam Continuator Vitaſſii, qui de hac quæſtione *problematice* diſputat, propterea quod Arcudius cit. cap. 15. pag. 90. ſcribat diploma Pontificium Hadriani VI. quod Hiſpali aſſervatur, datum fuiſſe *anno* 1521. *die* 25. *Aprilis*; cum Hadrianus electus ſit die 9. Januarii 1522. atque illud Arcudius Hadriano, Franciſcus vero de Pitigianis tribuat Leoni X. Ita Scriptor paullo ſupra laudatus pag. 471. Ven. edit. Sed quis credat tot eximios, probatoſque viros, qui ea diplomata legerunt, & cum iis, quibus conceſſa ſunt, habuerunt ſermonem, Wadingum, Arcudium, Baſilium Poncium, alioſque fuiſſe mentitos? Quis etiam audeat violationis canonum inſimulare Romanos Pontifices, quorum eſt ipſorum canonum cuſtodia, moderamen, interpretatio? Unum aiſt, in quo erravit Arcudius, quod nempe diploma anni 1521. tribuerit Hadriano: illud revera eſt Leonis X. & habetur quoque in Collectione Privileg. Regularium Emmanuelis Roderici pag. edit. Tournoni 294. Si hunc adeas, percipies quam inſulſæ ſint, ineptæque recentiorum quorumdam cavillationes; invenies diploma integrum: videbis non ſolum miniſtrandi Confirmationem, verum etiam conferendi minores Ordines, *Epiſcopis in provincia non exiſtentibus*, exercendique alia complura munera Pontificalia facultatem Franciſcanis concedi: audies & commemorari conceſſiones prædeceſſorum Pontificum, Nicolai IV. Joannis XXII. Urbani V. & Eugenii IV. Atque audeat Rodericum fabricaſſe proprio marte Pontificium diploma, arbitror neminem unum, qui id excogitet, futurum fore. VI. Apud Orientales pariter collata fuit presbyteris confirmandi poteſtas. Photius enim præcitata ad Orientales Patriarchas Encyclica, dum in Latinos invehitur quod Bulgaros confirmatos a Græcis presbyteris iterum confirmaſſent, quamquam injurioſe debacchatur, ſupponit jamdudum apud Græcos morem invaluiſſe, ut presbyteri confirmarent. Ita enim erecta fronte loquitur: *Num reperitur aliquis, qui talem unquam auribus acceperit inſipientiam, quam iſti mente capti audere non dubitarunt, illos videlicet, qui ſemel tincti ſunt, chriſmate iterum chriſmantes?* Et ibidem, *Illos qui a presbyteris chriſmate uncti fuerant, iterum chriſmare ipſi non horruerunt, Epiſcopos ſe ipſos jactitantes, & presbyterorum chriſma inutile, & fruſtra ab illis adminiſtrari portentoſe docentes*. Refert hanc Epiſtolam Baronius ad an. 863. num. 37. Pagius ad an. 867. num. 3. de ea item loquitur Annaliſta Bertinianus ad eumdem annum num. 42. Flodoardus in Hiſt. Eccl. Remenſis lib. 3. cap. 7. Ex qua Epiſtola infertur etiam ante exortum Photianum ſchiſma presbyteros in Græcia chriſmaſſe. *Quis enim*, inquit Holſtenius, *hominem cetera vecordem, Patriarchis ſummis Orientalis Eccleſiæ præſulibus hæc ſcripturum, & ad receptam Eccleſiarum conſuetudinem provocaturum exiſtimet, ſi ipſe tum primum novo exemplo contra morem univerſalem presbyteris chriſmationem permiſiſſet, ceteris Eccleſiis contrarium obſervantibus?* Accedit ex Epiſtola Hieronymi ad Evangelum, ex Commentariis in Paulum inſcriptis Ambroſio, ex Auctore quæſtionum ex utroque Teſtam. quæ omnia monumenta ætatem Photii longe præcedunt, videri, etſi non adeo perſpicue, ut contendit idem Holſtenius, apud Alexandrinos *ex delegatione* presbyterum confirmaſſe. Dictum præterea paullo ſupra in Florentino Concilio Græcos inter Latinoſque initam unionem, cum Epiſcopus Mitylenenſis Eugenio Papæ de objectis noſtratium κανονικῶς, ἢ νομίμως *canonice, & legitime* ſatisfeciſſet. Addam modo diſſidium de miniſtro Confirmationis ita fuiſſe compoſitum, ut nullum unioni afferret impedimentum, facta Græcis libertate, ut receptis tribus articulis de proceſſione Spiritus ſancti a Patre, & Filio, de pœnis animarum purgatoriis, ac de præſenti animarum ſanctarum gloria, ſervarent in aliis morem Eccleſiæ ſuæ. Id vero probatur, eo quod nec ex litteris unionis, neque ex actis aliis ſacroſancti Concilii conſtet coactos fuiſſe Græcos ad conſuetudinem illam repudiandam. Sanctus præterea Antoninus Florentinus Archiepiſcopus 3. p. Chron. tit. 22. cap. 11. pag. edit. Lugdun. 531. hæc ſcribit: *Errabant Græci in tribus communiter*, atque his recenſitis, *In aliis ritibus ſuis, qui non important hæreſim (licet rationabiliores ſint ritus Eccleſiæ Occidentalis ſeu Romanæ) fuerunt permiſſi manere*. Gregorius item Hieromonachus, & magnus Protoſyncellus in Confutatione Epiſtolæ Marci Epheſii, quæ extat tom. XIII. Concil. pag. 739. de Confirmatione ſcribit, *In noſtra unione nihil habuerunt, quod nobis objicerent* (nihil grave, quod Mitylenenſis non diſſolviſſet) *ſed cum eſſemus orthodoxi, habiti ſumus ab orthodoxis orthodoxi*, ἐν τῇ ἑνώσει ἡμῶν οὐδένα λόγον ἔσχον εἰπεῖν καθ᾽ ἡμῶν, ἀλλὰ ὀρθόδοξοι ὄντες παρὰ τῶν ὀρθοδόξων ὀρθόδοξοι ἐκρίθημεν. Propoſitione præced. in reſp. ad 3. retuli teſtimonium Gabrielis Philadelphienſis facultatem delegatam presbyteris comprobantis. Igitur ob hæc momenta ex pluribus aliis, quæ non videntur adeo inconcuſſa, ſelecta a nobis & illuſtrata, aſſentientibus poſſe delegari presbyteris facultatem confirmandi, pollice utroque ſubſcribimus.

Opp. 1. Liquet ex argumentis præcedenti poſitione productis, ſacrarumque litterarum, Patrum, Romanorumque Pontificum firmatis auctoritate, ſolos Epiſcopos eſſe Confirmationis miniſtros, quoniam ſoli Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, atque confirmare neophytos munus eſt ſpectans *ad apicem Pontificalis dignitatis*. Reſp. ea omnia eſſe accipienda de miniſtro Confirmationis *ordinario*, quandoquidem Romani Pontifices judiciorum Eccleſiaſticorum ſumma Capita, nec non Generalia Concilia iſtam nobis interpretationem ſuppeditarunt, præſertim Eugenius IV. & Synodus Tridentina. At eamdem comprobarunt Pontifices illi Maximi, qui confirmandi poteſtatem conceſſere presbyteris, qui cum Græcis habuerunt vinculum unionis, illorum conſuetudinem non reprobantes, & qui ſententiam noſtram in re tam gravi, in qua agitur de legitimo Sacramenti miniſtro, ſinunt a Theologis innumeris, & JCC. celeberrimis propugnari. Neque dicas ſententiam quoque oppoſitam defendi a pluribus Scholaſticorum, Sede Apoſtolica conſentiente. Ex ea namque, licet falſa, nullum conſequitur incommodum. Quid enim ſi Epiſcopi duntaxat confirment? Nonne proprio funguntur munere? Nonne Occidentalis Eccleſiæ ſervant perantiquam conſuetudinem? Doceant ergo quidam Scholaſtici ſolos Epiſcopos eſſe miniſtros Confirmationis, non poſſe id muneris demandari presbytero; nullum ex hoc errore oritur præjudicium. At ſi obtineat ſententia noſtra, eaque falſa ſit; nonne illegitimæ conceſſiones factæ Miſſionariis ad extremas mundi plagas profectis? Nonne ſub ſacramenti nomine impune ab his fieret divini chriſmatis abuſus ſacrilegus? Neceſſum eſt ergo, ut ſi ſententia noſtra eſt falſa, proſcribantur cum S. Thoma celebriora ſcholarum lumina, Juriſconſulti omnes, & qui in canones ſacroſque ritus ediderunt commentaria. Quod ſane non eveniet, quoniam theorematis hujus producuntur exploratiſſima munimenta.

Præterea opponet: At Pontifices declararunt, neque *ex delegatione* poſſe committi presbyteris, ut confirment. Principio Nicolaus I. mandavit Legatis miſſis ad Bulgaros, Paulo Populonienſi, & Formoſo Portuenſi Epiſcopis, *ut omnem ritum Chriſtianæ fidei, ſicut ab ipſo inſtructi fuerant*, edocerent gentem illam, ut ſcribit Anaſtaſius pag. 220. edit. Regiæ Pariſienſis. Iidem autem Legati in Bulgariam profecti non ſolum Photii reprobarunt ordinationem, verum etiam *omnes Bulgariæ principes, & ſubjectos chriſmate iterum inunxerunt*, auctore Metrophane Metropolita Smyrnenſi in Epiſt. ad Manuelem Patricium, & Logothetam Dromi, tom. VIII. Concil. pag. 387. Atque hinc litium ſeminarium, & objecta Græcorum, quæ recenſet ipſemet Nicolaus I. in Epiſtola ad Hincmarum apud Baronium ad an. 867. n. 50. inter quæ illud eſt, *Et inſimulare tentant, quoniam eoſdem presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes prohibemus*. Immo objectum illud in Francorum Annalibus editis a Pithœo, & laudatis eodem an. a Baronio num. 64. his concipitur verbis; *Quod alicubi conceſſam presbyteris ut baptizatorum frontes liniant chriſmate, ex magna cauſa ſit diſpenſatum*. Itaque nec *ex delegatione* presbyteris fas eſt confirmare; alioqui nec legati Pontificii abſque ſacrilegio iterum chriſmaſſent delinitos a presbyteris Græcis, neque id probaſſet ſummus Pontifex Nicolaus, neque Græcorum objectum cenſendum fuerat probroſa, falſaque inſimulatio. Inſuper Innocentius III. cap. 4. *Quanto*, Extra de Conſuetudine, ad Lucium Vicarium apud Conſtantinopolim conſtitutum hæc ſcribit, *Pervenit ſane ad audientiam noſtram, quod quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim ea Sacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſtolorum tempore vita fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt Sacramentum Confirmationis, quod chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre.*

ferre. Et infra, *Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus presbyteris diſtrictè prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant.* Pariter Innocentius IV. in Conſtitutione *Sub Catholicæ*, edita anno 1254. cum accepiſſet inter Archiepiſcopum Nicoſienſem, & ejus ſuffraganeos Latinos ex una parte, & Epiſcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibuſdam articulis diſcordiam fuiſſe ſubortam, reſcripſit Epiſcopo Tuſculano Legato Apoſtolicæ Sedis, mandans ut quædam ſervarentur, inter quæ §. 2. id præſcriptum eſt, *Soli autem Epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet niſi per Epiſcopos exhiberi.* Ad hæc Clemens VIII. anno 1595. ut diximus capite præcedenti, juſſit, *ut Epiſcopi Latini infantes, ſeu alios baptizatos a presbyteris Græcis de facto chriſmate in fronte conſignatos confirment*: quod cum minime mandatum ſit ob Græcanicæ formulæ deficientiam; cur, quæſo, juſſum eſt, niſi quia presbyter, etiam Græcus, avitumque morem ſectatus, tanquam miniſter illegitimus, contulit ſacramentum nullum, ac irritum? Idem denique, quod Clemens VIII. ſtatuit confirmavitque præterito anno 1742. in Conſtit. *Etſi Paſtoralis*, Sacramentariarum rerum, veterumque rituum, ſi quis unquam, ſcientiſſimus BENEDICTUS XIV.

Reſp. Cum presbyter ſit miniſter ſacræ Confirmationis *extraordinarius* duntaxat, & *ex delegatione*, illud ſemper Romana Eccleſia in Græcis damnavit, quod exiſtimarint horum nonnulli presbyterum eſſe hujus ſacramenti *ordinarium* miniſtrum, inductamque apud illos conſuetudinem talis eſſe roboris, ut quamquam Græci presbyteri Latinis Epiſcopis ſubjiciantur, aut ſummus Eccleſiæ Rector, Romanus Pontifex, jubeat, ut iidem presbyteri ſervent conſuetudinem Occidentalis Eccleſiæ, in qua conſignant ſoli Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi, & nonniſi perraro, & urgenti aliqua cauſa impellente, id muneris presbyteris fuerit delegatum; adhuc tamen iidem Græci, ſchiſmatum amatores, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ignari contendant poſſe ſuæ gentis presbyterum ubique terrarum neophytos conſignare. Quod utique ſupinus eſt error: cum *ſignare frontem* baptizatorum ſpectet *ordinario jure* ad ſolos Epiſcopos; ad presbyteros autem *delegatione* tantum, atque indulgentia; immo & ad hoc neceſſaria ſit, ut dicam infra, aut permiſſio ſummi Pontificis, & expreſſa conceſſio, ubi degunt Latini Epiſcopi; aut univerſalis conſuetudo, & ſummi Pontificis tolerantia, ubi ſedent Epiſcopi Græci. Faciunt ergo ad errorem illum eliminandum commemoratæ nuper Pontificiæ Conſtitutiones. Ac primum quantum attinet ad Nicolaum, miſſa ea quæſtione, an omnium primi Chriſtianam fidem in Bulgaria diſſeminarint Græci, an Latini; certiſſimum eſt an. 866. Regem Bulgarorum Michaelem, miſſis Romam filio ſuo pluribuſque Regni proceribus, a Nicolao poſtulaſſe, ut ad ſe Latinos Epiſcopos presbyteroſque dirigeret. Hoc enim tradunt ipſe Nicolaus in Epiſt. 70. ad Hincmarum, Anaſtaſius in ejus Vita, Annales Bertiniani, ac Fuldenſes, & Hiſtorici alii quampluſimi. Cum autem Legati ad Bulgaros perveniſſent, invenerunt dogmatum ac rituum maximam confuſionem, atque inter Græcos, Armenios, alioſque, Apoſtolos & veros, & falſos, etiam presbyteros Photianos, qui chriſmate a Pſeudopatriarcha conſecrato illic neophytos conſignabant: quidam etiam Græci presbyteros ſe jactabant, cum non eſſent; omneſque chriſma tantum in Græcia naſci, nos aquam fluminis pro chriſmate adhibere eſtimiabantur. Quæ omnia conſtant ex Reſcriptis Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum, Tom. VIII. Concil. pag. 516. & ex præcitata Epiſtola ad Hincmarum pag. 470. Tunc vero temporis Bulgaria ſubjiciebatur Apoſtolicæ Sedi: quoniam, ut affirmant in VIII. Synodo Generali eodem Volum. pag. 893. Legati Romanæ Eccleſiæ, Bulgaris annuentibus, jam ipſi Romanæ Eccleſiæ ſubjecta erat utraque Epirus, totaque Theſſalia, atque Dardania, in qua & Dardania civitas, cujus patria Bulgaria a Bulgaris dicta eſt: deinde ipſi Bulgari Sedis Apoſtolicæ ſemet ſpecialiter patrocinio, & ordinationi commiſerant, atque Sacerdotes Romanos ultronea voluntate elegerant ſibi magiſtros: exceperant præterea cum honore Legatos Nicolai, & Imperator Bulgarorum Michael capillis comprehenſis, in omnium conventu dixerat, *Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoſcant ab hodierna die me ſervum fore poſt Deum beati Petri, ejuſque Vicarii.* Videſis Lupum tom. 2. pag. 1405. Ideo ergo Epiſcopi Latini confirmarunt Bulgaros, tametſi conſignatos a Græcis, quoniam hi miſſi fuerant a Photio *mœcho, & invaſore*, ideoque non erant *legitime delegati*; & conſignabant præterea in provinciis Sedi Apoſtolicæ ſubjectis, atque renitente Rectore Eccleſiæ ſupremo. Contendebant inſuper Photiani illi presbyteri, ut conſtat ex Annalibus in objectione laudatis, non eſſe *ex diſpenſatione*, quod alicubi presbyteri liniant chriſmate frontes baptizatorum; & idcirco prætracte conſignare audebant adverſus inhibitiones Romanæ Sedis, ſacrilege, illegitime, pervicaciter. Dicam nunc de Innoc. III. Revera ejus Reſcriptum cap. *Quanto*, præcitatis verbis comprehenditur etiam in edit. Romana Decretalium an. 1582. pag. 87. Spectat tamen ad ſolos presbyteros Latinos Conſtantinopoli commorantes; unde ita lectio reſtituenda eſt, *Omnibus Latinis presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis*. Ita legunt Jureconſulti recentiores cum Emmanuele Gonzalez tom. 1. pag. 166. in quam lectionem cum intendiſſem animum, adverti ſimiliter legi in editione Antuerpienſi anni 1570. pag. 38. atque in Romana elegantiſſima Epiſtolarum Innocentii an. 1543. pag. 396. ne alias commemorem minoris pretii. Quare conſtat cap. *Quanto* prohiberi Latinis presbyteris inter Græcos degentibus, ne ſibi conceſſum putent, quod toleratur in Græcis. At Innocentius IV. *in ſola Cypri inſula*, non in reliquis Eccleſiis Orientalibus juſſit, ut ſoli Epiſcopi conſignarent, propterea quod ſubortis circa hanc materiam diſſidiis, melius eſt, ut Occidentalis Eccleſiæ, quam Orientalis ſerventur ritus, atque dum adſunt Epiſcopi Confirmationis *ordinarii* miniſtri, non conſignent presbyteri. Hinc in eadem Conſtit. §. 2. jubet Pontifex, ut in eodem Cypri regno *Græci in unctionibus, quæ circa baptiſmum fiunt, morem Eccleſiæ Romanæ teneant & obſervent*; cum tamen presbyteri Albanenſes inungant pectus, medium dorſi, aures, pedes, ac manus, quod apud nos non ſervatur: atque in hoc ritu impediendos non eſſe, *niſi adſit contraria conſuetudo*, definiat BENEDICTUS XIV. in prælaudata Conſtitut. *Etſi Paſtoralis*, §. 2. num. 3. De Clemente VIII. dictum ſupra, prohibuiſſe eo loci ſummum Pontificem Græcis presbyteris baptizantibus, ne conſignent, ac mandaſſe ut prætermittant, quæ in ipſorum Euchologio ſequuntur poſt illa verba, *καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν*, uſque ibi, *οἷον ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου*, hoc eſt, *Et poſt orationem*, (ubi habetur forma hujus conſignationis) uſque ad verba, *Poſtea facit ſacerdos figuram circuli*. Dictum quoque Clementem id præſcripſiſſe Græcis, aut Albanenſibus degentibus *ſub Latinis Epiſcopis*, non ceteris univerſis; immo & prudentiſſime hortatum eſſe, ut Latini Epiſcopi confirmantes neophytos obſignatos in fronte a ſacerdotibus Græcis, *cum cautela, & ſub conditione id faciant*. Igitur a Clemente VIII. permittitur, ut, ubi Latini non ſedent Epiſcopi, teneatur mos pervetuſtus, ſiquidem decreta ſua his limitibus coarctat & circumſcribit. Atque idem non ſolum præſtat ſapientiſſimus BENEDICTUS dirigens Conſtitutionem *Etſi Paſtoralis* ad Italo-Græcos in Italia, ejuſque inſulis adjacentibus commorantes, ſed ulterius ſenſum Clementinæ definitionis ad hunc modum accurate & perſpicue exprimens: *Epiſcopi Latini infantes, ſeu alios in ſuis diœceſibus baptizatos a presbyteris Græcis abſolute chriſmate in fronte conſignatos confirment; cum neque per Prædeceſſores noſtros, neque per nos Græcis presbyteris in Italia, & in Inſulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis ſacramentum Confirmationis conferant, facultas conceſſa ſit, aut concedatur; quia immo uſque ab anno 1595. a fel. rec. Clemente VIII. Prædeceſſore noſtro fuit presbyteris Italo-Græcis expreſſe interdictum, ne baptizatos chriſmate conſignent. Secus ſub conditione, & cum cautela eos confirmare debent, de quibus veriſimiliter dubitari poteſt utrum ab Epiſcopis Græcis ordinem Bapteſmi juxta eorum Euchologium ſervantibus fuerint baptizati.* Videſne Romanos Pontifices locutos de Græcis presbyteris Latino Epiſcopo ſubjectis? Vides ideo nullam irritamque eſſe conſignationem illorum presbyterorum, quia a Romano Pontifice illis in Italia, & inſulis adjacentibus non conceditur confirmandi facultas? Vides idem aſſerendum non eſſe de Græcis presbyteris conſtitutis ſub Epiſcopis item Græcis, a quibus ſinit Romanus Pontifex teneri hac in parte inſtitutа majorum, nec idem affirmandum fore de Occidentalibus, ſi horum alicui urgente de cauſa Romanus Pontifex impertiretur *extraordinariam* confirmandi facultatem? Tene igitur quod in eadem Conſtitutione §. 12. numer. 24. Papa BENEDICTUS declarat, his nempe, quæ pro Italo Græcis conceſſa ſunt, aut prohibita, nullum quantumvis minimum præjudicium inferri *Græcorum in Oriente ſub propriis Catholicis Epiſcopis, Archiepiſcopis vel Patriarchis commorantium, & aliarum Chriſtianarum nationum quorumcumque Rituum a Sancta Sede approbatorum, ſeu permiſſorum juribus qualibuſcunque, ſi quæ illis de jure, vel ex conſuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant.* Inter ea vero, quæ in Græcis hujuſmodi permittuntur, eſt collata a presbyteris baptizantibus Confirmatio.

Opp. ulterius: Concilium Senonenſe celebratum anno 1528. non, ut vulgo fertur, anno præcedenti, triceſimo octavo decretorum inquit: *Quoniam Abbates nonnunquam attentant munus Confirmationis conferre, idque venditant ex conſuetudine præſcripta ad ſe pertinere; nos attendentes hanc impoſitionem manuum a Chriſto primum inſtitutam, & ab Apoſtolis receptam, ſolis Epiſcopis (qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores) reſervatam, conſuetudinem hujuſmodi, quæ potius corruptela dicenda eſt, reprobamus.* Si ergo Abbates confirmare non poſſunt, quanto minus inferiores presbyteri? Vide tom. XIV. Conc. pag. 480.

Reſp.

Reſp. ex Concilio Senonenſi id unum colligi, Abbates non poſſe *ordinaria* poteſtate, quam ſibi *ex præſumpta conſuetudine*, numquam in Occidentali Eccleſia univerſim recepta, ſibimet arrogabant, confirmare neophytos & calices conſecrare: nequaquam vero inde inferri, non poſſe Abbatibus hanc delegari facultatem. Hinc verbis proximis legimus, ſi Abbatum aliquis aſſirmat ſe tali poteſtate præditum, non quidem *ex conſuetudine*, ſed *ex privilegio*, teneatur ejuſdem privilegii authenticas litteras exhibere: quod potius probat (inquiunt J. CC. apud Em. Gonzalez tom. 1. pag. 172.) aliis ab Epiſcopis facultatem confirmandi poſſe *ex privilegio* competere. Verba autem Senonenſis Concilii hæc ſunt: *Quod ſi qui ſint, qui contendant ſibi competere hanc facultatem ex privilegio; volumus, quod cum primum fuerint requiſiti a Suffraganeis noſtris, de privilegio fidem facere teneantur. Et idem ſtatuimus obſervandum, quantum ad illos, qui calicum conſecrationem attentant.* Idem, quod de Abbatibus, dicendum eſt de Chorepiſcopis; quos certum eſt aliquando non ſolum confirmaſſe, ſed etiam minores ordines, & ſubdiaconatum contuliſſe, ut ſcribit Iſidorus lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 6. pag. Rom. edit. 19. & conſtat ex canone 3. Concilii Regienſis celebrati an. 439. tom. III. Concil. pag. 1287. Quos tamen Chorepiſcopos non potuiſſe *ordinaria* poteſtate baptizatos confirmare, perſpicuum eſt ex Epiſtola v. Damaſi tom. 2. Concil. pag. 879. ex Epiſtola Joannis III. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ, tom. v. pag. 823. ex canone VII. Concilii Hiſpalenſis 2. eodem tomo pag. 1666. ex Capitulis Eccleſiaſticis Caroli Magni, tit. IV. cap. 2. ex Concilio Meldenſi celebrato anno 845. canone 44. tom. Conc. VII. pag 1833. atque ex aliis Eccleſiaſticis monumentis; quæ nunc prætermitto, propterea quod de Chorepiſcopis alio in loco ſit pertractandum.

Denique oppones: Poteſtas confirmandi, quæ ordinario jure competit ſolis Epiſcopis, non eſt poteſtas juriſdictionis, ſed Ordinis; ſi enim foret poteſtas juriſdictionis, poſſet quoque conſignare Epiſcopus electus, & nondum conſecratus, immo & Diaconus, & ſimplex Clericus Epiſcopo conſentiente: aut ergo ea confirmandi poteſtas etiam presbyteris ordinario ineſt jure, aut nulli poteſt extraordinaria delegatione committi. Et probatur conſequentia illa: enim vero vel Epiſcopo competit poteſtas hujuſmodi, quæ Ordinis eſt, ratione conſecrationis ſacerdotalis, aut ratione conſecrationis Epiſcopalis. Si primum affirmes; igitur quilibet ſacerdos tali conſecratione inſignitus, ſaltem valide, confirmabit, tametſi Epiſcopus id vetet, prohibeatque: ſi vero pronuntias alterum; nulli ergo presbyterorum poteſt ea facultas committi, niſi prius in Epiſcopum ſit conſecratus.

Reſpondetur, valde nos mirari quod hæc argumentatio adeo perdifficilis videatur Scholaſticis, ut in ea diluenda tam diverſæ tradantur rationes, ut quidam in his exponendis ſeptem tuſumat paginas. Dicimus nos Epiſcopum ex propria conſecratione, (aut imprimat hæc peculiarem characterem, aut ſit major characteris presbyteralis ampliatio & extenſio) nanciſci ut ſit Sacramenti Confirmationis *ordinarius* miniſter; & presbyterum ex conſecratione Sacerdotali, cui nequaquam eſt illa characteris, atque poteſtatis amplitudo, habere, ut poſſit eſſe Confirmationis miniſter *extraordinarius*: eo ferme pacto, quo Epiſcopus habet ex propria conſecratione, ut conferat Ordines; & presbyter ex conſecratione ſua tantum habet, ut ordinare valeat, ſi id ei committat Romanus Pontifex. Cujus rei ſi cauſam rationemque expoſtules, hanc unam proferimus; quoniam Epiſcopi Romani, ſummique Paſtores Confirmationem collatam ab Epiſcopo conſecrato ſemper validam cenſent; a presbytero autem non ita, niſi obtinuerit a Sede Apoſtolica facultatem. Docet ergo hac praxi Eccleſia, Epiſcopum conſecratione ſua *acta* hujus Sacramenti miniſtrum conſtitui, presbyterum conſecratione ſacerdotali acquirere potentiam quamdam, ſive *aptitudinem*, ut poſſit conſtitui: nec video quid hæc reſponſio præſeferat difficultatis. Ab ea parum recedit Bellarminus de Confirmat. cap. 12. Sylvius in 3. p. qu. 72. art. 11. Farvacques in Opuſculo ſæpe laudato pag. 128. Tournely pag. 285. aliique viri percelebres: tametſi permulti quæ perſpicua ſunt, ut plurimum, reddant obſcura. Corruit eadem reſponſione quod urget Eſtius diſt. 7. §. at. ex cap. penultimo, Extra de Conſecrat. Eccl. vel Alt. ubi legitur de Epiſcopo; *Quæ ordinis Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus clericis demandare*. Neſcio, cur Vitaſſis Continuator pag. 481. ſcribat *in nullis decretis canonicis* hæc haberi. Adeat Decretalium lib. III. tit. 40. cap. *Aqua per Epiſcopum*, eaque adinveniet. Sed quid inde? Non poteſt presbyter eſſe Confirmationis *ordinarius* miniſter, id enim eſt ordinis Epiſcopalis; nec poteſt Epiſcopus demandare inferioribus Clericis, ut confirment; quod poteſt tamen demandare ſummus Pontifex. Nihil aliud inferas ex eo capite: quin Eſtius revincitur exemplo ex loci producto Chorepiſcoporum, ſiquidem hos aliquando *ex delegatione* confirmaſſe liquet ex præcitata Regienſi Synodo. Addo in capite *Aqua* ſermonem fieri de reconciliatione Eccleſiæ, quam in provincia Bracarenſi ſimplices Presbyteri faciebant aqua per Epiſcopum benedicta, & Reſcripto ad Epiſcopum Aſturicenſem prohiberi hujuſmodi reconciliationes, eo quod ſpectent ad poteſtatem ordinis Epiſcopalis; & nihilominus eodem capite Gregorius IX. tolerat, & ratas habet reconciliationes hactenus factas per ſimplices ſacerdotes: ideoque ex hoc ipſo capite, quod objicitur, aperte conſtat, poſſe ſummum Pontificem committere presbyteris quædam, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis.

PROP. III. Ut valide poſſit ſimplex presbyter confirmare, neceſſaria eſt in Eccleſia Occidentali Summi Pontificis delegatio; in Orientali autem perantiqua, & univerſim recepta conſuetudo, quam idem Romanus Pontifex aut approbet, aut ſaltem permittat.

Quamquam enim oppoſitum docere videantur Ledeſma, Alphonſus Salmeron, Layman, ac ex noſtratibus Baſilius Poncius, Farvacques, Vanroy, idque ſummatim quidem, ſed erudite nitatur demonſtrare cap. 5. ac duobus ſequentibus Lucas Holſtenius; hi tamen, noſtri præſertim inſtituti, loquuntur Romani Pontificis reſervatione ſecluſa, ac longe probabilior eſt ſententia aliorum fere omnium recentiorum, ac veterum Theologorum, aſſerentium penes Epiſcopum non eſſe diſpenſare cum presbytero, ut ſacramentum hoc poſſit adminiſtrare. Atque hanc ſententiam principio veram eſſe commonſtrat quod ait Eugenius IV. aut de Sardinienſibus, aut de quibuſdam aliis presbyteris, aliquando hoc adminiſtraſſe Sacramentum *per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem*. Eo quoque ſpectant definitiones permultæ Pontificum, atque Conciliorum; quæ declarant confirmandi munus pertinere ad apicem Pontificatus, ſive ad Ordinem Epiſcopalem: quoniam etſi Epiſcopus poſſit presbytero, imo cuivis Clerico demandare quæ *juriſdictionis* ſunt, ut mox repetam, nequit tamen illis committere, quæ ſunt *Ordinis*. Præterea Clemens VI. in litteris ad Patriarcham Armeniorum, apud Raynaldum ad an. 1351. numer. 12. hæc ſcribit ſedulo a Theologis, qui tenent oppoſitum, expendenda: *Primo de Conſecratione chriſmatis, ſi credis quod per nullum ſacerdotem, qui non eſt Epiſcopus, poteſt chriſma rite & debite conſecrari. Secundo ſi credis, quod ſacramentum Confirmationis per alium, quam per Epiſcopum, non poteſt ex officio ordinarie miniſtrari. Tertio ſi credis quod SOLUM per Romanum Pontificem, plenitudinem poteſtatis habentem, poſſit diſpenſatio ſacramenti Confirmationis presbyteris, qui non ſunt Epiſcopi, committi. Quarto ſi credis, quod chriſmati per quoſcunque ſacerdotes, qui non ſunt Epiſcopi, nec a Romano Pontifice ſuper hoc commiſſionem, ſeu conceſſionem aliquam receperunt, iterum per Epiſcopum, vel Epiſcopos ſint chriſmandi*. Quid expreſſius, quid clarius produci poteſt? Numquid hæc Scholaſticos diſputatores fugerunt? Num diſtinctiunculis eludi poſſunt, aut emolliri? Accipiant, ſi id non ſufficit, recentiſſimam conſtitutionem. Diximus paullo ſupra BENEDICTUM XIV. declaraſſe irritas, nullaſque Confirmationes collatas a presbyteris Italo-Græcis, hac producta ratione, *Cum neque per Prædeceſſores noſtros, neque per nos Græcis presbyteris in Italia, & in inſulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas conceſſa ſit, aut concedatur*. Poſtremo rationem quoque aſſignavimus ex cap. *Aqua*, Extra de Conſecrat. Eccleſ. vel Alt. quoniam ſcilicet Epiſcopus *quæ ordinis Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus clericis demandare*. Subſcribendum proinde abſque ulla hæſitatione cenſemus auctori Gloſſarum in Decretales Gregorii IX. lib. 1. tit. 4. de Conſuetudine, cap. *Quanto*, ſcribenti: „ Epiſcopi licet ipſi poſſint chriſmare, non poſſunt id aliis inferioribus demandare, qui hoc ex officio facere non poſſunt: ſed alii Epiſcopi, vel Archiepiſcopi poſſunt hoc facere in Diœceſi alterius Epiſcopi de ipſius licentia. Epiſcopi enim ea, quæ ſunt juriſdictionis, ut puta judicare, excommunicare, & ſimilia, committere poſſunt aliis, etiam non habentibus juriſdictionem: ea vero quæ ſunt ordinis Epiſcopalis & auctoritatis, non poſſunt demandare, aut etiam delegare aliis, qui ſunt inferioris gradus, De conſecr. Eccl. vel alt. cap. *Aqua*. Argumento hujus decreti videtur quod Papa non poſſit hoc delegare ſimplici Sacerdoti: ſed Papa non ſubjicitur legibus ff. de Legibus L. *Princeps* 9. q. 3. *Cuncta*: unde poteſt committere ſimplici ſacerdoti, ut cap. *Pervenit*, diſt. 50. num. 9. „

Neque enim quidquam evincunt adverſariorum argumentationes. Inquiunt hi, Epiſcopum eſſe *paſtorem ordinarium* in diœceſi ſua, quemadmodum Papa in orbe univerſo. Sed quid inde? Ergone habet Epiſcopus plenitudinem poteſtatis, quam habet ſummus Eccleſiæ Paſtor? Ergone poteſt Epiſcopus demandare presbytero, ut conſecret minores Ordines? Ergone tam quæ ſunt *juriſdictionis*, quam quæ ſunt *Ordinis* Epiſcopalis, poteſt committere Clericis gradus inferioris? At id prohibent Eccleſiaſtici canones. Addunt confirmaſſe olim abſque Pontificio conſenſu in Occidentali Eccleſia Chorepiſcopos, & etiamnunc in Orientali confirmare presbyteros; complures quoque Synodos, ut Illiberitanam, Toletanam ſecundam, Arauſicanam primam, aliaſque presbyteris idem

manus, abſente Epiſcopo, demandaſſe. Verum & hæc nihil probant. Nam, ut mittam quæ ſupra animadverti, Chorepiſcopis facultatem confirmandi fuiſſe non ſemel denegatam, hoſque canones accipiendos non eſſe de Confirmatione Sacramentali, nego presbyteros tali poteſtate donatos, Romano Pontifice diſſentiente; ſed affirmo, ubicunque viguit conſuetudo, ut confirmarent presbyteri, ſummum Pontificem conſuetudinem illam approbaſſe tacito ſaltem conſenſu, illam videlicet non corrigendo; poſtquam vero in presbyteris Italo-Græcis eamdem conſuetudinem correxit, & reprobavit; cum in his, tum in Latinis omnibus requiri expreſſam, apertamque ejuſdem ſummi Pontificis permiſſionem: quod ſatis, ut mea fert opinio, apparet ex dictis.

ANNOTATIO.

Cur in perdifficili hac quæſtione, & præſertim in ſecunda theſi dilucidanda omiſerim plura in Theologorum lucubrationibus diſperſa, quæ utique nullius fuiſſet operis aut exſcribere, aut mutilare, aut in unum colligere, ac potius dederim operam, ut insererentur firmiora, ſuis tamen in fontibus perſpecta, rerumque acceſſione & pondere locupletata, paucis eſt lectori humaniſſimo aperiendum. Principio quod profert illuſtris Sylvius præcitato art. 11. de Anania, qui Saulo manum impoſuit; ad ſententiam firmandam noſtram minus valere hinc apparet, quod illa manus impoſitio non fuerit *Confirmatoria*, nec liquido conſtet Ananiam Epiſcopali charactere non fuiſſe condecoratum. Deinde canones ab Holſtenio cap. 3. & a Morino 13. & 17. productos non adhibuimus in poſtrema theſi ſtabilienda, propterea quod perperam accipiantur de *chriſmatione frontis*, ut diximus prop. 1. ad 2. oppoſitionem. Eamdem rationem habuimus viceſimi canonis Synodi Toletanæ; tametſi Farvacques q. IV. §. 3. ejuſque ſectatores Vanroy tom. IV. pag. 175. & Piette tom. V. pag. 424. negent ibidem agi *de chriſmatione* tantum *verticali*; immo Holſtenius cap. 7. ſcribat eos, qui id reponunt, auctoritatem canonis eludere putido, frigidoque reſponſo, ac prodere ſummam ignorantiam Eccleſiaſticæ antiquitatis, quoniam in veteri Eccleſia erat una & ſola *chriſmatio*, & Innocentius I. eam diviſit in *frontalem*, & *verticalem*; hæc tamen omnia a me ſupra fuerunt diſpuncta. imo vir præſtantiſſimus, dum aliorum carpit, & vellicat ignorantiam, non advertit Toletanam primam Synodum illud præſcribere, quod ab ætate Sylveſtri in conſuetudinem receptum fuerat. Quod enim Holſtenius ait, Sylveſtrum permiſiſſe presbyteris omnibus *unctionem Sacramentalem in fronte*; idque perſpicue tradere Anaſtaſium Bibliothecarium, ſive Auctorem, quiſquis ſit, libri Pontificalis, falſum id eſt: neque τὸ *in fronte* legitur in Silveſtri decreto. Vide Anaſtaſium tom. 2. pag. 302. & notas eruditorum pag. 306. necnon obſervat. Menardi in lib. Sacram. Greg. tom. 3. pag. 385. Nullam præterea in eadem theſi vim habent quæ ſcribit prælaudatus Innocentius Primus Epiſt. ad Decentium cap. 6. non eſſe energumenis manum a presbytero, vel diacono imponendam, *niſi Epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi*: unde inferunt Joannes Morinus cap. 16. atque Holſtenius cap. 2. poſſe *presbyteros*, & *diaconos* conſignare Epiſcopi auctoritate & præcepto. Nam, præterquamquod Diaconis nec Græci concedunt, ut chriſment, decipiuntur qui unctionem, atque impoſitionem manuum factam ſonticis atque energumenis cenſent eſſe *chriſmationem Sacramentalem*; cum ſemper in Eccleſia conſuetum fuerit vexatos a dæmone per impoſitionem manuum, orationem, ſignum crucis, atque inunctionem factam ſacro oleo expiare, non ut reciperent ſacramentum Confirmationis, ſed ut a vexatione liberarentur; quod utique Epiſcopi auctoritate facere poſſunt presbyteri, aliique clerici. Atque id exquiſitis exemplis demonſtrat auctor adnotationum ad præcitatum Morini caput, pagina 79. & ſequenti. Adde non ſibi recte conſtare Morinum, qui cap. 13. pag. 65. ſcripſerat, *nunquam* licitum fuiſſe *Diaconis* confirmare, *neque apud Latinos*, *neque apud Græcos*. Infirma quoque videntur mihi ad demonſtrandam poteſtatem confirmandi factam presbyteris nonnulla Patrum teſtimonia, quæ poſt Arcudium idem Morinus, Baſilius Poncius, aliique complures producunt; & quæ detorquet callidus verſutuſque Dallæus ad ſententiam hæreticorum, aſſerentium presbyteros eſſe miniſtros Confirmationis *ordinarios*. Afferunt Scriptorem Conſtitut. Apoſtolicarum ita lib. VII. cap. 22. pag. 368. loquentem, περὶ δὲ βαπτίσματος ὦ ἐπίσκοπε, ἢ πρεσβύτερε διετάξαμεν &c. *De Baptiſmate, o Epiſcope, aut presbyter, jam antea conſtituimus*. Deinde Χρίσεις δὲ πρῶτον ἐλαίῳ ἁγίῳ. ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι· καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ: *Unges autem prius oleo ſancto: deinde baptizabis aqua; & poſtrema ſignabis unguento*. Ergo (inquiunt) etiam presbyter poteſt chriſmate conſignare. Sed hanc illationem non percipio; ſiquidem Auctor ille brevi præſtringit *quæ antea conſtituerat*, videlicet lib. 3. cap. 16. pag. 288. ubi tradiderat, baptiſmum Epiſcopis vel presbyteris, unctionem autem chriſmatis ſoli competere Epiſcopo. Vide cap. 2. prop. 2. Itaque *diviſim* accipienda ſunt quæ ex libro VII. proferuntur, ita, ut baptiſmus aut Epiſcopo, aut presbytero, chriſmatio Epiſcopo tantum, non utrumque utrique conveniat. Idem judicium ferendum eſt de Dionyſio, ſeu Auctore Operis de Eccleſiaſtica Hierarchia, ex quo objiciunt quæ leguntur cap. 5. pag. 360. οὔποτε τὴν ἱερὰν θεογενεσίαν ὁ ἱερεὺς ἐνεργήσει τοῦ θειοτάτου μύρου χωρίς: *nunquam ſacram divinamque generationem Sacerdos peraget abſque diviniſſimo unguento*. Non enim ait unguento liniendam frontem a ſacerdote; ſed eo loci demonſtrat vim Hierarchiæ, ut diximus prop. 1. ad 3. in eo ſitam, quod Pontifex perficiat chriſmate quos presbyter regenerat aqua: unde paraphraſis Pachymeris pag. 380. habet, *Antiſtite enim opus eſt, ut unguento inungant baptizatum*, χρείᾳ γὰρ τοῦ Ἀρχιερέως ἐστὶ, ὡς τὸ χρίσαι τῷ μύρῳ τὸν βαπτισθέντα, ac præcedenti §. 3. *Diaconi expiant*, *Sacerdotes illuminant*, *Epiſcopi perficiunt*, οἱ Διάκονοι καθαίρουσι, οἱ Πρεσβύτεροι φωτίζουσι, οἱ Ἐπίσκοποι τελειοῦσι. Contendunt docti quidam falli Pachymerem, & corrigendum ex Maximo ſcribente in eumdem locum pag. 374. *Nota*, *Presbyteris* (*quos & ſacerdotes vocat*) *non eſſe conſecrandum & conficiendum unguentum, quia nec altare dedicandum, tametſi in eo offerant, uti nec ordinandum. Hæc enim ſolus Pontifex facit, ſine quibus presbyter nec baptizabit, nec offeret; ubi autem hæc prius ab Epiſcopo fuerint conſecrata, tum demum ſacrum faciet*. Verum nec S. Maximus inquit baptizatum a presbytero *perungendum*, ſed ait duntaxat, non poſſe presbyterum munera implere ſua, aut ſacrificii, aut ſolemnis baptiſmi, niſi & ipſe, & altare fuerint ab Epiſcopo conſecrata; non enim ſcribit, *Sine quibus neque baptizabit, neque inunget, neque offeret*, ſed, ὧν ἐκτὸς ὁ πρεσβύτερος οὔτε βαπτίσει, οὔτε προσοίσει, *ſine quibus neque baptizabit, neque offeret*, eam verbo ſignificante *unctionem* prætermiſſo. Neque enim S. Maximus oblitus erat eorum, quæ ſcripſerat ſupra pag. 268. in Scholiis ad caput 2. *Epiſcopum in Eccleſiaſtico principatu permanentem eos, qui ſe convertunt, docere, ungere, confirmare, & poſt baptiſmum divini muneris participem reddere*. Tandem neque ex Chryſoſtomo, aut Œcumenio poteſt oſtendi olim presbyteros conſignaſſe; ac præter horum mentem ſunt argumenta ex Commentariis in Acta Apoſtolorum petita: ſiquidem docet potius uterque, ut diximus prop. 1. munus & poteſtatem confirmandi fuiſſe τὸ δῶρον μόνων τῶν δώδεκα, *donum duntaxat duodecim*, ſcilicet Apoſtolorum. Quod vero pag. 96. inquit Morinus, hoc intelligendum eſſe *reſpectu diaconorum*, *non presbyterorum*, eſt commentatio violenta, falſa, verbiſque Chryſoſtomi repugnans. Hæc mea eſt de argumentis in appendicem iſtam rejectis ſententia. Si quis tamen illis majorem vim ineſſe concedat; haud injucundam ſibi rem exiſtimet me feciſſe, quod ea continuando, unde deprompta ſint, & a quibus tractentur accuratius, temperata animadverſione prodiderim.

SCHOLION.

„ ORdinarium *Confirmationis* miniſtrum eſſe ſolum
„ Epiſcopum, idque de fide tenendum eſſe, dixi
„ præcedenti propoſitione prima; ut confirmandi facultatem
„ poſſe ab Apoſtolica Sede concedi etiam presbyteris epi-
„ ſcopali charactere non inſignitis, eademque facultate
„ frui modo ipſos presbyteros in Eccleſiis Græcorum af-
„ firmavi propoſitione ſecunda. Prætermiſi in prioris the-
„ ſis probationibus definitionem S. Euſebii Romani Pon-
„ tificis Epiſtola 3. ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ, quæ
„ dicitur data anno 307. & inſerta eſt tomo 1. Concilio-
„ rum; tametſi Euſebius ad ſummum Pontificatum non-
„ dum fuerit evectus. Extat ea definitio de Conſecrat.
„ diſt. 5. can. 4. & eſt hujuſmodi: *Manus quoque impo-*
„ *ſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt,*
„ *quod ab aliis perfici non poteſt, niſi a ſummis Sacerdoti-*
„ *bus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quam ab ipſis*
„ *Apoſtolis, legitur, aut ſcitur peractum eſſe; nec ab aliis,*
„ *quam ab illis, qui eorum tenent locum, unquam perfici*
„ *poteſt, aut fieri debet. Nam ſi aliter præſumptum fue-*
„ *rit, irritum habeatur & vacuum, & inter Eccleſiaſtica*
„ *nunquam reputabitur Sacramenta*. Producunt quidem
„ hunc canonem cum S. Thoma 3. p. q. 72. art. 10. &
„ Sylvio illuſtri ejus diſcipulo in eumdem articulum, Theo-
„ logi alii; at epiſtolæ S. Euſebii, quæ tres numerantur,
„ ſuppoſititiæ ſunt eruditorum virorum conſenſu: atque
„ in ea ipſa Epiſtola, de qua loquimur, habetur quoque
„ ætate ejuſdem Euſebii inventam fuiſſe ſalutiferam Do-
„ mini Crucem, ac præcipitur ut quinto Nonas Maji il-
„ lius Inventionis feſtum ſolemniter celebretur. Iſtud
„ quoque inter Canones a Gratiano de Conſecrat. diſt. 3.
„ n. 19. atque ab Ivone p. 4. cap. 5. relatum eſt. Sunt au-
„ tem hujus Canonis verba, *Crucis Domini noſtri Jeſu Chri-*
„ *ſti, quæ nuper nobis gubernacula ſancta Romanæ Eccleſiæ*
„ *tenentibus, quinto Nonas Maji inventa eſt, in prædicto*
„ *Calendarum die Inventionis Feſtum vobis ſolemniter cele-*
„ *brare mandamus*. Sanctiſſimam tamen Crucem, non
„ ſedente *Euſebio*, ſed Silveſtro fuiſſe repertam anno 326.
„ & proximo poſt Nicænum Concilium, demonſtrat ad hunc
„ annum Ven. Annalium Eccleſ. Conditor Baronius n. 42.
„ & ſeqq.

„ & ſeqq. traditque litteris S. Cyrillus in epiſtola ad Con-
„ ſtantium Imp. S. Ambroſius in Orat. de obitu Theo-
„ doſii, Rufinus lib. 1. cap. 8. Paulinus epiſtola 31. alias
„ 11. Sulpitius Severus lib. 2. Hiſt. Sacræ cap. 34.
„ Sozomenus lib. 2. cap. 1. & Nicephorus lib. 8. cap. 29.
„ Spuria eſt itaque prælaudata Euſebii Epiſtola. Sed in-
„ certis, dubiiſque præſidiis Catholica veritas non indiget.
„ Quantum ad propoſitionem ſecundam, certiſſimum
„ eſt conferri apud Græcos Sacramentum *Confirmationis*
„ a presbyteris ſtatim poſt baptiſmum, neque hanc con-
„ ſuetudinem ab Apoſtolica ſede improbari, niſi in Ita-
„ lia, inſuliſque adjacentibus. Poteſt opponi Epiſtola In-
„ nocentii III. ſcripta anno 1199. ad Lucium Vicarium
„ ſuum apud Conſtantinopolim; ex qua Epiſtola deprom-
„ ptum eſt caput, *Quanta de benignitate*, lib. 1. Decretal.
„ Gregorii tit. 4. num. 4. Eſt autem caput illud, quod
„ ſequitur: *Pervenit ſane ad audientiam noſtram, quod*
„ *quidam ſimplices Sacerdotes apud Conſtantinopolim, ea*
„ *Sacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apoſto-*
„ *lorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus reſervata, ut eſt*
„ *Sacramentum Confirmationis, quod chriſmando renatos*
„ *ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre*: &
„ infra, *Mandamus, quatenus omnibus presbyteris diſtricte*
„ *prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant:*
„ *quæ licet non ſint a fidelibus contemnenda, tutius tamen*
„ *eſt ea ſine periculo ex neceſſitate (quæ legem non habet)*
„ *omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet,*
„ *ex temeritate, (quæ lege damnatur) non ſine gravi pe-*
„ *riculo inaniter conferantur: cum umbra quædam oſtenda-*
„ *tur in opere, veritas autem non ſubeat in effectu*. Ve-
„ rum omnis evaneſcit difficultas, ſi attendatur prædicta
„ Decretalis Innocentii, prout habetur in tertia collectio-
„ ne apud Antonium Auguſtinum, ubi *Presbyteris* additur
„ *Latinis*. Hinc perſpicuum redditur, Innocentium loqui
„ de *Presbyteris Latinis* apud Conſtantinopolim commo-
„ rantibus, quibus præcipit, ut ſervent Eccleſiæ Latinæ
„ conſuetudinem, nec agere præſumant, quod ſolis Græcis
„ presbyteris permiſſum eſt. Extat eadem particula in
„ editione Stephani Baluzii, tom. 1. pag. 480.

CAPUT VIII.

In quo breviſſime agitur de Confirmandis, tum de diſpoſitionibus, quæ in his requiruntur, necnon de hujus Sacramenti neceſſitate.

DIXI de legitimo Confirmationis miniſtro; nunc agam brevi de *ſubjecto*, ſive Confirmationem ſuſcipiente: etſi enim aliqua ſcitu ſint neceſſaria; non ſunt tamen difficilia, nec diſputationum ambagibus implicata. Igitur quæritur priori loco, quinam confirmari poſſit, ac ſit ſacramenti, de quo diſſerimus, *ſubjectum*? Reſpondemus autem homines omnes, dummodo ſint initiati baptiſmate, eſſe ad recipiendum Confirmationis *characterem* idoneos. Omnes quippe adverſus ſpiritales nequitias, adverſus Chriſtiani nominis hoſtes, adverſus humanæ naturæ imbecillitatem debent Chriſti ſignaculo, & Spiritus ſancti fortitudine corroborari. Hinc Act. 2. legimus, Spiritum ſanctum *totam* impleviſſe *domum*: quod Doctor Angelicus q. 72. art. 8. egregie de effectu hujus ſacramenti omnibus *in domo*, ideſt, in Eccleſia exiſtentibus conferendi, interpretatur. At ſolos baptizatos eſſe confirmandos, infertur primo ex praxi Eccleſiæ ab Apoſtolis derivata, juxta quam baptizatis tantum dederunt, & dant modo Antiſtites per manuum impoſitionem Spiritum Sanctum: deinde confirmatur ex quo a Conciliis, & Patribus Confirmatio dicatur *conſummatio, & perfectio baptizatorum*: demonſtratur præterea ex eo, quod nativitas ſtabilimentum præcedat, priuſque debeat quis ſe principi mancipare, quam adſciſci inter milites; ac poſtremo inde ſuadetur, quoniam baptiſmus janua eſt aliorum ſacramentorum, nec poteſt Spiritus Chriſti particeps fieri, qui in myſticum ipſius Chriſti corpus nondum eſt cooptatus. Ob eandem rationem qui non eſt baptizatus, recipere nequit Ordinis characterem; niſi forte adſit baptiſmi præſumptio, ut habetur cap. *Si quis*, & cap. *Veniens*, Extra de Presbytero non baptizato, necnon cap. *Noviſſime*, de Conſecr. diſt. v. Si opponas, Centurioni collatum fuiſſe Spiritum ſanctum ante baptiſmum; eadem reſpondebo, quæ ſcripſi Volumine III. pag. 320. nec opus eſt modo repetam.

I I.

Num ergo Confirmationis capaces erant homines infantilis ætatis, ac parvuli? Utique. Hoc enim patet ex ſæpe laudata Epiſtola Innocentii I. ad Eugubinum Epiſcopum, in qua cap. 3. legimus: *De conſignandis vero infantibus, manifeſtum eſt non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere.* In cap. etiam *Si qui*, de Conſecr. diſt. 4. habemus: *Si vero parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis qui eos offerunt, juxta morem baptizandi: & ſic per manus impoſitionem chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* De infantibus quoque locutus eſt Magnus Gregorius ſcribens ad Januarium, ſupra prop. 2. cap. 7. Item S. Pater Auguſtinus tract. VI. in Epiſt. 1. Joan. num. 10. Habetur præterea inter decreta Burchardi Epiſcopi Wormatienſis lib. IV. cap. 59. *Annuncient presbyteri populis, ut quamcitius potuerint, ſuos infantulos ad confirmandum Epiſcopis præſentari faciant. Quod ſi neglexerint, & presbyter, & populus canonicis diſciplinis ſubjaceant.* Inſuper in Eccleſia Occidentali conſuetum olim fuiſſe infantes ſtatim poſt baptiſmum confirmare, dictum ſupra, & conſtat ex Ordine Romano, ubi tit. de Sabbato ſancto iſta leguntur: *Pontifex egreditur a fonte in Sacrarium, habens ibi compoſitam ſedem, ut in Eccleſia, ubi voluerit, & ſedeat in ea, & cum veſtiri fecerit infantes, confirmet eos.* Extant ſimilia in Sacramentario Gregorii. Græci autem etiamnum conferunt una cum baptiſmo Confirmationem; hujuſque conſuetudinis quidam Græcorum ſunt adeo tenaces, ut puerorum, qui non conſignati decedunt, videantur deſperare ſalutem: quod tamen ſupinam redolet ignorantiam, uti apparebit ex iis, quæ de hujus ſacramenti neceſſitate ſubjicientur. Tandem accedit ratio; quoniam defectus ætatis nullum affert impedimentum ſpiritualium animarum ſanctitati, hujuſque incremento. Vide præcit. art. 8. ad 2. beatum Thomam. His non repugnat quod parvuli incapaces ſint aliquorum Sacramentorum; etenim ideo Pœnitentiam, Extremamque unctionem nequeunt percipere, quia nullum habent peccatum actuale, aut actualis peccati reliquias. Ordinis pariter ac matrimonii ſunt incapaces, propterea quod attinent hæc duo ad peculiare vitæ genus propria voluntate ineundum. At Baptiſmi, Confirmationis, nec non Euchariſtiæ capaces ſunt omnes, qui ſpiritalem vitam, aut ſpiritalis vitæ poſſunt recipere perfectionem.

I I I.

Hinc oritur quæſtio tertia, an & modo infantes ſtatim poſt baptiſmum ſint confirmandi, & cur Latina Eccleſia veterem diſciplinam mutaverit? Quam ſane quæſtionem ſolventes dicimus expectandum eſſe in confirmandis uſum rationis, niſi ob urgentem aliquam cauſam aliter videatur Epiſcopo. Septennes quippe, aut grandiores, pueros eſſe conſignandos ſtatuerunt ſub Paulo III. anno 1536. Synodus Colonienſis p. 7. cap. 9. Mediolanenſis I. ſub Pio IV. an. 1565. Mediolanenſis IV. ſub Gregorio VIII. anno 1576. Mediolanenſis v. ſub eodem Pontifice anno 1579. Aquenſis, Gregorio ipſo ſedente, anno 1585. Narbonenſis ſub Paulo V. anno 1609. & Synodi aliæ, quarum canones collegit F. Gregorius de Rives pag. 150. Natalis Alex. in hac quæſt. Regula VIII. tom. 2. pag. 667. & Martene de Antiq. Eccl. rit. cap. 2. art. 1. numer. 6. Quibus addo Sacramentarium Ambroſianum; Manuale Saliſburgenſe, Synodum & Manuale Cameracenſe, Bononienſem per Cardinalem Paleotum, aliaque illuſtria monumenta, de quibus parte v. cap. 1. Baſilius Poncius. Catechiſmus Romanus pag. 2. cap. 3. Si *duodecimus annus* (inquit) *expectandus non videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.* Ratio eo loci inſinuatur, quoniam ſcilicet pueri ante uſum rationis apti non videantur ad pugnam, quam pro fide Chriſti tenemur inire. Rationes alias aſſignant Theologi apud Eſtium diſt. VII. §. 23. quia majus eſt gratiæ donum, & tenacius inhærens, quod vigilante fide, & proprio mentis motu, ac prævia præparatione ſuſcipitur; & quia confirmati meminiſſe debent hujus ſacramenti, in quo levi etiam alapa accepta, admonentur eſſe pro fide contumelias & verbera perferenda. Prioribus autem ſæculis confirmabantur infantes, & quia ſolemni baptiſmo aderant ut plurimum Epiſcopi, & quia perſecutionibus, hæreſibuſque graſſantibus facilius poterant baptizati corporalis, & ſpiritalis vitæ ſubire pericula.

I V.

Solet etiam quæri, an confirmandi ſint ægroti, amentes, & ſuntici, vel energumeni. De ægrotis nulla difficultas eſſe poteſt. Confirmandos declarat Concilium Pariſienſe VI. libro 1. cap. 33. his verbis: *Infirmis & morte periclitantibus, ſicuti baptiſmatis gratia ſuccurrendum, ita incunctanter donum Spiritus ſancti eſt tradendum.* Vide tom. 7. Concil. pag. 1621. Sacramentarium pariter Ambroſianum inquit de Parocho, *Ægrotos nondum confirmatos deſignabit, eoſque Archiepiſcopo denuntiabit, ne ingraveſcente morbo ſine hoc ſacramento decedant.* Habentur ſimilia in præcitata v. Synodo Mediolanenſi. Nonnulli hanc rationem proferunt, quoniam infirmi cum morte ſunt luctaturi: & quamvis alii doceant non eſſe neceſſarium hoc Sacramentum propter periculum pugnæ præſentis, quando mors non infertur propter fidem; defendi tamen poteſt ea ratio, quatenus in morte armari quiſque debet adverſus dæmonum oppugnationes. At S. Thomas præcit. quæſt. 72. art. 8. ideo cenſet morituros conſignandos eſſe, *ut in reſurrectione perfecti appareant*: atque hanc rationem militare tam pro adultis, quam pro parvulis monet in fine articuli idem S. Doctor. Quamobrem non eſt inutile, aut inconveniens, ſi etiam parvuli

in mor-

in mortis diſcrimine confirmatur, ut docent citato paragrapho Eſtius, Sylvius tom. IV. pag. 220. Habert cap. V. quæſt. 5. aliique permulti. Contraria quidem conſuetudo ſpectat potius commodum Epiſcoporum, quam decedentium utilitatem. Amentes, ſi lucida habeant intervalla, in his debent confirmari: ſi perpetuo amentes ſint, fruſtra in eis tempus opportunum attenditur. Tantummodo ſi in amentiam inciderint gravi peccato inquinati, quoniam tunc percipere nequeunt effectum Confirmationis, non ſunt ſacro chriſmate liniendi. Poſtremo etiam energumeni egent Confirmatione: immo hujus robore franguntur vires dæmonum, a quibus vexantur. Præceptor Malachiæ, ut ſcribit in hujus vita S. Bernardus, inungens puerum *lunaticum* chriſmate, ipſum reſtituit ſanitati: fregitque magicas incantationes vir Chriſtianus eodem chriſmate delibutus, prout narrat lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 41. Gregorius Epiſcopus Turonenſis.

V.

In iis vero, qui jam ratione utentes ad Sacramentum iſtud accedunt, quænam requiruntur animi, corporiſque diſpoſitiones? In primis certum nobis videtur ad percipiendum Confirmationis fructum, præmittendam eſſe confeſſionem peccatorum, ſi confirmandus ſibimet conſcius ſit mortalis culpæ, quamvis cum Moralis Theologiæ pervulgatis Tractatoribus, etiam Ruardus, Dominicus Soto, & Eſtius cenſeant ſufficere, ſi quis cum pia devotione, & corde contrito ad hoc ſacramentum accedat. At Martenius citato capite de ſacris, antiquiſque ritibus art. 2. complures laudat canones, & Conſtitutiones Eccleſiaſticas, præcipientes, ut adulti ſacramentalem confeſſionem præmittant. Sunt vero decreta illa Odonis Pariſienſis Epiſcopi, Herardi Turonenſis, Gulielmi Maclovienſis, ac Synodorum Colonienſis, Lingonenſis, Senonenſis, Carnotenſis, Pariſienſis. Adeaſis Martenium tom. 1. prioris editionis pag. 237. Hæc, aliaque produxerunt etiam Faivacq. de Sacr. in gen. cap. 7. q. 72. Merbeſius 3. pag. Summæ Chriſt. differt. 2. q. 20. Natalis Alexander de Confirm. c. 5. Continuator Witaſſii pag. 579. & alii plures. Addere poſſemus antiqua ſtatuta Eccleſiæ Ædicenſis, Cadurcenſis, Ruthenenſis, Conſtantienſis, Leodienſis, aliaque collecta in Theſauro Martenii tom. IV. pag. 158. 469. 687. 807. Pauca producam: Burchardus lib. IV. c. 60. canonem affert illum: *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confeſſiones facere prius, ut mundi donum ſancti Spiritus valeant accipere*. Deſumptus eſt ex Capitulari Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, edito anno 818. extatque cap. *Ut jejuni*, de Conſecr. diſt. 5. ubi attribuitur Aurelianenſi Concilio. Sacramentale Ambroſianum ex Inſtructionibus S. Cardinalis Caroli, Synodorumque Mediolanenſium decretis compactum, non ſolum docet confeſſionem præmittendam, verum etiam mandat pag. 54. *Ut confeſſionis præſtitæ teſtimonium ſcriptum* confirmandi *ei præbeant, cui cura hæc commiſſa eſt*. Catechiſmus Romanus cit. cap. 3. num. 19. *Qui adulti jam ætate confirmandi ſunt, ſiquidem hujus ſacramenti gratiam & dona conſequi cupiant, eos non ſolum fidem & pietatem afferre, ſed graviora etiam peccata, quæ admiſerunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re etiam elaborandum eſt, ut peccata etiam prius confiteantur, &c.* Manuale Cameracenſe pag. edit. Plantin. 37. præcipit, ut confirmandi *ſciant diſtincte Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum. Et inſuper, ut adulti præmiſſa confeſſione illud ſuſcipiant*. Item Salisburgenſe pag. 92. *Adulti ſint a peccatorum ſordibus per confeſſionem purgati*. Cardinalis Lambertini Archiepiſcopus Bononienſis, nunc ſummus Eccleſiæ Paſtor, Notif. edita anno 1732. die 15. Septembris plures iſtiuſmodi definitiones affert, approbat, apertiſſimamque profert rationem ex D. Anton. op. 3. tit. 14. cap. 3. §. 1. quoniam *qui renunciat Gratiæ baptiſmali, quod fit per mortale commiſſum, poſtea accedens ad Confirmationem cum eo, non confirmaretur in gratia, nec augeretur ſibi gratia, immo mortaliter peccaret, & magis debilitaretur in anima, quamvis characterem reciperet indelebilem, & hoc niſi reſtitueretur prius gratia amiſſa, quod non fit niſi per Pœnitentiam*.

Haud me fugit opponere contrariæ ſententiæ defenſores nonnullos Provincialium Synodorum canones, quibus confirmandi *admonentur*, non jubentur, confeſſionem præmittere peccatorum. Hos collegit pag. 580. Vitaſſii Continuator. Verum admonitiones illæ aut præceptum non excludunt; aut non ſpectant ad illos, qui conſcientia lethalis culpæ gravantur; aut vim duntaxat habent, ſi copia deſit confeſſarii. Enimvero præſcribunt iidem canones *maximum peccatorum dolorem, compunctionem animi, & confitendi propoſitum*: quæ omnia nego ſincera eſſe, ſi contemnatur, quando haberi poteſt Confeſſarius, Sacramentum Pœnitentiæ. Recole quæ ſcripſi libro XXX. cap. 18. prop. 3. Quod ſi opponas, præſcribi Eccleſiaſticis definitionibus etiam jejunium, ſine quo tamen Confirmationis obtineri poteſt effectus; puto latiſſimam eſſe diſparitatem, ſiquidem effectum illum non ita impedit comeſſe, quomodo gravari peccato mortifero: nec percipio vim conſecutionis iſtius, Poſſunt ſacramenta *vivorum* rite ſuſcipi a non jejuno, ergo & *a mortuo*. Recte patria lingua, ut rudiores quoque intelligant, ſapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS: *In ordine al Sagramento della Penitenza la ragione è troppo chiara, imperocchè eſſendo incompatibile la grazia col peccato, benchè non lo ſia col carattere, ſe taluno per ſua diſgrazia riceveſſe in peccato il Sacramento della Creſima, ne riceverebbe il carattere, ma non la grazia, ed aggraverebbe la propria coſcienza con un nuovo grave peccato mortale*. Nemo ergo nos rigidiores exiſtimet, quod Volum. III. pag. 218. eamdem ſententiam amplexati ſimus, eidemque modo adhæſerimus.

VI.

At, inquis, aliæ ne præter ſtatum gratiæ requiruntur diſpoſitiones in confirmandis? Sextam mihi proponis quæſtionem ſolutu facillimam. Duo ſaltem videntur ulterius præmittenda, rudimentorum ſcilicet fidei notitia ſufficiens, orationiſque frequentia. Rothomagenſis Synodus celebrata an. 1581. de Confirm. num. 1. inquit: *Monemus omnes parochos, vicarios, & concionatores, ut initio Quadrageſimæ, & quoties occaſio ſe obtulerit, de ejus virtute, & utilitate doceant populum*: & ſequenti num. præcipit ut adulti profiteantur *ſymbolum Apoſtolicum*. Rhemenſis anno 1583. num. 3. *Admoneanturque, ut ſymbolum Apoſtolorum, & orationem dominicam memoriæ mandent*. Burdigalenſis celebrata eodem anno §. 1. *Omnibus Epiſcopis mandamus, ut ſuarum diœceſum parochias ſæpius obeuntes, hujus ſacramenti vim populo explicent, aut explicandam curent*. Bituricenſis anno proximo 1584. tit. XX. idem Eccleſiarum Rectoribus, & ſcholarum Magiſtris diſtincte mandat can. 9. Recitandum quoque ſymbolum a confirmandis præcipit canone ejuſdem tituli quarto. Idem præſcribit Concilium Aquenſe celebratum anno 1585. Toloſanum anno 1590. cap. 3. Narbonenſe anno 1609. cap. 15. & Burdigalenſe anno 1624. cap. V. num. 2. Quæ omnia occurrent pervolutanti volumen XV. Conciliorum. De oratione autem prælaudatum Sacramentale ſancti Caroli pag. 53. hæc habet: *Paucis ante miniſtrationem diebus Parochus, in cujus Parochia hujus ſacramenti miniſtratio indicitur, primo orationem publicam inſtituet, ut ſuæ divinæ gratiæ dona uberrime recipiant*, & ſequenti pagina de Confirmandis: *In primis frequentiori, & ardentiori religioſæ orationis ſtudio devote ſeſe exerceant, exemplo ſanctorum Apoſtolorum, qui dum expectarent Spiritum ſanctum, perſeverantes erant in oratione, & jejunia*. Plura de hac oratione præmittenda tom. V. pag. 319. Ludovicus Habert.

VII.

Commemoravimus nuper jejunium; eſt ne illud quoque Confirmationi præmittendum? *Contrarius uſus obtinuit, eſtque ſecurus in conſcientia*, inquit pag. 156. Franciſcus Faivacques; qui & rationem producit, quoniam modo frequenter poſt meridiem fit confirmatio, *ſeorſim a baptiſmo, & communione Corporis Chriſti*. At liquet, uſum adminiſtrandi Confirmationem poſt meridiem eſſe adverſus veterem diſciplinam, univerſalem non eſſe, neque præſcriptum fuiſſe jejunium confirmandis ratione tantum communionis. Atque de veteri diſciplina videri poſſunt canones plurimorum Conciliorum ſive apud Vicecomitem lib. 1. de Antiq. Baptiſ. ritib. cap. 29. ſive apud Martenium tom. 1. pag. 237. ſive apud Witaſſen pag. 578. ſive apud Joſephum Catalanium in Pontif. Rom. tom. 1. pag. 9. non enim neceſſum eſt, ut ſingulos proferamus. Teſtatur BENEDICTUS XIV. id per duodecim ſæcula in Eccleſia ſervatum, ut jejuni tantum confirmarentur; hujuſque rei teſtem producit Magiſtrum Sententiarum. Recte; nam Magiſter qui obiit die 20. Julii anno 1164. ſcribit in IV. diſt. 7. n. 4. *Hoc Sacramentum a jejunis accipi, & jejunis tradi debet*. Sed etiam poſt Magiſtrum pia illa conſuetudo diu viguit, eamque inculcant Synodi poſteriores, præcedenti numero laudatæ. Pontificale Romanum juſſu Clementis VIII. editum, §. 7. tituli 1. *Confirmandi*, inquit, *deberent eſſe jejuni*. Sacramentale S. Caroli præcit. pag. 54. *Efficiet ſaltem* (Parochus) *ut pridie diei Confirmationis jejunent qui poſſunt*. Dabo recentiora. Cardinalis Vincentius Maria Urſinus in Synodo Beneventana an. 1693. tit. 36. cap. XI. inquit: *Laudabilem illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut nonniſi jejuni Confirmationis ſacramentum ſuſcipiant, ſancta Synodus tenendam hortatur*. Idem ad ſummum Pontificatum evectus definivit in Concilio Romano anno 1725. tit. XXVI. cap. 4. ut ſacramentum hoc miniſtretur, *ſemper, quoad fieri poterit, de mane in Eccleſia, & jejuni jejunis, maribus a feminis ſeorſim diſpoſitis, conferant; & adultis, nonniſi ſacramentali prius confeſſione mundatis*. Quod ſervaſſe illius ſpiritus, thronique poſſeſſorem, regnantem Pontificem maximum, mox dicam. Igitur pervetuſta illa conſuetudo non fuit univerſim poſt duodecimum ſæculum antiquata, vigetque adhuc apud præſtantiſſimos Cuſtodes canonum.

Google

num. Affirmo pariter, ubique non obtinere uſum confirmandi *poſt meridiem*. Oppoſitum namque demonſtrat primo ratio agendi illorum, qui jejuni jejunoſque confirmant. Deinde ætete Amalarii Fortunati, qui floruit circa annum 830. adminiſtrabatur Confirmatio *ſecundum modum primitivæ Eccleſiæ hora tertia*; neque id Epiſcopus transgrediebatur ob neophytorum ingentem numerum: nam idem Amalarius hoc narrat de Eccl. Off. capite nono ac viceſimo. Inſuper obſervatur adhuc Mediolani Sacramentale frequenter commemoratum S. Caroli; ubi & illud legas: *Conſtituta die bene mane omnes & mares & feminæ cum ſuis patrinis in Eccleſiam ſuæ parochiæ ad ſignum campanarum conveniant, ut hora tertia confirmari poſſint*. Aquenſis pariter Synodus celebrata, ut dixi num. 6. anno 1585. *Studebit* (inquit) *Epiſcopus hoc Sacramentum hora tertia miniſtrare, quæ hora ex antiquo uſu ſtata eſt hujus Sacramenti, niſi neceſſitas aliud ſuadeat*. Aſſero tandem non ob percipiendam tantum communionem, ſed ob aliam cauſam mane hoc Sacramentum eſſe adminiſtrandum, ſcilicet, quia ſuper Apoſtolos *hora tertia* deſcendit Spiritus ſanctus, cum jejuni eſſent, ac inſiſterent orationibus; quod & ex dictis conſequitur, & affirmat paullo ſupra Sacramentale Ambroſianum, & habetur cap. *Ut jejuni*, & cap. *Ut Epiſcopi*, de Conſecret. diſt. 5. num. 6. & 7.

Quamvis ergo fateamur poſſe Confirmationem quovis tempore miniſtrari, nec ignoremus quæ tradit S. Thomas q. 72. art. 12. ad 2. non eſſe coarctandum tempus Epiſcopis in amplæ præſertim diœceſi; neque hactenus dicta ſervari debeant aliquo imminenti periculo: *ubi tamen congrue obſervari poteſt* (inquit eo loci Doctor Aquinas,) *convenientius eſt, ut a jejunis detur, & accipiatur*. Sed audiendus ſcientiſſimus canonum in Paſtoralibus litteris datis Bononiæ, die, & anno num. v. prænotatis, ubi que ſermone Italo parochos, plebemque alloquens: *Per parte poi del corpo, oltre la divota eſterna compoſizione, eſſendo Noi diſpoſti ad amminiſtrare queſto Sacramento la mattina, brameremmo, che chiunque s' accoſta a riceverlo foſſe digiuno. Per dodici ſecoli della Chieſa così ſi è praticata, ed il Maeſtro delle ſentenze è teſtimonio di queſta pratica. Dopo il duodecimo ſecolo, conforme atteſta S. Tommaſo nella p. 3. q. 72. art. 12. ad 2. s' incominciò a dare anche a chi non era digiuno; ma inſinuandoſi nel Canone*, Ut jejuni, *e nel canone*, Ut Epiſcopi, de Conſecret. diſt. 5. *molto bene conſiderati dal Venerabile Cardinale Bellarmino nel Tom. 3. delle ſue Controverſie* lib. 2. cap. 13. *in fine, che ſarebbe bene, che il conferente, e quelli, a' quali ſi conferiſce il Sacramento, foſſero digiuni, e leggendoſi nel Pontificale Romano*, Confirmandi deberent eſſe jejuni, *Noi certamente per noi abbracceremo queſto conſiglio, ed eſortiamo ancora gli altri ad abbracciarlo*. Nil gravius pro ſententia noſtra dici poterat, nil clarius, nil melius.

VIII.

Tenentur ne baptizati omnes ad Confirmationem accedere? Reſpondeo me non ſubſcribere immenſæ illi Caſuiſtarum multitudini, qui ſcribunt nullum de ſuſcipiendo hoc ſacramento extare præceptum, ideoque neminem, ſecluſo contemptu, peccare mortaliter ſi non confirmetur. Primum itaque dico, Patres, canones, graviſſimoſque Theologos plurimum inculcare ſacramenti hujus neceſſitatem. S. Cyprianus epiſt. 70. inquit: *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus eſt, ut accepto chriſmate, ideſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit*. S. Pater Auguſtinus lib. XVII. de Civit. Dei cap. 14. docet Chriſtianos non recte vocari, niſi *chriſmate unctos*. Gregorius Magnus lib. XIV. Epiſt. 32. nunc 17. jubet confirmari illos, de quibus prudenter hæſitatur confirmatos non eſſe, *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat*. Hæc pauca ex Patribus. II. Inter canones perſpicuum eſt caput *Omnes*, de Conſecrat. diſt. 5. depromptum ex Epiſtola Urbani, ſeu potius Iſidoriana, *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur*. Laodicenæ Synodi canon 48. eſt: *Oportet eos, qui illuminantur, poſt baptiſmum ungi ſupercæleſti chriſmate*. In canone *Ut jejuni*, citato §. præcedenti, hæc adducuntur: *Nunquam erit Chriſtianus, niſi Confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus*. In Sacramentali Ambroſiano, & Concilio Mediolanenſi IV. legimus: *Illis timendum valde, qui cum potuerint, in re ſalutari negligentes extiterint. Atque in Confirmationis ſacramento ſuſcipiendo negligentes, ut decreto provinciali ex canone Rhemenſi cavetur, canonicis ſubjaceant diſciplinis: & præterea parentes, quorum negligentia id factum eſt, ex libro Pœnitentiali pœnitentiam olim egiſſe annis tribus apparet*. Prætermitto hujus generis plura. III. Tonant eadem voce Theologorum culmina. Hugo enim Victorinus lib. 2. parte VII. cap. 3. inquit: *Timendum eſt iis, qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ideſt, confirmationem, ne forte damnentur, quia feſtinare debuerant, dum potuerant*. S. Thomas 3. p. q. 72. art. 1. ad 3. docet Confirmationem neceſſariam eſſe, quatenus cooperatur ad perfectionem ſalutis, *quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu ſacramenti*. S. Bonaventura in IV. diſt. 7. art. 3. q. 2. *Dicendum eſt* (inquit) *quod eſt neceſſitas ſimpliciter, & neceſſitas conditionata. Simpliciter non eſt gratia Confirmationis neceſſaria, ſed neceſſaria ex conditione, ſcilicet pugnanti, & vincere volenti, ſicut comedere neceſſarium eſt vivere volenti*. Idem tradit, utitur que eadem comparatione Gerſon in Compendio Theologiæ.

Deinde affirmo hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium ad ſalutem *neceſſitate medii*. Id extra controverſiam poſitum eſt; ſiquidem ſi baptizati, antequam ab Epiſcopo confirmentur, & ad uſum rationis perveniant, acerbo tollantur funere, cum *nihil damnationis* ſit in eis, transferuntur in regnum. Quod Hieronymus aſſerit etiam de iis, qui *in viculis ac remotioribus locis* prie fatis cedunt, priuſquam inviſantur ab Epiſcopis. Canon quoque 77. Illiberitanus baptizatis a Diacono plebem regente, ſi decedent antequam perficiantur per Epiſcopi benedictionem, ſalutem tribuit æternam. Sunt inter Theologos aliqui affirmantes Confirmationem neceſſariam eſſe *neceſſitate medii*, non quidem ad conſequendam ſalutem, ſed ut quis ſit perfecte Chriſtianus. Ita ſentit Continuator Witaſſii pag. 630. quod probat ex S. Thoma, cujus 3. p. q. 72. art. 6. ad 1. hæc ſunt verba: *Sicut nullus conſequitur effectum baptiſmi ſine baptiſmi voto: ita nullus conſequitur effectum confirmationis ſine voto ipſius*. Sed animadvertit Sylvius in art. VIII. ejuſdem quæſtionis, per votum Confirmationis nihil aliud intelligere S. Thomam, niſi voluntatem ſaltem implicitam non negligendi, neque contemnendi ipſam Confirmationem, quandoquidem robur & gratia ad fidei profeſſionem neceſſaria obtineri poteſt oratione, jejuniis, aliiſque bonis operibus. Hæc Sylvius. Poſſumus tamen proprie S. Thomam intelligere de neceſſitate Confirmationis ſaltem in voto comparate ad illos, quibus coram tyranno fides propugnanda eſt, aut ſubeundum martyrium; nam hoc ſenſu explicat Doctorem Angelicum Suareſius Comment. ejuſdem articuli ſexti: immo quadret hæc interpretatio difficultati initio articuli propoſitæ. Auctor librorum de re Sacrament. pag. 349. ait Confirmationem neceſſariam eſſe *neceſſitate medii* ad habendum hujus ſacramenti characterem. Quis id vertat in dubium? Hoc pacto *neceſſarium* dixeris tali neceſſitate etiam Sacramentum Ordinis, ad ſalutem nequaquam ſingulis neceſſarium.

Tertio itaque loco aſſero Confirmationem neceſſariam eſſe ſive in re, ſive in voto, neceſſitate præcepti non tantum Eccleſiaſtici, verum etiam divini, iis, qui vel coram Tyranno profiteri fidem debent, vel adverſus Chriſtianam fidem crebris, gravibuſque tentationibus exagitantur. Quamquam enim permulti Caſuiſtarum, qui omnium teruntur manibus, ut Layman, Bonacina, Neverrus, nec non Sylvius in 3. p. q. 72. art. 8. ac Suarez diſp. 38. ſect. 1. aſſerant nullum dari ſuſcipiendæ Confirmationis præceptum; bene tamen ſapienterque ſcribit BENEDICTUS XIV. Notif. prælaudata, teneri oppoſitum a Theologis celebrioribus. Certe, ut mittam Eſtium diſt. 7. parag. 18. Natal. Alex. de Conf. cap. 4. prop. 2. Juenin q. 8. concl. 2. Ludovicum Habert cap. 9. Nicolaum L'Herminier tom. 1. de Sacram. pag. 137. Tournely pag. 263. Auctorem librorum de Re Sacr. pag. 348. alioſque præ ceteris hac ætate commendatis, conſpirant in eam ſententiam noſtratium omnes, Baſilius Poncius p. 5. cap. 2. Franciſcus Farvacques cap. 5. q. 2. Leonardus Vanroy quæſt. 9. Fridericus Gevardi q. 1. art. 6. Immo & Sylvius fatetur non excuſari a mortali peccato, qui perſecutionis tempore negligeret Confirmationem; ac Suareſius videtur quibuſdam parum ſibi conſtare, dum citata diſſert. 38. ſcribit nullum dari Confirmationis præceptum proprium, nec eſſe peccatum mortale hoc ſacramentum voluntarie omittere, poſteaquam Comment. in art. 6. ſcripſerat urgere hoc præceptum, *ſaltem in eo articulo, in quo urget neceſſitas publice confitendi fidem coram tyranno*: quod & nos paullo ſupra animadvertimus. Noſtra autem ſententia principio ſuadetur præcitato Laodiceno canone, productaque auctoritate Cypriani: ubi ea verba *Neceſſe eſt*, *oportet*, *debent*, ſonant vim præcepti, niſi reſpectu omnium, comparate ad eos ſaltem, qui ineunt pro fide certamina, periculiſque jactantur hanc peſſundandi. Præterea in cap. *Spiritus ſanctus*, de Conſecrat. diſt. 5. habentur hæc: *Quamvis continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia*. Idem probatur verbis S. Thomæ 3. p. q. 72. art. 6. ad 1. hoc eodem paragrapho recitatis. Evincitur hoc idem ratione; eſt enim ſumma præſumptio, in re talis momenti, qualis eſt Chriſtum confiteri, in tanto diſcrimine, quantum proculdubio cenſendum eſt minis, promiſſis, ac tentationibus percelli, remedia efficacia, atque ob hunc præſertim finem inſtituta contemnere. In hoc itaque caſu qui non curat, ut ab Epiſcopo confirmetur, ſeſe lethali culpa inquinare, docet Eſtius, docet Sylvius, docet Baſilius Poncius, docent (inquit BENEDICTUS XIV.) celebriores Theologi. Poſtremo idem BENEDICTUS

CTUS in Conſtitut. de Ritibus Græcorum §. 3. num. 4. declarat confirmatos e ſimplici ſacerdote non habente Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, confirmandos ab Epiſcopo, & commonendos ab Ordinariis locorum, *eos gravis peccati reatu teneri, ſi cum poſſunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt*.

Duo tamen ſunt, quæ dictis poſſunt opponi. Unum, quod hujus præcepti nullum in ſacris litteris, vel apud Patres extat veſtigium: alterum, quod Confirmationis defectum ſupplere queat *unctio verticalis*. Verum enimvero inania iſta ſunt. Primum ſiquidem facile refutatur, cum non deſint docti viri, qui iſtiuſmodi præceptum comprobent ex Act. 1. & 8. ubi legimus Jeſum præcepiſſe Apoſtolis, ne diſcederent Jeroſolymis, *ſed exſpectarent promiſſionem Patris*, ſcilicet Spiritum ſanctum: quod utique præceptum, ſi non omnes, eos ſaltem comprehendit, qui ante reges, & præſides in teſtimonium fidei trahuntur. Sunt inſuper qui præceptum illud inferunt ex praxi Eccleſiæ, quæ ſemper olim baptizatis impendit Confirmationem, & perſecutionum tranſacto tempore, hæreſibuſque devictis, non vult illam parvipendi, & contemni. At contemptus foret maximus, illius robur in ſtatu, de quo diſſerimus, aſpernari. Praxim vero, cujus inſtitutionem aliam non invenimus, ab Apoſtolorum temporibus, & a Chriſto repetendam eſſe, haud ſemel eſt definitum. Quamvis præterea nullibi occurreret tale præceptum *explicitum*; illud jure meritoque adeſſe diceretur, ubi eget homo Spiritus ſancti robore ac firmitudine, ex quo ſciamus fuiſſe Confirmationem hujus rei gratia inſtitutam. Hac ergo ratione refutatur prior oppoſitio. Ad alteram reſpondetur *unctionem verticalem* ſupplere effectum gratiæ, quam confert Confirmatio, quando hæc nequit haberi, neque id præſtare per ſe, ſed ratione fidei, ex opere operantis, atque per votum Confirmationis ſuſcipiendæ; nam ut Rabanus inquit lib. 1. de Inſtit. Clericorum cap. 28. unctio verticalis *ſignificat Spiritus ſancti deſcenſionem ad habitationem Deo conſervandam*, non eam confert; atque, ut ſcribit Hugo Victorinus prælaudato cap. 3. illa unctio non eſt Sacramentum, ſed oſtendit, *quantum Sacramentum iſtud neceſſarium ſit ad ſalutem*. Jure itaque Pariſienſis Academia an. 1625. confixit hanc quorumdam Anglorum propoſitionem: *Chriſmatio, quam ſacerdos in baptiſmo facit, ideo eſt ab Eccleſia inſtituta, non ſolum ut chriſmationis Epiſcopalis ſignificationem, verum ut effectum ipſum ſuppleret, ideſt, ut homines in gratia baptiſmatis conſervaret confirmaretque*.

IX.

De ceteris, qui in prædictis circumſtantiis periculorum pleniſſimis non ſunt conſtituti, quid exiſtimas eſſe tenendum? Quod Theologi omnes, excepto nemine, affirmant, peccare mortaliter, quotquot ſaluberrimum hoc ſacramentum habent contemptui. Nam & benigniores, qui ſuſcipiendæ Confirmationis nullum extare præceptum univerſim pronuntiant, (quod tam abſolute, me quidem judice, nefas eſt pronuntiare) eam adhibent exceptionem, *modo abſit contemptus*, in ſententiam trahentes ſuam verba Aquinatis cit. q. 72. art. 1. ad 3. *Hoc modo Confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis* (ad perfectionem ſcilicet comparandam) *quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti*. Nil hac veritate manifeſtius. Etenim ad producta ſuperius monimenta accedit Rothomagenſis Synodus, definiens tom. xv. Concil. pag. 827. *imperfectum* eſſe, *nec omnibus armis inſtructum*, quem ſacramentum hoc non corroborat. Turonenſis ib. pag. 1012. declarans, *Confirmationem eſſe ſacramentum ab omnibus maxime amplectendum*. Aquenſis ib. pag. 1128. præcipiens, ut parochi, *omnes, quos in ætate legitima, qua eos Epiſcopus duxerit eſſe debere, cognoverint, ad illud ſuſcipiendum omni cura, & diligentia adducant*. Narbonenſis ib. pag. 1588. admonens Epiſcopos, ut ſint ſolliciti, *ne per eorum negligentiam fiant vires populi ſibi commiſſi ad reſiſtendum imbecilliores*: Burdigalenſis demum pag. 1642. mandans, *Ne ſacramentum Confirmationis ad augendam Spiritus ſancti gratiam, & in ea confirmandos fideles, ullatenus negligatur*. Sane hæc, & alia plurima hujus generis hortamenta ad Epiſcopos, ad parochos, ad parentes, ad fideles demum univerſos directa, nemo dixerit ſpectare ad rem parvi tenuiſque momenti.

X.

Verum quiſnam contempſiſſe Confirmationem dicendus erit? Arbitror non eos tantum, qui ſpreverunt, & tamquam inutilem ceremoniam ſacramentum chriſmatis habuerunt, quod redolet ſacrilegii crimen, hæreſiſque portentum; verum & illos, qui non ex contemptu, ut inquiunt, *formali*, ſed ex negligentia non receperunt ipſam Confirmationem: adeo, ut ſi adſit Epiſcopus, ac ſe ad confirmandos neophytos denuntiet eſſe paratum, adulti ætate, nulloque legitimo impedimento detenti, dicendi ſint hujus ſacramenti *contemptores*, nec veniali, ſed mortali peccato ſeſe obſtringant. Scio Doctores aliquos aſſerere, quod omiſſio Confirmationis ſit grave peccatum graſſante duntaxat infidelium, aut hæreticorum perſecutione: at idem dicendum in caſu nuper expoſito, nec confirmandos tantum, verum etiam parentes, tutores, dominos, parochos gravia peccati reos eſſe, ſi non ſuſcipiant, aut ſuſcipiendam non curent ipſam Confirmationem affirmat Archiepiſcopus Bononienſis, nunc beatiſſimus Pontifex in ſæpe laudata Notificatione. Ne opinere, lector, virum ſummum ſecutum doctrinam rigidiorum Theologorum, æqua lance non ponderatam. Antequam enim Natalis Alexander, & reliqui num. VIII. commemorati ſua vulgarent ſcripta, immo antequam rigidiorum Theologorum audiretur nomen, Scotus in IV. diſt. VII. q. 2. de hoc Sacramento ſcripſerat: *Eſt tamen neceſſarium adulto ſic, ut non contemnat*; ac ſubinde explicans quid ſit contemnere, *Judicaretur enim contemptus, ſi omnimoda opportunitate oblata non ſuſciperetur*. S. Bonaventura poſt verba num. VIII. producta, *Ideo*, inquit, *ſi quis eam habet locum & tempus & opportunitatem, negligendo contemnit, periculo ſe exponit*. Auctor Summæ Angelicæ v. Confirmatio: *Itaque contemnens ipſam ſuſcipere peccat mortaliter: propterea credo quod notabilis negligentia Epiſcoporum in non conferendo illud, ſit eis peccatum mortale*. Mitto juniorum quamplurimos. Hanc vero optimam, tutiſſimamque ſententiam probo 1. quia præcitata Concilia docent ſacramentum Confirmationis *amplectendum eſſe*, præcipiuntque, *ne ullatenus negligatur*. Dum ergo eos damnant qui illud *contemnunt*, accipienda ſunt, inquit Franciſcus Henno, (non rigidus, ſed benignus auctor, & Leonardi Vanroy antagoniſta) quæſt. IX. Concl. 3. *non tantum de contemptu formali, qui ſemper eſt mortalis, licet res contempta ſit tantum conſilii, ſed etiam virtuali, qui cenſetur adeſſe, quando res poteſt ſine ullo incommodo obtineri, & tamen negligitur*. Ita explicandum contendimus S. Thomam 3. p. q. 72. art. 1. ad 3. Præterea Concilium Senonenſe an. 1524. ad hunc loquitur modum: *Omnes Chriſtiani tam viri, quam mulieres uſum rationis habentes, obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere Confirmationem: Contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens, paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit, aut deſpicit ſuſcipere*. Vide Juenin in Comment. q. 9. cap. 2. art. 1. Nat. Alex. cap. 4. prop. 2. Reg. 2. Franc. Henno loco nuper citato: in quorum fide Synodum Senonenſem anni 1524. laudavi, a Tournely quoque, & Vitaſſio commemoratam, quamvis eam me legiſſe non meminerim neque in Binii, neque in Labbei, neque in Harduini, neque in recentioribus Collectionibus. Idem evincitur ex Sacramentali Ambroſiano verbis S. Caroli, & Concilii Mediolanenſis IV. conſcripto, cujus verba dedimus octavo numero. Inſuper Academia Pariſienſis an. 1625. hanc aliam propoſitionem proſcripſit: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, niſi eam commode haberi poteſt, vel, ut alii dicunt, commodiſſime, quando ſine ullo, vel minimo prorſus incommodo*. Cenſura autem Sorbonica his verbis comprehenditur, *Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum ſacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo propoſita*. De hac propoſitione Juenin, L'Herminier, Tournely, & Natalis Alexander præcitatis in locis. Tandem nonne peccat graviter, qui ſponte exponit ſeſe periculo cadendi in ſpirituali conflictu? Atqui tali periculo ſe exponit qui circumdatus infirmitate, laceſſitus ab hoſtibus, & undique mundi irretitus illecebris, media neceſſaria ad vincendum, dum exhibentur, & habentur ad manus, rejicit & aſpernatur. Graviter peccat igitur, &c.

XI.

Dic ergo, ſodes, quos oportet non ſolum non negligere, verum & dare operam ut confirmentur, ſi valeant adire Epiſcopum? Dicam brevi. I. Qui ad negandam Chriſtianam fidem a paganis vel hæreticis provocantur; & quibus memoria repetendum eſt quod de Novato legimus apud Euſebium lib. VI. cap. 36. ob confirmationem neglectam, *perſecutionis tempore metu debilitatum, & nimia vitæ adductum cupiditate negaſſe ſe eſſe presbyterum*. II. Inter hæreticos commorantes, aut alias in periculis peſſumdandi fidem, morumque probitatem conſtituti. Horum præſertim cauſa decrevit Synodus Rhemenſis tom. XV. Conc. pag. 891. ſacramentum Confirmationis non eſſe prætermittendum *hoc tam calamitoſo, & hæreſeon pleno tempore*; ac pariter Archiepiſcopus Cameracenſis Guilelmus de Berges an. 1606. in Paſtorali Admonitione: *Car bien que ce Sacrement ſoit touſjours fort ſalutaire, & que les anciens Peres, & Docteurs de l'Egliſe n'ayent reputé ceulx-la Chreſtiens parfaicts, qui n'auroient receu l'impoſition des mains de l'Eveſque: toutes fois en ce temps plein d'hereſie & de tout vice, il ſemble tellement neceſſaire, qu'on ne le doit aucunement obmettre, &c.* III. Tridentinum Concilium ſeſſ. 23. cap. 4. de Reformat. hæc mandat, *Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*: unde infertur Confirmationem ante Ordines, necnon ante tonſuram eſſe ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiendam. Sunt qui contendant ſubeſſe verbis vim conſilii, non autem rigoroſi præcepti. Ita Navarrus, Soto, Suarez, Salmanticenſes. At oppoſitum tenent noſtrates, Baſilius Poncins, Farvacques, Girken, Vanroy, Gavardi, aliique omnes, ſi unus excipiatur Gibbon. His ſubſcribendum arbitror; nam principium juris eſt apud Panormitanum, ceteroſque pertractantes de legibus, verba imperandi vim habere *in actu exercito* ad legem conſtituendam: quam doctrinam tradiderat ipſamet Suareſius lib. 3. de legibus cap. 5. num. 8. Ac niſi illam amplectamur, quanta ſacrorum conciliorum præcepta, hac ſubdola, laxaque interpretatione, quod hortatoria ſint, eludi poterunt & contemni? Deinde ſententia Navarri rejicitur in declarationibus Concilii Trid. factis a S. Rom. E. Cardinalibus pag. 294. edit. Lugd. ubi etiam ab eo, qui primam tonſuram petit, niſi poſſit aliter probare ſe confirmatum, requiritur ſaltem ut juret. Animadvertendum tamen harum declarationum permultas eſſe confictas, nec auctoritatem habere aliquam, niſi proferantur *in authentica forma*, ex decreto Urbani VIII. die 2. Auguſti 1631. Ad hæc recipientes *coronam in capite* vocantur in Dei ſortem, divino officio mancipantur, atque ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare debent, ex cap. *Duo ſunt genera*, XII. q. I. num. 7. Tenentur ergo præ ceteris Chriſtianæ militiæ inſignibus, armiſque inſtrui. At irregularitatem non contrahere qui non recepta tonſura promoveretur ad Ordines, conſentiunt omnes, idque infertur ex Regula XV. Juris in Sexto. IV. Idem, quod de initiandis tonſura, merito cenſet Farvacques de emittentibus profeſſionem religioſam, hoc excepto, quod non invenimus de iſtis præceptum aliquod, ſed congruentiam duntaxat, petitam ex genere vitæ, cui ſe obſtringunt, atque ex neceſſitate ſuperni roboris ad vincenda perduellis voluptatis, cupiditatum, carniſque luctamina. Hinc magnus Baſilius ſerm. I. Commonit. ad Vitam Monaſticam ait: *Qui ſanctorum Chriſti diſcipulorum commilitonibus cupis numerari, nervos tuos omnes ad rerum adverſarum tolerantiam intendito, & forti animo ad vera pietatis cultorum te cœtum conferto*. V. Continuator Witaſſii pag. 632. & Franciſcus Hallier de Sacris Ordinat. pag. 132. docent Confirmationem præmittendam ſacro Virginum velamini: quod Hallier probat ex carmine Alcimi Aviti ad Fuſcinam ſororem; ibi namque hi verſus leguntur:

...... Dominus plebem cum forte doceret
Pervigili cura ſupremum noſcere tempus,
Expectare diem, quo judex immineat orbi,
Virginibus ſancto ſignatis chriſmate confert.

Aliter Hallier hos verſus laudat: ſed vide tom. IV. Bibl. Patrum pag. 624. Ex eodem carmine ſuperiori pagina hanc rationem depromo:

Namque ibi bellatrix, & pleno robore pollens
Virginitas armata venit: quam fœda libido
Appetit, & caſſo vocat in certamina niſu;
Sic bellatricem te ſentiat æmulus anguis,
Cumque laceſſita concedent prælia palmam,
Læta feras ſummum calcato ex hoſte trophæum.

Hæc vero, ſicuti de religioſis viris dixi, congruentiæ rationem habent, non præcepti. VI. Eos, qui parato Epiſcopo poſſunt confirmari, ſi id negligant, peccare lethaliter ſatis commonſtrat præcedens ſectio. VII. Qui demum ad ætatem longævam differunt tam ſalubre remedium, cogitare debent Apoſtolos, *cum Samaria recepiſſet verbum Dei*, ſtatim eo profectos, ut impoſitione manuum baptizatos confirmarent: Eccleſiam adeo fuiſſe de confirmandis ſollicitam, ut aliquando non confirmatis Euchariſtiam denegaret, uti demonſtrat Martenius tom. I. de Antiq. rit. pag. 237. ex Lambethenſi, & Bituricenſi Conciliis: repetendam denique ex hujus Sacramenti neglectu tantam in conflictationibus ſpiritus imbecillitatem, tantam vitiorum illuviem, tantamque in hoſtibus vincendi facilitatem.

CAPUT IX.

Pertractatur de duplici Confirmationis effectu.

SACRAMENTI Confirmationis duos effectus Orthodoxi omnes agnoſcunt, *Gratiam*, videlicet; & *Characterem*. Gratiam hoc Sacramento conferri negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, & univerſi propemodum Novatores, non eo duntaxat titulo, quod Sacramentis omnibus hanc denegant efficientiam, ſed inſuper, quia per impoſitionem manuum Apoſtolicarum datum velint ſolum donum linguarum, non ſanctificantis gratiæ decorem. Quæ igitur diſſerui lib. XXX. cap. 19. de Sacramentorum vi & efficacia, atque præſenti in libro de Confirmationis, ut loquuntur ſcholæ, natura, eadem revincunt, oppugnantque ſententiam hæreticorum. Catholici vero poſteaquam commonſtrarunt ſanctificantem gratiam hoc ſacramento produci, inquirunt præterea quænam ſit gratia confirmatrix, & num diſtincta ab illa, quam producit ſacrum regenerationis lavacrum: quam utique nos arbitramur eſſe haud magni momenti quæſtionem. Fuerunt nonnulli, qui ſcripſerunt Sacramento Confirmationis conferri aliquando *primam gratiam*: deleri eodem Sacramento peccatum originale affirmavit Raymundus Lullus apud Eymericum Nicolaum 2. p. direct. Inquiſit. q. 9. pag. 276. Eodem Sacramento juſtificari hæreticum ad Catholicam redeuntem, ſcripſit lib. IX. de Pœnit. cap. XI. Joannes Morinus. Atque de hac quæſtione, cum nihil penitus dixerint, qui cenſentur de Re Sacramentaria accuratius pertractaſſe, nonnulla poſt Farvacqueſium reponam. Demonſtrabo itaque priori loco produci per Sacramentum Confirmationis gratiam ſanctificantem, idque breviſſime, & in compendium redigens jam prolixe diſputata: dicam poſtea quænam ſit iſta gratia: oſtendam deinceps quomodo diſtinguatur a gratia baptiſmatis; ac tandem inquiram, an Confirmatio per ſe aliquando conferat gratiam primam. Abſolvetur itaque prima pars hujus capitis quatuor theſibus.

De *charactere*, qui eſt Confirmationis effectus alter, revocabo ad examen, an revera hoc ſacramento imprimatur; quod præter hæreticos negaverunt Armanupolus in Scholiis ad canonem 47. Apoſtolorum, Job Monachus, Nicolaus Cabaſila, & Gabriel Philadelphienſis apud Arcudium in Concordia lib. 2. cap. 18. Oſtendam præterea, quod hujus conſectarium eſt, numquam Confirmationem eſſe iterandam. Cum autem hæretici revertentes ad gremium Eccleſiæ recepti olim fuerint per manuum impoſitionem, dicam ſimul, fuerit ne talis impoſitio manus *confirmatoria*, an tantum reconciliatrix. Inveſtigabo pariter ſenſum Cypriani, & Auguſtini, ubi de hac manus impoſitione loquuntur: nam a Cypriano per impoſitionem manuum, qua recipiebantur hæretici, intelligi Sacramentum Confirmationis ſentit Natalis Alex. diſſert. X. ſec. 2. §. 14. atque idem de Auguſtino judicium profert Morinus cit. loco, & Joannes Maldonatus tom. I. Controverſ. pag. 112. Denique & illud expendam, num character Confirmationis ſit diſtinctus a charactere baptiſmatis, ut veteres, & recentiores ſcholaſtici, ſi perpaucos excipias, tradiderunt; num vero indiſtinctus, ut viſum Altiſſiodorenſi in Summa, necnon Simeoni Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. Atque hæc pariter, quoniam ſunt faciliima, & modo addantur aliqua de impoſitione manuum, qua tranſactis ſæculis recipiebantur hæretici, ſuperioribus diſſertationibus explicata, quatuor aliis theſibus expediam, agens in prima de Confirmationis *charactere*, in altera de hæreticorum receptione, in tertia de ſententia SS. Cypriani, & Auguſtini, in poſtrema denique de utriuſque *characteris*, Baptiſmi ſcilicet, & Confirmationis diſcrimine.

DE GRATIA

THESIS I.

SAcramento Confirmationis confertur gratia aliqua ſanctificans, ſive, ut loquuntur Scholæ, gratum faciens. Conſequitur ex cap. 2. hujus libri. Eo namque loci oſtendimus Apoſtolos per impoſitionem manus dediſſe *Spiritum ſanctum*, quem Auguſtino teſte conferunt etiamnum Epiſcopi, quamvis minime impertiantur donum linguarum, & miraculorum. Diximus etiam datum ab Apoſtolis Spiritum ſanctum fuiſſe virtutem *ſpiritus ſupervenientis ex alto*, ut baptizati Chriſti fidem invicta profiterentur, atque in ejus confeſſione perſiſterent. Demonſtravimus præterea hunc *Spiritum ſanctum* omnibus per baptiſmum regeneratis fuiſſe collatum, cum tamen linguarum donum, aliæque gratiæ *gratis datæ*, nec juſtis tantum, nec baptizatis univerſis ſoleant concedi. Ulterius affirmavimus Apoſtolos præcipuos, Petrum, & Joannem magna cura atque ſollicitudine miſſos Jeroſolymis ad Samaritanos, ut eos confirmarent; cum inter illos Philippus Diaconus curaret paralyticos & claudos, ejiceret immundos ſpiritus, atque ſigna alia innumera perpetraret: quæ omnia in diſtinct. VII. §. IX. firmo ratiocinio complectitur illuſtris Eſtius, Theologorum autem nullus ignorat. Ad hæc percurrentes omnium ſæculorum ſpatia produximus innumera & locupletiſſima teſtimonia Conciliorum, & Patrum aſſerentium neophytos conſignatione Epiſcopali accipere *Spiritum ſanctum*, perfici, confirmari, proficere ſpiritaliter, conſummari, fieri unctos Dei, & ſupercæleſti ſuavitate perfundi. Hæc autem omnia commonſtrant hanc theſim, & Scholaſticam ratiocinationem hoc plane modo conglutinant: Gratia in Eccleſia perſeverans, ac diſtincta a temporario dono linguarum, communis omnibus abſque pravæ voluntatis obice confirmatis, eoſque perficiens, corroborans, & ſupervenientis Spiritus virtute communiens, eſt proculdubio gratia ſanctificans, & *gratum faciens*. Per ſacramentum Confirmationis confertur ita diſpoſitis gratia a munere linguarum & miraculorum diverſa, & quæ baptizatos perficit, conſummat, roborat, redditque Spiritus ſancti munimina alacriores, & firmiores. Itaque per Sacramentum Confirmationis confertur gratia ſanctificans, & *gratum faciens*.

Digitized by Google

CTUS in Conſtitut. de Ritibus Græcorum §. 3. num. 4. declarat confirmatos a ſimplici ſacerdote non habente Sedis Apoſtolicæ cuctoritetem, confirmandos ab Epiſcopo, & commonendos eb Ordinariis locorum, *eos gravis peccati reatu teneri, ſi cum poſſunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.*

Duo tamen ſunt, quæ dictis poſſunt opponi. Unum, quod hujus præcepti nullum in ſacris litteris, vel epud Patres extat veſtigium: alterum, quod Confirmationis defectum ſupplere queat *unctio verticalis*. Verum enimvero inania iſta ſunt. Primum ſiquidem fecile refutatur, cum non deſint docti viri, qui illiuſmodi præceptum comprobent ex Act. 1. & 8. ubi legimus Jeſum præcepiſſe Apoſtolis, ne diſcederent Jeroſolymis, *ſed exſpectarent promiſſionem Patris*, ſcilicet Spiritum ſenctum: quod utique præceptum, ſi non omnes, eos ſaltem comprehendit, qui ante reges, & præſides in teſtimonium fidei trahuntur. Sunt inſuper qui præceptum illud inferunt ex praxi Eccleſiæ, quæ ſemper olim baptizatis impendit Confirmetionem, & perſecutionum tranſacto tempore, hæreſibuſque devictis, non vult illam parvipendi, & contemni. At contemptus foret maximus, illius robur in ſtatu, de quo diſſerimus, aſpernari. Praxim vero, cujus inſtitutionem aliam non invenimus, ab Apoſtolorum temporibus, & a Chriſto repetendem eſſe, haud ſemel eſt definitum. Quamvis præterea nullibi occurreret tale præceptum *explicitum*; illud jure meritoque adeſſe diceretur, ubi eget homo Spiritus ſancti robore ac firmitudine, ee quo ſciamus fuiſſe Confirmationem hujus rei gratia inſtitutam. Hac ergo ratione refutatur prior oppoſitio. Ad elteram reſpondetur *unctionem verticalem* ſupplere effectum gratiæ, quam confert Confirmatio, quendo hæc nequit heberi, neque id præſtare per ſe, ſed ratione fidei, ex opere operantis, atque per votum Confirmationis ſuſcipiendæ; nam ut Rabanus inquit lib. 1. de Inſtit. Clericorum cap. 28. unctio verticelis *ſignificat Spiritus ſancti deſcenſionem ad habitationem Deo conſervandam*, non eem confert; atque, ut ſcribit Hugo Victorinus prælaudato cap. 3. illa unctio non eſt Sacramentum, ſed oſtendit, *quantum Sacramentum iſtud neceſſarium ſit ad ſalutem*. Jure itaque Pariſienſis Academia an. 1625. confixit hanc quorumdam Anglorum propoſitionem: *Chriſmatio, quam ſacerdos in baptiſmo facit, ideo eſt ab Eccleſia inſtituta, non ſolum ut chriſmationis Epiſcopalis ſignificationem, verum ut effectum ipſum suppleret, ideſt, ut homines in gratia baptiſmatis conſervaret confirmaretque.*

IX.

De ceteris, qui in prædictis circumſtantiis periculorum pleniſſimis non ſunt conſtituti, quid exiſtimas eſſe tenendum? Quod Theologi omnes, excepto nemine, affirmant, peccare morteliter, quotquot ſaluberrimum hoc ſacrementum habent contemptui. Nam & benigniores, qui ſuſcipiendæ Confirmetionis nullum extare præceptum univerſim pronuntiant, (quod tam abſolute, me quidem judice, nefas eſt pronuntiare) eem adhibent exceptionem, *modo abſit contemptus*, in ſententiam trahentes ſuam verba Aquinatis cit. q. 72. ett. 1. ad 3. *Hoc modo Confirmatio eſt de neceſſitate ſalutis* (ad perfectionem ſcilicet comparendem) *quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti*. Nil hac veritete manifeſtius. Etenim ad producta ſuperius monimenta accedit Rothomagenſis Synodus, definiens tom. xv. Concil. pag. 827. *imperfectum eſſe, nec omnibus armis inſtructum*, quem ſacramentum hoc non corroborat. Turonenſis ib. pag. 1012. declarans, *Confirmationem eſſe ſacramentum ab omnibus maxime amplectendum*. Aquenſis ib. pag. 1128. præcipiens, ut parochi, *omnes, quot in ætate legitima, qua eos Epiſcopus duxerit eſſe debere, cognoverint, ad illud ſuſcipiendum omni cura, & diligentia adducant*. Narbonenſis ib. pag. 1588. admonens Epiſcopos, ut ſint ſolliciti, *ne per eorum negligentiam fiant vires populi ſibi commiſſi ad reſiſtendum imbecilliores*: Burdigalenſis demum pag. 1642. mandans, *Ne ſacramentum Confirmationis ad augendam Spiritus ſancti gratiam, & in ea confirmandos fideles, ullatenus negligatur*. Sane hæc, & alia plurime hujus generis hortamenta ad Epiſcopos, ad parochos, ad parentes, ed fideles demum univerſos directa, nemo dixerit ſpectere ad rem parvi tenuiſque momenti.

X.

Verum quiſnem contempſiſſe Confirmetionem dicendus erit? Arbitror non eos tantum, qui ſpreverunt, & tamquam inutilem ceremoniam ſacramentum chriſmatis habuerunt, quod redolet ſacrilegii crimen, hæreſiſque portentum; verum & illos, qui non ee contemptu, ut inquiunt, *formali*, ſed ee negligentia non receperunt ipſam Confirmationem: adeo, ut ſi adſit Epiſcopus, ac ſe ad confirmandos neophytos denuntiet eſſe paratum, adulti ætate, nulloque legitimo impedimento detenti, dicendi ſint hujus ſacrementi *contemptores*, nec veniali, ſed mortali peccato ſeſe obſtringant. Scio Doctores eliquos aſſerere, quod omiſſio Confirmationis ſit greve peccatum graſſante duntaxat infidelium, aut hæreticorum perſecutione: et idem dicendum in caſu nuper expoſito, nec confirmandos tantum, verum etiam parentes, tutores, dominos, parochos gravis peccati reos eſſe, ſi non ſuſcipiant, aut ſuſcipiendam non curent ipſam Confirmationem effirmat Archiepiſcopus Bononienſis, nunc beatiſſimus Pontifex in ſæpe laudata Notificatione. Ne opineris, lector, virum ſummum ſecutum doctrinam rigidiorum Theologorum, æqua lance non ponderatem. Antequam enim Natalis Alexender, & reliqui num. VIII. commemorati ſua vulgarent ſcripta, immo antequam *rigidiorum* Theologorum audiretur nomen, Scotus in IV. diſt. VII. q. 2. de hoc Sacramento ſcripſerat: *Eſt tamen neceſſarium adulto ſic, ut non contemnat*; ac ſubinde explicans quid ſit contemnere, *Judicaretur enim contemptus, ſi omnimoda opportunitate oblata non ſuſciperetur*. S. Bonaventura poſt verba num. VIII. producta, *Ideo*, inquit, *ſi quis cum habet locum & tempus & opportunitatem, negligendo contemnit, periculo ſe exponit*. Auctor Summæ Angelicæ v. Confirmatio: *Itaque contemnens ipſum ſuſcipere peccat mortaliter: propterea credo quod notabilis negligentia Epiſcoporum in non conferendo illud, ſit eis peccatum mortale*. Mitto juniorum quamplurimos. Hanc vero optimam, tutiſſimamque ſententiam probo 1. quia præcitata Concilia docent ſacramentum Confirmationis *amplectendum eſſe*, præcipiuntque, *ne ullatenus negligatur*. Dum ergo eos damnant qui illud *contemnunt*, accipiendi ſunt, inquit Franciſcus Henno, (non rigidus, ſed benignus auctor, & Leonardi Vauroy antagoniſta) quæſt. IX. Concl. 3. *non tantum de contemptu formali, qui ſemper eſt mortalis, licet res contempta ſit tantum conſilii, ſed etiam virtuali, qui cenſetur adeſſe, quando res poteſt ſine ullo incommodo obtineri, & tamen negligitur*. Ita explicandum contendimus S. Thomam 3. p. q. 72. art. 1. ad 3. Præterea Concilium Senonenſe an. 1524. ad hunc loquitur modum: *Omnes Chriſtiani tam viri, quam mulieres uſum rationis habentes, obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere Confirmationem: Contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens, paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit, aut deſpicit ſuſcipere*. Vide Juenin in Comment. q. 9. cap. 2. art. 1. Nat. Alex. cap. 4. prop. 2. Reg. 2. Franc. Henno loco nuper citato: in quorum fide Synodum Senonenſem anni 1524. laudavi, a Tonroely quoque, & Vitaſſio commemoratam, quamvis eam me legiſſe non memini neque in Binii, neque in Labbei, neque in Harduini, neque in recentioribus Collectionibus. Idem evincitur ee Sacramentali Ambroſiano verbis S. Caroli, & Concilii Mediolanenſis IV. conſcripto, cujus verba dedimus octavo numero. Inſuper Academia Pariſienſis an. 1625. hanc aliam propoſitionem proſcripſit: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, niſi cum commode haberi poteſt, vel, ut alii dicunt, commodiſſime, quando ſine ullo, vel minimo prorſus incommodo*. Cenſura autem Sorbonica his verbis comprehenditur, *Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum ſacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo propoſita*. De hac propoſitione Juenin, L' Herminier, Tournely, & Natalis Alexander præcitatis in locis. Tandem nonne peccat graviter, qui ſponte exponit ſeſe periculo cadendi in ſpiritali conflictu? Atqui tali periculo ſe exponit qui circumdatus infirmitete, laceſſitus eb hoſtibus, & undique mundi irretitus illecebris, media neceſſaria ad vincendum, dum exhibentur, & habentur ad manus, rejicit & aſpernatur. Graviter peccat igitur, &c.

XI.

Dic ergo, ſodes, quos oportet non ſolum non negligere, verum & dare operam ut confirmentur, ſi valeant adire Epiſcopum? Dicam brevi. I. Qui ad negandam Chriſtianam fidem e paganis vel hæreticis provocantur; & quibus memoria repetendum eſt quod de Novato legimus apud Euſebium lib. VI. cap. 36. ob confirmationem neglectam, *perſecutionis tempore metu debilitatum, & nimia vitæ adductum cupiditate negaſſe ſe eſſe presbyterum*. II. Inter hæreticos commorentes, aut alias in periculis peſſundandi fidem, moromque probitatem conſtituti. Horum præſertim cauſa decrevit Synodus Rhemenſis tom. xv. Conc. pag. 891. ſacramentum Confirmationis non eſſe prætermittendum *hoc tam calamitoſo, & hæreſeon pleno tempore*; ac pariter Archiepiſcopus Cameracenſis Guilelmus de Berges an. 1606. in Paſtorali Admonitione *Car bien que ce Sacrement ſoit touſjours fort ſalutaire, & que les anciens Peres, & Docteurs de l' Egliſe n' ayent reputé ceulx-la Chreſtiens parfaictz, qui n' auroient receu l' impoſition des mains de l' Eveſque: toutes fois en ce temps plein d' hereſie & de tout vice, il ſemble tellement neceſſaire, qu' on ne le doit aucunement obmettre, &c.* III. Tridentinum Concilium ſeſſ. 23. cap. 4. de Reformat. hæc mandat, *Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*: unde infertur Confirmationem ante Ordines, necnon ante tonſuram eſſe

ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipiendam. Sunt qui contendant ſubeſſe verbis vim conſilii, non autem rigoroſi præcepti. Ita Navarrus, Soto, Suarez, Salmanticenſes. At oppoſitum tenent noſtrates, Baſilius Poncius, Farvacques, Girken, Vanroy, Gavardi, aliiqua omnes, ſi unus excipiatur Gibbon. His ſubſcribendum arbitror; nam principium juris eſt apud Panormitanum, caterosque pertractantes de legibus, verba imperandi vim habere *in actu exercito* ad legem conſtituendam: quam doctrinam tradiderat ipſemet Suareſius lib. 3. de legibus cap. 5. num. 8. Ac niſi illam ampleɛtamur, quanta ſacrorum conciliorum præcepta, hac ſubdola, laxaque interpretatione, quod hortatoria ſint, eludi poterunt & contemni? Deinde ſententia Navarri rejicitur in declarationibus Concilii Trid. factis a S. Rom. E. Cardinalibus pag. 294. edit. Lugd. ubi etiam ab eo, qui primam tonſuram petit, niſi poſſit aliter probare ſe confirmatum, requiritur ſaltem ut juret. Animadvertendum tamen harum declarationum permultas eſſa confictas, nec auctoritatem habere aliquam, niſi proferantur *in authentica forma*, aa decreto Urbani VIII. die 2. Auguſti 1631. Ad hæc recipientes *coronam in capite* vocantur in Dei ſortem, divino officio mancipantur, atque ab omni ſtrepitu tamporalium ceſſare debent, ea cap. *Duo ſunt genera*, XII. q. I. num. 7. Tenentur ergo præ ceteris Chriſtianæ militiæ inſignibus, armiſque inſtrui. At irregularitatem non contrahere qui non recepta tonſura promoveretur ad Ordines, conſentiunt omnes, idque inſertur ex Regula XV. Juris in Sexto. IV. Idem, quod de initiandis tonſura, merito cenſet Farvacques de emittentibus profeſſionem religioſam, hoc excepto, quod non invenimus de iſtis præceptum aliquod, ſed congruentiam dontaaat, petitam ex genare vitæ, cui ſe obſtringunt, atque ex neceſſitate ſuperni roboris ad vincenda perduelis voluptatis, cupiditatum, carniſque luctamina. Hinc magnus Baſilius ſerm. I. Commonit. ad Vitam Monaſticam ait: *Qui ſanctorum Chriſti diſcipulorum commilitonibus cupis numerari, nervos tuos omnes ad rerum adverſarum tolerantiam intendito, & forti animo ad veræ pietatis cultorum te cœtum conferto*. V. Continuator Witaſſii pag. 632. & Franciſcus Hallier de Sacris Ordinat. pag. 832. docent Confirmationem præmittendam ſacro Virginum velamini: quod Hallier probat ea carmine Alcimi Aviti ad Fuſcinam ſororem; ibi namqua hi verſus leguntur:

...... Dominus plebem cum forte doceret
Pervigili cura ſupremum noſcere tempus,
Expectare diem, quo judex emminet orbi,
Virginibus ſancto ſignatis chriſmate confert.

Aliter Hallier hos verſus laudat: ſed vide tom. IV. Bibl. Patrum pag. 624. Ex eodem carmina ſuperiori pagina hanc rationem depromo:

Namque ibi bellatrix, & pleno robore pollens
Virginitas armata venit: quam fœda libido
Appetit, & caſſo vocat in certamina niſu;
Sic bellatricem te ſentiat æmulus anguis,
Cumque laceſſita concedent prælia palmam,
Læta feras ſummum calcato ex hoſte tropbæum.

Hæc vero, ſicuti de religioſis viris dixi, congruentiæ rationem babent, non præcepti. VI. Eos, qui parato Epiſcopo poſſunt confirmari, ſi id negligant, peccare lethaliter ſatis commonſtrat præcedens ſectio. VII. Qui demum ad ætatem longævam differunt tam ſalubre remedium, cogitare debent Apoſtolos, *cum Samaria recepiſſet verbum Dei*, ſtatim eo profectos, ut impoſitiona manuum baptizatos confirmarent: Eccleſiam adeo fuiſſa de confirmandis ſollicitam, ut aliquando non confirmatis Euchariſtiam denegaret, uti demonſtrat Martenius tom. I. de Antiq. rit. pag. 237. ea Lambethenſi, & Bituricenſi Conciliis: repetendam denique ea hujus Sacramenti neglectu tantam in conflictationibus ſpiritus imbecillitatem, tantam vitiorum illuviem, tantamque in hoſtibus vincendi facilitatem.

C A P U T IX.

Pertractatur de duplici Confirmationis effectu.

SACRAMENTI Confirmationis duos effectus Orthodoxi omnes agnoſcunt, *Gratiam*, videlicet, & *Characterem*. Gratiam hoc Sacramento conferri negant Lutherus, Calvinus, Kemnitius, Dallæus, & univerſi propemodum Novatores, non eo duntaxat titulo, quod Sacramentis omnibus hanc denegant efficientiam, ſed inſuper, quia per impoſitionem manuum Apoſtolicarum datum velint ſolum donum linguarum, non ſanctificantis gratiæ decorem. Quæ igitur differui lib. XXX. cap. 19. de Sacramentorum vi & efficacia, atque præſenti in libro de Confirmationis, ut loquuntur ſcholæ, natura, eadam revincunt, oppugnantque ſententiam hæreticorum. Catholici vero poſteaquam commonſtrarunt ſanctificantem gratiam hoc ſacramento produci, inquirunt præterea quænam

ſit gratiæ confirmatrix, & num diſtincta ab illa, quam producit ſacrum regenerationis lavacrum: quam utique nos arbitramur eſſa haud magni momenti quæſtionem. Fuerunt nonnulli, qui ſcripſerunt Sacramento Confirmationis conferri aliquando *primam gratiam*: deleri eodem Sacramento peccatum originale affirmavit Raymundus Lullus apud Eymericum Nicolaum 2. p. direct. Inquiſit. q. 9. pag. 276. Eodam Sacramento juſtificari hæraticum ad Catholicam redeuntem, ſcripſit lib. IX. de Pœnit. cap. XI. Joannes Morinus. Atque de hac quæſtione, cum nihil penitus dixerint, qui cenſentur de Ra Sacramentaria accuratius pertractaſſe, nonnulla poſt Farvacqueſium reponam. Demonſtrabo itaque priori loco produci per Sacramentum Confirmationis gratiam ſanctificantem, idque breviſſime, & in compendium redigens jam prolixe diſputata: dicam poſtea quænam ſit iſta gratia: oſtendam deinceps quomodo diſtinguatur a gratia baptiſmatis; ac tandem inquiram, an Confirmatio per ſe aliquando conferat gratiam primam. Abſolvetur itaque prima pars hujus capitis quatuor theſibus.

De *charactere*, qui eſt Confirmationis effectus alter, revocabo ad examen, an revera hoc ſacramento imprimatur; quod præter hæreticos negaverunt Armenopolus in Scholiis ad canonem 47. Apoſtolorum, Job Monachus, Nicolaus Cabaſila, & Gabriel Philadelphienſis apud Arcudium in Concordia lib. 2. cap. 18. Oſtendam præterea, quod hujus conſectarium eſt, numquam Confirmationem eſſa iterandam. Cum autem hæretici revertentes ad gremium Eccleſiæ recepti olim fuerint per manuum impoſitionem, dicam ſimul, fuerit ne talis impoſitio manus *confirmatoria*, an tantum reconciliatrix. Inveſtigabo pariter ſenſum Cypriani, & Auguſtini, ubi de hac manus impoſitione loquuntur: nam a Cypriano per impoſitionem manuum, qua recipiebantur hæretici, intelligi Sacramentum Confirmationis ſentit Natalis Alex. diſſert. X. ſæc. 2. §. 14. atque idem da Auguſtino judicium profert Morinus cit. loco, & Joannes Maldonatus tom. I. Controverſ. pag. 112. Denique & illud expendam, num character Confirmationis ſit diſtinctus a charactere baptiſmatis, ut veteres, & recentiores ſcholaſtici, ſi perpaucos excipias, tradiderunt; num vero indiſtinctus, ut viſum Altiſſiodorenſi in Summa, necnon Simeoni Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. Atque hæc pariter, quoniam ſunt faciliima, & modo addantur aliqua da impoſitione manuum, qua tranſactis ſæculis recipiebantur hæretici, ſuperioribus diſſertationibus explicata, quatuor aliis theſibus expediam, agens in prima da Confirmationis *charactere*, in altera de hæreticorum receptione, in tertia de ſententia SS. Cypriani, & Auguſtini, in poſtrema denique de utriuſque *characteris*, Baptiſmi ſcilicet, & Confirmationis diſcrimine.

D E G R A T I A

T H E S I S I.

S*Acramento Confirmationis confertur gratia aliqua ſanctificans, ſive, ut loquuntur Scholæ, gratum facient.* Conſequitur ex cap. 2. hujus libri. Eo namque loci oſtendimus Apoſtolos per impoſitionam manus dediſſe *Spiritum ſanctum*, quem Auguſtino teſte conferunt etiamnum Epiſcopi, quamvis minime impertiantur donum linguarum, & miraculorum. Diximus etiam datum ab Apoſtolis Spiritum ſanctum fuiſſe virtutem *Spiritus ſupervenientis ex alto*, ut baptizati Chriſti fidem invicta profiterentur, atque in ejus confeſſione perſiſterent. Demonſtravimus præterea hunc *Spiritum ſanctum* omnibus per baptiſmum regenaratis fuiſſe collatum, cum tamen linguarum donum, aliæque gratiæ *gratis datæ*, nec juſtis tantum, nec baptizatis univerſis ſoleant concedi. Ulterius affirmavimus Apoſtolos præcipuos, Petrum, & Joannem magna cura atque ſollicitudina miſſos Jeroſolymis ad Samaritanos, ut eos confirmarent; cum inter illos Philippus Diaconus curaret paralyticos & claudos, ejicaret immundos ſpiritus, atque ſigna alia innumara perpetraret: quæ omnia in diſtinct. VII. §. 12. firmo ratiocinio complectitur illuſtris Eſtius, Theologorum autem nullus ignorat. Ad hæc percurrentes omnium ſæculorum ſpatia produximus innumera & locupletiſſima teſtimonia Conciliorum, & Patrum aſſerentium neophytos conſignatione Epiſcopali accipere *Spiritum ſanctum*, perfici, confirmari, proficere ſpiritaliter, conſummari, fieri unctos Dei, & ſupercæleſti ſuavitate perfundi. Hæc autem omnia commonſtrant hanc theſim, & Scholaſticam ratiocinationem hoc plane modo conglutinant: Gratia in Eccleſia perſeverans, ac diſtincta a temporario dono linguarum, communis omnibus abſque pravæ voluntatis obice confirmatis, eoſque perficiens, corroborans, & ſupervenientis Spiritus virtute communiens, eſt proculdubio gratia ſanctificans, & *gratum faciens*. Per ſacramentum Confirmationis confertur rite diſpoſitis gratia a munere linguarum & miraculorum diverſa, & quæ baptizatos perficit, conſummat, roborat, redditque Spiritus ſancti munimine alacriores, & firmiores. Itaqua per Sacramentum Confirmationis confertur gratia ſanctificans, & *gratum faciens*.

THE-

THESIS II.

Gratia, quam producit Sacramentum Confirmationis, eſt augmentum gratiæ tribuens baptizato perfectionem, robur, ac firmitudinem. Demonſtratur primo Eccleſiaſticis definitionibus. Nam can. 38. & 77. Illiberitanis non ſemel laudatis, ſtatuitur baptizatos per Confirmationem *perfici*. Florentinum Concilium Tom. XIII. collect. Lab. pag. 536. *Effectus* (inquit) *hujus ſacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes; ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen.* Synodus Narbonenſis celebrata an. 1609. tom. XV. pag. 1587. aliæque omnes ejuſdem voluminis, docent: *in hoc ſacramento, quo per impoſitionem manuum Epiſcopi Spiritus ſanctus diffunditur in corda fidelium, robur, atque fortitudinem dari.* Profertur ibidem exemplum athletæ, antequam ad ſingulare aliquod certamen deſcenderet, ungi ſoliti. Tertia Decreti parte de Conſecrat. diſt. V. cap. *Spiritus ſanctus*, ex Epiſtola Iſidoriana inſcripta Melchiadi, hæc legimus: *In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur:* paucíſque interjectis, *Regeneratio per ſe ſalvat mox in pace beati ſæculi recipiendos: Confirmatio autem armat, & inſtruit ad agones mundi hujus, & prælia reſervandos.* Similia leguntur cap. *Cum veniſſet*, de ſacra unctione, ſupra cap. 2. prop. 2. II. Eadem eſt doctrine Patrum; Tertullianus enim de Reſurr. Carnis cap. 8. ſcripſit, ſignari carnem, *ut anima muniatur.* Auctor ſermonis de unctione Chriſmatis inter Opere Cypriani pag. CVIII. Append. ait: *Ex hujus unctionis beneficio & ſapientia nobis & intellectus divinitus datur; conſilium & fortitudo cælitus illabitur; ſcientia, pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo uncti cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus.* Cyrillus Jeroſolymit. catech. 3. pag. 63. inquit, *Deinde cum tibi gratia* (poſt baptiſmum, & per unctionem chriſmatis) *confertur, tunc tibi adverſus contrarias virtutes dat poteſtatem:* ὅταν τῆς χάριτος καταξιωθῇς, τότε σοὶ πρὸς τὰς ἀντικειμένας δυνάμεις παλαίειν δίδωσι τὴν ἰσχύν. Plura catech. 3. Myſtagogica, pag. 527. unde nonnulla exſcripſimus ſupra cap. 2. Præterea, quæ apertiſſima ſunt, & eo loci producta, tradit Cyrillus nos chriſmate inungi, *ut induti thoracem juſtitiæ fortiter adverſus inſidias diaboli conſiſtamus.* Addit nos ſacro unguento perunctos facilius cuſtodire donum fidei *intemeratum & impollutum.* Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, qui juxta Trithemium floruit an. 350. hom. in die Pentecoſtes habet ad litteram totum prælaudatum Caput, *Spiritus ſanctus*, de Conſecrat. diſt. 5. ut merito ſuſpiceris, hinc, non ex ſuppoſita Melchiadis Epiſtola fuiſſe depromptum. Adeaſis Bibl. PP. paginam 649. ſexti Voluminis. III. Idem tradidere qui de Eccleſiaſticis Officiis, ritibuſque pertrectarunt. Iſidorus lib. 2. cap. 25. *Ideo*, inquit, *poſt lavacrum ungimur, ut Chriſti nomine cenſeamur.* Rabanus Maurus lib. 1. cap. 30. ait: *Noviſſime autem a ſummo Sacerdote per impoſitionem manus Paraclitus traditur, ut roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis idem, quod ipſe in baptiſmate conſecutus eſt, per gratiam vitæ donatus æternæ.* Addi poteſt Joannes Stephanus Duranti lib. 1. cap. 20. num. 15. Sacramentale Ambroſianum pag. 51. præcipit, ut confirmandis explicentur *quæ ad Spiritus ſancti ſeptem dona pertinent*; quorum collatio eſt hujus ſacramenti præcipuus effectus; revocatque ad memoriam verba Ambroſii lib. 3. cap. 2. num. 8. *Sequitur ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi, quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii atque virtutis, Spiritus cognitionis, atque pietatis, Spiritus ſancti timoris: ſeptem quaſi virtutes Spiritus.* Vide caput, *Accepiſti myſterium*, de Conſecrat. diſt. 4. num. 90. Hinc Nat. Alexander lib. 2. Theol. Mor. & Dogmat. cap. 3. art. 2. agens de Gratie Confirmationis diffuſe pertractat de ſeptem donis Spiritus ſancti. Quemadmodum per Sacramentum baptiſmatis regeneramur in Chriſto, & quaſi modo geniti lacte potamur, præſtatque nobis regenerationis gratia, ut quaſi nobis ipſis vivamus, nullam cum exteris actionem liberam exercentes: ita per ſacramentum Confirmationis perficimur, & quaſi adulti ætate agimus communem vitam, periculis undique circumſepti. Congruum eſt ergo, ut quemadmodum per baptiſmum recipimus gratiam generationis ſpiritalis, per quam vivificamur in Chriſto; ita per ſacramentum Confirmationis perficiamur, ut in communis vitæ conflictu viriliter, & tanquam Chriſti milites dimicemus. Utitur autem conſimili ratiocinatione S. Thomas 3. p. q. 72. art. 5. & 7. & Catechiſmus Romanus part. 2. cap. 3. num. 20.

THESIS III.

Gratia, quæ ſacramenti Confirmationis effectus eſt, connotative differt a gratia baptiſmali, eaque non abſolute, ſed tantum comparative eſt perfectior. Prima pars conſtat, cum enim hæc gratia perficiat, conſummetque gratiam baptiſmatis, neceſſum non eſt aliud intrinſecum diſcrimen inter unam & alteram conſtituere, niſi illud, quod ſcholæ appellitant differre *ſecundum magis & minus*; maxime quod ſententia noſtra gratia ſanctificans eſt quidem inhærens qualitas, & ſuperaddita animæ *habitudo*, ſed non *entitas* recondita inter Ariſtotelicas categorias. Immo & S. Thomas 3. p. q. 72. art. 7. ad 3. necnon S. Bonav. in IV. diſt. 7. art. 2. q. 2. videntur huic ſententiæ ſubſcribere, dum ille ait, gratiam ſacramentalem addere *ſupra gratiam gratum facientem aliquid effectivum ſpecialis effectus, ad quod ordinatur ſacramentum*: alter vero inquit: *In ſacramentali gratia & eſt gratia gratum faciens, & effectus ſpecialis quem habet virtute ſacramenti: & in quantum gratum faciens una eſt; ſed ratione effectuum diſtinguuntur.* At recte ſcribunt hæc duo ſcholarum lumina ſtatuendam eſſe diſtinctionem, *ratione effectuum*, ſive *connotativam*; nam gratia baptiſmatis delet originale peccatum, vitamque tribuit ſpiritalem; & gratie Confirmationis vires adauget, & habet effectum alium a virtute baptiſmi, *ſcilicet*, inquit eo loci Bonaventura, *ablationem puſillanimitatis.* Conſequitur ex hac doctrine gratiam Confirmationis non eſſe *abſolute* perfectiorem gratie baptiſmalis, cum longe majus ſit ſpiritaliter regenerari, quam confirmari & perfici; ſed eatenus nonnulli Theologi ac Patres confirmatricem gratiam prætulerunt baptiſmali, quatenus hac præſuppoſita melius eſt, ſi homo reddatur robuſtus ac fortis, quam ſi vivat infirmus atque imbecillis. Quare minime probo doctrinam illorum Theologorum, qui hac prætermiſſe comparatione, abſolute pronuntient gratiam, quæ in Confirmatione confertur, perfectiorem eſſe illa, quam producit baptiſmus: proptereaquod Apoſtoli fuerint in die Pentecoſtes donis præſtantioribus cumulati, aut confirmatio per digniorem miniſtrum, nempe Epiſcopum, conferatur. Idem quidem viri docti, & exercitatiſſimi affirmant, quibus & concinit Fridericus Geverdi tom. VI. pag. 238. Verum arridet mihi plurimum Seraphicus Doctor præcitata quæſtione hæc ſcribens: *Quando ergo fit comparatio harum gratiarum, poteſt fieri dupliciter. Uno modo cum præſuppoſitione: & ſic omnino major eſt gratia Confirmationis, quam baptiſmalis; ſicut bene & perfecte vivere melius eſt quam vivere, quia hoc addit ad illud & complet. Si autem intelligatur præciſe, ut ſcilicet hæc gratia quæ additur ſit major, vel minor, dicendum ſine dubio quod non eſt tantæ efficaciæ, ut patet; quia vivificare mortuum major gratia eſt & potentia, quam jam vivificatum ſanare, vel fortificare, præciſe loquendo. Sed cum præſuppoſitione majus eſt eſſe vivum & ſanum, quam vivum tantum.* Hactenus S. Bonaventura.

THESIS IV.

Hæreticis reſipiſcentibus ſacramentum Confirmationis non confert abſque pœnitentia, vel contritione, primam gratiam. Statuimus poſitionem hanc adverſus Morinum, aſſerentem cit. cap. 11. num. 8. hæretico, dum impoſitione manuum præmiſſa hæreſeos anathematizatione in Eccleſiam admittitur, gratiam primam conferri. In qua aſſertione non uno ex capite labitur vir præclarus. Principio ſupponit *impoſitionem manuum*, qua admittebantur hæretici, eſſe Confirmationis ſacramentum, quod falſum eſſe oſtendemus paullo infra: quamquam, etſi Sacramentum foret, corrueret Morini hypotheſis, ſi reponeretur e contra, præmittendam reſipiſcentibus exomologeſim, ac pœnitentiam, quam nos ſuperiori cap. num. 5. etiam ad Confirmationem neceſſariam diximus, ſi præſumatur labes mortalis culpæ. Deinde non recte Morinus num. 10. & ſequentibus profert ad opinionem firmandam ſuam S. Thomæ, Cajetani, Dominici Soto, Henriquez, Tanneri, aliorumque teſtimonia; dum aſſerunt interdum Confirmationem, & reliqua Sacramenta *vivorum*, eripere a ſtatu peccati, & juſtificare, modo accedens *conſcientiam gravium ſcelerum non habeat, aut bona fide reputet ſe contritum:* Enim vero ex quo in hac hypotheſi ſacramenta viventium dent peccatorum remiſſionem, & primam gratiam, quod & nos affirmavimus lib. XXX. cap. 21. inferendum potius eſt, id non præſtare aut in hæretico, aut in quovis peccatore, quem pupugerit conſcientiæ patrati criminis, niſi agat pœnitentiam, & conteratur. Quod etiam ſcribit Morinus, baptiſmum, qui in hæreticis eſt inefficax, per Confirmationem reviveſcere, fructumque hæretica perfidiæ oppreſſum excutere, & exerere, eloquenter utique, ut non veraciter dictum arbitror. Nam *reviviſcit* quidem baptiſmus *ſublata obice*; ſed cum fictio veraci confeſſione recedit, & qui ſimulato animo, & cum affectu peccati tinctus fuerat, cordis converſione mutatur, ut dixi libro XXXI. cap. 21. num. 4. Nec Confirmatio facit, ut baptiſmate deleantur peccata, ſed ut his remiſſis, baptizatus ſupercæleſti fortitudine corroboretur; immo, quoniam baptiſmus delet originariam labem, & peccata, quæ præcedunt ſpiri-

ſpiritalem renaſcentiam; ſimulatio, & pravi animi affectio illam comitantes vi pœnitentiæ remittuntur, non ablutione baptiſmatis. Atque his adnotationibus detegitur Morini allucinatio, & evaneſcunt ſingula ipſius argumenta. Porro facillimum eſt refutare Scripturis hujus ſententiam. Evertunt ipſam primo, quæ de gratia Confirmationis dicta ſunt paullo ſupra, hanc nempe gratiam eſſe baptiſmalis perfectionem & augmentum, & jam regeneratos, atque ſpiritalem vitam agentes juvare ad pugnam, inſtruere armis, & viribus augere. Niſi ergo renaſcatur antea, & ſpiritalem vitam percipiat; nequit homo recipere gratiam illius Sacramenti, quod appellatur in Epiſtola adſcripta Melchiadi, *adjumentum militiæ*, atque apud Amalarium Fortunatum, *ſacri titulus bellatoris*. Dixi præterea confutari Morinum etiam auctoritate & teſtimonio Theologorum aſſerentium eos, qui non habent peccati conſcientiam, dummodo non ſimulate accedant, conſequi in hoc Sacramento gratiam primam, & remiſſionem. S. enim Thomas quæſt. 72. art. VII. ad 2. eo ſcilicet loco, quem laudat Morinus, inquit: *Sicut ex ipſo nomine apparet, hoc ſacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam: & propter hoc ſicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, niſi per pœnitentiam reparatis*. Inſuper ſi vera ſit commentatio Morini, falſum erit quod de Sacramento Pœnitentiæ definit ſeſſ. XIV. cap. 1. Synodus Tridentina, *Sacramentum videlicet Pœnitentiæ* illud eſſe, *quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur*; tum quod ait cap. 2. *Eſt autem hoc ſacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus*: & quod ibidem docet illos, *quos Chriſtus Dominus lavacro baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tanquam reos ſiſti: ut per ſacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari*. Quomodo enim hæc vera ſunt, ſi per ſacramentum Confirmationis abſque ſacramento Pœnitentiæ ſuſcepto in re, aut in voto, poteſt aliquis conſequi remiſſionem peccatorum, quæ poſt baptiſmum patrata ſunt? Numquam ergo ſive hæreticis reſipiſcentibus, ſive peccatoribus baptiſmo renatis aut Confirmatio, aut ſacramentum aliud viventium conferet gratiam primam, niſi cum voto, aut relatione ad ſacramentum Pœnitentiæ; ut diſerte adverſus Morinum demonſtrat Inſulenſis Farvacques, qui de hac quæſtione egit accurata & exquiſita lucubratiuncula.

DE CHARACTERE CONFIRMATIONIS.

THESIS I.

Sacramentum Confirmationis imprimit characterem, atque iterari non poteſt. Quod primo demonſtratur ex Epiſtola Pauli ad Corinthios 2. cap. 1. ubi ait: *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*: de quo loco plura volum. III. pag. 238. ubi oſtendimus vim & ſignificationem Græci verbi, σφραγίζειν, quod idem eſt, *ac impreſſo ſigillo inſignire*, ſive Patres, ſive etiam profani ſcriptores conſulantur. Deinde traditione ſtabilitur hæc theſis. Auctor enim Conſtitut. Apoſt. lib. III. cap. 16. inquit, *Cum decenti gravitate collatio ſigilli infragilis peragatur*, σεμνοπρεπῶς ἡ μετάδοσις τῆς ἀθραύστου σφραγῖδος γίνηται: quæ verba accipienda de Confirmatione ſcribunt Eſtius in IV. diſt. VII. §. 15. & Baſilius Poncius p. 2. cap. 7. idque ego demonſtro ex verbis immediate proximis, *Et poſtea Epiſcopus baptizatos ungat chriſmate*, Καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. Vide PP. Apoſt. tom. I. pag. 288. Tertullianus de Præſcript. cap. 40. dum ſcribit diabolum æmulanter affectare ſacramenta Chriſti, ideoque *ſignare in frontibus milites ſuos*, ſed attemperare myſteriis idololatriæ rerum divinarum inſtrumenta, non effecta ſacramentorum, oſtendit hæc non ſolum *in frontibus*, verum etiam in corde conſignare milites Chriſti. Cyprianus epiſt. 73. ad Jubajanum pag. 281. docet ideo baptizatos confirmari, *ut Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur*. Auctor etiam ſerm. de Ablutione pedum in Append. Cypriani pag. CIII. argumento ex natura conſecrationis deprompto demonſtrat hoc ſacramentum non poſſe iterari. S. Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 2. laudatus paullo ſupra, & relatus in c. *Accepiſti*, de Conſecrat. diſt. IV. Confirmationem pariter appellat *ſpiritale ſignaculum*. S. P. Auguſtinus lib. 2. contra lit. Petil. cap. 104. ipſam Confirmationem comparat baptiſmo, eamque permanere docet *in hominibus peſſimis*, quod de charactere tantum accipi poteſt: & ſerm. de Cataclyſmo, quem tamen PP. S. Mauri tom. VI. pag. 598. opinantur eſſe addititium, comparans baptizatum navi tempeſtate procellisque jactatæ, *Baptizatus es*, inquit, *ſignatus regio charactere, &c*. Theodoretus in Cantica Sacramentum hoc appellat *ſigillum, notamque regiam*,

ut vidimus capite hujus libri ſecundo. Accedunt definitiones Eccleſiæ. Etenim Gregorius Magnus lib. XIV. Epiſt. 17. alias 32. ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem, vetat ne baptiſmus, aut Confirmatio repetatur. Idem definit Gregorius II. Epiſt. ad Bonifacium, unde Gratianus conflavit cap. *De Homine*, de Conſecrat. diſt. V. numer. 9. Haud ſecus Innoc. III. in cap. *Paſtoralis*, Extra de Sacram. non iterandis. Concilium pariter Toletanum VIII. an. 637. cap. 7. *Sanctum Chriſma ſublatum*, inquit, *& altaris honor avelli nequeunt*. Ita Concilium Cabillonenſe II. an. 813. atque his vetuſtius Tarraconenſe an. 490. laudatum cit. §. 15. ab Eſtio, quam tamen Synodum vereor ne ſit fictitia, cum prima Synodus Tarraconenſis celebrata ſit an. 516. ſedente Hormiſda. Florentinum Generale in decreto Unionis, *Inter ſacramenta*, inquit, *tria ſunt baptiſmus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, ideſt ſpirituale quoddam ſignum a ceteris diſtinctivum, imprimunt in anima indelebile*. Tridentinum denique ſeſſ. VII. can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit*. Poſtremo Theologi ſuas etiam rationes addunt, ſcilicet, quod Sacramentum iſtud conferatur *per modum conſecrationis*, & ſemel conſecrata talia permaneant, quam rationem urget Magiſter in IV. diſt. 7. Eſtius in eamdem diſtinctionem, aliique paſſim. Videtur hæc ratio inniti iis, quæ ſcribit præcit. Auctor ſerm. de Ablut. pedum. *Semel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere*, ob quam rationem & S. P. libro 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 17. probat non poſſe in Eccleſia baptiſmum & ordinem iterari: *Quod indubitanter* (ait in fine diſtinctionis Magiſter) *etiam de Confirmatione tenendum eſt*.

Verum tamen eſt, eum, qui Confirmationem iterum reciperet, aut conferret, complurium ſententia non fieri irregularem, quemadmodum fit repetens baptiſmum; proptereaquod irregularitas contrahatur duntaxat in caſibus jure expreſſis, atque pœnæ ſint potius reſtringendæ, quam ampliandæ. Legi poteſt Sylvius in articulum 5. quæſt. 72. III. Partis, ubi etiam præter recentiores laudat Scotum, Petrum de Aliaco, Paludanum, & Dominicum Soto.

THESIS II.

Ritus, quo olim hæretici recipiebantur in Eccleſiam, non erat repetitio ſacramenti Confirmationis. Diximus cap. 1. hujus libri redeuntes ad Eccleſiam hæreticos fuiſſe receptos aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola fidei profeſſione, recitatis verbis Gregorii Magni ex Epiſt. 67. libri XI. Diximus præterea in Occidentali Eccleſia Arianos receptos impoſitione manus, in Orientali autem unctione chriſmatis, immo & hanc unctionem aliquando adhibitam in quibuſdam Eccleſiis Occidentalibus, Galliarum præſertim, atque Hiſpaniarum. Videndum eſt ergo an reciperentur per Sacramentum Confirmationis, adeo, ut hæc iterum conferretur. Ac primo advertas difficultatem nullam eſſe de hæreticis invalide baptizatis, inter quos lib. XXXI. cap. 8. connumeravimus non ſolum Bonoſiacos, Cataphrygas, & Montaniſtas, verum etiam Eunomianos & Aetianos, necnon Arianos Gothos: quos propterea reſipiſcentes iterum baptizari, & confirmari oportebat. Nulla pariter occurrit difficultas de iis, qui baptizati quidem, at non confirmati fuerant, ut de Novatianis ſcripſerunt Pacianus, qui obiit ſub Theodoſio ſeniore an. 380. Epiſtola ad Sympronianum, quæ extat tom. IV. Bibl. PP. pag. 309. ac Theodoretus denatus anno 460. lib. 3. hæret. fabul. cap. 5. tom. IV. pag. 230. editionis Sirmondianæ. Ergo de hæreticis & baptizatis, & confirmatis procedit quæſtio. Ac hæreticos omnes promiſcue receptos impoſitione manus *confirmatoria* contendit Sirmondus in Antirrhetico 2. cap. 5. idem affirmant de hæreticis baptizatis, & confirmatis in hæreſi, non autem de baptizatis & confirmatis in Eccleſia Catholica priuſquam in hæreſim laberentur, Maldonatus q. 1. de Confirmat. Morinus lib. IX. de Pœnit. cap. 7. quem tamen Continuator Witaſſii pag. 554. ait ſententiam mutaſſe, & Antonius Auguſtinus in Epitome Juris Pontif. lib. 23. tit. 8. Communior tamen, & vera ſententia eſt, hæreticorum neminem jam baptizatum & confirmatum, ſive in hæreſi, ſive in Eccleſia, reformatum receptumque fuiſſe per Sacramentum Confirmationis, adeo, ut impoſitio manus, aut chriſmatio adhibita in hujuſmodi hæreticorum receptione, ceremonia quædam fuerit, non Sacramenti hujus repetitio. Quam utique ſententiam præter Bellarminum, Arcudium, & Petrum Aurelium Sirmondi adverſarium, propugnant ex Theologis ætati noſtræ proximioribus Chriſtianus Lupus ad canonem VII. Conſtantinopolit. tom. 2. pag. 246. & ſequentibus, Franciſcus Farvacques de Confirmat. cap. 1. quæſt. 4. Juenin quæſt. 7. cap. 1. art. 2. Tournely q. IV. art. 2. concl. 2. L'Aerminier tom. 1. de Sacram. pag. 349. Cardinalis Gotti q. 2. dub. 3. & q. 3. dub. 2. Benedictus A. M.

Digitized by Google

Canali lib. 3. de Sacrament. q. 1. cap. 5. Auctor Op. de Re Sacrament, lib. 3. cap. 5. aliique quamplurimi.

Suadetur propoſitio 1. quoniam Stephanus Papa in celebri ſuo decreto adverſus Rebaptizantes ait: *Si ergo a quacunque hæreſi venerit, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Impoſitio autem manus *in pœnitentiam* eſt *reconciliatrix*, non autem *confirmatoria*: quod conſtat tum ex ſignificatione verborum, tum ex Epiſtolis Cypriani, & teſtimoniis Auguſtini producendis theſi ſequenti. Nec audiendus eſt Joannes Morinus, qui libro 12. de Pœnit. cap. 7. num. 13. ſcribit Stephanum contendiſſe, ut hæretici reciperentur per manus impoſitionem *in Spiritum ſanctum*, non *in pœnitentiam*; ſanctus enim Cyprianus Epiſtola 74. ſemel, iterumque repetens decretum Stephani, legit ut nuper productum eſt; idque non diffitetur Morinus eodem cap. numer. 12. Præterea ex Morini, aliorumque confeſſione baptizati in Eccleſia recipiebantur per impoſitionem manus reconciliatricem, quoniam Cyprianus Epiſt. 71. & 74. Creſcens a Cirta, aliiqua a Cypriani partibus, apud Auguſtinum lib. VI. de Baptiſ. cap. 15. atque ipſemet Auguſtinus eodem Opere lib. III. cap. 11. affirmant hujuſmodi hæreticos recipi per impoſitionem manuum *in pœnitentiam*. At idem affirmandum eſt de baptizatis in hæreſi, cum Innocentius I. epiſt. 18. ſcribat, *Arianos baptizatos in hæreſi ſuſcipi in Eccleſia per manus impoſitionem ſub imagine pœnitentiæ*, atque idem aſſerat de hæreticis omnibus Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, & Auguſtinus lib. V. de Baptiſmo cap. 23. Igitur ſi baptizati in Eccleſia excipiebantur impoſitione manus reconciliatrice, admittebantur ea pariter ratione baptizati extra Eccleſiam. III. Donatiſtæ ſchiſmatici & ab Eccleſia divulſi non recipiebantur impoſitione manus *confirmatoria*, ſiquidem Catholici tam baptiſmum, quam Confirmationis ſacramentum collatum a Donatiſtis ratum, validumque putabant; cum ſit utriuſque Sacramenti eadem ratio, nec miniſtrantium fides det efficientiam, aut auferat Chriſti lavacro, vel oleo. Teſtis eſt Optatus Milevitanus lib. VII. contra Parmenianum num. 4. teſtis Auguſtinus lib. 2. contra lit. Petiliani cap. 104. teſtis Alcimus Avitus Vienneuſis Epiſcopus epiſt. 24. ad Stephanum Lugdunenſem. Invenimus ergo baptizatos extra Eccleſiam, nec tamen receptos impoſitione manus *confirmatoria*. Ea propter manus impoſitio adhibita in recipiendis hæreticis appellatur *reconciliatio* in libro Pontificali, ubi agitur de Euſebio Papa, in perantiquo Breviario fidei contra Arianos edito a Sirmondo pag. 131. in litteris Ruffini ad Macarium, ceteriſque illuſtribus monumentis ab eximio Lupo collectis. IV. Abierunt in ſententiam oppoſitam docti viri, propterea quod conſtat ex veterum monimentis imponendam manum redeuntibus ab hæreſi, *ut accipiant Spiritum ſanctum*. Ita canon 8. Concilii 1. Arelat. Siricius Papa epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem, Innocentius Epiſt. 22. Leo Magnus Epiſt. 135. alias 57. & Vigilius epiſt. 2. ad Eutherium, quæ omnia collegit ea Morinus pag. 620. de Pœnit. eruditus ævi noſtri Theologus. At hæc, aliaque id genus plura de ſola impoſitione manus *in pœnitentiam* accipienda ſunt. Corruunt ergo ſententiæ oppoſitæ fundamenta. Minorem probo hac ratiocinatione. Eſt ſententia Auguſtini libro 3. de Baptiſmo cap. 13. numer. 18. Baptiſmum apud hæreticos non operari remiſſionem peccatorum, *propter diſcordiæ fœditatem, & diſſenſionis iniquitatem*; ac tum valere, *cum ad Eccleſiæ pacem venerint*, quoniam idem baptiſmus, *qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operatur ſalutem*. Ideo ergo per reconciliationem hæretici accipiunt peccatorum remiſſionem, ut docuerat idem Auguſtinus lib. 1. ejuſdem Operis cap. 12. numer. 18. *Quia ipſa reconciliatione, ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum in unitate jam prodeſſe incipiat ſacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat*. Atque hæc eſt quoque doctrina S. Thomæ 3. p. qu. 69. art. 10. calculis Theologorum omnium firmata. Ita nunc allucinationem adverſariorum detegimus. Impoſitio manuum, qua recipiebantur hæretici, non conferebat Spiritum ſanctum & remiſſionem peccatorum vi ſua, ac per ſe, ut faciunt ſacramenta, ſed ratione unionis & pacis, per quam ſacramenta jam ſuſcepta incipiebant prodeſſe, cum in ſeparatione & diſcordia mortem, non gratiam operarentur. Non erat ergo illa manus impoſitio ſacramentum Confirmationis. Hinc Siricius explicans citata Epiſtola quid præſtaret reſipiſcentibus hæreticis impoſitio manus Epiſcoporum, *Epiſcopalis manus impoſitione*, inquit, *Catholicorum conventui ſociamus*. Innocentius I. epiſt. 22. cap. 3. ait, ab hæreticis ordinatos *vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput*, decernitque, *ubi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe*. Tum cap. IV. de baptizatis in hæreſi, inquit, *Noſtræ vero lex eſt Eccleſiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manus impoſitionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem, vel exiguum ſubrogare*. Capite autem 5. *At vero hi, qui a Catholica fide ad hæreſim tranſierunt, quos non aliter oportet niſi per pœnitentiam ſuſcipi, apud vos non ſolum pœnitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur*. Non apparet his in locis diſcrimen, quod Morinus numer. 8. aliique poſt Morinum confinxere, primi generis hæreticos per impoſitionem manus *confirmatoriam*, ceteros per ſolam *pœnitentiam* fuiſſe receptos. Minime; impoſitione enim manuum primi hæretici recipiebant *communionem laicam*, ideſt, nullo frui poterant clericatus honore; cum baptizati in Eccleſia & tranſeuntes ad hæreſim, *ſi revertentes longa pœnitentia abolevisſent crimen apoſtaſiæ*, ſuſcipere poſſent dignitatem Eccleſiaſticæ ordinationis. Atque id legenti Innocentianam Epiſtolam erit perſpicuum. Idem ſenſus eſt S. Leonis ſcribentis ad Epiſcopum Ravennatem, *Si ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur: ſed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem ſancti Spiritus conſequatur*. Quo ſane in loco virtus Spiritus ſancti eſt effectus baptiſmi, videlicet gratia, quam reconciliatus conſequitur per impoſitionem manus, quatenus per hanc unitur Eccleſiæ. Quid enim eſt illud, *quod defuit* in baptiſmo collato ab hæreticis, niſi unitas Eccleſiæ, extra quam ſacramentum regenerationis non poteſt prodeſſe? Nam ſi defuit etiam Confirmatio, jam hæc non repetitur; neque, hoc etiam dato, adverſariis ſuffragatur auctoritas Magni Leonis. Vigilius denique in Epiſtola ad Eutherium cap. 3. aſſerit tantum, rebaptizatos ab Arianis reconciliari, *non per illam impoſitionem manus, quæ per invocationem ſancti Spiritus operatur, ſed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur*. Diverſa ratione reconciliari hæreticos baptizatos in hæreſi nec Vigilius aſſerit, nec veſtigium eſt aliquod, unde illud conjicias. Ex quibus omnibus habes, impoſitionem manus in hæreticis ad fidem converſis contuliſſe Spiritum ſanctum ratione unionis Eccleſiæ, non efficientia repetitæ Confirmationis. Abſolvamus argumentationes iſtas apertiſſimo Auguſtini teſtimonio, quo utitur Thomas Valdenſis contra Armacanum, de Sacrament. Confirm. cap. 15. & adverſus Morinum Farvacquelius quæſt. IV. §. 5. *Manus autem impoſitio, ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti, tanquam extra omnem culpam eſſe judicaretur; propter caritatis autem copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus ſancti, ſine quo non valent ad ſalutem quæcumque alia ſancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur*, Ita Auguſtinus lib. V. de Baptiſmo cap. 22. num. 33.

Diluenda remanent pro ſententia oppoſita quæ ſequuntur. I. Canone VIII. Nicænæ Synodi ſtatuitur, ut Cathari, ideſt, Novatiani recipiantur *impoſitione manus*. II. Septimo Concilii primi Conſtantinopolitani legitur: *Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui dicunt ſeipſos Catharos, & Ariſteros, hoc eſt mundos vel ſiniſtros, Teſſaradecatitas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut ſancta Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, & ſignatos, ſive unctos primum ſancto chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures; & ſignantes dicimus, Signaculum doni Spiritus ſancti*. Quo in canone ob expreſſam Confirmationis *materiam & formam* apertum eſt non de ceremonia pertractari, ſed de vero, proprioque ſacramento. III. Baſilius Magnus in Epiſtola Canonica ad Amphilochium, num. 1. ait: *Omni ratione ſtatuatur, ut qui ex* hæreticorum *baptiſmo ad nos accedunt, chriſmentur a fidelibus, & ſic myſteriis participent*. IV. In Euchologio Græcorum edito a Jacobo Goario habetur *Reconciliatio* redeuntium ad Eccleſiam conſcripta a ſancto Methodio martyre; ex qua conſtat recipiendos hæreticos cum unctione chriſmatis, & prolatione verborum, *Signaculum doni Spiritus ſancti*. Fatiur quoque eamdem reconciliationis praxim apud Græcos etiamnum obtinere. Quod ſi reſpondeas hanc verborum formulam diverſam eſſe ab ea, quæ præſcribitur pro neophytis confirmandis, *non ſenſu tantum & ſcopo, ſed tenore ipſo verborum*; ut inquit perpolitus Auctor librorum de Re Sacram. tom. 1. pag. 332. jure meritoque repones, annon idem præclarus ſcriptor laudat eo loci Euchologium Barberinum, Cryptoferratenſe, & Pariſienſe Regium, recitatque illa Euchologii verba: *Et ungit eum unguento, ſicut & recens illuminatos, baptizatos, eamdem ſuper illum formulam proferens*, Signaculum doni Spiritus ſancti? Annon hæc eſt formula Confirmationis, ut oſtendimus cap. VI. prop. 3. & præcitatus Auctor docuerat pag. 324. Quomodo ergo pro reconciliandis, & pro confirmandis formulæ traduntur diverſiſſimæ *tenore ipſo verborum*?

Ad objectionem priori loco poſitam conſtat reſponſio ex cap. 2. prop. 2. ubi plura de Niceni canonis ſenſu: ſat eſt modo, ſi repetamus nullam eo in canone commemorari impoſitionem manus *confirmatricem*. Ad alteram ex canone Conſtantinopolitano petitam, reſpondet Chriſtianus Lupus pag. 452. verba, *Signaculum doni Spiritus ſancti*, non eſſe Sacramenti Confirmationis formulam, & antiquiſſimos Græcorum ſolam frontem tribus vicibus,

non

Google

non membra ſingula perunxiſſe, ideoque non agi eo loci de unctione Sacramentali. Verum quod tradit de *forma*, a nobis eſt refutatum, aſſertumque ab eodem præſtantiſſimo viro caſtigatiſſima moderatione, *Crediderim*. In unctione etiam chriſmatis præcipitur in Euchologio Græcorum, ut illuminatorum frons, oculi, nares, os, auresque conſignentur, pag. 360. idemque legitur apud Cyrillum Catech. 3. Myſtag. pag. 524. tametſi frons dicatur prius inungenda, quam partes reliquæ. Nec dubium eſt ullum, quin de unctione Sacramentali iſtic ſit ſermo. Reſpondendum itaque haud levem haberi ſuſpicionem canonis, de quo agitur, ſuppoſititiis. Etenim *Sabbatianorum* nomen, teſte Socrate lib. v. cap. 21. eſt Synodo Conſtantinopolitana poſterius. In paraphraſi etiam Arabica hujus Synodi apud Harduinum tom. 1. Conc. pag. 818. & deſideratur canon iſte, & aſſeritur editos in ea Synodo canones tantum quatuor. Verum ſeptimo quoque admiſſo, illum exponendum cenſemus de hæreticis non confirmatis. Novatiani ſiquidem, auctore Theodoreto lib. III. H. Fab. cap. 5. iis, quos baptizabant, *ſanctiſſimum chriſma* non præbebant: *Quapropter eos, qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur, laudatiſſimi Patres inungi præceperunt*, διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆς δὲ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν, inquit ibidem pag. 230. Cyri Epiſcopus. Sabbatianorum hæreſis Novatianæ ſurculus erat, & Balſamon utramque cenſet unam. Certe Sabbatium ex Judæo Chriſtianum acceſſiſſe Novatianis, ſcribit citato loco pag. edit. Valeſii 281. Socrates Scholaſticus. Cum vero Novatiani & Sabbatiani negligerent Confirmationem; idem aſſerendum eſt de hæreticis aliis, quos canon adſtringit eidem legi. Quis enim defendet Macedonianos, ceteroſque Pneumatomachos non contempſiſſe hoc Spiritus ſancti ſignaculum, aut ſi adhibuerunt, non adulteraſſe præſcriptam formulam, aut ſi hanc retinuerunt, conſignatos fuiſſe ab Epiſcopis? Neque enim in illorum presbyteris præſumenda eſt permiſſio Pontificis Maximi, aut totius Orientalis Eccleſiæ conſenſio, qualem adſtruimus in valida conſignatione presbyterorum Græcorum. Undique ergo ſecunda objectatio flacceſcit. In tertia non immorabor, quoniam adverſariis ſudandum eſt, ſi demonſtrare velint locutum Baſilium de unctione ſacramentali: quamvis inveriſimile non ſit, aut exiſtimaſſe illum invalida ſacramenta dari extra Eccleſiam; aut inſtituiſſe ſermonem de nondum confirmatis: quod poſtremum ob diverſam rationem, qua Baſilius loquitur de baptiſmo, & de unctione, cenſet, in Concordia pag. 102. Petrus Arcudius. Ad IV. Arcudius ipſe reſpondet, (hæſitans tamen ac dubitans) Methodium illum non eſſe ſanctiſſimum virum a Photio circa annum 840. vehementer vexatum, ſed Methodium ſchiſmaticum, qui vixit ſæculo XIII. Addit nihil de *forma* reperiri in MS. Cryptæ ferratæ a ſe perlecto, neque in Exemplaribus aliis, teſtes appellans Joannem Matthæum Caryophilum Cydonium, alioſque Græcorum. Falli Arcudium putat Goarius in Notis pag. 886. ductus antiquorum Codicum auctoritate; & Goario ſubſcribunt Poſſevinus, Geſnerus, Aubertus Miræus, Philippus Labbeus. Poteſt hoc diſſidium componi, ſi dicas Euchologium a Methodio ſeniore (non tamen a Methodio Patarenſi, ſed Conſtantinopolitano) exaratum; ſuperadditam tamen formulam, quæ in MSS. compluribus deſideratur. Sane Baronius, ad quem Goarius provocat, ad annum 842. num. 21. hunc recitat Methodii canonem: *Si puer quidem comprehenſus fuerit, ſeu metu, ſeu ignorantia, & inſcitia, is propitiationis preces ſeptem diebus accipiat, & octavo die lavetur, & a lavacro linteo accinctus chriſmate inungatur, ut ſolent inungi qui baptizantur, & ferat veſtes novas, ſecundum exarnem illorum, qui illuminantur*. Et infra de adoleſcentibus, ac de ſenibus, *Laventur, & ungantur ſecundum priorem conſtitutionem*. Hinc proculdubio non apparet *forma* Confirmationis: immo ſicut lavacrum, de quo Methodius, eſt quædam ſimilitudo baptiſmatis, non baptiſmus; ita unctio eſt imago Confirmationis, non Confirmatio. Quare Methodium accipiendum de ceremonia, per quam lapſi iterum unirentur Eccleſiæ, eiſque repræſentaretur effectus ſacramenti, a cujus gratia exciderant, docent Theologi bene multi. Idem affirmandum, ſi in reconciliatione illa pronuntiata fuerint verba, *Signaculum doni Spiritus ſancti*. Quamvis enim ſi adhibeantur *materia* & *forma* cum debita intentione, perficiatur ſacramentum; attamen ſi a circumſtantiis, ab intentione miniſtri, & ab adjunctis precationibus verborum formula determinetur ad alium effectum, præſertim ſi ambigua ſit, diverſumque patiatur ſenſum, qualis eſt præſens formula; ſacramentum nequaquam adminiſtratur. Itaque in Reconciliatione a Methodio conſcripta, ſive pronuntiaretur, ſive non, *τὸ Signaculum doni Spiritus ſancti*, non iterabatur Confirmatio. Nam ſi non pronuntiabatur, deerat *forma*, pars ſcilicet ſacramenti eſſentialis: ſi proferebatur autem, quoniam etiam unio, & Catholicæ Eccleſiæ communicatio eſt *maximum donum Spiritus ſancti*, ut inquit Auguſtinus lib. III. de Baptiſ. cap. 13. & lib. v. cap. 23. atque donum illuſmodi conferebant ſacerdotes reconciliatis hæreticis; idcirco in tali circumſtantia ſacramentum minime perficiebatur. Idque magis manifeſtum eſt, ſi perpendatur oratio tunc recitata; qua priuſquam fieret unctio, ita ſacerdos orabat, *Ut ſalutaris baptiſmatis ſcintilla in ejus anima inſidens, & relicta aura gratiæ, ventilata ſpiritaliter rurſus accendatur, & impreſſum ſigillum in ejus corde, & cogitationibus, per crucis Chriſti tui ſignationem, per ſpem in te, & veritatis agnitionem evidentius appareat*. Vide Euchologium Goarii pag. 878. Atque hæc reſponſio etiam objectionibus aliis poteſt aptari. Perſiſtit hac ratione quod ſcribunt memoratus Auctor de Re Sacrament. Farvacques noſter, Goarius ipſe, & alii permulti, intelligendum Methodium de unctione reconciliatoria, pœnitentiali, & per quam ſacramentum jam ſuſceptum, ſublato impedimento erroris, & *fœditate diſcordiæ*, vim exereret ſuam: quod explicare etiam conantur exemplis religioſorum vota ſua renovantium, conjugatorum recurrente Jubilæo iterum contrahentium, & ordinationum Epiſcopi ſchiſmatici, vel hæretici; quamvis illorum exemplorum aliqua non videantur ad rem; aliqua etiam eadem laborent difficultate.

THESIS III.

Neque Auguſtinus, neque Cyprianus affirmavere reconciliandos venientes ab hæreſi per iteratum ſacramentum Confirmationis. Ac primo quantum ſpectat ad Auguſtinum, id evincitur ex dictis Theſi ſuperiori: nam S. Pater lib. v. de Baptiſ. cap. 23. ſcribit manum imponi correctis hæreticis, *propter caritatis copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus ſancti*. Exiſtimat ergo per illam manus impoſitionem hæreticos copulari Eccleſiæ, ut ſeparatione ſublata vim ſuam exerant ſacramenta foris ſuſcepta. Præterea fatentur adverſarii (Morinus ſaltem, & Maldonatus) baptizatos in Eccleſia priuſquam declinarent in hæreſim, receptos *per manus impoſitionem in pœnitentiam*, idque Stephano conceſſiſſe Rebaptizantes, cum hi tantum ſacramenta repetenda contenderent in baptizatis in hæreſi. Atque id manifeſtum eſt ex litteris Cypriani mox producendis. Quare Auguſtinus lib. 3. de Bapt. cap. 21. num. 16. ait: *Hoc enim ipſe etiam Cyprianus cum ceteris ſtatuit, ut ſi ab hæreſibus redirent ad Eccleſiam quicumque fuerant in ea baptizati, non jam per baptiſmum, ſed per pœnitentiam reciperentur; unde conſtat eos non poſſe admittere recedentes, quod non recipiunt remeantes*. Conſenſiſſe Cypriano Creſcentem a Cirta, Caſſium a Macomadibus, alioſque Patres Synodi Carthaginenſis, celebratæ cura & auctoritate Cypriani, conſtat ex eodem Opere Auguſtini lib. VI. cap. 15. & 19. Atqui S. Pater in univerſo illo Opere demonſtrat eamdem rationem habendam eſſe de baptizatis in Eccleſia, & de baptizatis in hæreſi, probatque integra in utriuſque permanere ſacramenta. Igitur credidit utroſque reconciliandos *per ſolam manus impoſitionem in pœnitentiam*. Inſuper quod Auguſtinus affirmavit de baptiſmo, validum hunc eſſe extra Eccleſiam collatum, idem aſſeruit de Confirmatione, revincens Petilianum ſacramentum chriſmatis datum ab hæreticis repudiantem, ut patet ex lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. numer. 239. Quemadmodum ergo baptiſmus, ita Confirmatio nunquam juxta Auguſtini doctrinam eſt iteranda. Rurſus movet adverſarios quod ſcribit Auguſtinus lib. III. de Bapt. cap. 16. *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt*; unde inferunt, Igitur per Auguſtinum repetitur Confirmatio. Sed inepta, & illegitima conſecutio; ſiquidem demonſtrandum eſt, quod negamus, hanc manus impoſitionem eſſe ſacramentum Confirmationis. Negamus, inquam, id, & pernegamus; primum quia ex Auguſtino Confirmatio nequit repeti: impoſitio itaque manus, quæ poteſt iterari, non eſt Confirmatio. Deinde ſtatim de illa manus impoſitione ſubjicit S. Pater, *Quid eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem?* Affirmat ergo, quod repeti poſſit, quoniam non eſt ſacroſanctum ſignaculum permanens in deſertoribus, & imprimens characterem, cujuſmodi eſt *ſacramentum chriſmatis*; ſed oratio, quam Epiſcopi fundebant imponendo manum *ſubſtratis*. Ad hæc lib. v. cap. 20. num. 28. aperte Auguſtinus ſacramentum Confirmationis diſtinguit *ab impoſitione manus*; & cap. 23. num. 32. huic impoſitioni manus tribuit reconciliationis, & gratiæ vim, *propter caritatis copulationem*: immo eodem cap. 16. ſcripſerat per manus impoſitionem dari Spiritum ſanctum, *quia caritatem non habent qui ab Eccleſiæ communione præciſi ſunt*; iis autem, quibus manus imponitur, Spiritus ſanctus inviſibiliter & latenter confertur, *propter vinculum pacis*. Neque probant oppoſitum Auguſtini verba, eodem capite affirmantis nunc eos, *quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur*, linguis repente non loqui. Non enim ſenſus horum verborum eſt comparandam eſſe undequaque impoſitionem manus *reconciliatoriam* impoſitioni manus Apoſtolorum *confirmatoriæ*, ut adverſarii nugantur. Senſus eſt, impoſitione manus *reconciliatoria* dari Spiritum ſanctum *latenter propter vinculum pacis*: quemadmodum

dum

dum Apoſtoli impoſitione manus *Sacramentali* dabant *inviſibiliter* Spiritum ſanctum ad animi firmitudinem, & *viſibiliter* ad *commendationem rudis fidei*, *& Eccleſiæ primordia dilatanda*, ceterum impoſitionem manus reconciliatoriam nihil eſſe aliud, quam *orationem ſuper hominem*, & in hac eſſe cooperationem Spiritus, *& donum caritatis & pacis*; cum in impoſitione manus Apoſtolorum eſſet *Sacramentum* imprimens characterem, *quod habere etiam Simon magus potuit*. Refutantur itaque adverſarii tum ex aliis Auguſtini locis, tum ex præcitato cap. 16. lib. 3. de Baptiſmo, ex quo petunt erroris ſui patrocinium.

Veniamus ad Cyprianum. Hunc putant quidam exiſtimaſſe, quod venientes ab hæreſi, & foris baptizati reciperentur per impoſitionem manus *confirmatoriam*, quoniam in Epiſtola ad Jubajanum pag. 280. & 285. novæ edit. pugnat cum Catholicis, demonſtratque iterandum eſſe baptiſmum ex quo ipſi Catholici univerſim iterent Confirmationem. *Quod ſi ſecundum pravam fidem* (inquit) *baptizari aliquis foris, & remiſſam peccatorum conſequi potuit; ſecundum eamdem fidem conſequi Spiritum ſanctum potuit, & non eſt neceſſe venienti manum imponi, ut Spiritum ſanctum conſequatur, & ſignetur*. Præterea in eadem Epiſtola, necnon in Epiſt. ad Steph. pag. 275. ait tunc redeuntes ad Eccleſiam ſanctificari, *ſi utroque ſacramento naſcantur*; idemque affirmat in Concilio Carthaginenſi Nemeſianus a Tubulis, alias Tubunis. Adde quod niſi Cyprianus explicetur de ſacramento Confirmationis, arripient iterum anſam hæretici, & contendent *impoſitionem manus*, de qua S. Martyr, puram putam ceremoniam eſſe, neque ab eo admitti chriſmatis ſacramentum.

Complures ad hæc reſpondent, Cyprianum utique exiſtimaſſe ſicuti baptiſmum, ita Confirmationem hæreticorum eſſe irritam, atque errori addendo errorem, ideſt, putando in Catholica recipi hæreticos omnes per iteratum Confirmationis ſacramentum, hoc telo adverſus Catholicos *ad hominem*, ut inquiunt, decertaſſe, Iteranda eſt Confirmatio data ab hæreticis, ergo & illorum baptiſmus: hanc tamen pugnandi rationem falſæ ſuppoſitioni eſſe innixam. Verum, etſi forte Cyprianus idem judicium tulerit de Confirmatione, ac de baptiſmo, & utrumque ſacramentum apud hæreticos nullum crediderit, quod ego non ibo inficias; nihilominus falſum eſt loqui illum de Sacramento Confirmationis, ubi pertractat de hæreticis recipiendis. Quod ut palam fiat, animadverte in hoc deceptum Cyprianum, quod crederet ſententiam eſſe Stephani baptizatos ab hæreticis renaſci, induere Chriſtum, & remiſſam conſequi peccatorum. Quod nos Volum. III. pag. 296. apertiſſime demonſtravimus, &, ni fallor, ex locis quoque nuper productis evincitur. Hac ſola adnotatione facilius, quam alii faciant, hunc ſolvam nodum. Ergo in Epiſtola ad Jubajanum verborum Cypriani ſenſus eſt: Si tincti ab hæreticis conſequuntur peccatorum remiſſam, quare redeuntes ad Catholicam expiantur impoſitione manus, ut ſanctificentur? Numquid poteſt haberi abſque Spiritu ſancto peccatorum remiſſio? Non conſequuti fuerunt in hæreſi *Spiritum ſanctum*; igitur neque peccatorum remiſſam, ideoque nec baptiſmum. Quod utique Cypriani argumentum non procedit ex ſuppoſitione, quod hæretici reciperentur per impoſitionem manus *confirmatoriam*, ſed ex ſuppoſitione quod Stephanus traderet baptizatos ab hæreticis renaſci, induere Chriſtum, & peccatorum conſequi remiſſionem. Qua in re, ut dixi, Cyprianus ſententiam Stephani non eſt aſſecutus, neque accurate diſtinxit inter *characterem* Sacramentorum, & gratiam. Idem aliorum teſtimoniorum ſenſus eſt. Probat enim in Epiſtola ad Jubajanum, & in altera ad Stephanum, opus eſſe, ut hæretici reſipiſcentes utroque ſacramento renaſcantur, ex textu Evangelii, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*; ubi nihil de Confirmatione: eumdemque locum urget in Synodo Carthaginienſi Nemeſianus. Quare uterque ratiocinatur hoc pacto: Qui baptizantur ab hæreticis, non renaſcuntur *ex Spiritu ſancto*; igitur non valide baptizantur, nec renaſcuntur: ſpiritalis quippe renaſcentia non *ex aqua* ſola repetenda eſt, ſed *ex aqua, & Spiritu ſancto*. Renaſci itaque *utroque ſacramento*, non eſt in ſenſu Cypriani, renaſci Confirmatione, & baptiſmate; quando enim, & ubi Confirmatio appellatur renaſcentiæ ſacramentum, ſeu regenerationis lavacrum? Sed eſt renaſci aqua, & renaſci Spiritu ſancto: *Neque* enim *Spiritus ſine aqua operari poteſt*, inquit Nemeſianus apud Auguſtinum lib. VI. de Baptiſmo, *nec aqua ſine ſpiritu*. In qua pariter argumentatione Rebaptizantes lapſi ſunt, characterem a gratia non diſtinguentes. Quod ſi adhuc contendas, τὸ *ex utroque ſacramento* accipiendum in rigore verborum; potius ad baptiſmum, & pœnitentiam, quam ad baptiſmum & Confirmationem, ea verba referrem. His corruunt argumenta ſuperius poſita: quorum poſtremum nullius eſt roboris; ſiquidem alia ſuppetunt adverſus Dallæum, ceteroſque hæreticos loca Cypriani apertiſſima, commonſtrantia ſacramentum Confirmationis: de quibus cap. 2. prop. 2. pag. 6.

At, inquis, unde conſtat Cyprianum non urgere ſua in Stephanum argumenta ex ſuppoſitione, quod juberet Romanus Pontifex ut reconciliarentur hæretici per iteratam Confirmationem? Reſpondeo id conſtare ex ipſo Cypriano, nec non ex adverſariorum complurium ſententia. Præſcribebat enim Stephanus veterem traditionem, ut venientes a quacumque hæreſi, modo baptizati forent in adunata Trinitate, non repetito baptiſmate, reciperentur *ſola impoſitione manus in pœnitentiam*. At quod Stephanus univerſim de hæreticis pronuntiabat, hoc Cyprianus obſervandum eſſe concedebat de baptizatis in Eccleſia priuſquam a fide deſciſcerent, contendens præter illam impoſitionem manus, in baptizatis apud hæreticos adhibendum iteratum baptiſma. Fatebatur ergo Cyprianus redeuntes hæreticos recipi juxta veterem conſuetudinem, *per manus impoſitionem in pœnitentiam*. Manifeſtum eſt ratiocinium illud ex præcitatis Auguſtini verbis lib. III. de Baptiſm. cap. 11. atque ex ipſomet Cypriano hæc ſcribente in Epiſt. ad Quintum pag. 272. *Dicunt ſe in hoc veterem conſuetudinem ſequi, quando apud veteres hæreſeos prima adhuc fuerint initia, ut hi illic eſſent, qui de Eccleſia recedebant, & hic baptizati prius fuerant; quos tamen ad Eccleſiam revertentes, & pœnitentiam agentes neceſſe non erat baptizare. Quod nos quoque hodie obſervamus, ut quos conſtet hic baptizatos eſſe, & a nobis ad hæreticos tranſiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito, & errore digeſto ad veritatem & matricem redeant, ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere; ut quia ovis fuerat, hanc ovem abalienatam & errabundam in ovile ſuum paſtor recipiat.*

CONSECTARIUM.

Non erat ergo impoſitio manuum, qua recipiebantur hæretici baptizati in Eccleſia, diverſa ab illa, qua recipiebantur baptizati in hæreſi; ſed utraque erat ceremonialis, reconciliatoria, pœnitentialis. Hoc inter utroſque diſcrimen, quod baptizati in hæreſi facilius veniam conſequebantur, & per manus impoſitionem reconciliati Eccleſiæ accipiebant in ea communionem, caritatem, pacem, unitatem, atque inviſibilem Spiritum ſanctum: atque ita ſalubriter incipiebant habere ſacramentum baptiſmatis, quod ſuſceptum in hæreſi tanto pernicioſius, quanto indignius habebant. At baptizati in Eccleſia, utpote apoſtatæ, deſertores, & qui diſruperant vinculum unitatis, ante reconciliationem ad publicam pœnitentiam ſubeundam cogebantur; & ubi primum venientes ad unitatem, ſtatim admittebantur inter *ſubſtratos*, ut ſe Antiſtitum genibus ſubſternerent; redeuntibus poſt ſpontaneum lapſum, e gradu *Fletus* ad *Audientiam*, ab *Audientia* tranſeundum erat ad *Subſtrationem*, & complendum ita univerſum curriculum pœnitentiæ. Hoc inſinuat Innocentius I. præcit. Epiſt. 22. ad Rufum Epiſcopum Theſſalonicenſem: hoc Auguſtinus confirmat lib. 2. adverſus Creſconium cap. 16. hoc ſcholio in canonem VII. Conſtantinopolitanum demonſtrat Lupus; hoc denique hujus, ac præcedentis theſis eſt conſectaria concluſio.

THESIS IV.

Statuenda eſt inter characterem baptiſmi, & characterem Confirmationis aliqua connotativa diſtinctio. Nam per characterem priorem tribuitur homini regenerato poteſtas, quæ ad ejus vitam & ſalutem ſpectat; per hunc vero characterem poteſtas pertinens ad ſpirituale certamen: per unum confertur ſignaculum civium ſpiritalis Jeruſalem; per alterum Chriſtiani militis nota. Etſi enim quiſquis baptiſmo initiatur, adſcribitur in Chriſtianam militiam, eique adverſus hoſtes, quibus *abrenuntiavit*, pugnandum eſt; ſacro tamen linitus chriſmate, quaſi militari baltheo exornatur, inungitur, conſtituitur athleta, ut non tantum inire valeat communia & quotidiana certamina, verum etiam difficiliora, interdum cum vitæ diſcrimine, & profuſione ſanguinis ſubeunda. Adeat, qui de hac re plura expetit, S. Thomam 3. p. q. 72. art. 5. & 6. Eſtium in IV. diſt. VII. §. 16. & Baſilium Poncium p. 3. cap. 2. quippe nobis non eſt diutius, & obnixius huic perquiſitioni incumbendum.

SCHOLION.

„ Sacramenti *Confirmationis* duos eſſe effectus, gratiam
„ nempe Spiritus ſancti, & characterem, docet fides Ca-
„ tholica. Gratiam vero illam, non eſſe donum lingua-
„ rum, quod impoſitione manuum Apoſtolorum accipie-
„ bant primi Chriſtiani, ſed gratiam ſanctificationis, ro-
„ boriſque & firmitudinis ad fidem profitendam atque
„ ſervandam, rectiſſime dictum eſt. Donum enim illud
„ linguarum, quod ſpectat ad genera gratiarum illarum,
„ quæ *gratis datæ* appellantur, modo non conferri ab
„ Epiſcopo conſignatis ipſamet experientia demonſtrat.
„ Hujus rei cauſam afferunt SS. PP. præſertim Joannes
„ Chryſoſtomus, & Auguſtinus. Illius verba producam ex
„ Tract. 6. in Epiſtolam Joannis num. 10. *Primis temporibus*, inquit, *cadebat ſuper credentes Spiritus ſan-*
„ *ctus*,

„ *ſtas, & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna; oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum Sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum: Significatum eſt illud, & tranſiit. Numquid modo quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? Aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit unuſquiſque veſtrum, utrum linguis loquerentur?* Vide conſimilia apud S. Joannem Chryſoſtomum ſermone 50., in quo egit de utilitate, quæ percipitur ex lectione Scripturæ.

„ At *divinam caritatem*, & ſanctificationis gratiam a Deo inſpirari per manus Epiſcopi impoſitionem aperte S. P. Auguſtinus docet libro 3. de Baptiſmo cap. 16., ubi ait Spiritum ſanctum dari *inviſibiliter, & latenter*: ac pariter Chryſoſtomus, cujus lib. 1. de Compunct. cordis cap. 8. hæc ſunt verba: *Participium Spiritus ſancti conſecutus es, etiamſi non ad hoc ut ſigna faceres, ſed quantum ſufficeret ad hoc ut recta vita indulgentiam cuſtodires*. Cetera vide hoc eodem cap. 9. tit. *de Gratia*, theſi prima, & 2.

„ Solet ad *characterem* demonſtrandum, ob quam Sacramentum *Confirmationis* iterari non poteſt, afferri canon 8. de Conſecrat. diſt. 5. *dictum eſt nobis*, qui in pluribus editionibus Gratiani dicitur eſſe Concilii VI. Tarraconenſis can. 6., atque ita etiam citatur ab Ivone, & Burchardo; ſed revera eſt canon 27. Concilii Cabillonenſis celebrati in Galliis anno 813., & extat in Capitularibus adjectis, tom. 1. Baluzii. Adde iis, quæ de *Charactere* diximus paullo ſupra theſi 7. verba S. P. Auguſtini præcitato cap. 16. libri tertii de Baptiſmo, *Manus autem impoſitio, ſicut & Baptiſmus repeti non poteſt*. Accedit demum vetus inſcriptio, ſive Epigramma de Marea apud Gruterum pag. 1177. & Henricum Valeſium in notis ad librum 6. Hiſt. Eccl. Euſebii, cap. 43. pag. edit. Taurini 273.

Tuque Sacerdotes docuiſti Chriſmate ſancto
Tangere bis nullum judice poſſe Deo.

„ Meminit Mareæ Epiſcopi Sozomenus libro 2. Hiſtoriæ cap. 12. necnon Martyrologium S. Romanæ Eccleſiæ 2. Kalendas Maji.

CAPUT X.

Brevis pertractans de Ritu Confirmandi, ſive de hujus Sacramenti ceremoniis.

NON erimus agentes de ſacro Confirmandi Ritu nimium prolixi, cum de hoc pertractarint ſtylo ampliori Dotantus, Caſalius, Vicecomes, Martenius, & qui de Re Sacramentaria ſcripſere medii ævi, ac noſtræ ætatis Theologi. Plura etiam nos ſuperioribus diſputationibus delibavimus, egimuſque de miniſtrantium, & confirmandorum conditione, de tempore quoque, & hora, necnon de chriſmate, & balſamo, quo conficitur, atque de ejuſdem chriſmatis benedictione. Cum vero neceſſum non ſit ea repetere; partes noſtras implevíſſe arbitramur, ſi notas quaſdam ſubjiciamus, quibus ipſius chriſmatis uſus, compatrum conditio, modus unctionis, vittæ lineæ, ſeu faſciolæ religamen, & alapæ, quæ impingitur confirmato, ratio exponantur.

DE CHRISMATE.

Ut ergo exordiamur a *chriſmate*, fallitur principio Claudius de Vert ſcribens tom. 2. pag. 156. & ſeq. ipſius originem nequaquam fuiſſe *myſticam*, quod eo utens Eccleſia intenderit duntaxat inſtaurare ritum, ceremoniamque Judaicam. At hinc potius eruitur oppoſitum: veteres quippe ritus præſignabant Chriſtianæ legis myſteria; & præſertim *chriſma* in conſecrationibus olim adhibitum; Exodi XXX. 25. & XL. 9. typus erat *Chriſti*, quem ob hypoſtaticam unionem, & gratiæ plenitudinem *unctum*, Pſalmiſta pſ. XLIV. 8. teſtatur. Illa quoque conſecratio legalis erat ſymbolum ſpiritalis unctionis, & habitualis gratiæ, cujus intuitu Joannes Epiſt. 1. cap. 2. 20. ait: *Vos unctionem habetis a ſancto*; Græce, *ὑμεῖς χρῖσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου*. Errat ergo, ſuiſque argumentis refutatur De-Vertius, in quem alibi acuimus ſtylum. II. Oleum pariter operamque perdunt ſacram unctionem arceſſentes a moribus Ethnicorum, qui perungebant pugiles & luctatores. Quamquam enim non diffitemur etiam in agone pugnantes unguentis perlinitos, quippe qui legimus Myrothecia Scacchi, & quæ ibi in 1. cap. 34. profert vir doctus ex Virgilio 3. Æn. canente, *Exercent patrias, oleo labente, palæſtras*, ex Plutarcho ſcribente in Themiſtocle, hunc oleo delibutum *ad obeunda pro patria certamina*, *ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας ὑπὲρ τῆς πατρίδος*, & ex aliis profanæ, & ſacræ eruditionis monumentis, nec ignoramus quæ de athletis ſcriptores plurimi conſignaverunt litteris; duo tamen ſunt, quæ ſacrorum chriſmatum præſtantiam tutantur: unum ſcilicet, quod nil deroget ſacroſanctis ſignaculis, ſi aliquem apud profanos uſum habeant, cui inſit cum ſpiritali effectu ſimilitudo aliqua & neceſſaria ad ſacramenti rationem *analogia*, ut diximus libro XXX. cap. 1. alterum, quod eodem capite animadvertimus, non ſolum in profanis, verum etiam in negotiis idololatriæ, ut phraſi utamur Tertullianea, dæmonem *æmulanter* affectaſſe res divinorum Sacramentorum. Quod in unctionibus præſertim factum tradit idem Tertullianus, commemorans de Præſcript. cap. 40. conſignationem militum factam a Mitra, præcipuo ſcilicet ſacrorum miniſtro, qui etiam ab Apulejo *Mithra* nuncupatur; quamvis eo vocabulo Perſæ appellitent ſolis ſimulacrum. Ac fortaſſe dæmon ad æmulationem illam vehementius eſt incitatus, quod Judæi cultores unius numinis adhiberent unctiones frequentiſſimas, etiam antequam inirent prælie: quod ſolemni ritu peractum in Juda Machabæo, auctor eſt lib. 3. hiſtoriæ hebraice conſcriptæ Joſeph Ben-Gorjon. III. In *Chriſmatis* conſecratione, quam faciendam diximus ab Epiſcopo in feria V. majoris hebdomadæ, tametſi priſcis ſæculis fas erat chriſma conficere quocunque die, ut conſtat ex can. 20. primæ Synodi Toletanæ, culpant heterodoxi conſuetudinem illam, qua Epiſcopus & presbyteri confectum chriſma ſalutant, dicentes, *Ave ſanctum chriſma*. Partim vero commoventur hæretici, quod adoratio facta inanimi elemento videatur idololatriæ crimen, partim quod ineptum ſit, & ſupra modum puerile ſalutem dicere, ſive jubere ut ſalva ſit res ſenſu deſtituta. Verum deſipiunt, & aniles ineptias, gerraſque effutiunt hæretici. Obſervatum optime a Pouget tom. 2. Inſtit. Cathol. cap. 8. & a ſapientiſſimo Pontifice Not. 189. in Fer. V. majoris hebdomadæ, hunc ſalutationis ritum quinto, ac ſexto ſæculo vigoiſſe: quod nos facile comprobamus ex quo illius meminerint Magnus Gregorius in Sacrament. antiquus Ordo Romanus, Pontificale Rhemenſe annorum mille, Pictavienſe ejuſdem ferme vetuſtatis, & perantiqua MSS. Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi, laudata ab erudito viro tom. III. in Pontif. Rom. pag. 77. nec meminerint tantum, ritum ipſum præterea commemoraverint, non quaſi eo temporis inſtitutum, ſed tamquam receptum, communem, probatumque auctoritate majorum: quod utique antiquiſſimæ originis argumentum eſt apertiſſimum. Jam vero hæreticorum nugas refutarunt pleriqua Theologorum, & Pontifex ſummus; reſpondendo adorationem Chriſmatis non eſſe *abſolutam*, ſed *relativam*, ad Chriſtum nempe, cujus ſymbolum eſt, referendam, atque in illa animi exultationem ob perfectam rem myſteriorum, virtutiſque pleniſſimam, reverentiam inſuper ſacramentorum, eſſe attendenda. Protulerunt quoque docti viri exempla Paulæ, quæ cum Bethlemum perveniſſet, ut in ejus Epitaphio tom. IV. pag. 674. ſcribit Hieronymus, exultans ait: *Salve Bethleem domus Panis, in qua natus eſt ille panis, qui de cælo deſcendit. Salve Ephrata regio uberrima, atque καρποφόρος* (fructifera) *cujus fertilitas Deus eſt*. Exemplum quoque Andreæ crucem alloquentis, *Salve crux pretioſa*, & Gregorii Nazianzeni, qui valedixit Conſtantinopolitanæ urbi, templo, & cathedræ, quando ſeſe abdicavit Epiſcopatu. Et ſi exempla alia quæras; extat in antiquo carmine de die Paraſceves producto a nobis tom. 5. pag. 561. *Salve feſta dies, quæ vulnera noſtra coerces*: in Ordine Romano pag. 56. & apud Venantium Fortunatum, de die Paſchatis, *Salve feſta dies, toto venerabilis ævo*: apud Alcuinum poem. 216. de urbe Roma, *Salve Roma potens, mundi decus, inclita mater*: quarum ſalutationum poſſent, ſi vacaret, proferri plurimæ. IV. De *chriſmate* autem hæc præterea ſtatuta eſſe invenimus: primo, quod ſingulis annis ſit innovandum, ex decreto, ut fertur, Fabiani Papæ; ex cap. *Si quis de alio*, de Conſecrat. diſt. IV. num. 122. & apud Burchardum lib. IV. decret. cap. 72. ac Concilio Bituricenſi anno 1584. quo etiam ſtatuitur, *ut vetus igni comburatur*. Præterea definitum eſt, ut presbyteri non e quocunque Epiſcopo, ſed a proprio recipiant chriſma, ex cap. *Presbyteri*, de Conſecrat. diſt. IV. num. 123. deprompto ex Concilio IV. Carthag. can. 36. ac præcit. cap. *Si quis de alio*, quod Burchardus, Ivo, & Gratianus tribuunt Synodo Lugdunenſi, ex Conciliis Vaſenſi, Antiſſiodorenſi, & Cabillonenſi laudatis a Tournelio pag. 250. & Vitaſſio pag. 641. edit. Ven. Græco-Itali tenentur & ipſi accipere chriſma a proprio Epiſcopo Latino, cujus juriſdictioni ſubjiciuntur, numquam vero recipere illud poſſunt ab Epiſcopis ſchiſmaticis, ſeu non habentibus cum Romana Eccleſia communionem, ex Conſtitut. BENED. XIV. ſuper Rit. Græc. §. 4. Tertio cautum eſt, ut *chriſma* diligentiſſime ſub ſigillo, aut ſera cuſtodiatur, canone 27. Concilii Moguntiaci an. 813. confirmato a Synodo Lingonenſi tit. X. cap. 4. can. 4. Concilii Lamethenſis an. 1530. canone 17. Concilii Friſingenſis an. 1440. a quo laudantur quoque conſtitutiones Concilii Lateranenſis, ex Concilio III. Mediol. an. 1573. item cap. 55. Capitul. Caroli M. lib. 3. & cap. *Præterea & illud*, ex collectis a Burchardo lib. IV. n. 80. Plura eodem libro extant decreta, quæ prohibent, ne pro chriſmate Epiſcopi, aut alii Eccleſiarum miniſtri recipiant *denarios*, *vel quælibet munuſcula*. V. Continuator Vitaſſii, cum omnia ad Sacramentum Confirmationis ſpectantia ſtuduerit comprehen-

dere

dare, egit q. 2. ſect. 6. §. 20. etiam de variis chriſmatis uſibus, ſcilicet in conſecratione electi in Epiſcopum, in conſecrationibus templorum, altarium, calicis, patenæ, campanæ, in benedictione aquæ baptiſmalis, in verticali unctione baptizatorum, atque in ipſorum confirmatione. Ignoro, cur in tam diſtincta enumeratione prætermiſerit uſum *chriſmatis* in benedictione cerearum imaginum, quas dicimus *Agnus-Dei*: olim quippe *chriſma* ceræ immiſcebatur, ut conſtat ex carmine Urbani V. ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, ubi materia, ex qua ſacræ illæ imagines conficiuntur, his verſibus exprimitur:

Balſamus, & cera munda, cum chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum;

quamvis modo *chriſma* non immiſceatur ceræ, ſed infundatur aquæ, in quam *Agnus-Dei* in ſolemni benedictione merguntur. VI. Illud poſtremo de chriſmate eſt adnotandum, benedictiones in quibus ipſum *chriſma* adhibetur, faciendas a ſolis Epiſcopis, neque ab ipſis poſſe committi presbyteris, quantumvis inter ceteros honore dignis, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio. Sacra enim Rituum Congregatio interdum concedit Epiſcopis facultatem delegandi pro benedictione ſacrorum indumentorum, *in quibus chriſma non debet adhiberi*, ſimplices quoque presbyteros; at non pro conſecratione aliqua *chriſmate* peragenda. Atque id ſacra Congregatio reſcripſit die 17. Januarii an. 1733. Archiepiſcopo Bononienſi Proſpero Lambertini, nunc Pontifici Maximo, qui eodem anno de Benedictionibus edidit Notificationem numero viceſimam, doctrina, & eruditione, numeriſque omnibus abſolutam, atque, ut reliquæ omnes, lectu digniſſimam. Præfectus quoque Sacrarii Apoſtolici, qui ſolet ex Ordine noſtro aſſumi, cum ex Pontificio diplomate poſſit benedicere ornamenta altarium, ſacra indumenta, corporalia, & quidquid ad ſacrum pertinet uſum; non poteſt tamen benedictiones illas perficere, quæ *chriſmate peraguntur*, niſi Epiſcopali charactere ſit inſignitus, ut inquit Angelus Rocca tom. 1. pag. 324. At de chriſmatis ſignificatione myſtica, conſecratione, cuſtodia, & uſu, ſi hæc perpauca præcedentibus diſquiſitionibus adjiciantur, ſatis ſuperque dictum eſt.

DE CONFIRMANDORUM PATRINIS.

Eadem prorſus dicenda ſunt de ſuſceptoribus, ſeu Patrinis Confirmandorum, quæ capite ultimo libri XXXI. ſcripſimus de ſuſcipientibus baptizandos. Addamus nihilo tamen minus nonnulla. Adhibendos in Confirmatione ſuſceptores, conſtat ex perantiqua Eccleſiæ praxi, comprobata ex capite, *In catechiſmo*, quod tribuunt Hygino, protulitque ſæculo ſeptimo Theodorus in Pœnitentiali n. 4. item ex cap. *Non plures*, deprompto ex Walafrido Strabone, & ex cap. *In Baptiſmate, vel in Chriſmate*, ſive ex Theodoro, ſive ex Concilio Moguntino: quæ omnia collegit Gratianus de Conſecrat. diſt. 4. S. Thomas qu. 72. art. 10. hujus ritus hanc profert rationem, quod illi, qui ſeliguntur ad pugnam, debent inſtrui a veteranis, & diuturno uſu in re militari exercitatis, quemadmodum recens nati capeſſere debent vitæ rudimenta. Ac ſunt, qui cum Ludolpho Carthuſ. p. 1. Vit. Chriſti cap. 24. repetunt Compatrum originem ab Apoſtolis; quorum ſenior Andreas Petrum fratrem ſuum adduxit ad Dominum. II. In Confirmatione nemo teneri poteſt a patre, vel matre, vel vitrico, vel noverca: quod ſtatutum fuit a Concilio Londinenſi ſub Innoc. III. an. 1200. can. 3. & præcitato cap. *In baptiſmate*. Idem ſancivit an. 813. can. 31. Concilium Cabilonenſe, cujus decretum extat cap. *Dictum eſt nobis*, XXX. q. 1. Necnon Nicolaus I. epiſt. 19. ad Rodulphum Bituricenſem Epiſcopum an. 864. & habetur cap. *De his, qui filiaſtros ſuos*, eadem Q. num. 6. Horum decretorum ratio petitur ex cognatione ſpirituali, quæ contrahitur *confirmantem inter & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem*, ſed hos non egreditur limites, ex Concil. Trident. ſeſſ. XXIV. de Reform. Matrim. cap. 2. Ob eamdem rationem, ne ſcilicet multiplicentur impedimenta Matrimonii, præſcribit Pontificale Romanum, ut *nullus teneat niſi unum, aut duos, non plures, niſi aliter ſuadeat neceſſitas*: quod etiam habetur Cap. *Non plures*, de Conſecrat. diſt. IV. n. 101. in Synodo Burdigalenſi celebrata an. 1583. aliiſque Eccleſiaſticis definitionibus. III. Requiruntur autem in Compatribus conditiones, quas ſubjiciam. Primum debent eſſe baptizati & confirmati, ex præcit. capite *In baptiſmate, vel in chriſmate*, ex Pontif. Romano, innumeriſque Synodorum ſtatutis. Deinde nec mares feminis compatres, neque fœminæ viris, neque ſenioribus juniores eſſe debent, cum id minime deceat, ut præmonuit idem Pontificale Romanum, ſtatuitque an. 1585. Synodus Aquenſis. Ad hæc merito exigit Concilium Mediolanenſe V. an. 1579. ut tam confirmandi, quam patrini orationem Dominicalem, ſalutationem Angelicam, & ſymbolum Apoſtolicum memoria teneant, imo hæc omnia recitent coram Epiſcopo. Meminiſſe quoque debent muneris ſui; in ſuam quippe tutelam recipiunt confirmatum, eique tenentur tradere quæ decent probum, honeſtumque Chriſtianum; ut jure optimo declarat can. 15. Synodus Narbonenſis ſub Paulo V. celebrata: quæ ſi verterent animo, *vix ardentius arceſſiti & invitati ad munerit obirent*, ut in Reſp. ad Dionyſium Monachum lib. III. Juris Orient. ajebat Elias Cretenſis. Inſuper ſtudium adhibere debent, ut iis, quos ſuſcipiunt, immutetur nomen, ſi turpe aut ridiculum ſit, vel ex avita gentilitate derivatum; ut mandant præcitata Synodus Aquenſis, & Mexicana anni 1585. Qua in re ſervari debent, quæ de nomine baptizandis imponendo ſcripſi tom. VI. pag. 579. Ad hæc præcitata Aquenſis Synodus, necnon Mediolanenſis I. anni 1565. prohibuere, ne ſuſceptores ſive iis, quos ſuſceperint, ſive horum parentibus quicquam, vel minimum largirentur, ne videantur ſpiritalia munera largitionibus officiiſque captari. IV. Si quis non confirmatus alium ſuſciperet, peccaret quidem graviter; conſenſione tamen Doctorum contraheret ſpiritualem cognationem, ut obſervarunt Sylveſter v. Matrimonium, §. VIII. q. 7. Dominicus Soto diſt. 41. q. 1. art. 3. & Sylvius 3. p. q. 72. art. 10. propterea quod ratione baptiſmatis eſſet capax ejuſdem cognationis ſpiritualis; teneretur pariter, quod compatrum eſt, confirmatum monere, inſtruere, eique tanquam dux præeſſe in ſpiritali certamine, & probatæ vitæ exemplo & magiſterio præire. V. Patrini infantes in brachiis tenere debent; at ſi confirmentur adulti, *ponunt pedem ſuum ſuper pedem patrini ſui*; quod non ſolum præcipit Pontificale Romanum, verum etiam Gregorius Magnus in Sacramentario tom. 3. pag. 73. & antiquus Ordo Romanus pag. 54. Recte itaque S. Carolus in quinto Mediolanenſi Concilio ritum hunc appellavit *antiquum*. Cenſet Auctor Commentariorum in Pontif. Rom. tom. 1. pag. 12. ad hunc ritum referenda eſſe verba Nicolai I. in laudata Epiſtola XIX. ad Bituricenſem Epiſcopum, *De his qui filiaſtros ſuos, cum chriſmantur ab Epiſcopis, ſuper ſe SUSTINENT, &c.* Addit ſignificatum hac cæremonia regendos eſſe a compatribus juniores, de quibus Iſaias cap. LIX. 8. *Viam pacis neſcierunt, & non eſt judicium in greſſibus eorum.*

DE UNCTIONIS FORMA.

Græci, ut liquet ex Euchologio pag. 360. conſueverunt ungere baptizatum *ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν μυκτήρων, καὶ τοῦ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων, in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus*. Pectus addit S. Cyrillus Cat. 3. pag. 526. harumque unctionum ita ſignificationem exponit: *Ac primum quidem fronti illinitur, ut eum abſtergat pudorem, quem primus homo tranſgreſſor perpetuo circumferebat, ſimulque efficiat, ut poſſitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum divina myſteria aures accipiatis. Poſtea nares, ut divinum recipientes unguentum dicatis, Chriſti gratus odor eſt Deo in his qui ſalvantur. Tum vero & pectus inungitur, ut induti thoracem juſtitiæ fortiter adverſus inſultus diaboli conſiſtatis.* Similia Goarius nota 30. in Officium Baptiſmatis. Euchologia quædam addunt unctionem manuum ac pedum apud Iſaacium Habertum in Pontificali Græcorum pag. 708. ſed unctionem hanc veteres omittebant, ut teſtatur lib. 1. Concordiæ cap. ult. Arcudius, confirmatque Goarius ex MSS. Cryptoferratenſi & Barberino, ex præcitata Cyrilli Jeroſolymitani catecheſi tertia, necnon ex canone VII. Concilii 1. Conſtantinopolitani: de quo ſupra. II. At Latini ſolam adhibent unctionem frontis, quoniam in fronte verecundiæ ſedes eſt; & Confirmatio præſtat, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcamus, ut docent Florentinum Conc. in Inſtruct. Armen. Catech. Romanus p. 2. cap. 3. num. 24. S. Pater Auguſtinus lib. XII. contra Fauſtum cap. 30. ſerm. 27. alias 20. de Verbis Apoſt. n. 6. ſerm. 174. alias 8. de Verbis Apoſt. n. 3. in Pſ. 50. n. 1. & 143. n. 2. aliiſque in locis, Innocentius III. Extra, de Sacra Unctione, & cum S. Thoma q. 72. art. 9. univerſi Theologi. Quod ſi opponas ungendum & pectus, quoniam iſtic ſedes eſt roboris; aut inungendum totum corpus, quia ubique ſerpat languor; aut ſaltem liniendum os, quo articulatur fidei confeſſio; jam habes ex Angelico Doctore reſponſum, in fronte tantum, ubi ſedes pudoris ſita eſt, & fortitudinis, & verecundiæ, & timoris indicia apparere, ideoque frontem ſolam eſſe inungendam chriſmate, quoniam ſacramento Confirmationis non confertur virtus fidem catholicam profitendi animo tantum, & corde, neque aperto duntaxat ore, verbiſque ſonantibus; ſed palam, intrepide, & abſque erubeſcentia, abſque trepidatione: quas affectiones niſi ſuperna virtus expectoret, apparent in fronte illarum veſtigia; ſunt enim ſigna perturbati animi, ut Lucretii lib. VI. utar verbis,

Triſte ſupercilium, furioſus vultus, & acer.

Contra frons, quæ nullo velamine tegitur, ingenuæ, liberalis, non fucatæ, nullaque arte quæſitæ confeſſionis exhibet conjecturas. III. Præterea cum facies ſit hominis pars præcipua, in eaque frons emineat, iccirco *chriſmate* conſignatur, ut Domino cruci affixo ſeſe confirmatus addictum & conſecratum eſſe cognoſcat, ejuſdemque illecebras, voluptates, ornatuſque, uti ſpopondit in baptiſmate, deſpiciat, & averſetur, tanquam ſacræ huic unctioni contrarias. Ad factum propterea *chriſma* intendiſſe animum

creditur

Digitized by Google

creditur beata Agnes, dum ait: *Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam*. Inde quoque occaſionem arripuit reprehendendi mulieres percultas Aurelius Prudentius in Pſychomachia, dum luxuriæ & ſobrietatis pugnam deſcribens cecinit.

Quis furor inſanas agitat caligine mentes?
Quo ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem,
Proh pudor! armigeris amor eſt perferre lacertis?
Lilia luteolis interlucentia ſertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas?
His placet aſſuetas bello jam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier ulnas?
Ut mitra cæſariem cohibens aurata virilem
Combibat infuſum croceo religamine nardum,
Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Unguentum regale datum eſt, & chriſma perenne?

DE VITTIS LINEIS, SIVE FASCIOLIS.

Quanta autem reverentia peragi debeat hæc unctio, ſuadent ipſa frontis ligamina, horumque apud veteres uſus. Nam priuſquam *chriſmate* inungatur frons confirmandi, majorum noſtrorum inſtituto curandum eſt, ut frons munda & nitida fiat, abluatur caput, & tondantur capilli. Ita præſcripſere an. 1579. Synodus Mediolanenſis, & 1581. Rothomagenſis; ne alia hujus generis decreta commemorem. Juſſerunt pariter, ut parentur vittæ lineæ, atque iis frons ligetur, ſicque maneat ligata, quouſque *chriſma* exſiccetur, aut extergatur. Hæc ligamina ex nova tela, munda, tribuſque lata digitis ut fiant, mandat Concilium Vigornienſe anno 1240. & Colonienſe an. 1280. Adde ſtatuta Synodalia Eccleſiarum Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis num. 7. in Theſauro Anecd. Martenii tom. IV. pag. 687. Ut confirmatu ligetur frons, præcipit quoque Pontificale Romanum. II. Manebat olim frons confirmati ligata faſciola *ſeptem diebus*, & per totam octavam Pentecoſtes, ut conſtat ex Ordine Romano, ex Amalario Fortunato, & Hugone Victorino. Poſtea *tribus diebus* deferendum ligamentum ſancivit an. 1374. Synodus Beneventana, & an. 1400. Synodus Trecenſis. Id vero ad ſpatium *viginti quatuor horarum* coarctavit Synodus Carnotenſis anni 1526. Abſtergendam ſtatim frontem, ſed abſtinendum per ſeptem dies capitis ablutione, decrevit an. 1542. Synodus Lugdunenſis. Ita paulatim Eccleſiaſtica diſciplina fuit immutata. Saltem cavendum, ut *chriſmatis* exterſio fiat a Sacerdote adhibito goſſipio, ut præcipiunt Synodus Mediolanenſis V. Bituricenſis, Aquenſis, & ſtatuta Synodalia paullo ſupra laudata ex Anecdotis Martenianis. III. Ut faſciola cremetur, & cineres ſerventur in primum diem Quadrageſimæ, ſtatuit præcitata Synodus Bituricenſis, & quædam perantiqua ſtatuta pag. 162. ejuſdem Volum. Anecd. mandant, ut iidem *chriſmalium* cineres in Eccleſia, vel atrio abſcondantur ſub terram. Eædem vittæ in profanum uſum nullatenus poſſunt transferri: & ſi in uſum Eccleſiæ deputentur, abluendæ prius ſunt ſale, & aqua in ſacrarium fundenda. Simili ratione lavandas frontes confirmatorum, cum faſciolæ auferuntur, ex Trecenſi, Senonenſi, & Carnotenſi Synodis docet illuſtris Auctor Commentariorum in Pontif. Romanum tom. I. pag. 11. & Continuator Witaſſii poſtrema pagina, aliique poſt Martenium lib. 1. de Antiq. Eccl. Rit. cap. 2. art. 3. pag. 248.

DE ALAPA, QUA CONFIRMATUS LEVITER CÆDITUR.

Statim ac Pontifex pronuntiavit Confirmationis formulam, cædit leviter conſignati maxillam, dicens, *Pax tecum*. Ceremoniam hanc non legi apud veteres, nec perantiquam eſſe, affirmant Juenin, L'Herminier, Vitaſſe, Tournely, aliique recentiores. Martenius ipſe cit. cap. 3. ait neminem de hac ceremonia pertractaſſe ante Durandum Mimatenſem Epiſcopum. Fuiſſe tamen illam antiquitatis honore demonſtrant Pontificales Codices MSS. Vaticanus num. 4744. & Angelicæ noſtræ Bibliothecæ: quorum ille quadringentorum annorum, iſte vero quingentorum ætatem ſuperat. Neque hi codices inſtitutione primo, ſed inſtitutum ſupponunt eumdem ritum. Hinc nota e Scriptorum ſilentio non ſemper erui ratiocinationes invictas. II. Infligi confirmatis levem alapam, ut ſuſcepti ſacramenti ſervent memoriam, Senonenſis & Carnotenſis Synodi tradiderunt. Et quidem, ſive attendatur indelebilis *character*, ſive in Chriſtianam militiam aggregatio, nunquam ſacramentum, quod nefas eſt iterari, & quod eſt confeſſionis noſtræ *ſignaculum*, deleri debet oblivione. Jure Prudentius in Cathemer. hymno *ante ſomnum*, ita hoc revocat in ſingulorum memoriam:

Cultor Dei, memento
Te Fontis, & Lavacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te CHRISMATE innotatum.

Aliam hujus percuſſionis rationem proferunt Concilium Colonienſe, Catechiſmus Romanus, S. Carolus Borromæus, aliique plurimi; ut nempe meminerit confirmatus, ſe tamquam athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa pro Chriſti nomine perferenda: ut percutienti dexteram, ſiniſtram porrigat: ut Dominum Jeſum imitetur, qui ante iniquorum tribunal percuſſus alapa, invicto animo paſſus eſt injuriam. Dum enim ante Caipham confiteretur, ſeque Dei filium & promiſſum Liberatorem profiteretur, ut narrat Evangelica hiſtoria, & canit lib. IV. Juvencus Presbyter,

Tunc ſanctam Chriſti faciem ſputa improba complent,
Et palmæ in malis, colaphique in vertice crebri
Inſultant, verbiſque omnes illudere certant:
Chriſte profetabis cujus te palma cecidis.

Errant ergo hæretici, qui, ut irrideant ritus Catholicæ Eccleſiæ, ceremoniam iſtam adhiberi autumant loco impoſitionis manuum, per quam Apoſtoli conferebant Spiritum ſanctum. Verum de hoc ritu plura Joannes Ekius hom. 23. Joannes Stephanus Duranti lib. 1. cap. 20. & Natalis Alex. lib. 2. Th. Mor. tract. 3. cap. 6. De pace, ac benedictione data ab Epiſcopo confirmatis non opus eſt alia verba profundere, quam Catechiſmi Romani num. 26. *Pax ei* (confirmato) *datur, ut intelligat ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſecutum eſſe*, ad Philipp. IV. 7. HaC ergo MethoDo LIber XXXII. absoLVtVs eſt *.

* *Litteræ Majuſculæ numerant annum, quo liber iſte 32. completus eſt.*

SCHOLION.

„ DE impoſitione nominis rurſus non agam: videor
„ enim mihi ſatis de hac re dixiſſe ſuperiori libro tri-
„ geſimo primo capite ultimo. Unum addam, cur etiam in
„ *Confirmatione* nomen interdum immutetur. Cauſam
„ reddit Synodus Buſcoducenſis laudata a Zegero-Bernar-
„ do Van-Eſpen in Jus Eccl. univerſum p. 2. tit. 3. cap.
„ 3. num. 19. *Ut qui hactenus non ad normam Chriſti Do-*
„ *mini vitam inſtituit, jam abjecto nomine ejuſmodi, de-*
„ *poſitoque veteri homine, & antiqua ſocordia, rurſuſque*
„ *novo ac ſancto ſuſcepto nomine, virilem in ſancto agendo*
„ *conſtantiam perpetuo deinde præſtet.*

„ Eamdem omnino ob rem morem obtinuiſſe puto, ut
„ qui religioſum aliquod inſtitutum amplectuntur, priſti-
„ num nomen abjiciant, quo noſcant ſe non amplius im-
„ plicandos eſſe negociis ſæcularibus; ac ſeſe exuentes
„ veteri homine cum actibus ſuis, induant novum, qui
„ ſecundum Deum in juſtitia, & ſanctitate creatus
„ eſt.

DE THEOLOGICIS
DISCIPLINIS
LIBER TRIGESIMUS TERTIUS,
Sive de myſteriorum omnium maximo, ideſt, de ſacroſancto EUCHARISTIÆ *Sacramento.*

REGIUS Vates, ut animadvertit Catecheſi ex Myſtagogicis quarta Cyrillus Jeroſolymorum Antiſtes, prænuntians Evangelicæ legis myſteria, atque ob maximam horum dignitatem, utilitatemque lætitia plurima exultans, *Paraſti*, inquit Pſalmo xxii. *in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me: impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt!* Poſtquam enim ſacramento Confirmationis, quod ſignificatur olei pinguedine, impreſſit fronti baptizatorum ſignaculum gratiæ, & ſanctificationis ſigillum; inſtruit eis, apparatque Dominus *Menſam*, in qua, ut in ipſo maneant, aluntur Filii hominis carne, & ſanguine in remiſſionem peccatorum effuſo ſpiritaliter inebriantur. Nec Cyrillus tantum, etiam alii patres de EUCHARISTIA interpretati ſunt Pſalmographi verba, Origenes præſertim, Cyprianus, atque Auguſtinus. Igitur, cum ſuperiori libro de ſacramento Chriſmatis pertractaverim, nunc mihi diſſerendum eſt de ſacroſancto EUCHARISTIÆ myſterio: quod & poſtulat rerum ordo, ſuſceptique operis inſtitutio. Præſignarunt myſterium iſtud oblatio facta olim a rege Salem, & Dei altiſſimi ſacerdote Melchiſedech, ſervati in altare panes propoſitionis, panes item primitiarum oblati cum agnis anniculis, necnon Paſchalis victima manducanda cum azymis, aliæque complures veteris Teſtamenti figuræ; quibus prænuntiata fuere juge ſacrificium, cæleſte convivium, angelorum hominumque conſortium, immenſa demum gratiarum munera, quæ nobis confert divinum hoc, atque ineffabile ſacramentum. Illud ipſum eſt, quod ſive a ſymbolis, ſive a re quam continet, ſive a myſterii celebratione & frequentia, Eccleſiæ Patres appellaverunt Panem myſticum, ſuperſubſtantialem, cæleſtem; Corpus ac ſanguinem Domini; Sanctum donum, communionem, ſynaxim; & ne ſingula recenſeam nomina, Sacramentum auguſtiſſimum, omniumque perfectionum conſummationem. Nihil propterea poteſt a nobis excogitari ſublimius, nihil difficilius inveſtigari, nihil utilius aut mentis contemplatione, aut eloquio ſermonis, aut Theologicis diſceptationibus & commentariis attingi. Neque vero id conantibus præſtigiæ hæreticorum hominum ſunt nimium pertimeſcendæ; ſiquidem *adverſus eos, qui nos tribulant*, & laceſſunt, adverſus inſidias dæmonum, hæreſumque portenta, hæc *menſa*, ut diximus, parata eſt; & ex illa dummodo non accedamus indigni, ſurgimus hoſtibus formidabiliores, quemadmodum Græcorum Patrum eloquentiſſimus, Joannes Chryſoſtomus, memoria repetens quæ in immolatione Paſchalis agni contigerunt apud Ægyptios, alloquebatur neophytos, *Si angelus viderit ſanguinem, non illitum poſtibus, ſed ſanguinem veritatis in ore fidelium ſplendentem, abſcedet ocyus.* Utinam id nobis præſtet Panis ille vivus, qui deſcendit de cælo natus in Bethlehem, atque ut nos proprio ſanguine ablueret, ablutoſque nutriret, ſeſe tradidit peccatoribus apud unum Prophetarum dicentibus, *Mittamus lignum in Panem ejus, & eradamus eum de terra viventium:* utinam, inquam, Panis ille tranſiens in animarum noſtrarum vegetationem clementer nobis indulgeat, ut quæ libamus Sancta, digne poſſimus conficere, digne miniſtrare, digne ediſſerere, digne adverſus hæreticorum machinamenta defendere.

CAPUT I.

De Sacramenti EUCHARISTIÆ *inſtitutione.*

SACRAMENTI hujus dignitatem admiratione potius proſequi volumus, quam oratione; cum longe ſuperet inopiam humani eloquii, nec poſſit exornari verbis, aut mente comprehendi. Illam lector Chriſtiana pietate præditus, ex iis, quæ dicenda erunt de Filio Dei, Angelorum Domino, hominumque Reparatore ſub myſterii hujus velaminibus latitante, poterit æſtimare. Neque diu immorandum in ea quæſtione, quæ ſolet eſſe caput ceterarum, an Euchariſtia novæ legis Sacramentum ſit; poſteaquam hanc pertractavimus lib. xxx. cap. 5. ubi vidimus etiam in ea convenire peſtilentiſſimos hæreticorum: qui cum omnia Chriſtianæ Fidei myſteria peſſumdare, evertere, & labefactare tentaverint, duo tamen ſacramenta receperunt, Baptiſmum, & Euchariſtiam; ſi recepiſſe dicendi ſunt, qui illis denegant vim ſanctificandi, pluraque de illis tradunt hæreſum, & impietatis portenta. Sed hæc ad alia potius capita, quam ad illud, in quo Theologi diſputant de hujus Sacramenti *exiſtentia*, referenda eſſe videntur. Qui ergo Euchariſtiam ſacramentum eſſe demonſtrare velit theologicis argumentis, adeat præcitatum caput libri triceſimi: non enim de hac re indicunt nobis certamen infenſiſſimi Eccleſiæ hoſtes, quemadmodum faciunt de ſacramento Confirmationis, & de aliis, quæ ad Euchariſtiam conſequuntur.

Duo tantum perdifficili, ampliſſimæque diſſertationi hoc loco inſtituendæ præmittimus; unum, quid ſit Euchariſtia; alterum, quid ſit illud, quod proprie Euchariſtia nuncupatur. Euchariſtiam itaque complures hac definitione circumſcribunt: *Euchariſtia eſt Sacramentum novæ legis, conſtans ex viſibilibus ſpeciebus panis, & vini, & inviſibili carne & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod ipſemet pridie quam pateretur inſtituit, ut ſuos qui erant in mundo ſuamet carne enutriret, & ipſi ambularent in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei.* Atque hanc definitionem ceteris præfert, vindicatque Merbeſius 3. parte Summæ Chriſtianæ pag. 537. In ea tamen, quæ de inſtitutione dicuntur, ad definitionem non ſpectant, & quæ verbis afferuntur poſtremis, deprompta ex iii. Regum xix. & ſapiunt veterum allegoriam, & fortaſſe ſuperflua ſunt. Quare breviorem, notiſſimamque Euchariſtiæ definitionem probamus: *Euchariſtia ſacramentum eſt, in quo ſub panis vinique ſpeciebus Chriſti corpus & ſanguis continetur, ad ſpiritualem animarum noſtrarum refectionem.*

Cum autem plura in Euchariſtia reperiantur, ideſt, panis vinique accidentia, Chriſti corpus, & ſanguis, ipſa ſubjectæ materiæ conſecratio, vel ſumptio; ſolent Scholaſtici inveſtigare, quid horum revera ſit, quod appellamus *Euchariſtiæ ſacramentum*. Ac ſunt plerique aſſerentes accidentia, ſeu ſpecies, ipſummet ſacramentum eſſe; non quidem ſuapte natura, ſed quatenus per verba conſecrationis determinantur ad ſignificandum & continendum Chriſti corpus, comparate ad animorum refectionem ac nutrimentum. Qui vero ita ſentiunt, ducuntur præſertim hac ratione, quod Tridentina Synodus ſeſſ. xiii. cap. 1. communiſque ſenſus cum Patrum, tum fidelium univerſorum profiteatur in ſacramento Euchariſtiæ Chriſti corpus, & ſanguinem contineri: quod perinde eſt, ac dicere, rationem ſacramenti congruere permanentibus panis, vinique ſpeciebus, non Chriſti corpori aut ſanguini; alioqui dicendum foret, ſacramentum contineri ſub ſacramento. Id vero, inquiunt, erit manifeſtius ſi ratio ſigni ſenſibilis, quæ ineſt cuique ſacramentorum, attendatur; non enim quæ latent, ſed *quæ ingerunt ſpeciem ſui*, ſigna poſſunt appellari. Atque hæc ſententia inter Scotiſtas, alioſque vulgaris poteſt ab unoquoque teneri.

Verum pugnant contra Thomiſtæ quidam cum Sylvio in quæſt. 73. art. 1. & Eſtio diſt. viii. §. 3. & contendunt ſacramentum illud eſſe Chriſti corpus & ſanguinem, non abſolute, ſed quatenus continentur ſub panis, & vini accidentibus, ſubnixi proximis argumentis. Principio, ajunt, Euchariſtiæ ſacramentum adorandum eſt eo cultu, quem appellamus *latriam*: eſt animarum cibus, atque viaticum: confert etiam gratiam, & futuræ gloriæ pignus, ac ſymbolum eſt. Species vero non ſunt id, cui fideles exhibent adorationem latriæ; non illæ ſane, ſed Chriſti corpus & ſanguis enutriunt animum ſpiritualem, dicente Domino Joan. vi. 56. *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*: neque ſpecies præſignant gloriam cæleſtem ac ſempiternam. Deinde, inquiunt, ſpecies ante conſecrationem aderant, nec tamen erat tunc ſacramentum: ipſumque ſacramentum conficitur verbis conſecratoriis, cum ſpecies habuerint præexiſtentiam ſuam ante prolationem horum verborum. Poſtremo contendunt infirma eſſe oppoſitæ ſententiæ argumenta; quando enim dicimus corpus Chriſti contineri ſub ſacramento, ſenſus eſt illud exiſtere *ſub ſpeciebus ſacramentalibus*,

aut

Digitized by Google

aut nobis exhiberi ſub viſibilibus ſignis: unde non ſequitur corpus Chriſti non eſſe ſacramentum; quemadmodum, ait Sylvius, ex verbis Apoſtoli II. ad Corinth. v. 19. *Deus erat in Chriſto, &c.* non infertur Chriſtum non eſſe Deum, ſed Deum factum nobis eſſe viſibilem in Chriſto, qui Deus eſt. Ipſum quoque Chriſti corpus eſt ſignum ſenſibile ratione ſpecierum, ſicut Deus apparuit nobis in Chriſto ratione aſſumptæ carnis.

Arbitror ego utramque ſententiam eſſe probabilem; & rejicio duntaxat comparationem nuper productam. Enimvero Chriſtus Deus eſt, atque inter divinitatem, & humanitatem ipſius reperitur *ſubſtantialis unitio*; ſed hanc minime aſſerere poſſumus inter Chriſti corpus & ſpecies panis, niſi ſubſcribamus Lutheranæ *de Impanatione* hæreſi, hoc eodem libro oppugnandæ. Qua unione ſublata, non recte diceretur, *Deus eſt Chriſtus*, niſi forte ſenſu Neſtoriano. Atque ita non eſt ſatis caſtigata locutio, *Chriſti Corpus eſt ſacramentum*, niſi ſic accipiatur, *Chriſti Corpus eſt ſub ſacramento*; quoniam inter Chriſti corpus, & viſibilia ſigna non intercedit illa unio, quam dicimus *hypoſtaticam*. Verba quoque Apoſtoli, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, Dei nomine non ſingularem Chriſti perſonam, ſed vel Patrem, vel totam Trinitatem, cui pro nobis ſatisfecit, ſignificare mihi videntur. Ad omnem ergo ſophiſticam prolixitatem vitandam, dico ſacramentum Euchariſtiæ utroque conſtare, *viſibili ſcilicet ſpecie elementorum, & inviſibili Domini noſtri carne, & ſanguine*, & utrumque dici ſacramentum; ſed neutrum ſacramentum eſſe, ſi ſeparetur ab altero. Id vero demonſtrant ea, quæ ſubjicio, momenta. Cap. *Hoc eſt*, de Conſecrat. diſt. 2. hoc expreſſe, iiſdemque verbis traditur, & licet idem caput proferatur ab Eſtio ad demonſtrandam ſententiam ſecundo loco poſitam; non refellit tamen priorem: immo diſtinguit ſacramentum a re ſacramenti, his verbis: *Eſt igitur ſacramentum, & res ſacramenti, ideſt, corpus Chriſti*. Ceterum eo loci, etiam corpus Chriſti, quod eſt *ſacramenti res*, dicitur ſacramentum, *Caro carnis, & ſanguis ſacramentum eſt ſanguinis: quoniam ſcilicet, cæleſtis panis, qui vere Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cum revera ſit ſacramentum corporis Chriſti, illius videlicet, quod viſibile, palpabile, mortale in cruce eſt ſuſpenſum; vocaturque ipſa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio*. Ita Lanfrancus Cantuarienſis, qui circa an. 1059. adverſus hæreſim Berengarii ſedulam, egregiamque navavit operam, & ex quo deſumptus eſt canon, *Hoc eſt*, Proſpero Auguſtini diſcipulo communiter attributus. Præterea cap. *Multi*, 1. quæſt. 1. num. 84. inquit Gregorius: *Sunt autem ſacramenta, baptiſma, chriſma, corpus & ſanguis Chriſti; quæ ob id ſacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum virtus divina ſecretius ſalutem eorumdem ſacramentorum operatur*.

At opinio eorum, qui putant ſacramentum Euchariſtiæ ſitum eſſe in ſola conſecratione, ſive, ut placet Calvinianis, in ſumptione ſacramentali, apertiſſime falſa eſt; & quantum ad ſecundam partem, hæretica. Falſa eſt prior opinio; non enim conſecratio, ſed res conſecrata eſt ſacroſanctum ſignum, ac ſacramentum: nec quidquam officit, quod ſacramenta conſtent ſenſibili materia, atque forma; quippe neceſſum non eſt ut forma ipſa permaneat, dum ſacramentum manet ac perſeverat, quoniam, ut oſtendimus Volumine III. pag. 195. non habent partes, quæ ſacramentum conſtituunt, cum principiis phyſicis æquabilem analogiam. Ex quo inſuper ſacramentum permaneat conſecratione tranſacta, evidenter conſequitur maximum inter ipſam conſecrationem, & ſacramentum reperiri diſcrimen. Calvini vero ſententia eo directa, ut deneget in Euchariſtia veram corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam, infra argumentis plurimis confutabitur. Nunc ſat eſt animadvertere, confici ſacramentum, quando verborum formula accedit ad elementum ſenſibile; quod fieri ante Euchariſtiæ ſumptionem manifeſto commonſtrat Eccleſiaſtica Liturgia. Profecto quod inquit hæreſiarcha, Chriſtum dixiſſe, *Accipite & manducate*; ſacramenta conſiſtere in actione quadam myſtica, ut ablutione, unctione, abſolutione, nullumque ſacramentum eſſe abſque ſubjecto illud recipiente, probat tantummodo eatenus *ſumptionem* ſacramentum vocari, quatenus illa nobis applicatur virtus ſacramentalis: probat Euchariſtiam ex Chriſti præcepto ſumendam eſſe; probat denique præter ſubjectum, a quo conſecrata ſymbola communicantur, in hoc ſacramento, quod permanens eſt, dari aliquid diverſum ab actione tranſeunte, in quo ſervetur vivificans Chriſti caro: quæ omnia ultro, libenterque concedimus. Legi poteſt Maldonatus q. 2. de Euchar. pag. 117. nobis enim ad quæſtionem propoſitam properantibus conſilium fuit hæc tantum præmittere, & ſcholaſticas quæſtiones complures compendio tradere, ne tempus his conſcribendis libris conceſſum, rebus utilioribus & gravioribus ſubtrahatur.

Pertractantes igitur de Euchariſtiæ inſtitutione, cum vulgaris ſententia ſit Euchariſtiam inſtitutam a Chriſto poſtrema cœna, poſtquam cum Apoſtolis manducavit Judaicum Paſcha; venit priori loco inquirendum, qua die menſis *Niſan* immolaretur *Phaſe*. Nam Aloyſius noſter Legionenſis, ejuſque inſignis diſcipulus Baſilius Poncius contendunt argumentationibus plurimis mactatum agnum luna decimaquarta ineunte: qua ſtatuta ſententia, obvio planoque ſenſu explicantur, quæ ſcribit Joannes Evangeliſta, Dominum celebraſſe cœnam poſtremam *ante diem feſtum Paſchæ*, crucique affixum in paſchatis Paraſceva, nec in ſolemni feſto, ſed in hebdomadali die, in qua fas erat accuſare, exercere judicia, cunctaque emere ac vendere: quæ omnia in memoranda illa emortuali die contigiſſe apparet ex hiſtoria Evangelica. Et quamquam hujus ſententiæ ſparſerint quædam ſemina commentariis in cap. 23. Levitici Oleaſter, & in cap. 22. Lucæ Didacus Stella, nec non Scaliger lib. v. de Emend. temporum; Poncius tamen noſter in libro *de Agni typici & veri immolationis legitimo tempore*, tanta argumenta complexus eſt, ut merito ſententiæ illius dicatur auctor, & propugnator. Hujus quoque liber tanto eruditorum plauſu exceptus eſt, ut illum donarit Gallico idiomate, notiſque illuſtrarit an. 1675. P. Daniel. Oppugnarunt tamen acerrime ſententiam illam, non ſolum recentiores, inter quos non abſque laude commemorandi ſunt Tournelius de Euch. pag. 228. L'Herminier tom. 2. de Sacram. pag. 464. & Carolus Witaſſe pag. 41. verum etiam Vaſquesius in 3. p. diſput. 172. & ex Proteſtantibus Ægidius Strauchius in diſſertatione *de Paſchate primo*, & in altera *de tempore πάσχατος comeſtionis*, quos tantum ſufficere arbitror ad quæſtionem hanc dirimendam. II. Sunt qui, cum perſuaſum habeant celebrandum fuiſſe Paſcha non luna 14. incipiente, ſed exeunte, duplicem diſtinguunt *Neomeniam*, ſeu duplex initium menſis; a congreſſu luminarium, & a primo lunæ conſpectu, ſive, ut inquiunt, *ἀπὸ τῆς συνόδου, ab conjunctione, & ἀπὸ τῆς φάσεως, & ab apparitione*. Qua diſtinctione poſita putant Judæos Hieroſolymitanos celebraſſe Paſcha ſervatis diebus lunæ *ἀπὸ τῆς φάσεως*, ab apparitione priori, & die, quæ ad crucifixionem Domini conſecuta eſt; ceteros autem, inter quos Chriſtus ſecutus morem Galilæorum, ſpectatis diebus lunaribus *ἀπὸ τῆς συνόδου*, a luminarium congreſſu, & *pridie quam pateretur*. Ex qua ſententia inferunt Chriſtum manducaſſe ſupremum Paſcha ſtatuta die, idem ſervaſſe, licet diverſo tempore, Hieroſolymitas; & crucifixum Dominum eo die, qui Hieroſolymis proteſtus erat, non Paſcha. Atque hæc ſententia, ſi vera foret, mirifice componeret omnia loca difficilia occurrentia in Evangelio Joannis. Pugnat autem pro ſententia iſta P. Peſaronius in Hiſtoria Evangelica Gallice conſcripta, & Harduinus in diſſertatione de ſupremo Chriſti Paſchate, Bucherius, aliique perpauci. III. Nonnulli cenſent Dominum in extremo vitæ ſuæ anno Paſcha non manducaſſe, ut figura immolationis agni impleretur in Chriſti crucifixione. Exiſtimant enim qui ita ſentiunt, juſſu Domini paratum Paſcha ab Apoſtolis, mactandum ipſa die paſſionis dominicæ poſt ſolis occaſum, ita, ut quando Apoſtoli Magiſtrum allocuti ſunt: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* exiſtimantes velle ipſum celebrare Paſcha more legitimo, ac Dominus reſpondit, *Ite in civitatem, &c.* ſapienter Chriſtus uſus ſit diſcipulorum ſuorum ignorantia, atque intellexerit de celebratione Paſchatis nobilioris, ideſt de mox inſtituenda Euchariſtia, quod illi accipiebant de manducatione Paſchatis legalis, ſive agni typici. Nec tamen hi auctores concedunt Græcis inſtitutam Euchariſtiam *in fermentato*; ſed oppoſitum tenent, aſſerentes in veſpera, quæ præcedit agni mactationem, omne fermentum a domibus Judæorum fuiſſe ſublatum. In qua ſententia de poſtremo Paſchate a Chriſto, ritu Judaico, non celebrato ſtilum exercuerunt viri celebres, Bernardus Lamy in diſſert. de hoc argumento, & lib. v. comment. in Harmoniam Evangelicam cap. 17. Toynardus Harm. Evang. pag. 151. Auguſtinus Calmet diſſert. de noviſſimo Paſchate D. N. J. C. in qua demonſtrare nititur ſententiam iſtam ſaltem cum aliis in eodem auctoritatis gradu conſiſtere, Tournemineus refutatus ab Honorato in animadverſionibus Criticis, tom. 2. pag. 454. Grotius in cap. 26. Mat. pag. 246. & Arminiani, ac Sociniani unanimiter. Mitto diatribam Anonymi inſcriptam S. Petro Alexandrino Epiſcopo & Martyri, quem Scriptorem habes in *Uranologio* Petaviano, alioſque veteres, de quibus Calmet in diſſertatione nuper laudata. IV. Invaluit eadem ſententia apud nonnullos Græcorum, qui ut facilius propugnarent ſententiam ſuam de Euchariſtia in pane fermentato inſtituta, aſſeruerunt Dominum celebraſſe ſupremam cœnam luna XIII. nondum ſublato fermento, nec inchoatis azymorum diebus: quamquam eſt inter Græcos ipſos ſententia communior, Chriſtum eadem luna 13. manducaſſe Paſcha legale cum azymis ritu Moſaicæ legis ſervato; poſtea vero inſtituiſſe Euchariſtiam in fermentato, ſive communi, & uſitato pane, nondum vetito. V. Tenent poſtremo aliqui Dominum inſtituiſſe Euchariſtiam, & celebraſſe ſimul Paſcha legale ſtatuto tempore, & luna XIV. Judæos tamen distuliſſe mactationem agni in diem alteram, ſive in lunam decimamquintam, poſt Domini crucifixionem, quod non una ratione explicant. Quidam enim putant cum Paulo Burgenſi re-

ceptam eo temporis traditionem quamdam Judaicam, quá præcipiebatur, ut Paſchalis ſolemnitas, ſi incidiſſet in feriam ſextam, transferretur in proximum ſabbatum, ne duo ſimul feſta concurrerent; Chriſtum autem ſervaſſe diem legitimam atque prædefinitam. Alii cum Dionyſio Petavio Animadv. in Epiphanium pag. 182. contendunt anno, quo mortuus eſt Chriſtus, duplex fuiſſe Paſcha, legitimum unum, quod non ſolum Chriſtus, ſed etiam ſaniores Judæi celebraverint; præpoſterum alterum inductumque ex Phariſæorum corruptela, quod luna xv. celebratum ſit a Phariſæis, Scribis, & Judæorum pleriſque; & denique nonnulli ducti auctoritate Chryſoſtomi, & Theophylacti, putant cum Dominum, tum Judaicam multitudinem celebraſſe Paſcha ſtatuta die, & luna xiv. ſed principes Sacerdotum & Scribas, ut Jeſum perderent, transgreſſos legale præceptum, diſtuliſſe agni Paſchalis manducationem ad proximam veſperam: atque id ſentientibus ſubſcribunt Voſſius diſput. xix. theſi 3. & 4. Camlus Sigonius lib. iii. de Republ. Hebræorum cap. 9. & ex noſtris Chriſtianus Lupus in diſſertat. de S. Leonis IX. Actis p. 3. Synod. Gen. pag. edit. Lovanienſis 675. Abierunt autem Doctores in tam varias, oppoſitaſque ſententias, propterea quod Joannes affirmat Chriſtum feciſſe cœnam ultimam *ante diem feſtum Paſchæ*, pluraque narrat, quæ demonſtrare videntur diem Chriſti emortualem non fuiſſe diem feſtum: quæ pariter ad eliminandum azymum objiciunt Græci. Ut ergo hæc diſſertatio recta methodo diſtribuatur; videndum eſt primo, quo tempore Paſcha legale fuerat celebrandum: deinde an ætate Chriſti viguerit duplex *Neomenia*, quarum unam obſervarent Jeruſolymitani, alteram reliqui Judæorum: tum, an revera Chriſtus ſubiturus crucem manducaverit agnum typicum: poſthac, an illum manducaverit eadem die cum Judæis, ideoque inſtituerit Euchariſtiam in azymo: inſuper, an ſaltem Judæorum aliqui, ſive ut Chriſti crucifixioni darent operam, ſive ex recepta aliqua conſuetudine, ſive ex translatione feſtorum celebrarint Paſcha præpoſterum, & pomeridianis horis feriæ ſextæ, mortuo jam Domino; ac tandem ſolvendæ ſunt oppoſitiones Græcorum, atque Evangelium Joannis cum iis, quæ ſcribunt alii tres Evangeliſtæ, comparandum & conciliandum eſt. Ita enim Lector circa inſtitutionem Euchariſtiæ percipiet difficultates omnes, dirimet objecta Græcorum, & Romanæ Eccleſiæ inviolatas traditiones facilius aſſequetur, tenacius tenebit, validiuſque tutabitur.

PROP. I. Paſcha Judaicum immolabatur luna xiv. exeunte, non ineunte, ideſt, horis pomeridianis decimæ quartæ diei menſis Niſan, ad quas conſequebatur veſpera, initiumque diei xv. & Paſchalis ſolemnitatis.

Demonſtratur I. Præcipiens Dominus Exodi xii. 6. paſchatis mactationem juſſit ut agnus ad ſacrificium ſelectus ſervaretur *uſque ad decimam quartam* Niſan, & ab univerſa filiorum Iſrael multitudine immolaretur ad veſperam. *Immolabitque* (ait) *eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Habet Hebraicus codex: ושחטו אתו כל קהל עדת־ישראל בין הערבים: *Et immolabunt eum omnis cœtus ſynagogæ Iſrael inter duas veſperas*. Nota, *Inter duas veſperas*, quæ verba habentur quoque in Samaritana, Syriaca, & Arabica verſione, tom. 1. Polygl. pag. 274. Nihil eſt aliud *Inter duas veſperas*, quam inter tempus veſpertinum diei xiv. & veſperam unde exordium ducit dies xv. ideoque mactandus erat agnus luna xiv. exeunte, & manducandus ſub noctem diei xv. Audias Rab. Kimchi in libro Radicum: cujus verba refert Buxtorfius in Lexico v. ערב: בין הערבים, *inter duas veſperas, ideſt, a tempore inclinationis ſolis ad Occidentem, quod eſt a ſexta hora, & ulterius uſque ad noctem. Dicit autem*, ערבים, *quod notat duas veſperas. Nam a tempore quod ſol incipit declinare, ea eſt veſpera una: poſt a caſum ſolis eſt veſpera altera. Inter hoc tempus eſt illud quod dicitur* בין ערבים, Hinc Rab. Maimonides *in Korban Peſach*, apud Lightfootum in Horis Hebraicis pag. 376. inquit: *Non mactandum erat Paſcha niſi in atrio: mactandumque die decimoquarto poſt meridiem, poſt juge ſacrificium, poſt oblatum thymiama*. Joſephus pariter libro vi. de Bello Judaico cap. ix. pag. noviſſimæ edit. 399. ſcribit *Paſchales victimas mactari ſolites*, ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *a nona quidem hora uſque ad undecimam*. Ex Thalmuld quoq. in *Paſach* per. 5. habemus quotidianum ſacrificium mactatum *hora ſeptima & dimidia, ablatumque hora octava & dimidia, & paſcha poſt ipſum*, ac deinde victimas purgatas *ad finem uſque diei*. Videſis in *Miniſterio Templi Hieroſolymitani* cap. xii. ſect. 3. pag. 730. Neque ſoli Hebræi id tradunt: conſentiunt noſtrates, Lorinus in caput 23. Levitici, Cornelius a Lapide, & Menochius in cap. xii. Exodi, ac Lippomanus in Catena pag. 81. Recte Lyranus: *Veſpera, prout hic accipitur, incipit a ſeptima quartodecimæ diei, quia ex tunc ſol incipit tendere ad occaſum & ab illa hora uſque ad principium noctis, poteſt immolari Phaſe. Immolabatur autem ad veſperam, quia illa hora jam pertinebat ad diem ſequentem ſolemnem; in qua exiverunt de Ægypto*. II. Hæc poſtrema Lyrani verba ſuppeditant nobis demonſtrationem alteram. *Veſperam*, ad quam mactabatur paſchalis victima, excipiebat ſolemnis & feſtiva dies xv. non erat ergo prior veſpera diei quartodecimæ ſed poſtrema. Probo ant. primo quia Matthæus cap. xxvii. 15. feriam ſextam proxime ſubſecutam ad Euchariſtiæ inſtitutionem appellat *diem ſolemnem*, in qua Pilatus dimittebat Judæis vinctum aliquem; quod & narrat Marcus xv. 6. & Joannes xviii. 39. Deinde Joſephus diſerte ſcribit lib. iii. Antiq. cap. x. n. 5. mactari Paſcha in menſe Xanthico, qui Hebræis Niſan, die xiv. ſecundum lunam ſole in ariete exiſtente, additque e veſtigio: *Die autem quintadecima Paſchalem excipit Azymorum feſtivitas ſeptem dierum*: πέμπτῃ δὲ καὶ δεκάτῃ διαδέχεται τὴν τοῦ πάσχα ἡ τῶν Ἀζύμων ἑορτὴ, ἑπτὰ ἡμέρας οὖσα: quod aperte falſum foret, niſi immolatus fuiſſet agnus exeunte luna xiv. unde & Patres communiter aſſerunt crucifixum Dominum in ſolemnitate Paſchali. Præterea S. P. Auguſtinus Epiſtola xxxvi. ad Caſulanum num. 30. diſerte docet ea veſpera immolatum Paſcha, qua incipiebat dies prima azymorum, nec alio ſenſu Matthæum quintam ſabbati appellaſſe diem azymorum primam, niſi quia *ejus veſpera ſequente futura erat cœna Paſchalis, qua cœna incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari*. III. Probatur inſuper theſis ratiocinatione iſta: Exodi xii. poſteaquam deſcriptæ ſunt omnes Paſchatis ceremoniæ, legitur verſ. 42. *Nox iſta obſervabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti, hanc obſervare debent omnes filii Iſrael in generationibus ſuis*: & verſu proximo, *Hæc eſt religio Phaſe*. In Deuteronomio pariter, xvi. 6. *Immolabis Phaſe veſpere ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto*. Quare indubitatum eſt, immolaſſe Judæos *Phaſe* veſpera præcedente noctem, qua egreſſi ſunt de Ægypto, hujuſque egreſſus fuiſſe memoriale perenne paſcha quotannis mactatum. Hinc Joſephus lib. xvii. Antiq. cap. 9. pag. 850. inquit: *Paſcha enim illa feſtivitas appellatur, in memoriam exitus illorum ex Ægypto inſtituta*: Πάσχα δὲ ἡ ἑορτὴ καλεῖται, ὑπόμνημα οὖσα τῆς ἐξ Αἰγύπτου ἀπάρσεως αὐτῶν γενομένης. At Filii Iſrael *profecti ſunt de Rameſſe menſe primo, quintadecima die menſis primi, altera die Phaſe*. Num. xxxiii. 3. Igitur tempus mactandi agni eſt veſpera lunæ xiv. ad quam proxime ſequitur quintadecima dies menſis Niſan. Atque hoc argumentum non uno ex capite confirmatur. Enim vero præcitato capite xii. Exodi verſ. 40. de nocte, qua paratis azymis manducaverunt mactatum agnum legitur, *Eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra Ægypti*: quo in loco habet Hebraica lectio, בעצם היום הזה *in corpore diei ejus*, & Chaldaica paraphraſis, nec non Pentateuchus Samaritanus, *In hac eadem die*: quod nequaquam verum eſſet, niſi immolatio *Phaſe* facta eſſet luna decimaquarta exeunte, & cœna paſchalis ineunte decimaquinta. Præcitata quoque verba Num. xxxiii. 3. *altera die Phaſe*, non ſignificant inter mactationem paſchatis, & egreſſionem de Ægypto interceſſiſſe diem: minime, commonſtrant apertiſſime immolatum agnum exeunte xiv. die, & ante ſubſequentem vigiliam matutinam, inchoato jam die quintodecimo filios Iſrael arripuiſſe fugam; ut conſtat ex verſione lxx. Interpretum, τῇ ἐπαύριον τοῦ Πάσχα ἐξῆλθον οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, *Poſtridie ipſius Paſcha exierunt filii Iſrael*; & expreſſius Hebraicus Codex, ממחרת הפסח *A craſtino Peſach*, ſcilicet, die craſtina poſt mactationem Paſchalis victimæ. Atque hoc argumentum notationibus noſtris ſuffultum omnem, ni fallimur, dirimit controverſiam. IV. Proferendum eſt tamen alterum. Immolabatur *Paſcha* in veſpera ſpectante ad primam diem azymorum, ſive in veſpera, unde ſumebat exordium ſolemnitas azymi, quæ apud Hebræos *a veſpera uſque ad veſperam*, quemadmodum & feſta alia, celebrabatur, ex Levitici xxiii. 32. Marcus enim cap. xiv. 12. inquit: *Et primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, &c.* & Lucas xxii. 1. *Appropinquabat autem dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha*, atque verſu 7. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Atque conſtat ex Levitici capite xxiii. 5. & 6. ſolemnitatem azymorum incidiſſe in diem decimamquintam, ſic enim eo loci habemus; *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt: & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas azymorum Domini eſt*. Igitur *veſpera* ad immolationem Phaſe deſignata ea eſt, quæ antevertit decimæ quintæ diei. Hoc item in loco habet Hebraica, & Samaritana lectio, *Inter duas veſperas*, & Chaldaica, *inter duos ſoles*. V. Accedit argumentum petitum ex ritu, feſto, diebuſque azymorum. Principio mactata Paſchali victima, debebant Judæi *nocte illa* comedere *carnes aſſas igni, & azymos panes*, Exodi xii. 8. Jam ergo ſemotum erat fermentatum. Ad hæc mos fuit vetuſtiſſimus Judæorum inveſtigare, num in domo aliqua lateret fermentatum, die decima quarta, antequam ſol occideret, eademque die xiv. fas erat, ſaltem ad meridiem uſque, comedere fermentatum: idque non tantum habemus in Thalmud cap. *Peſachim*, per. 1. verum etiam apud Maimonidem in *Hamets umatſah*, per. 2. R. Salomon, & R. Alphes, de quibus Lighfootus in *Ho-*

Digitized by Google

Horis Hebraicis pag. 458. tom. I. & in *Miniſterio Templi* cap. III. ſect. I. pag. 728. quæ traditio non proinde rejicienda eſt, quia ad nos e fontibus illis manavit; conformis quippe eſt præcepto Domini Exodi XXXIV. 25. *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ; neque reſidebit mane de victima ſolemnitatis Phaſe*. In quem locum Rab. Moſes Ægyptius p. 2. Biblioth. Rabbinicæ pag. 729. ſcribit non immolandum Paſche, dum adhuc fermentum ſupereſt domi, ideoque die 14. fermentum auferri juxta mandatum Domini, Exodi XII. 15. vetitumque comedere fermentatum *die XIV. Niſan a meridie, & deinceps, hoc eſt a principio horæ ſeptimæ diei*. Quomodo ergo luna XIV. ineunte mactatus eſt agnus, fermento nondum ſublato? Inſuper ſacræ literæ ſeptem tantum commendant dies azymorum, quarum prima & ſeptima ritu peragebantur ſolemni: *Septem diebus azyma comedetis*, inquit Dominus citato cap. XII. Exodi verſu 15. quod repetitur Levitici XXIII. 6. & Num. XXVIII. 17. At poſtremus dies azymorum eſt vigeſimus primus menſis Niſan, ex eodem cap. XII. Exodi verſ. 18. *Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma, uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam*. Igitur feſtivitates azymorum a die XV. non a XIV. & a luna XIV. exeunte, non ineunte, ducebant initium. VI. Noſtra quoque ætate Judæi, etſi agnum non mactant, ceremonias tamen paſchales obſervant luna quæ eſt, aut ab illis creditur eſſe decimaquarta, ſecundis in veſperis, *& nocte præcedente decimamquintam lucem Niſan*, ut inquiunt Maimonides de Peſach cap. 6. Moſes Ægyptius paullo ſupra laudatus, Leo Mutinenſis cap. 3. de Ritib. Hebr. aliique innumeri. Nec Judæi tantum: etiam Samaritani in Monte Garizim ſole occidente, & die XIV. declinante jugulabant Paſchalem agnum. Videſis Herdulinum in præcitata diſſert. §. IV. num. 13. Confirmat vero perpetuum hujus celebritatis uſum antiqua hæreſis Quartodecimanorum, qui tempus Judaicum ſervantes luna XIV. jejunabant, incipiebantque ſolemnia Paſchatis, *cum Judæorum populus fermentum abjiceret*, ut inquit Euſebius lib. V. H. E. cap. 24. pag. edit. Valeſ. 192. Quod indicio eſt, primis quoque Chriſtiani nominis ſæculis Judæos non aliud Paſchatis ſervaſſe tempus, quam hactenus demonſtratum. VII. Quamvis plenilunium Niſan concurrat cum luna XIV. tamen non eſt lunaris orbis rotundus, ac plenus, niſi die quintadecima ingrediente. Conſtat autem ex antiquiſſimorum Hebræorum teſtimoniis, productis ab Anatolio Laodicenſium Epiſcopo apud Euſebium lib. VII. H. E. cap. 32. pag. 558. nunquam celebratum paſcha Judaicum, niſi tam ſol, quam luna pertranſiiſſent æquinoctiale ſegmentum, & hæc appareret pleniſſima. Unde recte S. Hieronymus in cap. 26. Matth. tom. IV. pag. 126. inquit: *Quartadecima dies menſis primi eſt, quando agnus immolatur, & luna pleniſſima eſt, & fermentum abjicitur*: & Beda in Argum. lunæ §. de Myſt. XIV. diei: *Quartadecima agnus immolabatur die, quando luna plena eſt, & nihil ei de lumine deeſt*. Abſolvemus primæ propoſitionis momenta, quæ me a ſententia Legionenſium noſtrorum divellunt, graviſſimis verbis ejuſdem eximii temporum metatoris, ideſt, Bedæ: *Quod Dominus* (inquit de Rat. temp. cap. 45.) XV. *luna, feria ſexta crucem aſcenderit, & una ſabbatorum, ideſt, die Dominica reſurrexerit a mortuis, nulli licet dubitare Catholico, ne legi, quæ agnum Paſchalem decima quarta die primi menſis ad veſperam immolari præcepit, pariter & Evangelio, quod Dominum eadem veſpera tentum a Judæis, & mane ſexta feria crucifixum, ac ſepultum, prima ſabbati reſurrexiſſe perhibet, videatur incredulus*. Profecto ſi nefas eſt dubitare Chriſtum ſuſfixum cruci lunæ XV. nec in dubium revocandum eſt, celebratum anno mortis Chriſti paſcha Judaicum lunæ XIV. exeunte.

Sententia, quam oppugnavimus, præter argumenta aliis quoque communia proximoque ſolvenda capite, hoc habet peculiare, quod videatur inveriſimile inter immolationem Phaſe, & exitum de Ægypto unam tantum noctem interceſſiſſe. Superat enim (inquiunt) humanum captum, intervallo diei quartæ decimæ Hebræos habitantes terram Geſſen ac regionem inferioris Ægypti, vaſa argentea & aurea ab hominibus a ſe loco disjunctis accepiſſe commodato, tum congregatos paſcha pomeridiano tempore mactaviſſe, deinde ſingulos per familias diſtributos manducaſſe agnum coctum & aſſum, nocte poſtea progrediente percuſſos primogenitos omnes, commotum Pharaonem clamore ſuorum vocaſſe ad ſe Moſen & Aaron Memphim regiam urbem, ſitam ad occiduam Nili ripam, indulſiſſe Hebræis ut abirent, rediiſſe Moſen cum fratre in terram Geſſen, congregaſſe ſimul ingentem populum, & cum univerſa multitudine profectum de Rameſſe, & ex tentoriis quintadecima die menſis Niſan.

His eruditi viri reponunt, tunc temporis Pharaonis regiam non fuiſſe Memphi, ſed Tani, vel Taphni, urbe Ægypti inferioris ad Nili oſtium, nunc etiam *Tanes* dicta, in cujus viciniis Moyſen mirabilia patraſſe teſtatur David Pſ. LXXVII. 12. & 43. Iſraelitas vero jam antea petiiſſe vaſa ab Ægyptiis, ſimul conveniſſe, & manducaſſe Paſche accinctos & ad faciendum iter paratos, dum interim primogenitorum excidium excitavit ululatum, quo permotus Pharao largitus eſt filiis Iſrael facultatem abeundi. Non ſinimur hæc in dubium vertere, poſtquam legimus Exodi XII. Phaſe immolatum *quartadecima die ad veſperam, eadem die* eductos filios Iſrael de terra Ægypti, in hujus rei memoriam Paſcha inſtitutum, & Num. XXXIII. *quintadecima die* profectum populum de Rameſſe. Opponere tam apertæ narrationi conjecturas, quæ ſi admittantur, nec perſiſtet ſententia contraria, quoniam neque ſpatio intermediæ diei poſſunt illa omnia contingere, eſt ſoli tenebras offundere. Demus eveniſſe omnia, ut narrat Joſephus lib. II. Antiq. cap. XIV. num. 6. nulla certe repugnantia, labyrinthus nullus. *Deus autem* (inquit Hiſtoricus) *oſtendens adhuc una plaga percutiendos eſſe Ægyptios, ut cogerentur Hebræos dimittere, juſſit Moyſen edicere populo, ut in promptu habeant ſacrificium, præparantes illud decima Xanthici menſis in quartadecimam* (*qui menſis apud Ægyptios vocatur Pharmuti, apud Hebræos Niſan, Macedones vero Xanthicum eum appellant*) *dein ut & ipſe Hebræos ducat omnia ſua ſecum portantes. Et ille quidem, cum Hebræos ad egreſſum expeditos haberet, & per tribus diſpoſitos in uno loco eos continebat. Quartadecima autem illuceſcente omnes, cum jam in eo eſſent, & egrederentur, ſacrificabant, atque ſumptis hyſſopi faſciculis domos ſuas ſanguine conſpergentes purificabant: cumque cœnaſſent tamquam exituri, reliquias carnium excuſſerunt. Unde mos inolevit, ut etiamnum ita ſacrificaremus, feſtum illud Paſcha nuncupantes. Tranſitum autem id ſignificat*, &c. Narrat ſubinde *eadem nocte* Iſraelitas a Pharaone dimiſſos; & proximo capite XV. num. 2. ait: *Reliquerunt autem Ægyptum menſe Xanthico, luna decimaquinta*. Quæ omnia Scripturis, dictiſque cohærent.

PROPOS. II. Tempore Chriſti Domini non utebantur Judæi duplici Neomenia, e phaſe lunæ, & a congreſſu planetarum deducta; neque duplici calculo Aſtronomico, & vulgari, quorum unum Dominus, alterum Jeroſolymitani ſecuti fuerint.

Demonſtratur primo: Divinæ Scripturæ non ſolum duplici hujus *Neomeniæ* nullum veſtigium produnt, verum etiam aperte docent Exodi XII. 6. Phaſe ſimul immolandum ab univerſo Iſraelitarum cœtu: *Immolabit* (inquiunt) *eum univerſa multitudo filiorum Iſrael*. Hebraice כָּל קְהַל עֲדַת, *Omnis cœtus ſynagogæ*. Targum pariter vertit, *Omnis Eccleſia filiorum Iſrael*. Textus Samaritanus, *Omnis congregatio ſynagogæ*, tom. I. Polyglot. Walt. pa. 274. At non immolatus fuiſſet Phaſe in cœtu totius ſynagogæ, in congregatione totius Eccleſiæ, ſi Galilæi unam diem, Hieroſolymitani diem alteram ſervaſſent, atque diverſæ *Neomeniæ*, diverſique calculi obtinuiſſent. Præterea die ſtatuta pro mactatione agni e domibus omnium filiorum Iſrael abjiciendum erat *fermentum*, ut conſtat ex eodem cap. Exodi verſ. 15. atque a veſpera illius diei incipiebant *ſeptem dies azymorum*, protrahendi ad diem uſque vigeſimam primam. Cum vero Judæi omnes convenirent Hieroſolymis ad paſchæ celebrationem, atque in ea urbe *fermentum* non fuiſſet ſublatum luna XIV. ſubducta ἀπὸ τῆς συνόδου, *a conjunctione* planetarum, tranſgreſſi fuiſſent legale præceptum de fermento abjiciendo iis in domibus, in quibus facienda erat cœna Paſchalis, in domibus ſcilicet civium Hieroſolymitanorum, quæ cæteris Judæis patebant die azymorum I. ineunte. Aut ſi hi gratia hoſpitum abjeciſſent *fermentum*, & ipſi celebraſſent phaſe luna XIV. computata a *Neomenia* ἀπὸ τῆς φάσεως, *ab appoſitione*, ideſt, luna XV. ac die proxime, mactaſſent agnum ſecunda die a ſublato fermento, non prima; & obtuliſſent manipulum ſpicarum, de quo Levitici XXIII. 9. tertia die azymorum, non ſecunda: eademque ratione feſtivitates omnes fuiſſent confuſæ. II. Quinam eſſet dies *Neomeniæ*, non pro lubitu ſtatuebant Judæi, ſed Synagogæ rectores illum univerſo populo præſcribebant, ut ſcribit Rab. Moſes in tract. *Kiduſch hachodeſch* cap. 1. §. 5. *Viſio lunæ non eſt tradita omni homini, quemadmodum ſabbathum Bereſcit, ideſt, in prima creatione inſtitutum; ſiquidem quilibet numerare poteſt ſex dies, & quieſcere in ſeptima. A Synedrio traditum eſt illud, nempe obſervare* τὴν φάσιν τῆς σελήνης, *viſionem lunæ, & cum Synedrium indixerit ac præfinierit diem illum pro Neomenia, idem habendus eſt pro Neomenia, juxta illud Exodi* XII. 1. *Iſte menſis vobis tum ipſe eſt Neomenia*, &c. *ideſt, hujus determinatio tradetur vobis a Synedrio*. Adeas Joſephum de Voiſin lib. de lege divina cap. 44. pag. 617. Commentitia eſt ergo duplex illa *Neomenia* ab Harduino, aliiſque propugnata; aut ſaltem non habuit uſum. Corroboratur primo hoc argumentum, quod Neomenia apud Hebræos dicatur, quando *incipit ſol ſplendore ſenſibili lunam illuſtrare: ipſa vero proprium decus patefacit ſpectantibus*, ut inquit Philo in libro de Septenario pag. edit. Pariſ. 1189. νουμηνία ἄρχεται φωτίζειν αἰσθητῷ φέγγει σελήνην ἥλιος, ἡ δὲ τὸ ἴδιον κάλλος ἀναφαίνει τοῖς ὁρῶσι. Accedit fulcimentum aliud, *Neomeniam* indici ſolitam per tibicinem cornea tuba ſupra templi pinnam, ſive tectum, quod πτερύγιον appellant, ut pluribus demonſtrare nititur in Pſalm. tom. 2. pag. 674. Lorinus ad ea verba Pſ. LXXX. 4. *Buccina-*

cinata in Neomenia turba. Colluſtratur eadem argumentatio, ex quo, licet Aſtronomici *novilunia* auſpicentur *ἀπὸ τῆς συνόδου*, Judæi tamen ſemper in omnibus *Neomeniis φάσιν* ſervaverint. Id præter Thalmudicas præceptiones, in quibus auctore Scaligero lib. 2. de Emendat. temp. pag. 102. cap. *Ros haſchana*, ſcriptum eſt, *antiquitas Neomenias ἀπὸ τῆς φάσεως indici ſolitas*; præter laudatum Philonis teſtimonium; præter allata verba R. Maimonidis, comprobet antiquiſſimus Scriptor, cujus hoc fragmentum nobis ſervavit S. Clemens Alex. lib. 6. Strom. pag. 635. *Niſi apparuerit luna* (Judæi) *ſabbatum non celebrant, primum dictum, nec Neomeniam. Ἐὰν μὴ ἡ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, οὐδὲ νεομηνίαν*. Si quis vero plura de his quærit, videat Petavium in notis ad Epiph. pag. 151. & 183. Ægidium Bucherium de Paſchali Judæorum Cyclo pag. 370. Onuphrium noſtrum in Faſtis ad an. U. C. 786. ut mittam diſſertationem Abarbanelis latine redditam a Bouxtorfio, Samuelem Petit in Eclog. Chronol. Seldenum, Bochartum, Spencerum. Quod ſi etiam concedamus, Judæos olim *Neomenias* indixiſſe ex Cyclo, ſive juxta præſcriptionem Calippicam, ut viſum Gerardo Voſſio diſp. xix. th. 4. ſive ex lunæ intuitu, & continue obſervatione compacto, ut pag. 374. Bucherius ipſe arbitratur, ſive alia quacumque ratione compoſito; ergone ſimul eodemque tempore Judæi diverſas *Neomenias*, diverſa plenilunia, diverſa paſchata ſervaverunt? Hanc ego illationem non percipio, nec puto aliquem percepturum. III. Haud obſcure ex hiſtoricis monimentis deducitur Judæos omnes ſimul *Phaſe* immolaviſſe: nam Philo paullo ſupra citatus inquit Hebræos omnes ſimul ſacrificare *per cœtus populares a meridie ad veſperam uſque*, & celebrari ab iis *victimam communem decimaquarta menſis*: ac Flavius Joſephus lib. vi. de Bello cap. 9. num. 3. narrat ſub Ceſtio ex victimis *a nona hora uſque ad undecimam* ejuſdem diei feſti mactatis, numerata *virorum purorum & mundorum vicies ſepties centena millia*, hanc autem ingentem multitudinem *ex diverſis Judæorum locis* congregatam. IV. Tandem Harduinus ad duas illas *Neomenias* propugnandas confugit ad regulam, לא בדו פסח, *Lo Badu Peſach*, quam putat recte inſtitutam, ne ſecunda dies azymorum, in qua offerendus erat manipulus, foret feſtivus, & duæ ſimul ſolemnitates ſabbati, & paſchatis celebrarentur. At ea regula, ut oſtendam propoſitione v. non erat in uſu tempore Chriſti Domini, neque firma aliqua ratione defenditur. Ruit ergo etiam ſyſtema duabus *Neomeniis* ſimul obſervatis innixum.

PROP. III. Chriſtus Dominus pridie, quam pateretur, *legale Paſcha* una cum diſcipulis ſuis manducavit.

Demonſtratur primo. Matth. xxvi. 17. legitur: *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Verſu 18. narratur Dominum miſiſſe diſcipulos ſuos in civitatem *ad quemdam*, ut ei dicerent, *Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis*: verſ. 19. aſſeritur diſcipulos illos Paſcha præparaviſſe. *Et fecerunt diſcipuli* (inquit Evangeliſta) *ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha*. Verſu 20. additur facto veſpere Dominum cum diſcipulis cœnaſſe: *Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis*. Similia habentur Marci xiv. & Lucæ xxii. Hoc poſtremo in loco, verſo 15. additur Jeſum inter cœnandum ita Apoſtolos alloquutum: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*. At ſive tempus, ſive interrogationem diſcipulorum, ſive locum, ſive præparationem cœnaculi, ſive horam, ſive verba inter cœnandum prolata ſerio attendantur, apparet iis deſcribi cœnam, in qua manducabatur *agnus typicus*, horis pomeridianis lunæ xiv. immolatus. Hunc igitur agnum Chriſtus cum diſcipulis ſuis manducavit. Probatur minor per ſingula diſcurrendo. Principio acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum *prima die azymorum*. Marcus cap. xiv. 12. hanc diem perſpicue deſignat, *Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant*. Ita & Lucas xxii. 7. Dies azymorum ſeptem erant, Exodi xii. 15. *Septem diebus azyma comedetis*: & v. 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris*. Similia Levit. xxiii. 5. & Num. xxviii. 17. Prime autem dies celeberrima & ſancta erat dies xv. ex eodem Levitici, & Numerorum loco. Acceſſerunt ergo diſcipuli ad Jeſum, non ante diem decimamquartam, ſed ineunte azymorum ſolemnitate. Me non latet Hugonem Grotium, alioſque adverſarios contendere octo fuiſſe dies azymorum, connumerato die paſchali, cujus parte poſtrema inciperet azymorum obſervatio. Quod conantur probare ex Joſepho, qui enumerat octo azymorum dies, neque uno in loco ait celebrari paſcha die xiv. Niſan ob liberationem filiorum Iſrael de Ægypto: ex quo inferunt primam diem azymorum concurrere cum luna xiv. ineunte. Recoxit hæc P. Lamy, addiditque teſtimonia Rabbinorum affirmantium die xiv. in domibus Iſrael non apparuiſſe fermentum. Sed nugæ nugæ ſunt iſtæ, atque liræ liræ. Etenim Joſephus lib. iii. Antiq. cap. 10. pag. 177. ait: *Die autem quintadecima Paſchalem excipit azymorum feſtivitas ſeptem dierum*. Deinde hanc diem *decimamquintam* apud Judæos celeberrimam propter liberationem a ſervitute Ægyptiorum, ſcribit in iv. de Bello J. cap. 8. pag. 294. Præterea egreſſum populum Iſrael de Ægypto die xv. Niſan, affirmat Antiqu. ii. cap. 15. pag. 111. Hiſtorici autem verba, quoniam ſupra producta ſunt, non repetam. Tribuitur ergo e Joſepho celebritas Paſchalis memoriæ redemptionis Iſraelitarum, quoniam *Paſcha & dies azymorum prima* ſunt dies una, eademque; & xiv. ad veſperam immolatus eſt agnus, decimaquinta vero filii Iſrael profecti ſunt de Rameſſe. Quod ſi invenias alicubi numeratos dies azymorum octo; comprehenditur in his dies xiv. in qua factam inveſtigationem fermenti, ne poſt jugulatam Paſchalem victimam inveniretur in domibus Hebræorum, diximus paullo ſupra. Sed *de prima die azymorum* hactenus. Sequitur miſſio duorum diſcipulorum in Jeruſalem, præparatio Paſchæ, & *συνάξις* Apoſtolorum una cum Magiſtro ſub veſperam. Jeroſolymis tantum fas erat immolare Phaſe, atque Paſchali tempore illuc Iſraelitæ omnes confluebant. Poſt mactationem agni facto veſpere, inſtituebatur Paſchalis cœna; nam carnes agninas aſſas igni edendas *nocte* præceperat Dominus Exodi xii. 8. Conſtituebatur certus numerus perſonarum, quæ ſufficere poſſent *ad eſum agni*, ex eodem cap. verſu 4. unde hæc cœna ex manducantium communione etiam Hebræis dicta eſt, חבורה *Synaxis, collectio, ſocietas*. Numquam conveniebant *pauciores denis epulatoribus, neque plures viginti*, ex Joſepho lib. vi. de Bello cap. 9. pag. 399. Cœna ergo parata Jeroſolymis, inſtituta die prima azymorum, celebrata facto jam veſpere, & Jeſu cum duodecim diſcipulis ſuis diſcumbente, nonne cœna eſt peracta omnibus ritibus ſervandis in manducatione agni typici? Etiam ea Domini verba, *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, demonſtrant convivium Paſchale tunc inſtitutum. Quare enim verba diſcipulorum, *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* & alia, *Et paraverunt Paſcha*, nec non illa, *Neceſſe erat occidi Paſcha*, accipienda ſunt de agno typico, nec de illo accipienda ſunt, quæ ait Dominus, *Deſiderio deſideravi*, &c.? Quodnam præterea *Paſcha* iis verbis commonſtratum diximus, niſi quod illa die immolabatur, quod diſcipuli præparaverant, quod Jeroſolymis, nocte, & a collecta familia manducabatur? Recte Epiphanius H. xxx. cap. 22. pag. edit. Petavianæ 146. *Paſcha illud*, inquit, *carnes erant, uti diximus, igni toſtæ, Πάσχα δὲ ἦν, ὡς εἶπον, κρέα ὀπτὰ πυρί*. Neque opponuntur Epiphanio, qui pro hoc Paſchate intelligunt Euchariſtiam, utramque enim cœnam, typicam, & Euchariſticam inſtituit Dominus eadem nocte: ac propterea magnum ultimi Paſchatis celebrandi deſiderium habebat, quoniam extrema cœna peracta, ut inquit Theophylactus in Lucam pag. 513. *τὰ μεγάλα μυστήρια, magna myſteria*, diſcipulis erat traditura. Atque his, ni fallor, Amicum, Grotium, alioſque adverſarios ex Evangelica hiſtoria apertiſſime refutavi, eorumque ſimul commentationes oſtendi falſas eſſe, futiles, repudiandas.

Neque ſola Scripturarum divinarum auctoritate, ſed aliis quoque armis pro veritate decerto. Ac primo ſententiam noſtram amplectitur Eccleſia univerſa, ſubſcribens Tridentinæ Synodo, cujus ſeſſ. xxii. cap. 1. hæc ſunt verba: *Nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha*, &c. Catechiſmus item Romanus P. 2. cap. 4. num. 2. *Etenim celebrata cum diſcipulis agni Paſchalis cœna*, &c. Idem habetur Cap. *Accipite*, de Conſecrat. diſt. 2. deſumpto ex commentariis Hieronymi mox laudandis. In ſolemniis quoque Corporis Chriſti idem non ſemel profitetur Eccleſia, uti in Hymno ad Veſperas:

In ſupremæ nocte cœnæ recumbens cum fratribus,
Obſervata lege plene cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ ſe dat ſuis manibus.

Et in altero ad Matutinum,

Poſt agnum typicum expletis epulis, &c.

Præterea hæc Romanæ Eccleſiæ ſententia Veterum traditione corroboratur. Ad quam inveſtigandam ſat eſſet repetere Teſſeradecatitas, (ut inquit Euſebius prælaudatus prop. 1. & apud illum Polycrates Epheſinus, qui vixit ſedente Victore, & ineunte Severi Imperio, labente ſcilicet, & ad finem vergente ſecundo ſæculo) ſuæ opinioni pertinaciter adhæſiſſe, quod Dominus & Apoſtoli aliquando Paſcha fecerint *quartadecima luna*, obtrudentes exemplum Polycarpi Joannis Evangeliſtæ diſcipuli, aliorumque proximiorum Apoſtolis. In ea vero controverſia nuſquam Quartodecimanis ſive a Victore, ſive a Nicænis Patribus, ſive ab aliis reſponſum invenio, neque Dominum ſequutum fuiſſe Judæorum conſuetudinem, quod utique ad illos refellendos fuiſſet expeditiſſimum. Reſponderunt etiam ineundam viam, poſteaquam abrogata fuerunt legalia, & *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Serpſit etiam priſcis ſæculis hæreſis Ebionæorum inter alia portenta damnantium uſum carnium; eoſque redarguit Epiphanius H. xxx. n. 22. pag. 146. ex quo etiam Dominus *Judæorum Paſcha comederit, quæ conſtabat agno, ac ſine fermento ſubactis panibus*. Immo nec Ebionæi enſi ſunt verba Evangeliſtarum in ſenſum torquere alium, ut recentiores noſtri fecere; ſed potius per ſummum ſcelus

lus verba Chriſti Lucæ xxii. 15. ad hunc modum depravarunt, Μὴ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν; *Numquid deſiderio deſideravi hoc Paſcha carnem manducare vobiſcum?* ſeſe fatentes devictos, ſi retinerent lectionem veram, atque legitimam. Exortis præterea Manichæis, & Marcionitis veterem legem tanquam a Deo malo promanatam repudiantibus, Patres acuerunt in eos ſtylum, illam bonam, & pro ſuo tempore utilem aſſerentes, propterea quod etiam Dominus ſervavit Paſcha a Moyſe promulgatum. Quare Tertullianus libro iv. adverſus Marcionem recitato verſu 15. Lucæ nuper commemorato, ironice in hanc exclamationem cap. 40 erupit, *O legis deſtructorem, qui concupierat etiam Paſcha ſervare!* Atque ipſi Marcionis aſſeclæ, cum productis ſupra Evangelicis textibus nimium premerentur, ignorantes aliud, quo evaderent, effugium, illos depravaſſe auctor eſt Hæreſi 42. pag. 316. beatiſſimus Epiphanius. Ex quibus ſequitur, juniores, qui eoſdem textus detorquent, pugnare contra traditionem veterum, eiſque ſubripere arma, quibus hæreſes debellaverunt. Nec Tertullianus ſolus, & Epiphanius hæc docuere. Chryſoſtomus hom. 81. in Matth. pag. edit. Commel. 690. propoſita quæſtione, cujus rei gratia Chriſtus ſervaverit Paſcha, *Ut omnibus*, inquit, *ſemper uſque ad ultimum paſſionis diem non eſſe adverſarium ſe legi oſtenderet*. Ambroſius vero Epiſtola 23. ſcripta anno 386. ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos, tom. 2. pag. 883. extra omnem controverſiam poſitum ſcribit, ſervatum a Domino Paſcha Moſaicum, & xii. capite Exodi inductum, *quartadecima luna, quinta feria*: & proxima pagina, *Ipſe Dominus*, ait, *non quartadecima luna paſſus eſt, ſed quintadecima, & ſeptimadecima reſurrexit*. Tradunt eadem alii Patres. Concludendum ergo cum Hieronymo in cap. 25. Matth. tom. iv. pag. 128. *Poſtquam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem; &c.* Hinc deſumptum cap. 88. de Conſecrat. diſt. 2. ſupra adnotaveram.

Silentio denique prætetire non poſſumus infortunia, quæ ſubiit ſententia adverſa. Etenim ubi primum illam excogitarunt Ebionæi, & Marcionitæ, quibus recentiores eam reddere debent acceptam, execrabilis viſa eſt Eccleſiæ Patribus. Ut autem nono ſæculo Græcorum quidam eamdem ſecuti ſunt, eamque inſeruit Anonymus in diſputatione adverſus Judæos, unaque ſentientes hæreticos, atque ut circa ea tempora prodiit Volumen aliud abſque auctoris nomine, *De ſacro Paſcha feſto*, in quo ſententia ipſa propugnabatur; Photius, quamquam ſibi noſceret futuram fore percommodam ad azyma eliminandum, judicavit tamen temere, & inconſiderate prolatam, *quoniam Chryſoſtomus, & Eccleſia docent*, Chriſtum Dominum anno, quo traditus eſt, *legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret cœnam*: ὁ γὰρ Χρυσόστομος, καὶ ἡ Ἐκκλησία, τότε φησὶν αὐτὸν ἐκτετελέκαι τὸ νομικὸν πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. Vide Photianam Bibliothecam Cod. cxvi. pag. 294. Ineunte poſtremo ſæculo, ubi ſententiam eamdem inſtaurare moliti ſunt apoſtata Spalatenſis, & Hieronymus Vecchiettus in libro, quem inſcripſit, *De anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato*, a M. Antonio Cappello Minori Conventuali doctiſſimo, in Opere *De ſuprema Chriſti cœna*, fuerunt pro meritis exagitati. Poſtquam denique Grotius, P. Lamy, & quidam alii idem placitum revocaverunt ab orco, permultos experti ſunt adverſarios, inter quos Harduinus pari ingenio, & animoſitate has ſagittas emittit: „ Furor eſt profecto, furor, intolerabiliſque audacia recentiorum quorumdam, affirmantium tribus primis Eccleſiæ ſæculis in ea fuiſſe hæreſi Patres, ut Chriſtum Servatorem ſupremo vitæ ſuæ die Paſcha peregiſſe negarent. Et teſtes illi quidem appellant ejus dicti, Petrum Alexandrinum, Clementem Alexandrinum, Hyppolitum Martyrem, Apollinarem Hieropolitanum; demumque ſic colligunt: ex Petro Alexandrino ſententia negans Chriſtum comediſſe Paſcha, ſententia communis Patrum fuit, qui primis ſæculis vixerunt: Gallice, ut ſcribunt, *Selon lui le ſentiment de ceux qui nient que Jeſus-Chriſt ait mangé l'Agneau Paſchal, eſt le ſentiment commun des Peres de trois premiers ſiecles*. O furorem hominum, quos concludi oporteat cum inſanientibus! Nam quis non furorem jure appellet tantam hominum cæcitatem, ortam ex obſtinatione ac pervicacia? Unde enim ſumpta hæc teſtimonia ſunt, Petri, Clementis, Hyppoliti, & Apollinaris? Numquid ex ſcriptis eorum, quæ indubitata ac genuina eſſe cenſeant eruditi? Minime vero: ſed ex auctore Chronici, quod Sigonius Faſtos Siculos, Du-Cangius Chronicon Paſchale appellat: homine, quem veterum prorſus nemo appellat, nemo ante Sigonium novit: quem noſtra ætate ob anachroniſmos innumeros Petavius ſprevit & Scaliger: qui eo demum inſolentiæ proceſſit, ut ad ſuam illam defendendam hæreſim, quæ Chriſtum Servatorem negat Paſcha peregiſſe, teſtimonia confingat, adſcribatque magnis illis nominibus, Petri, Clementis, Hippolyti, & Apollinaris. Nam quis hic mentiri impudentiſſime hominem illum neget, & illa teſtimonia ex cerebro confingere; cum verborum eorum, quæ allegat, ne ſyllaba una quidem alibi extet: & quod eſt multo inſolentius, cum ex Evangelio ipſo loca ſe deſcribere profiteatur ibidem, quæ eidem hæreſi apertiſſime faveant; quorum nihil tamen in ſacris libris appareat? „ Hactenus Harduinus pag. edit. Amſtelodami 373. Nec tali voce tonat Harduinus duntaxat. Franciſcus Suarez ſingulari modeſtia præditus tom. 2. in 3. p. diſput. 40. *Hæc ſententia*, inquit, *eſt plane hæretica*: & Quæſitores fidei illam confixiſſe, tanquam prolatam *contra ſacrarum litterarum fidem, contra Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, contra ſanctorum Patrum doctrinam*, conjecto in carcerem, ubi in ſqualore ſordibuſque deceſſit, prædicto Hieronymo Vecchietto, narrant Janus Nicius Erythræus Pinacoth. Virorum illuſtrium pag. 106. Hyacinthus Serry Exercit. de Ch. 51. pag. 356. in Vita Marci Antonii Cappelli Joannes Bortonius pag. lxxi. & ex Novatoribus Jo. Frischmuth in Theſauro Theologico-Philologico pag. 189. Nos vero ſententiam illam, ſi non hæreticam, falſiſſimam aſſerimus, ac talem nobis videmur demonſtraviſſe.

PROP. IV. Chriſtus eadem die cum Judæis *Paſcha typicum* celebravit.

Demonſtratur primo. Dominus enim celebravit *Paſcha* die prima azymorum, eaque dies ab Evangeliſtis dicitur *prima*, non tantum quia talis revera erat, in qua ſecundum legem debebat *Phaſe* immolari, verum etiam quia tunc temporis Jeroſolymis immolabatur a multitudine Judæorum. Commentitia eſt ergo illorum opinio, qui lunam decimam quartam a Chriſto, & decimamquintam a Judæis autumant fuiſſe obſervatam. Probatur antecedens; enimvero quemadmodum Lucas cap. xxii. 7. inquit, *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*, legis præceptum, & diem primitus conſtitutum ſignificans; ita Marcus reſpiciens ad præſentam conſuetudinem cap. xiv. 12. ait: *Et primo die azymorum, quando Paſcha immolabant*: Syriaca verſio tom. 5. Bibl. Walt. pag. 126. *Et primo die azymorum, quando ſacrificant Judæi Paſcha*, & Perſica pag. 127. *Quo Judæi Paſcha mactant*. Quid manifeſtius? Eadem ergo die, qua Chriſtus, etiam Judæi agnum paſchalem immolaverunt. II. Oſtendimus propoſitione 2. *Neomenias*, diemque Paſchalem præſtituta fuiſſe a Synedrio, ſive a Synagogæ rectoribus *ſecundum lunæ phaſim*, idque ſervatum quoque ætate Chriſti, & poſterioribus temporibus: & quamvis detur Synedrium a priſca conſuetudine deſciviſſe, neceſſario tamen propoſitas ab illo dies fuiſſe ſervandas. Nec eſt quod objiciat aliquis hujuſmodi legibus Chriſtum non ſubjectum; conſtat enim ex Joan. I. 13. V. 1. & VI. 4. Dominum aſcendiſſe Jeruſolymam ad celebrandum Paſcha, quando illud Judæi peragebant; ideoque, non urgente præcepto, ſed ſingulari humilitatis exemplo, feſtorum conſuetudinem, ſive ſecundum legem, ſive ſecundum Synedrii ſtatuta, ad extremum uſque diem ſervaviſſe. In caſſum quoque nos provocarent adverſarii ad calculos aſtronomicos; quorum non habendam eſſe rationem diximus Volum. iii. pag. 159. & ſi habenda ſit, retrahemus cum præſtantiſſimo viro conſulatum Geminorum, cui paſſionem Chriſti aſſigendam putamus, ad annum V. Æ. xxvii. Atque ſi nec illud arrideat, eodem anno, quo luna xv. incidit in feriam ſextam, qualiſcumque tandem ſit, poſt celebratum commune Paſcha, crucifixum Dominum pronuntiabimus. III. Diximus ſupra, immolandum agnum ex præcepto legis ab univerſo Iſraelitarum cœtu ſimul coadunato. Hinc Philo lib. 3. de Vita Moyſis pag. 686. ait celebratum Paſcha, *univerſo populo concurrente*. Appellatur ab eodem Scriptore, ob immolantium congregationem, in libro *de ſeptenario* pag. 1190. ἡ πάνδημος θυσία, *communis victima*. Non mactabatur agnus niſi in atrio templi; neque comedebatur niſi ſanguine ad altare a Sacerdotibus ſparſo, atque combuſto adipe, ut ſcribit Maimonides in *Corban Peſach*, demonſtrantque cum Lightfooto in *Miniſt. Templi* pag. 730. viri plures peritiſſimi rituum Hebraicorum; non manducabatur denique, niſi fermento e domibus ſublato, id præſcribente lege. Quid ergo? Niſi Salvator noſter eadem die, ac Judæi, typicum ediſſet agnum, legem penitus violaſſet: non enim interfuiſſet communi victimæ, non cœnaſſet poſt *Phaſe* mactatum in atrio, non expectaſſet ſacrificiorum conſummationem, non feciſſet *Paſcha* in domo purgata a fermento. Aut ergo non celebravit Paſcha, quod nullatenus affirmandum eſt, aut illud celebravit die ipſa, qua celebraverunt Judæi. IV. Si aliter ſe haberet res; Apoſtoli non fuiſſent adeo ſolliciti parandi Paſcha; cum non inſtaret ſolemnitas publica & celeberrima: ſollicitudinem habuerunt tamen, eaque ſolemnitas prope erat. Paratum inſuper, ſtratumque erat cœnaculum, adveniſque januæ Jeroſolymitarum apertæ: quod propter confluentem multitudinem pernoctantium Jeroſolymis nocte diem xv. præcedente, in conſuetudinem receptum erat pro communi illa feſtivitate: quæ omnia in ſententiam noſtram quadrant maxime. Accedit fictitiam eſſe tranſlationem feſtorum, ut mox oſtendam. V. Non prætercam denique pervulgatum argumentum. Niſi Chriſtus celebraſſet *Paſcha* una cum aliis, atque ſtatuto tempore, id proculdubio fuiſſet illi objectum; nec forte Jeroſolymitarum aliquis ei domum ſuam commodaſſet: quo argumento pugnat in libro de Azymo

& ter-

& fermentato Umbertus Cardinalis de Sylva Candida. Fruſtra reponares Judæos non auſos accuſare Chriſtum, vel quod is ageret ſecundum legem, & ipſi ſequerentur inſtituta Synedrii, aut, quod viſum Hentenio præf. ad Enthymium, id Judæi neſcierint. Etenim corruit prior reſponſio, quia nulla hac in re fuerunt Synedrii præcepta cum lega pugnantia: corruit altera, quia hoc poterant cognoſcere a Juda proditore, a quo productus fuiſſet in teſtem paterfamilias, in cujux domo cœna fuerat peracta.

PROP. V. Nullus Judæorum anno paſſionis Chriſti diſtulit Paſcha in proximum ſabbatum, & in exeuntem lunam decimaquintam.

Quænam ſiquidem ratio poteſt ſententiæ oppoſitæ ſuffragari? Non regula לא בדו פסח, non lex da matendo manipulo die azymorum ſecunda, non conſilium initum occidendi Chriſtum, non peculiaris Cyclus phaſi, motibuſque lunæ contrarius: Ergo ratio nulla. Probatur antecedens, ac primum de regula, *Lo Badù Peſach*. Hujus regulæ ſenſus eſt, nunquam Paſcha calebrandum fore *ſecunda* feria, expreſſa littera ב, nec *quarta*, ſignificata per litteram ד, nec *ſexta*, cujus nota eſt elementum ו. Iis a litteris, quæ ſunt etiam notæ numerorum, dicitur hæc regula בדו, BADU'. Hæc autam regula ætate Chriſti nondum fuerat excogitata. Fatentur id complures patroni translationis Judaicorum feſtorum, qui proinde ad figmenta alia confugiunt. Petavius Not. in Epiph. pag. 185. ſcribit: *Paulus Burgenſis, Paulus Foroſempronienſis Epiſcopus, Joannes Lucidus, Onufrius, Janſenius, Maldonatus noſter, & alii ad vulgatam illam Feſtorum translationem, & feriarum delectum confugere ſolent. Verum iſtud nondum Chriſti tempore conſtitutum fuiſſe docent ipſimet Hebræi*. Haud ſecus lib. XII. de Doctr. temp. cap. XV. pag. 340. Doctiſſimi viri judicium omni æquitate prolatum eſt. Scribit enim Rab. Aben-Ezræ in Levit. cap. 23. v. 5. & Thalmud in *Miſna*, & in *Gemare*, etiam in feriit *Badù*, ſecunda ſcilicet, quarta, & ſaxta celebratum fuiſſe Paſcha. Quorum teſtimonia vide tom. II. Biblioth. Rabbinicæ, pag. 762. Idem eruitur ax iis, quæ paucis interjectis dicturus ſum da manipulo. Harduinus cap. 9. regulam *Badù* confirmare nititur, ex altera conſtituta pro Neomenia menſis *Tiſcrì*, quæ dicitur לא־אדו, *Lo adù*, ſcilicet, numquam *Neomeniam* ſeptimi menſis, & feſtum, quod appellant *Hoſſannà Rabbà*, fieri in feria, א *prima*, ד *quarta*, & ו *ſexta*. Quoniam ſi ſtatueretur die prima, ſeptima nefas eſſet excutere *hoſannam*, (faſciculos nempe e ſpatulis palmarum, & ſalicum, myrthique compactos ramulis, de quibus Levit. XXIII. 40.) propter ſabbati ſolemnitatem. Si vero ſtatueretur *Neomenia* in די, ideſt, quarta feria, vel ſexta, feſtum Expiationum celebrandum dia decima *Tiſcrì*, incideret neceſſario in primam, vel ſextam feriam, atqua ita concorrerent feſtivitates duæ, una immediate poſt aliam, ſabbatum ſcilicet, ipſaque Expiationum ſolemnitas. Atque hæc Harduini ratiocinatio confirmari poteſt Rabbinorum teſtimoniis, quæ requiras citato Volumine Biblioth. Rabbinicæ pag. 403. Verum, utut ingenioſa iſta ſint, nullam in præſentia vim habent: primum, quia regulæ בדו, *Badù*, & regulæ אדו, *Adù*, eadem eſt nativitas & origo: deinda, quia ex regula *Adù* ſtatuta pro Neomenia *Tiſcrì* infertur, ut mox oſtendam, non admittendam aſſe regulam *Badù* pro Phaſe mactando luna XIV. Niſan: inſuper quia ætate quoque noſtra celebrant Judæi feſtum quodcunque tametſi incidat in primam, vel ſextam feriam, ut oſtendit Serry Exercit. II. num. 2. Inſuper quia ut plurimum ipſam Tiſcrì *Neomeniam* celebrant non uno tantum dia, ſed duobus, ut demonſtrat Bucherius ipſe de Doctr. Temp. pag. 380. immo Periodus Judaica pro Neomeniis geminos deſignat dies: demum quia Rab. Moyſes Ben-Maimonidis cap. 7. *Hiddùſch bahodeſch* aſſirmat, non alia de cauſa receptam regulam *Adù*, niſi ut computut dierum accommodaretur *ad conjunctiones ſolis & luna ſecundum medium motum illorum ſiderum, non habita ratione veri eorumdem loci*: ex quo teſtimonio Petavius Not. in Epiph. pag. 182. infert, diu poſt Chriſti paſſionam *ſuperſtitionem illam introductam*. Corruit ergo prima ratio translationis Paſchatis petita ex Rabbinica Regula, : לא בדו פסח

Falluntur pariter, qui ſtatuunt Paſchatis de ſexta feria in diem ſabbati translationam, atque hac in parte regulam *Badù* inſtitutam volunt auctoritata divina, nimirum, ut *altero die ſabbati*, ideſt, proſtridie diei ſaſti Paſchæ, deferretur manipulus ſpicarum ad ſacerdotem, juxta præceptum Levit. XXIII. 10. Principio enim Harduinus, qui in hoc argumento magnum ſibi locat præſidium, reſutatur ex regula *Adù*, quam licet ſerius natam, ipſe tamen approbat & colluſtrat. Enim Auctor libri לבוש התכלת, *Lavuſc Hatherbelet*, tract. de Neomenia, ait ideo non poſſe die ſabbati excuti Hoſanna, *quoniam præceptum excutiendi faſciculum non eſt ex lege, ſed ex conſuetudine, quod non poteſt expellere præceptum legis*. Vide Biblioth. Rabbin. præcit. pag. 403. Atqui præceptum metendi, & offerendi manipulum non eſt ex ſuperinducta conſuetudine, ſed ex lage. Igitur poterat id fieri die ſabbati. Et quidem in Rabbinorum commentariis, fabularum alias pleniſſimis, & a me productis ad confutationem illorum, qui ex ipſis portentoſa ſyſtemata fabricarunt, puto nihil dictum eſſe rationabilius. Cur enim cenſenda arat ſabbati obſervationi contraria, & computanda inter opera ſervilia, meſſio manualis manipuli, elevandi *coram Domino*? Religionis actus id potius erat, quam ſervile opus. Præterea ax Moſe Ægyptio, Rab. Iſmaela, aliiſque, de quibus *Miniſterium Templi*, cap. XIV. ſect. 2. & Biblioth. Rabbin. tom. 2. pag. 713. & 762. non ſolum apparet Homer (ita manipulum illum appellant) demeſſum ſabbato, verum & ſactum id ceremonia quadam, in qua meſſores alta voce clamabant, שבת היום, *Eſt ne ſabbatum hodie?* & reſpondentibus cunctis, הן, *Eſt*, iterum interrogabant אקצור, *Metam ne?* tunc vero univerſi קצור קצור קצור, *Demete, Demete, Demete*. Eo inſuper loci traditur neminem de manipulo die ſabbati metendo hæſitaſſe, præter quoſdam Sadducæorum. Si vero hæc velimus inter fabellas amandara; amandemus jure eodum regulam illam *Badù*, anno milleſimo, ut demonſtrat Thomas Lydiatus, poſteriorem. Tandem eſt ſententia Venerabilis Bellarmini lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 13. & lib. IV. de Euchar. cap. 9. Baronii ad annum Chriſti XXXIV. num. 234. aliorumque doctiſſimorum virorum, anno, quo Paſcha incidiſſet in feriam ſaxtam, demeſſum manipulum die prima, quam nos Dominicam dicimus. Scio ſententiam iſtam a Serrio Exercit. LXI. num. 4. & a recentioribus aliis rejici ob fluxas illas, incertaſque traditiones Rabbinicas. Probabilis eſt tamen; & ea verba Levitici XXIII. 15. *ab altero die ſabbati* videntur quibuſdam ſignificare feriam conſequentem, non Paſcha, ſed ſabbatum; præſertim ſi attendatur ſenſus Hebraici textus, מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת, *A craſtino ceſſationis*. Conſonant lectioni Hebraicæ cum textu Samaritano Verſiones fere omnes, tom. I. Polygl. Walt. pag. 504. de quarum tamen ſenſu dicendum infra.

Videndum modo, an Judæi diſtulerint Paſcha, ut Jeſum damnarent morti. Viſum id quidem nonnullis ob auctoritatem Chryſoſtomi ſcribentis Hom. LXXXVI. in Matth. pag. 715. *audaciſſimos illos homines, & mille transgredientes legis præcepta, quoniam ita inflammati erant, & ſæpe conati Jeſum capere nihil facere potuerant, ex inſperato nactos quod cupiebant, tempus Paſchæ transpoſuiſſe*. At poſſumus, ſalva Chryſoſtomi reverentia, recedere a ſingulari hac opiniona reliquis Patribus contraria, cum nec Chryſoſtomus fuarit in ea conſtantiſſimus. Nam ſupra Hom. LXXXIV. pag. 708. ſcripſerat, *Et immiſerunt in eum manus, ac tenuerunt illum ipſa nocte, in qua comederunt Paſcha*, Καὶ ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας, ϗ ἐκράτησαν κατ' αὐτὴν τὴν νύκτα, καθ' ἣν τὸ πάσχα ἔφαγον. Ac Hom. LXXXIII. in Joannem pag. 414. fatetur ſe ignorare, an ea verba Joannis XVIII. 28. *Ut manducarent Paſcha*, ſignificent paſchalem victimam, an vero τὴν ἑορτὴν πᾶσαν, *totam ſolemnitatem*. Cum prætarea Chryſoſtomus certiſſima teneat his tribus in locis, & Hom. 82. in Matth. Dominum Jeſum celebraſſe Paſcha ſtatuto tempore, conſequens arit ex propoſitione quarta, idem feciſſe Judæos univerſos. Atque ita ſententiæ, quam oppugnamus, ruit fundamentum. Addo quod apud Judæos in more poſitum erat inſignes reos plectera extremo ſupplicio in ſolemni feſto, ut ex communi Rabbinorum doctrina oſtendit Druſius in caput 26. Matthæi. Deinda ex ipſomet Evangelio haud obſcura colligitur crucifixum Dominum jam Hebræis agentibus ſolemnitatem Paſchalem. Pilato enim dicenti Joan. XVIII. 31. *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum*, reſponderunt, *Nobis non licet interficere quemquam*. Hæc autem verba dicta ſunt circa horam tertiam, nondum ſententia mortis in piſſimum Jeſum prolata. Peto, cur inquiunt, *Nobis non licet*? Aut proptar inchoatam ſolemnitatem, aut propter ablatum illis jus ſanguinis. At non ea dixerunt, quod jure gladii privati eſſent. Tenent utique hoc poſtremum permulti, ſed falſo. Quæſtio, an Judæi habuerint jus gladii, recte dicitur a Petavio lib. XII. da Doctr. Temp. cap. 19. non mediocris, nec facilis axplicatu. Occiſos a Judæis blaſphemos abſqua auctoritate Romani Magiſtratus conſtat ex Act. VI. 11. ubi legimus Stephanum de blaſphemia accuſatum; quem cap. VII. 58. obruerunt lapidibus. At Maldonatus colligit ex libro *San-hedrin* alitar dicendum eſſa de ſupplicio crucis. Sit ut lubet, quamvis oppoſitum teneant Lipſius, aliique docti homines, uti fatetur eo loci Patavius. In cauſa Chriſti ad jus Hebræorum non debemus attendere, quia Pilatus permiſit Judæis, ut Dominum interficarent: *Accipite* (inquit) *eum vos, &c.* Atqua hæc verba non ironice dicta ſunt, uti viſum Scaligero, & Lightfooto; ſed revera Pilatus in Judæorum gratiam, ſatus agi de re ad ipſorum legem ſpectanta, ad illos judicium cupiebat deferre, ut inquit ex communiori ſententia in eumdem locum Calmet. Falſo etiam Grotius ſcribit permiſſum a Pilato, ut Jeſum loris cæderent, quoniam hæc poteſtas illis remanſerat, redacta in Provinciam Judæa: falſo, inquam, id ſcribit; ſiquidem Evangelii verba demonſtrant permiſiſſa Pilatum qualecunque judicium Moſaica lex poſtularet. Sive ergo habuerint Ju-

dæi

dæi tunc temporis jus gladii, ſive non habuerint, poterant Chriſtum interficere facta ſibi e Præſide poteſtate. Dixerunt tamen, *Nobis non licet*, *&c.* Ergo hoc dixerunt, quod agerent diem feſtum, ideoque & ipſi manducaverant agnum, feſtumque diei primæ azymorum inchoaverant. Recte Auguſtinus Tract. cxiv. in Joannem n. 4. *Intelligendum eſt eos dixiſſe, non ſibi licere interficere quemquam, propter diei feſti ſanctitatem, quam celebrare jam cœperant.*

Tandem nec transferendi Paſchatis ratio petenda eſt a recepto e Judæis Calendario Romano, vel e conſtituto Cyclo aliquo phaſibus lunæ, legique Moyſis oppoſito: primum quia nequit admitti duplex calculus, quorum unum ſervaverit Chriſtus, alium vero cœtus Judaicus: deinde quia celebrari non poterat Paſcha niſi e congregatione filiorum Iſrael, & poſt mactatam communem victimam; ideoque periodo qualicunque ſervata, neceſſum erat ut Paſcha ab omnibus, qui illud ſervare vellent, perageretur uno eodemque die, primo ſcilicet azymorum.

CAPUT II.

Explicantur Evangelici textus, qui cum ſuperiori doctrina videntur pugnare, & quæritur in quem diem anno Paſſionis Domini inciderit Pentecoſtes.

QUi negant Chriſtum pridie, quam pateretur, celebraſſe Paſcha legale, aut ſaltem illud celebraſſe inchoata ſolemnitate azymorum, contendunt auctoritate ſacroſancti Evangelii ſententiam firmare ſuam. Principio, inquiunt, Principes ſacerdotum conſilium quidem inierant interficiendi Dominum, et dicebant Matth. xxvi. 5. *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Verebantur enim ne multi, quos poſt reſurrectionem Lazari in eum credidiſſe teſtatur Joannes xii. 11. convenientes Jeruſolymis ad ſolemnitatem Phaſe, illum, ſi conjiceretur in vincula, aut duceretur ad mortem, tumultuoſe e manibus ipſorum eriperent. II. Idem Joannes cap. xiii. 1. ait, Dominum inſtituiſſe poſtremam cœnam, *Ante diem feſtum Paſchæ*, ideoque ante veſperam lunæ xiv. atque ante inchoatum primum azymorum diem, ſive Paſchalem ſolemnitatem, quæ *a veſpera ad veſperam* juxta mandatum legis, Levit. xxiii. 32. peragebatur. Neque plurimum valet ad argumentum illud ſolvendum diſtinctio diei legalis, & naturalis: ſiquidem in eadem cœna quod Dominus dixit proditori, *Quod facis, fac citius*, ceteri Apoſtolorum, ex eodem cap. verſu 29. *putabant, quod dixiſſet ei Jeſus: Eme, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum.* Non ergo feſta dies, in qua nefas erat aliquid emere, cœperat tunc temporis peragi. III. Majorem habent vim verba ejuſdem Evangeliſtæ, cap. xviii. 28. *Et ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*, unde aperte ſequitur Hebræos nondum meridiano tempore feriæ ſextæ Paſchalem victimam manducaſſe. Atque hunc locum ſufficere ſententiæ noſtræ confutandæ non ſoli ſcribunt Grotius in hunc locum, Caſaubonus Exercit. xvi. in Annal. Baronii num. 24. Ludovicus Capellus in Epicriſi, Joſephus Scaliger, aliique Novatores; ſed etiam Catholicorum doctiſſimi, inter quos Petavius lib. xii. de Doctrina Temp. cap. 16. Maldonatus in Evangelium Matth. Zegerus, alii. Quod ſolet huic argumento reſponderi, etiam alias victimas in feſto azymorum mactatas appellari *Paſcha*, ut habetur Deut. xiv. 2. *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo, de ovibus, & de bobus*, non videtur ſatis eſſe ad vim argumenti frangendam: primum quia τὸ πάσχα abſolute, & quod amplius eſt, φαγεῖν τὸ πάσχα, *manducare Paſcha*, unum Paſchalem agnum ſignificat, hoſtiis aliis ſeclusis; idque in eodem cap. xvi. Deut. verſu 6. *Immolabis Phaſe veſpere ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto, & coques, & comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Deinde quia idem infertur ex præcitato verſu ſecundo, cujus ſenſus eſt, Immolabis Phaſe, atque præter Phaſe hoſtias de ovibus, & de bobus: quod oſtendi poteſt collatione Hebraici textus & celebriorum Verſionum, nec non ex antiquorum interpretatione. Etenim Hebraicus textus non habet, *de ovibus, & de bobus*, ſed וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר: *Et ſacrificabis Phaſe Domino Deo tuo, oves, & boves.* Ita & lxx. Καὶ θύσεις τὸ πάσχα τῷ Θεῷ σου πρόβατα καὶ βόας, nec aliter Samaritanus. Targum vero Onkelos, *Et immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & victimam ſanctificatam de bobus.* In quibus ſi accurate expendantur, victima Paſchalis ſejungitur ab aliis hoſtiis. Id vero magis apparebit, ſi locus iſte conferatur cum verſu 15. triceſimi capitis libri 2. Deuteronomii, in quo *Phaſe* apertiſſime ſejungitur *ab holocauſtis*. Quare Rabbinorum doctiſſimi ita textum Deuteronomii interpretati ſunt, ut *oves* & *boves* non accipiantur pro *Paſchate*, ſed *pro Euchariſticis ſacrificiis feſto congruis, de quibus ederent ad ſatietatem*, & quæ Hebræis non *Paſcha* dicuntur, ſed, חגיגה *Hhagbigà*. Ita docent Rab. Salomo, Maimonides, Reſi, Bechai, Abarbanel, & alii apud Simeonem de Muis p. 2. tom. 1. Criticorum ſacrorum, pag. 108. Non ergo contemnendum eſt, ut quidam putant, tertium hoc argumentum. IV. Præterea feria ſexta, in qua crucifixus eſt Dominus, dicitur Joannis xix. 14. *Paraſceve Paſchæ*, non Paraſceve ſabbati, ut poſt Bellarminum & Baronium vulgo interpretantur Theologi, ſed *Paraſceve Paſchæ*; & conſequenter dies proximus ſabbati erat azymorum primus, quo ineunte Paſcha mactandum erat, & facto veſpere comedendum. V. Eodem capite verſu 31. legitur rogatum Pilatum a Judæis, ut crucifixorum frangerentur crura, ac de patibulo tollerentur, ne remanerent in cruce corpora ſabbato. *Erat enim* (inquit Evangeliſta) *magnus dies ille ſabbati.* Cur autem magnus, niſi quia duo ſimul celebrarentur feſta, ſabbati nimirum, & Paſchatis? Poſtremo in Evangelica hiſtoria narrantur plura in die Chriſti emortuali fuiſſe peracta, quæ fieri non poterant in primo azymorum, celeberrimo ac ſancto: armati milites ut Jeſum caperent; conſilium ſummo mane initum a principibus ſacerdotum & ſenioribus populi; appellatio ad tribunal Romani præſidis; repetita accuſatio; expoſtulatio & executio ſupplicii teterrimi; necatorum ſepultura; præparatio ſyndonis, & aromatum pro exanimi Chriſti corpore. Hæc itaque ſunt, quæ videntur evertere ſententiam quinque præcedentibus propoſitionibus, non abſque induſtria, & late ſtabilitam.

Verumtamen nequeunt hæc e priori ſententia nos removere. Ad primum enim reſpondet S. Joannes Chryſoſtomus Hom. lxxx. in Matth. pag. 680. *Conſidera valide ipſos timere, non Deum, neque ne majus ſcelus eſſet in ipſa Paſchæ celebratione tam tetrum facinus facere, ſed homines & tumultum: ita tamen inflammati, poſteaquam proditorem invenerunt, commutati expectorare non potuerunt, ſed in ipſa ſolemnitate ipſum occiderunt.* Similiter Theophylactus in Matth. pag. 157. ubi etiam ingenioſe obſervat paſſum Dominum, *non quando Judæi voluerunt, ſed quando ipſe voluit*, quemadmodum decebat Auctorem vitæ ſponte pro nobis cruci affigendum. Addo conſuetudinem fuiſſe Judæorum inſigniores reos plectere ipſo die feſto; quod ſupra diximus, ac modo confirmamus teſtimonio Maimonidis, ſcribentis cap. 4. *Hilcot* ממרים. *Uſque ad Feſtum* inſignem fontem *cuſtodiunt, & ipſo feſto ſtrangulant, quia dictum eſt: Et omnis Iſrael audiet & timebit*, Deut. xvii. 13. Addo etiam, ſi principes Sacerdotum in priori opinione ſtetiſſent, neque procuraſſent Chriſti mortem in die præcedente ſolemnitatem Paſchalem: quippe eadem die horis pomeridianis immolabatur agnus facto veſpere manducandus, ideoque circa meridiem, quando crucifixus eſt Dominus, jam conveniſſet Jeroſolymam ingens Hebræorum multitudo.

Ad ſecundum reſpondeo fuiſſe quorumdam ſententiam, quod cœna commemorata cap. xiii. 1. Joannis non fuerit *Euchariſtica*, & poſtrema, ſed convivium inſtitutum Bethaniæ: primum quia hoc *ante Paſcha* celebratum eſt, & illa cœna pariter *ante Paſcha*: deinde, quia cum exeunti Judæ Chriſtus dixerit, *Quod facis, fac cito*, putabant quidam eum hoc ſibi voluiſſe, Eme quibus nobis *ad diem feſtum* opus eſt, ad cœnam ſcilicet Paſchalem: inſuper quia Lucas cap. xxii. 4. narrat proditionem Judæ, antequam veniret dies prima azymorum, & diſcipuli Paſcha pararent. Illam vero proditionem Joannes cap. xiii. v. 30. recenſet poſt cœnam, eademque nocte, poſtquam Judas acceperat *buccellam*: præterea quia incredibile eſt paucis illis horis, quæ inter cœnam, & Domini comprehenſionem in horto interfuerunt, potuiſſe Judam ſacerdotes adire, inire pactum, congregare Synhedrium, turbamque ſicariorum expedire, præſertim cum in nocte Paſchali unicuique cum familia ſua cœnandum eſſet, & ridiculum ſit opinari primarios ſacerdotes ſimul cœnaſſe, dum interea illorum familiæ domi abſque capite reſiderent; tandem quia in illo cap. Joannis xiii. non eſt minima mentio, nec τοῦ quidem Paſchalis cœnæ. Profert hæc argumenta in Horis Hebraicis ad caput 26. Matth. pag. 373. & ſequentibus Joannes Lightfootus. Foret utique hæc ſententia ad argumentum diluendum aptiſſima, niſi eſſet omnino falſa. Falſam eſſe conſtat ex unanimi Patrum conſenſu, & ni fallor, ex ipſo Joanne: nam cœnam in Bethania factam *ante ſex dies Paſchæ*, Martha miniſtrante, & diſcumbente Lazaro, ſcribit idem Evangeliſta cap. xii. & in cœna, quam narrat cap. xiii. neque Lazarum legimus, neque Martham, neque profuſionem unguenti, neque turbam ad videndum Lazarum confluentem, ſed Dominum cum diſcipulis ſuis, tamquam patremfamilias accumbentem, lavantem ſuorum pedes, eoſque alloquentem longa oratione, documentorum ſolatiique pleniſſima. Adhæc Joannes cœnam illam fuiſſe ſupremam haud obſcure indicat, dum priori verſu inquit: *Sciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: ac manifeſtius poſt enarratum Domini ſermonem uſque ad caput xviii. protractum, ubi e cœna ad hortum *trans torrentem Cedron* ſcribit Dominum perrexiſſe. Neque argumenta Lightfooti probant quidquam, modo ſtatuamus poſt cœnam Bethaniæ Judam profectum ad principes ſacerdotum, Magiſtrum vendidiſſe triginta argenteis, ut narrant Matthæus cap. xxvi. 15. Marcus

cus xiv. 10. Lucæ xxii. 3. & etinde Judam expectaſſe opportunitatem temporis, quo Dominum traderet: tempus autem iſtud advenisſe Paſchali nocte, paratis jam ad horrendum facinus miniſtris. Atque id ex eodem cap. xiii. Joannis infertur; verſu namque 2. ea verba, *Cum diabolus jam miſiſſet in cor ejus, ut traderet eum Judas*, demonſtrant Judam prius de tradendo Domino cogitaſſe: ea autem, quæ ſubjiciuntur verſu 30. *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuo*, innuunt proditorem recta profectum ad principes ſacerdotum, conſcios ſceleris, & in mortem Domini paratiſſimos, ut accepta cohorte mandaret quod ſpoponderet executioni. Atque ita corruunt omnia argumenta Lightfooti, illo tantum excepto, quod eſt de cibariis emendis pro die feſto, de quo paullo infra, ubi dicam de *Paraſceve*. Ad argumentum itaque duo reſpondent Theologi: primum quod Joannes accipiendus ſit de die *naturali* & uſuali, qui de media nocte ad mediam noctem producitur; non de die *legali*, qui protrahitur a veſpere in veſperam: alterum quod τὸ πρὸ τῆς ἑορτῆς, *ante diem feſtum*, poſitum ſit pro προεόρτιον, ideſt pro parte diei, quæ præcedit feſtum, & eſt pars feſti, ſicut πρόδομος eſt *pars domus*, προάστειον *pars urbis*, πρόλογος *pars orationis*, *&c.* Sed arridet mihi plurimum reſponſio iſta: Etſi cœna Paſchalis perageretur *facta veſpere*, & die decimaquarta exeunte, ac tunc inchoata foret *legalis* feſtivitas; Judæi tamen feſtum Paſchatis peculiari titulo incipiebant a media nocte, illudque agebant proxima die quintadecima; quia Dominus percuſſit primogenitos in terra Ægypti, *in noctis medio*, Exodi xii. 29. ac Paſcha, ut ibidem legitur, erat *victima tranſitus Domini, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto percutiens Ægyptios*. Vide Biblioth. Rabbinicæ tom. 2. pag. 756. Quod ergo ait Joannes, *Ante diem feſtum* Paſchæ, idem eſt, ac *ante mediam noctem*: unde in Græco legitur ſimpliciter, *Ante feſtum Paſchæ*, πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα.

Venio ad tertium paullo difficilius. Perſuaſum mihi eſt illis verbis, *Ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*, non agnum ſignificari, ſed *Hhagigam* Paſchalem, victimas ſcilicet ovium, juvencorum, & boum, quæ mactabantur die proxime ſequente immolationem agni. Primo quia Dominus ita conſtituit pro Paſchali victima quartamdecimam diem Niſan, ut ſi aliquis ea die aut fuiſſet immundus, aut iter haberet, teneretur differre Paſcha ad menſem ſecundum, ut legimus Numerorum ix. 10. *Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, quartadecima die menſis ad veſperam*. Si ergo Judæi immunditiam contraxiſſent, poterant Paſcha ad menſem *Jiar* differre; nec adeo de non contrahenda immunditia ob cauſam, quam graviſſimam exiſtimabant, fuiſſent ſoliciti. Deinde, ſi audire velimus traditiones Rabbinorum, quoniam Paſcha immolandum erat ſtatuto tempore, agendum id erat, quamvis tota congregatio, aut maxima pars fuiſſet immunda; & tantum fas erat differre Paſcha ad menſem ſecundum uni, aut alteri immundo, non vero cœtui atque multitudini. Ita ſcribunt R. Maimonides, & alii apud Lightfootum in H. H. ad cap. xiv. Marci. Igitur immunditie eorum, qui in Prætorium fuiſſent ingreſſi, nullum agendo Paſchati attuliſſet impedimentum. Præterea veriſſimum eſt hoſtias illas ovium & boum nomine *Paſchatis* appellari, cum in citato textu Deuteronomii xvi. *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*, tum in 2. Paralip. xxxv. 9. *Dederunt ceteris Levitis ad celebrandum phaſe quinque millia pecorum, & boves quingentos*. Rurſus idem probant invictiſſime textus Hebraicus, ac Verſiones aliæ perperam nobis ab adverſariis objectæ. Primo quia, ut obſervarunt quoque Rab. Ruben, Simeon, & Levi apud Friſchmuthum, non extat in Hebraica lectione littera conjunctionis ו præfixa dictioni צאן, *oves*: unde apparet τὸ צאן ובקר, *oves & boves* referri ad dictionem ſuperiorem פסח, *Phaſe*. Deeſt pariter in verſionibus Græcis Καὶ, *&*, ante πρόβατα. Ulterius ubi legimus Num. xxix. 2. *Offeretiſque holocauſtum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos ſeptem*; ac primo Paralip. xxix. 21. *Et obtulerant holocauſta die ſequenti tauros mille, arietes mille, agnos mille*, aliiſque in locis ſexcentis, in quibus occurrit eadem ſyntaxis, ac in illo verſu Deuteronomii; agni, arietes, ac tauri non ſunt aliquid diverſum ab *holocauſto*, ſed illud, quod *holocauſti* nomine ſignificatur. Pari ergo ratione in textu illo Deuteronomii, *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo oves*, & *boves*, non ſunt *oves* & *boves* aliquid diſtinctum a *Phaſe*, ſed ſunt id, quod vocabulo *Phaſe* ſignificatum eſt; ſive, ut eruditi viri obſervarunt, פסח ſtat loco generis ad ſubjectas voces, צאן & בקר. Inſuper eodem cap. xvi. Deuteronomii verſu 3. ubi legit Vulgata, *Non comedes in eo panem fermentatum; ſeptem diebus comedes abſque fermento*, habent Hebræi, שִׁבְעַת יָמִים תֹּאכַל עָלָיו מַצּוֹת *Septem diebus comedes ſuper eo infermentata*. Dictio autem, על, *ſuper* hoc in loco idem eſt, ac עם, *cum*, ut Exodi xxxv. 22. Iſaiæ vii. 2. aliiſque in locis. Victimæ itaque ſeptem dierum azymorum *Paſcha* appellantur, & φαγεῖν τὸ πάσχα, *manducare Paſcha* tam de agno, quam de ceteris hoſtiis proprie dicitur; quemadmodum Act. xii. 4. dies omnes azymorum appellantur *Paſcha*. Ex quibus omnibus conſtat etiam ſanctificatas hoſtias juvencorum & boum comprehendi nomine Paſchatis, tametſi eo vocabulo denotaretur peculiari quadam ratione Paſchalis agnus, ac aliæ victimæ dicerentur quoque חגיגה *Haghigà*: quod tantum inferri poteſt ex Verſione Chaldaica. Atque his diluimus objectionem tertiam, ſimulque Verſionem Vulgatam in xvi. capite Deuteronomii explicavimus, & vindicavimus.

Quarta objectio, tametſi Marcus Antonius de Dominis P. 2. de Republ. Eccl. num. 268. reprehendit doctiſſimum Bellarminum, alioſque explicantes Evangelicum textum de Paraſceve ſabbati, recte ab inſigni ævi noſtri Theologo de Re Sacramen. pag. 397. dicitur vitilitigatio. Communem quippe reſponſionem confirmat S. Marcus, dum cap. xv. 42. ait: *Erat Paraſceve, quod eſt ante ſabbatum*. Nunc ego dabo operam, ut oppoſitæ argumentationis appareat inanitas. Principio, quemadmodum tradunt periti rituum Hebraicorum, ad Paſcha nulla erat *Paraſceve*, ideſt, ciborum præparatio: nam utique Hebræi feria ſexta poſt meridiem parabant cibaria, menſaſque ſternebant, quaſi ſtatim prandendum foret, aut cœnandum; ſed hoc non faciebant die præcedente feſtum Paſchatis, quoniam die prima azymorum ex cap. xii. Exodi verſ. 16. licitum erat facere ea, *quæ ad veſcendum pertinent*. Cum ergo Paſcha nullam Paraſcevem habet; feria ſexta, qua crucifixus eſt Dominus, dicta eſt παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *Paraſceve Paſchæ*, quod ſimul eſſet προσάββατον, Paraſceve ſabbati, & Paſcha, eo ferme pacto, quo a nobis dicitur *Dominica Paſchatis*, aut *Pentecoſtes* dies illa, in quam ſimul incidunt eadem feſta, atque dies initialis hebdomadæ. Adhæc licet origo hujus vocis *Paraſceve* ſit a parandis cibariis; illius tamen uſus apud Hebræos fuit eamdem vocem uſurpandi pro ſexta quacumque feria: unde in antiquo libro *Bereſcit Rabba*, par. 11. legitur ſingulos hebdomadæ dies propriis carere nominibus, ideſt, primam, ſecundam, tertiam, quartam, & quintam feriam, *præter Paraſceven, & ſabbatum*: idque negare non eſt auſus Exercit. xvi. numer. 15. in Baronium Iſaac Caſaubonus. Quidam Scholaſticorum cum Witeſſio pag. 69. ajunt etiam Arabes ſextam feriam eo vocabulo nominare: quod de Arabibus antiquis verum eſſe teſtentur viri in illa lingua doctiſſimi; nam poſt debellatos Arabes a Mahumede, ſextam diem non Paraſceven dicunt, ſed *Algiumam*, ideſt, congregationem. Ait ergo Evangeliſta *Paraſceve Paſchæ*, ad ſignificandam ſextam feriam inter ſeptem dies azymorum; quos omnes appellatos *Paſcha* dictum eſt ſupra. Dato inſuper etiam Paſcha ſuam habuiſſe *Paraſceven*; cum Joannes appellarit *Paſcha* etiam victimas *Hagigas*, mactandas prima die azymorum, & Paſchali nocte tranſacta, dixiſſet cohærenter diem Veneris *Paraſceven Paſchæ* ob præparationem victimarum iſtarum, non ob præparationem agni mactati jam, & comeſi. Abunde his revincitur Spalatenſis, nec non Gerardus Voſſius, qui in diſſert. 2. de tempore Dominicæ Paſſionis num. 12. pag. 85. ſcribit de his verbis, *Erat autem Paraſceve Paſchæ*: „Quem locum, uti & priores, mire torquet Toletus in cap. xix. Joan. Vult enim παρασκευὴν τοῦ πάσχα dici, non ratione Paſchatis, ſed ſabbati. Ac ſimiliter in idem caput Ribera, inque Annalibus Baronius.„

Oppoſitio quinta faciliimæ ſolutionis eſt: dies enim ſabbati incidens in ſecundam azymorum erat dies, quo populus adibat templum cum victimis pacificis, quas Hebræi appellant *Sarban Raajah*, quaſi comparitionis munus, & de quibus interpretantur ea verba Exodi xii. 15. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Eadem quoque die offerebatur, ut diximus ſuperiori capite prop. 5. ſpicarum manipulus, de quo Levitici xxiii. 11. & quoniam dies feſti, in quibus populo cum holocauſtis & victimis coram Domino erat comparendum, dicebantur *Magni*, ut conſtet ex cap. vii. Joannis verſu 37. idcirco de ſabbato incidente in diem azymorum ſecundam dicitur cap. xix. 31. *Erat enim magnus dies ille ſabbati*.

Quæ objiciuntur ſexto loco, ita diluenda ſunt. In primis fatemur multas legis tranſgreſſiones factas a Principibus Sacerdotum, ut Jeſum perderent, at plura egiſſe miniſterio Gentium, ne viderentur tam aperte violare ſolemnitatem: cujus gratia dixiſſe fas ſibi non eſſe quemquam interficere, ait Auguſtinus, & a nobis ſupra probatum eſt. Percurramus deinde ſingula. Chriſto non ſemel mortem diebus ſolemnioribus intentarunt, Joannis x. 31. in feſto Encæniorum, & in ipſo porticu Salomonis; & in feſto Tabernaculorum, viii. 59. Altera die, *quæ eſt poſt Paraſceven*, ideſt, die ſabbati, & ex adverſariorum ſententia die ſabbati ſimul & Paſchatis, conveniſſe Principes Sacerdotum, & Phariſæos ad Pilatum, rogantes, ut poneret milites ad cuſtodiendum ſepulcrum, & facta ſibi a Præſide facultate, ipſoſmet appoſuiſſe cuſtodes, muniviſſe ſepulcrum, ſignaſſe lapidem, narrat cap. xvii. 62. & 66. ſanctus Matthæus. Inſignes reos damnatos in ſolemnioribus diebus, dictum paullo ſupra ad primum: mortem

vero

Digitized by Google

vero Chriſti peractam poſtulantibus quidem Judæis, ſed a militibus Præſidis, manifeſtum eſt omnibus: atque his incedere armatos, ducere ad ſupplicium, & necare quem judex damnaſſet, indicebat officii ratio, non prohibebat æquitas religionis. Ipſi Judæorum Rabbini docent tam in ſabbato, quam in feſtivitatibus aliis ſepelienda cadavera: & quamvis Maimonides apud Caſaubonum afferat in ſabbato reum occidi non poſſe; hoc tamen nec ipſe negat de prima die azymorum. In hac præſertim poſſe mortuum ſepeliri, atque exerceri quicquid ad funus pertinet, emi ac parari ſindones, haberi curationem cadaveris, & pollincturam, omniaque ad officia pietatis licite emi & vendi, ſcribit Rab. Jacob Ben-Judæ in libro אגור *Agur*, num. 651. ubi prolixe docet quæ fieri ſoleant, ac poſſint, ביום טוב־ראשון, *Bejom tou riſcion*, in die primo ſolemnis feſti. Tobiam *in die feſto Domini* ſuſtuliſſe de platea unum ex filiis Iſrael jugulatum, ibique jacentem, ut illum in ſilentio proximæ noctis ſepeliret, legimus cap. II. 4. 5. ſacri libri nomine ejuſdem Tobiæ inſcripti. Appenſum in patibulo ſepeliendum *eodem die*, præcipit Deuteronomii caput XXI. 23. Atque his propoſita ſex argumenta penitus refutantur.

Accedit ſeptimum, quod Scaliger lib. V. de Emendat. temporum putat inſolubile, petitum ex feſto Pentecoſtes. Celebrari enim debebat feſtum iſtud poſt quinquaginta dies enumeratos a ſecunda die azymorum, ſive a decima ſexta menſis Niſan, ut conſtat ex Levit. XXIII. 15. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas, uſque ad alterum diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, ideſt, quinquaginta dies; & ſic offeretis ſacrificium novum Domino.* Atque *alteram* illam diem ſtatutam pro ritu manipuli, fuiſſe decimam ſextam menſis primi, tradit quoque Joſephus in III. Antiq. 10. pag. 177. τῇ δὲ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ, ἕκτη δ' ἐστὶν αὕτη καὶ δεκάτη, *ſecunda vero azymorum die, eſt autem illa decima ſexta.* Hiſce quinquaginta diebus enumeratis, ſi Chriſti emortualis fuit azymorum primus, & quintuſdecimus Niſan, neceſſum eſt, ut anno illo Pentecoſtes, ſive dies quinquageſimus inciderit in ſabbatum. At repugnat id vetuſtæ traditioni, juxta quam Pentecoſte tunc incidit in Dominicam, & in Dominica circa horam tertiam Spiritus ſanctus in Apoſtolos illapſus eſt. Illo igitur anno ſecunda azymorum dies fuit Dominica, & conſequenter prima dies azymorum, & Judaicum Paſcha, non ſexta fuit feria, ſed ſabbatum.

Huic argumento duæ ſolent adhiberi probabiles reſponſiones. Prima anno Paſſionis Chriſti Pentecoſtem revera in ſabbatum incidiſſe, eodemque die Spiritum ſanctum illapſum ſuper Apoſtolos. Placet hæc reſponſio recentiorum compluribus, illamque inconcuſſam demonſtrare nititur Jacobus Hyacinthus Serry Exercit. 62. Ubi vero illi opponitur contraria traditio; reſpondet hanc eſſe fictitiam, & licet pro hac adſtruenda laudentur Clementis Conſtitutiones, ſermo S. Auguſtini 154. de Tempore, & S. Leo ſermone de Pentecoſte; Conſtitutiones tamen Clementi attributas ab eruditis omnibus rejici, tamquam pſeudepigraphas; ſermonem quoque præcitatum in caſtigatiſſima Benedictinorum editione rejectum in appendicem ſuppoſitorum, ideoque ſolum ſupereſſe Leonem Magnum, *qui ut cadente quinto ſæculo vixit, Traditionem ille unus non facit.* Addit Carolus Witaſſe pag. 72. ſanctum Leonem ſcriptorem *eſſe haud ita accuratum.*

Reſponſio altera eſt, quinquaginta dies enumerandos fuiſſe a ſecunda die azymorum, ſi hæc non incidiſſet in ſabbatum, nam ſi in ſabbatum incidiſſet, ut contigit anno Paſſionis Domini, erant ſupputandi a feria prima, ideſt, a Dominica: quod innuunt Verſiones aliquæ ſupra productæ, quæ Levitici XXIII. 15. habent *poſt diem feſtivitatis*, ſeu, *a craſtino ceſſationis*. Atque hæc reſponſio tradita ab Eminentiſſimis viris, Bellarmino, & Baronio, eſt inter Theologos valde communis; nec multum quatitur teſtimonio Joſephi, utpote quod poteſt accipi de ordinaria communique ratione temporum, non de peculiari, cum ſcilicet Paſchæ inhæſiſſet ſexta feria. Has duas tantum reſponſiones cenſeo probabiles; nam qui reponunt feſtum Pentecoſtes continuatum fuiſſe in ſeptiduum, nec apparere ex Act. 2. 1. de quo die accipiendus ſit ſanctus Lucas, apertiſſime refutantur tum ex Græco textu, in quo *dies* extat ſingulari numero, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, *in eſſe completum diem Pentecoſtes*; tum ex numeri complemento; tum ex *Pentecoſtes* vocabulo ſimpliciter poſito. Qui etiam excludunt a numero quinquaginta dierum ſecundum azymorum, viam ineunt commentitiam & inſolitam: & demum qui cenſent in Actibus Apoſtolorum non commemorari Pentecoſtem Judaicam, facile revincuntur ex Act. XX. 16.

Verum quænam duarum illarum reſponſionum eſt præferenda? De priori ſubſcribendum BENEDICTO XIV. *de Feſto Pentecoſtes* num. 496. falſiſſimam eſſe; quoniam non eſt veriſimile S. Leonem Magnum, tametſi floruerit quinto ſæculo, ſcripſiſſe Pentecoſten incidiſſe in Dominicum diem, niſi id pervulgatum fuiſſet in traditionibus Romanæ Eccleſiæ, quas hac in parte etiam Novatores ſequuntur, ſicuti demonſtrat ex Uſſerio, & Pearſonio ſapientiſſimus & eruditiſſimus Pontifex. His addo ſuppoſititias quidem eſſe Conſtitutiones Clementis, necnon apocryphum ſerm. 154. de Tempore; ex Apocryphis tamen ſcriptis erui traditionem temporum, quibus eadem ſcripta prodiere: cumque Conſtitutiones Apoſtolicæ laudentur ab Euſebio H. E. lib. 3. cap. 25. ab Athanaſio in Epiſtola Feſtali, & ab Epiphanio H. XLV. num. 5. & H. LXX. num. 10. qui longe præceſſerunt S. Leonis ætatem, conſequitur hunc non fuiſſe illius traditionis auctorem primum, ſed illam accepiſſe a majoribus. Quod inſuper de Pearſonio & Uſſerio ait Benedictus, confirmatur ex Scaligero loco paullo ſupra citato, ex Ligtfooto in H. H. ad cap. 2. Act. ex Samuele Baſnagio ad an. XXXI. num. 50. ex Joanne Friſchmuth præcit. diſſer. n. 21. qui etiam laudat Bochartum, alioſque Proteſtantium, hac in re criticis noſtris æquiores. Tandem ubinam ſententiæ illius venditores legerunt Spiritum ſanctum in die ſabbati deſcendiſſe? Eſt tamen in hac ſententia aliquid veri paullo poſt detegendum.

Altera reſponſio ſupra a nobis probabilis dicta eſt, ac talis cenſetur eo loci a BENEDICTO XIV. num. 505. Opponunt quidem adverſarii teſtimonia Rabbinorum aſſerentium manipulum primitiarum demeſſum die quoque ſabbati: ſed hæc traditio univerſalis non eſt. Permulti enim Hebræorum ea verba Levit. XXIII. *ab altero die ſabbati*, non accipiunt pro die conſequente Paſcha, ſed conſequente ordinarium ſabbatum. Diximus non adverſari hanc interpretationem Hebraico textui habenti, ממחרת השבת, *A craſtino ceſſationis*. Legit & Chaldæus, *Poſt diem feſtivitatis*; atque in nonnullis exemplaribus Græcis ſcriptum eſt, ἀπὸ τῆς ἐπαύριον τῆς πρώτης τῶν σαββάτων, *a die poſtriduano primæ diei ſabbatorum*. Nonnullos autem Hebræorum huic ſententiæ adhærere, conſtat, inquit Witaſſius, ex libro *Menachot*, ex Maimonide in Tamidin cap. 7. Seldeno de Anno-Civili, & Calendario Judæorum, & Lightfooto ad cap. 2. Act. Apoſtolicorum. Defendi ergo poteſt Pentecoſtem Judaicam anno Paſſionis Chriſti in diem incidiſſe Dominicum, eodemque die illapſum Spiritum Paraclitum in Apoſtolos.

Sententia mea eſt in utraque reſponſione aliquid veri, & aliquid falſi. Verum eſt quod tenet prima, Judaicam Pentecoſtem anno illo incidiſſe in ſabbatum, & falſum eſt in ſabbato deſcendiſſe Spiritum Domini: & verum eſt, quod tenet ſecunda, Spiritum ſanctum deſcendiſſe die Dominico, falſum autem deſcendiſſe in feſto Pentecoſtes Judaicæ; quod cum breviter explicavero, ſolutum erit argumentum & vindicata ſimul Romanæ Eccleſiæ, de die adventus Spiritus ſancti, Traditio. Ac primum de die Judaicæ Pentecoſtes conſtat ex dictis ſuperiori cap. prop. 5. ubi diximus ſabbato non fuiſſe vetitam manipuli meſſionem. Confirmatur ex Joſepho, qui aſſerit demeſſum manipulum die XVI. Niſan, nullo temporum producto diſcrimine. Idem patet ex Græcis verſionibus nuper laudatis: quarum planior ſenſus eſt, *A poſtridie primi feſti, ideſt, Paſchatis*; non a poſtridie feſti ſecundi, hoc eſt, ſabbati, non enim inquiunt, *A die poſtriduano ſabbatorum*, ſed, *die poſtriduano primæ diei ſabbatorum*. Sequitur omnino idem ex doctrina eorum, ad quos pag. 74. Witaſſius provocat; nam in *Menachot* fol. 65. opinio eorum, qui cenſebant manipulum non eſſe metendum ſabbato, tribuitur quibuſdam *Baithuſæis* (Sadducæis ſcilicet) & conſenſu Doctorum omnium decernitur metendum eſſe. Vide Biblioth. Rabbinicam tom. 2. pag. 762. Maimonides in libro, quem inſcripſit, באר מושי *Porta Moſis*, pag. 264. edit. Oxoniæ docet oblationes cœtus nunquam differendas eſſe, & ſequenti pagina ait diem agitationis manipuli fixum & invariabilem eſſe *diem Azymorum ſecundum*. Idem pag. 278. ſe auctorem dicit Tractatus *Menachot*, in quo refellitur, ut dixi, opinio *Baithuſæorum*. Joannes Lightfootus in Act. Ap. pag. 692. edit. Roterodami citato libro *Menachot* concludit, *Hoc igitur anno, in quo jam verſamur, illa ſcilicet, quo Chriſtus aſcendit, & Spiritus ſanctus deſcendit, oblatio manipuli erat ſabbato*: quod etiam probat ex Rab. Iſmaele, aliiſque in *Miniſterio Templi* cap. XIV. ſect. 2. pag. 742. Seldenus denique citato libro cap. 7. pag. edit. Londini 31. concludit receptiſſima apud Hebræos Gloſſe ad Levit. XXIII. 11. ממחרת שבת ממחרת יום טוב הראשון על פסח: *A craſtino ſabbati, ideſt, a craſtino diei feſti primi Paſchatis.* Quæ ſi dictis ſupra addantur; videtur nobis probabilius Pentecoſtem Judaicam incidiſſe anno, de quo loquimur, in diem ſabbati; quamvis ſententia oppoſita non ſit præſidio penitus deſtituta. Nec multum habent roboris Verſiones, quæ Hebraica verba reddiderunt, *A craſtino ceſſationis*, ſive, *diei feſti*, quoniam *ſabbatum*, quo vocabulo ſignificatur *ceſſatio*, aut requies, uſurpatur apud Hebræos ad ſignificandum quodcunque feſtum: & revera τὸ *A craſtino ſabbati* nihil aliud demonſtrat, niſi ſeptem hebdomadas computationem ſuam incipere a die, quo elevabatur manipulus, ideſt, *a die ſecunda azymorum*, *& decima ſexta menſis Niſan*, ut inquit prælaudatus Maimonides in Tract. *Tamidin*, & *Moſaphin* cap. 7. יום שני של פסח שהוא יום ששה עשר בניסן: *ſecunda die Paſcha-*

tis, quæ eſt ſexta decima menſis Niſan. Vide Joſephum de Voiſin lib. de lege divina cap. 44. pag. 622. edit. Pariſienſis.

At Spiritum ſanctum in Apoſtolos illapſum die Dominica, ſive poſtriduano Pentecoſtes Judaicæ, inſero primum ex Traditione, quam ſupra vindicavi adverſus recentiores Criticos: neque enim aut Scriptor Conſtitutionum, aut Auctor ſermonis 154. inter Auguſtinianos de Tempore, aut S. Leo ſerm. 1. & 3. de Pentecoſte aſſeruerunt adveniſſe Spiritum Paracletum quinquageſime die ab elevatione manipuli, ſed quinquageſima die *a reſurrectione Domini*: quod veriſſimum eſſe profitemur. Deinde verba Actorum 11. 1. *Et cum complerentur dies Pentecoſtes*, denotant diem primum Pentecoſtes tunc fuiſſe completum: reddunt quippe hunc ſenſum Græca verba: *Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, in eſſe completum diem Pentecoſtes*: quod tam bene dicitur ubi præſens adveniſſe monſtratur, quam ubi præteritum præterlapſum eſt; ſicut apud Lucam IX. 51. ſimilis phraſis ſignificat tempus non nimis remotum a termino, & Gen. XXV. 24. tempus perfectum jam, & completum. Hoc autem deſignari Act. 2. agnoverunt Syrus, & Arabs interpretes, qui tom. V. Polyglot. pag. 520. reddidere, *Cum igitur impletus eſſet dies Pentecoſtes*. Ad hæc Chriſtus in adimplendis figuris antiqui teſtamenti, ut oſtenderet tranſitum de umbra ad veritatem, quod præfigurabatur typo, complevit in die ſequenti. Ita agnus mactabatur die XIV. & Chriſtus immolatus eſt die XV. ac manipulus *ἀπαρχῆς, primitiarum*, offerebatur die XVI. & Dominus factus in reſurrectione, ut ait Apoſt. 1. ad Corinth. XV. 20. *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, primitiæ dormientium*, reſurrexit die XVII. Niſan. Sabbatum quoque Chriſtianum non fuit inſtitutum ſabbato Judaico, ſed die Dominico. Quid ergo mirum, ſi conſecrare voluit adventus Spiritus ſui, non Pentecoſtem Judaicam, ſed diem inſequentem, qui deinceps futurus erat Pentecoſte Chriſtianorum? Poſtremo, quando deſcendit Spiritus ſanctus, non erant Apoſtoli in templo, ſicuti fortaſſis erant cum Judæorum cœtu tranſacta die, horis præſertim matutinis jugi ſacrificio deſtinatis; ſed omnes pariter ſedebant domi, celebrantes diem prius reſurrectione Domini, & tunc adventu Spiritus ſancti conſecratam; quorum nos exemplo atque inſtituto Paſcha, & Pentecoſten colimus, alia die a Paſchate, & e Pentecoſte Judæorum.

CAPUT III.

Demonſtratur Dominum Jeſum in ſuprema cœna obſervaſſe præcipuas legalis *Paſchatis ceremonias*.

QUæ nuper diximus de abrogatione ac translatione feſtorum Judaicorum, oſtendunt quam inepte ratiocinentur, qui ex conditione typi inferunt eadem die mactatum myſticum agnum, & Dominum crucifixum. Sane id ſentientes refutantur ex quo Dominus in veterum impletione ſignorum non ſemel ſtatutum diem tranſmutarit in proximum; ſi tamen ad diverſam diem pertinere dicenda ſunt inſtitutio Euchariſtiæ, & crucis cruentum ſacrificium: quorum utrumque evenit intra limites ejuſdem legalis feſti. Cum etiam in agno typico cœna ſubſequeretur immolationem: Chriſtus poſtridie paſſurus immolationi præmiſit cœnam, ſi immolatio accipiatur, non pro fractione panis, quem vertit in corpus ſuum, ſed pro morte corporis ſui, quod ſuſpenderunt in ligno. Quod ſi aſſeramus mactationem agni utrumque præſignaſſe, ſacrificium ſcilicet crucis, & Euchariſtiam, ut q. 74. art. 6. demonſtrat S. Thomas; non ſolum in die *legali*, verum etiam in *naturali*, figuræ antiquæ reſpondere invenietur antitypus. Indubitatum eſt ergo ea in nocte, qua Euchariſtiam inſtituit, Dominum Jeſum celebraſſe commune Paſcha: atque id confirmat obſervatio rituum Judaicorum: de quibus in præſentia breviter ſum dicturus.

Principio ad comedendum Paſcha conveniebat cum familia rector domus ac ſenior, aſſumens vicinos, ſi non potuiſſent ſufficere domeſtici ſui, *ad eſum agni*, Exodi XII. 4. Numerus *Paſchalium*, ut dicebantur, *Societatum* ex Joſepho lib. VI. de Bello cap. 9. conſtabat ſaltem convivis denis: inſtituebatur convivium nocte, & nemo Paſcha manducabat, priuſquam tenebræ obducerentur, ex eodem cap. Exodi verſu 8. concordibuſque Rabbinorum traditionibus in Thalmud, *de Peſach*, perek. 10. Sternebantur quoque lecti, parabatur cœnaculum, coquebantur cibi, ut poſtulabat Paſchale convivium, & imminens ſolemnitas azymorum. Hæc omnia in ſuprema cœne ſervaſſe Dominum, narrant Matth. XXVI. Marcus XIV. & Lucas XXII. Diſcipuli paraverunt Paſcha, invenerunt cœnaculum ſtratum, Jeſus una cum duodecim diſcubuit, cœnavitque facto jam veſpere.

Hoc deinde interceſſit diſcrimen inter Paſcha primum Ægyptiacum, & alia poſteriorum temporum peracta Jeroſolymis; quod illud celebrarunt Judæi ſtantes, calceati, accincti renibus, & ad iter habendum parati, utpote *ex domo ſervitutis* profecturi; ſed, ut ſcribit Aben-Ezrae in cap. 12. Exodi, cui conſentiunt Rab. Salomon in *Peſach* perek. 10. *Miſnah*, omneſque Commentarii, aut Rituales libri Rabbinici, reliqua Paſchata edebantur a Judæis jacentibus & decumbentibus, quaſi *in ſignum dominii & libertatis*. Dominus pariter diſcubuiſſe legitur, Matth. XXVI. 20. cumque Joannes recubuerit in ejus gremio, atque ad pectus, Joan. XIII. 25. & XXI. 20. neceſſum eſt, ut Jeſus menſæ incubuerit capite per cubitum ſiniſtrum ſuffulto, & facie ac pectore ad latus obverſis, & Joannes diſcumbens eodem corporis ſtatu habuerit dorſum prope gremium & pectus Domini. Atque eo ferme pacto diſcumbebant Societates Paſchales, dictæ propterea Hebraice מסבים *Meſſabim*, quaſi *prope*, & *circum accumbentes*. Ex conſimili diſcumbendi ratione, in toris nempe, lectuliſque menſalibus, percipimus quomodo mulier, quæ fuerat peccatrix, Lucæ VII. 38. ſtaret in domo Phariſæi *retro ſecus pedes* Domini, & commode poſſet pedes ipſos rigare lacrymis, tergere capillis, & oſculari; necnon Mat. XXVI. 7. & Marci XIV. 3. fracto alabaſtro unguentum effunderet *ſuper caput recumbentis*.

Inter cœnandum paterfamilias gratias agens benedicebat azymum panem, & illum ceteris diſtribuebat: ita refert Rab. Maimonides in *Hhamets umats*, aliique apud Lightfootum in *Miniſt. templi Jeroſolym.* Et cum in Paſchali cœne plures adeſſent calices; unus quidem diſtribuebatur eodem pacto cum gratiarum actione, ſed alter, inquit eo loci Maimonides, diſtribuebatur poſt cœnam, & niſi admiſcuiſſent aquam, exiſtimabatur aliquid omiſſum in recta hujus ceremoniæ obſervatione: quod præcitatus Lightfootus in H. Hebraicis ad cap. 26. Matth. pag. 380. confirmat ex Thalmud Babylonico, & R. Eleazaro, ex Gemariſtis, communique Hebræorum traditione. Optime ergo calices diſtinxit Lucas cap. XXII. 17. & 20. ubi inquit Euchariſtiam ſub ſpecie vini fuiſſe inſtitutam poſt cœnam: *Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens, &c.* Unde apparet inter conſecrationem panis, & conſecrationem calicis aliquid temporis interfuiſſe. Hinc putarunt quidam Judam adfuiſſe utique primæ communioni ſub ſpecie panis, non alteri ſub ſpecie vini, quoniam Joannes XIII. 30. ait: *Cum ergo accepiſſet ille buccellam, continuo exivit*. Verum his non ſubſcribo, quia Lucas citato loco poſt commemoratam conſecrationem calicis narrat Dominum dixiſſe: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*; & Marcus XIV. 23. de eodem calice, qui conſecratus eſt, ſcribit: *Et biberunt ex eo omnes*. Quare *buccella intincta*, de qua Joannes XIII. 30. non erat corpus Domini, ſed fruſtulum azymi non conſecrati intinctum *embammate*. Recte itaque S. Pater Auguſtinus, Tract. LXII. in Joannem num. 3. *Non autem ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Chriſti corpus accepit. Intelligendum eſt enim, quod jam omnibus eis diſtribuerat Dominus ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui, ubi & ipſe Judas erat, ſicut ſanctus Lucas evidentiſſime narrat: ac deinde ad hoc ventum eſt, ubi ſecundum narrationem Joannis apertiſſime Dominus per buccellam tinctam atque porrectam ſuum exprimit traditorem, fortaſſis per panis tinctionem illius ſignificans fictionem*.

Atque ut melius Auguſtini ſententia, quam certiſſimam puto, percipiatur, nota ante excidium Templi Judæos his ritibus inſtituiſſe Paſchalem cœnam. Strato, ut dixi, cœnaculo, ac duobus vel tribus azymi placentis paratis, quas apponentes menſæ dicebant, הא לחמא עניא *Hic eſt panis afflictionis*, præter lancem cum carnibus agni aſſi, parabant patinas cum cibis aliis elixis, & paropſidem, aliud vas eſcarium, cum חרוסת, *Charoſeth*, quod erat embamma, muſteum ex pomis, dactylis, aſtaphidibuſque contuſis atque ſaccharo & condimentis aliis compoſitum; ac demum lactucas agreſtes, quo nomine veniunt quoque intybus, cichoreum, & marrubium. His vero paratis, apponebatur *facto veſpere* agnus aſſus cum placenta azymi, & cum iſtis lactucis: tum comeſo agno, & *legali* peracta cœna, veniebant patinæ elixarum carnium cum embammate, & pater familias gratias agens frangebat placentam, & cuncti epulabantur ſplendide, vinumque guſtabant: ac demum cœna uſuali abſoluta, ſurgebant convivæ, abluebant manus, ac poſt puſillum temporis iterum recumbentes intingebant reliqua placentæ fruſtula in embammate, quod ſervabatur ad finem convivii, ſive, ut loquuntur Hebræi, ad אפיקומן *aphikomen*, cœnulam, atque comeſſationem. Hæc litteris mandarunt R. Maimonides, R. Eliezer, R. Salomon, Thalmudiſtæ omnes, de quibus Bibliotheca Rabbinica tom. 2. Lightfootus in Miniſt. Templi, & in Horis Hebraicis, & alii ab his laudati, compLures. Hoc fere ordine Dominus Jeſus *legali* peracto *Paſchate*, atque incœpta uſuali cœna, fregit, ac benedixit placentam azymi, adductis jam patinis, & paropſide, in quam Judas intingebat manum, Matth. XXVI. 23. & 26. atque ita *cœnantibus* diſcipulis inſtituit ſacramentum corporis ſui. Completa deinde cœna, porrectoque calice cum vino permixto aqua, Euchariſtiam conſecravit ſub ſpecie vini, Lucæ XXII. 20. Surgens poſthac a cœna depoſuit veſtimenta, præcinxit ſe linteo, & lavit pedes diſcipulorum, Joan. XIII. 4. Poſt ablutionem recubuit iterum, ad אפיקומן *aphikomen* ſcilicet, parvamque cœnulam, eodem cap. verſ. 12.

eu

Digitized by Google

ac tunc Judæ porrexit *intinctum panem*, videlicet, non ſacramentum, quod jam omnibus diſtribuerat, ſed fruſtum placentæ intinctum in embammate; & quod ſoli proditori datum legimus ipſomet in capite XIII. verſu 26. Accepta denique hac *buccella*, Judas, progrediente jam nocte, e cœnaculo exivit, ibid. verſu 30.

Ex tam plana narratione ſequuntur plura obſervatione digniſſima. Sequitur primo miram eſſe Joannem inter, ac alios Evangeliſtas harmoniam: cœnam, de qua Joannes XIII. fuiſſe Paſchalem; contra quam ſentit cum aliis perpaucis Lightfootus: pedilavium ſubſecutum ad cœnam Euchariſticam, huic vero adfuiſſe etiam Judam Iſcariotem; immerito Voſſium Harmoniæ Evangelicæ lib. I. cap. XIV. anteponere ſententiam Hilarii aſſerentis canone XXX. in Matthæum, proditorem non fuiſſe participem divinorum ſacramentorum, ſententiæ Auguſtini docentis de conſenſu Evangeliſtarum lib. III. c. I. & Tract. LV. & LXII. in Joannem, inſtitutam Euchariſtiam peracta Paſchali cœna, & communi incœpta, ſacramentum corporis Chriſti datum Apoſtolis omnibus, ac proditorem interfuiſſe etiam conſecrationi, & communioni calicis. Sequitur ſecundo *buccellam intinctam* ſoli Judæ porrectam non fuiſſe corpus Domini ſingulis communicatum, tametſi viſum eſt oppoſitum pleriſque veterum; quibus præferendum Auguſtinum recte monet Calmet in Commentariis ad præcitatum caput XIII. Joannis. Sequitur tertio luſiſſe operam Wilhelmum Klabitium, qui diſſert. *de Buccella intincta*, tom. VI. Critic. Sacr. pag. 921. ex quo eadem buccella non fuerit corpus Domini, conatus eſt demonſtrare Judam proditorem fuiſſe divini ſacramenti communione privatum. Sequitur præterea jure, meritoque conſuetudinem porrigendi populis Euchariſtiam intinctam, etſi quibuſdam in locis olim viguerit, nullum habere in Evangelio fundamentum: ut enim legimus cap. *Cum omne*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 7. deprompto ex Epiſtola Julii Papæ ad Epiſcopos Ægyptios, ſive potius ex Concilio Bracarenſi IV. an. D. 675. in Evangelio *ſeorſum panis*, *& ſeorſum calicis commendatio memoratur: nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantum diſcipulo, quem intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ ſacramenti hujus inſtitutionem ſignaret*. Provenit ex eadem conſuetudine, ut aliquando pro infirmis ſervaretur Euchariſtia intincta; quod conſtat ex decretis Burchardi Wormacienſis lib. V. cap. 9. *Ut omnis*; ſed cum illa conſuetudo ex falſa interpretatione *buccellæ intinctæ* ſit derivata, ac ſufficiens ſit communio ſub una ſpecie, adnotatum bene a Gloſſa in præcit. cap. *Cum omne*, & in cap. *Presbyter Euchariſtiam*, ejuſdem diſtinct. 2. num. 93. neceſſum non eſſe, ut pro infirmorum Viatico ſervetur conſecratus *Panis intinctus*. Sequitur tandem ex præmiſſe comparatione Judaicorum rituum cum ſupremæ cœnæ circumſtantiis, turpiſſime allucinatum Ludovicum Cappellum, qui Animadverſ. contra Buxtorfium *de Cœna Domini* putavit verba Conſecrationis, *Hoc eſt Corpus meum*, a Chriſto fuiſſe prolata loco illorum הא לחמא עניא *Hic eſt panis afflictionis*; quum evidentiſſime appareat ex omnibus libris Ritualibus, quos vocant, הגדהשל פסח *Hagadeſcel Paſchatis*, hæc verba fuiſſe præludium, & invitamentum cœnæ, & recitata ante convivium, non in medio, cunctiſque diſcumbentibus, ac multo minus in fine menſæ, ſicut in ſexto de Emendatione temporum libro pervertens ordinem rituum inquit Scaliger. Certum eſt enim Chriſtum verba conſecrationis protuliſſe diſcipulis *cœnantibus*, Matthæi XXVI. 26. *diſcumbentibus*, *& manducantibus*, Marci XIV. 18. 22.

Facta autem cœna recitabant Judæi הלל הגדול *Hallel agadol*, hymnum magnum. Conſtabat ille pſalmo 117. *Confitemini Domino quoniam bonus*, cui permulti addebant præcedentes 112. 113. 114. 115. & 116. qui omnes inſcribuntur *Alleluja*, ideſt, *Laudate Deum*: quidam vero, ut ajunt Rab. Juda, & Rab. Bar-Jacob, incipientes a Pſalmo 117. proſequebantur uſque ad pſalmum 137. Hinc prodiere diverſæ de hoc hymno opiniones interpretum: ſed omnium conſenſu præcipue conſtabat ex præcitato Pſalmo 117. *Confitemini*; unde Eccleſia frequentiſſime in Paſchate intonet *Alleluja*, & verſum ejuſdem Pſalmi 24. *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, &c.* Arbitramur propterea eumdem pſalmum eſſe hymnum, de quo Matth. XXVI. 30. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti*. Hymnus enim, qui incipit, *Solvere volo, & ſolvi volo*, de quo S. Pater Auguſtinus in Epiſtola 253. nunc 237. ad Ceretium, fuit Priſcillianiſtarum putidiſſimum, ineptiſſimumque figmentum. Atque his adnotationibus noſtris confirmantur quæ diximus de Chriſti poſtremo Paſchate, recenſentur antiqui Hebræorum ritus, explicatur Evangelica hiſtoria, & quæſtiones permultæ alioqui ſubdifficiles, certa, ni fallimur, brevi, atque plane methodo reſolvuntur.

CAPUT IV.

Diſſeritur de materia Euchariſtiæ, ac primum de Azymo, & Fermentato.

PLURA in hoc capite circa materiam Euchariſtiæ inveſtigabimus. Ac primum, an Dominus ſacramentum illud inſtituerit in azymo, quod licet magna animorum contentione Latinos inter Græcoſque diſceptetur, ex dictis tamen facili conſecutione deducimus: alterum an in Eccleſia Romana perpetuus fuerit azymi uſus: tertium num Fermentum, quod olim deferebatur ad Titulos in Urbe Roma, fuerit Euchariſtia: quartum an congrua ſit *Hoſtiarum* noſtrarum quantitas & figura: quintum an Græci prioribus ſæculis conſecrarint azymum panem, vel fermentatum; ſextum denique, an uterque panis apta ſit ſanctiſſimæ Euchariſtiæ materia. Ad priorem ergo quæſtionem deveniamus.

PROP. I. Chriſtus Dominus ſacramentum corporis ſui conſecravit in azymo.

Hactenus enim demonſtratum eſt Chriſtum Dominum celebraſſe poſtremam cœnam exeunte quartadecima die menſis Niſan, ac die prima azymorum, quando e Judæorum domibus ſublatum erat fermentum, & aderant tantum menſis appoſitæ azymi panis placentæ. At Chriſtus in ea cœna, atque in pane ibidem appoſito inſtituit Euchariſtiæ ſacramentum. Inſtituit illud igitur in placentis panis azymi. Utuntur hoc argumento Theologi omnes, & ſanctus Leo Papa IX. epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum, ſcripta anno 1054. ubi ait: *Qui non venerat ſolvere legem, ſed adimplere, juxta ipſius legis præceptum, & azymis & vino vetus Paſcha adimplevit, & protinus ex azymis & vino novum, ſicut aperta Lucas narrat, diſcipulis tradidit. Neque enim toto octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Iſrael, & apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo ſuo. Quod ſi in cœna Domini Jeſu apparuiſſet, aut ipſe, ſeu diſcipuli ejus, quoquo modo guſtaſſent, juſte ſicut prævaricatores legis periſſent, nec ipſe Dominus diceret ſui inſidiatoribus, Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec opus eſſet falſos teſtes ad perdendum eum quærere, cum hoc ſolo perderetur juſte.* Extat hæc Epiſtola tom. IX. Concil. pag. 978. & apud Baronium ad annum præcit. numer. XIII. Atque hæc ſancti Leonis verba comprimunt quoque inſaniam aliorum Græcorum, qui cum fateantur adverſus reliquos gentis ſuæ Chriſtum Paſcha manducaſſe die præſtituto, ajunt tamen *potuiſſe ſubito undecumque exhibere fermentum*, *aut certe ipſum azymum benedicendo fermentare*, ut narrat Cardinalis Humbertus Epiſcopus Sylvæ Candidæ apud eumdem Baronium in Appendice tom. XI. ubi idem Leonis argumentum ornatiſſime exponitur. II. Verum, etiamſi detur Chriſtum, ut multi ex Græcis contendunt, aut cauſa proximæ mortis, aut quacunque alia præveniſſe legitimum Paſchæ tempus; adhibuiſſet tamen in ejus celebritate panes azymos, ſicut creditur obſervaſſe quidquid in lege præſcribitur, agni videlicet immolationem & eſum, nec non lactucas agreſtes, & cetera, quæ opportune ab Apoſtolis fuerant præparata: quod adverſus Græcos ſcite animadvertit in diſt. VIII. libri IV. §. 8. Duacenſis Academiæ doctiſſimus Cancellarius Guilelmus Eſtius.

At præter argumenta quæ ex Evangelica petuntur hiſtoria, & quibus capite 2. cumulatiſſime ſatisfecimus, alia ſunt leviora, & propria hujus loci, quæ breviſſime ſunt perſtringenda. Erit primum, quod opponit apud Arcudium lib. III. Concordiæ pag. 147. in ſuo Nomocanone Matthæus Blaſtarius, violare legem eos, qui myſticum ſacrificium conficiunt in azymis, cum Dominus abſtulerit quodlibet Judaicum feſtum, ac Patres contraria eorum legibus ritibuſque ſtatuerint. Addunt in hujus argumenti confirmationem Leo Archiepiſcopus Bulgariæ, epiſt. I. & 3. de Azymis, & Macarius Ancyranus apud Allatium, lib. III. cap. 14. de Eccleſiæ Occid. & Orient. perpetua conſenſione, quemadmodum neque circumcidimur, neque ſabbata obſervamus, neque una cum Judæis celebramus ſolemnitates, neque quidquam aliud ex iis, quæ legis ſunt, operamur; hunc in modum neceſſario non per azyma, ſed per panes fermentatos myſticum ſacrificium a nobis eſſe conficiendum. Alterum vero argumentum eſt Michaelis Cerularii, qui anno 1054. plures adverſus Romanam Eccleſiam calumnias evomuit, inter quas princeps eſt hæc de uſu azymi: damnatque illum acerbiſſime, quoniam ubi legimus in Evangelio Dominum Jeſum ſupremæ cœnæ accumbentem accepiſſe panem, extat in Græco, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, Mat. XXVI. 26. Interpretatur autem ἄρτον ſurſum elevatus, quod fit vi fermenti ac ſalis. Nec azymus vere dicitur *panis*; cum nihil diſtet a lapide, lutumque aridum videatur. Tertium ejuſdem Michaelis argumentum eſt, Chriſtum eſſe ſacerdotem *ſecundum ordinem Melchiſedech*, Pſalm. CIX. 4. & Ap. ad Hebr. VII. 11. At Melchiſedech ante Moyſen, & Abraham, univerſorum Dominum agnoſcens obtulit panem & vinum, antequam lex lutulenta conſtitueret azymum

Judæis

Judæis cuſtodiendum. Ipſe præterea azymus neque commemorationem habet Dominicam, neque mortem annuntiat, & ante complures annos maledictum & derelictum eſt per ſanctum Chriſti Evangelium. Quartum argumentum urget apud eximium Lupum in diſſertat. de S. Leonis IX. Actis Nicetas Pectoratus, opponens neque ſanctum Agathonem Pontificem, neque beatum Gregorium Agrigentinorum Epiſcopum obſtitiſſe, dum undecimo Trullano canone id ſtatueretur: *Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine numerantur, vel laicus, Judæorum azyma comedat*. Atque hoc canone Theodorus Balſamon contendit vetitum duntaxat, ne ſacrificium fiat in azymis, quoniam & Græci diverſimode *azyma* comedunt, quæ dicuntur λαγανάβαζα.

Reſp. ad I. Cardinalis Humbertus minime nos judaizare, dum ſacrificamus in azymis, cum in multis alieni ſimus a carnali Judæorum obſervatione: neque enim e finibus, & domibus noſtris aliquo dierum intervallo fermentum abjicimus; nec ſeptem dies azymorum aliter ac reliquos totius anni obſervamus; nec perit de cœtu noſtro anima illius, qui fermentum comederit; nec a decima die menſis primi uſque ad XIV. ſervamus agnum maſculum & anniculum, quem voremus cum azymis; nec ipſum agnum immolamus ad veſperam; nec ſignamus poſtes amore illius, nec veſcimur lactucis agreſtibus. Addit potius Græcos ipſos judaizare, qui ſemper in ſabbato ſolvunt jejunium, & epulantur, aut potius imitari ſectam Nazaræorum, cum Judæis ſabbatum, & nobiſcum Dominicum diem obſervantes: quod tamen a viro præſtantiſſimo dictum fuit, ut accuſationem accuſatione retunderet. Reſpondet præterea S. Anſelmus in Reſcripto ad Naumburgenſem Epiſcopum Waleramnum cap. 3. *Quod Græci ajunt nos judaizare, non eſt verum: quia non ſacrificamus de azymo, ut legem veterem ſervemus, ſed ut hoc diligentius fiat, & Dominum, qui hoc non judaizando fecit, imitemur. Cum enim facimus aliquid, quod Judæi, ut Judaiſmum ſervarent, faciebant, non judaizamus, quia non propter judaiſmum, ſed propter aliam cauſam hoc facimus: ſi enim in diebus Paſchæ azymum panem aliquis comedat, ſive quia non habet alium, ſive quia illo magis delectatur, quam fermentato; aut ſi quis propter infirmitatem præputium circumcidere cogitur, aut ſi bovi ſuo quis trituranti, ne eſuriat, os non obturat, nullus niſi inſipiens hæc agentem judaizare judicabit. Cum ergo nos panem azymum ſacrificamus, ut per azymi figuram talem Dominum Jeſum fuiſſe ſignificemus, vel ut ipſum panem in corpus ejus, divina operante virtute, ſicut ipſe fecit, ſanctificemus, nequaquam in hoc legis vetuſtatem ſervamus, ſed Evangelii veritatem celebramus*. Plura addit Arcudius lib. III. Concordiæ cap. 6. pag. 148. ex Græcorum moribus petita, & ad eos revincendos aptiſſima, puta quod & Græci aqua utuntur in baptiſmate, etiamſi illam Judæi in purificationibus ſuis adhibuerint, quod Judæorum more teneant ante Sanctuarium velum oppanſum, & conſecrent apponantque fermentatum panem, quo Judæos in pluribus ſacrificiis uſos fuiſſe ſcriptura teſtatur; nec tamen his credant a ſe legalia ſervari. Allatius denique ubi plura ex ipſo Arcudio produxit pag. 1166. hoc argumentum in Græcos cavillatores intorquet: *Quia Judæi ſabbata ſervant, qui ſervat ſabbata Judæum agit; ergo qui ſuffocata non manducat, Judæum agit, cum Judæi ex lege prohibeantur illa comedere: ſed Græci ſuffocata non edunt; ergo judaizant. Extricent ſe, ſi poterunt*.

Alterum argumentum recte dicitur ab Eſtio citata diſt. §. 8. *commentum abſurdum*, ac pleniſſime a Cardinali Humberto diluitur. Enim vero etiam manna, quod erat album, minutum ſicut ſemen coriandri, & quaſi pilo tuſum, guſtuſque ejus quaſi ſimilæ cum melle, auctoritate divina ἄρτος dicitur, in Pſalmo LXXVII. 24. 25. ἄρτον οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος, *Panem cæli dedit eis, panem angelorum manducavit homo*; in Exodo cap. XVI. 15. οὗτος ἐςιν ὁ ἄρτος, ὃν ἔδωκεν ὑμῖν κύριος, *Hic eſt panis, quem dedit vobis Dominus*; & Joannis VI. 31. ἄρτον ἐκ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν, *Panem de cælo dedit eis manducare*. Subcinericios quoque panes, quos apud Abraham & Loth dicuntur Angeli comediſſe, Gen. XVIII. 6. & XIX. 3. Scriptura appellat ἄρτους ἐγκρυφίας, *panes ſubcinericios*; nec non panes propoſitionis, quos ex Levit. II. 5. conſtat fuiſſe *abſque fermento*, Exodi XXV. 30. & Matth. XII. 4. ἄρτους προθέσεως. Inſuper cum Dominus non Græce loqueretur, ſed Syriace, aut Hebraice, non τὸν ἄρτον accepiſſe dicendus eſt, ſed לֶחֶם, *lechem*, quo vocabulo Hebræi tam communem panem ſignificant, quam in locis nuper laudatis manna, ſubcinericias placentulas, ac panes propoſitionis. Quid plura? ipſum *azymum* Moyſes vocavit Deut. XVI. 3. ἄρτον κακώσεως, ſive Hebraice, לֶחֶם עֹנִי *lechem honi*, *panem afflictionis*: Græcuſque Athenæus in tertio Dipnoſophiſtarum de variis panum generibus differens ἄρτους ſingulos nominavit: *paximatia* denique veterum Monachorum, quæ pinſebantur ſemel tantum in anno, & erant panes azymi, ἄρτους, ſeu panes appellant Athanaſius in Vita Antonii, Caſſianus in Collatione ſecunda, quinta, & decima, & in Vita Pauli ſimplicis Palladius. Vide Chriſt. Lupum præcit. diſſert. pag. primæ edit. 683.

In tertio argumento nequaquam immorabimur; nam cur Dominus dicatur *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*, explicavimus lib. XXVII. cap. 7. nec nobis Græci facile demonſtrabunt, cujus generis panes Melchiſedechus obtulerit. Quartum autem urgens Pectoratus ſuam maximam & hiſtoriæ & dogmatum manifeſtam facit ignorantiam. Neque enim aut Agatho Romanus Pontifex, aut Gregorius Epiſcopus Agrigentinus interfuit Trullanæ Synodo; neque in ea improbatus eſt uſus azymi in ſacrificio: immo cum varii Armeniorum ritus damnati fuerint in ea Synodo, nihil actum eſt de azymo, in quo & Armenii ſacrificant. Nam Quiniſextum, ſive Trullanum Concilium celebratum eſt an. 692. ſedente Romano Pontifice Sergio Primo; neque aliud prohibuit, quam ritus, & familiarem cum Judæis convictum, ab illis azyma accipere, cum eis comedere, ad ſe illos in morbis accerſere, medicamenta ab ipſis excipere, ſimulque in balneis lavari: eſt, ut verbo dicam, innovatio canonis inter Apoſtolicos LXX. quem tamen non eſſe Apoſtolicum, recte ex hac ipſa prohibitione demonſtrat Petrus Arcudius lib. III. Concordiæ cap. 6. pag. 147.

PROPOSITIO II. Viguit in Romana Eccleſia ab Apoſtolorum ætate ad hanc uſque perpetuus azymi uſus.

Scimus oppoſitum docere viros eruditione & ſapientia conſpicuos: inter quos omnes fere Scholaſtici in IV. ſentent. aſſerunt utramque Eccleſiam Latinam & Græcam initio adhibuiſſe azymum panem, ſed exorta hæreſi Ebionitarum, qui ſimul cum Evangelio cuſtodiebant Legalia, ad hujus hæreſeos deteſtationem in ſacris myſteriis prælegiſſe fermentum: cui ſententiæ adhærere videntur præſtantiſſimi viri, qui cum Jacobo Sirmondo in diſſert. *de Azymo* tenent per octingentos ſaltem annos conſecratam Euchariſtiam ex communibus fidelium oblationibus, panibuſque fermentatis, nec azymum fuiſſe receptum ante tempora ſchiſmatis Photiani, adeo, ut Michael Cerularius renuntiatus Patriarcha Conſtantinopolitanus an. 1043. poſt decem, vel undecim annos, ideſt an. 1054. ſedente ſancto Leone IX. de receptis azymis Latinam Eccleſiam accuſaverit. Doctiſſimus etiam Cardinalis Bona lib. I. Rer. Liturgic. cap. 23. docet ad ſæculum uſque decimum Latinos promiſcue fermentatum, & azymum adhibuiſſe, deinceps vero obtinuiſſe ritum azymi; cum Græci a priſcis ſæculis ſolo fermentato uſi fuerint. Sed viris aliis præclariſſimis pugnantibus pro antiquo uſu azymi apud Latinos, adhærendum eſſe arbitramur. Sunt hi Franciſcus Macedo in diſquiſitione *de Ritu Azymi*, Joannes Cabaſſutius in *Notitia Eccl.* ſæc. 2. diſſert. 10. Joannes Mabillon in ea, quam inſcripſit *de azymo, & fermentato* cap. 7. & ſequentibus, Chriſtianus Lupus in diſſ. *de S. Leonis IX. actis*, cap. 7. Joannes Ciampinus in Conjecturis *de perpetuo azymorum uſu in Eccleſia Latina*, aliique ab eodem laudati.

Trahunt autem me in hanc ſententiam hæc argumenta. I. Conſuetudinis, cujus ortu non poſſumus demonſtrare principium, præſertim ſi divinitus inſtitutam eſſe noverimus, arceſſere initia debemus ab ipſamet inſtitutione. Quod vero univerſalis apud Latinos conſuetudo conſecrandi *azymum* nata ſit poſt ſchiſma Photianum, nulla certa argumenta demonſtrant, & alia ex parte certum eſt Dominum Jeſum azymum conſecraſſe. Ab hac ergo Dominica inſtitutione univerſalis illa conſuetudo Latinorum eſt repetenda. Hinc Græcis novitatem objicientibus reſpondit S. Leo IX. Epiſt. I. cap. 5. *Ecce jam poſt mille ac ferme viginti a Paſſione Salvatoris noſtri annos incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria Paſſionis ſit recolenda*: & Cardinalis Humbertus, *Veſtra duplicitas ſuo fermento contenta Romanæ & Latinæ ſimplicitati azymum extorquere nequit*; & infra, *Prima ſcilicet Eccleſia ad hæc moderna tempora, ſicut ab Apoſtolis accepit, fideliter retinuit*. Ac ſanctus Gregorius VII. epiſtola I. lib. VII. hortatur Armenios *azymum* nobiſcum conſecrantes, ut de *temeraria* Græcorum *garrulitate* multum mirentur. Et Innocentius III. de Myſt. Miſſæ lib. IV. cap. 2. inquit: *Ab ipſis ergo beatis Apoſtolis Petro & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos cuſtodit, hunc ſacrificii ritum accepit* Romana Eccleſia, *quem hactenus inviolabili cultu ſervavit*. II. Etſi non aperte, ſatis tamen indicat uſum azymi Tertullianus, dum lib. 2. ad Uxorem cap. 5. illam ad occultam Euchariſtiæ ſumptionem exhortans ait: *Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes; & ſi ſciverit panem, non illum credet eſſe qui dicitur?* Qui ſane locus pertinet ad azymum; nam ſi maritus vidiſſet uxorem manducantem panem uſualem ante omnem cibum, nil ſiniſtrum fuiſſet ſuſpicatus. Revincitur ergo Juenin, qui q. 2. art. 4. §., profert hunc Tertulliani librum ad comprobandum uſum fermenti. Etiam Epiphanius Hær. 30. de Ebionæis ſcribit: Μυστήρια δὲ τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου, ideſt, *Myſteria vero perficiunt ex imitatione Sanctorum qui ſunt in Eccleſia quotannis in azymis: alteram autem myſterii partem in aqua ſolum*. Ex quo teſtimonio inferunt

Digitized by Google

ſerùnt quidem nonnulli Epiphanium notaſſe Ebionæos, quod celebrarent in azymis; ſed longe melius ratiocinatur doctiſſimus Mabillonius pag. 127. ad hunc modum: *Epiphanius probare videtur Ebionæos in eo, quod ſacrificium offerebant quotannis in azymis ex imitatione Eccleſiæ ſaltem Latinæ: eos vero hoc tantum nomine arguit iſto loco, quod pro aliqua ſacrificii parte aquam ſolam adhiberent. Ergo eo tempore Eccleſia e pane azymo ſacrificium conficiebat.* Utitur eodem argumento Franciſcus Macedo pag. 24. atque ante iſtos ſcripſerat Gabriel Vaſquez diſput. 174. cap. 1. *Conſtat ex Epiphanio, antiquitus tempore Ebionitarum etiam Eccleſiam Græcam in azymis conſecrare conſueviſſe.* III. Cum antiqui Patres ea, quibus conſtant ſacra *myſteria*, ſingillatim exponerent, nullibi meminerunt *fermenti*, ſed farinæ tantum & aquæ, ut tertio ſæculo Cyprianus Epiſt. ad Cæcilium, quarto ſæculo Gaudentius Epiſcopus Brixienſis Tract. 2. de Paſchæ obſervatione, & ſæculo quinto S. P. Auguſtinus ſerm. 227. & 229. editionis poſtremæ. Etſi autem argumentum iſtud negativum eſt, nihilominus cum hi Patres farinam commemorent, aquam, conſperſionem, maſſam, & ignem quoque, cujus calore coquitur panis, & harum rerum ſymbola exponant; inveriſimile eſt *fermentum* ſilentio fuiſſe prætermiſſuros, ſi & iſtud in conficiendo pane Euchariſtico fuiſſet adhibitum. IV. Idem evincitur ex forma, & qualitate ſacrarum *hoſtiarum*, quas olim factas ex azymis aperte demonſtratur ex illarum exilitate, figura, formaque impreſſa ferro *characterata*; & quarum vetuſtas imagines exhibent nobis viri de litteraria Republica optime meriti, prælaudatus Mabillonius cap. 8. Martenius lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus, cap. 3. art. 7. & Harduinus Embolo 2. At de his proxima quarta propoſitione. V. Falſiſſimum eſt, quod ajunt adverſarii, *azymum* poſt decimum duntaxat ſæculum obtinuiſſe. Primo enim, ſi id verum foret, numquam Leo IX. natus eodem ſæculo, & circa medium undecimi ſcribens, neque Humbertus Cardinalis doctiſſimus auſus eſſet repetere ab Eccleſiæ primordiis natam ætate ſua conſuetudinem: unde perperam conantur adverſarii horum elevare auctoritatem quod juniores ſint; licet namque tales dici queant, ſi conferantur cum temporibus Apoſtolicis, recentiores tamen non ſunt reſpectu ſæculi x. quo contendunt plerique azymum invaluiſſe. Extant præterea apud S. Thomam 3. p. q. 74. art. 4. hæc Magni Gregorii verba: *Romana Eccleſia offert azymos panes, propterea quod Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit carnem.* Verum fatemur hæc modo inter Gregorii opera non reperiri; quamvis eo loci, & in IV. contra Gentiles, nec non in Opuſculo contra errores Græcorum producantur a Sancto Thoma, eaque urgeat Gennadius Scholarius, qui floruit tempore Florentini Concilii, in ejuſdem Concilii defenſione cap. 2. ſect. 8. In vetuſtiſſima quoque Miſſa, quam Walafridus Strabo in lib. de Rebus Eccleſiaſticis cap. 22. ſcribit e S. Ambroſio ordinatam, atque diſpoſitam, ubi exprimuntur oblationes, legitur, *Oblationes panis azymi cum patena.* Vide Joannem Ciampinum de Azymo & Ferm. cap. 3. pag. 46. In uſum denique fuiſſe azymum ante Photii diſcidium invicte probant Chriſtianus Lupus tom. 3. pag. 689. & Mabillonius cap. IX. teſtimoniis Alcuini, & Rabani. Alcuinus enim, qui obiit ſæculo IX. ineunte epiſt. 69. ad Lugdunenſem Eccleſiam, *Panis*, inquit, *qui in corpus Chriſti conſecratur, abſque fermento ullius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus, & aqua abſque omni ſorde mundiſſima, & vinum abſque omni commixtione alterius liquoris, niſi aquæ, purgatiſſimum. Igitur aqua utrique conveniat. Ex aqua & farina panis fit, qui conſecratur in corpus Chriſti.* Et Rabanus, qui e vita migravit biennio ante Photium intruſum, ideſt, anno 856. lib. 1. de Inſtitut. Clericorum cap. 31. ait: *Panem infermentatum & vinum aqua mixtum in ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti ſanctificari oportet.* Apertiſſimis itaque teſtimoniis conſtat azymos invaluiſſe ante Photianum diſſidium. VI. Poſtremo ſi aliter ſe res haberet, nec potuiſſent Leo IX. & Humbertus opponere Michaeli Cerulario antiquiſſimam Romanæ Eccleſiæ traditionem; immo jure objeciſſent ſchiſmatici, Latinos a veterum more deſciſcere, ſe autem ſequi exempla majorum: ideoque ſententia eorum, qui repetunt a decimo ſæculo uſum azymi, non tantum eſt falſa, verum etiam videtur addere follem, atque incitabulum Græcorum garrulitati.

Plura opponuntur ab adverſariis, quorum præcipua hæc ſunt. I. Conſecrabatur olim Euchariſtia ex oblationibus populi, & quod ſupererat, diſtribuebatur viduis, ac pauperibus. Illæ ergo oblationes erant e panibus uſualibus & fermentatis. II. Idem videtur innuere libro 2. ad Uxorem Tertullianus. Epiphanius vero morem conſecrandi *azyma* h. 30. adſcribit Ebionæis. Ex Dialogis etiam Gregorii Magni colligi conſecrationem *Fermenti*, ſcribunt in Commentario de Sancta commun. Georgius Corcyrenſium Metropolita, & libro de Miſſa, & templo Simeon Theſſalonicenſium Archiepiſcopus. III. Ambroſius lib. IV. de Sacram. cap. 4. num. 14. panem Euchariſticum appellat *panem uſitatum*, ideoque confectum fermento. IV. Photius non objecit Latinis quod azyma conſecrarent; eo ergo temporis utraque Eccleſia, Latina, & Græca in ſacris myſteriis fermentato utebatur. V. Ex Melchiadis denique, Siricii, & Innocentii decretis apparet oblationes conſecratas, quæ ad Titulos & Eccleſias deferebantur, dictas fuiſſe *Fermentum*, certe non ob aliam cauſam, niſi quod ex pane fermentato fiebant.

Reſp. ad I. evaneſcere difficultatem omnem, ſi diſtinguantur duæ oblationes olim in Miſſa factæ, una ante Evangelium, in qua offerebantur panis, vinum, & quodcunque aliud in ſupplementum Sacerdotum, & egenorum; altera lecto jam Evangelio, in qua offerebantur panis & vinum ad conſecrationem, & ex qua ſi quid ſupererat, ab Archidiacono tradebatur ſervandum cuſtodi, ut deſerviret privatis aliorum dierum ſacrificiis. Primam oblationem fuiſſe panis fermentati concedimus: alteram fuiſſe ejuſdem panis negamus. Hanc enim oblationem fuiſſe azymorum colligimus ex antiquiſſima Miſſa Ambroſiana, & ex more, qui etiamnum a prima inſtitutione Mediolani ſervatur, ut viri, & matronæ, quas *Veglones*, & *Veglmiſſas* appellant, inſtante oblationis tempore, offerant Sacerdoti, tum vaſculo vini, ſacrificii materiam panes azymos. Atque id confirmatur ex dicendis infra *de Hoſtiis*, Videſis tamen Parergon Franciſci Macedo *de Oblatis ad Altare*, pag. 88. Mabillonium cit. diſſert. pag. 119. Martenium libro 1. pag. 309. &c. Secundum vero argumentum nullius momenti eſt; ſiquidem ex Tertulliano, & Epiphanio potius ſententia noſtra confirmatur: & Gregorius nihil ait in Dialogis quod juvet ſententiam oppoſitam; immo plura tradit ſanctus Doctor, quæ noſtram confirmant, Hom. 22. in Evang. num. 8. ubi exponens Euchariſtiæ myſteria ait illum comedere panes ſine fermento, qui eſt *ſine admixtione peccati*, quamvis ibi allegoricum ſenſum tradit, non litteralem. Mitto, quæ paullo ſupra dicta ſunt de teſtimonio quodam Gregorii producto a S. Thoma Aquinate, & a Gennadio Scholario. Obſervat præterea eximius Lupus cit. diſſert. cap. 8. Armenios a S. Romana Eccleſia, atque a Magno Gregorio accepiſſe *Azymum, Mitram Epiſcopalem, & modum ſignandi cruce*, ut ad Haytonem Cœnobitam ſcribit Gregorius Siſenſis Armeniorum Patriarcha. Quod ſequitur tertio loco, facile expeditur, nam Ambroſius appellat azymum ante conſecrationem *panem uſitatum*, quatenus opponitur conſecrato: quo ſenſu etiam Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 3. de Spiritus ſancti operibus cap. 21. panem azymum a Domino in ultima cœna conſecratum vocat *panem communem*. Illa inſuper verba, *Tu forte dicis, Meus panis eſt uſitatus*, demonſtrant apud Ambroſium admirationem Neophyti primo ſacra myſteria adſpicientis, unde liquido apparet nihil ea facere ad quæſtionem, in qua verſamur, ut adnotarunt Benedictini tom. 2. pag. 367. At Photius, ut ad objectionem IV. veniamus, ideo nullam de azymis litem movit, quoniam id judicavit eſſe diſſimulandum propterea quod azymum ex facto Chriſti Domini haberet auctoritatem. Ita reſpondet Mabillonius Præfat. 1. in ſec. III. Benedict. num. 74. nam ipſe Photius in Biblioth. cod. 116. ſcripſerat tuata Chryſoſtomum & Eccleſiam univerſam Chriſtum peregiſſe legale Paſcha ſecundum legis præſcriptum, ideoque in azymo conſecraſſe: quod & a nobis obſervatum ſupra cap. 1. prop. 3. Addunt viri eruditi nec Photium vitio tribuiſſe Latinis tonſuram capitis, unicam aquæ infuſionem in baptiſmo, ritum ac dilationem Confirmationis, & alia plura, in quibus Latini diſcrepant a Græcis: non potuiſſe demum id Photium objectare, qui Epiſtola 64. ſcripſerat ſuſtinendam eſſe abſque reprehenſione in variis Eccleſiis, ἀνεγορίαν, καὶ ἀσυμφώνητα ἐν ταῖς μυστικαῖς θυσίαις, *differentiam ac diſſimilitudinem in myſticis ſacrificiis*. Ceterum, ut ſupra dictum eſt, comprobatur uſus azymi teſtimonio Scriptorum, qui originem Photiani ſchiſmatis præceſſerunt.

PROP. III. *Fermentum*, quod olim ad Titulos, ſeu ad Eccleſias dirigebatur, erat Euchariſtia pane azymo conſecrata.

Ultima objectio præcedentis propoſitionis ſolvi poterat reſpondendo *Fermentum* ad Titulos tranſmiſſum fuiſſe Eulogias, non Euchariſtiam, & conſequenter nihil hinc inferri adverſus azymi antiquum uſum. Id enim de Fermento illo ſenſerunt Baronius ad An. 316. n. 49. Severinus Binius in notis ad Decret. Melchiadis, & ad Epiſtolam Innocentii I. ad Decentium, Franc. Macedo diſquiſ. de Ritu azymi cap. XI. Joannes Cabaſſut. diſſert. 12. ſæculi 2. aliique bene multi: ſed veritati magis conſona eſt ſententia doctiſſimorum virorum, qui *Fermentum* illud interpretantur Euchariſtiam, inter quos Antonius Auguſtinus in Epiſtola ad Latinum Latinium, ubi ter Lupus cit. diſſert. cap. IX. q. 4. Cardinalis Thomaſius diſ. de hoc argumento, Mabillonius cap. 10. Joannes Ciampinus in Conjecturis de Azymo cap. 7. Scheleſtratius de Diſciplina Arcani art. 5. Bencinus in notis ad Anaſtaſium, & alii, qui de hoc argumento accurate tractarunt; & quorum ſententiam certam, & inconcuſſam arbitratur Not. CXV. in Dominicam Palm. & CCCXXVI. de Sacriſ. Miſſæ BENEDICTUS XIV. His accedo, primum quia de Melchiade in libro Pontificali legimus: *Hic fecit, ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur*

Fer-

Fermentum: quibus verbis aperte innuitur, non quamcumque oblationem ad Eccleſias fuiſſa directam, ſed partem ejus, quam Epiſcopus conſecraverat; quod ex priſtina diſciplina a Melchiade circa annum 312. quo tempore Manichæi in Urbe inventi ſunt, iterum præſcriptum fuit, ut eadem participatione *Sacramenti* plebs Chriſtiana cum presbyteris, atque hi cum Romano Pontifice cuſtodirent fidei unitatem. II. Idem ſtatuit ex eodem libro ſanctus Siricius ad Pontificatum evectus ineunte anno 385. cum rurſus Manichæi laniarent in urbe. *Hic conſtituit*, inquit Anaſtaſius, *ut nullus presbyter Miſſas celebraret per hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur Fermentum*. Quo item in loco non poſſumus, niſi improprie & coacte *Conſecratum Epiſcopi* interpretari Eulogias. III. Tertium non leve depromitur argumentum ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Acolytho Tarſicio, qui hoc Fermentum ad Titulos deferens ſedente Stephano primo, & a paganis inventus, cum nollet eis *Sancta* prodere, ſubiit glorioſum martyrium, ut legitur in Actis Stephani apud Baronium ad an. 259. & 260. n. 5. Tarſicium vero non portaſſe Eulogias, ſed Euchariſtiam conſtat ax iiſdem Actibus, in quibus iſta leguntur: *Invenerunt milites paganorum acolythum nomine Terſicium, Chriſti corporis ſacramenta portantem. Diſcentientibus quid gereret, ille indignum judicens porcis prodere margaritas, nequaquam voluit detegere ſecroſaacta myſteria: qui eum tundis fuſtibus & lapidibus mactaverunt, quouſque ſpiritum exhalaret; revolutoque ejus corpore, nihil valuerunt de ſecris myſteriis invenire*. Similia leguntur in Romano Martyrologio die xiv. Auguſti, eidemque Tarſicio S. Damaſus hos verſus inſculpſit:

Terſicium ſanctum Chriſti ſacramenta ferentem
Cum maleſana manus peteret vulgare profanis,
Ipſe animam potius voluit dimittere cæſus,
Prodere quam canibus rabidis cæleſtia membra.

Vide Acta Sanctorum tom. 3. Auguſti pag. 201. In his non habetur quidem quod deferretur ad Titulos *Fermentum*: ſed habetur tamen quod deferebatur Euchariſtia; ideoque Euchariſtia erat *Conſecratum Epiſcopi*, quod nominabatur *Fermentum*, ac deferebatur ad Titulos. IV. Idem probatur ex Epiſtola S. Innocentii Primi ad Decentium, cap. 5. ubi hæc ſcribit: *De Fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intra civitatem ſint conſtitutæ: quarum presbyteri, quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco Fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione maxime illa die non judicent ſeparatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda ſunt Sacramenta: nec nos per cœmeteria conſtitutis presbyteris deſtinamus; & presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam*. Quibus ſane verbis videtur mihi non uno ex capite demonſtrari quod *Fermentum* iſtud ſit Euchariſtia: primum, quia dicitur *Sacramentum* ab Epiſcopo, & a presbyteris *confectum*: quod utique quid plus notat, quam benedictionem Eulogiarum. Deinde quia ait Innocentius *non longe portanda Sacramenta*, nimirum ne profanentur, & ne veniant in paganorum manus: quod de ſimplici Eulogia non adeo cavendum erat. Præterea quia *Fermentum* mittebatur in teſſeram communionis presbyterorum cum Romano Pontifice: conſuetum autem erat hanc ob rem non Eulogias tantum mittere, ſed & Euchariſtiam, ut ex ſecunda (aliis prima) Apologia Juſtini, ex Epiſtola S. Irenæi ad Victorem, & ex monimentis aliis probat illuſtris Lupus tom 3. in Conc. pag. 702. & poſt Lupum Emmanuel a Schelestrate de Diſciplina Arcani pag. 137. Mabillon. in diſſert. de Azymo pag. 133. aliique præſtantes viri. V. *Fermentum*, quod ſabbato ante Dominicam Palmarum diſtribuebatur *in Conſiſtorio Lateranenſi*, ut habetur in antiquo Kalendario Romano edito a Joanne Frontonio, eſt Euchariſtia tranſmiſſa ad Epiſcopos ſuburbicarios, ad hoc, ut ſaltem recurrente Paſchate ſuam cum Romano Pontifice communionem profiterentur, participantes de uno, eodemque myſterio; ut apud Ciampinum de Azymo pag. 214. docet vir pietate, & eruditione clariſſimus Cardinalis Joſeph Maria Thomaſius, cujus doctrinam amplectuntur Ciampinus idem, & præcit. Nota cxv. in Dominicam Palm. ſummus Eccleſiæ Paſtor BENEDICTUS. Idem ergo aſſerendum eſt de Fermento ad Eccleſias Conſtitutione Melchiadis, & Siricii, tranſmiſſo. VI. Nequit hæc ſententia labefactari, ut quidam putant, canone xiv. Concilii Laodiceni, περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι, *Ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto Paſchæ ad alias Parochias tranſmittantur*. Immo hoc canone ſententia noſtra confirmatur, quoniam in illo *Sancta* ab Eulogiis diſtinguuntur; & decernitur ne *Fermentum*, ſive Euchariſtia, quæ *Sanctum Domini* dicitur a Græcis, Latiniſque Patribus, ad foreuſes Eccleſias tranſmittatur, quemadmodum deferebatur ad Eccleſias conſtitutas in urbe, ſed ad longinquas mittantur dumtaxat Eulogiæ, prout etiam Innocentius I. ſancivit: quare ſubſcribendum eſt Chriſtiano Lupo, qui citato Volum. 3. pag. 710. cenſet Canonem Laodicenſem omnino agere de Euchariſtia.

Ex his vero nemo inferet, Eccleſiam Latinam conſecraſſe olim Fermentatum. *Quid enim*, ut verbis utar Cardinalis Thomaſii, *opus erat dicere hujuſmodi oblationem a Pontifice conſecratum declarari, aut nominari Fermentum; ſi eam ob cauſam ita appellaretur, propterea quod fermentata eſſet?* Præterea inter *Fermentum*, & *Fermentatum* multum eſt diſcriminis; ideoque hinc perperam viri, alioqui perſpicaciſſimi, argumenta deſumunt aut pro uſu Fermentati in Eccleſia Romana, aut pro relegando *Fermento* ad Eulogias. Inſuper aptiſſimum eſt *Fermenti* nomen ad ſignificandam Euchariſtiam, tametſi confectam in azymo; quoniam ſicut fermentum farinæ commixtum totam conglutinat, ita Euchariſtia unitionis & communionis Eccleſiarum eſt vinculum, ut ſcribit Petrus Coullant in Epiſtolis Rom. Pontif. tom. 1. pag. 859. BENEDICTUS XIV. citato in loco, Lupus pag. 712. & alii multi. Rurſus per id temporis, quo ſcriptus eſt *Ordo Romanus*, Latina Eccleſia utebatur pane azymo, & nihilominus in illo præſcribitur, ut *Fermenti particula* mittatur in calicem ab Epiſcopo, vel a presbytero, abſente ſummo Pontifice. *Fermentum* itaque illud erat azymum. Tandem inveriſimile non eſt, hoc nomine appellatam Euchariſtiam, ut obſcuriori vocabulo hoc myſterium profanis occultaretur, quemadmodum arbitrantur præſtantiſſimi viri, Schelſtratenus de diſciplina arcani art. 5. & Mabillon de Azymo cap. 10. Concludamus ergo, nullum argumentum deſumi adverſus azymum ex Melchiadis & Siricii decretis, quamquam in iis ſit ſermo de Euchariſtia, eiſque vim maximam ineſſe crediderint cum Eminentiſſimo Cardinali Bona viri alii clariſſimi: atque ante hos omnes ſupra commemoratos, Nicetas Archiepiſcopus Nicomedienſis, qui cum Anſelmo Epiſcopo Havelbergenſi & Legato Lotharii ad Joannem Comnenum Imperatorem acerrime in Abſida ſanctæ Sophiæ diſceptavit. Quamobrem ejuſdem argumenti nullam rationem habendam eſſe judicavit Jacobus Sirmondus; cujus capite v. diſquiſit. de Azymo hæc ſunt verba: *Quid hoc tandem ad nos, ſi Euchariſtiam hic conſtet Fermentum ex eo dictam, non quod ex pane eſſet fermentato, ſed quod ipſa quocumque ex pane fieret, Eccleſiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem præſtaret, eiſque unionis inter ſe vinculum eſſet, ſicut fermentum maſſæ, cui commiſcetur?* Et infra: *Manet igitur quod principio inſtitueramus, oblationes conſecratas in decreto Melchiadis ſacram Euchariſtiam intelligi, non Eulogias*. Vide tom. v. edit. Regiæ Pariſ. pag. 526.

PROP. IV. Azymi panes in Euchariſtia conſecrandi debent eſſe exiles, & figura rotundi, ex antiqua Eccleſiæ diſciplina.

De figura extat teſtimonium S. Epiphanii, qui in Anchorato num. 57. docens poſſe panem eſſe corporis Chriſti ſymbolum etiam ſi figuræ ſit circularis, ait: τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδές, ſcilicet, *Hoc enim eſt rotundæ formæ*: quem locum fruſtra cum Novantibus aliis elevat Voſſius diſp. xix. th. 2. propterea quod στρογγυλοειδὲς notet illud, quod teretis & oblongæ figuræ eſt, non circularis; utrumque enim ſignificat, cum idem ſit apud Græcos, ac στρογγύλος, ſive *rotundus*, aut *tortuoſus*. At inquiunt, Mirus eſt hominum ſtupor adducere pro figura hoſtiarum Patrem Græcum, cum nihil certius ſit, quam Græcos urgere neceſſitatem panis fermentati. Verum primo improbabile non eſt, ætate Epiphanii etiam Græcorum Eccleſias, a quas ſaltem, azymum adhibuiſſe, ut liquet ex præcit. Epiphanii hær. xxx. Ebionæorum. Deinde falſum eſt Græcos numquam adhibere panes circularis figuræ: ſcribit enim Gabriel Philadelphienſis in Apolog. pro Eccleſ. Orient. de pane Euchariſtico, *Is panis præſefert ſigillum figura circularis, vel quadrangula cum hac inſcriptione, Jeſus Chriſtus vincit*; ὃς ἐν κυκλοτερεῖ σφραγῖδα σχήματι κύκλῳ, ἢ τετραγώνῳ ἔχει σὺν ταῖς Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ γράμμασι. Ubi etiam Philadelphienſis notat in *circulari* figura ſignificari divinitatem, in *quadrangula* autem quatuor mundi partes, quibus Chriſtus ſalutem attulit. II. Gregorius Magnus lib. iv. Dialog. cap. 55. inquit de quodam presbytero Diœceſis Centumcellenſis, *Duas ſecum oblationum coronas detulit*, ubi Editores Benedictini tom. 2. pag. 467. hanc notulam appoſuere, *Videntur fuiſſe panes rotundi in modum placentæ*. III. Cæſarius frater Nazianzeni Dialogo 3. de fide Catholica num. 169. comparans corpus Chriſti, dum inter nos degeret, cum eodem in Sacramento, *Illud*, inquit, *eſt artubus compoſitum, hoc rotundum*: quod accipiendum eſt de exteriori ſpecierum panis apparentia. IV. Cum olim ſacerdotes ſepelirentur cum rebus illis, quibus in peragendo ſacro ſolebant uti, in ſepulcro ſancti Otmari inventas fuiſſe *panis rotulas, quæ vulgo oblatæ dicuntur*, narrat in ejus Vita Iſo Monachus apud Cl. Mabillonium præf. 1. in ſæculum iii. Benedict. Id vir eximius confirmari ait perantiquis picturis. V. Hoſtias rotunda & circulari figura repræſentant quoque imagines ex vetuſtis Codicibus deſcriptæ, non Latinorum tantum, verum etiam Syrorum, Alexandrinorum, atque Græcorum, ut diximus, licet ibi conſererent quoque panes quadratæ figuræ, apud Jacobum Sirmondum diſquiſ. de Azymo cap. 4. & Edmundum Martenium lib. 1. de Antiq. Eccleſ. ritibus cap. 3. art. 7. Quibus addo Franciſcum Alvarez narrantem de Peregrinat.

Æthiop.

Digitized by Google

Æthiop. cap. 12. etiam modum, quo apud Æthiopes hoſtiæ circularis figuræ parantur, & Sollerium exhibentem in Append. ad Patriarch. Alexand. num. 201. effigiatam hoſtiam Coptorum Jacobitarum. VI. Hanc eamdem hoſtiarum figuram confirmat revelatio ſancti Eldefonſi Archiepiſcopi Toletani habita anno 845. de qua paullo infra, Ernulfus Roffenſis Epiſcopus, qui obiit anno 1124. epiſt. ad Lambertum, aliique permulti, laudati a Sirmondo, Martenio, & Mabillonio citatis in locis, nec non ab Eminentiſſimo Joanne Bona lib. 1. de rebus Liturg. cap. 23. & e recentiorum compluribus. Honorius demum Auguſtodunenſis in Gemma Animæ cap. 66. & ex eo Durandus in Rationali lib. IV. cap. 41. ſcribunt hoſtias *in modum denarii* formandas, tum quia Panis vitæ pro denariis traditus eſt, tum quia idem denarius in vinea laborantibus præmium erit.

Hoſtias autem exiles tenueſque formandas primum conſtat ex antiquis picturis nuperrime commemoratis, ac præſertim ex Revelatione Eldefonſi. Hanc optabat maxime ut in lucem prodiret Chriſtianus Lupus pag. 699. idque nos acceptum ferimus Mabillonio, qui eam publici juris fecit cum diſſertatione de Azymo an. 1673. Apparet in ea Revelatione, Sacerdotum majores hoſtias, communicantium minores eſſe; una ferri impreſſione formatas hoſtias quinque, majorem unam, quatuor vero minores, & ex una farinæ libra centum majores hoſtias confici potuiſſe. II. Uldaricus in 3. libro Conſuetudinum Cluniacenſium, cap. 13. ſcribit in ferramento, quod *characteracum* appellat, ſimul hoſtias ſex confici, quod earum exilitatis eſt pariter argumentum. Floruit Uldaricus ſeculo undecimo. Eadem ratione oblatas impreſſas & decoctas ferro, narrat in libro de miraculis ſancti Wandregeſili Abbatis, cap. 29. Monachus Anonymus, qui ſæculo vixit nono: ex quibus ſimul & panis azymi quantitas, & figura probatur. III. Synodus Toletana XVI. celebrata anno Chriſti 693. canone 7. adverſus quoſdam, qui conſecrabant rotundam panis cruſtulam, ſic ſtatuit: *Temeritatis hujus, aut neſcientiæ cupientes terminum ponere, id unitatis noſtræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini ſacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer, & nitidus, qui ex ſtudio fuerit praeparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat*. Concludamus igitur cum Raymundo in Summa:

Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda
Expers fermenti, non ſalſa, ſit hoſtia Chriſti.

PROP. V. Licet incertum ſit a quo tempore invaluerit apud Græcos fermentati uſus, videtur tamen obtinuiſſe ante exortum ſchiſma Photianum.

Non conſentiunt Scriptores circa tempus, quo primum cœperunt Græci in re ſacra adhibere panem fermentatum. Nam Innoc. III. lib. IV. de myſteriis Miſſæ cap. 4. ſcribit Græcos ſacrificii ritum temere mutaſſe, *poſtquam tunicam Domini inconſutilem diviſerunt*, nec aliter ſentit Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Hiſtoria Occidentalis Eccleſ. cap. 38. Alex. autem de Ales, S. Thomas, Scotus, aliique veteres Scholaſtici in IV. ſent. nec non Cardinalis Hoſius in libro de Expreſſo Dei verbo, & Eſtius diſt. VIII. §. 8. cenſent inductum Fermentatum occaſione Ebionæorum tam in Græca Eccleſia, quam in Latina; & hæreſi illa ceſſante Latinos ad morem priſtinum rediiſſe, Græcos autem perſtitiſſe in recepta conſuetudine: quod utique, quantum ad Latinos ſpectat, falſum evincitur ex propoſit. 2. Gregorius Siſenſis Orthodoxus Patriarcha Armeniorum, apud Lupum citata diſſert. de Actis S. Leonis IX. cap. 10. ita Apoſtolos interdum azymum, interdum vero fermentatum conſecraſſe, pro loci, ac temporis opportunitate, atque hinc derivatum utriuſque Eccleſiæ diſcrimen: id vero cenſet eſſe probabile idem Lupus Volum. III. pag. 716. Franciſcus Macedo, & Gabriel Vaſquez ex verbis Epiphanii productis prop. 2. inferunt Græcos ante exortam hæreſim Ebionæorum conſecraſſe azymum, quæ ſententia cohæret cum pervulgata Scholaſticorum: et poteſt Epiphanius accipi *de Eccleſia tantum Latina*, ut ſupra animadvertimus cum Mabillonio, ubi etiam diximus eos decipi, qui ex Epiphanio inferunt antiquum uſum fermentati. Demum recentiorum permulti putant Eccleſias omnes Orientales per ſex priora ſæcula conſecraſſe *fermentatum*, quod probant ex oblationibus fidelium, & ex Patribus, qui panem Euchariſticum appellant *communem, & uſitatum*: quæ utique argumenta eſſe infirmiſſima conſtat ex dictis, atque ex eo quod nonnullæ etiam per Orientem Eccleſiæ a priori inſtitutione conſecrent azymum, prout oſtendam proximo capite.

Cum itaque omnes hæ opiniones pugnent invicem, nec ulla certis momentis innixa ſit; hoc unum ſtatuo, antiquiorem eſſe Græcarum Eccleſiarum conſuetudinem ſchiſmate Photiano. Quod aſſero primum, quia S. Leo IX. & Cardinalis Humbertus pugnarunt quidem pro vetuſta Romanæ Eccleſiæ conſuetudine, ſed nunquam objecerunt Græcis uſurpatum ab ipſis fermentatum panem occaſione diſſidii paullo ante exorti ſub Photio Sedis Conſtantinopolitanæ invaſore: quod objeciſſent utique opponentibus ex adverſo Judaiſmum, defectionemque ab Apoſtolicis inſtitutionibus, ſi hujuſce novitatis manifeſta habuiſſent indicia. Immo Humbertus in reſponſione ad Nicetam innuit anno 680. quo celebrata eſt ſexta Synodus, Græcos alio pane a Latinis uſos fuiſſe, ut dicam poſtea. Deinde conſtat Græcos non minus proclives eſſe ad nova dogmata, quam tenaces in antiquorum rituum obſervatione; in quibus fere a principio Chriſtianæ Religionis diſcrepaſſe ab Eccleſia Latina, tam in controverſia de Paſchate, quam περὶ ἄλλων τινῶν, *in quibuſdam aliis rebus*, ſcribit S. Irenæus apud Euſebium lib. V. Hiſt. Eccl. cap. 24. pag. edit. Valeſii 193. Deinde Datius Mediolanenſis in Chronico, cujus tamen ambigua eſt auctoritas, ſcribit ſanctum Ambroſium in celeberrimis feſtivitatibus, maxime in reſurrectione Domini, imitatum Græcorum Eccleſiam, *fermentatum cum noſtro azymo benedixiſſe*: & longe antea Origenes in cap. XVI. Matthæi ſcripſerat aliquando fermentatum προσφέρεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, *imponi ſuper altare*; quæ tamen duo loca de oblationibus, & Eulogiis populo diſtribuendis arbitror eſſe accipienda. Tandem, quod aſſertionem noſtram certiſſimam eſſe commonſtrat, Joannes Philoponus Alexandrinus, qui vivebat Conſtantinopoli anno 535. ut ad eumdem annum num. 75. & 76. demonſtrat Cardinalis Baronius, nitebatur oſtendere in diſput. de Paſchate, Dominum conſecraſſe in fermentato, argumentatione petita ex more tunc temporis vigente, ſcribens, οὐδὲ ἄζυμον ἄρτον ἀντίτυπον τοῦ ἰδίου σώματος τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς δέδωκεν ὁ Χριστός. ἐγίνετο γὰρ ἂν ἢ μέχρι νῦν: *Neque azymum panem antitypum proprii corporis diſcipulis ſuis dedit Chriſtus; fieret enim id etiam nunc*. Saltem ergo in Eccleſia Conſtantinopolitana, & Alexandrina vigebat uſus *Fermentati* ſexto vertente ſæculo. Adeas Mabillonium diſſert. de Azymo cap. 3. pag. 41.

PROPOS. VI. Valide tam in azymo pane, quam in fermentato conficitur Euchariſtia.

Demonſtratur prima pars ex hactenus diſputatis; primum, quia Chriſtus Dominus revera conſecravit in azymo; deinde quia Eccleſia Latina ſemper ab Apoſtolorum ætate azymi uſum retinuit: ulterius, quoniam panis azymus revera eſt ἄρτος, *panis*, & conſperſio farinæ & aquæ, ut loquuntur Eccleſiæ Patres, & nos ſupra oſtendimus adverſus Græcos: inſuper, quia numquam Græci ante Michaelem Cerularium hac de re Latinam Eccleſiam accuſarunt, immo Photius auctor ſchiſmatis, & fœdifragorum antesignanus ac ductor, epiſt. 64. hujuſmodi differentiam minime reprobat in myſticis ſacrificiis.

Altera pars probatur I. ex hac definitione Florentini Concilii in litteris unionis: *Definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti corpus veraciter confici*. II. Nec Leo IX. nec Humbertus Sanctæ R. E. Cardinalis, neque Latinorum aliquis ſacrificia Græcorum unquam repudiavit, quia e fermentato pane conficiuntur, ſed veritate, & certitate falſas Græcorum calumnias, cauſaſque diſſidiorum prætextas vicerunt. II. S. Gregorii VII. epiſt. 1. libri VIII. hæc ſunt verba, Latinorum omnium conſenſione animoque prolata: *Nos azymum noſtrum inexpugnabili ſecundum Dominum ratione defendentes ipſorum fermentum non reprobamus*. III. Omnes communionis noſtræ Theologi ſubſcribunt beato Thomæ 3. p. q. 74. art. 4. diſtinguenti quid ſit ſacramento *conveniens*, & quid *neceſſarium*: ac *neceſſarium* cenſent, ut panis ſit triticeus *azymus, aut fermentatus*; conveniens vero, ut unuſquiſque ſervet *ritum Eccleſiæ ſuæ*. IV. Sunt communia inter nos ad rem ſacramentariam pertinentia principia, in ſubſtantia *materiæ* Eccleſias convenire ſingulas, ac differentiam accidentariam, qualis eſt inter azymum panem, & fermentatum, Sacramenti non tollere veritatem. IV. Tantum abeſt, quod Latini improbent fermentum Græcorum, quin Pius V. Conſtitut. *Providentia Romani Pontificis*, edita anno 1566. inhibuit, *ne deinceps presbyteri Græci præcipue uxorati Latino more, & Latini Græco ritu Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrare facere præſumant*. Quod pariter prohibuit BENEDICTUS XIV. Conſt. *Etſi Paſtoralis* emanata ſuperiori anno 1742. in qua omnia decreta Clementis VIII. Innocentii IV. Pii IV. aliorumque Romanorum Pontificum *ſuper Græcorum Ritibus*, apte inveniuntur diſpoſita, dilucide explicata, iterumque ſupremo judicio definita. V. Demum in Profeſſione Orthodoxæ Fidei a Græcis facienda, & Græce ac Latine edita juſſu Gregorii XIII. legitur: Ἔτι ἐν ἀζύμῳ ἢ ἐνζύμῳ ἄρτῳ σιτίνῳ τὸ τοῦ Χριστοῦ σῶμα τελεῖσθαι ἀληθῶς, τούς τε ἱερεῖς ἐν θυσιαστηρίῳ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου τελεῖν ὀφείλειν, ἕκαστον δηλονότι κατὰ τὴν τῆς ἰδίας ἐκκλησίας, εἴτε δυτικῆς, εἴτε ἀνατολικῆς συνήθειαν: *Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici: Sacerdoteſque in altari ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem*. Finem ergo capiti quarto imponamus cum Emmanuele Cabelia Auguſtinenſi Poeta, ac Theologo, theſi 2. de Euch.

Ardua Romanos inter, Græcoſque movetur
Lis, panibus queis Chriſtus uſus ultima
In cœna fuerit. Romani jure veterna
Volunt adhibitos azymos, Græci negant:

Sed fermentatam pugnant, quod Chriſtus in illo
Dilectionis Epulo, Apoſtolis ſuis
Ad menſam dederit; quapropter ſacrificarit
In pane poſito. Hoc aſſerunt, ſed qui probant?
Novimus, ut Chriſtus veteres ſervaverit uſus,
Judaica donec lex ſepulta non erat.
Hunc tam ſolemni Feſto voluiſſe novare
Ritum veternum? Scandalum quid ſi grave
Diſcipulis, nondum firmatis, forte dediſſet?
Fuit Magiſter cautior, ſuis cavens.
Quicquid id eſt; tolerat binos Eccleſia ritus:
Servet Latinus proprium, Græcus ſuum.

CAPUT V.

Inferuntur ex dictis theſes aliquæ non parvi momenti, atque illæ nova argumentorum acceſſione breviter confirmantur.

EX præmiſſis diſputationibus inferuntur theoremata quædam, quorum primum eſt, *Solus panis triticeus eſt ſacramenti Euchariſtiæ materia*. Ita enim definit præcitata Synodus Florentina: ita quoque demonſtrant Patres omnes, qui docent Euchariſtiam eſſe *panem conſecratum*, panis quippe, quo communiter utuntur homines, eſt *panis triticeus*; nam panes alii introducti ſunt *in hujus panis defectum*, inquit S. Thomas 3. p. q. 73. art. 3. ita innuunt antiquæ hujus ſacramenti figuræ, panes enim *propoſitionis* conficiebantur e *ſimila*, flore ſcilicet farinæ triticeæ, ac media inter ſecundarium & pollinem; Euchariſtiam quoque præfigoatam novimus *in adipe frumenti*, Pſ. lxxx. 17. & *in frumento electorum*, Zacch. 12. 17. Ex uſu denique Eccleſiæ panem duntaxat triticeum conſecrantis theſis iſta corroboratur, præſertim cum conſtet ex Act. III. Concilii Chalcedon. celebrati an. 451. in Lybia incruentum ſacrificium tunc non fuiſſe celebratum, quando Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus emit largiſſimis pecuniis frumentum, deditque operam, ne in Lybiam, ubi propter terræ ariditatem *triticum* omnino non naſcitur, poſſet deferri. Vide tom. III. Concil. pag. 400.

Adverſus hanc tamen theſim poteſt opponi, quod ſcripſit Gabriel, frumentum eſſe omne id, quod emittit ariſtas, ideoque in omni frumenti genere Euchariſtiam valide confici. Atque in gratiam Gabrielis addo, etiam Auguſtinum inſinuare pluribus in locis, quod ſufficiat ad conſecrationem panis frumentaceus: immo, quod ignoro, num aliquis Theologorum hactenus adverterit, *azymus paſchalis* a Judæis conficitur, ubi deſit triticum, ex zea; ideſt, ſpelta, vel hordeo. Vide Rambam *Halerhoth*, tom. 2. Bibl. Rabbin pag. 734. Recte itaque cenſent Scotus, & Paludanus valide ex ſpelta, & farre confici Euchariſtiam, quod & de aliis frumenti generibus tradit Cajetanus. *De ſiligine vero*, inquit Eſtius diſt. VIII. §. 6. *non videtur dubitandum*, cum inter ſiliginem, & triticum mutua ſit, ex Columella, & Plinio, commutatio generationis.

Verum hæc, ut arbitror, nullius ſunt roboris: ſiquidem Florentinum Concilium præſcribens *panem triticeum*, non genera quælibet frumenti, ſed *ſpeciem* unam deſignat. Concedimus ergo quidquid emittit ariſtam *frumentum* dici, far quoque, ſive adoreum, ſiliginem, & hordeum: negamus hæc communi ſignificatione *triticum* appellari. Si enim ad Grammaticalem tantummodo ſenſum confugiamus; etiam *minuta grana in ficis* dicuntur *frumenta*, apud Plinium lib. xv. cap. 19. Auguſtinus vero *frumentum* accipit pro *ſpecie* hujus generis nobiliori; nam in Pſalmum cxlvii. num. 21. panem illum, *qui de cælo deſcendit*, non frumentum utcunque, ſed *frumenti adipem vocat*. In Rambam multa traduntur referta fabulis; quamquam eo loci habetur, conficiendum azymum, ſi fieri poſſit, *ex tritico præſtantiſſimo*. De ſiligine, quam *ſeglam* dicimus, conſentit laudatis Theologis S. Thomas præcit. art. 3. nec ſiliginem accipit *pro ſelecto tritici genere*, ut ſuſpicatur Card. Gotti q. I. dub. 3. num. 5. ibi namque S. Thomas loquitur de ſiligine, *quæ ex grano tritici ſeminato naſcitur in malis terris*. Quare de ſiligine ob tanti Doctoris auctoritatem poteſt quis ad Eſtium accedere: non ita tamen ſentit Angelicus de hordeo, de ſpelta, ac de farre. Immo quia ex definitione Innoc. XI. nefas eſt uti materia tantum *probabili* in ſacramentis conficiendis, nec certum eſt, an ſiligo habeat naturam tritici; arbitramur panem ſiligineum conſecrandum non eſſe; idque docet etiam Eminentiſſimus Gotti citato in loco, ex noſtris Vanroy de Euchar. cap. 2. & alii. His non obſtat quod ſiligo naſcatur e tritici ſemine; nam inde etiam oritur *avena*, a propria natura tritico degenerante: neque Columella ait, dari inter triticum & ſiliginem mutuam generationem, ſed *triticum in ſolo uliginoſo poſt tertiam arationem converti in ſiliginem*, lib. 2. cap. 9. Ceterum ſi accipiatur *ſiligo* pro ſelecto tritico, quo ſenſu Plinius lib. xviii. cap. 7. ſiliginem vocat *tritici delicias*, & de pane Juvenalis Sat. v. ait,

Sed tener, & niveus, mollique ſiligine factus;

non eſt qui dubitet ſiligineo pane valide confici hoc ſacramentum. Theodorum Bezam, Voſſium, & Novatores alios, qui cenſent ad rationem *materiæ* ſacramentalis ſufficere aliquam inter ſignum, & ſignatum analogiam, ideoque recte in Cœna Dominica uſurpari quidquid adhibetur *loco panis*, refutavi libro xxxI. cap. 4.

THESIS II.

Nil, quod non ſpectet ad ſubſtantiam panis triticei, eſt idonea SS. Euchariſtiæ materia. Sequitur ex propoſitione præcedenti, necnon ex generali theoremate, quod nemo mortalium poſſit determinare materiam divinorum myſteriorum. Atque hinc conſequitur primo, quam execranda fuerint ſacrilegia Gnoſticorum, de quibus Epiphanius H. xxvi. num. 4. ſcribit, peracto ſtupro utriuſque maris profluvium cavis manibus excepiſſe, ac ſublatis ſurſum oculis fœdum illud, atque abominabile obtuliſſe cum hoc ſolemni carmine, Ἀναφέρομέν σοι τοῦτο τὸ δῶρον, τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *Offerimus tibi donum iſtud, Chriſti corpus*; & impuriſſimas ſordes deguſtando dixiſſe, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ πάσχα, *Hoc eſt corpus Chriſti, & hoc eſt Paſcha*: eademque impudentia abſorbentes fœdiſſimum ſanguinem menſtrui fluxus hæc pronunciaſſe, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ. Quod ſi mulier gravida facta eſſet, detrahentes ex utero informem fœtum, hunc in mortario projectum tundebant piſtillo, & ad vitandam nauſeam admiſcebant mel, piper, aliaque aromata, atque comminutum corpuſculum digito delibabant: quod proximo num. 5. narrat ipſemet Epiphanius. Eadem impietate Manichæi, quos lib. I. cap. 8. diximus e ſchola Gnoſticorum prodiiſſe, ſumebant Euchariſtiam *conſperſam cum ſemine humano*, ut H. 46. ſcribit Auguſtinus. De Montaniſtis ait idem ſanctus Pater hær. xxvi. ſacramenta habuiſſe funeſta; *nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quaſi Euchariſtiam ſuam conficiebant miſcentes eum farinæ, panemque inde facientes*. Quod negandum non eſt, licet de iis ſcribat Theodoretus lib. III. Hæret. fab. cap. 2. pag. 227. περὶ τῶν μυστηρίων τινὲς μιαρολογοῦσί τινα, ἐκεῖνοι δὲ οὐ συνομολογοῦσιν, ἀλλὰ συκοφαντίαν τὴν κατηγορίαν καλοῦσι, ideſt, *de Myſteriis nonnulli quædam jactant, ſed ipſi non fatentur, & accuſationem illam calumniam vocant*. Primo enim eadem, quæ Auguſtinus, mandarunt litteris Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. xvi. pag. 403. Philaſtrius de Hæreſibus num. 49. pag. novæ edit. 37. atque Ephiphanius hær. 48. num. 14. ubi *Quintillianorum* hæreſim commemorat, de qua etiam Auguſtinus hæreſi 27. Deinde Montaniſtarum non unam fuiſſe ſectam, animadvertimus libro primo ac triceſimo. Præterea etiam Manichæi nefariam myſteriorum ſuorum turpitudinem negabant: illam tamen prodidit puella quædam nomine Margarita, cum eſſet annorum nondum duodecim, ob ſceleſtam ipſorum myſteriorum celebrationem vitiata, ut refert S. P. Auguſtinus præcit. hæreſi 46. Non eſt ergo, cur de nefariis Montaniſtarum myſteriis propter citata Theodoreti verba hæſitemus. II. Ad hæc conſequitur, ineptiſſime *Artotyritas*, aliud hæreticorum genus, in celebrandis myſteriis caſeum cum pane adhibuiſſe: de quorum deliramento agunt Epiphanius hæreſi 49. num. 2. Philaſtrius hæreſi 74. Auguſtinus hær. 28. Artotyritas ita appellatos ἀπὸ ἄρτου *a pane*, & τυροῦ *caſeo*, damnatos invenio canone 24. Concilii III. Carthagin. celebrati anno 397. & expreſſo nomine act. XI. Concilii III. Conſtantinopolit. an. 680. Exortam Artotyritarum hæreſim ſcribit Auguſtinus, quod hujus ſectæ homines dicerent, *a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuiſſe celebratas*. Timotheus presbyter, ut poſt Coteleriurn adnotavit vir eruditus ad Philaſtrium pag. 52. ait Artotyritas deſcendere a Marcioniſtis, & in ſacra Cœna adhibere *farinam lacte, non aqua ſubactam*. III. Sequitur tertio, nil ratione divinorum myſteriorum offerendum eſſe præter panem, vinumque conſecranda; tametſi non improbentur oblationes ad ſacrificii condecentiam, ac altarium, templorumque ornatum, & ad pauperum ſubſidia pertinentes: qua de re legi poterunt canon tertius inter Apoſtolicos, quinquageſimus ſeptimus Trullanæ Synodi, triceſimus ſeptimus in Codice Eccleſiæ Africanæ, aliique apud eximium Lupum tom. 2. pag. 968. quibus adde ſeptem priora capita *Decreti*, de Conſecrat. diſt. ſecunda. IV. Sequitur præterea, non eſſe Euchariſtico pani miſcendum oleum, uti admiſcere Jacobitarum aliquos tradit Anonymus tom. 2. Auctarii Franciſci Combefiſii pag. 265. καὶ τὴν ἑαυτῶν προσφορὰν ἐλαίῳ ἀναφυρῶσι, *ſuamque oblationem oleo miſcent*. At hanc non eſſe conſuetudinem Jacobitarum omnium, conſtat ex illorum hiſtoria edita a Sollerio num. 203. Idem aſſerendum de ſale: de quo Albinus Flaccus Alcuinus epiſt. ad fratres Lugdunenſes 69. alias 8. num. 3. de quibuſdam Hiſpanicis inquit: *Audivimus quoque aliquos in illis partibus affirmare, ſalem eſſe in ſacrificium corporis Chriſti mittendum; quam conſuetudinem nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit auctoritas*: atque ibidem poſt alia multa, recte Alcuinus notat, in veteri lege victimas ſale perfrictas ob ſignificationem futuræ rei, & abrogandorum ſacrificiorum: ſale autem non eſſe conſpergendam Euchariſtiam,

riſtiam, quoniam in ſepulcro non computruit Chriſti caro. V. Sequitur etiam intolerabilem eſſe abuſum apud nonnullos Græcorum, *tundendi ac miſcendi ſacro oleo, & iterum coquendi, vel alias exſiccandi ſpecies ſacramenti Euchariſtiæ feria v. Cœnæ Domini, ut deinde illud aſſervent:* quem proinde abuſum omnino tollendum declararunt Romani Pontifices, Clemens VIII. anno 1595. & anno proxime elapſo BENEDICTUS XIV. prælaudata Conſtitutione *ſuper Ritibus Græcorum* §. vi. num. 3. quamquam Græci non *oblatæ* conſecrandæ, ſed jam conſecratæ permiſceant oleum. VI. Tandem illud infertur, non eſſe Euchariſtiæ materiam farinæ *paſtam*, quæ non *panis* dicitur, ſed *intriſum*; permixtionem vero alterius frumenti cum farina triticea, niſi hanc ſuperet quantitate, propter mutationem materiæ tantum accidentariam, non officere conſecrationi, ut recte S. Thomas citato articulo ad 3.

THESIS III.

Eſt valida Euchariſtiæ materia panis triticeus, cujuſvis quantitatis, dummodo ſit præſens, atque ſenſibilis. Conſtat enim ex propoſitione IV. præcedentis capitis, non haberi ex diſciplina priorum ſæculorum determinatam Panis conſecrandi quantitatem, atque ex antiqua diſciplina, quam ſeptimo ſæculo commendavit Synodus Toletana, & ſæculo ix. ſanctus Ildefonſus, retinendas hoſtias circularis figuræ, & quantitatis exiguæ, quamvis ex recentioribus Theologis celeberrimi, Juenin q. 2. de Euch. cap. 1. art. 3. Cardinalis Gotti q. 1. dub. 3. num. 3. Tournelius art. iv. q. 4. concl. 1. & quidam alii ſcribant, ad tenuiſſimam hanc formam redactas oblatas labente ſæculo xi. Quod alia non eget confutatione. Fatemur tamen olim ex eodem pane conſecrato, fractoque deſumptas particulas pro laicorum communione, unde etiamnum minores hoſtiæ *particulæ* dicuntur, ideoque conſecratos aliquando panes amplioris quantitatis. Non eſt ergo, cur nobis hac in re ſuccenſeat cum Novatoribus aliis Joannes Gerardus Voſſius in diſputatione de ſacræ Cœnæ Dominicæ Symbolis theſi 2. opponens teſtimonia Bernoldi presbyteri Conſtantienſis, & Caſſandri in Liturg. cap. 27. cum teſtes producamus alios majores ætate, celebriores doctrina, atque ſanctimonia præſtantiores. Miramur quoque eadem cum Voſſio objectare citato in loco Tournelium, virum alioqui varium emunctæque. II. Quoniam major, aut minor quantitas non immutat ſubſtantiam panis, tenetur tamen quiſque Sacerdos ſervare Eccleſiæ ſuæ diſciplinam; duo nobis videntur eſſe certiſſima: unum non obeſſe conſecrationi magnam quantitatem; alterum vero, impie ſe gerere, quiſquis recedit ab Eccleſiæ conſuetudine, & nefarii ſacrilegii eſſe reum, ſi talem materiam conſecrat, quæ nequeat abſumi, priuſquam computreſcat. III. Non deſunt tamen, qui negent poſſe a ſacerdote conſecrari quamcumque panis quantitatem, puta quam adinveniret in foro; primum quia Euchariſtia inſtituta eſt ad uſum ſacrum, ideoque in ea requiritur moralis uſus: ſecundo quia conſecrari nequit maſſa panis cruda, & conſequenter nec prodigioſa materia: tertio quia conſecrare totum panem exiſtentem in foro, aut vinum in apotheca, res eſt omnino indecora: quarto demum quia poteſtas collata eſt Sacerdoti ad uſum, non ad abuſum. Quæ argumenta urget Franciſcus Macedo lib. iv. de Clavibus Petri, cap. iv. pag. 279. laudans Sanctum Bonaventuram diſt. 10. art. 3. q. 2. S. Thomam in Opuſculo 59. cap. 5. & quoſdam alios antiquorum Scholaſticorum. Oppoſitum tamen tenendum eſt, neque enim ſive abuſus, ſive perverſitas finis tollit veritatem ſacramenti, dummodo adſint cetera, quibus perficitur, materia, forma, & intentio: nec major, aut minor quantitas, prout nuper adverſimus, inducit ſubſtantialem materiæ immutationem. Sanctus autem Thomas Opuſc. 59. illam quidem opinionem recitat, ſed non approbat: ac tertia p. q. 74. art. 2. definit, nullam eſſe panis, aut vini quantitatem adeo magnam, *quæ conſecrari non poſſit*, nec opus eſſe ut quantitas ipſa determinata ſit ad uſum fidelium, *qui nunc occurrunt*, ſed ad uſum fidelium *abſolute*; alioquin, ait, nec Sacerdos habens *paucos parochianos* poſſet conſecrare *multas hoſtias*. Quidam vero ex antiquis Scholaſticis tradentes oppoſitum, explicari poſſunt de licita, non de valida conſecratione: ipſe denique Macedo profitetur ſe opinionis illius adimere probabilitatem, *diſputationis* duntaxat *gratia*, & concludit tenendam ſententiam, quam ſanctus Thomas tradit in Summa. At prolixe diſputat de hac quæſtione Diſp. iv. ſect. 6. Joannes Cardinalis de Lugo. IV. De *præſentia materiæ* ſubſcribunt Theologi omnes S. Thomæ in iv. diſt. 11. q. 2. art. 1. quæſt. 3. aſſerenti, quod conſecrari valeat *quantacunque quantitas panis & vini, quæ coram ſacerdote proponitur*: eamdemque præſentiam requiri *patet ex forma ſacramenti tam corporis, quam calicis, in qua pronomen eſt rei præſentis demonſtrativum*, ut recte ratiocinatur Eſtius diſt. viii. §. 6. Atque hinc ſequitur non conſecrari *materiam* poſt parietem, aut a tergo ſacerdotis poſitam, bene tamen conſecrari ante ſacerdotem ipſum conſtitutam, etiamſi cooperta ſit velo, atque etiamſi Pixis continens *particulas* pro communione fidelium non aperiatur; dummodo præceſſerit intentio conſecrandi quidquid materiæ ſit præſens. Ad præſentiam quippe moralem neceſſum non eſt, ut materia tota oculis conſpiciatur, alioqui nec *particulæ* ſub aliis latitantes, Pixide aperta, conſecrarentur, ut P. iv. de Sacrific. Miſſæ ſect. 2. num. 153. docet Theologorum, & Antiſtitum culmen BENEDICTUS XIV. productis aliorum Doctorum teſtimoniis. Quæ utique de conſecratione valida, non de licita, quæ omnem poſtulat diligentiam, dicta ſunt.

THESIS IV.

Imperiti quidam Græcorum vitio vertunt Romanæ Eccleſiæ quod conſecret in azymo, & id perperam producunt tamquam unam ex cauſis ſeparationis, & ſchiſmatis ſui. Multis quippe demonſtratum eſt, ſtare pro conſuetudine Romanæ Eccleſiæ inſtitutionem Chriſti, & vetuſtam, atque perpetuam ritus, quem Latini obſervant, diſciplinam, & a Græcis nugacitates potius, quam ſolidas ratiocinationes opponi. II. Nil ex antiquis Patribus, etiam Græcis, infertur, niſi ad ſacrificium *panem* requiri, nec illorum quiſpiam ait neceſſario exigi fermentatum: immo Chryſoſtomus docet Dominum antequam pateretur comediſſe *Paſcha legale*, tametſi alicubi innuit Judæorum aliquos livore in Chriſtum percitos definitam diem in proximam commutaſſe. Theodoretus quoque in Danielem prophetam ſcribit, *Panis dicitur fermentatus & azymus*: quod Græcis objicit Auctor Explanationis definitionum Synodi Florentinæ, pagina 92. Καὶ Θεοδώρητος εἰς τὴν ἐξήγησιν τοῦ προφήτου Δανιὴλ λέγει, ἄρτος λέγεται καὶ ὁ ζυμίτης καὶ ὁ ἄζυμος. Id vero nos pluribus ſcripturæ locis ſupra confirmavimus. III. Quamvis Romana Eccleſia ab Apoſtolicis temporibus conſecraverit azymum, nullus tamen Græcorum ante undecimum ſæculum id nobis ad fovendum ſchiſma auſus eſt objicere, nec ipſe peſtilentiſſimus Photius, diſcrepantiam rituum non improbans: atque hinc merito Leo IX. epiſtola ad Michaelem Cerularium, conſcripta anno MLIV. menſe Januario, *Illud autem* (inquit) *quis non ſtupeſcat, quod poſt tot ſanctos, & Orthodoxos Patres per mille & viginti a paſſione Salvatoris annos novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, publicam perſecutionem excitans, & anathematizans omnes, quicumque participes erunt ſacramentorum ex azymis?* IV. Damnatis in ſexta Synodo Monothelitis, Joannes Portuenſis Epiſcopus in Dominica octava Paſchæ Conſtantinopoli, ac in templo ſanctæ Sophiæ Latino ritu celebravit in azymis, Græcis omnibus aſtantibus cum Imperatore Conſtantino Heraclio, & Georgio regiæ urbis præſule, iiſdem Græcis Latinum Sacrificii ritum ſummopere commendantibus: atque hæc non ſolum ex Romanis Archivis adverſus Nicetam Pectoratum produxit Humbertus, ſed etiam litteris conſignavit Hilarion Græcus Monachus, de quo Volum. 3. pag. 695. eximius Lupus. V. Falluntur præterea, qui arbitrantur ſolam Romanam Eccleſiam azymum conſecrare: eumdem enim ritum a priſcis temporibus obſervaſſe Eccleſiam Jeroſolymitanam affirmat prælaudatus Humbertus, confirmatque Lupus pag. 717. admodum probabili conjectura. Antiquos Maronitas uſos fuiſſe azymis demonſtrat Abraham Ekellenſis apud Joannem Morinum de Sacris Ordinat. parte 2. pag. 383. tametſi plerumque ſequantur alias Græcorum conſuetudines. Armenios uti azymis haud negant Græci: quod non accepiſſe ab Eutychianis inde conſtat, quod Joannes Philoponus & ipſe Eutychianus probaverit uſum fermentati. Nobiſcum etiam convenire Mozarabes, ideſt, Gothos in Hiſpania degentes, advertit cap. iv. diſſert. de Azymo eruditiſſimus Mabillonius. Idem ſcribit de Indis Caranganoram incolentibus Joſeph Indus Navigat. in novo Orbe cap. 134. apud Martenium lib. 1. cap. 3. art. 7. num. 22. Vide etiam Notas uberiores Richardi Simonis in Apologiam Gabrielis Severi, num. vi. pag. 87. ac ſequentibus, ubi plura extant notatu digna.

THESIS V.

Si ratione pugnandum foret, facile Latini commonſtrarent majorem ſui ritus convenientiam: ſed in hoc ſunt Græcis prudentiores, quoniam eos, qui conſecrant fermentatum, non damnant, ineptaſque calumnias ſumma caritate repellunt. Et quidem pro convenientia ritus ſui poſſunt Latini proferre primo Chriſti Domini exemplum: deinde vetuſtiſſimam diſciplinam: poſt hac azymi panis, qui rarius efficitur mucidus, nec tumidus aut cavoſus eſt, ut fermentatus, nitorem, atque aptitudinem: præterea ejuſdem azymi ſignificationem, denotat quippe azymus, teſte Apoſtolo 1. ad Corinth. v. 8. *ſinceritatem & veritatem*, & inſuper Chriſti carnem abſque virili commixtione progenitam: contraria inſuper ſymbola fermentati, quo apud Amos iv. 5. deſignantur polluta ſacrificia, Matth. xvi. 11. tumor & hypocriſis Phariſæorum, præcitata Paulina Epiſtola genus omne *malitiæ*; & via in uno Evangelii loco in bonum ſenſum excipitur, ubi regnum cælorum di-

ditur fermento ſimile. Vide Reſponſionem primam Cardinalis Humberti tom. xi. Annal. Eccleſ. Baronii pag. 771. Ut addamus nos aliqua ex eruditione profana, accipiunt veteres Grammatici *fermentum* pro indignatione, perturbatiſque animi affectionibus: atque ita Grangæus interpretatur illud Juvenalis Satyra 3. *Accipe & iſtud fermentum tibi habe*: & de muliere irata Olympio Villicus apud Plautum in Caſina,

Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.

Fermentum enim a fervendo dictum eſt, quaſi *fervimentum*; unde & Hebræi חמץ *hatſ*, quod eſt *fermentare*, interdum accipiunt pro *turgere ira*. Poſſumus denique reponere calumniantibus Græcis, Romanam Eccleſiam fundatam per primos Apoſtolorum in ſummo angolari lapide nunquam Judaicis fabulis, aut apocryphis ſcripturis acquieviſſe; Græcam vero, poſteaquam illam corrupit Arius, proſtituit Macedonius, ipſaque Neſtorium, Eutychen, Monothelitas, pluraque alia viperarum genimina non tantum peperit, ſed etiam aluit, ac tandem adverſus Petri Cathedram caput extulit, dogmatum pravitate, & novitatibus plurimis eſſe vitiatam. Sed quoniam toleranda ſunt quæ pertinent ad ſolam diſciplinam rituumque diſcrimen; ſuum permittimus Græcis fermentatum, ritum non reprehendimus, & veneramur ſacrificia, hæreſes duntaxat, & nefarium ſchiſma damnantes. Jure itaque meritoque Barlaamus Monachus Calaber apud Joannem Cantacuzenum lib. 2. Hiſt. cap. 40. invitans Græcos ad unionem, prætextam hanc ſeparationis cauſam propulſat, & quamvis Græcis addictus, iſtud de nobis judicium profert: *Latinos vere in tantum prudentiores exiſtimo, quod illi quidem minime hoſtiam de fermento vituperant, ſed ſimiliter venerantur.* Revera nunquam Romani Pontifices reprobarunt Græcorum conſuetudinem; ſed Gregorius VII. ad Synnadenſem Archiepiſcopum ſcripſit: *Et illi quidem*, (Græci) *ſuum fermentatum commendantes, reprehenſionis in nos leviſſima verba contumaciter jactari non deſinunt. Nos vero azymum noſtrum inexpugnabili ſecundum Dominum ratione defendentes, ipſorum fermentum nec vituperamus, nec reprobamus.* Gregorius IX. in litteris ad Germanum Archiepiſcopum Conſtantinopolit. ait in fermentato *corpus Dominicum ante reſurrectionem*, ideſt, *paſſibile* repræſentari, azymum vero eſſe *ſacramentum glorificati corporis*. Clemens VII. in Bulla *Proviſionis noſtræ*, prohibuit Latinis ne ullatenus reprobare præſumant *ritus, & ceremonias Græcorum in Concilio Florentino, vel alias approbatas*. BENEDICTUS XIV. quod prius docuerat Not. 162. in Feriam v. M. Hebdomadæ, confirmavit ſolemni Conſtitut. *Etſi Paſtoralis*. Ita nimirum Apoſtolici memores documenti, 1. ad Corinth. iv. 12. *Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus.*

THESIS VI.

Falluntur, qui cenſent Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus fas eſſe conſecrare azymum, & e contra Latinis apud Græcos fermentatum. Sunt in ea ſententia Diana Reſolut. 99. Miſcellan. Naldus v. *ſacerdos*, num. 4. Macedo de Clavib. Petri lib. iv. cap. 5. & Hennu de Euch. quæſt. a concl. 2. qui ad hoc demonſtrandum utuntur communi proloquio, *Cum fueris Romæ, Romano vivito more*, atque Epiſtola Auguſtini ad Bonifacium 54. alias 118. ubi traditur ſervandam eſſe Eccleſiarum, ad quas proficiſcimur, conſuetudinem. Sed aliud de ritu ſacrificii, quem fideles omnes norunt apud utramque Eccleſiam eſſe diverſum, & ad quem ſervandum ſacerdotes ſacramento Ordinis initiantur, aliud aſſerendum eſt de variabili conſuetudine, cujuſmodi ſunt feſti dies, & jejunium ſabbati, de quo in illa Epiſtola Ambroſius atque Auguſtinus. Hinc BENEDICTUS XIV. Conſtitut. ſuper Ritibus Græcorum §. ix. præcipit, ut Italo-Græci ſervent Kalendarium Gregorianum, feſtos dies, quadrageſimale jejunium, & quæcumque a fidelibus in diœceſi, ubi habitant, univerſim, & ſine ullo perſonarum ac rituum diſcrimine juxta ſacros canones ſervanda ſunt, conſuetudines nempe, de quibus Auguſtiniana Epiſtola, & pervulgatum Catonis proloquium: ſed de ſacrificii ritu §. vi. num. 10. aliter idem Pontifex, eademque Conſtitut. §. vi. num. 10 his verbis theſim noſtram definit: *Cum in ſacro Generali Florentino Concilio præſcriptum ſit, ut unuſquiſque ſacerdos Euchariſtiam juxta Eccleſiæ ſuæ ritum ſive Latinæ, ſive Græcæ in azymo, ſeu fermentato conficere debeat, vetitumque a ſummis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur, diſtrictius inhibemus, etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, ne presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, ſub quovis licentiarum & facultatum Miſſas, & alia divina officia Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore exiſtente obtentarum prætextu, Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant.* Vide Florentinum Concil. in Bulla unionis, & S. Pii V. Conſtit. *Providentia Romani Pontificis* emanatam anno 1566. xiii. Kal. Septembris.

CAPUT VI.

De materia conſecrationis calicis, ideſt, de vino.

PRÆTER panem, vinum quoque conſecramus, & iſtud modica aqua permixtum. Dicturi itaque de hac *materia*, inquiremus priori loco an vinum tantummodo conſecrandum ſit; deinde num vino ſit modicum aquæ admiſcendum; poſtmodum an etiam aqua in Chriſti ſanguinem convertatur, tandem an hæc converſio *immediata* fiat, an aqua prius tranſeat in vini, cui admiſcetur, naturam.

PROP. I. Vinum divinæ, ac ineffabilis Euchariſtiæ *materia* eſt, nec vini loco ſubſtitui poteſt aqua, ſive alius liquor, etiamſi communi uſu deſerviat ad potum.

Habet duas partes hæc theſis, & pars prima damnat errorem illorum, qui in ſacris myſteriis aqua ſola utebantur, *Aquarii* propterea dicti, ſive *Hydroparaſtatæ*. Sunt hi Ebionæi ſupra commemorati, de quibus Epiphanius Hær. xxx. num. 16. ſcribit, *Ad alteram myſterii partem meram aquam adhibent*. Similia Irenæus lib. v. adverſus Hæreſ. cap. 1. num. 3. Accedunt Tatiani gregales, dicti *Encratitæ*, *quod nec vinum biberent*, & *Hydropaſtatæ*, *quod aquam pro vino offerrent*, ut inquit Theodoretus lib. 1. H. Fab. cap. 20. pag. 208. De his etiam Epiphanius H. xlvii. 3. Nicetas Choniates lib. iv. Theſauri Orth. Fid. cap. 14. eumdem errorem tribuit Marcionitis. Adhæſerunt his Manichæi, quos exagitat ſerm. iv. de Quadrag. S. Leo Magnus. De *Aquariis* peculiarem ſectam conſtituentibus, & hoc ſolo errore notatis, pertractant Philaſtrius hæreſi lxxvii. & S. P. Auguſtinus H. lxiv. Ab his ergo diverſi erant *Hydrotheitæ* & aquam a ſacris myſteriis arcentes, & negantes illam a Deo fuiſſe creatam. Altera propoſitionis parte perſtringimus Novatores, qui cenſent ubi vini uſus non eſt, poſſe uſurpari quidquid illic vini loco bibi ſolet, tametſi adverſus *Aquarios* fateantur retinenda eſſe, quando haberi poſſunt, *vulgaria ſymbola*: pro hac opinione pugnavit Theodorus Beza epiſt. 25. Philippus Melanchthon, qui libro de uſu integro ſacramenti ait Ruthenos ob vini inopiam recte facturos, ſi pro illo adhiberent τὸ ὑδρόμελι, *aquam* nempe *mellitam*.

Itaque priorem partem demonſtramus I. ex Chriſti inſtitutione; Cœnæ ſiquidem accumbens vinum illud Dominus conſecravit, quod Matth. xxvi. 29. appellat γέννημα τῆς ἀμπέλου, *genimen vitis*. II. ex ſacerdotio Chriſti, quod dici *ratione rerum oblatarum*, ideſt, panis & vini, *ſecundum ordinem Melchiſedech*, oſtendimus libro xxvii. cap. 7. propoſitione tertia. III. ex definitionibus Conciliorum, nam Concilium iii. Carthagin. can. 24. ſtatuit, *Ut in ſacramenta corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius afferatur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum*: ac Florentinum in Inſtruct. Armenorum, *Tertium*, inquit, *eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. IV. ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine, cujus teſtis eſt Auguſtinus ſcribens de Aquariis, *Aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Eccleſia*. V. ex perpetua traditione Patrum, quorum aliqua teſtimonia producam propoſitione 2.

Alteram vero partem, ideſt, quod nequeat pro vino conſecrari aqua, ſive alterius generis liquor, inde probamus, quod nulli fas ſit immutare *materiam* ſacramentorum a Domino præſtitutam. Quare jure optimo Bellarminus de Melanchthone ſcribit lib. iv. de Euch. cap. 24. *Quis dedit Philippo auctoritatem mutandi ſacramentorum materiam?* Non enim aliam poſſumus conſecrare *materiam* præter illam, quam Dominus præſcripſit, ac tradidit: unde Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. pag. 700. ait: *Cujus rei gratia non aquam, ſed vinum? Pernicioſam quamdam hæreſim radicitus evellere voluit eorum, qui aqua in myſteriis utuntur*. De iiſdem *Aquariis* ſcribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 317. *eos relinquere Eccleſiam, & verſari in hæreſibus, qui ſola aqua utuntur, in Euchariſtia*. Eoſdem non recipi a Deo *ad commixtionem ſuam*, ſcribit citato lib. iv. adverſus hæreſes, cap. 5. ſanctus Irenæus. De Encratitis Epiphanius citato in loco 401. *Illorum myſteria*, inquit, *quæ aqua ſolummodo conſtant, myſteria non ſunt, ſed ficta atque fallacia, verorum ad imaginem expreſſa. In quo pleniſſime illos Salvatoris ſententia redarguit, Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno cœlorum vobiſcum*. S. Cyprianus Epiſtola 63. ad Cæcilium ait *plebem eſſe ſine Chriſto*, ubi aqua, non vinum offertur. Vide canonem xxxii. Trullanum, & in illum Commentaria Lupi tom. 2. p. 919.

Opponebant Aquarii: De credente in Chriſtum legimus Joannis vii. 38. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; quibus verbis *materia* incruenti ſacrificii nobis ſignificatur. Sed argumentum iſtud elumbe eſt, fractum, inär-

Digitized by Google

infirmiſſimum, nullum. Nam ſi hæc verba ad *materiam* ſacramenti alicujus velimus referre, ad baptiſmi quidem elementum, non ad calicem Domini pertinebunt, ut animadvertit laudata Epiſt. ad Cæcilium pag. 227. edit. noviſſimæ S. Martyr Cyprianus. Si autem ea Joannis verba accipiamus *de Spiritu, quem accepturi erant credentes* in Chriſtum, prout ibidem innuit Evangeliſta verſu 39. explicatque Auguſtinus Tract. XXXII. in Joannem num. X. nimirum de gratia novi Teſtamenti, aquæ comparata Iſ. XLIV. 3. & Ezechiel. XXXVI. 25. nullum inde peti argumentum poteſt pro determinanda alicujus ſacramenti *materia*.

PROP. II. Vino conſecrando modicum naturalis aquæ perantiqua traditione, & Eccleſiæ præcepto debet infundi.

Refutamus hac theſi errorem Armeniorum, qui vinum merum conſecrandum eſſe arbitrabantur, decepti falſa interpretatione teſtimonii S. Joannis Chryſoſtomi paullo ſupra producti. Tribuunt eumdem errorem Græcis Innoc. III. lib. IV. de Myſt. Miſſæ cap. 32. Scotus, & Durandus in IV. diſt. XI. ſecuti eadem diſt. Magiſtrum, Durandus Mimatenſis lib. IV. Rationalis ſui, cap. 42. Ac de Armeniis id conſtat ex Florentino Concilio, ex Trullano, ex Theophylacto in cap. XIX. Joannis, aliiſque. At de Græcis lapſus eſt Magiſter, & qui ex illo exſcripſerunt, niſi forte *Græcos* acceperint indiſcriminatim pro *Orientalibus*, inter quos connumerantur Armenii. Novatores autem fatentur veriſimile eſſe, quod Chriſtus vinum miſcuerit, nec diffitentur Eccleſiam veterem uſam fuiſſe vino mixto: agnoſcunt etiam hanc mixtionem exponi a Patribus allegorice; ſed contendunt rem eſſe *adiaphoram*, vetuſtamque conſuetudinem his temporibus non præſcribere, & poſteaquam ritus miſcendi tanquam neceſſarius haberi cœpit, prudenter merum præferri, ut ſuam in talibus oſtendant libertatem. Plura de his Voſſius diſput. XXII. quæ eſt IV. de ſacræ menſæ Dominicæ ſymbolis, theſi 8. Adverſus itaque Armeniorum, ac Proteſtantium errorem ita propoſitionem demonſtramus.

Concilia, Patres, Rituales libri, atque ipſa ratio ſuadent in conſecranda Euchariſtia adhibendum eſſe *vinum permixtum aqua*, & id non inter adiaphora enumeratur, ſed inter ritus Eccleſiaſtico præcepto ſervandos. Errabant ergo Armenii conſecrantes merum, & modo errant hæretici aſſerentes hujuſcemodi ritui Eccleſiam non alligari. Probatur antec. definitione Conciliorum. Etenim canone 32. Concilii Quiniſexti, ſeu Trullani celebrati anno 692. ſic ſtatuitur: *Si quis ergo Epiſcopus, vel preſbyter non ſecundum ordinem ab Apoſtolis traditum facit, & aquam vino miſcens, ſic immaculatam offert ſacrificium; deponatur ut imperfecte myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt innovans*. Gaſpar Juenin q. 2. de Euch. cap. 2. art. 2. §. 2. Cardinalis Gotti q. I. dubit. 7. §. 1. & quidam alii addunt particulam *Non*, ita legentes, *Aquam vino non miſcens*; ſed falluntur, quoniam hæc verba referenda ſunt ad præcedentia, *ſecundum ordinem ab Apoſtolis traditum*, non ad conſequentia, *ſic immaculatum offert ſacrificium*; eſt enim in Græco abſque particula negante, tom. VI. Concil. pag. 1158. *ὁ ὕδωρ οἴνῳ μιγνύς*, *Et aquam vino miſcens*. De hoc Trullano canone plura Lupus Volum. 2. pag. 920. Concilium Bracarenſe IV. anno 775. canone 2. ait: *Calix Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri*; ac pariter Carthaginenſe III. jam ab anno 397. can. 24. *Ut in ſacramenta corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panem, & vinum aqua mixtum*. Florentini paullo ſupra recitata ſunt verba. Idem decernit Tridentinum ſeſſ. XX. cap. 7. cujus verba etiam rationibus confirmata producam infra. Prætermitto cap. *In ſacramentorum oblationibus*, cap. *Non oportet*, & cap. *Cum omne crimen*, de Conſecrat. diſt. 2. & addam tantummodo canonem Sanctorum citatum ab Egberto Archiepiſcopo Eboracenſi in Excerptis cap. 98. *Sacerdotes Dei diligenter ſemper procurent, ut panis & vinum & aqua, ſine quibus nequaquam Miſſæ celebrantur, pura & munda fiant*. II. Idem probatur ex Patribus: Ac primo Juſtinus Martyr Apolog. 2. pag. 97. commemorans oblationes, ex quibus conſecrabatur Euchariſtia, *Deinde* (inquit) *ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini*, ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, & proxima pag. 98. *Panis offertur, & vinum & aqua*, ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ. Irenæus libro IV. adverſus H. cap. 57. & ex diſtinct. Maſſueti 33. num. X. ait: *Accipiens Dominus panem ſuum eſſe corpus confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit*. In quem locum Renatus Maſſuet pag. 370. *Temperamentum calicis mixtum calicem vocat lib. V. cap. X. num. 3. quia ex Traditione Apoſtolica, perpetuoque Eccleſiæ uſu, vinum conſecrandum aqua miſcetur*. Verba Irenæi poſtremo hoc in loco ſunt iſta: *Quando ergo & mixtus calix, & factus panis percipit verbum Dei, & fit Euchariſtia*, Ὁπότε οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον, καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ γίνεται ἡ εὐχαριστία. Ubi male quidam legunt, *Fractus panis*, ut liquet ex Græco. S. Cyprianus Epiſt. LXIII. ad Cæcilium ait: *Invenimus calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit*. Et infra: *Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari*; paucisque interjectis: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt; nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cæleſte perficitur*. Ambroſius de Sacram. lib. IV. cap. 4. num. 19. ait: *Ergo didiciſti quod ex pane corpus fiet Chriſti, & quod vinum & aqua in calicem mittitur; ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis*. S. P. Auguſtinus lib. IV. de Doctr. Chriſtiana cap. 21. num. 45. de præcitata Cypriani ad Cæcilium Epiſtola, *Solvitur*, inquit, *ubi quæſtio, in qua quæritur, utrum calix Dominicus aquam ſolam, an eam vino mixtam debeat habere*: & Tract. CXX. in Joannem num. 2. de aqua e Chriſti latere fluente; *Aqua illa ſalutare temperat poculum*. III. Conſtat eadem veritas ex antiquis Eccleſiæ ritibus. Miſcendam quippe vino aquam probat Auctor Conſtit. Apoſtolicarum lib. VIII. cap. 12. pag. 402. ex Liturgia Jacobi, quam etiamſi nonnulli putent ſuppoſititiam, eam tamen genuinam eſſe demonſtrat Græcorum omnium conſenſio, canon triceſimus ſecundus Trullanæ Synodi, & monimenta alia producta ab Allatio in Symmictis pag. 176. & laudata a BENEDICTO XIV. de Sacrif. Miſſæ P. IV. ſect. 1. num. 90. Ac ſi etiam illa foret apocrypha: præberet tamen antiquorum rituum argumenta perſpicua. Quod de Liturgia Marco attributa eodem jure affirmamus, nam & in iſta commemoratur vini & aquæ commixtio. Eadem præcipitur in Ritu antiquo celebrandæ Miſſæ, qui extat in Appendice ad Sacramentarium Gregorii Magni tom. III. novæ edit. pag. 295. in Capitulari Attonis Epiſcopi Vercellenſis, & Theodulphi Aurelianenſis, tom. 1. pag. 322. Operis Martenii de Antiquis Ritibus, & faventibus hæreticis aliis cum Voſſio præcitata theſi VIII pag. 445. apud ſcriptores innumeros. Ab his vero alienæ non ſunt Orientales Eccleſiæ: Græci enim frigidam immiſcent vino ante conſecrationem, & calidam aquam paullo poſt conſecrationem ipſam; quod Græcolatinis in ſæpe laudata BENEDICTI XIV. Conſtitutione ob ritus antiquitatem permittitur. Et quidem illius mixtionis meminerunt Liturgiæ SS. Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, Gregorius Niſſenus Orat. Catechetica cap. 37. Theodoretus Dialogo primo, qui inſcribitur *Immutabilis*, pag. 17. Damaſcenus lib. IV. cap. 14. Proclus de Traditione divinæ Liturgiæ, Nicephorus Calliſtus lib. XVIII. cap. 53. aliique a noſtratibus, nec non ab ipſo Voſſio producti. His addo Græcos ægre ferre, quod aliqui incaute ſcripſere, ſaceram ab ipſis mixtionem omitti, unde Arcudius lib. III. Concordiæ pag. 152. redarguit Guidonem Carmelitam, qui id aſſeruit in Catalogo hæreticorum, alioſque nonnullos: Gabriel Philadelphienſis in opuſculo de Sacram. pag. 62. *Verum* (ait) *quidam ſunt, qui ab hominibus, quibus aliena calamitas affert lætitiam, decepti dicunt Græcos ſancto calici aquam non admiſcere ſecundum Eccleſiæ traditionem: quorum experientia* (*etenim accedant, & intueantur ea quæ ſunt Liturgiæ*) *perverſam eorum mentem manifeſto poteſt redarguere*. Vide & Miſſam Æthiopum tom. IV. Biblioth. PP. antiquioris edit. pag. 111. & Liturgiam Coptorum Jacobitarum apud Bolland. tom. V. Junii, num. 199. Appendicis Sollerii ad Patriarchas Alexandrinos.

Hujus mixtionis rationes his verbis profert Tridentina Synodus ſeſſ. 22. cap. 7. de Sacrificio Miſſæ: *Monet deinde ſancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent; tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod ſacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypſi B. Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur*. Nituntur hæretici has rationes refellere: atque ad primam e Chriſti facto depromptam, ajunt non poſſe e ſcripturis probari, quod Dominus aqua vinum temperarit; ut fatetur Bellarminus lib. IV. de Euch. cap. 9. Addunt Durandum in IV. diſt. II. q. 5. exiſtimaſſe congruentiam illam minus aptam, nec ex ea convinci neceſſariam eſſe mixtionem, ubi debiliora ſunt vina. Aſt ego e contra repono, non ſolam Scripturam ſervaſſe nobis rerum a Chriſto geſtarum notitiam, cum multa ipſe fecerit, quæ in libris Evangeliorum ſcripta non ſunt, ut capite poſtremo teſtatur Joannes. Præterea qui de ritibus Judaicis pertractarunt, docent *in cœna Paſchali ita vinum temperandum fuiſſe aqua, ut niſi hanc admiſcuiſſent, credidiſſent aliquid eſſe omiſſum in recta hujus ceremoniæ obſervatione*, quemadmodum ex Rab. Maimonide, aliiſque demonſtrat in libro de Miniſterio Templi cap. 13. cap. 735. Joannes Lightfootus, & confirmatur ex Ritu celebrandæ Cœnæ Paſchalis p. 2. Biblioth. Rabbinicæ pag. 938. Ex quibus apparet falli Buxtorfium, qui in Hiſtoria ſacræ Cœnæ ait pro libito Judæos in ea cœna bibiſſe merum, vel aqua illud temperaſſe. Quamvis

infu-

inſuper non omnes Judæi ceremoniam illam ſervaſſent, ut gratis id concedamus Buxtorfio, ſervavit eam tamen Salvator, *qui temperantiæ ſummæ ſe præbuit exemplum*, ut in Epiſtola ad Archiepiſcopum Armenorum, & ad presbyteros Caphenſis diœceſis ſcripſit anno 1318. v. Kal. Aprilis Joannes XXII. Animadvertit præterea Lupus ad canonem 32. Trullanum pag. 923. *Calicem* apud Orientales deſignare vas, *in quo ſoleat vinum ad potum miſceri*: cui conjecturæ adminiculo eſt occurrens apud Evangeliſtas ποτήριον, quod proprie non eſt *calix*, ſed *poculum*. Demum Tridentina Synodus non ait aquam vino miſcendam ob nimiam meraci vim, quam rationem vellicat Durandus; ſed, *quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur*, attendens exemplum Chriſti, non conditionem meri ex uvis Palæſtinis expreſſi.

Rationem alteram, quam Tridentina Synodus petit ex aqua, quæ ſimul cum ſanguine fluxit e Chriſti latere, ideo hæretici infirmam putant, quia neceſſum non eſt in ſacramento uſurpare quidquid in Paſſione Domini interfuit; & quia vetuſtiores concinnius dixerunt aqua baptiſmum, & ſanguine Euchariſtiam denotari. Sed hæc ſunt, ſupra quam dici poſſit, puerilia, & inania. Neque enim nos aquæ mixtionem ita neceſſariam aſſerimus, ut ſine illa ſacramentum nullum fore arbitremur; imo nec aquæ admixtionem dicimus requiri ex divino mandato (quod tamen docuerunt nonnulli veterum,) ſed ex præcepto Eccleſiaſtico rationabili ex cauſa ſervando. Etſi vero in aqua lateris Chriſti denotari baptiſmum ſcripſerint veteres, idque nos ipſi tradiderimus tom. III. pag. 187. non inde tamen conſequitur, quin ejuſdem aquæ ſymbolum ea referat, qua calix Dominicus temperatur. Etenim hujus rei gratia vino aquam admiſceri, haud obſcure innuunt S. P. Auguſtinus præcitato Tract. CXX. in Joan. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in Ordine Baptiſmi num. XVIII. Walafridus, Micrologus, Paſchaſius, aliique plures tradentes rationem ſacrorum myſteriorum. Quibus addimus caput, *In ſacramentorum*, de Conſecrat. diſt. 2. deſumptum ex Epiſtola Iſidoriana Alexandri, & cap. *In calicem*, depromptum ex Ambroſio l. V. de Sacram. cap. 1. num. 4. necnon Liturgiam S. Joannis Chryſoſtomi, in qua, Eraſmo interprete, legitur: *Ad infuſionem vini dicit Sacerdos*, Et unus militum lancea latus ejus aperuit, & exivit ſanguis; *& addens aquam dicit*, Et aqua.

Tertia ratio a Tridentino producta impugnatur a Voſſio, quia licet per aquas interdum ſignificetur populus, id tamen ſatis non eſt ad ritum aliquem adſtruendum, cum ſymbolica, ut dici ſolet, Theologia non ſit argumentativa; ideoque *ficulna*, inquit Voſſius, *machæra* pugnant veterum non pauci, ut Cæſarius, ſive Eucherius, Paſchaſius, Rabanus, & alii, etiam Græcorum. At numquam a Voſſio viro erudito, & gravi talia prodiiſſe dicerem, niſi ea legiſſem. Principio enim cum ſacri ritus instituti potiſſimum fuerint *ob myſticam ſignificationem*, ut oſtendi lib. XXX. cap. 23. falſum eſt Theologiam ſymbolicam non ſufficere, ſi hoc Eccleſiæ opportunum videatur, ad ſacrum adſtruendum ritum. Deinde non illud duntaxat ſymbolum Tridentina Synodus profert, ſed etiam exemplum Chriſti, cui accedit traditio univerſa, & conſenſus Eccleſiarum. Poſtremo non ii tantum, quos laudat Voſſius, rationem illam probarunt, verum etiam S. Cyprianus præcitata ad Cæcilium Epiſtola pag. novæ edit. 229. antiquus Ritus celebrandæ Miſſæ editus poſt Sacramentarium Gregorii cum notis Menardi, Theodulphus citato num. 18. in Ordine Baptiſmi, & cum Theologis univerſis S. Thomas 3. p. q. 74. art. 6. ubi & aliæ duæ rationes Tridentini Concilii producuntur & illuſtrantur. De his Hildebertus Turonenſis Epiſcopus Tom. XXI. Bibl. PP. pag. 164. canebat:

Admixtum vino laticem miraris, at ipſum
Grande ſacramentum eſt, nec ratione vacat.
Unda fluens, homo prætereunt: ea mixta Lyæo,
Eſt Chriſta Chriſti ſanguine junctus homo.
Dividit unitos vel aquam, vel vina miniſtrans,
Et caput a membris ſeparat ipſe ſuis.
Præterea nil fons ſine ſanguine, nil ſine fonte
Sanguis: utrumque ſimul ſalvat, utrumque ſacrat.
Cum rimaretur pendentis viſcera Chriſti
Lancea, manavit ſanguis, & unda ſimul.
Sicut utrumque ſimul fluxit, ſimul offer utrumque;
Unum deme, Crucis non imitaris opus.

Armenii opponebant verba Chryſoſtomi hom. 83. in Matth. de quibus ſupra prop. I. & Novatores jactant Eccleſiarum libertatem; ſed Chryſoſtomus loquitur adverſus Aquarios, ut recte adnotarunt in canone 32. Trullano. Adverſus vero jactatam a Novatoribus in obſervatione ſacrorum rituum libertatem, plura ſcripſimus lib. XXX. cap. 23. propoſit. 2. Hæreticorum quidam reponunt reprobatum fuiſſe ritum Romanæ Eccleſiæ a Concilio Aurelianenſi IV. celebrato juxta Baronium, ac Binium an. 545. ſeu potius an. 541. cujus canon quartus in antiquis editionibus ſic legitur: *Ut nullus in oblationibus ſacri calicis, niſi quod fructu vineæ ſperatur, & hoc ſine aqua mixtum offerre præſumat*. Sed legendum eſt, *Et hoc aqua mixtum*, ut habetur in Collect. Labbei tom. V. pag. 382. Quomodo enim poteſt vinum eſſe *mixtum*, & ſine aqua? Ipſemet Gerardus Voſſius in vetuſtis editionibus agnoſcit mendum, ingenue ſcribens: *Sed quando cogito quam antiqua, & ubique recepta hæc conſuetudo fuerit miſcendi vinum, non poſſum in animum inducere, ut contrarium ſtatuerint Aurelianenſes: præſertim cum nemo veterum hujus rei meminerit.* Deinde ait pro *ſine* legendum *niſi*, partim quia facile peccari potuit litterularum duarum trajectione; partim quia eadem particula anteceſſerat, nec forte repetendam judicavit amanuenſis. Hac autem conjectura admiſſa, puto nihil modo in hac quæſtione ſupereſſe difficultatis.

PROP. III. Aquæ cum vino commixtio non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed tantum præcepti, & præcepti quidem Eccleſiaſtici, non divini.

Demonſtratur pars prior, quoniam materia conſecrationis calicis appellatur in Evangelio *genimen vitis*; hujuſmodi autem eſt vinum, quamvis nulla aqua dilutum. Vide quæ diximus propoſit. 1. adverſus Aquarios. Deinde Cyprianus prælaudata ad Cæcilium Epiſtola ait, eſſe *ſanguinem Chriſti*, ſi vinum ſine aqua conſecratum ſit. In eadem Epiſtola ait Cyprianus, veniam concedendam ſimplicitati eorum, qui ignoranter aquam vino non miſcuerant, quod ſane non exiſtimaſſet veniale tantum, & condonandum ſimplicitati presbyterorum, ſi abſque mixtione aquæ non conſiſteret ſacramentum, inquit Eſtius diſt. VIII. §. 10. Præterea ſine aquæ temperamento ſpecies vini ſunt ſymbolum ſanguinis Chriſti, qui & ſub vini accidentibus vere exiſtit, quemadmodum ait ſeſſ. XIII. cap. 3. Synodus Tridentina: immo permixtione peracta ſpecies aquæ, cui inſit ſacramenti ratio, nequaquam apparet, ideoque vinum duntaxat pertinet ad ſacramenti conſtitutionem. Poſtremo ſi quis poſt conſecrationem advertat ſe aquam vino non miſcuiſſe, non debet conſecrato calici aquam infundere, ex Rubricis Miſſalis tit. *De defectu vini* num. 7. ideoque non ſpectat aqua ad materiam *eſſentialem*; alias poſt conſecrationem foret apponenda, & conſecranda; quemadmodum apponendum & conſecrandum eſt vinum, ſi ſacerdos *poſt verba conſecrationis advertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam*, ex eod. titulo, num. 4. Igitur neceſſitate ſola præcepti aqua vinum Euchariſticum temperatur: atque hoc præceptum Eccleſiaſticum eſſe conſtat ex propoſitione præcedenti: non eſſe divinum liquet, non enim ullum ſive in Evangelio, ſive in Apoſtolicis Epiſtolis extat præceptum de aqua vino admiſcenda.

Oppones 1. Sanctus Cyprianus ſcribit perfici ſpiritale, & cæleſte ſacramentum, quando utrumque, vinum ſcilicet, & aqua miſcetur: addit non adunari Chriſto populum, ſi mixtio hæc omittatur; ſpectat ergo eadem mixtio ad ſacramenti *ſubſtantiam*: adducit præterea comparationem hanc: *Calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque miſceatur; quomodo corpus Domini nequit eſſe farina ſola, aut aqua ſola*: at farina ſola valide non conſecratur; ergo nec valide conſecratur vinum ſine aqua. Inſuper dictum ſupra, aquam vino permixtam gerere typum cruoris, qui profluxit ex aperto Domini latere: niſi ergo aqua calix temperetur, non erit hujuſmodi typus, ac ſacramentum.

Reſp. non unum in Euchariſtia ſymbolum reperiri; ſunt enim ibi *ſpecies* panis & vini, quæ ſunt ſignum corporis & ſanguinis Domini, quatenus ſunt cibus, & potus, ſive ſpiritale animarum noſtrarum nutrimentum: eſt utriuſque *ſpeciei* diſtinctio ac ſeparatio, quæ eſt ſignum cruenti ſacrificii, quo piiſſimus Jeſus pro univerſorum hominum redemptione profudit ſanguinem; eſt denique aquæ, vinique permixtio, quæ Chriſti & fidelium ſignificat unionem. Primum ſymbolum eſt de *eſſentia* ſacramenti: alterum neceſſarium eſt ad ſacrificium: tertium habet ſignificationem effectus conſequentis ex ſumptione Euchariſtiæ. Reſpondeo itaque perfici ſacramentum quando vinum & aqua miſcentur, quantum ad myſticam ſignificationem unionis, & copulationis fidelium cum Chriſto, non vero quantum ad ſignificandum continendumque corpus & ſanguinem Domini ſub *ſpeciebus* panis & vini; quæ poſtrema ratio ſigni Euchariſtiæ ſacramento *eſſentialis* eſt. Eodem pacto dico, ſi deſit aqua, tam in farina, quam in vino conſecrando, deeſſe utrobique ſignificationem myſticam illius unitionis; atque id unum velle ea comparatione Cyprianum: quamquam ſit alia ex parte inter farinam, & vinum diſcrimen maximum; quia farina ſine aqua non eſt *panis*, ideoque nec idonea ſacramenti materia; cum e contra vinum abſque permixtione aquæ *vinum* ſit, communis potio, & valida proinde materies. Conſimili ratione affirmo, non eſſe de *eſſentia* ſacramenti, (immo nec ſacrificii,) ſignificare aquam, quæ exiit de perforato Chriſti latere, cum nec ipſa aqua neceſſaria omnino fuerit ad paſſionem, & ad ſacrificium crucis cruentum; quod intelligitur perfectum ſanguinis effuſione: hujus autem ſymbolum eſt conſecratio alterius *ſpeciei*, nempe vini, ad ſacrificium utique neceſſaria.

Oppones 2. adverſus ſecundam partem propoſit. cum Vanroy cap. 2. qu. 5. Diſerte S. Cyprianus epiſt. 63. tradit, Chriſtum aqua calicem temperaſſe, & Apoſtolis præcepiſſe, ut idem facerent. Tertium quoque Carthaginienſe

Con-

Concilium can. 24. mixtionem aquæ appellat *traditionem Dominicam*; nec invenimus quiſpiam Romanorum Pontificum primum de aqua miſcenda vino præceptum tulerit. Eadem ergo mixtio eſt divini præcepti, non Eccleſiaſtici tantum.

Reſpondeo his argumentis ſolum evinci, quod inſtitutio Eccleſiæ vetuſtiſſima ſit, & Chriſti exemplo firmata. Non enim invictum eſt argumentum illud, Chriſtus conſecravit calicem aqua temperatum, tradiditque Apoſtolis, ut idem facerent; ergo permixtio aquæ eſt de præcepto divino: quemadmodum nec illud, Chriſtus conſecravit panem azymum, & mandavit Apoſtolis, ut hoc facerent, ergo azymus ex divino præcepto conſecrandus eſt. Diſtinguenda enim ſunt quæ ſpectant ad ſacramenti, vel ſacrificii *ſubſtantiam*, ut panis triticeus, vinum, certa verborum prolatio; & quæ accidentaria ſunt, ac pro loci, temporis, rituumque circumſtantiis uſurpata, ut quod cœna inſtituta ſit Jeroſolymis, facto veſpere, exiſtentibus tantum azymis, & calice vini aqua temperati menſæ appoſito. In Chriſti utique mandato, *Hoc facite in meam commemorationem*, intelliguntur præſcripta ea, quæ ſunt primi generis, non alia; quippe non ait, *Hoc facite adhibito hoc tantum pane, vino ſic temperato, ſervato hoc tempore*; ſed tantummodo, *Hoc facite*, quod nempe a me factum cernitis, id eſt, *Conſecrate panem, & vinum, comedite, diſtribuite*; refertur enim præceptum illud *Hoc facite* ad proxime peractam actionem, non ad ſingulas omnino, nec ad accidentarias actionis illius circumſtantias. Hinc Cyprianus, & Synodus Carthaginienſis, dum commemorant Dominicam *traditionem*, & inquiunt præcepiſſe Dominum, ut conſecretur vinum aqua permixtum, ita debent accipi, ut ſolum vinum ſit de *eſſentia* Euchariſtiæ: quod e ſcopo, verbiſque eorumdem ſatis conſtat. Cyprianus enim loquitur contra illos, qui in ſacrificiis matutinis ſolam aquam adhibebant, *ne per ſaporem vini redolerent ſanguinem Chriſti*: eoſque reprehendit, quia *ſanguis Chriſti, non aqua eſt utique, ſed vinum; & vini mentio ideo ponitur, ut Domini ſanguis intelligatur*: atque id confirmat vetuſtis figuris Noe, qui vinum bibens inebriatus eſt, Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum, & Judæ, quem benedicens Jacobus ait, *Lavabit in vino ſtolam ſuam*. In quibus profecto nulla mentio aquæ relucet. Poſtquam vero demonſtravit ex traditione Dominica conſecrandum eſſe vinum, & hoc duntaxat in antiquis figuris commendari ad ſignificandum Chriſti ſanguinem; pertranſit Cyprianus ad exponendum aquæ myſterium, de quo paullo ſupra diſſeruimus. At Synodus Carthaginienſis laudato in canone eos damnat, qui ſimul cum vino conſecrabant *mel, & lac*, definiens hæc quidem benedicenda eſſe, ſed non conſecranda, *Nec amplius in ſacrificiis offerendum, quam de uvis, & frumentis*. Non ergo eadem prorſus ratione referunt Cyprianus & Patres Carthaginienſis tertiæ Synodi vinum & aquam ad Domini *traditionem*; ſed unum præſcribunt tanquam abſolute neceſſarium, alterum commendant tanquam retinendum ex Chriſti exemplo, atque ob myſticam rei ſignificationem. Primum ex Romanis Pontificibus mandaſſe ut in conſecratione calicis admiſceatur parum aquæ, Alexandrum, qui Pontifex creatus eſt an. 109. & juxta Baronium an. 121. ſcribunt quamplurimi: fatemur nos antea a Chriſto, & ab Apoſtolis id traditum, ut oſtendit lib. 1. de Rebus Liturgicis §. 3. Eminentiſſimus Bona; non ita tamen, ut Chriſtus id expreſſe præceperit faciendum, ſed quia hoc Chriſtus feciſſe creditur, idem Apoſtoli ſervarunt exemplo Chriſti, & idcirco Eccleſia jure optimo cuſtodiendum eſſe decrevit.

PROPOSITIO IV. Aqua calici infundi debet in modica quantitate.

Id ſimul Eccleſiæ praxi, definitione, & ratione probatur. In antiquo enim Ordine Romano apud illuſtrem Mabillonium, ubi agitur de Miſſa celebrata a ſummo Pontifice, habetur: *Poſt aquæ benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ*. Communis vero Ritus celebrandi Miſſam §. VII. num. 4. præcipit Sacerdoti, ut *parum aquæ* infundat in calicem: & num. 9. de Subdiacono in Miſſa ſolemni miniſtrante, *Infundit* (inquit) *paululum aquæ in calicem*. Triburienſe Concilium an. 895. can. 19. præcepit, ut ſaltem duæ partes ſint vini, & aqua partem tertiam non excedat, hac producta ratione quia major eſt majeſtas ſanguinis Chriſti, quam fragilitas populi. Honorius III. in litteris ad Archiepiſcopum Upſalenſem in Svecia, perniciosum, & contrarium conſuetudini univerſalis Eccleſiæ appellat abuſum quorumdam Septemtrionalium, qui ob vini penuriam, in ſacrificio ponebant *in majori quantitate de aqua, quam de vino*: ac poſtremo Eugenius IV. in Inſtructione Armeniorum declarans materiam conſecrationis eſſe panem triticeum & vinum de vite, addit: *Cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. Ex his autem Catholicæ Eccleſiæ praxis, definitio, ſatiſque obvia ratio depromitur.

PROPOS. V. Etiam aqua vino permixta convertitur in Chriſti ſanguinem.

Hæc aſſertio certa, & communis eſt, & juxta Baronium ad annum 1188. perpetua S. Romanæ Eccleſiæ fide corroboratur, quamquam Theologi bene multi negant hanc propoſitionem eſſe fide certam, propterea quod nullo divinæ Scripturæ teſtimonio, nullaque Conciliorum generalium definitione poſſit invictiſſime demonſtrari, & Innocentius III. Cap. *Cum Marthæ*, extra, de celebrat. Miſſar. *probabiliorem* quidem ſententiam hanc appellaverit, non autem Catholica fide tenendam. Ut ut autem ſit, pertineat ſcilicet ad Fidei decreta, vel non pertineat; hujus ſententiæ firmitas apparet primo ex verbis conſecrationis ſuper vinum aqua temperatum prolatis, in quibus *abſolute*, & abſque ulla exceptione inquit Sacerdos, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, &c. ac ſtatim quidquid in calice eſt, offert Deo, exhibetque populis adorandum: quod utique argumento eſt, aquam vino permixtam, ſimul cum ipſo factam ſanguinem. Idem præterea tradunt Patres; non ii tantum, qui ſcribunt Chriſtum Dominum conſecraſſe calicem mixtum, aut vinum aqua temperatum: quorum nonnullos produximus paullo ſupra; verum etiam alii permulti, qui expreſſe pronuntiant, nil, præter Chriſti ſanguinem in calice contineri, conſecratione peracta. Quod profecto affirmat Irenæus lib. IV. cap. 33. num. 2. ſcribens: *Temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit*. Ambroſius in IV. de Sacram. cap. 4. nu. 19. *Ergo didiciſti quod ex pane corpus fiat Chriſti, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis*: quæ verba extant etiam cap. *Panis*, de Conſecrat. diſt. 2. Paſchaſius Ratbertus in libro de Corpore & Sanguine Domini cap. 11. *Aqua conſecratur*, inquit, *non quod aqua permaneat, ſed vertitur in ſanguinem*. Similia Theodoretus in priori Dialogo, Damaſcenus lib. IV. cap. 14. Hildebertus Cenomanenſis, & Algerus Leodienſis: quorum verba, cum producta ſint a Silvio in 3. p. quæſt. 74. art. 8. & a recentioribus compluribus, brevitatis gratia prætermittam. Addam vero Anſelmum Havelbergenſem Epiſcopum, qui floruit eadem cum S. Bernardo ætate, & anno 1145. libros Dialogorum nuncupavit Eugenio III. Pontif. nam Dialogo III. cap. 20. hanc veritatem ſimul tradit, & illuſtrat his verbis: *Nec mireris quod dico, liquores, aqua ſcilicet & vinum, ſimul conſecrata in unum, ſcilicet ſanguinem, divina operatione tranſeunt ad ſpiritualem vegetationem animarum noſtrarum; cum quotidie quotquot liquores ſumimus, in noſtrum tranſeant ſanguinem ad ſuſtentationem corporum noſtrorum. Ob hoc quippe non inconvenienter vinum & aqua prius myſtice commiſcetur, & tamen poſt conſecrationem nonniſi ſanguis bibitur; quia in illo prius per aquam baptizati, poſtea eum eſuriendo, & ſitiendo ſpiritualiter potamus*, &c. Vide Spicilegium D' Achery tom. 1. pag. 206. Demum, cum anno 1188. hæc eadem quæſtio in Galliis eſſet exorta, num aqua permixta vino vertatur in Chriſti ſanguinem, aut ſubſtantiam retinens ſuam inter ſpecies vini deliteſcat, delata fuit hæc controverſia, tanquam ad judicem, ad Gaufridum olim ſancti Bernardi ſecretarium, a Gaufrido autem ad Henricum Epiſcopum Albanenſem, per id temporis in Gallia Apoſtolicæ Sedis Legatum. Et Gaufridus quidem hæc, quæ a nobis dicta ſunt, ratione & auctoritate commonſtrat ſingulari epiſtola, quæ extat Volum. 3. pag. 208. Annalium Ciſtercienſium Angeli Manrique. At Henrici Cardinalis reſponſum non inveniri ſcribit Baronius; Gaufridi tamen illum confirmaſſe ſententiam obſervat præcitatus Hiſtoricus Ciſtercienſis: immo Baronius, ut dixi, ait, non aliud reſcribere potuiſſe, *quam quod credidit, & cuſtodivit ſemper ſancta Romana Eccleſia, nimirum aquam ſimul & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti*. Quod *probabilius* eſſe docuit poſt decennium plus, minuſve, Innocentius III. cap. prælaudato *Cum Marthæ*, conſultus de ea re a Joanne Bellemenſi Archiepiſcopo quondam Lugduni, poſtea vero, depoſitis infulis, Ciſtercienſi Monacho. Atque hinc eruimus, epiſtolis Gaufridi, & Henrici controverſiam non fuiſſe ſopitam, & Innocentium nullatenus oppoſitam condemnaſſe. Quamobrem aliquantulum exceſſiſſe Baronium, inquit ad an. 1188. Antonius Pagius, num. XII. Sed Baronium ſequitur citato loco Manricus, paullo aſperius Scholaſticos inſectatus. Spondanus quoque eodem anno n. V. ſententiam contrariam appellat *hæreſim*, narratque ex Hiſtoria Slavorum inſigne miraculum, quo apertiſſime refutatur. Adeas Baronium ad annum MCLXXXVIII. num. 27. ad 30. Pagium, & Spondanum ibidem, & Angelum Manricum eodem anno cap. 3.

PROP. VI. Probabilius eſt, aquam vino permixtam *immediate* in Chriſti ſanguinem converti.

Non abſolute theſim hanc pronuntiamus, ſed tanquam probabiliorem; haud quippe ignoramus, oppoſitum teneri a multis Ariſtotelicæ præſertim addictis philoſophiæ: inter quos eminent S. Thomas 3. p. quæſt. 74. art. 8. & in diſt. XI. qu. 2. art. 4. Scotus etiam, S. Bonaventura, Alenſis, Major, Paludanus, aliique permulti, eadem diſtinctione XI. Quorum argumenta ſunt, quod vinum, non aqua, eſt Euchariſtiæ *materia eſſentialis*, uti definitum eſt tertia propoſitione. Alterum, quod Innocentius III. cap. *Cum Marthæ*, opinionibus aliis productis ait: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*; quo in loco loquitur proculdubio de aqua in vinum converſa,

nam

tiam paullo ſupra opinionum iſtam exponens, *Cum in vinum*, inquit, *tranſeat mixto vino*: ac eadem prorſus ſcribit lib. IV. de Myſt. Miſſæ cap. 39. pag. edit. Colon. 389. Similie Catechiſmus Romanus 2. p. cap. 4. num. 17. Præterea non alia ratione quidam, ut Ciſtercienſes, Carthuſiani, & FF. Prædicatores, ponunt aquam vinumque in calicem ſtatim ac ad altare perveniunt, niſi ut longiori temporis intervallo hæc aquæ in vinum converſio facilius perficiatur. Addunt inſuper Joannes Andreas, Panormitanus, aliique celebres JCC. apud Raymundum Capiſucchium, qui de hoc argumento prolixam edidit diſſertationem, haud ſpernendam conjecturam ex myſterii ſignificatione deprompram; ſcilicet, *quia Chriſtus non mutatur in Eccleſiam, ſed Eccleſia in Chriſtum*. Tandem Sylvius, Suarez, Vaſquez, Valentia, & Azorius huic argumento ineſſe putant vim plurimam; quod ſi *ſpecies* aquæ ſepararentur e *ſpeciebus* vini phyſico aliquo artificio, aut vino aceſcente accidentie aquæ perſiſterent, ſub iis tantum ſervaretur Chriſti ſanguis, quod omnino videtur abſurdum & commentitium.

At longe probabilior eſt ſententie paullo ante a nobis propoſita. Ac primo ipſam tenere debent, qui aliam ſectantur ab Ariſtotelica phyſiologiam, atque in mixtis particulas rerum miſcibilium permanere cenſent, de rebus aut percolarione liquidorum, aut concurſu, attritu, conflictuque atomorum concreſcentibus, cum Lucretio lib. 1. aſſerentes,

Inveniens intus multarum ſemina rerum
Corpora celare, & variat cohibere figuras.

Hi quippe philoſophi docent corpus mixtum fieri ex elementis coeuntibus, neque in illo unam tantum eſſe *formam*, ſicut de mixto homogeneo docet Ariſtoteles, niſi *formæ* nomine intelligas aptam elementorum compoſitionem, quæ licet elementis accidentaria ſit, *eſſentialis* eſt tamen corpori mixto; fitque aut percolatione, ut in ſanguine, oleo, vino; aut ſublimatione, ut in fuligine, ſalibuſque arte chimica extractis; aut calcinatione, ut in cinere & in calce; aut concretione, aut exhalatione, aut modis aliis, de quibus pertractant Phyſici. Deinde non tantum Gaſſendus tom. 1. pag. 465. ſed & qui in pluribus Ariſtotelem ſequuntur, negant aquam vino mixtam deperdere naturam ſuam; primum quia ſi guttatim affundatur vino quantitas aquæ major; liquor erit aquæ, quam vino ſimilior; ut ratiocinatur Vanroy cap. 2. q. 6. inſuper, quia ſi aqua injecta in vinum in ipſum verteretur, abſque negotio ullo ex uno vini dolio pauletim addite aque centum fierent, ut demonſtrat Dominicanus Scriptor de Re Sacrament. tom. 1. pag. 371. ulterius, quia ſi poſt guttam in vinum verſam affundatur alia, & rurſus alia, & alie, quouſque moles in duplum, decuplum, & centuplum excreſcat, tota illa moles non erit vinum, nec poteſt inveniri e qua gutta aquæ moles ipſa exuere cœperit naturam ſuam; ut poſt Gaſſendum argumentatur Auguſtinianus Theologus Lovanienſis laudatus ſupra cap. IV.

Dic mihi, cur vinum deſtruxit mixtio nona,
Vel decima? cur non poſt eam vinum manet?

Tandem commonſtrant Phyſici aquam e vino, cui permixta fuit, ſeparari: & quamquam reponant adverſarii aquam eam non eſſe, ſed tenuiores vini partes; contrarium tamen deprehenditur guſtu ac ſapore: & ipſe Innocentius Tertius cit. *Cum Marthæ*, §. *Quæſiviſti*, recitata opinione adverſariorum, addit e veſtigio: *Licet phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam a vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari.*

Nec urgent plurimum argumenta oppoſita; ex verbis enim Innocentii nunc productis, conſtat illum potius ſententiæ noſtræ adhærere, ut animadvertit Tournely pag. Venet. edit. 204. quamquam nos faciliori via primo, aliiſque argumentis reſpondemus, utique verti aquam in Chriſti ſanguinem, *cum prius mixta tranſierit in vinum*, ſed miſcibilia eo ſenſu dici tranſmutata, & converſa, quod unius particulæ ita inſinuentur particulis alterius, ut propriam *formam*, & conſiſtentiam amittant, ac prorſus videantur evanuiſſe. Atque ita ſtat ſua Innocentio, nec non S. Thomæ auctoritas; immo & Ariſtoteli, ſi tamen hujus habenda ſit ratio: nam Philoſophus ille in 1. de Generat. cap. 5. expreſſe negat poſſe aquam phyſice converti in vinum, ut contendunt Ægidius Coninch tom. 1. de Sacram. q. 74. art. 8. Joannes Cardinalis de Lugo de Euch. diſput. IV. ſect. 4. num. 58. & qui præcedenti ſectione tertia ab ipſo viro doctiſſimo laudantur. Perſiſtit hac ratione etiam Joannis Andreæ conjectura; tametſi neceſſarium non eſt, ut ſit figuræ, reique eadem & peræque proportio. Hi autem, qui initio Miſſæ aquam vinumque permiſcent, non id faciunt, ut commode queat illa induere naturam vini, ut ſibi vulgares homines perſuadent: ſed ex eorum conſuetudine, qui principio ſacra done parabant, ut de Græcis ait lib. 2. Rerum Liturg. cap. IX. pag. Rom. edit. 369. eruditiſſimus Cardinalis Joannes Bona. Quod nonnulli, etiam viri docti, minime advertentes, dixerunt Græcos aquam non apponere, aut infundere duntaxat aquam calidam poſt conſecrationem; quod nobis exprobraſſe Gabrielem Philadelphienſem ſcripſimus propoſit. 2. Hunc utique ritum ex ea conſuetudine promanaſſe ſcite obſervat BENEDICTUS XIV. de Sacrif. Miſſæ ſect. 1. num. 260. probans quæ ad hanc oppoſitionem reſpondet Gaſpar Juenin diſſert. IV. quæſt. 2. §. 3. Atque his ſubſcribit etiam Dominicanus Auctor de Re Sacramen. pag. 472. hac ductus ratione, quod ſi Sacerdos conſecraturus mox calicem meminerit non appoſuiſſe ante aquam, ponit illico, nullaque mora interpoſita, profert verba conſecrationis, ex Rubricis Miſſalis tit. *De defectu vini*, num. 3. Corruit denique objectio ultima; ſiquidem cum aqua ſit idonea ſacramenti *materies*, non ratione ſui, ſed quatenus permiata vino; ſi ab hujus *ſpeciebus* ſeparentur *ſpecies* aquæ, non poſſunt hæ ſacramenti retinere rationem, debentque priſtinam aquæ naturam induere: quamquam ſi talis ſeparatio fieri poteſt, adverſarii ſuomet argumento oppugnantur; ſi nequit fieri, illud urgentes oleum operamque deperdunt. At de materie conſecrationis calicis, ubi appoſuero notationem quamdam hiſtoricam, & moralem, dictum ſatis, ſuperque.

A D N O T A T I O.

Conſignarunt nonnulli litteris; atque hos inter in ſeptimo Geographiæ libro Raphael Volaterranus, Innocentium VIII. ad apicem Pontificatus evectum an. 1484. rebus præclare geſtis, laudibuſque, & hymnis Angeli Politiani celebratum indulſiſſe Norvegis, ut abſque vino ſacrificarent, *quod ob immenſa frigora vinum in ea regione importatum aceſcat*. Ad eamdem diſpenſationem concedendam pronum fuiſſe Alexandrum VI. ſucceſſorem Innocentii, ſcribit Bartholomæus Fumus in Summa. Id poſſe concedi e Pontifice, ut abſque vino conficiatur Euchariſtia in iis regionibus, in quibus vinum nequit haberi, ſcripſit vir quidam fama ſanctitatis conſpicuus, nec ejus doctrinam cauſæ beatificationis ejus attuliſſe impedimentum, prodidit lib. 2. de Servorum Dei Beatif. cap. 31. pag. 353. BENEDICTUS XIV.

Verum, quantum ad hiſtoriam attinet, nunquam Romani Pontifices diſpenſarunt, ut abſque vino ſacrificium incruentum perageretur. De Innocentio conſtat, improbos quoſdam homines ſacrilege litteras, quas ipſius nomine conſcribebant, vitiaſſe, falſaque privilegia vendidiſſe, ſacerdotio propterea exutos, ac ſupremo addictos ſupplicio, Dominicum quemdam Viterbienſem, & Franciſcum Meldentem: qui & ementitum hoc privilegium Norvegis obtruſerant, & aliud conjugii permiſſi Gallo cuidam ſacerdoti, atque ſceleſtiſſima alia hujus generis. Tanta vero certitudine hominum illorum nequitia comperta eſt, ut nullatenus potuerint ſtrangulatus, incendiique pœnam evadere; quamvis eorum conſanguinei reos ſexdecim aureorum millibus, necnon magnis adhibitis deprecatoribus redimere adniterentur. Videſis Raynaldum ad annum 1490. num. 22. Abrahamum Bzovium ad eumdem annum num. 39. citato loco Pontificem ter maximum, Burtium quoque, & Sandinum in Vitis Pontificum Romanorum. Nec adducta e Volaterrano ſubſiſtit ratio; vinum quippe in Norvegia facile aſſervari, & in uſu eſſe, commonſtrat eximius Pontifex, Natalis etiam Alexandri, Cardinalis de Lugo, aliorumque teſtimoniis productis. Quibus addo in calidis potius, quam in frigidis regionibus vinum aceſcere; cum vinoſi liquores acorem induant, ubi ſalia in iis deliteſcentia inſolatione exaltantur, depreſſo ſulphure; aut adeo particulæ motu circumvolvuntur, ut atterantur, atque ita oblongæ ac teretes atomi acuminentur, & linguam feriant ſtimulis acrioribus. Quare ſi diuturniori motu adeo colliduntur, ut fiant nimium flexiles, nec amplius queant commovere linguæ nervulos, ſive vehementiori inſolatione avolent vinoſi ſpiritus; liquor aceſcens acorem amittit, & in vappam vinumque inſipidum redit: quod & evenit, ubi in acetum injicitur calx plumbi; quoniam particulæ ſalis Saturni ſalibus acetoſis adjectæ, iiſque cohærentes aciem illorum atterunt, ac retundunt. Atque ita falſam illam de Norvegis opinionem aceto perfundimus. Alexandrum autem VI. a priori ſententia receſſiſſe, re penitius diſcuſſa, tradit prælaudatus Auctor Summæ, immo hæc ab ipſo relate ex vagis incertiſque rumoribus, ſcribit Natalis Alexander de Euch. art. 3. prop. 4. regula 3. Non ergo aut Innocentii, aut Alexandri diſpenſatio poteſt obimdi. De ſervo Dei, cujus nomen reticet eo loci BENEDICTUS, reſpondet ipſemet nulla animadverſione ſententiam ejus fuiſſe notatam, quod ſcripſerit tunc temporis, *quando Breve Innocentii habebatur tanquam legitimum:* quod virum accuratiſſimum, ac diu in Sanctorum actis pervolutandis, dijudicandiſque exercitatum latere nequaquam poterat.

Et hæc quidem, quantum ad hiſtoriam ſpectat, ſatis eſt adnotaviſſe. Nam quantum ad eam quæſtionem utrum fas ſit ſacrificare in una tantum *ſpecie*, ſi deſit altera, adhærendum exiſtimamus S. Thomæ III. p. q. 74. art. 1.

ad

ad 2. Sylvio ibidem Concl. 2. & 3. Soto in IV. diſt. IX. quæſt. 1. art. 1. Suareſio in q. 74. art. 2. ſect. 4. & Theologis aliis nomen, & auctoritate præcipuis. Etenim exigit jus naturæ, ut Deo ſacrificium offeratur in genere ſuo perfectum, atque completum: jus quoque divinum, & Chriſti inſtitutio utramque *ſpeciem* conſecrandam eſſe definiunt. In iis vero, quæ juris aut naturalis, aut divini ſunt, nec Pontifex ſuprema præditus poteſtate diſpenſat, ut ſuadet ratio, docentque Urbanus, & Zozimus Cap. *Sunt quidam*, & cap. *Contra ſtatuta*, c. XXV. quæſt. 1. num. 6. & 7. Quamquam autem Gabriel Biel lect. 84. in Canonem Miſſæ, Joannes Major in IV. diſt. 13. q. 3. & Antoninus Diana p. 8. Tract. de Poteſt. Pontif. in ordine ad Sacram. Reſolut. 23. teneant probabiliorem eſſe contrariam ſententiam, non quod Pontifex revera in naturali, aut divino jure diſpenſet, ſi permittat confici Euchariſtiam in una *ſpecie*, ubi nequeat haberi alia; ſed quod declaret ſolummodo præceptum *integre ſacrificandi* tunc non urgere, propter ſummam neceſſitatem; corruit tamen opinio hæc, quoniam admiſſa etiam alicujus regionis inopia, vinique penuria, hoc ſacramentum utilitatis quidem eſt maximæ, ſed non abſolutæ neceſſitatis; nec propter unius provinciæ commodum recedere fas eſt a Chriſti inſtitutione, ab immutabili divini juris præſcripto, & a ritu univerſalis Eccleſiæ. Atque ob eamdem rationem arbitror nefas eſſe unam tantum *ſpeciem* conſecrare, non ad ſacrificium peragendum, ſed ad percipiendam communionem; propterea quod Euchariſtia ex Chriſti inſtituto, & ritu Eccleſiæ nonniſi a Sacerdotibus ſacrificantibus conſecratur. nec communio ſub præcepto eſſet, ubi cogente neceſſitate non poſſet ſacrificium offerri. Atque hæc erat adnotatio abſoluto capiti ſexto ſubjicienda.

CAPUT VII.

De verbis, quibus conſecratur Euchariſtia.

QUod univerſim de Sacramentis aſſerui libro XXX. cap. 9. & 11. perfici nimirum illa *rebus* ac *verbis*, id profecto de Euchariſtia eſt affirmandum. Dicturus ergo in præſentia *de verbis Conſecrationis*, hæreticos, Græcos ſchiſmaticos, & ſcholaſticorum nonnullos refellendos, & oppugnandos aggredior. Nam permulti hæretici negant in Euchariſtia verba aliqua eſſe pronuntianda, ut Martinus Bucerus in cap. 26. Matthæi: alii proferenda quidem cenſent, ſed hiſtorice, recitative, ac narrative, ad fidem nempe excitandam, ut Calvinus lib. IV. Inſtitut. cap. 17. num. 19. quidam vim quamdam conſecrationis attribuunt verbis, at non iis ſolis, quæ creditur Dominus protuliſſe, ſed etiam aliis ea præcedentibus aut conſequentibus, a ſacerdote prolatis, ut Lutherus in libro de abroganda Miſſa, & in Formula Miſſæ pro Eccleſia Wittembergenſi. Græci autem complures contendunt non ſolum Dominicis verbis, verum etiam præcedente oratione & benedictione ſacerdotis divinæ Euchariſtiæ munera ſanctificari, ut Nicolaus Cabaſilas in Expoſit. Liturgiæ cap. 27. & ſeqq. Marcus Epheſius in Opuſculo, quem inſcripſit, ὅτι οὐ μόνον ἀπὸ τῆς φωνῆς τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων ἁγιάζονται τὰ θεῖα δῶρα, ideſt, *Quod non ſolum a voce Dominicorum verborum ſanctificantur divina dona*, Simeon Theſſalonicenſis agens de particulis, quæ offeruntur in Liturgia, & Samonas Archiepiſcopus Gazæ in diſput. habita cum homine quodam Saraceno. Everterunt utique falſam hanc Græcorum opinionem Cardinalis Beſſarion in Opuſculo de Euchariſt. quod extat tom. XXVI. Bibl. PP. pag. 787. Allatius lib. III. de Conſenſu Occident. & Oriental. Eccleſ. cap. 15. num. 32. & ſeqq. nec non Arcudius lib. III. Concordiæ a viceſimo ſexto capite uſque ad ſeptimum ac triceſimum: ſed eam tamen inſtaurarunt rurſus Antonius Auguſtinus Touttee diſſert. 3. præmiſſa Operibus S. Cyrilli, & Petrus Le Brun tom. 3. Explicat. ſuarum pag. 212. & ſequentibus, refutati a viris clariſſimis, Bougeantio, Urſio, Meratio, ac tandem a BENEDICTO XIV. de Sacrif. Miſſæ ſect. 1. num. 258. Inter Scholaſticos quidam poſt Catharinum, & Maymnium aſſeruere Chriſtum nullis verbis in conſecratione uſum fuiſſe, præſcriptam ab eo tamen *formam* conſecrationis, quam adhiberent ſacerdotes: de qua ſententia legendus Salmeron tom. IX. tractat. 13. Juenin q. 3. de Euch. cap. 1. Tournelius pag. 209. De Scoto fert vulgaris opinio, exiſtimaſſe illum, quod ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſanguis meus*, ad conſecrationem non ſufficiant, propterea quod niſi addantur præcedentia, referuntur ad perſonam loquentis, nec *abſolute* ſignificant contineri ſub panis vinique ſpeciebus corpus, & ſanguinem Domini. Et hæc quidem videtur tradere ſubtilis Doctor in IV. diſt. 8. q. 2. ſed tamen hunc a communi ſententia, quam infra propugnabo, nequaquam recedere cenſent Maſtrius Diſput. 3. de Sacram. q. 6. Fraſſen de forma conſecrat. q. 3. Concl. 2. Hennius diſp. 3. q. 2. Fabro, Brancato, & Scotiſtarum aliis eam, quæ Scoti nomine circumfertur, opinionem tenentibus. Quantum ad Thomiſtas attinet, horum plures inquiunt S. Thomam 3. p. q. 78. art. 3. docuiſſe quod omnia verba, quæ a Latinis proferuntur in conſecratione calicis, pertineant *ad formæ ſubſtantiam*, pro qua ſententia accurate diſputant Gonet diſput. VII. art. 2. Capiſuccus Controverſ. 2. pag. 177. & ſeqq. & præter complures alios eo loci laudatos, Natalis Alexander de Euch. art. 6. prop. unica, Regula 3. Thomiſtarum tamen multi ſtudent præceptorem ſuum ad communiorem ſententiam non explicandam pertrahere; atque, ut mittam Sotum, Joannem a ſancto Thoma, & quos recenſent præcitati Capiſuccus & Gonet, id præſtant Sylvius in quæſt. LXXVIII. art. 3. Contenſonius diſſert. 2. cap. 2. ſpec. 2. & Cardinalis Gotti quæſt. 2. dub. 3. quos ex multis ſatis eſt laudaviſſe.

Inter Catholicos ergo communior, ac verior ſententia eſt, Dominum Jeſum conſecraſſe Euchariſtiam verbis, & hæc præſcripſiſſe ſacerdotibus conſecraturis: eadem verba non *hiſtorice* tantum, ſed *ſignificative* proferri, ideſt, non enarrare quod Chriſtus geſſit, ſed conſecrare ſubjectam materiam: ac virtutem conſecrandi ſolis ineſſe verbis, quæ Salvatoris nomine proferuntur; & *eſſentialia* quidem eſſe, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt ſanguis meus*, ſed non tamen alia poſſe prætermitti abſque crimine ſacrilegii. Quam ſententiam propugnaturus præmitto varias conſecrationis formulas ab illuſtri Martenio collectas lib. 1. de antiq. Eccl. ritibus cap. IV. art. 8. num. 29. In Liturgia ergo ſancti Jacobi conſecrandi formula hiſce verbis exprimitur: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remiſſionem peccatorum. Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum.* Addit Liturgia S. Marci poſt pronomen *Hoc*, & *Hic*, particulam *enim*. In Conſtitut. Apoſtol. ſub Clementis nomine lib. VIII. cap. 17. hæc extat formula, *Hoc eſt corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſſionem peccatorum. Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* In Liturgiis ſanctorum Baſilii, & Chryſoſtomi poſt *Sanguis meus* additur, *novi teſtamenti*. Conſimilis eſt Liturgia ſancti Cyrilli. Æthiopes utrique formulæ addunt, *Amen*. Mozarabes hac utuntur: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic eſt calix novi teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In libris Sacramentorum laudatis Ambroſii nomine forma hæc legitur: *Hoc eſt enim corpus meum, quod pro multis confringetur. Hic eſt enim ſanguis meus.* Sacramentarium denique S. Gregorii, Miſſale Romanum, Ambroſianum, Indorum, aliaque hanc exhibent: *Hoc eſt enim corpus meum. Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* His autem exſcriptis formulis, propoſitam controverſiam ita partimur, atque expedimus.

PROP. I. Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo uſus eſt verbis.

Demonſtratur 1. Conſtat ex Evangeliſtis, & ex priori ad Corinthios Epiſtola cap. XI. Dominum Jeſum in inſtitutione cœnæ verba conſecrationis protuliſſe, ſimul præceptionem illam ſubjiciens, *Hoc facite in meam commemorationem*. Igitur ſacerdotes idipſum, iiſdemque verbis faciunt, quod fecit Chriſtus: ideoque ſi ſacerdotes verbis conſecrant, id quoque perfecit Dominus. II. Tridentina Synodus ſeſſ. XIII. cap. 1. ita de Euchariſtia loquitur: *Hoc admirabile Sacramentum in ultima cœna inſtituit, cum poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum corpus præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt: quæ verba a ſanctis Evangeliſtis commemorata, a divo Paulo poſtea repetita ſunt.* Non ergo in benedictione panis & vini, ſed in verbis poſt ipſam benedictionem prolatis, inſtitutio, & conſecratio Euchariſtiæ ſita eſt. III. Eadem eſt ſententia Patrum, quos proxima propoſit. 3. laudabo. IV. Oppoſitum quidam tenuere, propterea quod *benedictio* Domini, & *conſecratio* idem ſint, ex Apoſtolo 1. ad Corinth. X. 14. ſcribente, *Calix benedictionis, cui benedicimus*; Dominus vero panem vinumque benedixerit ante prolationem verborum. At nihil ea ratione concluditur. Principio enim in ea ſumus ſententia, quod benedictio, & gratiarum actio fuerint ritus conſecrationi præmiſſi, quia id commonſtrat planior Evangelicæ hiſtoriæ ſenſus; quia id innuit vox aoriſtica, εὐλογήσας, ideſt, *Cum benedixiſſet*, & εὐχαριστήσας, ſcilicet, *Cum gratias egiſſet*, quæ præteriti temporis habent ſignificationem; & quia, ut oſtendi cap. 3. ſervavit Dominus in poſtrema cœna ritus Judæorum, qui panem cum actione gratiarum frangebant. Quæ expendens Eſtius in caput XXVI. 26. Matth. *Improbabiliter* (inquit) *noſtro judicio ſentiunt qui hanc benedictionem putant fuiſſe ipſam conſecrationem corporis Domini*. Idem docet in 1. ad Corinth. cap. 10. ubi etiam poſt Janſenium obſervat, Jeſum magna aggreſſurum miracula in cælum oculos elevaſſe, & Patri gratias egiſſe, ut præſtitit ſuſcitaturus Lazarum, & panes multiplicaturus: nec aliter in Commentariis ſuis Calmetius. At de his plura libro XXX. cap. 11. Deinde non deſunt eximii

Theologi, qui *benedictionem*, & *conſecrationem* iiſdem verbis putant eſſe peractam; a qua ſententia non videntur alieni S. Thomas 3. p. q. 78. art. 1. Joannes a S. Thoma diſput. 29. de Euch. Bellarminus lib. IV. cap. 8. Becanus in Summa cap. 2. q. 3. Du-Hamelius cap. IV. num. 3. aliique permulti apud Capiſuc. pag. 567. quoniam Eccleſiæ Patres ſæpenumero conſecrationem, & myſticam benedictionem indiſcriminatim accipiunt; & revera quod conſecratur, cæleſti benedictione repletur. Quibus Theologis ſi opponas quod nuper diximus, benedictionem præceſſiſſe conſecrationi; in promptu reſpondent, Evangeliſtas non ſemper narrare res eo ordine, quo geſtæ ſunt, ut lib. de Conſenſu Evangeliſtarum non uno in loco animadvertit ſapientiſſimus Auguſtinus. Verum poſtremam ſententiam iſtam ortam puto ex æquivocatione verborum; nam ſi *benedictionem* accipias pro oratione ſeu apprecatione tacta ſacris muneribus conſecrandis, & quam non credo fuiſſe a Domino prætermiſſam, benedictio a conſecratione diverſa eſt; ſi autem *benedictionem* dixeris, quod myſtica dona immutat, redditque ſancta, benedicta, vivifica, proculdubio idem ſunt verba conſecrationis & benedictio. Hac autem diſtinctione præmiſſa facile ſolvitur quidquid ſolent opponere ſententiæ illius auctores, ſive ratiocinationibus ſuis, ſive veterum teſtimoniis.

PROPOS. II. Nullo Eccleſiæ decreto definitum eſt, Chriſtum Dominum in Euchariſtiæ conſecratione verba quædam adhibuiſſe.

Aut enim id præcitatis Tridentini Concilii verbis commonſtraretur, aut Florentini hæc in decreto unionis aſſerentis: *Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit ſacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit ſacramentum*. At quamquam revera propoſitionem præcedentem adſtruere videantur hæc ſacroſancta Concilia; ſtaret nihilominus ſua illis auctoritas, ſi diceretur Dominum Jeſum *benedictione* ſua conſecraſſe, ac ſtatim præſcripſiſſe *formam*, qua conſecrarent presbyteri, adeo, ut *inſtituere*, & *conficere ſacramentum* deſignet utrumque, ideſt, conſecrationem tunc a Chriſto *benedictione* peractam, & determinationem *formæ* ab aliis in conſecratione adhibendæ. Ut enim Deus-homo potuit abſque verbis peccata dimittere, & dare Spiritum ſanctum, quæ dum nos ſola miniſterii præditi poteſtate præſtamus inſtrumentis, verbiſque ab eo præſtitutis; ita potuit panem vinumque convertere in corpus & ſanguinem ſuum, quam converſionem decebat a nobis fieri ſubordinatione miniſterii, & modo ipſius auctoritate inſtituto. Atque hac propoſitione ita a nobis explicata, ſequitur neceſſariam eſſe *formam* in conſecratione, tametſi, uti viſum nonnullis, abſque illa Dominus conſecraſſet. I. Invicte tamen non demonſtratur hæc theſis ex cap. 24. Lucæ, ubi narratur Chriſtum in Emmaus panem benediſſe & fregiſſe, nulla expreſſa verborum formula. Sunt enim bene multi, qui negant tunc Jeſum confeciſſe Euchariſtiam, ut obſervant Lyranus, Maldonatus, Janſenius, Calmet, alii. Deinde ſi Euchariſtiam confeciſſe dicendus eſt, quod utique affirmat S. P. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Evang. cap. 25. num. 72. & ſerm. 87. de diverſis, nunc 234. num. 2. non probatur ex ſilentio Scripturæ Chriſtum non protuliſſe verba conſecrationis; præſertim cum viri docti benedictionem, & prolationem verborum idem eſſe contendant, ut diximus paullo ſupra. III. Nihil de hac quæſtione ab Eccleſia definitum teſtantur in fine Opuſculi 2. Ambroſius Catharinus, Alphonſus Salmeron circa finem præcitati Tract. XIII. & ex Scholaſticis Juenin q. 3. cap. 1. Tournely pag. 214. Du-Hamelius pag. 753. Nec probabile eſt ſacroſanctum Concilium coadunatum ad hæreſes extirpandas voluiſſe cenſuram inurere ſententiæ, quam viri celebres tenuerunt, & quæ hæreticorum, ex Chriſti conſecratione neceſſitatem proferendæ *formæ* negantium, elidit quamfacillime cavillationes. IV. Subſcribunt denique non Catharinus tantum, & Chriſtophorus a Capitefontium, verum etiam Archidiaconus, ſeu Guido Bononienſis, & Guilelmus Durandus lib. IV. Rationalis divin. Offic. cap. 41. num. 15. Innocentio III. ſcribenti lib. IV. Myſt. Miſſæ cap. 6. pag. edit. Colon. 337. *Sane dici poteſt, quod Chriſtus divina virtute confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Ipſe namque per ſe virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis*. Hæc tamen Innocentii verba præcedenti propoſitioni non adverſantur; ſiquidem *optative* tantum prolata ſunt, ut animadvertit S. Thomas 3. p. q. 78. art. 1. ad 1.

PROP. III. Euchariſtia verbis Dominicis, non precibus, quæ antea, vel poſtea recitantur, a Sacerdotibus conſecratur.

Demonſtratur primo; nam Tridentina, ac Florentina Synodus declarant Euchariſtiam inſtitutam, confectumque ſacramentum verbis, quæ a ſanctis Evangeliſtis commemorata & ab Apoſtolo repetita ſunt, quibus teſtatus eſt Dominus corpus, & ſanguinem ſuum præbere diſcipulis, & quorum prolatione loquitur Sacerdos in Chriſti perſona. At hæc verba ſunt ea tantum, quæ Dominus pronuntiavit. His igitur verbis ſolis conficitur, conſecraturque Euchariſtia. Probatur ſecundo Latinorum Patrum auctoritate: inter quos Tertullianus lib. IV. contra Marcionem cap. 40. ait: *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus illum ſuum fecit dicendo: Hoc eſt meum corpus*. Ambroſius de Myſteriis cap. IX. num. 52. *Quod ſi tantum*, inquit, *valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur?* Quæ verba num. 54. Ambroſius recenſens ſequitur: *Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem Corpus ſignificatur, &c.* In quem locum recte Benedictini Editores: *Hic apertiſſime ſacramentalis conſecratio fieri docetur ipſiſmet Domini verbis*; obſervantque accurate hunc locum valere plurimum ad componenda ſcholarum diſſidia; ſiquidem ex his liquet conſecrationem, & benedictionem idem ſonare. Eadem vero reperit S. Pater, aut quiſquis auctor eſt librorum de Sacramentis, lib. IV. cap. 4. num. 14. ſcribens: *Sermo Chriſti hoc conficit ſacramentum*; ac num. 19. *Fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis*, nec non cap. 5. num. 23. *Antequam conſecretur, panis eſt: ubi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti*, aliaque plura, de quibus vide quæ ſcripſimus Volum. III. pag. 199. Ne autem reponas etiam preces, & quæ hiſtorice recitantur eſſe Dei verbum, & Chriſti ſermonem; duo animadverto; primum ſcilicet, quod Ambroſius ſermonem Chriſti, & verba conſecrationis ea tantum appellat, quæ Chriſti nomine proferuntur, dicens de Myſteriis loco cit. *Ipſe clamat Dominus Jeſus, Hoc eſt corpus meum*; & in IV. de Sacram. cap. 5. num. 21. *Illa verba Evangeliſtæ ſunt uſque ad Accipite: Inde verba ſunt Chriſti*. Alterum, quod Ambroſius expreſſe a verbis conſecrationis ſejungit preces, & quidquid aut orando, aut narrando profertur: ait enim præcedenti num. 4. *Conſecratio autem, quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in ſuperioribus, a ſacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile ſacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur ſacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti*. S. P. Auguſtinus ſerm. 227. alias 83. de diverſ. inquit: *Panis ille, quem videtis in altari, ſanctificatus per verbum Dei, corpus eſt Chriſti. Calix ille, immo quod habet calix, ſanctificatum per verbum Dei, ſanguis eſt Chriſti*. Vide apud Martenium tom. 1. de Antiq. Eccl. Rit. pag. 405. teſtimonia reliqua Latinorum, Euſebii Emiſſeni, Remigii Antiſſiodorenſis, Paſchaſii Radberti, Stephani Eduenſis, nec non profeſſionem fidei, qua Berengarius hæreſim ſuam abjuravit.

Adverſus autem Græcos, quos præcipue patimur adverſarios, urgemus primo teſtimonia Patrum Orientalium. Nam Juſtinus Apologia 2. pag. edit. Jonnii 98. docet Euchariſtiam conſecrari δι' εὐχῆς λόγου *per orationem verbi*: ubi advertas, quæſo, nomine εὐχῆς non ſignificari effuſam deprecationem, ſed animi ſententiam expreſſam verbis, hoc præſertim loco, in quo linea poſt decima legitur orationem illam verbi fuiſſe quæ conſcripta eſt in Evangeliis, nimirum, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *Hoc eſt corpus meum*, & τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, *Hic eſt ſanguis meus*. Ait etiam ibidem Juſtinus, Euchariſtiam ea virtute perfici, *qua per verbum Dei caro factus eſt Jeſus Chriſtus Salvator noſter*, quod utique per humanas preces factum non eſt. Irenæus l. IV. adverſus hær. cap. 32. & ex diſtinct. Maſſuet 17. num. 5. apertiſſime tradit Dominum in corpus ſuum vertiſſe creaturam panis, dum ait, *Hoc eſt meum corpus*: & lib. V. cap. 2. num. 3. de pane & vino, Καὶ, inquit, προσλαμβανόμενα τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ εὐχαριστία γίνεται, *Et percipientia Dei verbum Euchariſtia fiunt*. Gregorius Nyſſenus in Orat. Catech. cap. 37. de pane loquitur ad hunc modum: εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα διὰ τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται, ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *Statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum eſt, a verbo, Hoc eſt corpus meum*. S. Joannes Chryſoſtomus hom. 2. in ſecundam Epiſtolam ad Timoth. demonſtrat non homines, ſed Chriſtum ſacrificare divina dona, eamdemque eſſe ipſius Chriſti ac ſacerdotum oblationem, quoniam Euchariſtia perficitur ejuſdem Domini verbis, ita ſcribens: ὥσπερ γὰρ τὰ ῥήματα, ἅπερ ὁ Χριστὸς ἐφθέγξατο, τὰ αὐτά ἐστιν, ἅπερ ὁ ἱερεὺς καὶ νῦν λέγει, οὕτως δὲ ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι, &c. *Quemadmodum enim verba, quæ protulit Chriſtus, eadem ſunt, quæ ſacerdos nunc quoque pronunciat, ita & oblatio eadem eſt*. Et de proditione Judæ: τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα φησὶν ὁ ἱερεύς. τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταρρυθμίζει, *Hoc meum eſt corpus, inquit Sacerdos: hoc verbum propoſita in aliam formam convertit*. Joannis Damaſceni illuſtrem locum produximus tom. III. pag. 198. Theophylactus in cap. 6. Joannis ſcribit transformari panem in Chriſti carnem ἀπορρήτοις λόγοις, *arcanis verbis*: de qua expreſſione lege Arcudium lib. 3. c. 32. Poſtremo Joannes Phurnes in Epiſtola de ritibus in Communione immutatis apud Allatium lib. 3. de Perpet. Conſenſ. Occidentalis & Orient. Eccleſ. cap. XV. num. 32. hæc habet: ἄρτον τῆς εὐλογίας ὁρῶμεν ὑπὸ τῶν ἀποστόλων ἁγιαζόμενον ἐν τῷ μόνῳ ἐπιλέγεσθαι, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, &c. *Panem benedictionis videmus ab Apoſtolis ſanctificatum*

illis

illis tantummodo verbis, *Hoc eſt*, *&c.* Horum vero, aliorumque teſtimonia palmarem quoque rationem nobis commonſtrant. Siquidem preces, & quidquid Liturgiæ ſuperaddunt, Eccleſiaſticæ inſtitutionis ſunt, non Dominicæ: non Chriſti, ſed noſtro nomine proferuntur; nec ſignificant latere ſub panis vinique ſpeciebus corpus & ſanguinem Chriſti, ſed hujus nobis communionem, gratiamque apprecantur. Si ergo Patres docent confici Euchariſtiam dum ſacra munera percipiunt Dei verbum, dum ſacerdos profert eumdem Chriſti ſermonem, dum ait, *Hoc eſt corpus meum*; omni dubio procul verbis iſtis, non adjectis precibus conficitur Sacramentum.

Refutantur præterea Græci ex ipſiſmet Liturgiis, unde petunt erroris ſui patrocinium. Primo enim Liturgiæ omnes *formam* conſecrandæ Euchariſtiæ in verbis Dominicis ſtatuunt, in precibus autem adjectis plurimum diſcrepant: quod invicte demonſtrat eſſe in his humanam, & variabilem inſtitutionem, non a Chriſto ſtatutam atque immutabilem. Deinde ne recedam a Liturgiis Baſilii, Chryſoſtomi, aliiſque apud Græcos receptis; cum Sacerdos alta voce pronuntiavit Chriſti verba, populus uno ore reſpondet, *Amen*. Qua reſponſione profitetur ita revera eſſe, quod Sacerdos elata voce affirmavit, panem nempe, vinumque in corpus, & ſanguinem Chriſti tranſiiſſe: unde Cardinalis Beſſarion tom. XXVI. Bibliothec. PP. pag. 795. ita Marcum Epheſium perſtringit: *Sacerdote verba illa alta voce, ut vos Græci ſoletis, pronunciante, aſſiſtens populus in utraque parte reſpondet, Amen, quaſi dicat, vere ita eſt, ut tu dicis. Amen enim cum adfirmandi apud Hebræos adverbium ſit, Græce idem quod Vere ſignificat. Amen igitur ad ea verba reſpondens populus, Certe, inquit, corpus & ſanguis Chriſti ſunt munera iſta propoſita, ita credimus, ita confitemur. Et quomodo, quæſo te, non eſſet turpe ad putandum, eos qui doctores haberi volunt, ea ignorare, quæ ſæculares, & ſacrarum litterarum ignari reſpondendo Amen manifeſte ſe ſcire ſignificant?* Id confirmat Cardinalis ampliſſimus ex ritu, quo Diaconus, dum Sacerdos profert conſecrationis verba, elevata ſtolæ extremitate, & quaſi Præcurſoris fungens officio, propoſita dona commonſtrat; ideoque ita Beſſarion proſequitur, *Quid? nonne aſſiſtens ſacerdoti Diaconus, eique miniſtrans, dum ſacerdos alta voce, juxta Orientalis Eccleſiæ ritum, verba illa pronunciat, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus, ipſe propria ſtola duobus primis digitis tacta panem, & calicem oſtendit? nihil aliud certe ſignificans, niſi panem illum Chriſti eſſe corpus, & quod in calice eſt, eſſe ſanguinem ejus, quemadmodum verbis illis aſſeritur. Et hæc ſane oſtendens Diaconus non mentitur, & non mentiens cum iis ſentit, qui ſola Domini verba ajunt hoc ſacrum perficere ſacramentum. Neque enim fruſtra tales inſtitutæ ſunt ab Eccleſia ceremoniæ.* Simili ratione adverſus Græcos ratiocinatur Goarius in Euchologio pag. 139. in not. ad Miſſam Chryſoſtomi, Allatius cit. cap. XV. pag. 1234. & Arcudius lib. III. cap. 26. pag. 215.

Poſtremo iidem Græci refelluntur apertiſſima ſuorum confeſſione. Etenim ſeſſ. 25. Florentini Concilii ita de verbis illis, *Hoc eſt corpus meum*, proteſtati ſunt: *Fateri nos diximus per hæc verba tranſubſtantiari ſacrum panem, & fieri corpus Chriſti: ſed poſtea quemadmodum & ipſi dicitis, Jube hæc perferri per manus ſancti angeli tui in ſublime altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, Ut Spiritus ſanctus deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui, & quod in calice iſto eſt, pretioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutetque ipſa Spiritu ſancto ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, & non fiant in judicium & condemnationem noſtram.* Vide tom. XIII. Concil. Labb. pag. 491. Joſeph quoque Patriarcha Conſtantinopolitanus in extrema ſententia ibidem pag. 498. *De myſteriis*, inquit, *fatemur ea conſecrari per Domini vocet, licet nos poſtea invocando dicamus, Fiat corpus, & ſanguis Chriſti.* In Confeſſione pariter, quam ex autographo Florentiæ reperto edidit tom. I. Muſei Italici pag. 245. præclariſſimus Mabillonius, hæc perleguntur: *Quoniam ab omnibus ſanctis Doctoribus Eccleſiæ, præſertim ab illo beatiſſimo Joanne Chryſoſtomo, qui nobis notiſſimus eſt, audivimus verba Dominica eſſe illa, quæ mutant, & tranſubſtantiant panem & vinum in Corpus verum Chriſti, & ſanguinem, quod verba illa divina Salvatoris omnem virtutem tranſubſtantiationis habent; nos ipſum ſanctiſſimum Doctorem, & illius ſententiam ſequimur de neceſſitate.* Hanc autem Confeſſionem non levis eſſe momenti ad demonſtrandam Græcorum de Euchariſtia fidem, de qua tot ac tantæ controverſiæ a Calviniſtis excitatæ ſunt, recte citato in loco affirmavit illuſtris Mabillon, cum & controverſiam hanc dirimant, & tranſubſtantiationem, de qua proximo capite, manifeſte adſtruant.

At adverſus tertiam hanc poſitionem oppones primo illa Patrum teſtimonia, quæ precibus videntur Euchariſtiæ tribuere conſecrationem; cujuſmodi ſunt prælandata verba Juſtini: Irenæi quoque in IV. adverſus hæreſes, cap. 18. Hieronymi in Epiſtola ad Evangelum, Auguſtini tract. 118. in Joannem, & lib. III. de Trinit. c. 4. Synodi etiam Cariſiacæ in Opuſc. IV. apud Hincmarum: quæ omnia afferunt, explicantque Contenſ. tom. VII. pag. 430. Juenin q. 3. de Euchar. art. 2. Tournelius q. 4. art. 8. Concl. 3. aliique paſſim. Quibus & reſpondent Euchariſtiam eatenus precibus conſecrari, quatenus ſacra myſteria abſque orationibus non peraguntur, non quatenus orationi vis ineſt conſecrandi, ſive, ut ſcholæ locutione inquiunt ſua, *concomitanter*, aut *diſpoſitive*, ſed non *formaliter*. Atque huic reſponſioni ſuum ſtat communi Theologorum ſuffragio pondus ac robur. Puto tamen ego martyrem Juſtinum δι' εὐχῆς λόγου, non precem aliquam, ſed enuntiativa Verbi Jeſu verba expreſſiſſe, ut adnotatum eſt paullo ſupra: idemque ſentio de Irenæo eo loci ſcribente, *Panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia*, ἄρτος προσλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ, οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστὶν, ἀλλ' εὐχαριστία. Enim vero preces non ad panem, ſed ad Deum diriguntur, & ἔκκλησις non *invocationem* ſonat tantum, ſed prolationem quoque, & alterius teſtimonii *denuntiationem*. Haud aliter ſentio de Cyrillo Jeroſolymorum Epiſcopo, qui Catecheſi prima, & tertia ex Myſtagogicis phraſi utitur ſimili; tametſi Cyrillus non *invocatione* fieri corpus Dominicum ſcribat, ſed *invocatione peracta*, ἐπικλήσεως δὲ γενομένης, ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, pag. edit. Morel. 510., ideſt, *Facta autem invocatione, panis fit corpus Chriſti*: quod utique præmiſſæ reſponſioni inter Scholaſticos pervulgatæ cohæret plurimum. Hieronymus vero non *formam* conſecrationis recenſet, ſed miniſterium ſacerdotum conſecrantium; quorum dignitatem præferendam Diaconatus honori, in Epiſtola ad Evangelum recte, ſapienterque demonſtrat. Eodem ſenſu Auguſtinus lib. III. de Trinit. cap. 4. num. 10. ait accipere nos Chriſti corpus *prece myſtica conſecratum*, in Liturgiis nempe, & in Miſſa, quæ majori ex parte conſtat precibus. Si autem hæ omitterentur, non *rite* conficeretur Euchariſtia, ut S. Pater affirmat tract. 118. in Joannem, num. 5. conficeretur nihilo tamen minus *valide*. Auguſtinus namque de precibus, & de ſigno crucis ſcribit prorſus eadem: ac ſignum crucis pertinere ad ſolam rituum condecentiam, donorumque oblatorum benedictionem, conſentiunt omnes. Poſtremo cum Euchariſtia non ſolum ſit ſacramentum, verum etiam ſacrificium, jugiſque gratiarum actio certis ritibus, & ſupplicationibus quotidie peracta, affirmavere interdum Patres, perfici illam precibus, quas fundimus in ſacrificio, ut conſtat ex ipſomet Auguſtino lib. V. contra Donatiſtas cap. 20. num. 28. ex Gregorio Magno lib. IX. epiſt. 12. alias 64. atque ex Juſtino in fine Apolog. 2. ſemper enim in Liturgiæ celebratione preces fuerunt adhibitæ, Dominica præſertim oratio; quod movit Amalarium, ut aliquando putaret hanc ad conſecrandum Chriſti corpus ſufficere: quem errorem retractaſſe auctor eſt Comment. in Ord. Rom. cap. 12. eximius Mabillon. Sed de objectione hac vulgatiſſima dictum ſatis.

Gravioris momenti forent objecta Græcorum, niſi adverſus illa a nobis ſtatuta eſſent firmiora præſidia. Objiciunt ergo: In Miſſa Chryſoſtomi poſt Chriſti verba orat Sacerdos dicens: κατάπεμψον τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, hoc eſt, *Emitte Spiritum tuum ſanctum in nos, & ſuper propoſita dona iſta*; ac paullo poſt: Ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, *Fac quidem panem hunc, pretioſum corpus Chriſti tui*. Ita Euchologium pag. 77. Similia in Jacobi, Marci, Clementis, & Baſilii Liturgiis reperiri, citatis in locis Arcudius, & Allatius teſtantur. Præterea in Liturgia Baſilii pag. Euchol. 169. poſt recitationem arcanorum verborum habetur oratio, quæ incipit, Διὰ τοῦτο, *Propter hoc*, in qua panis & vinum appellantur τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, *Antitypa, ac ſymbola præſignantia ſanctum corpus, ac ſanguinem Chriſti tui*. Ac Joannes Damaſcenus teſtis eſt lib. IV. de fide Orthodoxa, ſacra dona dici a Baſilio *Antitypa*, ac ſigna typum gerentia, ante, non poſt conſecrationem: ſcribit enim cap. 14. Εἰ δὲ καὶ τινες ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου τὸν ἄρτον, καὶ τὸν οἶνον ἐκάλεσαν, ὡς ὁ θεοφόρος ἔφη Βασίλειος, οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπον, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι αὐτὴν τὴν προσφορὰν οὕτως καλέσαντες, *Si autem aliqui antitypa corporis & ſanguinis Domini panem vinumque appellaverunt, quemadmodum Deifer inquit Baſilius, non poſt conſecrationem, ſed antequam conſecraretur oblatio, appellarunt ita.* Interpretantur quoque illam Baſilii vocem eodem pacto Joannes & Epiphanius Diaconi act. 6. ſeptimæ Œcumenicæ Synodi. Vide lib. III. cap. 27. pag. 221. doctum Arcudium. Ex quibus omnibus conſurgit hæc objectio Græcorum: Poſt verborum Domini prolationem *propoſita dona*, panis ſcilicet ac vinum, ſanctificata nondum ſunt, nec verſa in Chriſti corpus, & ſanguinem; ſed gerunt adhuc iſtorum *typum* prænuntiativum. Non ergo verbis Dominicis tantum conſecratur Euchariſtia.

Occurrit huic argumento doctiſſimus Cardinalis Beſſarion triplici reſponſione; quarum prima eſt, inuſitatum non eſſe orare pro donis jam ſanctificatis & conſecratis, ut conſtat ex Liturgiis Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ: quod idcirco fit in ſacro myſterio, ut poſt

quam factum eſt corpus Chriſti *verum*, fiat *myſticum*, illud ſcilicet, quo fideles Chriſto participatione ſacramenti uniuntur. Reſponſio Beſſarionis altera eſt, nullatenus abſurdum judicari rurſus petere quæ ſemel conceſſa ſunt, ut quod adeptum eſt, dum iterum quæritur, teneatur amore ac deſiderio vehementiori. Tertia ejuſdem reſponſio eſt, id fieri, ut populus percipiat conſecrationem eſſe opus totius Trinitatis. Quarum ſolutionum duæ tanto viro dignæ ſunt: at tertia videtur Arcudio nimium infirma, propterea quod neceſſum non eſt, ut omnes perſonæ exprimantur, atque una nominata reliquæ *implicite*, ut ajunt, intelligantur: ac præterea verba, quæ objiciuntur, recitantur ſecreto, non voce elata, ut audiantur a populo. Quibus addo, Trinitatem ad extra operari ſimul atque indiviſim; & inepte peti, ut fiat a Patre & a Spiritu ſancto, quod jam a Filio creditur eſſe perfectum.

Memoratus Arcudius non male pag. 251. eam præfert reſponſionem, quæ ait non *præciſe* Græcorum presbyteros deprecari, ut fiat Chriſti corpus, ſed *ut fiat ſuſcipientibus*. Ac obſervat primo Baſilium non dixiſſe *Fac*, ſed, *Oſtende*: quod tamen repugnat Euchologio Goarii citata pag. 169. ubi legitur, *τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον ποίησον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *Panem quidem hunc fac ipſum pretioſum corpus Domini & Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Deinde ait Arcudius ſubintelligendum in illis verbis participium *ὄντα*, ut ſenſus ſit, *Fac hunc panem, qui eſt corpus, &c.* Inquit præterea ita hæc verba eſſe explicanda, *Fac per effectum ſacramentalem in anima juſti*, per ſpiritalem ſcilicet nutritionem. Allatius vero id ſubtilius exponens tres in ſacrificio actiones diſtinguit, nempe ut res immoletur, ut offeratur, ut abſumatur: quarum prima fit verbis Chriſti, altera precibus, tertia autem communione. Hoſtia itaque immolata, & pane ac vino conſecratione immutatis, adhuc Sacerdos ait, *Fac*, hoc ſcilicet, ut Deo acceptum ſit ſacrificium, animarumque noſtrarum nutrimentum: quæ Allatius a num. 41. ad 42. prolixa explicatione declarat. Addit verba, quæ proxime ſequuntur in Liturgia, *Μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ*, *Immutans Spiritu tuo ſancto*, cum non præſentis ſignificationis ſint, ſed præteritæ, reddenda Latine, *Poſtquam tranſmutaſti*, præmiſſamque expoſitionem corroborare. Quæ omnia eo collineant, ut oſtendant illud *Fac* referendum eſſe ad ſpiritalem effectum, non ad panis, aut vini conſecrationem. Goarius pag. 177. advertit ea verba, *Καὶ ποίησον, &c.* in quibuſdam MSS. omitti, variare Regia, & ea, quibus utuntur Baſiliani commorantes inter Latinos: ut hinc etiam eruas exploratiſſimam non eſſe, quod alibi monui, Euchologiorum, poſt tot Græciæ ſciſſuras, auctoritatem. Atque hæc ſummatim producta ſunt, quæ fuſiori ſtilo repoſuerunt viri in lingua, ritibuſque Græcorum plurimum exercitati.

Renaudotius in Comment. ad Liturgiam Copticam S. Baſilii pag. 250. ex his reſponſionibus eam præfert, quæ ait Sacerdotem myſterium perpendentem, ac propriæ memorem fragilitatis, iteratis precibus poſtulare quod jam conceſſum eſt, ac ſi nondum foret conceſſum: veluti dum poſt baptiſmum in Ordine Severi hæc recitatur oratio, *Tu Domine ſervos tuos, qui nunc baptizati ſunt regenerationis lavacro, ſanctifica in veritate tua*, aut dum poſt Confirmationem orat Epiſcopus, ut Spiritus ſanctus chriſmatos *confirmet*, atque *perficiat*; aut dum Ordinatione per verba Sacramentalia, & manuum impoſitionem completa, oratur Deus, ut jam conſecrato tribuat auctoritatem ac poteſtatem. Ego tamen illi reſponſioni adhæreo, quæ aſſerit Liturgiam Græcorum explicandam eſſe de effectu ſacramentali, & peti in ea, *ut fiat corpus Chriſti communicantibus in purgationem animæ*: primum quia id manifeſtum eſt ex præmiſſis Græcorum Confeſſionibus; deinde quia id quadrat maxime in Liturgiam Baſilianam, in qua proxime ſequitur pag. 170. Euch. *Καὶ μηδένα ἡμῶν εἰς κρίμα, ἢ εἰς κατάκριμα, ποιήσαις μετέχειν τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. Et neminem noſtrum in judicium, & condemnationem facias participem eſſe ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui*. Videtur præterea hæc reſponſio confirmari iiſdem a Renaudotio productis exemplis, quæ non de impreſſo jam *charactere*, ſed de *gratia*, ad quam in ſuſcipientibus obex adeſſe poteſt, explicantur percommode. Firmiſſima tandem deprehendetur reſponſio iſta, ſi preces Liturgicæ conferantur cum præmiſſis Patrum teſtimoniis, & cum populi voce ſtatim poſt Dominica verba præſens Chriſti corpus profitentis, necnon cum actione Diaconi illud commonſtrantis credendum, atque adorandum. De quibus omnibus paullo ſupra ſingillatim diſſerui.

Pertractandum nunc foret de voce *Antitypi*, niſi de ea luculenter egiſſent Bellarminus, & Perronius lib. 2. de Euchariſt. Arcudius lib. 3. cap. 34. Allatius lib. III. Conſ. cap. XV. num. 27. & ſeq. Goarius pag. 186. Euchalog. & viri alii doctiſſimi. Igitur hoc unum ſat eſt in præſentia reponere, (nam & nos proximo capite *9.* de hac voce dicemus,) inter varias vocabuli hujus ſignificationes, duas eſſe præcipuas. *Antitypa* enim vocantur, quæ typum & formam eamdem referunt, ut inquit Moſchopulus in Onomaſtico, *Ἀντίτυπα ἐστι τὰ μεταγεγραμμένα, τὸν ὅμοιον τύπον ἔχοντα*, *Antitypa ſunt tranſcripta conſimilem habentia typum*, uti tranſamptum, & autographum: & *antitypa* dicuntur quæ ſubſtituta ſunt loco figuræ, & typi, quem veritas in lucem edita eliminat, quaſi *ἀντὶ τοῦ τύπου*, ut lex Evangelica *antitypa* eſt veterum figurarum. Si ergo priori ſenſu accipias *antitypum*; non repugnat idem contineri in *typo*, & in *antitypo*, quemadmodum idem, quod in autographis, eſt in tranſcriptis; atque hoc ſenſu Chriſtus in Euchariſtia eſt *antitypus* ſui ipſius in cruce immolati, & ſpecies panis & vini ſunt *antitypa* corporis & ſanguinis Domini; figura ſcilicet minime excludens veritatem. Ita ſymbola etiam poſt conſecrationem appellavere *ſigna*, *typos*, *imagines*, Origenes lib. 3. contra Celſum, Cyrillus Catech. 5. Nazianzenus Orat. funebri in ſororem Gorgoniam, Macarius Alex. Hom. 27. atque ex Latinis Ambroſius lib. IV. de Sacram. At ſi *antitypa* poſteriori accipias ſenſu; panis & vinum fuerant *antitypa* duntaxat ante conſecrationem, ut per ſe conſtat. Nunc vero, ut ad Liturgiam Baſilii redeamus, putat Beſſarion factam in illa aliquam verborum tranſpoſitionem, quod valde incertum eſt, nec ullo valido argumento probatur. Arcudius, cum exiſtimet Baſilium locutum de *antitypis*, quæ continent rei veritatem, preſſus auctoritate Damaſceni contendit interpretationem ab ipſo factam Baſilianæ Liturgiæ, aliena manu fuiſſe additam; quoniam Damaſcenus aperte eo loco teſtatur fieri ſymbolorum conſecrationem *verbis Dominicis*. Excludit pariter Arcudius, & tanquam ineptam rejicit interpretationem Joannis & Epiphanii Diaconi traditæ a Damaſceno concordem. Vide Arcud. pag. 264. & ſequenti. Stat autem Damaſceni aliorumque explicatio, quod nempe Baſilius ſcripſerit *Antitypa* ſecundo ſenſu, & accipiendus propterea ſit de pane, & de vino ante conſecrationem, ſi dicamus ea verba Liturgiæ, *τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου*, *&c.* licet poſt conſecrationem prolata, referenda tamen ad tempus ipſam conſecrationem præcedens, quo erant *antitypa* non conſecrata. Eſt enim in illis Aoriſtus præteriti temporis, atque ita ſe habent in Græco, *Καὶ προσθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου τοῦ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ*, quod recte vertit Allatius pag. 1229. cit. Operis, *Et cum propoſuerimus Antitypa ſancti corporis, & ſanguinis Chriſti*: quæ ſane dubitationem omnem elidunt. Legit autem Allatius, *τοῦ ἁγίου σοῦ σώματος*, *ſancti corporis tui*, ſed conſtat legendum *τοῦ*, cum oratio dirigatur ad Patrem, & paullo poſt occurrat *Chriſti* nomen; unde vocabulo *σώματος* præcedit articulus, non pronomen. Minimus tamen error, nec ſpectans ad hanc diſceptationem: in qua fuimus aliquantulum longiores, ne quis in poſterum cum Martenio queratur, controverſiam iſtam a Scholaſticorum vulgo non ſatis accurate tractari. Ita enim ille tom. 1. de Antiq. Eccl. Rit. pag. 405.

PROP. IV. Ea duntaxat verba, *Hoc eſt corpus meum*, &, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, aut, *Hic eſt ſanguis meus*, conſecrationi *eſſentialia* ſunt; quamvis omne ſtudium adhibendum ſit, ne cetera prætermittantur.

Ac primo aperte, ni fallimur, ſequitur ex dictis ea verba, *Qui pridie, quam pateretur, &c.* non conſtituere *formam* ſacramentalem, contra, quam ſentiant aliqui Scotiſtarum. Conſecratio enim fit *verbis Domini*, ut ſupra demonſtratum eſt innumeris argumentis. Atqui hæc verba, *Qui pridie, quam pateretur*, non Domini ſunt, ſed Evangeliſtarum. His ergo verbis non perficitur conſecratio. Vide ſupra prop. 3. quæ produximus ex Ambroſio, nec non Paſchaſium Ratbertum de Corp. & ſang. Domini capite quintodecimo. II. Conſequitur pari ratione non eſſe de *eſſentia* conſecrationis calicis verba, quæ ſequuntur poſt illa, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*. Hæc enim perfectam orationem continent, ac ſenſum determinatum, non minus ac præcedentia, *Hoc eſt corpus meum*; ſi ergo hæc ad conſecrationem panis ſufficiunt, cur illa non erunt ad conſecrationem calicis ſufficientia? Addo non omnia, quæ a nobis recitantur, haberi in exterarum Eccleſiarum Liturgiis, præſertim illud, *Novi & æterni teſtamenti*; ac permultos Patrum aſſerere his tantum, de quibus agitur, verbis confici Chriſti ſanguinem, ut ex dictis apertum eſt. III. Quamquam adduntur his alia verba, quæ a Domino Jeſu creduntur prolata, non tamen ad *formæ* ſpectant *eſſentiam*: illa ſiquidem, *Accipite, & comedite*, uſum ſacramenti commonſtrant, non ſubjectæ materiæ conſecrationem: particula *enim* nexum orationis, non materiei tranſmutationem notat; & reliqua non ſignificant Chriſti corpus, & ſanguinem, ſed Domini potius crucifixionem ac redemptionem; quæ ſunt quædam Euchariſtiæ, inſtitutæ jam & conſecratæ, conſectaria. IV. Nullum tandem præſcriptorum verborum prætermittendum eſſe facile demonſtratur, quippe præcedentia, *Qui pridie, &c.* oſtendunt Sacerdotem conſecrationis verba proferre in perſona Chriſti: particula *enim* conſecrationem præmiſſæ orationi conjungit; reliqua autem in memoriam noſtri revocant crucis immolationem, redemptionemque peractam, in cujus rei commemorationem Euchariſtiam eſſe inſtitutam, docent nos Evangelium, Paulus, Eccleſia. Maximæ demum audaciæ

foret,

foret, in re præſertim tam gravi, Majorum inſtituta, & Eccleſiæ conſuetudinem violare.

Objicit autem Scotus diſt. 8. q. 2. num. 8. *Hæc verba*, Hoc eſt corpus meum, *prolata ſine præcedentibus non ſignificant abſolute* corpus Chriſti, *quia ly* meum *ſignificat referri ad perſonam ipſius loquentis; quia licet miniſter poſſit intendere, ut loquatur in perſona Chriſti, non tamen propter hoc ſignificatum verborum eſſet, quod ly* meum *demonſtraret corpus Chriſti. Sicut ſi ego inciperem loqui in perſona Chriſti, tamen ex vi verborum non habetur, quod iſta doctrina ſit Chriſti, ſed mea, &c.* Addunt Hiqueus, & Brancatus debere verba ſacramentorum ſignificare id, quod efficiunt, *ex vi ipſorum verborum*: ex vi autem verborum, *Hoc eſt corpus meum*, non ſignificatur Chriſti corpus, niſi alia, *Qui pridie &c.* fuerint præmiſſa. Præterea, inquiunt, probant Patres in Euchariſtia realem præſentiam corporis Chriſti ex vi, & proprietate verborum. Hæc autem oratio, *Hoc eſt corpus meum*, abſque alio additamento ſpectata verborum vi ſignificat corpus loquentis, non Chriſti. Igitur ex nativa ſignificatione verborum prænuntiata oratio non commonſtrat corporis Chriſti præſentiam.

Reſpondeo de mente Scoti nec inter ſuos convenire, viſumque pleriſque erupiſſe in ea verba diſputationis tantum gratia. Puto Scotum dubium ſaltem hæſiſſe; nam num. 10. ſcribit: *Dico quod ſi quis Sacerdos inciperet ſic loqui: Hoc eſt corpus meum, non prædicens verba præmiſſa totaliter, non eſt adorandum, niſi ſub conditione, ſi vere conſecratum eſt*. Sed quidquid fuerit de Scoti mente; prædicta objectio eſt faciliimæ ſolutionis. Sat enim eſt ad conficiendum ſacramentum, ut verba effectum ſignificent ex inſtitutione Chriſti, & ex intentione proferentis præditi auctoritate, cum idem Scotus, ejuſque aſſeclæ doceant ſatis non eſſe ad conſecrationem, ſi ſacerdos arcana verba pronuntiet; ſed requiri, ut ea proferat *formaliter*, *& ſignificative*, ea intentione, qua Chriſtus inſtituit, & protulit, faciendi nempe quod Chriſtus fecit. Quæ utique eſt intentio ad ſacramentum conficiendum neceſſaria. Alioqui ſi verba præcedentia, *Accepit*, *benedixit*, *fregit*, *&c.*, & non iſtiuſmodi intentio, & inſtitutio determinarent verba ad ſacramentalem effectum, etiam pronomen *Hoc* non commonſtraret quod ſacerdos habet præ manibus, ſed tantummodo quod Chriſtus habebat, ut adverſus Brancatum acute ratiocinatus Barth. Maſtrius præcitata quæſt. 4. num. 143. Atque eadem reſponſione cetera pariter refutantur. Enim vero effectus ſacramentalis non pendet ex *materiali* ſignificatione verborum, ſed ex ſignificatione, quam habent ex Chriſti inſtituto, & ex intentione miniſtri, Chriſti vicem gerentis: atque ex vi talium verborum hac inſtitutione præſcriptis, atque hac intentione prolatis, recte Patres ac Theologi inferunt realem in Euchariſtia corporis Chriſti præſentiam. Cum vero talis inſtitutio, poteſtas, & *formalis*, (ut eodem utar Scotiſtarum ſermone) ſignificatio verborum non ſit in illo, qui doctrinam alterius venditat tanquam propriam, ad rem nullatenus facit exemplum a Subtili diſputatore propoſitum.

Nonnulli pariter Thomiſtæ nituntur oſtendere ad eſſentiam *formæ* conſecrationis calicis pertinere etiam verba, *Novi & æterni teſtamenti*, *&c.* quod ita probant auctoritate Angelici præceptoris. S. Thomas q. 78. art. 3. refutat ſententiam eorum, *qui dixerunt, de ſubſtantia formæ hujus eſt hoc ſolum quod dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei, non autem ea quæ ſequuntur*. Prefert deinde ſententiam illorum, qui dicunt, *omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ, uſque ad hoc quod poſtea ſequitur: Hæc quotieſcunque feceritis*, *&c.* In IV. etiam Sentent. diſt. 8. q. 2. ait, *ea, quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguinis, prout in hoc ſacramento conſecratur, & ideo oportet quod ſint de ſubſtantiæ formæ*. Idem docet lect. VI. in cap. XI. epiſt. 1. ad Corinth. ac tam aperte, ut aſſerat his ſolis verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, *probabilius non fieri conſecrationem*. Addunt juſſu Pii V. expunctam ex Commentariis Cardinalis Cajetani diſſertationem, qua propugnabat *formam* calicis conſecrandi his tantum verbis comprehendi, *Hic eſt calix ſanguinis mei*.

Reſpondeo non unam eſſe, ut diximus, circa mentem S. Thomæ ſententiam Scriptorum, nec deeſſe diſcipulos ejus præſtantiſſimos, qui illum trahant ad partes noſtras. Primo enim, inquiunt, ſanctus Doctor art. 1. ejuſdem quæſtionis 78. ſcribit: *Forma hujus ſacramenti importat ſolam conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit: puta cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, vel, Hic eſt calix ſanguinis mei*. Præterea art. 3. non proponit quæſtionem, an verba, quibus nos utimur, ſint eſſentialia, ſed, *utrum hæc ſit conveniens forma*: quæ duo longe, ut conſtat, diverſa ſunt. Inſuper eodem art. 3. ait: *Omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ; ſed per prima verba cum dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem, eo modo, quo dictum eſt in forma conſecrationis panis: per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione*. Hinc inferunt S. Thomam ſcribentem omnia verba eſſe *de forma ſubſtantiæ*, nec non conſecrationi ſanguinis *eſſentialia*, exponendum eſſe, quatenus omnia neceſſaria ſunt *ad integritatem locutionis*, ſive ad expreſſam ſignificationem ſanguinis, ut effuſi. Quæ, utut vera ſint, non prorſus difficultatem tollunt omnem. Nam quod ajunt conſecrari materiam, & fieri *tranſubſtantiationem*, juxta Sanctum Thomam, per ea verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, veriſſimum id eſt; ſed videtur Angelicus ad *formam* conſecrationis ulterius requirere, ut ſanguis ſeorſim conſecratus a corpore, cum repræſentet paſſionem Chriſti, conſecratus ſit per verba, quæ eamdem paſſionem ejuſque fructum expreſſe ſignificent, ut ait eodem art. 3. ad 6. Quod inſuper in eodem art. quærit, *Utrum hæc ſit conveniens forma conſecrationis vini*, *&c.* non evincit quæſtionem ab ipſo minime inſtitui de formæ *ſubſtantia*, atque *eſſentia*; nam præcedenti art. 2. iiſdem verbis quæſtionem proponens, ſcribit: *Utrum hæc ſit conveniens forma conſecrationis Panis*, *Hoc eſt corpus meum*, de forma utique *eſſentiali* verba facit. Præcitata demum lect. 6. in Paulum de forma integre prolata diſerte ſcribit, *Illis ſolis verbis perficitur conſecratio*: & paucis interjectis: *Circa iſta verba, quibus Eccleſia utitur in conſecratione ſanguinis, quidam opinantur, quod non omnia ſint de neceſſitate formæ, ſed ſolum quod dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei, non autem reſiduum quod ſequitur, novi & æterni teſtamenti*, *&c. Sed hoc non videtur convenienter dici: nam totum illud quod ſequitur eſt quædam determinatio prædicati*, Et infra: *Totum pertinet ad vim effectivam formæ*.

His autem omnibus libratis puto ſententiam S. Thomæ talem eſſe, ut de illa poſſit in utramque partem diſputari. Atque, ut dicam quod ſentio, ſalvo doctiorum virorum judicio, duo S. Thomas in conſecratione calicis ſpectat, unum ſcilicet, quod verba ſignificent Chriſti ſanguinem, & converſionem, ſeu *tranſubſtantiationem* efficiant, alterum quod ſignificent Chriſti paſſionem, & ejuſdem ſanguinis effuſionem. Igitur S. Thomas docet ea verba *Novi teſtamenti*, *&c.* eſſe *de ſubſtantia*, ac *de eſſentia formæ*, non ut conſecretur materia, & vinum convertatur in Chriſti ſanguinem; ſed ut ſignificetur expreſſione verborum Chriſti paſſio, & ſanguinis ejus effuſio: quod ex iiſdem Doctoris Angelici verbis apparet, ſi attente legantur. Ceterum jure mandato Sancti Pii V. expuncta eſt e Summa Angelici diſſertatio Cajetani, propterea quod nec ejus mentem aſſecutus eſt, nec de illo cum debito honore locutus, ſcribens, ut habetur in antiquiore editione, quam Cardinalis Gotti ſe legiſſe teſtatur, *Etſi ſancti Thomæ ſententiæ contraria ſit, non eſt curandum*. Voluit denique S. Pius plurium Thomiſtarum ſententiam in ſua probabilitate relinquere, adverſus Cajetani refutationem.

PROP. V. Conſecrationis verba non hiſtorice tantum, & narrative, ſed *aſſertive* etiam, & *ſignificative* pronuntiantur.

Hæc propoſitio pluribus argumentis a me demonſtrata eſt præced. Vol. pag. 197. & ſeq. adverſus hæreticos affirmantes verba *Sacramentalia* recitari tantummodo, & ad inſtar concionis proferri, ut in memoriam revocatis Domini dictis, factiſque, fides, qua apprehenditur juſtitia, facilius excitetur, ideoque male ſe gerere miniſtros ſacros, qui non populo alta voce, ſed propoſitis ſymbolis verba conſecrationis admurmurant. Ad illum itaque locum remitto lectores. Nunc autem brevi confirmo theſim; quoniam arcana illa verba non locum concionis tenent, ut hæretici autumant, ſed, Ambroſio, Auguſtino, Damaſceno, aliiſque Patribus id aſſerentibus, *ad elementum* accedunt, ſubjectam materiam *conſecrant*, &, ſi de Euchariſtia loquimur, panem vinumque *convertunt* in Chriſti corpus ac ſanguinem. Præterea Sacerdos ea verba proferens loquitur non in propria, ſed in *Chriſti perſona*, quemadmodum propoſitione tertia demonſtratum eſt; quod utique non eſſet verum, ſi ſacerdos ea verba proferret ſolum *hiſtorice*, non aſſertive. Poſtremo, ne ſingula repetam, dirigitur conſecrationis *forma* ad panem vinumque poſita in Sacerdotum manibus, non ad placentas, & ad calicem ſupremæ cœnæ, quæ accepit, diſtribuitque Salvator, & in hac præſenti ac ſubjecta materia, non autem in illa divinum conficitur ſacramentum; ideoque non enarratur tantummodo quod a Domino crucem poſtridie ſubiturum geſtum eſt, ſed hoc idem ejuſdem Domini ſermone perficitur: quod eſt verba conſecrationis *aſſertive*, *& ſignificative* proferri. Ceterum, quod ſummopere notandum eſt, nemo noſtrum negat eadem arcana verba, maxime ſi accipiantur ut conjuncta cum præcedentibus, ſonare hiſtoricam aliquam narrationem; cum Chriſti benedictionem, fractionem, & conſecrationem commemorent. Sed dicimus, præter narrationem hanc hiſtoricam, Sacerdotem, dum pervenit ad prolationem arcanorum verborum, Chriſti fungentem vice, ipſius corpus, & ſanguinem enuntiare præſentia, & enuntiando conficere; unde optime in Latina Eccleſia, tanquam Domini induens perſonam, panem manu accipit, attollit oculos, benedicit dextera, & ſuper ipſum panem *ſecreta* verba pronuntiat.

Sed inquiunt hæretici: At ita non in veteri ſervabatur Eccleſia: ſed verba conſecrationis *clara voce* tunc exprimebantur, ut iis auditis populus reſponderet, *Amen*, Id conſtat

ex

ex Juſtino Apolog. 2. ex Clementis Conſtitut. VIII. cap. 20. ex Ambroſio de Myſt. cap. 9. atque morem hunc in Eccleſia Romana abrogatum obtinere etiam nunc in Eccleſiis Græcorum, teſtatur Cardinalis Beſſario. De ritu Eccleſiæ Romanæ, quæ pariter tali ſono pronuntiabat olim ea verba, ut pertingerent ad aures populi, legi poteſt ſermone 6. de jejunio ſeptimi menſis S. Leo. Demum etiam Juſtinianus Conſt. 123. *Jubemus*, inquit, *ut omnes Epiſcopi pariter & Presbyteri, non tacito modo, ſed clara voce, quæ a fideli populo exaudiatur, ſacram oblationem, & preces in ſancto baptiſmate adhibitas celebrent*. Hæc nobis objicit Voſſius diſput. 2. de ſacris cœnæ Dominicæ ſymbolis, theſi 3.

Reſpondeo ex Liturgiis, quæ nobis hæretici objiciunt, nefarium ipſorum dogma magis, magiſque refelli. Orientales enim dum ſola verba Domini proferunt *alta voce*, ea quodammodo ſejungunt e præcedentibus pmlaris voce ſubmiſſe: ideoque illa *ſignificative* pronuntiant, non tantum hiſtorice. Quis enim narraturus tantummodo quod Chriſtus in cœna geſſit, ut de iis inſtrueretur populus, rem totam reciteret ſubmurmurans, eetemplo in ea verba prorumpens, *Hoc eſt corpus meum*? Ideo ergo apud Orientales hæc verba enuntiantur clara voce, ut populus non auditis, quæ præceſſerant, percipiat e Sacerdote, quem in Sanctuario latentem intueri non poteſt, ſacra munera ſermone Domini conſecrari, & illa conſecrata adoret, & in illis adeſſe Chriſti corpus, & ſanguinem profiteatur. Atque id populus facit dicendo, *Amen*, ut obſervet idem Beſſarion, de quo ſupra prop. 3. ubi quod nunc dicimus, ipſorum Græcorum rituum explicatione corroboravimus. Stupenda eſt itaque hæreticorum confidentia, nobis Liturgiam Orientalium, & ſcripta Beſſarionis objectantium. Nec aliter eſt aſſerendum de Juſtini, aliorumque auctoritate; ſiquidem non alia de cauſa aut olim præſentes oblationi, aut communionem percepturi dicebant *Amen*, niſi ut vi conſecrationis præſens fateretur Chriſti corpus: unde Ambroſius de Myſt. cap. 9. ait: *Et tu dicis Amen, hoc eſt, verum eſt*. Similia lib. IV. de Sacram. cap. 5. num. 25. Immo incertum eſt, an populus in Eccleſia Occidentali reſponderet *Amen* ſtatim poſt conſecrationem; & probabilius videtur id ſuccinuiſſe poſt alias orationes communicaturos: nec aliud ſcribit Auctor Conſtitut. Apoſtol. lib. VIII. cap. 13. in cujus libri cap. 20. nil tale extat, adeo ut jure in hoc quoque Voſſii confidentiam miremur. Sane Juſtinus Apolog. 2. pag. 98. ſcribit a populo acclamatum *Amen* immediate ante Euchariſtiæ diſtributionem, *poſt gratiarum actiones, & preces*. S. Leo citato ſerm. 6. apertiſſime loquitur de accipientibus communionem, a quibus reſponderi *Amen*, Tertullianus, Cyrillus Hieroſolym. Auguſtinus, aliique veteres tradiderunt. Juſtiniani Conſtitutionem editam adverſus quoſdam Monachos factos Clericos, qui nec ſancti baptiſmi, nec ſacræ oblationis orationes callebant, obſervatum ab Iſaac Habert pag. 147. in Pontificale Græcorum: ſed nulla ratione nos *Novellis* Juſtinianeis permovemur agentes de ſacris ritibus, quos ab Eccleſiæ ſtatutis, non ab Imperatoriis legibus edocemur.

QUÆSTIO INCIDENS.

Quod ſi nunc quæras, an melius ſit proferre verba conſecrationis voce ſubmiſſe, an clare; primo reſpondeo unicuique ſervandam Eccleſiæ, in qua degit, conſuetudinem, ut de ſacris Ritibus univerſim diſſerui lib. XIX. cap. 23. prop. 2. Fateor deinde Græcos, & alios Orientales illa verba clara voce proferre; quod non ſolum ex teſtimonio Dionyſii Alexandrini in Epiſtola ad Xyſtum demonſtrat Eminentiſſimus Bona lib. 2. Rerum Liturg. cap. 13. num. 1. ſed conſtat etiam ex Miſſa Chryſoſtomi pag. 76. Euch. Græc. Baſilii pag. 168. aliiſque libris Liturgicis. Debo etiam obtinuiſſe eumdem morem in Eccleſia Mediolanenſi, ut cenſet Menardus not. 1036. in Sacrament. Gregorii, id inferens ex prætitatis locis Ambroſii lib. de Myſt. cap. 9. & lib. IV. de Sacram. cap. 5. tametſi ex priori loco non appareat, an illa voce *Amen* pronuntiaretur a populo ſtatim peracta conſecratione, ut obſervarunt Benedictini editores Ambroſii tom. 2. pag. 340. alter vero locus aperte ad actum communionis ſit referendus: habet enim: *Ergo non otioſe dicis tu, Amen, jam in ſpiritu confitens, quod accipias corpus Chriſti*. Immo additur in nonnullis editionibus, *non otioſe cum accipis, &c.* Affirmo præterea Orientalium ex ritibus nullam Romanæ Eccleſiæ præſcribi legem, tum quia hæc tenet Majorum ſuorum inſtituta; tum etiam quia impropria omnino foret apud nos elatio illa vocis. Cum enim fiat, ut diximus, ad commonendum populum de conſecratione facta a Sacerdotibus in Sanctuario latentibus, neceſſum non eſt id ſervari a Latinis, in quorum Eccleſiis aſpicit populus celebrantem, qui ſtatim, non quemadmodum faciunt Græci paullo ante communionem, elevat ſymbola conſecrata; eadem adorat; & ſignum populo datur pulſatione campanulæ: de qua re capite libri hujus poſtremo. Tandem longe melius eſt ſubmiſſa, quam elata voce verba ſacroſancta proferre, ne vileſcant, aut a plebe ſacrilege pronuntientur, atque ut ita admoneamur conſecrationem ad Sacerdotes tantummodo pertinere: quarum rationum primam affert lib. III. de Alt. myſt. Innocentius, & alteram q. 83. art. 4. ad 6. ſanctus Thomas. Ac de verbis conſecrationis mihi videor ſatis ſuperque dixiſſe.

CAPUT VIII.

Demonſtratur in Sacramento Euchariſtiæ revera Chriſti corpus, & ſanguinem contineri.

AMPLISSIMAM inſtituo diſputationem, de qua non eſſet diſſerendi finis, ſi omnia in medium afferendi foret animus: ſed cum omnes, qui de re Theologica pertractarunt, in hac controverſia ſtilum accurate diligenterque exercuerint, id præſtare conabor, ut quod alii diffuſis tradidere lucubrationibus, perſpicua methodo, contracta oratione, ſelecta rerum copia, noviſque inſertis animadverſionibus comprehendam. Quod priuſquam peragatur, dicendum principio quinam adverſus catholicam veritatem perfidiæ ſuæ prodiderint contumaciam. Tenent ergo primum locum Capharnaitæ, qui Domino de manducatione carnis ſuæ facienti verba Joan. 6. vel denegárunt his fidem, vel ea ſenſu deteriori acceperunt: inter quos fuiſſe apoſtatam Judam, probat auctoritate Chryſoſtomi Diatriba 3. adverſus Caſaubonum Julius Cæſar Bulengerus. Simoniani, Manichæi, Marcionitæ, aliique Phantaſiaſtæ, qui negabant veram Chriſti carnem, fateri conſequenter non poterant hanc in Euchariſtia contineri: ac de his agit in epiſtola ad Smyrnenſes S. Ignatius. Idem dicendum de Meſſalianis, & Enthuſiaſtis, quos omnia ſuſtuliſſe ſacrificia, carnis Chriſti inutilem eſum pronuntiantes, auctor eſt lib. IV. Hiſt. cap. 11. Theodoretus. Neſtorianos quorum hæreſis damnata eſt paullo poſt obitum Auguſtini, negaſſe præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, ſcribit in Dialogo adverſus Berengarium Lanfrancus: ſed probabilius eſt, atque magis hæreſi ſuæ conſentaneum, affirmaſſe Neſtorium in Euchariſtia carnem Chriſti, ſeu hominis non *hypoſtatice*, ſed ſecundum ſolam dignitatis unionem moralem, Verbo Dei conjunctam: ſiquidem Epheſini Patres, & Cyrillus hoc unum adverſus Neſtorium adſtruunt, accedentes ad benedictionis myſteria, *vivificam, & ipſius verbi propriam carnem manducare, non hominis ſanctificati, & Deo conjuncti ſecundum dignitatis unionem*. Et revera Neſtorianos *tranſubſtantiationem* panis in Chriſti carnem admiſiſſe, conſtat ex Vigilio Tapſenſi lib. V. adverſus Eutychen. Si autem advertas, in quo ſita fuerit Neſtorianæ hæreſis, alibi profligata, percipies optime, quare Neſtorius admiſerit in Sacramento carnem Chriſti, non carnem propriam Verbi; quia nimirum prædicabat Chriſtum eſſe perſonam a Verbo diſtinctam. Ita facile eludes, quæ de Neſtorio commentus eſt Albertinus. Hæc tantum de hæreſibus antiquioribus.

Sæculo nono edidit librum *De corpore & ſanguine Domini* Paſchaſius Radbertus Abbas Corbejenſis, *adverſus aliquos male de Euchariſtia ſentientes*, teſte Alcuino in Confeſſ. Fidei. Paſchaſium dogmatis noſtri primum auctorem faciunt temere recentiores Calviniſtæ, ac plura in ipſum effutit Claudius Carentonenſis miniſter. Commoventur hæretici, quod adverſus Paſchaſium ſteterint Rabanus Maurus, Ratramnus, & Joannes Scotus, cognomento Erigena. Verum Joannem Scotum permultis erroribus implicatum damnavit Eccleſia, auctore citato libro adverſus Berengarium Lanfranco: illum ſanctus Prudentius appellavit *ſectatorem Pelagii, Cæleſtii, ac Juliani, ac ſumma impudentia oblatrantem Orthodoxæ Fidei, Patribuſque Catholicis*, & Eccleſia Lugdunenſis *hominem inani verboſitate, & ventoſa loquacitate pernicioſiſſime occupatum*. Vide in Synopſi Hiſt. Gotheſcalcanæ cap. 1. Noriſium. Rabanus vero, & Ratramnus a Paſchaſio diſcordarunt tantum circa modum loquendi; cum enim Paſchaſius *idem Chriſti corpus* in cælis, & in Euchariſtia affirmaret, illi ſcripſerunt eſſe *diverſum*, unde venerunt in erroris hæreſiſque ſuſpicionem; ac Ratramnus præſertim, cujus librum *de corpore & ſanguine Domini*, pluries ſtudio hæreticorum typis editum, inter hæreticos recenſuit Clemens VII. ac ſiniſtrum de illo protulerunt judicium Sixtus Senenſis lib. VI. Bibliot. S. annot. 196. & 289. Bellarminus, Alanus, alii: quidam etiam ab Œcolampadio ſub Bertrami nomine putant librum illum fuiſſe conſcriptum, Petrus autem de Marca, & Harduinus a Joanne Scoto. Sed licet Ratramnus, dato quod ejuſdem libri auctor ſit, diſerte myſterium corporis, & ſanguinis Chriſti differre, ac ſeparari a corpore, quod de Virgine conceptum & natum eſt, atque alia id genus multa, quorum cauſa merito ſubierit cenſuras plurimorum; videtur tamen *differentiam* illam ſtatuere quantum ad *ſpecies*, exterioremque figuram, uti demonſtrat Jo. Mabillon parte altera in quartum ſæc. Benedict. Paſchaſii vero liber typis editus prodiit anno 1528. opera Hiobi Gaſti Lutherani, diſpunctis, abraſiſque locis omnibus, quæ diſerte in Euchariſtia tradunt rationem ſacrificii, & tran-

Digitized by Google

tranſubſtantiationem panis; detexitque falſarii hujus depravationes Mamertus Lucemburgenſis, qui anno 1550. edidit Colonienſibus typis Paſchalii Opus integrum, atque incorruptum. Ita vitum hunc avitæ fidei propugnatorem, Lutherani patronum ſuum, Sacramentarii *tranſubſtantiationis* auctorem, pugnantibus inter ſe ſententiis, auſi ſunt diffamare. Tradunt nonnulli prodiiſſe circa eadem tempora infamem & propudioſam ſectam *Stercoraniſticam*, eorum ſcilicet, qui affirmare non erubuerint divinisſimam Euchariſtiam projici (patiatur lector inverecundiam verborum) in locum, in quem eunt ſaturi. Illi tamen, ſi extiterunt (quod merito in dubium vertitur) non realem Chriſti præſentiam negarunt, ſed aſſeruerunt duntaxat de ejus corpore probroſam rem, ac nefandam.

Prodiit poſtea XI. ſæculo hæreſis Berengarii, aut Beringerii, Turonenſis, hominis verſipellis, de cujus errore non convenit inter eruditos. Certe Berengariani aliqui admiſerunt *præſentiam realem*, & negarunt tantum panis *tranſubſtantiationem*, aſſerentes corpus Chriſti in Euchariſtia *latenter contineri*, *&* *quodammodo impanari*, ut referunt Guitmundus, & Algerus: & Berengarius ipſe fatetur præſentiam corporis & ſanguinis Domini, non ſolum in variis fidei Confeſſionibus, ſed etiam in Epiſtola ad Adelmannum: quare non deſunt, qui Berengario tribuant aſſertam a Lutheranis *impanationem*. At negari non poteſt, alios Berengarii aſſeclas in ea fuiſſe ſententia, quod corpus Chriſti collocatum in cælis non poſſit in terram deferri, id affirmante cap. 21. Lanfranco. Damnarunt Berengarium in Romana Synodo Leo IX. anno 1050. ut affirmat Hermannus in Chronico, aut 1053. ut ſcribit Durandus Abbas Troarnenſis; Conventus Brionenſis, & Synodus Vercellenſis paullo poſt prælaudatum Concilium Romanum; Synodus item Pariſienſis, & Florentina ſub Victore II. anno 1055. Romana altera ſub Nicolao II. an. 1059. in qua Berengarius hæreſim ſuam abjuravit, libroſque ſuos concremavit; Concilium inſuper Pictavienſe anno 1075. de quo Chronicon ſancti Maxentii, ac poſtremo Concilia duo Romæ habita ſub ſancto Gregorio VII. unum anno 1078. in feſto omnium Sanctorum, alterum menſe Februario anni ſequentis. Tres fidei formulas a Berengario confirmatas edidit Mabillonius tom. I. Analect. pag. 515. In quarum prima anathematizat hæreſim, de qua ſe infamatum fatetur, adſtruentem, *panem*, *&* *vinum*, *quæ in altari ponuntur*, *poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum*, *&* *non verum corpus* *&* *ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe*: in altera inquit, *Profiteor panem altaris poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti*, *quod natum eſt de Virgine*, *quod paſſum eſt in cruce*, *quod ſedet ad dexteram Patris*, *&c.* ac in tertia etiam *tranſubſtantiationem* his verbis profitetur: *Ego Berengerius corde credo*, *&* *ore confiteor*, *panem* *&* *vinum*, *quæ ponuntur in altari per myſterium ſacræ orationis* *&* *verba noſtri Redemptoris*, *ſubſtantialiter converti in veram* *&* *propriam*, *ac vivificatricem carnem* *&* *ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti* *&c.* Ex his autem *Confeſſionibus* infero Berengarium principio *realem præſentiam* negaſſe, deinde hac admiſſa propugnaſſe *impanationem*; hæ quippe hæreſes præmiſſis *Confeſſionibus* opponuntur. Ita controverſia de erroribus Berengarii facile componitur, ſi diſtinguantur duo illius capita, ac duo ſtatus. Ceterum poſt tergiverſationes varias, depoſita erroris pertinacia, redlit Berengarius ad ſanam mentem, obiitque fere nonagenarius anno 1088. die quinta Januarii, ut narrat Clarius Monachus Floriacenſis, & Hildebertus Cenomanenſis, qui ſcripſit illius Epitaphium, *Quem modo miratur*, *ſemper mirabitur orbis*, *&c.* Vide Mabil. in Analectis, & præf. 2. in Sæcul. VI. Benedict. num. 63.

At inſequentibus ſæculis in Euchariſtiæ ſacramentum pervicaciores hæretici ſurrexerunt; paullo poſt obitum Berengarii Petrus de Bruis, & Henricus ejus diſcipulus: deinde Albigenſes exorti ex Manichæorum reliquiis: tum Carloſtadius Withembergenſis Novator, Zuinglius, qui in Senatu Tigurino biduo diſputavit contra Miſſam, & Euchariſtiam, Œcolampadius, Bucerus, & Socinianorum grex impuriſſimus. Hi omnes in Euchariſtia *figuram*, *ſignum*, *&* *imaginem corporis* *&* *ſanguinis Chriſti* fatentur, ipſum vero *corpus* *&* *ſanguinem* adeſſe negant. Quid vero Lutherus? Principio excogitaverat *realem præſentiam* negare, ut ipſemet fatetur in Epiſtola ad Argentinenſes, ſed preſſus Evangelicis verbis præſentiam illam perſpicue adſtruentibus, eamdem agnovit, ita tamen, ut dixerit una cum Chriſti corpore permanere *ſubſtantiam panis*. Anno tamen 1543. *tranſubſtantiationem* admiſit, accuſatus propterea a ſuis, a Melanchthone præſertim, atque ab Hoſpiniano. Cum vero de *Impanatione*, aut *Conſubſtantiatione*, per quindecim ſaltem annos, inter Lutheranos, & Sacramentarios (qui nempe ſectantur Zuinglii & Œcolampadii doctrinam) acerrime dimicatum fuit, nec iniri potuit aliqua inter pugnantes conciliatio; Calvinus anno 1540. ſententiam ſuam palam fecit edito Gallice tractatu de Cœna, quem poſtea latinitate donavit. In hoc libro primum ait revera diſtribui in *cœna corpus* *&* *ſanguinem Chriſti*, cui nos reipſa, non ſola mentis apprehenſione, uniamur, adeo, ut Lutherani propoſitam ſpem haberent ad ſe tandem Calvinum fore acceſſurum: ſed cum is addiderit id fieri *ſola manducantium fide*; & ſpes præconcepta Lutheranos fefellit, & compertum ſatis, Calvinum pugnantia conſcribere, verbis ludere, præſenſque diſſidium non componere, ſed nexibus tenacioribus implicare. Adeas Meldenſem Epiſcopum in Hiſtoria Variat. lib. IX. num. 50. Dixi autem de hæreſibus hactenus: nunc dogma Catholicum propugnaturus demonſtrabo contineri ſub panis vinique ſpeciebus corpus, & ſanguinem Chriſti, de *tranſubſtantiatione*, quæ hujus controverſiæ eſt pars altera, dicturus poſtea.

PROP. In Euchariſtia vere corpus & ſanguis Domini N. J. C. continetur.

Catholica hæc veritas momentis pluribus ſtabilitur, quorum primum auctoritati ſacrarum litterarum innixum eſt. Ac primo Joannis VI. verſu 52. ait Dominus: *Panis*, *quem ego dabo*, *caro mea eſt pro mundi vita*. Et litigantibus verſu proximo Judæis, ac dicentibus, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* reſpondit Jeſus v. 54. *Amen*, *amen dico vobis*, *niſi manducaveritis carnem filii hominis*, *&* *biberitis ejus ſanguinem*, *non habebitis vitam in vobis*: tum omnem hæſitandi occaſionem removens ſubjecit verſu 56. *Caro enim mea vere eſt cibus*, *&* *ſanguis meus vere eſt potus*. Dicant, quæſo, heterodoxi, num ad commonſtrandam veram corporis, & ſanguinis ſui in Euchariſtia præſentiam, & veram realemque manducationem, atque potationem, potuiſſet Dominus adhibere verba magis perſpicua, magis expreſſa, magis perceptioni hominum accommodata? Minime, nequaquam. Hoc itaque in loco vera, propria, realiſque præſentia, & vera, propria, realiſque ſumptio corporis, & ſanguinis Domini declaratur. Et quoniam hoc pertinaciſſime negant hoſtes veritatis; immo Albertinus in prægrandi ſuo de Euch. opere lib. I. cap. 30. etiam noſtræ communionis Theologos, & quoſdam Patres, qui caput illud ſeatum ſenſu exponunt myſtico, advocat in patrocinium hæreſeos; complura ſunt argumenta, quibus evincitur, non poſſe ulla ratione illinc excludi ſenſum proprium & litteralem. Ac primum ſit, quod iidem hæretici, ut adverſum nos adſtruant communionem ſub utraque ſpecie, utuntur præcitato verſu 54. *Niſi manducaveritis*, *&c.* ideoque, velint, nolint, fateantur neceſſum eſt agi ibidem de ſacramento Euchariſtiæ, quod tamen Albertinus præ ceteris audacter negat, & pernegat. Deinde cum Judæi percipere nequaquam poſſent, quomodo manducanda foret humana caro, & ſanguis potandus, & quidam inter ſe dicerent, *Durus eſt hic ſermo*, intelligentes manducandam carnem, quemadmodum *in cadavere dilaniatur*, *aut venditur in macello*, ut inquit magnus Auguſtinus Tract. XXVII. in Joannem; minime ad ſcandalum avertendum reſpondit Dominus loquutum ſe de comeſtione myſtica & metaphorica; ſed ſemel iterumque idem aſſeruit, afferens in veritatis confirmationem futurum ſui ipſius in cælos adſcenſum. Et tamen Dominus ubi animadvertit ſermonibus ſuis ob æquivocationem verborum in diſcipulorum mente gigni aliquam dubitationem, hanc ſtuduit ſtatim evellere; prout fecit Joan. III. 5. dum Nicodemus percipiebat ſpiritalem hominis renaſcentiam; Joan. IV. 34. dum hæſitabant diſcipuli circa ea verba, *Ego cibum habeo manducare*, *quem vos neſcitis*; Matth. XIII. 37. dum explanavit diſcipulis parabolam zizaniorum. Joannes ipſe ceteris accuratior, ſi quid tropice a Domino dictum eſt, adjecta explicatione notavit. Cap. enim 3. ait Dominus, *Solvite templum hoc*, *&c.* & Joannes verſ. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis ſui*: cap. 7. Chriſtus, *Qui credit in me*, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, Joannes vero verſ. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu*, *quem accepturi erant credentes in eum*: cap. 13. Jeſus, *Si exaltatus fuero a terra*, *omnia traham ad me ipſum*; Joan. autem verſ. 23. *Hoc dicebat*, *ſignificans qua morte eſſet moriturus*. Cur ergo de manducando corpore, & bibendo ſanguine ſuo ſermonem inſtituens, quibuſdam murmurantibus, & ſcandalum patientibus, Salvator lux mundi, & veritatis magiſter mentem ſuam non aperuit, niſi quod prius dixerat confirmando; neque accuratiſſimus Evangeliſta hæc conſignans litteris, ne pariter nos deciperemur, notulam appoſuit aliquam? cur id, inquam, niſi quia illa verba, *Caro mea vere eſt cibus*, &, *Niſi manducaveritis carnem meam*, *&c.* accipi debent in proprio, litterali, obvio, expreſſo, planiſſimoque ſenſu? Præterea inquit eo loci Chriſtus, *Panis*, *quem ego dabo*, *caro mea eſt pro mundi vita*, eumdemque panem longe manna præſtantiorem eſſe demonſtrat, ſubjiciens, *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna* *&* *mortui ſunt*: *qui manducat hunc panem*, *vivet in æternum*. His autem verbis non de Incarnatione jam peracta, ſed de beneficio futuro loquitur Dominus: ac de beneficio tali, quo non *figura* corporis ſui, quemadmodum fuit manna, ſed ipſum corpus traderetur in cibum. Ad hæc Chriſtus priuſquam talia de pane iſto proferret, inſigne præmiſit miraculum in quinque panibus hordeaceis patratum, non uti-

Digitized by Google

utique alia ratione, niſi, *ut re docti fidem minime iis negarent, quæ poſtea dicturus erat*, prout ſcribit in hunc locum Chryſoſtomus, *ἵνα διδαχθέντες μάθωσι διακρῖναι τοῖς μετὰ ταῦτα λεγομένοις*. His itaque argumentis facile hæretici verba Joannis detorquentes revincuntur, & refutantur.

Accedunt verba Chriſti Euchariſtiam inſtituentis: ipſe enim, ut legitur Matth. XXVI. 26. Marci XIV. 22. Lucæ XXII. 19. & I. ad Corinth. XI. 24. diſcipulis panem vinumque porrigens ait: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*. Hæc autem verba ſenſum proprium tantummodo patiuntur; quod proximis adnotationibus oſtendo. I. Oratio iſta, *Hoc eſt corpus meum*, enuntiativa eſt, & operatrix, vera eſt enim, ac pronuntiata ab ipſamet Veritate panem in manibus tenente: non eſſet autem vera, ſi tunc panis in priori permanſiſſet ſubſtantia, velutì ſi in Cana Galilææ accipiens in manus ſuas hydriam aquæ dixiſſet, *Hoc eſt vinum*, nec aquam in vinum vertiſſet, mentitus eſſet, & illuſiſſet convivis: quare ſermonem hunc Chriſti eſſe operatorium, haud ſecus, ac ſermo, quo Deus ab initio condidit omnia, ſcribunt Ambroſius, Damaſcenus, aliique patres paullo poſt laudandi. II. Hæc verba a Sacramentariis explicantur per *metonymiam*, quaſi hunc reddant ſenſum, *Hic panis eſt ſignum corporis mei*, propterea quod circumſtantia temporis, proximæ ſcilicet paſſionis, oſtendebat fore ut quamprimum Chriſti corpus adinſtar panis contrectaretur ac frangeretur. Sed eædem circumſtantiæ ora perfidorum obtundunt. Etenim Chriſtus hoc Sacramentum loco *teſtamenti* reliquit: in teſtamentis autem condendis verba plana, & apertiſſima debent eſſe, ne inter hæredes oriatur contentio. Loquebatur etiam Dominus cum diſcipulis ſuis, non coram Judæorum multitudine; nec petebat audientium conditio, ut tropis ac parabolis uteretur. Apoſtoli ſaltem orationis illius ſenſum ſcrutati fuiſſent, ſi ſimpiice exiſtimaſſent prolatam: aut ſi hæſitaviſſent animo, ipſe Jeſus rem explanaſſet, ne poſtea Eccleſia in fœdiſſimum, horrendiſſimumque crimen idololatriæ laberetur. Ardentiſſimum præterea peragendi myſterii deſiderium, ſeparata benedictio utriuſque elementi, nec non diligentiſſima Evangeliſtarum, & Pauli narratio ſatis oſtendunt, Chriſtum rem feciſſe maximi quidem momenti, nec ulla ſermonis ambiguitate tegendam. Demum non ait Dominus, *Hic panis eſt corpus meum*, ſed *Hoc eſt corpus meum*, ita, ut pronomen *hoc* non ſit referendum ad panem, ſed ad Chriſti corpus, nec ſenſus ſit, *Hic panis eſt figura corporis mei*: ſed *Hoc*, quod modo prolatione verborum meorum fit ex pane, *eſt corpus meum*. Vide Eſtium diſt. VIII. §. 13. & 14. & in caput XI. primæ ad Corinthios. III. Inſuper undenam ſenſum horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, eruere debemus, & expiſcari? Utique ex definitione judicis vivi, cum hæretici conſtituentes fidei normam in privato ſpiritu, in his explicandis nunquam convenire potuerint: unde illos exagitavimus lib. XXIII. cap. 3. Atque ſi huc accederent, finita eſſet cauſſa. Sed quoniam ſolam Scripturam in dirimendis controverſiis expendendam eſſe reponunt; confodiam nunc ſuiſmet jaculis pervicaces. Horum quidam dicunt verba divina accipienda eſſe juxta nudam Grammaticæ intelligentiam, ne adverſariis eludendi ſcripturas præbeatur occaſio: alii tradunt, ubi aliquis textus videatur obſcurus, atque de vera interpretatione diſceptatio contingat, conſulendam eſſe Scripturam iis in locis, in quibus eadem res perſpicue tractatur; docent permulti antecedentia, & conſequentia verba eſſe attente inſpicienda, quæ ut plurimum verum nobis ſenſum commonſtrant: in his autem regulis aliquid utilitatis eſſe fatemur, negamus præcipuum, aut unicum veritatis inveniendi præſidium. Principio igitur ſi verum eſt, quod ajunt, non eſſe a nuda littera diſcedendum, ubi ſenſus Grammaticalis perſpicuus eſt, nec vox aliqua afficitur *tropo*; petimus quodnam tranſlatitii ſenſus veſtigium inſit huic propoſitioni, *Hoc eſt corpus meum*? Nonne tam clara eſt, ac una ex ſequentibus, *Deus erat Verbum, Verbum caro factum eſt, Chriſtus eſt filius Dei*, aliiſque *ſubjecto*, ut inquiunt, & *prædicato* conſtantibus? Si ergo irridemus Ebionitas, & Arianos poſtremas enuntiationes improprio ſenſu exponentes; irriſione pariter digni ſunt Sacramentarii tranſlata accipientes enuntiationem præcedentem, *Hoc eſt corpus meum*. Hinc Lutherus, ut dixi, rogatus ut Œcolampadii amplecteretur ſententiam, ait libenter ſe hoc pacto incommodaturum *Papatui*, *ſed nimis urgens*, inquit, *& nimis clara ſunt illa verba, Hoc eſt corpus meum*. Calvinus quoque lib. IV. Inſtitut. cap. 17. num. 32. ait: *In ſacra ſua cœna jubet me ſub ſymbolis panis & vini corpus, & ſanguinem ſuum ſumere. Nihil dubito quin & ipſe vere porrigat, & ego recipiam*. Salomon autem Glaſſius, qui Grammaticis obſervationibus, pluſquam fecerint Novatores alii, labore improbo dedit operam, ſic lib. 2. tract. 2. ſect. 1. art. 2. vellicat Sacramentarios: *Senſus litteralis proprius eſt, qui mitur ex verbis in propria & nativa ſignificatione acceptis. Sic in verbis cœnæ, Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum, ſenſus litteralis proprius eſt, quia nulla hic occurrit vox modificata, ſeu tropo affecta*. Accipere *acceptionem proprie dictam, quæ ore vel manu fit*: Comedere *comeſtionem propriam, quæ fit ore*: Hoc *proprie iſtud, quod a Chriſto Apoſtolis manducandum præbebatur*: Eſt *proprie prædicati cum ſubjecto connexionem, & ſubſtantiæ ſacramenti Euchariſtici expreſſionem*: Corpus *proprie ipſum Dominicum corpus in hypoſtaſi τοῦ λόγου glorioſiſſime ſubſiſtens*: Meum *proprie, & pronominaliter ſignificat*. Similia ſcribit Hornejus in Compendio Theologiæ, pag. 408. ubi addit nomine Corporis duo tantum in ſacris litteris denotari, corpus Chriſti naturale, & myſticum, ideſt, Eccleſiam. *Hic autem ſermo*, inquit, *non eſt de corpore Eccleſiæ: Ergo de vero, & naturali corpore ejus*. Quæ argumentatio tenet, etiamſi dixeris falli Hornejum, & nomine *corporis* ulterius ſignificari *antitypa* veterum, & Evangelium, ad Coloſ. 2. 17. Siquidem nec hæretici interpretantur ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, ac ſi dictum foret, *Hoc eſt Evangelium meum*. IV. Si velint hæretici hujus loci, quem tranſlate accipiendum putant, ſumendam interpretationem ex aliis de eadem re pertractantibus, cauſa pariter excidant neceſſum eſt. Enimvero ſi ad caput Joannis ſextum convertamur, ibi legimus Dominicam carnem *vere*, non *tropice* cibum eſſe, & ſanguinem Domini *vere*, non *tropice* eſſe potum: ſi Evangeliſtæ conferantur invicem, eamdem exprimunt enuntiationem, nec quocumque legantur idiomate, metaphoram ſonant, vel tropum: ſi conſulamus Apoſtolum, is in priori ad Corinthios, X. 16. *Calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Non figuram audio, aut typi communionem, ſed corporis, ſanguiniſque *κοινωνίαν*, *unionem quamdam*, ut Chryſoſtomus, & Theophylactus exponunt, *præſtantiſſimam*. Ac proximo capite de indigne communicante, *Reus erit*, ait Paulus verſu 27. *corporis, & ſanguinis Domini*; ſcilicet, non de male tractata imagine pœnam luet, ſed ſupplicium feret ipſius corporis & ſanguinis indigne accepti, ſive, ut ſcribit Hieronymus lib. I. contra Jovinianum cap. 8. *violati*; propterea quod ad menſam Domini acceſſerit, *non dijudicans*, ideſt, non diſcernens *corpus Domini*; ac latenti ſub velamine *ſpecierum* parem irrogaverit injuriam, ac Judas illius ſanguinem tradens, & proditorium oſculum infigens ori, ſeu Judæi, qui in ejus faciem expuerunt, & cumulatum contumeliis tradiderunt Pilato morte occidendum turpiſſima: his enim comparationibus Theodoretus, Œcumenius, aliique ſacrilegam communionem redarguunt. Sane Paulus his in locis ſigni aut figuræ non meminit, immo exprobans injuriam Dominico corpori illatam, præcipiens probationem quamdam peculiarem, commonenſque, ut corpus Domini *dijudicetur*, & diſcernatur a communi quocumque cibo, demonſtrat ſe non agere de nudo ſigno. Illa itaque verba, *Hoc eſt corpus meum*, nequeunt ob collationem aliorum locorum de Euchariſtia pertractantium, a litterali ad aliam ſignificationem transferri. V. Nec aliud conſequitur, ſi ex adjunctis ac proximioribus eruere velimus ſenſum eorumdem verborum legitimum. Eatenus quippe, ut eadem exempla, quæ objiciuntur nobis, arripiam, quod legitur Joannis I. 29. *Ecce agnus Dei*, accipiendum eſt *tropice*, quatenus ſubjicitur, *Qui tollit peccatum mundi*; quod non convenit ovillo fœtui. Ita verſus I. cap. XV. *Ego ſum vitis vera*, & verſus 5. *Ego ſum vitis, vos palmites*, habent tropicam locutionem, quoniam comparationem ſolam innuit quod confeſtim additur, *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes*: immo quod latine legitur, *vitis vera*, eſt in Græcis cum articulo, *ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή*, hoc eſt, *illa vitis vera*, ſingularis ſcilicet, & generis præſtantioris. Quod pariter ſcribit Apoſtolus in I. ad Corinth. X. 4. *Petra autem erat Chriſtus*, ſignificat petram illam, unde fluxerunt aquæ, figuram fuiſſe Chriſti; quoniam eodem verſu Chriſtus dicitur petra ſpiritalis, & uberrimas gratiarum aquas exundans, *Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petra*. Verum in iſtis enuntiationibus, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei*, nihil invenitur adjunctum, quod litteralem evertat ſenſum; ſed tantum priori additur in præcitata Epiſtola ad Corinthios, *Quod pro vobis tradetur*; alteri autem apud Matthæum, & Marcum, *Qui pro multis effundetur*: quæ ſunt veri corporis, & veri ſanguinis attributa. Ex quibus omnibus ſequitur, quod etiamſi attenderentur ſolæ regulæ interpretandi Scripturas probatæ ab hæreticis, adhuc revincerentur aperte qui in Dominicis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, præfracto, temere, & audacter affirmant nudum adeſſe tropum.

Momentum II. ex ſacris Eccleſiæ Conciliis.

Ceterum Scripturarum ſanctarum interpretatio requirenda eſt ab Eccleſia, quæ non ſemel nobis veritatem propoſuit in ſacroſanctis Conciliis. Etenim Nicænum primum ca-

canone XIV. & in verſione Dionyſii XVIII. mandat ut iis, qui non offerunt, ſacerdotes διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *dent corpus Christi*. Epheſinum, ut diximus in prænotatis, in Epiſtola ad Neſtorium definit, *accedentes ad myſticas benedictiones participes fieri ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti*, neque *communem carnem* percipere, *ſed vere vivificatricem, & ipſius Verbi propriam factam*. Nicænum II. art. VI. *Nullus*, inquit, *turbarum ſpiritus, ſanctorum videlicet Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum noſtrorum, incruentum ſacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri, ac omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus*, εἰκόνα τοῦ σώματος αὐτοῦ, & paucis interjectis, ſic de pane vinoque loquitur: *Poſt ſanctificationem corpus proprie, & ſanguis Chriſti appellantur, ſunt, & creduntur*: μετὰ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίως καὶ αἷμα Χριστοῦ λέγονται, καὶ ἐστί, καὶ πιστεύονται. Sunt quidem aliqui reprehendentes hoc in loco Epiphanium Diaconum, cujus illa ſunt verba, quod negaſſet *ſymbola* poſt ſanctificationem dici ἀντίτυπα: ſed dictum ſupra cap. 7. Græcos in hujus vocis explicatione non conſentire, & expedietur paullo infra quicquid in ea voce offenditur difficultatis. Exorta autem Berengariana hæreſi, plura ad hanc extirpandam Concilia coacta ſunt, in quibus emiſſas a Berengario Confeſſiones fidei exprimentes dogma iſtud catholicum, paullo antea produximus. Addimus ſubſecuta Concilia Œcumenica, Lateranenſe ſub Innoc. III. cap. I. Conſtantienſe ſeſſ. VIII. Florentinum in decreto unionis, ac Tridentinum ſeſſ. XIII. quorum definitiones tam obviæ ſunt, & apertæ, ut neceſſe non ſit illas exſcribere, aut recitare.

Momentum III. ex perpetua traditione SS. Patrum.

Neque enim ſacroſancta Concilia, ut ajunt qui illorum ſpernunt auctoritatem, doctrinam novam, Patribuſque incognitam tradiderunt; ſed viguit illa quovis Eccleſiæ ſæculo, prout conſtat monumenta veterum pervolutanti. Ignatius Martyr ad Smyrnæos ſcribens, & de Simonianis verba faciens, ait pag. 37. edit. Cotel. Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. *Ab Euchariſtia, & oratione abſtinent, quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam benignitate ſua Pater ſuſcitavit*. Cujus loci meminit Dialogo 3. Theodoretus. Vide & Ignatii Epiſtolam ad Romanos pag. 77. & ad Philadelph. pag. 79. S. Juſtinus Apologia ad Antoninum pag. 98. ſcribit in Euchariſtia veram manducari Chriſti carnem eo modo Evangelicis verbis inductam, quo per verbum peracta fuit Incarnatio, dicens: *Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Salvator noſter carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit, ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ actæ ſunt, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur*, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι, *ejuſdem Incarnati Jeſu carnem, & ſanguinem eſſe, edocti ſumus*. Sanctus Irenæus lib. I. cap. 13. pag. 60. edit. Maſſuet, Marcoſios refellens, narrat præſtigiis ſuis vinum album in purpureum tranſmutaſſe, ut ſuaderent Euchariſtiam a ſe magicis deliriis confectam verum ſanguinem continere: quo ſolemni portento nunquam ſtuduiſſent fucum facere, niſi ex præconcepta in Chriſtianorum animis præſentiæ realis, ac *tranſubſtantiationis* doctrina. Libro autem IV. cap. 17. pag. 249. de Chriſto Jeſu ait Irenæus, *Calicem ſuum ſanguinem confeſſus eſt*: ac proximo cap. pag. 251. de Judæis inſtituendo ſermonem, *Quomodo*, inquit, *conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſint, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis ejus, ſi non ipſum Fabricatoris mundi Filium dicant?* Quibus verbis docet eos, qui Verbi negant incarnationem, denegaturos quoque Euchariſtiæ veritatem, & *tranſubſtantiationis* myſterium. Probat deinde eo loci Irenæus ex hoc eodem myſterio futuram corporum reſurrectionem: eodemque argumentationis genere lib. V. cap. 2. revincit Marcionitas & Valentinianos; adverſus quorum deliramenta perperam, ut infra oſtendam, acueret ſtilum, ſi in Euchariſtia adeſſet imago Dominici corporis, non ſubſtantia. Quamobrem Grabius Claudio, Albertino, ceteriſque Calvinianis candidior annot. in præcit. cap. 2. pag. edit. Oxon. 399. fatetur Irenæum, & permultos veterum ſententiæ Catholicorum præcinuiſſe.

Id cum ego teſtimoniis eorum, qui ante ſæculum tertium floruerunt, hactenus demonſtraverim, oſtendam modo ſententiis apertiſſimis ceterorum, qui ſcripſere ante ætatem Auguſtini parentis noſtri. Quorum agmen ducens Tertullianus in lib. adv. Judæos cap. 10. demonſtrat propheticum Hieremiæ vaticinium, *Mittamus lignum in panem ejus*, ſpectare ad Jeſum ſuffixum cruci, quia ipſemet Chriſtus panem eſſe corpus ſuum pronuntiavit. Id vero de figura corporis nequit accipi; non enim corpus umbraticum, ſed verum affixum eſt ligno: unde Tertullianus eodem vaticinio perſtringit Marcionem veram Chriſti carnem non confitentem, libro 3. contra eumdem hæreticum cap. 19. In eodem Opere lib. IV. cap. 40. affirmat Tertullianus Dominum acceptum panem in corpus vertiſſe ſuum ſcribens: *Corpus ſuum illud fecit*; ac de percipiente Euchariſtiam libro de Reſurrect. carnis cap. 8. ait: *Corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur*. Plura de Tertulliano Carolus noſter Moreau tom. 2. verbo, *Euchariſtia*. Cyprianus lib. de lapſis pag. 378. edit. noviſſimæ de impiis non purgata conſcientia communicantibus, *Vis*, inquit, *infertur corpori ejus, & ſanguini*: & epiſt. 63. pag. 231. contra offerentes in matutinis ſacrificiis puram aquam, *Quomodo autem*, ait, *poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere, qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere?* E contra inſtante Galli & Voluſiani perſecutione concedendam cenſuit communionem lapſis ſub Decio, erroremque ſuum confitentibus, hanc rationem epiſt. 54. pag. 172. proferens, *Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* Adiſis præfationem memoratæ editionis num. XIII. ubi hæc, aliaque plura invenies notatu digniſſima. Gregorius Nyſſenus in magna Orat. Catech. cap. 37. pag. 536. ita loquitur: Καλῶς καὶ νῦν τὸν τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ Θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομεν. *Recte & nunc verbo Dei ſanctificatum panem in corpus Dei Verbi tranſmutari credo*: ac paullo poſt, εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *ſtatim in corpus Verbi tranſmutatur* (Panis) *ſicut dictum eſt a Verbo, Etenim hoc eſt corpus meum*. Ex ſcriptis Cyrilli Jeroſolymitani ſatis eſt proferre quæ habet Catech. Myſtag. IV. pag. 528. edit. Morel. Αὐτοῦ οὖν ἀποφηναμένου, καὶ εἰπόντος περὶ τοῦ ἄρτου, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, τίς τολμήσει ἀμφιβάλλειν λοιπόν; καὶ αὐτοῦ βεβαιωσαμένου καὶ εἰρηκότος, τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα, τίς ἐνδοιάσει ποτέ, λέγων μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ αἷμα; *Cum igitur ipſe Chriſtus ſic affirmet, atque dicat de pane, Hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, & dicente, Hic eſt ſanguis meus, quis, inquam, addubitet, & dicat non eſſe ejus ſanguinem?* S. Ambroſius de Myſteriis cap. 8. num. 47. probat Euchariſtiam manna eſſe præſtantiorem, quoniam hæc eſt *Panis vivus, qui deſcendit de cælo, & eſt corpus Chriſti*; corpus utique re, non figura; nam Chriſti typum etiam manna gerebat; & num. proximo 48. ſic proſequitur: *Conſidera nunc, utrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ utique corpus eſt vitæ. Manna illud de cælo, hoc ſupra cælum: illud cæli, hoc Domini cælorum*. Tum ſubjicit: *Illis aqua de Petra fluxit, tibi ſanguis e Chriſto*; & poſt pauca, *Illud in umbra, hoc in veritate*. In hujus autem rei confirmationem affert proximo capite exempla plurium miraculorum, quibus aut res de novo fuerunt productæ, aut mutatæ ſpecies elementorum. Recte tom. 2. pag. 337. editores Benedictini: *Porro ab hoc ipſo loco ad finem uſque operis tot, tamque efficacia probandæ Chriſti in ſacramento reali, ut vocant, præſentiæ ſuppetunt argumenta, ut ea depromere, atque adverſus temerariam Berengarii novitatem opponere ſtrenuiſſimi ejuſdem Euchariſticæ veritatis propugnatores Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniacenſis, aliique certatim contenderint. Neque vero ut eaſdem elevarent, aut eluderent probationes, ſegniorem operam navaverunt heterodoxi. Verumtamen inanes, ne dicamus ineptas, eorum argutias, atque cavillationes eſſe prudens lector facile deprehendit*. Mitto interim alia plura, quæ ex libris de Sacramentis, Ambroſii ſub nomine commendatis, poſſunt depromi. Mentem vero Joannis Chryſoſtomi præ ceteris manifeſtant, quæ ſcribit Hom. 83. in Matth. pag. 699. affirmans novum teſtamentum eodem modo Dominicum poſſidere ſanguinem, ὥσπερ ἡ παλαιὰ πρόβατα καὶ μόσχους εἶχεν, *quemadmodum vetus pecudes, & vitulos habebat*, de Euchariſtia utique verba faciens: eademque Hom. pag. 703. ἐπεὶ οὖν ὁ λόγος φησί, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ πειθώμεθα καὶ πιστεύωμεν, καὶ νοητοῖς αὐτὸ βλέπωμεν ὀφθαλμοῖς. *Quoniam igitur Verbum dixit, Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus*. Docet ſubinde invidendum non eſſe iis, qui formam, ſpeciem, ac veſtimenta Domini videre; quia licet ſub rebus ſenſibilibus, ideſt, ſub elementorum imagine, revera tamen ipſum videmus, tangimus, & comedimus: quæ inepte forent dicta, ſi in Euchariſtia nudus adeſſet typus, inaniſque figura. Præterea Hom. 24. in Epiſt. I. ad Corinth. pag. 532. ait: ὅτι τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ὄν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν, καὶ ἐκείνου μετέχομεν. *Id enim, quod eſt in calice, eſt illud idem, quod e latere fluxit, & illius ſumus participes*. Paullo poſt Chriſti caritatem inde commendat, quod amatores reliqui ſuam in veſtibus, ceteriſque donariis oſtendant magnificentiam, ut fecit autem Chriſtus, *in ſanguine nullus unquam*: quod adverte dici a Chryſoſtomo *de calice benedictionis*. S. Hieronymus in caput I. Epiſt. ad Titum p. I. Tom. 4. pag. 418. ita de Euchariſtia

Digitized by Google

loquitur: *Tantum intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantum inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria præfigurabantur*: in Epiſtola 44. ſeu altera ejuſdem Volum. pag. 547. hoc pariter diſcrimen ſtatuit inter ſacrificium Melchiſedech, & Chriſtianum Myſterium, quod illud oblatum fuerit *in typo*, iſtud vero *in Salvatoris ſanguine, & corpore*. Sed de Hieronymo plura in Confeſſione Hieronymiana Schultingus.

Auguſtinus, ut ad hunc tandem deveniamus, lib. IX. Confeſſionum cap. 13. num. 36. ſcribit beatiſſimam matrem Monicam ei mandaſſe, ut ſui memoriæ fieret ad altare, quod ſciret in eo diſpenſari *victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis*. Enarratione I. in Pſalmum 33. num. 10. demonſtrat quod in LXX. legitur I. Regum 21. *Et ferebatur manibus ſuis*, in Davide ſecundum litteram non eſſe adimpletum, immo nec in alio nudo homine: *Quis enim*, inquit, *portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur*. Impletum deinde hoc ait in Chriſto, *Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis*. Inſaniat autem neceſſum eſt, qui putat hæc de figura, & imagine poſſe explicari: quiſque enim propriis manibus ſuam imaginem ferre poteſt, neque de hac ullus dixerit, *Quis portatur manibus ſuis? manibus ſuis nemo portatur*. Libro 2. contra lit. Petil. cap. 37. num. 87. ſcribit Paſche Judæorum paſſionis Domini fuiſſe typum, ſed aliud eſſe quod illi *de ove celebrabant, aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus*. De peccat. meritis & remiſ. lib. 2. cap. 26. num. 42. affirmat eulogias catechumenis diſtributas eſſe cibis aliis ſanctiores, & ſui generis ſacramentum; *quamvis non ſit corpus Chriſti*, Euchariſtia ſcilicet, qua non veſcitur catechumenus. Vide in hunc locum Hieronymum Torrenſem lib. 3. Confeſſ. Auguſtin. cap. 6. §. 1. Tractatu 62. in Joannem num. 3. docet, Judam accepiſſe *corpus Chriſti* cum aliis Apoſtolis, priuſquam ei porrexerit Dominus buccellam intinctam, Sacramentum a communi pane, tametſi in cœna fracto, & typico, aperte ſecernens. Et denique, ne ſim infinitus, libro XII. contra Fauſtum cap. 10. hæc ſcribit: *Habet magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum*. Hos interim e fontibus hauſiſſe ſat eſt, quippe veterum ſententiam luculentiſſime oſtendunt, & mox quoſdam alios commemorabo. Qui tamen optat copiam teſtimoniorum uberiorem, perlegat Cardinalem Perronium de Euch. Jodocum lib. VI. Theſ. art. 1. Creſpetium Summæ Eccleſ. pag. 356. Bellarminum de Euch. lib. 2. Opus de Perpetuitate fidei, & ex Theologis ætati noſtræ proximioribus Carolum Witaſſium Tract. Theolog. tom. IV.

Momentum IV. ex confutatione veterum hæreticorum.

Horum, aliorumque Patrum ſcripta perlegens animadverti in refutandis hæreſibus, quas damnant quoque Novantes, urgere argumenta, fidei receptæ, exploratiſſimæque dogmatis hujus ſuperinnixa. Nam Irenæus lib. IV. cap. 17. pag. 249. probat abrogandam fuiſſe legem veterem, & eliminanda holocauſtomata, ut umbris veritas ipſa ſuccederet, & ubique terrarum offerretur prænuntiatum a Malachia ſacrificium, in quo Dominus creaturam panis *fecit corpus ſuum*, & vinum item *ſanguinem ſuum confeſſus eſt*. Sequenti cap. XVIII. pag. 251. demonſtrat corporum reſurrectionem, futuramque carnis incorruptionem, ex quo *ſicut panis per invocationem Dei jam non eſt panis, ſed Euchariſtia*, ſic corpora noſtra Euchariſtiam percipientia ſpem reſurrectionis habeant: quod argumentum repetens lib. V. cap. 2. pag. 294. *Sicut*, inquit, *granum tritici, & vinum percipientia verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti; ſic & noſtra corpora ex ea nutrita, & in terram reſoluta reſurgent in ſuo tempore*. Eodem pacto Marcionitas & Valentinianos aſſerentes mundum hunc adſpectabilem non fuiſſe conditum a Deo veteris Teſtamenti auctore, Irenæus lib. IV. pag. 270. cap. 33. ſic refellit: *Quomodo autem juſte Dominus, ſi alterius Patris exiſtit, hujus conditionis, quæ eſt ſecundum nos, accipiens panem ſuum corpus eſſe confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit?* Eoſdem, alioſque hæreticos negantes Verbum aſſumpſiſſe veram carnem e Maria Virgine procreatam, ita urget lib. V. cap. 2. pag. 293. *Si autem non ſalvetur hæc, videlicet nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos; neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis ejus eſt, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus*. Quæ omnia futilia nimium eſſent, & inepta, ſi in Euchariſtia adeſſet ſola Dominici corporis figura. II. Tertullianus pariter lib. IV. contra Marcionem cap. 40. eodem argumenti genere uſus eſt ſcribens: *Conſiſtit probatio corporis de teſtimonio carnis, probatio carnis de teſtimonio ſanguinis*, ibique verum, non phantaſticum Chriſti corpus oſtendit ex verbis conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, & verum pariter ſanguinem ex conſecratione calicis. Etſi autem ibi appellat panem *figuram corporis*; non loquitur de figura quæ veritatem excludat, alioqui firmaſſet potius dogma Marcionis, quam confutaſſet; ſiquidem is repoſuiſſet corpus dici, quod corporis ſolam refert imaginem. III. S. Epiphanius in Anchorato num. 57. pag. 70. demonſtrat revera hominem conditum eſſe ad imaginem Dei, quamvis homo comprehendi poſſit, ac tactu percipi, Deus vero omni ſpiritu ſit præſtantior, omnique luce ſuperior, quemadmodum panis poſt conſecrationem vere ac proprie eſt Chriſti corpus, tametſi rotundum ſit, ſenſus expers, & membrorum careat lineamentis, & notis: quod adeo, inquit, certum eſt, ut nemo ſit, qui ei ſermoni, *Hoc eſt corpus meum*, fidem non adhibeat: *nam qui verum illum eſſe non credit, a gratia & ſalute prorſus excidit*, ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινόν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος, καὶ τῆς σωτηρίας. His autem verbis in editione Petaviana hæc notula apponitur, *Inſignis locus, quo Dominici corporis in Euchariſtia præſentia comprobatur*. IV. S. Hilarius lib. VIII. de Trinit. num. 13. pag. 954. probat divinum Verbum *naturaliter* eſſe in Patre petita ex Incarnationis myſterio, & ex Euchariſtiæ ſacramento comparatione, ſcribens, *Si enim vere Verbum caro factum eſt, & vere nos Verbum carnem cibo Dominico ſumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes unum ſumus, quia & in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe, quia in Chriſto Pater, & Chriſtum in nobis, unum in his eſſe nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſque vere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus; & per hoc unum erimus, quia Pater in illo eſt, & ille in nobis: quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramentum proprietas, perfectæ ſacramentum ſit unitatis?* Vide quæ & nos adnotavimus Tom. I. pag. 197. ſolventes objectiones Arianorum. V. Cyrillus demum Alexandrinus lib. IV. contra Neſtorium cap. 4. & 5. demonſtrat in Chriſto unitatem perſonæ, ex quo in Euchariſtia non communem carnem accipiamus, neque carnem cujuſdam hominis ſanctificati, divinamque inhabitationem ſortiti, ſed carnem vere vivificam, & ipſius Verbi propriam. *Cum enim*, inquit tom. VI. pag. 109. *ab illa cum corpore myſtica, veraque unione vivificum Dei Verbum ſegregaris, & omnino disjunxeris, quomodo ipſum corpus adhuc vivificum oſtendes?* Dictum ſupra eodem telo pugnaſſe Synodum Epheſinam; eademque ratione confutaverat Paulum Samoſatenum Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus. Legi poteſt Scholion Lupi ad XI. Neſtorii Capitulum, tom. I. pag. 352. Frequentiſſime igitur in confutandis hæreſibus Patres ex communi, certiſſimoque præſentiæ realis dogmate argumenta, probationeſque ſumpſerunt.

Momentum V. ab exemplis, quibus Veteres fidem huic Myſterio conciliarunt.

Talia Majores noſtri de Euchariſtia prædicantes, ne res admiranda & arcana in audientium animis gigneret hæſitationem, revocabant in ipſorum memoriam patrata a Deo mirabilia. Juſtinus non ſemel laudata ad Antoninum Apologia pag. 98. eo pacto docet mutari panem in Chriſti corpus, quemadmodum, διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, *per verbum Dei caro factus eſt Jeſus Chriſtus Salvator noſter*, eamdemque comparationem affert præclara Orat. Catechetica Gregorius Nyſſenus pag. 537. & Hilarius, cujus verba recitata ſunt nuper. S. Irenæus lib. IV. cap. 18. pag. 251. ea ratione Euchariſtiæ fidem adſtruit, quoniam conficitur per Filium Fabricatoris mundi, id eſt, *per Verbum, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, & terra dat quidem primum fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica*. Æquiparat etiam eo loci, ut adnotatum ſupra, Euchariſtiam reſurrectioni, unum ex alio comprobans; & lib. V. cap. 2. pag. 294 ait elementa percipientia Dei verbum fieri Euchariſtiam, *quod eſt corpus, & ſanguis Chriſti, quemadmodum lignum vitis depoſitum in terram ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum, multiplex ſurgit per ſpiritum Dei, qui continet omnia*. Cyrillus Jeroſolymitanus Orat. myſtag. IV. pag. 528. urget exemplum converſionis aquæ in vinum, dicens: τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, οἰκείῳ νεύματι. καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν οἶνον μεταβάλλων εἰς αἷμα; *Aquam aliquando mutavit in vi-*

in vinum in Cana Galilææ ſola voluntate ; & non erit dignus tui credamus , quod vinum in ſanguinem tranſmutaverit ? Ambroſius de Myſteriis cap. ix. num. 50. probat conſecrationis & benedictionis majorem eſſe vim , quam naturæ , eo quod benedictione ipſa quoque natura mutetur , allatis exemplis virgæ Moyſis in colubrum verſæ , aliorumque ſignorum in Ægypto patratorum , Jordanis contra naturam revertentis ad ſuæ fontis exordium , aquæ de petra fluentis , ſuamque contactu ligni deponentis amaritudinem : aliiſque id genus recenſitis num. 51. proſequitur : *Si tantum valuit ſermo Eliæ , ut ignem de cælo deponeret : non valebit Chriſti ſermo , ut ſpecies mutet elementorum ? De totius mundi operibus legiſti , Quia ipſe dixit , & facta ſunt ; ipſe mandavit , & creata ſunt : ſermo ergo Chriſti , qui potuit ex nihilo facere quod non erat , non poteſt ea , quæ ſunt , in id mutare , quod non erant ? non enim minus eſt , novas rebus dare , quam mutare naturas* . Sequenti autem num. 52. confirmat hujus myſterii veritatem Incarnationis exemplo , atque in hæc verba prorumpit : *Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore , cum præter naturam ſit ipſe Dominus Jeſus partus ex Virgine ? Vera utique caro Chriſti quæ crucifixa eſt , quæ ſepulta eſt : vere ergo carnis illius ſacramentum eſt* . Utitur quoque exemplo ſermonis Chriſti , quo creata ſunt omnia , lib. iv. de Sacramentis cap. 4. num. 15. pag. 368. novæ editionis Pariſienſis . Inſiſtit iiſdem veſtigiis , profertque ad fidem hanc adſtruendam exemplum creationis rerum univerſarum , divinique Verbi Incarnationis , S. Joannes Damaſcenus lib. iv. de Fide cap. 14. cujus teſtimonium exſcripſimus libro xxx. cap. 11. His permoti cum S. Thoma q. 88. art. 4. omnes e ſchola Theologi tribuunt verbis conſecrationis vim effectricem , eamque nos citato cap. undecimo propugnavimus . Nunc vero ab hæreticis petimus , cui bono Patres tam præclara exempla produxerint , ſi in Euchariſtia panis , & vinum in ſua perſiſtant ſubſtantia , nullam ſubeant mutationem , neque ipſa re , ſed *figura* duntaxat , ſint Domini noſtri corpus , & ſanguis ?

Momentum VI. ex miraculis in veritatis confirmationem patratis .

Sed quæ Patres doctrinis , exemplisque tradiderunt , non ſemel Deus omnipotens confirmavit mirabili rerum eventu . Non omnia referendi eſt animus , quæ mandarunt litteris Guitmundus , Viguerius , Clithovæus , Genebrardus , aliique apud Joannem Baptiſtam Scortiam de Sacrificio Miſſæ lib. iv. cap. 14. Nec repetam quæ de Tarſicio Chriſti Sacramenta portante extra viam Appiam ſcripſi hoc ipſo volumine . Optatus ergo , ut referantur perpauca , libro 2. de ſchiſm. Donatiſt. num. 19. narrat canes rabia accenſos dente vindice laniaſſe dominos ſuos , qui Euchariſtiam projecerunt , *quaſi latrones , ſancti corporis reos* . Amphilochius in Vita S. Baſilii ſcribit , Hebræum myſteria noſtra irridentem , cum adeſſet ipſi Baſilio facienti rem ſacram , vidiſſe illius manibus infantem partiri , cumque accederet ad altare communicationem percepturus , hoſtiam in veram carnem fuiſſe converſam ; quod Theodorus Prodromus in Tetraſticho in laudem Baſilii ita complexus eſt carmine :

Intuitus panem , & nigrum in cratere lyæum
Riſerat Hebræus ſacra myſtica Chriſticolarum :
Hoc ubi Baſilius perſenſerat , utraque edenda
Porrigit , illa ſtatim cruor , & caro verſa reſultant .

Idem contigit , narrante Joanne Diacono , dum Matrona quædam Gregorio Magno ſacram diſtribuente ſynaxim , ac dicente , *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam* , irridens repoſuit , *Panem hunc manibus egomet meis pinxi* . Vide Joan. Diaconum in Vita Gregorii libro 2. num. 41. necnon Paulum Diaconum n. 23. initio tomi iv. novæ Gregorianorum Operum editionis . Chryſoſtomi tempore , dum mulier Macedoniano imbuta errore ſimulate accederet ad communionem Dominici corporis , iſto clam ancillæ porrecto , communem panem accipiens & ori admovans , ſenſit hunc verſum in duriſſimum lapidem , qui diu inter donaria Templi Conſtantinupolitani ad fidem miraculi fuit aſſervatus , ut Nicephorus lib. xiii. H. E. cap. 7. & Sozomenus lib. viii. cap. 5. litteris conſignarunt . Exorta inſuper Berengarii hæreſi , ſacram hoſtiam a malefica muliere palliolo involutam , fuiſſe dimidia ex parte in carnem divinitus converſam , retenta ex alia parte *ſpecie* panis , ſcripſit in Epiſtola ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem S. Petrus Damiani : qui eadem Epiſtola refert quoque præſentem ſe fuiſſe , dum Epiſcopus Amalphitanus interpoſito jurejurando narravit Stephano Romano Pontifici , *quia cum aliquando ad menſam Domini ſanctificaturus accederet , ſed ſuper ſacramento Dominici corporis incredulus heſitaret , in ipſa confractione ſalutaris hoſtiæ rubra prorſus ac perfecta caro inter ejus manus apparuit , ita ut digitos illius cruentaret , ſicque ſacerdoti ſcrupulum dubietatis auferret* . Sed vide Eccleſiaſticorum Annalium Scriptorem eximium ad an. mlix. num. 21. & ſeq. Hujus autem generis miracula evenerunt complura : inter quæ illud , quod ſacerdoti celebranti accidiſſe anno 1264. Vulſinii , tradunt in Urbano IV. Panvinius , Sigonius lib. xix. de Regno Italiæ , Raynaldus tom. xiv. ad eumdem annum , num. 26. aliique Hiſtorici , ſcribentes , profluxiſſe a ſacro calice ſanguinem , quo pertinctum *Corporale* etiamnum religioſe cuſtoditur in Cathedrali Eccleſia Urbis veteris . Atque occaſione hujus miraculi fertur inſtitutum feſtum Corporis Chriſti : de qua re dicam infra . Idem , quod apud Vulſinios , accidiſſe Doracæ in regno Aragonenſi anno 1239. teſtantur Ludovicus Granatenſis p. 2. Introduct. Symboli , Henriquez lib. ix. cap. 38. omneſque rerum Hiſpanicarum Scriptores . Sed quid , in his enarrandis inſumo tempus ? Vel ſola Familiæ noſtræ domeſtica hiſtoria continet hujuſmodi exemplorum innumera . Jeſum enim in ſacra Hoſtia perſpicue contemplati ſunt Nicolaus Tolentinas , Joannes a ſancto Facundo , aliique viri ſanctitate conſpicui : vinum in aquam , ut huic myſterio adſtrueret fidem , vertit Joannes Bonus ; atque Hoſtiam in carnem ac ſanguinem mirabiliter converſam religioſe ſervant fratres noſtri in Piceni oppido Offidano , & aliam conſimilem Lovanienſes , cujus pars altera cuſtoditur in cœnobio Coloniæ Agrippinæ . De hac orationem habuit Chriſtianus Lupus , inter Opuſcula poſthuma pag. 97.

Momentum VII. petitum ex ipſis catholicæ fidei adverſariis .

Gentes quoque , tametſi eis ſacramenta noſtra , & Euchariſtiam maxime occultare ſtuduerint Eccleſiæ Patres , aliquid de illa e ſimpliciorum colloquiis excipientes , cauſati ſunt celebrari a nobis Atreas , Thyeſteaſque epulas , in quibus ſcilicet trucidati infantis veſcamur carnibus , ad eum modum , quo Atreus Thyeſti fratri filios epulandos appoſuit , ut Servius ſcribit in priorem librum Æneidum , ac norunt omnes haud ignari veterum fabularum . Hujus rei cauſa Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ vindicant ab infanticidii crimine noſtratium cœnas , quas *ut ſceleris infames ſuggillari* conquaritur adverſus Gentes Tertullianus . Ac Juſtinum , ut hujus calumniæ depelleret atrocitatem , manifeſtius , quam diſciplina poſtularet arcani , de Euchariſtia pertractaſſe diximus præcedenti Volum. pag. 187. Raptos ad ſupplicium plures martyres , atque hos inter glorioſiſſimum Attalum , ob ementitum Thyeſteæ cœnæ flagitium , narrat lib. v. Hiſt. Eccl. cap. 1. Euſebius . Jam vero tam probroſa accuſatio non videtur aliunde arripuiſſe occaſionem , niſi ex aliquo ſparſo rumore , quod in convivio Euchariſtico veram *Filii hominis* carnem initiatis Antiſtites diſpertirent . Quamobrem imperator Numerianus , ut ſuimet oculis de rei veritate ſumeret experimentum , ingreſſus Antiochenam Baſilicam adeſſe voluit , dum ſacrum peragentes Euchariſtiam conficerent , ac diſtribuerent . Falſa itaque Ethnicorum calumnia veritati myſterii , ipſos latenti , fuit ſuperſtructa . II. Non alia ratione ducti Chriſtiani nominis hoſtes exiſtimarunt a nobis coli tanquam numina Bacchum & Cererem , quoniam cauſſam ignorarunt noſtræ erga Euchariſtiam venerationis . Si enim ad illorum aures hoc unum perveniſſet , uti nos in ſacrificio pane , & vino , nec intellexiſſent alterius Euchariſtiam a nobis adorari , atque in ea præſentiam Numinis coli ; nequaquam habuiſſent nos tanquam idololatras , Cereriſque cultores . Nam & Sacramentarii dogma catholicum execrantes traducunt nos quaſi adoratores Dei cujuſdam *Panicei* . III. Manichæi etiam , qui adeo delirabant , ut crederent Chriſtum eſſe in ſpicis , & ſarmentis ligatum , apponi in eſcis omnibus , & refici homines *quadam Dei defectione* , arbitrabantur *parem nobis eſſe religionem circa panem & calicem* : hoc autem deliramentum refellitur ab Auguſtino libro xx. contra Fauſtum cap. 13. non quod in Euchariſtico pane Chriſtus non ſit ; ſed quia *certa conſecratione myſticus fit nobis , non naſcitur* , neque eſt *alimentum refectionis* , ſed *ſacramentum religionis* . Certe Fauſtus , aut Manichæorum alius auſus non fuiſſet dogmati ſuo comparare panem & calicem noſtrum , & parem dicere religionem , pejus iis deſipiens , qui exiſtimarunt nos Cererem ac Liberum colere ; niſi noſſet credi a nobis in pane , & calice realem Chriſti præſentiam . At hæretici alii ſtuduerunt hanc ſuis deceptionibus accommodare . Diximus Marcum præſtigiatorem eamdem præſentiam inducendi vim tribuiſſe magicis incantationibus ; Neſtorium vero in ea opinatum unionem moralem excogitatam in Chriſto . Eutychiani Dominicum corpus in Euchariſtia profitebantur , ſed quod in divinitatem tranſiiſſet , ad eum modum , quo impie de Incarnatione dogmatizabant : unde ab Anaſtaſio Sinaita in ὁδηγῷ cap. 13. revincitur Timotheus Eutychianus , ex quo *teneri , frangi , dividi , & in partes diſtribui , & effundi , & exhauriri , & tranſmutari , & dentibus conteri a divinitate prorſus abhorret* , ἀλλότριον δὲ θείας φύσεως τὸ κρατεῖσθαι , καὶ κλᾶσθαι , καὶ μερίζεσθαι , καὶ θρύπτεσθαι , ἢ ἐκχεῖσθαι , καὶ κενοῦσθαι , καὶ μεταβάλλεσθαι ,

καὶ ὑπὸ ἰδίοτων κατατίμνεσθαι. Vide editionem Gretſe-rianam Ingolſtadii pag. 233. De Arianis dictum ſupra mom. 5. Valdenſes dum affirmarunt corpus Chriſti eb indigno Sacerdote non confici, circa miniſtri conditionem, non circa ſacramenti ſubſtantiam deprehenduntur erraſſe, Joannes Hus in Apologia e ſe conſcripta enno MCCCCXI. amovit e ſe omnem hæreſis, quam profligemus, ſuſpicionem. Proteſtantium capita Lutherum, & Calvinum non auſos veritatem penitus oppugnare, oſtendimus in hujus capitis prænotationibus. V. Græci Schiſmatici (nam Orthodoxos nobiſcum conſentire manifeſtiſſimum eſt) edeſſe Chriſti corpus in Euchariſtia unanimi ore fatentur. De Gabrielis Philadelphienſis Metropolitæ libro, inſcripto, *Fides Eccleſiæ Orientalis*, plura poſt Perronium Novetus, Simonius, Ameldus: nos exſcribemus tantum ſequentia pag. 9. edit. Pariſienſ. *πᾶς μετουσιώμενος ἄρτος καὶ οἶνος ἐστιν ἅγιος καὶ τέλειος, καὶ σάρξ Χριστοῦ. διὰ ὃ προσκυνεῖται μόνον, ἀλλὰ καὶ λατρεύεται. Omnis tranſubſtantiatus panis cum vino, ſanctus, ac perfectus eſt, & CARO Chriſti; quare non colitur tantum, verum etiam adoratur latriæ cultu.* VI. Gajenita, (genus quoddam hæreticorum, qui eb initio unionis unam in Chriſto proprietatem adſtruebant, divinam atque impaſſibilem) in diſceptatione habita Alexandriæ cum Orthodoxo, pag. 349. Operum Anaſtaſii Sinaitæ, ita a Catholico interrogatur: *Dic mihi, obſecro, ſi ut divinitas, ita & corpus Chriſti, & ab ipſo unionis exordio immortalitatem habet, num communio ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti, quam offers & participas, vere eſt verum corpus, & ſanguis Chriſti filii Dei, vel nudus panis, qualis oſtiatim venditur; vel vicem duntaxat, & figuram gerit corporis Chriſti, ut ſacrificium hirci, quod Judæi offerunt?* Cui interrogationi Gajenita reſpondet: *μὴ γένοιτο, ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος Χριστοῦ, τὴν ἁγίαν κοινωνίαν, ἢ ψιλὸν ἄρτον. ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα, καὶ αἷμα ἀληθῶς Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ μεταλαμβάνομεν, τοῦ σαρκωθέντος, καὶ γεννηθέντος ἐκ τῆς ἁγίας Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. Abſit, ut dicamus ſacram communionem eſſe tantum figuram corporis Chriſti, aut nudum panem, ſed ipſum corpus & ſanguinem Chriſti Dei incarnati, & nati ex ſancta Deipara, & ſemper Virgine Maria, vere accipimus.* Egregium ſane monumentum, quo conſtat quid ſenſerint de Eucheriſtia ſexto ſæculo, quo floruit Sinaite, Orthodoxi, quid hæretici, non Gejanitarum ſectæ tentum, ſed & Severiani, Jacobitæ, aliique idem cum Gejanitis ſentientes, ut legitur eo loci. VII. Demum quænam ſit Orientalis Eccleſiæ ſententia, perſpicue liquet ee Cenſura, quam ad Germanos conſcripſit Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus; in qua cap. x. legitur: *Δοξάζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, ὅτι μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, ὁ μὲν ἄρτος μεταβάλλεται εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος εἰς αὐτὸ τὸ αἷμα, διὰ πνεύματος ἁγίου: Judicium eſt Catholicæ Eccleſiæ, panem quidem poſt conſecrationem mutari in ipſum Chriſti corpus, vinum autem in ipſum ſanguinem, virtute Spiritus ſancti*: ee ſubinde declarans quid Chriſtus Apoſtolis porrexerit, dum ait, *Hoc eſt corpus meum*, ſubjungit: *οὐ τοῦτο εἶπεν ἐστὶν ἄζυμος, ἢ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ τὸ αἷμά μου, Non dixit, Hoc eſt panis azymus, aut figura corporis, ſed, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus*: quæ verba Græce, & Latine producta ſunt, quoniam Claudius Cerentonenſis miniſter doctiſſimum Cardinalem Perronium audacter criminis inſimulavit quaſi Hieremiæ textus torſerit, & mutilaverit. Eadem cum Hieremia ſcribit Nicolaus Cabaſila in Expoſitione Liturgiæ cap. 27. & ſequentibus. Verum hæc pro confirmatione catholici dogmatis abunde ſufficiunt; quamquam momenta alia ſuppeditabunt Regulæ capite proximo ſubjiciendæ.

CAPUT IX.

Solvuntur præcipua hæreticorum argumenta, & traduntur decem regulæ, quibus dubitatio omnis eliditur, & veritas confirmatur.

PRÆCIPUA vero argumenta hæreticorum iſta ſunt. Nil ex ſacris litteris produci poteſt ad Euchariſtiam ſpectans, quod *tropice* non ſit accipiendum, ſive regulæ metaphoricæ locutionis attendantur, ſive ſingillatim revocentur ad trutinam quæ leguntur cap. VI. Joannis, ſive penſitentur verba Domini Jeſu Euchariſtiam inſtituentis. Quantum ad primum attinet: ſacramentis ſingulis ineſt hæc ratio, ut in iis *ſigno* rei ſignatæ tribuatur *nomen*: ideoque unica regula *ſacramentalis locutionis* litem dirimit, demonſtretque in oratione cœnæ tropum eſſe retinendum, ut inquiunt in ultima admonitione Weſtpal. Calvinus, & lib. 2. de Re Sacrament. Theodorus Beza. Hac ratione Gen. XVII. 10. circumciſio dicitur *pactum*, & fœdus, & Paſchalis agnus Exodi XII. 11. appellatur *Phaſe*, attributis ſenſibili ſigno ipſarum rerum vocabulis. Deinde S. Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſt. cap. 16. num. 24. docet in Scriptura figuratam eſſe locutionem, ſi præceptive eſt, *& flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare*: ee qua regula infert S. Pater figuratam eſſe locutionem illam, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, propterea quod *facinus, vel flagitium videtur jubere*: quo teſtimonio nimium geſtiens Phereponus Append. Auguſtinianæ pag. 566. ſcribit hoc loco Auguſtinum non male verba Domini interpretatum, & ee hac regula, licet non accurata, colligi non poſſe homines Dominici corporis fieri participes: atque ante Phereponum id obſervatum a Zuvinglio, Petro Martyre, ceteriſque Sacramentariis, apud virum doctiſſimum Claudium de Sainctes Repetit. 3. cap. 1. pag. 60. Tertio inſolitum non eſt, dum Scriptura de Chriſto loquitur, metaphoris orationem contexere: conſtat enim illum appellari *oſtium*, *vitem*, *paſtorem*, *petram*, *leonem*, *agnum*, Joan. X. 7. XV. 5. XI. 14. I. 29. &c.

Ee his deſcendentes ad caput Joannis ſextum, non uno in loco inveniemus ibidem *tropicam* locutionem. Primum hortatus jam Chriſtus fuerat Apoſtolos ad fidem, & hanc appellaverat verſ. 27. cibum, *qui permanet in vitam æternam*, & conſequenter *Panis vitæ*, de quo prolixe agit a verſu 28. ad 60. qui tribuit *vitam æternam*, eſt fides. Ait præterea de hoc pane v. 51. non ſumtum morti obnoxium, qui *ex ipſo manducaverit*; cum bene multi ſacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiant, qui tamen ſpiritaliter pereunt: cum e contra promittatur paullo ſupra credenti æterna vita, verſ. 48. *Qui credit in me habet vitam æternam*. Inſuper murmurantibus Capharnaitis, declaravit Dominus non litterali ſenſu, ſed ſpiritali accipienda eſſe quæ dixerat: *Verba* (ait verſu 64.) *quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*. Immo commendat eo loci *ſpiritalem* manducationem, comeſtionem vero carnis, quam excogitaverant auditorum quidam, damnet tamquam prorſus inutilem, ſubjiciens: *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*. Ulterius Patres caput illud ſextum myſtico ſenſu expoſuere, Origenes hom. 7. in Levit. Clem. Alex. lib. 1. Pædag. Baſilius ep. 141. Hieronymus in Pſ. 147. Auguſtinus lib. III. de Doctrine Chriſt. cap. 16. in Pſ. 98. Tract. 26. in Joannem, &c. Cum denique Wiclefus, & Joannes Hus capite 6. Joannis abuterentur ad probandam neceſſitatem communionis *ſub utraque ſpecie*, urgentes verſum 59. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c.* negarunt Theologi præſtantiſſimi agi eo capite de Euchariſtia: ita nimirum affirmavere Petrus Cardinalis de Allieco, Joannes de Raguſio, Gabriel Biel, Heſſelius, Tepperus, & alii, prout fatentur Tournely pag. 17. Carolus Vitaſſe pag. 251. & Auctor Op. de Re Sacram. pag. 406.

Multa ſunt pariter, quæ in verbis inſtitutionis *tropicam* locutionem demonſtrant. Ac primo eam innuit contextus ipſe verborum. In hac enim enunciatione, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen demonſtrativum refertur ad *panem*, & ſenſus eſt, *Hic panis eſt corpus meum*, ideoque remanet in Euchariſtia ſubſtantia panis, ipſaque eſt, quæ *corpus* nuncupatur. Neque enim idem pronomen refertur ad *corpus*; foret quippe cacoethes quædam orationis, & propoſitio, ut Scholæ loquuntur, *identica*, veluti ſi diceres, *Corpus eſt corpus*. Illud quoque vocabulum *Corpus*, apponitur *metaphorice*: nam dicitur 1. ad Corinth. XI. 24. *τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*, *Quod pro vobis frangitur*. At *frangi* non vero Chriſti corpori, ſed pani tantum competit: unde Apoſtolus ait præced. cap. X. 16. *Panis, quem frangimus*. Verbum quoque *eſt* non raro idem valet, ac *ſignificat*, ut liquet in his locutionibus, Gen. XLI. 26. *Septem boves, ſeptem anni ſunt*, Dan. II. 38. *Tu es caput aureum*, Matth. XIII. 37. *Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum vero ſemen, hi ſunt filii regni. Zizania autem filii ſunt nequam*. Mitto exempla id genus innumera. Enimvero unum valde affine eſt, quod ſupra etiam vidimus, & legitur Exodi XII. 11. ubi de agno dicitur, *Eſt enim Phaſe, ideſt, tranſitus Domini*, & ubi *eſt* valet procul dubio idem, ac *ſignificat*. Atque hoc exemplum divinitus inſinuatum eſt Zuvinglio, poſtquam biduo apud Tigurinos de Euchariſtia diſputaverat, prout ipſemet refert in libro, quem inſcripſit, *De ſubſidio Euchariſtiæ*. Præter hanc verborum vim & proprietatem, confirmare videntur Sacramentariorum hæreſim rei circumſtantiæ. Chriſtus enim priuſquam ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, pronuntiaret, accepit panem, benedixit, ac fregit, & poſt eadem verba mandavit, ut idem diſcipuli facerent in ſui commemorationem: quemadmodum ergo quod Chriſtus accepit, & fregit, panis erat; ita panis eſt, quem frangunt ſacerdotes, & laicis communicant. Quod etiam Euchariſtia conficiatur *in Chriſti memoriam*, illius commonſtrat abſentiam: ſiquidem non rerum præſentium, ſed præteritarum dicitur fieri commemoratio. Fractio inſuper panis, ac diſtributio, nec non utriuſque *ſpeciei* ſeparatio, cum corporis Chriſti immolationem, effuſionem ſanguinis, hujuſque applicationem indigitent, ſatis *tropicam* locutionem demonſtrant: nam quando aliqua enuntiatio illiuſmodi actionibus conjungitur, non propria & litteralis eſt, ſed ſymbolica. Ita, inquiunt Sociniani, Ezechiel detonſis capillis, & diſpergens tertiam horum partem, ac dicens cap. V. 5. *Iſta eſt Jeruſalem*, ex capillorum diſperſione monſtravit urbem

Jero-

Jeroſolymam diſperſum iri, non autem, quod infanientis foret excogitare, converſam Jeruſalem in capillos. Hæc præterea *tropica* locutio magis apparet in verbis, quibus calicem conſecramus. Illa Apoſtolus citato cap. XI. verſ. 25. ad hunc refert modum, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Neminem porro negaturum fore arbitramur, quin *calix*, ſive vas vino plenum, dicatur *teſtamentum* translatitio ſermone. Quod ſi *calicem* accipiamus pro vino; & hæc eſt metaphora, qua continens ponitur pro re contenta. Ipſe Chriſti *ſanguis* nequit appellari *teſtamentum*, niſi per ſynecdochen, ac parte pro toto uſurpata: nam ſanguis non eſt quicquid teſtamentum novum complectitur, ſed teſtamenti arrhabo, ſigillum, ac munimentum. Vide Epiſtolam ad Hebræos cap. 10. 20. Poſtremo etiam conſecratione peracta vinum dicitur *genimen vitis*, Matth. XXVI. 29. & conſequenter in ſua permanet qualitate, ac ſubſtantia.

Uberrimis hiſce argumentis accedunt alia pariter ex ſacris Scripturis deprompta, quæ nos compellunt ad figurare accipienda quotquot leguntur de corpore Chriſti in ſacris ſymbolis permanente. Ac primo Jeſus ut compeſceret loquacitatem Judæ detrahentis mulieri, quæ ad pedes Domini libram ungenti nardi piſtici effudit, ac ſubmurmurantis, *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* reſpondit Joannis XII. 7. *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum: me autem non ſemper habetis*: quibus verbis oſtendit ſe apud homines non diu moram eſſe facturum. Reſurgens deinde a mortuis, ut omnem a diſcipulis amoveret dubitationem, ait Lucæ XXIV. 39. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. His autem verbis probatur veritas carnis, ex quo poſſit palpari, & videri; ideoque non eſt *caro* quidquid videri & palpari non poteſt. Adſcendens poſthac ad cœlos alium *Paraclitum* miſit, ut ſpoponderat Joan. XVI. 7. ſolatium præbens diſcipulis diſceſſu ſui contriſtatis. Sedere Chriſtum in cœlis ad Patris dexteram, neque inde unquam deſcenſurum ad extremam uſque diem, nullus ambigit; nam de illo ajebat Petrus Act. III. 21. *Quem oportet quidem ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium*. Id vero, ſi ad nos quotidie in Euchariſtia deſcendat, penitus erit falſum. Fruſtra etiam Apoſtolus ad Coloſſ. III. 1. nos ad cœleſtia hac exhortatione inflammaſſet, *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*; ſi apud nos Jeſus latitaret ſub Euchariſticis *ſpeciebus*. Quid plura? Teſtatur idem Apoſtolus 1. ad Corinth. X. 3. & 4. nobiſcum antiquos Patres fide, quæ una ſemper extitit, potitos hoc munere, quod nos Euchariſtiam appellamus: ut ergo illi, ita nos *in figura* nutrimur corpore, & ſanguine Redemptoris: *Omnes*, inquit Apoſtolus, *eamdem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt*. His itaque Scripturæ locis adverſum nos belligerant Sacramentarii.

Majorem hæc teſtimonia vim habent, ſi adjiciantur ſententiæ Patrum. Horum qui floruerunt temporibus Apoſtolicis ac proxime ſubſecuti ſunt, nihil expreſſe & perſpicue tradiderunt de corpore Chriſti *ſub ſpeciebus ſacramentalibus* exiſtente. Nam ſi id ore, vel ſcripto prodidiſſent, Gentiles philoſophi ea ratione oppugnaſſent, qua exagitarunt Trinitatem, Incarnationem, & cetera Chriſtianæ religionis myſteria. Aliquis ſaltem martyrum tentatus crudeliſſimis, atrociſſimiſque ſuppliciis, reddidiſſet ſacrificii, conviviique ſacti rationem aliquam. Sed quæ ſilentio veterum ſubnixa ſunt, omittamus. Complures Patres, non corpus Chriſti, ſed *figuram* corporis Chriſti appellaverunt Euchariſtiam. Ac principio Græci, ut ex illorum conſtat Liturgiis, de quibus præcedenti capite, divina munera, etiam poſt conſecrationem vocant *antitypa*, quo ſane vocabulo commonſtratur aliquid rebus oppoſitum, ſeu *typicum*, aut ſymbolicum. Etiam Cyrillus Jeroſolymitanus, cujus auctoritate plurimum Sacramentarii exagitantur, catecheſi IV. Myſtag. Euchariſtiam appellat *panem*, & *antitypum*, adeo, ut valide Albertinus & Claudius adverſus Cyrilli auctoritatem clypeo ipſius Cyrilli ſe protegant. Ex Latinis perſpicue *figuram* agnoſcunt in Euchariſtia Tertullianus, Ambroſius, & Auguſtinus. Tertullianus quippe lib. I. contra Marcionem cap. 14. Euchariſtiam appellat panem, *quo Chriſtus ipſum corpus ſuum repræſentat*: & lib. IV. cap. 40. ait, *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, ideſt, figura corporis mei*. Ambroſius lib. IV. de Sacram. cap. 4. n. 20. illum, qui ſacram percepit communionem, ita alloquitur: *Sicut mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis*; & cap. proximo num. 21. de ſacra oblatione, *Quod figura eſt* (inquit) *corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti*. S. P. Auguſtinus lib. contra Adimantum Manich. cap. XII. num. 3. affirmat Chriſtum dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui*, & Enarrat. in Pſalmum III. num. 1. ſupremam cœnam appellat *convivium, in quo Dominus corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit & tradidit*. His accedunt teſtimonia Patrum, qui diſerte negant alia ratione Chriſti carnem a nobis manducari, quam *ſpiritualiter*, & per fidem. Ita Origenes Hom. 7. in Leviticum, S. P. Auguſtinus lib. III. de Doctr. Chriſt. cap. 16. in Pſ. 98. & Tract. 85. in Joan. ubi num. 12. habentur apertiſſima illa verba, relata in cap. *Ut quid*, de Conſecrat. diſt. 2. *Ut quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducaſti*. Enervatur denique Catholicæ Eccleſiæ traditio ex eo, quod primus omnium apud Orientales præſentiam Chriſti in Euchariſtia tradiderit circa Annum 630. Anaſtaſius Sinaita; apud Occidentales vero non ante annum 818. Paſchaſius Monachus Corbejenſis: hunc autem non auſi fuiſſent impugnare Amalarius, Rabanus, Bertramnus, Joannes Erigena, aliique viri docti, & conſpicui, ſi Paſchaſius dogma promulgaſſet in Eccleſia receptum, atque pervetuſta traditione ſuffultum.

Deſerentes poſtremo Patrum auctoritatem, quam fluxam ac labilem Novatores omnes exiſtimant, urgent vero tantummodo ubi putant illa nos magnopere perturbandos, hæreſeos ſuæ quærunt a ratione præſidium. Primum ad ideam corporis confugientes, negant poſſe illud propria dimenſione exſpoliari, ita, ut nequeat corpus Chriſti illic eſſe, ubi caret membrorum ſuorum quantitate, figura, delineamentis, contactu. Docent præterea philoſophi, & ſi Peripateticos excipias, fere omnes, corpoream ſubſtantiam conſtitui certa partium reuniſſimarum combinatione, quæ determinatam habeat ſpeciem, ubi ſit certa particularum congeries, ac diſpoſitio: ideoque *hoſtia* conſecrata conſtans ſuis adhuc partibus, eademque diſpoſitione permiſtis, retinet priorem panis ſubſtantiam. Si illud autem Ariſtotelicis concedatur, quantitatem, figuram, ſaporem, & hujus generis reliqua, nomine *accidentium* diſtincta, aliam a ſubſtantia rem eſſe; ſuperat nihilominus humanum captum, quod hæc omnia in Euchariſtia permaneant, re ipſa ſublata, quæ juxta Ariſtotelis præceptiones eorumdem accidentium eſt fulcrum, & ſubſtantaculum. Illud præterea imperceptibile eſt, idem corpus in cœlo, ac in terris, illic vero in locis propemodum infinitis ſimul exiſtere, cum omne corpus circumſcriptum ſit, ſuiſque finibus limitatum. Sed & iſtud eſt valde portentoſum ac perabſurdum, corpus totum & integrum in *hoſtiola* contineri; & cum ſit unum, in qualibet parte ejuſdem hoſtiæ, necnon ſub utraque *ſpecie*, panis ſcilicet & vini, reperiri abſque multiplicatione indiviſum. Phyſicis autem rationibus addunt heterodoxi morales. Indecorum eſt, inquiunt, manducari Chriſti corpus ab impiis; ac Domini noſtri dedecet majeſtatem, quod ſub elementis lateat, ut nos propriis enutriat carnibus, necnon corpus immaculatum, immortale, & ſumma gloria circumdatum manibus frangatur, teratur dentibus, ac ſit, quod nefaſtiſſimum & turpiſſimum eſt, obnoxium ſeceſſui. Quid poſtremo realis hæc præſentia confert emolumenti? Nihil prorſus. Nam ſi credas, eadem eſca ſpiritali nutriris, tibique hoc præſtat figura, quod antitypus; *eamdem* quippe *eſcam ſpiritalem* manducarunt olim Patres in Chriſtum credentes, ac edunt modo cum fide ſuſcipientes Euchariſtiam: at niſi credas, mortifera profecto tibi erit eſca Sacramentalis. Spiritus propterea, animuſque tam ſignis, quam rebus alitur, adhæret Deo, ſuoque modo augeſcit. Mitto haud eximii erga nos amoris eſſe argumentum, quod Chriſtus ad tempus, & quoadusque perſeverent *ſpecies*, brevi tempore perituræ, nobiſcum permaneat; cum nobis promiſerit præſentiam ſuam perpetuam ac diuturnam, non corpoream proinde, ſed ſpiritualem. Pluribus itaque argumentis hoc fidei caput impetitur, ſive Scripturarum attendantur oracula, ſive dogmata Patrum, ſive philoſophiæ rudimenta, ſive denique præjudiciorum expers humana ratio.

Talia, ac tanta Sacramentariorum cavilla, quæ ex innumeris eorum commentationibus conatus ſum methodice breviterque complecti, exercuerunt ſummorum Theologorum ingenia, hoſque impulerunt ut ampliſſimas diſputationes conſcriberent, quibus ſolis pervolutandis nec ſtudiis noſtris præſtituta tempora ſatis forent. Sed dabo operam, & ni fallor, nec minimam, nec inutilem, ut certis præmiſſis regulis quidquid ex hæreticis objectum eſt, vel objici poteſt, ſi momentis Catholicorum æquiparetur, inſulſum appareat, putidum, & commentitium. Sunt autem hæ regulæ, quæ ſequuntur.

REGULA I.

Quamvis *ſubſtantia* panis in Euchariſtia tranſmutata ſit in Chriſti corpus, & poſſit jure negari quod conſecratione peracta ſit *panis*, ſicut negat Ambroſius lib. V. de Sacram. cap. 4. num. 24. & Auctor ſermonis inter Auguſtinianos de verbis Dom. 191. nunc Append. 48. merito tamen Euchariſtia appellatur *fractio panis*, Lucæ 24. 35. *Sacramentum panis*, ab Auguſtino lib. 3. de conſ. Evangeliſt. cap. 25. num. 72. *panis*, a Cyrillo catech. IV. myſtag. pag. 532. Atque id ſine ulla prorſus contradictione. Principio quippe negatur quod *ſit panis* ſi ſpectetur rei ſubjectæ ſubſtantia; & affirmatur quod *panis* ſit, ſi conſideretur ſpi-

ſpiritalis vitæ alimentum. Hinc Auctor ſerm. de Cœna Dom. inter Opera Cypriani pag. 97. edit. noviſſimæ ait: *Hoc Sacramentum aliquando carnem, & ſanguinem, aliquando panem, aliquando corpus ſuum Chriſtus appellat; panis dicitur propter nutrimentum vitæ, caro & ſanguis propter veritatem naturæ, corpus propter unitatem ſubſtantiæ*. Deinde Euchariſtia non *panis* appellatur duntaxat, ſed panis ſuperveniens, cæleſtis, ſuperſubſtantialis, ſive ut Græci dicunt, ἐπιούσιος, proptereaquod Deum ipſum nobis copulet, qui animæ ſubſtantiam regit, perficit, ac donat æterna vita; idque docent citatis in locis Ambroſius, Auguſtinus, Cyrillus. Iſidoros Peluſiota lib. I. epiſt. 113. vocat *panem angelorum, panem vitæ, panem divinum, panem ſanctum*; & Auctor Vitæ S. Antonii apud Metaphraſten, Θεοσώματον ἄρτον *panem Deo incorporatum*. Panis præterea Euchariſtia dicitur, quoniam retinet panis accidentia: quoniam præfigurata eſt in pane, & vino oblatis a Melchiſedech, in panibus propoſitionis, & in manna, quod ſcriptura appellat *panem Angelorum, & panem cœli*; & quoniam ipſe Chriſtus natus in viculo Bethlehem (quæ interpretatur *domus panis*) nominat ſeſe Joan. 6. 51. *panem vivum*, ut obſervarunt Hieronymus proloquio libri v. in Hierem. & Gregorius Hom. 8. in Evangelia. Retinet demum Euchariſtia nomen *panis* & ratione converſionis, ad commonſtrandam materiam, quæ in corpus Chriſti convertitur, quemadmodum virga Aaron in colubrum verſa adhuc appellatur *virga*, Exodi VII. 12. ubi legitur, *Devoravit virga Aaron virgas eorum*; & ratione *ſpeciei*, qua ſenſibus ſubjicitur, ſicuti Angeli, qui ſub ſpecie hominum apparuerunt, nunc homines, nunc angeli ſunt appellati. Vide Bulengeri Diatribem III. cap. 39. & Boiluerium in Hiſt. variat. lib. II. num. XXXIX. necnon Eſtium in IV. diſt. XI. & in cap. 26. Matth. Idem, quod de pane, de vino eſt dicendum: nam & in vino ſanguis Chriſti præfiguratus eſt, dum Noe inebriatus, & *patentibus ſemoribus recumbens* extitit Dominicæ paſſionis figura; & dum Gen. 49. de Juda, ex cujus tribu ortus eſt Dominus, fuit prænuntiatum, *Lavabit in vino ſtolam ſuam*: quæ, & alia plura profert epiſt. ad Cæcilium pag. 225. ſanctus Cyprianus. Nec ſanguis tantum nobis ſub ſpecie vini propinatus, verum etiam cæleſte convivium, in quo beati torrente voluptatis potantur, dicitur *vinum*, & *genimen vitis*, Matth. XXVI. 29. quem locum alii de Euchariſtia, alii forte melius de gloria Sanctorum, Lucæ XXII. 29. comparata convivio, interpretantur.

REGULA II.

Dicitur Euchariſtia *ſignum & figura corporis Chriſti*, tametſi contineat ejuſdem corporis veritatem. Ac principio nullum dubium eſt, quin recte dicatur ſacramentum, & ſignum comparate ad gratiam; id enim proprium eſt omnium ſacramentorum: unde ſicuti veteres, ubi commemorant ſigna, & Sacramenta *aquæ*, & *olei*, internam ablutionem & unctionem demonſtrant; ita commemorantes ſignum, & ſacramentum panis, aut corporis Chriſti, innuunt ſpiritale gratiæ cæleſtis effectum, ſive animæ nutrimentum. II. Non repugnat deinde Euchariſtiam appellari *figuram* ratione ſpecierum, ac *veritatem* ſpectata rei ſubſtantia: quamobrem legitur de Conſecrat. diſt. 2. cap. 89. *Corpus Chriſti quod ſumitur de altari figura eſt, dum panis & vinum extra videtur; veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate interius creditur*. Ita conciliantur Patres, qui Euchariſtiam *figuram* dicunt, cum iis, qui id negant. Videſis diſſertationem Chriſtiani Lupi de quibuſdam PP. locis, tom. v. pag. 329. Illuſtrat hæc omnia Hugo Victorinus 2. lib. in caput 1. Dionyſii de Cæleſti Hierarchia, ſcribens: *Quare ergo ſacramentum altaris ſimilitudo eſſe non poteſt & veritas, alio quidem modo ſimilitudo, & alio veritas? Nam cum unum ſit ſacramentum, tria ibi diſcreta proponuntur, ſpecies ſcilicet viſibilis, & veritas corporis, & virtus gratiæ ſpiritualis. Aliud eſt enim viſibilis ſpecies, quæ viſibiliter cernitur: aliud eſt veritas corporis & ſanguinis, quæ ſub viſibili ſpecie inviſibiliter creditur; atque aliud ſpiritualis gratia, quæ cum corpore & ſanguine inviſibiliter, & ſpiritualiter percipitur*. Hinc infert Hugo, *ſpeciem viſibilem eſſe ſacramentum veri corporis & veri ſanguinis*: atque id explicat exemplo mortis & reſurrectionis Chriſti, quæ ſimul fuerunt *veritas & imago*, nam mors Chriſti exemplum fuit, *ut moriamur peccata*, & reſurrectio exemplum *ut juſtitiæ vivamus*. Hæc ille tom. 1. pag. 243. Venetæ edit. III. In Sacramentariorum, Lutheranorumque conflictu, hi numquam negarunt, auctore Meldenſium Epiſcopo lib. IV. Variat. num. XI. Euchariſtiam eſſe *ſignum*, utpote qui bene noverant, non ſemper ſigno rei præſentiam excludi: non enim ægrotus mortuus eſt, dum exhibet ſigna vitæ; neque externa religionis officia, quæ interioris indicia ſunt, arguunt animum ipſius religionis expertem. Hæc autem exempla producta a Bucero diſputante adverſus Œcolampadium, adhibentur etiam a noſtratibus, præſertim vero a Franciſco Panigarola 10 diſceptationibus Calviniſ., diſcept. XV. pag. edit. Mediol. 391. Quarto corpus Domini occultatum in Euchariſtia eſt vere *ſignum, & figura* ſuipſius, quatenus Chriſtus inter nos verſabatur; & quatenus pro nobis obtulit ſemetipſum in cruce: quod profecto ſentit Tertullianus, dum lib. contra Judæos cap. 10. & lib. III. contra Marcionem cap. 19. de Chriſto interpretatur vaticinium Jeremiæ, *Venite mittamus lignum in panem ejus*: nam revera *lignum in corpus miſſum eſt*, inquit ibidem Tertullianus. Quare dum interdum ſcribit *corporis figuram datam pani*, accipiendus eſt de figura corporis ligno crucis ſuffixi. Nec aliter Auguſtinus Enarrat. in Pſalmum 3. ubi totus eſt in demonſtrando, quomodo in proditione Judæ evenerint quæ contigerunt Davidi fugienti a facie Abſalon, & quomodo Chriſtus dederit proditori *ſignum* repræſentativum mortis ſuæ. Cum enim proterimus conſecrationis verba, ſignum eſt Dominum obtuliſſe corpus ſuum in ſacrificium; dum extollitur *hoſtia*, ſignum eſt fuiſſe elatum in cruce; dum conſecratur calix, ſanguinem profudiſſe; dum panis frangitur, lancea fuiſſe vulneratum; dum in os ingeritur, recluſum ſepulcro. Ita ergo Chriſtus ſub *ſpeciebus* panis, & vini, fui ipſius pro nobis truci, & cruento ſacrificio immolati figura eſt. V. Eadem de Incarnatione, & de Euchariſtia ſunt dicenda, quandoquidem nemo, exceptis Phantaſiaſtis, veram Chriſti carnem negabit, ex quo dicatur hæc aliquando *forma*, ac *ſimilitudo*. Hinc Tertullianus lib. v. contra Marcionem cap. 20. inquit: *Plane de ſubſtantia Chriſti putant & hic Marcionitæ ſuffragari Apoſtolum ſibi, quod phantaſma carnis fuerit in Chriſto, quum dicit, quod in effigie Dei conſtitutus non rapinam exiſtimavit pariari Deo, ſed exhauſit ſemetipſum accepta effigie ſervi, non veritate: & in ſimilitudine hominis, non in homine; & figura inventus homo, non ſubſtantia, ideſt, non carne; quaſi non & figura, & ſimilitudo, & effigies ſubſtantiæ quoque accedant. Bene autem, quod & alibi Chriſtum imaginem Dei inviſibilis appellat. Numquid ergo & hic quia in effigie eum Dei collocat, æque non erit Deus Chriſtus vere, ſi nec homo vere fuit in effigie hominis conſtitutus?* Quo in loco Tertullianus demonſtrat Paulum ſcribentem ad Philippenſes 2. 7. de Chriſto, *In ſimilitudinem hominum factus*, veritatem aſſumptæ carnis adſtruere, ſicuti ad Coloſ. 1. 15. dum ait, *Qui eſt imago Dei inviſibilis*, nequaquam ei detrahit divinitatem. Ergo apud Patres, ac Tertullianum maxime, hæc vocabula *forma, imago, ſimilitudo, effigies*, & his conſimilia haud negant ſubſtantiam rerum, prout in Omniloquio Rationali tom. 2. pag. 171. erudite animadvertit Auguſtinianus Tertulliani Scholiaſtes. Ex Tertulliano deprompta eſt ingenioſa illatio Gulielmi Eſtii inter Scholaſticos præſtantiſſimi, diſt. VIII. §. 15. *Qui ergo dicunt: Euchariſtia eſt ſignum corporis Domini, ergo non eſt corpus Domini, argumentantur more veterum hæreticorum dicentium, Chriſtus in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu, ſeu figura inventus ut homo, ergo non erat verus homo*. Addendum & illud, a Calvino damnatum igni Servetum, quod negaſſet Chriſtum eſſe vere ac naturaliter filium Dei, quia dicitur ab Apoſtolo, *imago, & figura* divinitatis. Itaque multiplici titulo falſa eſt illa ratiocinatio, Eſt figura, igitur non habet rei figuratæ ſubſtantiam.

REGULA III.

Conſimili ratione loquendum de Græco vocabulo *Antitypo*: nonnulli quippe poſt conſecrationem divina dona appellant *antitypa*, permulti vero negant ita eſſe appellanda. Dixi de hac re cap. VII. prop. 3. pertractans de verbis, quibus ſymbola conſecrantur. Addam nunc aliqua. Primo cum particula Ἀντὶ aliquando ſit idem ac *Pro*, & aliquando idem, ac *Contra*, compoſitum inde *Antitypum*, modo accipitur pro *figura*, & imagine, modo pro eo, quod figuræ contraponitur, & ſubſtituitur *loco typi*. Priori ſenſu Paulus Epiſt. ad Hebræos IX. 23. appellavit Sancta veteris Teſtamenti ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, *exemplaria verorum*: & ſecundo ſenſu Petrus epiſtola I. cap. III. 21. Sacramentum Baptiſmi ἀντίτυπον arcæ Noe, quod reddidit Interpres Latinus, *ſimilis formæ*. Plura Nicolaus Du-Mortier Etymol. ſacræ pag. 58. Euchariſtia ergo non eſt *antitypa*, quatenus panis infert corporis Chriſti figuram; ſed *antitypa* eſt, quatenus veteribus ſymbolis prænuntiata, aut quatenus corpus Chriſti *ſub ſacramentalibus ſpeciebus* repræſentat idem corpus immolatum in Ara crucis. Ita ergo Stephanus Auxentianus, Damaſcenus, Theophylactus, & poſteriores Græci negantes dona jam ſanctificata *dici antitypa*, conciliantur facillime cum Baſilio, Gregorio Nazianzeno, & Cyrillo Jeroſolymitano de Euchariſtia idem vocabulum uſurpantibus. II. Ad hæc particula Ἀντὶ ſæpenumero in compoſitione idem eſt, ac Ἴσον æqualitatemque ſignificat, ut in Lexicis tradunt Henricus Stephanus, Robertus Conſtantinus, & Scapula, necnon Richardus Simon in notis ad Apologiam Severi pag. 232. Hinc Elias Cretenſis in Orationem primam Apologeticam Nazianzeni pag. edit. Morel. 201. ſcribit: *Per Antitypum autem iſotypum intelliges, ſiquidem de magnis illis myſteriis, hoc eſt, de ſanctiſſimo Chriſti corpore, & pretioſo ſanguine iſtud accipias (ſic enim magnus quoque Baſilius hoc* appel-

appellandi) *propoſitio enim hæc ἀντὶ nonnunquam æqualitatem etiam ſignificat*. Vidit hæc eruditiſſimus Lupus tom. v. pag. 439. vet. edit. Eadem vero Elias repetit pag. 623. in orationem 21. ſcribens: *Sciendum eſt, quod per antitypa hoc loco iſotypa intelligas: id quod frequens eſt tum apud externos, tum apud divinos noſtros magiſtros*, ibi autem appoſuit ſcholion dignum lectu Jacobus Billius. III. Poſſunt quoque ſacra munera poſt conſecrationem vocari *antitypa*, in quantum ad futura referuntur myſteria, in quibus ſempiternæ felicitatis futuri ſumus participes, & fruituri manifeſta Chriſti præſentia, qua modo donamur corporibus commixti, & contemperati. Id tradit priori in loco laudatus Elias Cretenſis: nec diſſentit Joannes Damaſcenus, qui lib. IV. Orthodoxæ fidei, poſtquam ait Baſilium in Liturgia appellaſſe panem & vinum, corporis & ſanguinis Domini figuram ante, non poſt conſecrationem, ſcribit tamen in fine capitis: *Figura porro rerum futurarum idcirco dicuntur, non quod non vere corpus ac ſanguis Chriſti ſint; ſed quod nunc quidem divinitatis Chriſti per ea participes efficimur, tunc autem intellectuali modo, ac per ſolum adſpectum*. Atque hac ratione petitas ex voce *Antitypi* objectiones diluerunt Roffenſis principio libri 2. adverſus Œcolampadium, Stephanus Vintonienſis in reſponſ. ad object. 185. Claudius Sanctefius Repet. 3. cap. 4. ne recenſeam poſteriores, qui fere eadem ſuppreſſis auctorum nominibus conſcripſere. Hæc ſi dictis prop. 3. cap. VII. adjiciantur, nulla remanebit circa vocabulum *Antitypi* dubitatio.

REGULA IV.

Mirum eſt hæreticos quærere perverſi dogmatis præſidia in his, aut conſimilibus locutionibus, *Caro non prodeſt quidquam*, *Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*, *Littera occidit*, *&c.* Illa porro non ita ſunt intelligenda, quaſi nullam nobis afferant utilitatem panis vinique Euchariſtici ſacramenta, aut verba Chriſti accipienda ſint *tropice*, aut falſa ſit ſcriptura litteris exarata. Nam ſi id nobis in mentem veniat; oportet univerſam Evangelii doctrinam ſubvertamus, amandantes ad *tropum* quæ de Chriſto filio Dei facto homine, crucifixo, & redivivo leguntur, ſacris voluminibus igni traditis; nec Sacramentarii ſimus, ſed Ebionitæ, Phantaſiaſtæ, Judæi, athei. Commonemur itaque iſtiuſmodi locutionibus, ne quæ dicuntur, *carnaliter* accipiamus, atque, ut faciunt qui fide ſunt deſtituti, nil concipiamus communi, humanaque narratione ſublimius. Ita quod legimus, *Verbum caro factum eſt*, prohibemur *carnaliter* intelligere, non ut negemus verbi incarnationem, aut confuſionem ſuſpicemur naturarum, quorum unum Judaicum foret, alterum Eutychianum; ſed ne opinemur Filium Dei factum hominem, quomodo alii homines generantur virili ſemine, & carnali complexu. Atque hac ratione non ſunt *carnaliter* accipienda, quæ leguntur cap. 6. Joannis, quia non debemus exiſtimare manducandam nobis Chriſti carnem aut ſectam membratim, aut aſſam, aut elixam, adinſtar carnium, quæ in macello venduntur, ita ut ſimus, quemadmodum affirmarunt quidam paganorum, carnivori & anthropophagi. Audiamus Auguſtinum Tract. XXVI. in Joan. n. 5. *O Domine magiſter bone, quomodo caro non prodeſt quicquam, cum tu dixeris, Niſi quis manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam? An vita non prodeſt quidquam? & propter quid ſumus quod ſumus, niſi habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid eſt ergo, non prodeſt quidquam caro? Non prodeſt quidquam, ſed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt, Caro non prodeſt quidquam: quomodo dictum eſt, Scientia inflat. Jam ergo debemus odiſſe ſcientiam? abſit. Et quid eſt, ſcientia inflat? ſola, ſine caritate. Ideo adjunxit, Caritas vero ædificat. Adde ergo ſcientiæ caritatem, & utilis erit ſcientia: non per ſe, ſed per caritatem. Sic etiam nunc caro non prodeſt quidquam, ſed ſola caro: accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Chriſtus, quomodo caro nihil prodeſt?* Similia Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis cap. XXXVII. Chryſoſtomus Hom. 46. in Joannem pag. edit. Commel. 241. Theophylactus in cap. 6. Joan. pag. 655. edit. Muſel. & alii paſſim.

REGULA V.

Quod Patres priorum ſæculorum aperte non ſcripſerint contineri in Euchariſtia Chriſti corpus ac ſanguinem, minime hæreticis ſuffragatur, immo hi ea ex capite a Theologis clariſſimis refelluntur *ob diſciplinam arcani*, de qua tom. III. aliiſque in locis diſſerui. Nunc vero hoc ſpectantia contingam. S. Baſilius de Spiritu ſancto cap. 27. inter Arcana, ἃ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, *quæ fas non eſt intueri nondum initiatis*, comprehendit, fatente Albertino, Euchariſtiam. Chryſoſtomus Hom. de Prodit. Judæ recitatis illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, *Norunt*, inquit, *initiati quæ dicuntur*, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα, & rurſus, *Norunt initiati calicem iſtum; ſcietis vos* (catechumeni) *infra paucos dies*. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ ποτήριον τοῦτο. εἴσεσθε καὶ ὑμεῖς μικρὸν ὕστερον. Homilia item XXX. in 2. Epiſt. ad Corinth. *Scitis*, inquit, *quid dicatur, vos, qui participatis myſteriis*. ἴσασιν οἱ τῶν μυστηρίων μετέχοντες τὸ λεγόμενον. Epiphanius hær. 42. Marcionitis vertit vitio, quod perficerent myſteria videntibus catechumenis; quod & in Arianis damnat apud Athanaſium Apol. 2. ſynodus Alexandrina. Theodoretus quoque in priori Dialogo inducit Orthodoxum ita loquentem ad Eraniſtem de hoc myſterio pertractaturum: *Oro te, ut obſcurius reſpondeas, adſunt enim fortaſſis aliqui myſteriis non initiati*. Ἀξιῶ σε μυστικώτερον ἀποκρίνασθαι. τινὲς γὰρ ἴσως παρεστήκασιν ἀμύητοι: atque Eraniſtes infra, *Myſtice myſtica dicta ſunt, & perſpicue declarata quæ non ſunt omnibus nota*, μυστικῶς εἴρηταί τι μυστικά, καὶ σαφῶς ἐδηλώθη τὰ πᾶσιν γνώριμα. Hos vero e Græcis ſufficit produxiſſe. Inter Latinos pariter, cum Cæcilius apud Minutium Felicem ſacrificium noſtrum reprehenderet, quaſi occiſi infantis audeamus ſanguinem lambere, ac membra diſcerpere, reſpondet ille in Octavio fieri non poſſe, *ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat, ut quiſquam illum rudem ſanguinem novelli & vix dum hominis cædat, fundat, exhauriat*, ac neminem hoc poſſe credere, *niſi qui poſſit audere*, nulla aut Euchariſtiæ, aut panis & vini mentione facta. Atque idem præſtitiſſe Apologiſtas alios, Juſtino excepto, dictum ſupra. Memoravimus etiam hoc in libro Tarſicium, qui maluit occidi, quam prodere ſacramenta, nec non Tertullianum hortantem, ut uxor caute cuſtodiret ac ſumeret Euchariſtiam. Idem lib. I. ad Nationes cap. 7. crimen epularum Thyeſtis hoc argumento retundit: *Oro vos, extraneis unde notitia? cum etiam juſta & licita myſteria omnem arbitrii extraneum caveant*. Meminit Ambroſius hujus arcani lib. I. Offic. cap. 50. & lib. I. de Abraham cap. 5. ut oſtendit in diſſert. Apolog. pag. 72. Em. a Schelſtrate. Idem Ambroſius de Myſteriis ſcripturus cap. 1. num. 2. ait: *Nunc de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam ſacramentorum rationem edere: quam ante baptiſmum ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quam edidiſſe æſtimaremur*. S. P. Auguſtinus agens de catechumenis, frequenter ait neſcire illos, *quid accipiant Chriſtiani*. Vide Tract. XI. in Joan. num. 3. & 4. ſcribens item ad Honoratum catechumenum epiſt. 120. nunc 140. num. 48. de ſacrificio novi Teſtamenti ait: *Quod ubi & quando & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies*. Huc ſpectat & illud, *Norunt fideles quid accipiunt*, ejuſdem Auguſtini habentis ad populum conciones, ut ſerm. 5. de Lucta Jacob num. 7. & ſerm. 132. num. 1. At de his plura citata diſſert. Schelſtratius, Bulengerus in Exercit. 17. Caſauboni, & Lupus in diſſert. de quibuſdam Patrum locis: nonnulla quoque ex Scholaſticis Juenin quæſt. IV. cap. I. art. 6. Tournelius q. 2. art. 4. &c. In hoc autem omnes conſentiunt, Patres aliquando de Euchariſtia obſcure locutos, quod nollent infidelibus prodere arcana Sacramentorum myſteria. Cur hæc Juſtinus patefecerit, dixi Volumine III. pag. 187.

REGULA VI.

Fuerunt nonnulli, præſertim poſt exortam hæreſim Berengarii, novam quamdam Chriſti carnem, quam benedictio recens conſecrarit, in Euchariſtia adſtruentes, non illam, quam aſſumpſit ex Virgine, & in qua mortem ſubiit, reſurrexit, & adſcendit ad cœlos. Venerunt propterea, ut dixi hujus diſceptationis initio, in ſuſpicionem hæreſeos. Principio itaque indubitatum eſt, contineri in Euchariſtia idem corpus de Virgine conceptum ac natum, prout clamat univerſa Patrum traditio, & Berengarius ipſe in profeſſionibus fidei coactus eſt confiteri. Ratramnus tamen monachus Corbejenſis negat in Euchariſtia corpus Chriſti reperiri, *quod de Virgine natum eſt*, ob quem loquendi modum ad ſuas partes illum trahunt adverſarii. At ita exponendus eſt, ut idem corpus neget quantum ad affectiones, & idem fateatur quoad ſubſtantiam. Negat enim adeſſe in Euchariſtia corpus Chriſti *nervis oſſibuſque compactum, membrorum varietate diſtinctum, propriiſque motus exercens*; quæ omnia ab aliis catholicis traduntur, eo quidem ſenſu, quod nec membra Dominici corporis in Euchariſtia naturali ſtatu conſiſtant, nec exerat anima vitales motus. Ea ratione Ratramnus affirmat, *quæ fidelium ore percipiuntur figuram eſſe ſecundum ſpeciem viſibilem, at vero ſecundum inviſibilem ſubſtantiam verum corpus & ſanguinem Chriſti*. Eadem ratione Rupertus Abbas in Epiſtola ad Cunonem, præfixa ipſius in Joannem Commentariis, ſcribit corpus Chriſti *differre ſpecie*, at eſſe unum idemque *tribus eſſentiæ modis*, nimirum *nomine, re, & effectu*. Perperam ergo garriunt Mornæus, Albertinus, & Claudius, Doctores Catholicos propter iſtiuſmodi loquendi formulas vellicando. At lege

Ga-

Digitized by Google

Gabrielem Gerberum in Apolog. pro Ruperto, Mabillonium Præf. 2. in VI. Sæculum Benedict. & Lupum differt. paullo ante laudata cap. 2. Hac eadem regula explicantur teſtimonia illorum Patrum, qui aliquando affirment manducari a nobis *corpus crucifixum*, & bibi ſanguinem *pro nobis effuſum*; aliquando ſcribunt id intelligendum *invifibiliter*, ac *ſpiritaliter*: cujus generis locutiones ſunt apud Auguſtinum frequentiſſimæ. Sed quælibet entilogiæ & oppoſitionis umbra evaneſcit, ſi viſibilis ſpecies panis ab inviſibili ſubſtantia corporis diſtinguatur. Verum id proximis regulis, octava, atque nona.

REGULA VII.

Diſputatum aliquando, an Euchariſtia dici poſſit *Imago corporis Chriſti*. Negaverunt id Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus Antirrhetico 2. contra Iconomachos, Epiphanius Diaconus in VII. Synodo Actione VI. & alii ſubſecuti hæreſim Iconoclaſtarum: alii tamen vetuſtiores id affirmeverunt. Illorum judicia ad concordiam revocantur ex dictis Regula 2. & 3. Nil noſtra refert, ſi Nicephorus, & Epiphanius decepti fuerint vitiato codice, aut falſa interpretatione Liturgiæ Baſilianæ. Satis de hac ego diſſerui ſeptimo capite; adeatque lector, ſi fluctuet adhuc, Arcudium, Allatium, Goarium eo loci laudatos. Duo tantummodo hic animadvertem: unum quod Iconomachi corpus Chriſti in Euchariſtia fatebantur, ut cultum aliemm imaginum excluderent, quoniam (ajebant) Euchariſtia non eſt falſa imago, cui non ſubeſt ſubſtantia carnis, uncta Spiritu ſancto, & divinitati conjuncta, ſed *eſt divinum corpus ad ſanctificationem pertingens*: cum aliæ imagines careant ſubſiſtente perſona, & idololatriæ viam ſternant. Vide tom. VII. Concil. Lab. pag. 447. Patres itaque, dum Iconomachos oppugnarunt, negarunt Euchariſtiam dici *imaginem*, ut facilius exſufflarent hujuſmodi cavillationem; reponentes fruſtra ab Euchariſtia peti exemplum, utpote quæ non eſt *imago* corporis Chriſti; ſed ſubſtantia, atque *ipſum corpus*. Nulla ergo lis vertebatur inter Iconoclaſtas, & defenſores Imaginum circa Chriſti corpus in Euchariſtia exiſtens; ſed quærebatur id unum, an poſt conſecrationem retinendum foret nomen *figuræ & imaginis*. Id recte advertit Simonius in Apologiam Severi pag. 229. Alterum dignum adnotatione eſt, quod recentiores Græci utuntur hiſce momentis ad probandum, quod conſecratio non perficiatur verbis Dominicis, abſque ſubjectis precibus, propterea quod etiam poſt illa verba panis & vinum dicantur *imagines*, & *antitypa*, corpus autem & ſanguis poſt preces; ideoque Græci omnes nobiſcum conveniunt in hoc de reali præſentia dogmate, quamvis nonnulli diſſideant circa *formam* conſecrationis. Hac autem regula deteguntur hæreticorum fallaciloquentiæ, ac præſtigiæ, dum objectant acta VII. Synodi, Græcorumque diſſidia.

REGULA VIII.

Non ſemel adfirmant Patres manducari a nobis Chriſti carnem *ſpiritaliter*, ac per fidem: quod aſſertum recte, ſapienterque; primum quia Euchariſtia paſcit animam *ſpirituali gratia*, & continens Chriſtum eſt cibus *ſpiritualis*, & *vivificus*, ut ait Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. Deinde quia non viderur *oculis corporalibus*, *ſed mente, ac ſpiritu*; ut inquit Cyrillus Hieroſolymitanus catech. V. ex myſtagogicis. Rurſus quia non *ſimplex* caro hominis eſt, ſed Dei, ut in cap. 26. Matth. explicat Theophylactus. Inſuper, quia præbet nobis poculum ſanguinis, qui ἀπὸ τῆς πέτρας ἔρρευσε πνευματικῆς *a petra fluxit ſpiritali*, ut lib. IV. in Joan. ſcribit Cyrillus Alexandrinus: tandem, quia niſi accedas cum fide, & gratia ſanctificante, quemvis recipias ſacramentum viſibile, nullum tamen percipis fructum, ſed animæ detrimentum; ut docet S. Pater Tract. XXVI. in Joan. num. 18. Hujus, cui alii conſonant, verba ſunt: *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti; ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumit ad Chriſti accedere ſacramenta*. Ille ergo *ſpiritaliter* manducat, qui credit, inviſibilia dijudicat, & dignus accedit: ac ſpiritualis communio, ſi non excludit ſenſibile ſacramentum, excludit multo minus corpus Dominicum, inviſibile, immortale, vivificum.

REGULA IX.

Affirmarunt quidem, ac inter hos Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſæpe laudata Cenſura, nequaquam a nobis comedi *carnem, quam Chriſtus geſtabat*. Οὔτε μὲν (inquit Hieremias) τότε δέδοται τῆς σαρκὸς τοῦ κυρίου, ἣν ἐφόρει εἰς βρῶσιν τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ τοῦ αἵματος εἰς πόσιν, οὔτε νῦν ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ καταβαίνοντος τοῦ κυριακοῦ σώματος ἐξ οὐρανοῦ. Βλάσφημον γάρ. *Neque tunc data eſt caro Domini, quam geſtabat, Apoſtolis in cibum, nec ſanguis in potum: neque nunc in divina Liturgia, aut ſacro ritu, deſcendit Dominicum corpus de cælo. Id enim blaſphemum eſt*. Hæc verba prætermiſit Cardinalis Perronius, idcirco a Claudio in violatæ fidei crimen adductus, ut præmonui ad calcem ſuperioris capitis. Inde quoque colligit Albertinus, a Latinis alienos eſſe Hieremiam, ceteroſque Græcorum: quod hi negent a nobis manducari Chriſti *carnem*, et bibi *ſanguinem*. Sed proh quanta hæretici comminiſcuntur! Audire ab his vellem, quomodo hæc Hieremiæ verba cohæreant cum aliis tam aperte confirmantibus fidem Latinæ Eccleſiæ, ac ſuperius exſcriptis; & cur ipſis Withembergenſibus Theologis perſuaſum fuerit Hieremiam nobiſcum ſentire, cum Cenſuram illam evulgantes, appoſuerunt e regione Græci textus vocabulum Μετουσίωσις, *Tranſubſtantiatio*. Ubi ergo Hieremias, & ſi qui ſunt alii, negant manducari a nobis, *eam, quam Chriſtus gerebat, carnem*; de carne accipiendi ſunt, ut manducandam putarunt Capharnaitæ, ſcilicet ſub *ſpecie carnis*, ut dixi Regula IV. & VI. at non de carne, aut de ſanguine ſub panis, vinique *ſpeciebus*. Hoc docens ipſemet Hieremias, immediate proſequitur: ἀλλὰ καὶ τότε, καὶ νῦν μεταποιουμένου καὶ μεταβαλλομένου τῇ ἐπικλήσει καὶ χάριτι τοῦ παντοδυνάμου καὶ τελεταρχικοῦ πνεύματος, διὰ τῶν θείων καὶ ἱερῶν εὐχῶν καὶ λογίων, τοῦ μὲν ἄρτου εἰς αὐτὸ τὸ κυρίου σῶμα, τοῦ δὲ οἴνου εἰς αὐτὸ τὸ κυριακὸν αἷμα, ſcilicet, *Sed tunc, & nunc convertitur & tranſmutatur, invocatione & gratia omnipotentis illius, & ſacrorum rituum antiſtitis Spiritus, interventu divinarum & ſacrarum precum, atque oraculorum, panis quidem in ipſum Domini corpus, vinum autem in ipſum Domini ſanguinem*. Apparet hinc, quam ineptæ, & fucatæ ſint Claudii, & Albertini argutiolæ.

REGULA X.

Quid vero agendum eſt, dum hæretici nos impetunt philoſophicis argumentis? Sunt hæc moderata diſquiſitione expendenda; nec vacillandum in fide, etiamſi humanum ſuperent captum. Non enim hoc unum in ſuo corpore exhibuit nobis miraculum Chriſtus Dei virtus ac ſapientia. Exiit ille virginalia claustra, cum minime diſrupiſſet: ſurrexit e tumulo clauſo, & januis occluſis conſtitit coram diſcipulis; ſubſtravit ſe cameris pedibus fluenta elementum: *Mirum*, inquit Ambroſius in caput 22. Lucæ num. 168. *quomodo ſe natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, inviſibili aditu, viſibili conſpectu, tangi facilis, difficilis æſtimari*. Si credimus, hæc curioſe minime inveſtigabimus, memoria repetentes monitum Auguſtini lib. XXI. de Civitate Dei cap. 5. plura eſſe, *de quibus ratio reddi ab homine non poteſt, & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria*. Humiliter autem credentes ipſa ſpiritalis eſca confirmebit in fide, implebitque lætitia; nam & hoc memoravit Propheta Pſalm. CIII. 15. dicens, *Panis cor hominis confirmet*: quem locum de Euchariſtia in fine libri de Myſteriis interpretatur Ambroſius. Sed nobis, inquit, cum incredulis agendum eſt. Reſpondeo hos vel paganos eſſe, vel hæreticos. Pagani primum ad notitiam Chriſtianæ religionis pertrahendi, deinde myſteriis initiandi ſunt; quippe ſi Chriſtum Deum, hominemque ſuſceperint, non erunt in ejus ſacramenta injurii. Chriſtum utique agnoſcunt Sacramentarii (ſi agnoſcunt tamen) ſed in hoc ſunt imprudentiſſimi, quod ei credunt dicenti, *Ego ſum Dei filius*; non credunt adſerenti, *Hoc eſt corpus meum*. Si ſemel ſtatuatur in humana ratiocinatione fidei norma, utrumque negandum foret, ut faciunt Sociniani, ſiquidem non minus Verbi Incarnatio, & divinarum Trinitas perſonarum ſupergrediuntur humanæ mentis acumen, quam Euchariſtiæ divinum, altiſſimumque Myſterium. Sociniani autem ſemel admiſſis divinis litteris facile refelluntur, ſcribente Apoſtolo in priori ad Corinthios II. 4. ſitam eſſe Evangelicam prædicationem, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis*, & fidem noſtram *non in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. Fruſtra nos itaque homines hujus furfuris aggrediuntur ratiocinationibus philoſophicis. De Lutheranis non loquar modo: quamquam enim de *tranſubſtantiatione* ſentiant peſſime; dum tamen Chriſti corpus in Euchariſtia fatentur adeſſe, premuntur iiſdem difficultatibus, peritis maxime ea replicatione corporum, horumque extenſione. Hinc horum unus Eraſmus Schmidius in cap. 26. Matth. pag. 349 hæc conſcripſit: *Jubet Chriſtus, ut accipiamus, edamus, & bibamus. Hoc ergo faciamus. Dicit idem, hoc quod in ſacramento edimus & bibimus, eſſe ſuum corpus, eſſe ſuum ſanguinem. Hoc ergo pie credamus, etiamſi modum ignoremus: quia, ut beatus* (ſunt Schmidii verba) *Lutherus Marpurgi anno 1529. ad Œcolampadium dixit, Dominus meus Jeſus Chriſtus hoc facile praſtare poteſt cum vult, & velle ſe ipſe ſuis verbis teſtatur: quibus ego conſtanter nitor, donec ipſe per ſuum verbum mihi diverſum dixerit*. Jam vero traditæ a nobis regulæ finem habeant.

Digitized by Google

OBJECTA HÆRETICORUM DILUUNTUR.

His præmiſſis regulis, facile ſolvuntur argumenta ab initio propoſita. Quod enim petitur ex *locutione ſacramentali*, infirmiſſimum eſt, cum ratio *Sacramenti* ſit in hoc ſita, quod aliud ſignificet, & efficiat, quam exterius appareat. Sufficit ergo, ut in Euchariſtia *Sacramenti* ratio perſiſtat, ſi corpus Chriſti, & ſpiritalis gratia, quorum ſignum eſt, exterius non ſentiantur. Immo ex *Sacramenti* ratione refelluntur heterodoxi; non enim metonymicis locutionibus, ſed propriis Sacramenta inſtituuntur, & promulgantur; ut conſtat de baptiſmo, in quo, cum ſit ſacramentum regenerationis *ex aqua, & Spiritu ſancto*, vere abluimur *aqua*, & vere, niſi pravæ voluntatis ponamus obicem, *Spiritus ſancti* gratia renaſcimur. Etſi enim eo dementiæ Calvinus, & Sociniani progreſſi ſunt, ut ille *aquam* ſolum Spiritum, hi vero ſolam doctrinam interpretentur; demonſtrat tamen Evangelicæ hiſtoria, Samaritas, familiam Cornelii, Eunuchum Reginæ Candacis, domum Stephanæ, alioſque permultos *aqua* naturali fuiſſe tinctos. Sacramentalis itaque inſtitutio, addita præſertim circumſtantiis aliis, poſtremæ cœnæ, novi Teſtamenti, & ſignificationis amoris præcipui, quo Chriſtus *in finem dilexit ſuos*, atque, ut ajebat Juvencus presbyter,

Diſcipulos docuit proprium ſe tradere corpus;

inſtitutio, inquam, Sacramentalis propriam infert, non *tropicam* locutionem. Neque ad rem faciunt exempla duo, quorum unum ex *circumciſione* petitur, alterum ex *agno Paſchali*. Quid enim, ſi negemus circumciſionem ſolem dici *pactum*? At id negari poteſt: nam legimus Gen. XVII. 10. *Hoc eſt pactum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculum, &c.* Non ergo circumciſio, ſed præceptum circumciſionis dicitur *pactum*: & quoniam conſuetum fuit inire fœdera nota aliqua, & charactere, quemadmodum arcus cæli eſt ſignum fœderis initi cum Noe, & tumulus erectus ad ripam Jordanis nota fœderis Iſraelitarum; idcirco circumciſio, & ſtigma impreſſum carni ſunt monumentum & ſignum pacti & fœderis, non pactum ac fœdus. Sed detur circumciſionem dici fœdus & pactum, quandoquidem legitur verſu 13. *Eritque pactum meum in carne veſtra*: non ſolum ratio fœderis ineundi, quam modo attuli, verum etiam contextus ipſe commonſtrat circumciſionem eſſe fœderis notam, & characterem; nam verſu 11. legitur, *Et circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Eſt ergo circumciſio *ſignum* duntaxat, ſive attendatur fœderis conditio, ſive textus ipſe Scripturæ. At Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, nec illam dixit *ſignum corporis ſui*; nec ſi dixiſſet, corpus ſuum eſſe negaſſet; nam & Apoſtolus circumciſionem ipſam appellat ad Rom. IV. 11. *ſignum circumciſionis*. Sicut enim circumciſio pacti initi cum Abraham, ita Euchariſtia *ſignum* eſt novi fœderis ac Teſtamenti. His, ni fallor, & argumentum ſolutum eſt, & illo revincuntur adverſarii. Ad hunc enim modum illud retorqueo: Ut Deus feriens pactum cum Abraham ait: *Circumcidetis carnem præputii veſtri, eritque pactum meum in carne veſtra*; ita condens vetus teſtamentum inquit de vitulorum & hircorum ſanguine, Exodi XXIV. 8. & ad Hebræos IX. 20. *Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus*: ac poſtremo inſtituens teſtamentum novum, Matth. XXVI. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, aut Lucæ XXII. 20. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo*. Sicut ergo pactum, aut ſignum pacti cum Abraham eſt vera, & propria circumciſio carnis; & vetus teſtamentum, ſive ſignum veteris teſtamenti eſt verus ac proprius ſanguis hircinus; ita teſtamentum æternum ac novum, ſeu hujus teſtamenti ſignum, & memoriale eſt verus & proprius ſanguis Domini Jeſu, qui continetur in calice. Ad alterum nunc exemplum progrediamur. Hebraicum vocabulum *Phaſe* non ſignificat ſolum tranſitum Angeli, ſed etiam ipſam Paſchatis ſolemnitatem, illius ritum, mactatum agnum, ejuſdemque immolationem & ſacrificium. Id enim oſtendunt hæ Scripturæ locutiones, *celebrare Phaſe, facere Phaſe, immolare Phaſe, comedere Phaſe, aſſare Phaſe*, hiſque conſimiles eodem cap. XII. Exodi, & XXX. ac XXXV. 2. Paralipomenon. Itaque ea verba verſu 11. *Eſt enim Phaſe, ideſt, tranſitus Domini* (quamvis a Lyrano, aliiſque tribuantur interpreti) nulla vi illata textui, pro ſacrificio & victima poſſunt, ac debent accipi, ut ſenſus ſit, *Eſt enim ſacrificium pro tranſitu*, uſurpata voce פֶּסַח *Peſach*, pro זֶבַח פֶּסַח, *Zevach Peſach*. Nam & Rabbini atque Interpretes omnes hic accipiunt *Peſach* pro agni oblatione, & eodem cap. XII. Exod. 27. legitur: *Victima tranſitus Domini eſt*. Exemplum ergo iſtud, quod Zuinglius a dæmone didicit, & a ſpiritu, de quo ſcribit ipſe, *Ater, an albus fuerit, nihil memini*, ab iis, qui deliteſcunt in tenebris, fruſtra opponitur. Debebat autem Zuinglius reponere patri erroris, atque mendacii: Phaſe de quo legitur, *Eſt enim Phaſe*, vere eſt *Phaſe*, ſive, *victima tranſitus*: id igitur, de quo ait Dominus, *Hoc eſt corpus meum*, eſt vere corpus, & veri corporis immolatio. Quare hoc exemplum infligit vulnus, non clypeum præbet Zuinglianis. Sed demus etiam idem eſſe *Phaſe*, ac, *ſignum tranſitus*. Certe non alia ratione agnus mactatus dicitur, *ſignum tranſitus*, niſi quatenus illius ſanguis illitus poſtibus ſignum erat angelo tranſeunti, & Ægyptios percutienti, ut parceret domibus Judæorum. Oſtendunt id ea verba פסח הוא ליהוה, *Peſach iſtud Domino*, & in LXX. πάσχα ἐστὶ κυρίῳ, *Paſcha eſt Domino*, & quæ in ſingulis Verſionibus ſubjiciuntur, *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem & tranſibo vos; nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti*. Quid ergo mirum, ſi fateamur *ſignum*, ubi tam aperte divina Scriptura *ſignum* declarat? Sed nec *ſignum* illud in Ægypto fuit vacuum, & ſine re: ſiquidem revera pertranſiit angelus, revera percuſſit primogenitos Ægyptiorum, revera domibus in ſuperliminari, & in utroque poſte ſanguine illitis, pepercit. Veniam ad regulam Auguſtini. Principio ab hæreticis petimus, cur ad regulam illam confugiant, non autem ad alteram communem, planiſſimam, & ab eodem Auguſtino ſæpenumero inculcatam, qua præſcribitur deſerendum non eſſe *litteralem ſenſum*, ubi perſpicua eſt narratio, nec addendum ſenſum noſtrum divinæ Scripturæ ſenſui? *Non enim hoc fit*, inquit Doctor eximius lib. V. contra Julian. cap. 2. *humana ignorantia, ſed præſumptione perverſa*. Aut cur non teneamus regulam alteram S. Patris eodem libro III. de Doctrina Chriſtiana cap. IV. num. 8. commonentis, rariſſime & difficillime in propriis verbis divinorum librorum inveniri ambiguitatem, *Quam non aut circumſtantia ipſa ſermonis, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ ſolvat inſpectio?* Has quidem regulas ſilentio prætereunt, ne teneantur inferre hanc ſibi peremptoriam conſecutionem: Protuliſſe Dominum Jeſum ea verba, *Hoc eſt corpus meum*, narrant libri Evangelicæ hiſtoriæ; continent illa perſpicuam enuntiationem; quidquid præcedit, exponitur ſecundum litteram, atque ita ea verba accipienda conſentiunt interpretes: audacter itaque, imperite, *nec ignorantia humana, ſed intentione perverſa*, intelliguntur *tropice* tantum, & figurate. Sed quoniam coarctant nos hæretici ad ſolam regulam *præceptivæ locutionis*, quæ ſonat flagitium; age, de ea paullulum diſſeramus. Ait egregius Doctor, *Si Scriptura flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, & beneficentiam vetare, figurata locutio eſt*. Non figurate omnino; ſed figurata, quatenus videtur jubere flagitium aut facinus, aut vetare beneficentiam. Videtur flagitium, ut exemplis rem explicem, ſi pater occidat filium, ſi propheta accedat ad fornicariam mulierem, ſi captivi dominorum ſuorum eripiant ſpolia: id tamen Dominus præcepit Abrahamo, Oſeæ, filiis Iſrael. Num hiſtoriæ id narrantes accipiendæ ſunt *figurate*? Ita eſt, prout *videntur jubere facinus*, ideſt, homicidium, furtum, fornicationem. At ſi ea præcepta attendantur, non ſecundum id quod *videtur*, ſed ſecundum id, quod eſt revera; quoniam nec homicidium, nec furtum, nec fornicatio, nec flagitium, nec facinus eſt mandante ſupremo Domino facere, quæ Abrahamo, Oſeæ, & filiis Iſrael fuerunt præcepta; idcirco *præceptivæ locutiones* ad hæc ſpectantes, ſi attendantur in ſe, non ſecundum id, quod videtur, *propriam* habent ſignificationem, non *metaphoricam*. Ita, inquit Auguſtinus, præceptiva locutio, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, facta præſertim nondum inſtituto Euchariſtiæ Sacramento, *facinus & flagitium videtur jubere*: viſum quippe Capharnaitis manducandam Chriſti carnem, *quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur*, ut idem Auguſtinus ait Tract. in Joan. XXVI. Hoc pacto *figura eſt, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum*. Verum quatenus non videtur jubere flagitium, præcipitque corporis Chriſti ſacramentalem communionem, abſque horrore cruoris, & abſque laniatione membrorum; non figurata locutio eſt, ſed litteralis, ac propria. Hinc colliges Auguſtinum loqui de figurata locutione, quæ propriam minime excludit; ut conſtat ex libro 2. contra Adverſarium legis cap. IX. num. 33. ubi ait Chriſti carnem a nobis ſuſcipi & manducari *corde, & ore*; tametſi poſſint Manichæi horrere, male intelligentes quod Dominus ait, *Si quis non manducaverit carnem meam, &c.* atque horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere. Quo in loco *figuratam* locutionem ita tradit, ut etiam propriam defendat. Habet ſimilia quæſt. LVII. in Levit. num. 4. Enarrat. 1. in Pſalmum XXXIII. num. 8. & Enarrat. 2. num. 12. ſerm. 131. alias 2. de Verbis Apoſt. n. 1. Cum vero his in locis ad Euchariſtiam referantur ea verba Joan. VI. *Niſi manducaveritis, &c.* conſequens & illud eſt, minime Auguſtinum putaſſe, quod præcit. capite 6. non agatur de hoc Sacramento; tametſi aliquando explicaverit eadem verba de myſtica manducatione, ſeu incorporatione in Eccleſiam. Atque id confirmatur ex quo S. Pater

lib. 3. de Conſ. Evangeliſt. n. 2. ſermonem inſtituturus de cœna poſtrema, & de inſtitutione Euchariſtiæ, recitatis aliorum Evangeliſtarum verbis, *Joannes* (inquit) *de corpore & ſanguine Domini hoc loco nihil dixit; ſed plane alibi multo uberius hinc Dominum locutum eſſe teſtatur.* Ubi autem, quæſo, niſi ſexto, de quo diſſerimus, capita? Plura dicta ſunt, (utinam abſque lectorum faſtidio) de verbis Auguſtini in III. de Doctr. Chriſt. cap. XVI. ad caſtigandam etiam temeritatem Pheraponi; quem pluribus in locis oſtendi iniquum & malevolum detractorem. Compenſabo autem in ſolutione objectionis tertiæ multiloquium brevitate; ac tropos in Scriptura plurimos eſſe fatebor. At nego ubique, & pro libidine hominum intrudendos, commemorans adverſariis aureum Auguſtini proloquium in III. de Doct. Chriſt. cap. X. num. 15. *Si animum occupavit alicujus erroris opinio, quicquid aliter aſſeruit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Argumentis vero primo ordine collocatis hactenus reſponſum eſt.

Ad ea, quæ ponuntur ſecundo loco, primum occurrimus generali reſponſione, non eſſe conſequens, ut ſi verba aliqua in cap. 6. Joannis nequeunt litteraliter accipi, idem ſit de omnibus aſſerendum. Semel enim recepta hac, qua hæretici utuntur, argumentandi ratione, *tropice* quoque exponi poterunt quæ refellant hæreſes perniciosiſſimas; cujus generis ſunt, *Verbum caro factum eſt*, *Ego & Pater unum ſumus*, *Hic eſt filius meus dilectus*, quibus Neſtoriana, Ariana, & Feliciana hæreſis refutantur; nec Novantes ipſi ſuos poterunt retinere, quin ad novos Ebionæos, Socinianos ſcilicet, tranſeant, ſenſu hoc metaphorico Reformatæ quoque religionis ſcita irridentes: quod feciſſe complures probat ipſorum Proteſtantium teſtimonio in ſuo *Examine* art. 13. pag. 227. Taddæus Caluſchius, Auguſtiniani inſtituti orator, & Theologus celeberrimus. Deinde ſolvit argumenta omnia præmiſſa Regula IV. ubi explicavimus quo ſenſu littera occidat, & caro nil proſit; nimirum ſi adinſtar Capharnaitarum nil iis, quæ communi ſenſu apprehenduntur, excogitemus ſublimius, & ſacramenta corporis & ſanguinis Domini abſque fide, animique expiatione, premantur dentibus, & ore deglutiantur. Brevi tamen ſingula diſcurientes, dicimus Chriſtum longam de fide in ſe ipſum præmiſiſſe orationem, ac præterea quæ dicturus erat, confirmaſſe miraculis; quoniam tunc exponendum Sacramentum rationem carnalium hominum ſuperabat. Nam ſi ſermonem inſtituiſſet aut de ſigno corporis ſui, aut de hujus perceptione per ſolam fidem; quo jure, quæſo, dixiſſet Euchariſtiam præſtantiorem manna, & cum audientes cenſerent rem narrari novam, atque abſurdiſſimam, paſſus foret a ſe non Judæos tantum, ſed & quoſdam diſcipulorum abalienari? Jam vero quod addires ſolam fidem impertiri vitam æternam, commentum eſt aliud hæreticorum, a nobis refutatum lib. XIX. cap. 5. Neque juvat hæreticos verſus ille viceſimus ſeptimus: nam ea verba, *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*, non fidem ſterilem commendant, ſed conjunctam operibus: quo ſenſu ait Chriſtus Joan. IV. 34. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me*. Utitur autem ea phraſi, quoniam ideo turba ad eum venerat, quia ex panibus manducaverat, expectabatque fortaſſis *iterum manducare*, *iterum diſcumbere*, *iterum ſaginari*, ut ait Tract. XXV. num. 10. Auguſtinus. At nota, quomodo hinc arripiat Dominus occaſionem de Euchariſtia pertractandi. Reponentibus Judæis credere ſe Moyſi, quoniam patribus *panem de cælo dedit manducare*, ac præferentibus manna, quod Scriptura *panem* appellat *cæli* panibus nuper multiplicatis, reſpondit Jeſus daturum ſe ad manducandum ſemetipſum, quod profecto ſignum eſt mirabilius, quam pluere de cælo manna. Non ergo manducare Chriſti carnem eſt ſolum *credere*, ſed eſt ſignum quoque, & ſacramentum credentium. Quod cum nollent Judæi humiliter aſſentiri, pravoque acciperent ſenſu, vere carnem ſuam cibum eſſe Dominus affirmavit, quemadmodum vera manna patres manducaverunt, cum hoc diſcrimine, quod manna non conferebat vitam ſpiritalem, & gratiam, quam Panis ille vivus largires credentibus: quibus oſtendit eſſe ſe verum cibum, qui animam vivificet; & eos certiores reddit, *ὅτε μὴ νομίζειν αἴνιγμα εἶναι τὸ εἰρημένον ᾗ παραβολὴν, ἀλλ' εἰδῆται, ὅτι δεῖ πάντως φαγεῖν τὸ σῶμα αὐτοῦ*, *Ne ænigma, & parabolam eſſe crederent, quod dicebatur, ſed ſcirent omnino comedendum eſſe corpus ejus*, inquit Chryſoſtomus, cui ſubſcribunt Ammonius, Severus, & Cyrillus, Catenæ Patrum in Joannem pag. 195. Quo autem ſenſu manducetur caro Chriſti per fidem ac ſpiritaliter, ſupra Regula VIII. explicatum eſt. Theologos, qui ea verba, *Niſi manducaveritis*, &c. negarunt de Euchariſtia accipienda eſſe, ne communionem ſub utraque *ſpecie* cogerentur admittere, id bona fide negaſſe, ac terrore, ut ajunt, panico, cenſent utique plurimi recentiorum; notatque illos Tournelius boni ac ſimplicis animi, Vitaſſius vero nimiæ imprudentiæ atque temeritatis. Vide citatas in argumento paginas. Præiverant iis Maldonatus in caput VI. Joan. num. 53. Ego vero non is ſum, qui Cardinali de Alliaco, Joanni de Raguſio, Tappero, aliiſque viris doctiſſimis dicam iſtam impingam. De capite VI. Joannis etiam inter Tridentinos Patres acerrime diſputatum eſt, ac Seripandus noſter optime advertit de hoc teſtimonio, *Niſi manducaveritis*, &c., duo eſſe litigia; *alterum cum hæreticis, an ibi ex divino præcepto, & an neceſſitate ſalutis cunctis fidelibus præſcribatur Euchariſtiæ ſumptio ſub utraque ſpecie: alterum inter Catholicos, an ibi ſermo ſit de communione ſacramentali, an de ſola ſpirituali*. Hæc Pallavicinus lib. XVII. Hiſt. Conc. cap. 11. num. 4. Ac de litigio, quod nobis eſt cum hæreticis, poſtea. Nunc autem Catholicorum diſſidium, quod nobis opponit Dallæus, facile componitur; ſi dicamus illis verbis contineri præceptum *de communione ſacramentali*, & vere manducatione corporis Chriſti, ſi referatur ad quoſdam fidelium, aut ad unam duntaxat *ſpeciem*: præceptum vero *de manducatione myſtica*, ſive adhæſione corpori Eccleſiæ, quæ eſt myſticum corpus Chriſti, ſi referatur ad omnes omnino, ſive parvulos, ſive adultos. Nam hoc poſtremo ſenſu illa verba ſpectare ad parvulos docuit frequentiſſime S. Pater diſputans cum Pelagianis; errantque, me judice, qui Auguſtinum interpretantur de perceptione Euchariſtiæ, quamquam & parvulis collatum aliquando fuerit hoc Sacramentum. Nil ergo mirum, ſi diſputantes de communione *ſub utraque ſpecie*, adverſus autumantes illam eſſe ſingulis neceſſariam, negaverint agi verſu 54. cap. VI. Joannis *de communione ſacramentali*; tametſi de hac etiam agatur, ſi loquamur de præcepto, prout aliquos tantum obſtringit, aut præſcribit unam, vel alteram *ſpeciem* disjunctive. Sed de hoc infra. Videas interim Eſtium accurate explicantem quot modis intelligatur manducari corpus Chriſti, in IV. diſt. 9. §. 1.

Nunc ad argumenta, quæ impetunt probationem noſtram verbis inſtitutionis innixam. Ac ad primum dico errare Lutheranos & Calviniſtas, qui ajunt ex communi ſententia pronomen *Hoc* referendum ad *panem*. S. Thomas enim q. 88. art. 1. docet eo vocabulo deſignari ſubſtantiam *abſque determinatione propriæ naturæ*. Major, Gabriel, Sylvius, Eſtius, id, quod præſens eſt, aut fit, ſi oratio ſit efficax, & operatrix: & ſi quidam Catholici putant eo pronomine demonſtrari *panem*, cenſent quoque ampliandam propoſitionem, ita, ut ſenſus ſit, *Hic panis, qui loquente me panis eſt, in termino prolationis eſt corpus meum*. Nullam proinde cum hæreticis movebo quæſtionem, an verborum conſecrationis panis ſenſus ſit, *Hic qui modo eſt panis ſit corpus meum*, aut, *Hoc, ſcilicet hæc res, eſt corpus meum*, & in conſecratione calicis, *Hic eſt ſanguis meus*, an vero, *Hoc, ideſt, hæc res eſt ſanguis meus*: ac modo intelligatur ſenſu expoſito, admittam utrumque. Neque opponas, nondum eſſe corpus, dum pronuntiatur pronomen *Hoc*: ad enuntiationes enim *effectrices* ſatis eſt, ſi verificentur in fine orationis. Ita ſalva rei veritate Deus hominem creans, limumque contrectans, & inſpirans animam potuiſſet dicere, *Hoc eſt corpus hominis*, *Hæc eſt anima*; ſicuti producendo res, nominat quæ non ſunt, quaſi eſſent, ut, *Fiat lux, fiat firmamentum, fiant luminaria*: ac mortuos ſuſcitaturus, eos perinde, ac viverent, ſic alloquitur, *Adoleſcens, ſurge*; *Lazare, veni foras*. Quod ſi perſiſtant hæretici cavillis ſuis; dico, quod in prima propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen refertur ad *corpus*, non *ad panem*, quoniam in Græcis legitur, *τοῦτο ἐςὶ τὸ σῶμά μου*, non οὗτος maſculini generis, qualis eſt ἄρτος; ideoque τοῦτο ad τὸ σῶμα, non ad ἄρτος referendum eſt. Idem dico de verbis aliis, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, quæ Græce leguntur, *τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου*, ubi οὗτος dicendum erat, non τοῦτο, ſi referretur ad οἶνος, *vinum*, maſculini generis. Quæ etſi perſpicua ſint ex ſola verborum ſyntaxi, probantur tamen non tantum a Catholicis, verum etiam a nonnullis hæreticorum; inter quos Conradus Horneius hoſtis *tranſubſtantiationis* acerrimus in Compendio Theologiæ lib. 2. cap. 3. num. 68. hæc ſcribit; *At Chriſtus, etſi cum accepiſſet panem & vinum, & gratias egiſſet, ait, Accipite, edite: item, Bibite ex hoc omnes, tamen non dicit, Hic panis eſt corpus meum; ſed τοῦτο ἐςὶ τὸ σῶμά μου, Hoc eſt corpus meum, cum alias non τοῦτο, Hoc, ſed οὗτος, Hic, ſcilicet ἄρτος, panis, dici oportuerit*. Non ex Maldonato, aut ex Janſenio hæc exſcribimus, ſed ex homine Lutherano. Si cum Schmidio ac hæreticis aliis reponas, τοῦτο pro οὗτος poni propter ſynecdochem; ſubinferam, Igitur ſi τοῦτο refertur ad *panem*, panis non ſecundum ſe totum accipiendus eſt, ſed ſecundum aliquam tantum partem, ideſt accidentia, ac ſenſus erit, *Hoc, quod continetur ſub ſpeciebus panis, eſt corpus Chriſti*. Si dicas cum Ludovico de Dieu; in textu Syriaco ambiguam eſſe locutionem, maxime in verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, & pronomen poſſe referri tam ad *poculum*, quam ad *ſanguinem*, cum ambo apud Syros ſint generis maſculini; dicam contra; Syriacæ linguæ ambiguitatem ſublatam ab Evangeliſtis qui Græce ſcripſerunt; neque apud Matthæum, neque apud Marcum haberi poculum, aut ποτήριον, ſed, *Hic eſt enim ſan-*

ſanguis meus; atque non ſolum Vulgatam, ſed & Tremellium, & Eraſmum, & alios a Novatoribus plurimum celebratos, eamdem præferre lectionem. Si demum opponas, non ſolum Theodorum Bezam & hæreticos alios, verum & Cyprianum in Epiſtola ad Cæcilium legiſſe, *Hoc eſt ſanguis meus*, ut affirmat Lucas Brugenſis, & Nicolaus Faber in margine exemplaris ſui editionis Pamelianæ; reſpondeo cum erudito Baluzio, ita quidem in tribus antiquis Cypriani editionibus legi, ſed contra auctoritatem omnium fere veterum exemplarium. Hæc autem omnia dicta ſunt, ut juniores advertant quam inepte hæretici una Græca, aut Syriaca vocula obſtrepant, nugaſque garriant. Atque ex his etiam liquet, hanc enuntiationem, *Hoc eſt corpus meum*, non eſſe ταυτολογίαν, ſive, ut ajunt, propoſitionem *identicam*; cum *identica* ſit ea propoſitio, in qua eadem res, eodem vocabulo, aut ſynonimo de ſe ipſa enuntiatur, ut ſi dicas, *Homo eſt homo*, *Gladius eſt enſis*. Verum ſi pronomen, aut commune attributum enuntientur de re aliqua ſingulari ac determinata, ſit in exemplo, *Hic fluvius eſt Tiberis*, *Hic eſt liber*, *Hic eſt homo*; nemo unus, qui nolit dialecticorum ferulis vapulare, appellabit *tautologiam*. Quod ajunt panem frangi, non corpus Chriſti, eſt argutatio inepta ſupra quam dici poſſit; frangitur enim ratione *ſpecierum*: ac præterea apud Lucam legitur, *Quod pro vobis datur*, & apud Paulum I. ad Corinth. XI. *Quod pro vobis tradetur*: quibus verbis demonſtratur, datum in cibum Apoſtolis ipſum corpus jamjam tradendum in mortem, atque in cruce immolandum. Præterea ſicut Chriſtus porrigens conſecratum panem ait, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur;* ita præbens calicem inquit, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. At hæc verba, *Qui pro multis effundetur*, ad ſanguinem, non ad vinum ſunt referenda. Ergo & verba illa, *Quod pro vobis datur*, ad corpus, non ad panem referri debent. Sequitur objectio, qua productis multis exemplis demonſtrare conantur verbum, *Eſt*, idem valere, ac *ſignificat*: quod in primis abſoluta negatur; nam & in metaphoris, tropiſque nunquam tranſlatio invenitur in verbo *Eſt*, ſed vel in ſubjecto, vel in attributo; ſi enim de picta imagine dixeris, *Hic eſt Hercules*, tropus non reperitur in *Eſt*, ſed in *Hercules*, qui non hominem ſignificat, ſed figuram hominis. Legi poteſt Maldonatus in caput XXVI. Matthæi, & Eſtius in caput XI. Epiſt. I. ad Corinth. Et revera ſi *eſt*, idem valeret, ac *ſignificat*; non dicendum erat, *Hic eſt ſanguis meus*, ſed *Hic eſt ſanguinem meum*, inſolitum porro ineptumque dicendi genus. Deinde quænam eſt inter ea quæ apparent in ſomniis, ut boves ac ſpicæ Pharaonis, aut ſtatua Nabuchodonoſor, & quæ narrantur in libris hiſtoricis, comparatio? quænam inter parabolas prophetantium, & documenta Apoſtolorum, quibus datum eſt noſſe regni cæleſtis myſteria? Exempla denique ab hæreticis objecta diluuntur præcedenti capite ex ipſis regulis Proteſtantium, ubi docent quomodo Scripturæ tropos ſcriptura ipſa demonſtret. Exemplum unum additum eſt ex cap. V. Ezechielis; at non meliori conatu. Illa enim verba, *Iſta eſt Jeruſalem*, non ſunt pronuntiata ab eodem propheta, qui raſit, diſperſitque capillos, neque ſupra partem horum; ſed ſunt verba Domini explicantis quæ Ezechieli mandaverat facienda: legitur enim, *Hæc dicit Dominus: Iſta eſt Jeruſalem, in medio gentium poſui eam, &c.* Ipſe ergo textus demonſtrat tropum atque figuram, non minus in ea capillorum parte, ac in latere, in ſartagine ferrea, in ſubcinericio hordeaceo, & in ſtercore, quibus ab Ezechiele prænuntiata eſt Jeroſolymorum obſidio & vaſtatio. Do tamen libenter fractionem panis, atque ſeparationem utriuſque *ſpeciei* figuram eſſe corporis Chriſti, quemadmodum quæ narrat Ezechiel figura erant civitatis Jeruſalem; ſi accipiatur *corpus Chriſti*, ut vulneratum & crucifixum, juxta præcedentem regulam tertiam, & juxta ea, quæ diximus cap. I. ubi oſtendimus, quomodo in Euchariſtia eam ratione Sacramenti conſiſtat veritas. Recole autem præ ceteris caput, *Hoc eſt, quod dicimus*, de Conſecr. diſt. 2. num. 47. in quo hæc habentur: *Sicut ergo cæleſtis panis, qui vere Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cum revera ſit ſacramentum corporis Chriſti, illius videlicet, quod viſibile, palpabile, mortale in cruce eſt ſuſpenſum, vocaturque ipſa immolatio carnis, quæ ſacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio: ſic ſacramentum fidei, quod baptiſmus intelligitur, fides eſt.* Habet conſimilia S. Pater Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium Comitem, nunc 99. num. 9. Proinde Euchariſtia recta dicitur commemoratio, non corporis Chriſti, quod utique præſens eſt, ſed immolationis, paſſionis, crucifixionis, ut innuit Apoſtolus I. ad Corinth. XI. 26. Quod ſequitur de conſecratione calicis, retorquetur in adverſarios; primum quia in his verbis Lucæ XXII. 20. *Hic eſt calix, novum teſtamentum in ſanguine meo*, vocabulum *calix* in propria accipitur ſignificatione: igitur idem dicendum eſt de vocabulo *ſanguis*; ideoque *ſanguis* in verbis Matth. XXVI. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, in ſignificatione propria accipi debet. Præterea quæ leguntur Exodi 24. 8. & ad Hebræos IX. 20. *Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus*, de vero hirci ſanguine dicta ſunt: igitur de vero ſanguine Domini dictum eſt, *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*. Utuntur hoc argumento quidam Catholici, inter quos Eſtius diſt. VIII. §. 14. demonſtrans utriuſque textus ſimilitudinem, quam fatetur Daniel Heinſius Exercit. ſacrarum pag. 81. ſcribens: *Cum dicitur*, τοῦτο γάρ ἐςὶ τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, *manifeſta illius videtur parodia*, Ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο κύριος πρὸς ὑμᾶς. Inquiunt hæretici, At ſanguis non eſt *teſtamentum*, ſed quo teſtamentum confirmatur. Reſpondeo, & ideo quod Lucas poſuit in recto, *novum teſtamentum*, καινὴ διαθήκη, poſuerunt Matthæus & Marcus in obliquo, τῆς καινῆς διαθήκης, *novi teſtamenti*. Deinde non ait Lucas *teſtamentum* tantummodo, ſed, *teſtamentum in meo ſanguine*: idem eſt autem διαθήκη ἐν αἵματι, *teſtamentum in ſanguine*, & αἷμα διαθήκης, *ſanguis teſtamenti*, inquit Grotius in Lucam; quod & probat ex conſtructione in recto, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *qui pro vobis effundetur*, quod caſu concordat cum διαθήκῃ, genere cum αἵματι. Verum addunt hæretici, At ſanguis non eſt *genimen vitis*. Id quoque Regula I. explicatum eſt. Inſuper illius loci, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, expoſui multiplicem ſignificationem Volum. I. pag. 83. Poſſet præterea locus iſte explicari de calice non conſecrato, & poſt cœnulam exhauriendo, juxta Hebraicos ritus capite tertio explicatos. Eo denique ſenſu dictum eſt, *Non bibam amodo, &c.* quo de agno Paſchali Lucæ XXII. 16. *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*: nam ſicuti hinc non ſequitur, Chriſtum poſt reſurrectionem manducaſſe Paſcha ejuſdem generis, ita illinc non infertur bibiſſe ejuſdem generis vinum; præſertim cum variationem ſenſus demonſtrent in uno loco illa verba, *Donec impleatur in regno Dei*, in altero autem iſta, *Cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei*. Sed de argumentis hæreticorum adverſus verba inſtitutionis plura nimis: reliqua nunc proſequamur.

Quod ergo legitur Joan. XII. *Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis*, intelligendum eſt de ea præſentia, qua D. J. compatiens infirmitatibus noſtris excepit corporalia officia, pollincturæ etiam, atque exequiarum; non de præſentia, qua nobiſcum permanet uſque ad ſæculi conſummationem, nos patrocinio fovens, gratia adjuvans, & in nobis ſacramenti communione immanens, ac perſeverans. Atque id conſtat ex ipſomet loco; ſunt enim illa verba alloquentis Judam prætextu miſericordiæ in pauperes ægre ferentem balſami profuſionem. Hinc S. Pater tract. L. in Joannem, num. 13. ait, τὸ *Me autem non ſemper habetis*, Judæ, avariſque dictum eſſe, non omnibus: additque num. proximo, non ſemper nobiſcum Jeſum permanere *ſecundum id, quod a Judæis prehenſus eſt, quod ligno confixus, quod de cruce depoſitus, quod linteis involutus, quod in ſepulcro conditus, &c.* De ipſamet præſentia viſibili & corporali accipienda ſunt duo alia loca nobis objecta, Joan. XVI. & Act. III. Quartum ex iis verbis, *Palpate, & videte, &c.* facillimæ expeditionis eſt: *Affirmative* enim recte concluditur, Tangitur ac palpatur, ergo non eſt ſpiritus, neque eſt phantaſma; at non recte concluditur *negative*, Non palpatur, non tangitur, ergo non eſt corpus; præſertim ſi exiſtat modo quodam peculiari, ac mirabili: alioqui ſequeretur non fuiſſe verum Chriſti corpus, quando ambulavit ſupra mare, aut ex oculis circumſtantium evanuit. Sicut ergo potuit Dominus reddere corpus ſuum leve atque inaſpectabile, ita poteſt facere illud impalpabile, & inviſibile. In explicatione verborum Apoſtoli I. ad Corinth. X. *Omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt*, vel τὸ *omnes* ad Judæos ſimul, & ad Chriſtifideles referre volumus cum Auguſtino; vel ad ſolos Judæos, qui manducarunt manna, & biberunt aquam de petra, cum Joanne Chryſoſtomo. Si primum teneas, non alia ratione dictum eſt, *Omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt*, niſi quia manna erat figura Euchariſtiæ; quemadmodum ibidem legitur, *Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari*, quoniam nubes, ac tranſitus maris fuerunt typus baptiſmi. Idcirco Apoſtolus non ait abſolute, *Eamdem eſcam*, ſed, *Eamdem eſcam ſpiritalem*: unde Auguſtinus Tract. XXVI. in Joan. numera. inquit: *Spiritalem utique eamdem; non corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud*. Quod ſi velis cum Chryſoſtomo τὸ *omnes* referre ad ſolos Judæos, quod & mihi probatur quammaxime, non ſolum objectio hæreticorum nulla eſt, verum etiam ipſos impetit, & confodit. Eſt enim Apoſtoli ſcopus demonſtrare, quod minime ſatis ſit percepiſſe baptiſmum ac ſpiritualia myſteria, niſi ulterius agamus vitam homine Chriſtiano dignam: atque ad id commonſtrandum adducit figuras baptiſmi, & Euchariſtiæ. Sicut, inquit, omnes patres ſub nube fuerunt, ac tranſierunt mare, (quod nonniſi Judæis convenit) omneſque manducarunt manna, nec tamen *in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto*; ita non omnes, qui ſacræ menſæ,

 ac ba-

ac baptiſmatis ſunt participes, cenſendi ſunt Deo accepti: idem quippe Dominus, qui illis manna & aquam, tibi corpus præbuit, & ſanguinem, non enim petra emittebat aquam, ſed alia petra ſpiritualis, nempe Chriſtus, totum operabatur: & *quemadmodum tu comedis corpus Domini, ſic illi manna, & ſicut tu bibis ſanguinem, ſic illi aquam de petra: καθάπερ γὰρ σὺ τὸ σῶμα ἐσθίεις τὸ δεσποτικὸν, οὕτως ἐκεῖνοι τὸ μάννα· καὶ ὥσπερ σὺ τὸ αἷμα πίνεις, οὕτως ἐκεῖνοι ὕδωρ ἐκ πέτρας*. Ita Chryſoſtomus Hom. XXIII. in primam ad Corinthios pag. 523. De Scripturis igitur, quibus hæretici abutuntur, hactenus.

Ad ea vero, quæ objiciuntur ex Patribus, facillima eſt reſponſio; omnia quippe in præmiſſis decem regulis præoccupata ſunt, ac ſoluta. Infirmiora ſunt etiam, ſi conferantur cum iis eorumdem Patrum teſtimoniis, quæ abſolute & ſine ambiguitate ſententiam confirmant noſtram: quare de Oecolampadio ſcribit in Hiſt. Sacrament. Lavatherus, *Sæpe antiquorum Doctorum lectione infirmitatem ſuam vincere conabatur, ſed principio non occurrebat, quo juvaretur: crebro erat obvium Corpus Domini & Sanguis Domini*: additque non potuiſſe Sacramentariis accedere, niſi ſemota hominum auctoritate. Scaliger etiam, *Miror*, inquit, *qui fieri potuerit, ut Patres omnes crediderint panem in verum Chriſti corpus converti*: & Socinus Epiſt. ad Radecium, *Legantur modo Pontificiorum ſcripta, & ſatis intelligetur, ſi præter ſacras litteras Patrum auctoritati ſit ſtandum, vobis omnibus cauſa cadendum eſſe*. Nullo itaque jure poſſunt adverſarii pugnare nobiſcum Patrum auctoritate, ut fatentur illorum plerique. Cum tamen id nitantur, iis nos jacula vitrea confringimus. Ad objectionem petitam ex aliquorum ſilentio, dicimus ipſam arcani diſciplinam veritatis Catholicæ invictum eſſe argumentum; prout Regula V. prolixe explicavimus, quamquam non ſolum Patres priorum ſæculorum Euchariſtiæ, & corporis ac ſanguinis Domini aliquando meminerint, ut Ignatius, Juſtinus, Irenæus, verum etiam ſincera Martyrum acta, Perpetuæ, quæ *buccellam comedit acclamantibus Amen circumſtantibus*, quod de Euchariſtiæ perceptione recte interpretantur Ruinartius pag. 92. Hermetis, qui martyrium ſubiturus dicitur guſtaſſe *oblatas a columba eſcas gratiſſimi cibi*, apud eumdem ſcriptorem pag. 372. Luciani, qui deſtitutus altari paullo ante mortem refecit ſe Dominico corpore *ſupra pectus ſuum* conſecrato, ut narrant genuina Acta, & Philoſtorgius lib. 2. H. Eccl. num. 14. Agnetis, quæ commonſtrans ritum quemdam communionis, quo olim ſacrabantur Chriſti ſanguine organa ſenſuum, inquit, *Sanguis ejus ornavit genas meas*, ut animadvertit Tom. V. pag. 412. eruditiſſimus Lupus: omnium poſtremo Martyrum, quos ante agonem muniendos *protectione corporis & ſanguinis Chriſti*, ſcribit epiſt. 57. ſanctus Cyprianus. Ex quibus conſtat hæreticos ex objectis quoque Martyrum Actis revinci. At objectio, quæ ſequitur ex vocabulo *Antitypi*, habet ex Regula 113. pleniſſimam ſolutionem. Mirandum vero ſummopere, Albertinum in ea objectione Cyrilli quoque catecheſim IV. producere: in qua Cyrillus ſacra dona appellat utique *Antitypa*: ſed ait paullo poſt pag. 531. *Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis, ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα*: ac prope finem ejuſdem catecheſeos, *Hoc ſciens & pro certo habens panem hunc, qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat; & vinum, quod a nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti: ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς, ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν εἰ καὶ τῇ γεύσει αἰσθητὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ. καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος, οὐκ οἶνός ἐστιν, εἰ καὶ ἡ γεῦσις τοῦτο βούλεται, ἀλλὰ αἷμα Χριστοῦ*. Conſequens oppoſitio petita ex Latinis, qui Euchariſtiam vocant *corporis Chriſti figuram*, ſolvitur ex 2. Regula: in qua diximus de Tertulliano ſcribente adverſus Marcionem idem ſonare, *Hoc eſt corpus meum*, ac ſi dictum foret, *Hoc eſt figura mei corporis*, accipienda ejus verba, quatenus corpus Chriſti exiſtens ſub ſacramento eſt figura ejuſdem corporis pro nobis in crucem acti. Nam ibi Tertullianus agit adverſus Phantaſiaſtas negantes verum Chriſti corpus affixum cruci, eoſque perſtringit vaticinio illo, *Mittamus lignum in panem ejus*. Id cum obſervaret Calvinus lib. IV. Inſt. cap. 17. num. 15. maluit Tertullianum inſcitiæ redarguere, quam veritatem negare: ſcribit enim, *Conqueritur Propheta lignum poſitum in pane ſuo, ſignificans hoſtium ſævitia panem ſuum infectum amaritudine: quemadmodum David ſimili figura cibum ſuum fuiſſe felle corruptum, & potum aceto depicrat. Iſti allegorice corpus Chriſti ligno crucis fuiſſe adfixum volunt. Ac ita ſenſerunt nonnulli veteres. Quaſi vero non magis ignoſcendum ſit eorum inſcitiæ, & ſepeliendum dedecus, quam addenda impudentia, ut cognatur cum genuino Prophetæ ſenſu hoſtiliter confligere*. In his vero potius Calvinus demonſtrat ſe inſanum atque impudentem, calcatque veſtigia Theodori Mopſueſteni damnati a V. Synodo, quod inter ceteros errores aſſeruerit locum illum Pſam. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto, non eſſe intelligendum de Chriſto*. Vide Collationem IV. laudatæ Synodi, Tom. V. Concil. Lab. pag. 443. Ut ad Tertullianum revertatur oratio, poteſt ulterius reſponderi, illius ratiocinationis hanc vim eſſe, Inane & vacuum phantaſma nequit permanentem aliquam figuram ſuſcipere. At corpus Chriſti in Euchariſticis elementis habet ſolidam figuram panis. Igitur corpus Chriſti non eſt vacuum & inane phantaſma. Etenim hunc ſenſum commonſtrant verba, quæ libro IV. contra Marcionem proxime conſequuntur: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Ceterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet*. Stupenda deinceps res eſt, Albertinum obſtrepere mutilatis verbis Ambroſii, qui, ut vidimus, realem præſentiam tradit luculentiſſime, ejuſque fidem compluribus miraculis adſtruit, moveri autem Albertinum illis verbis, *Similitudinem pretioſi ſanguinis bibis*; quibus Ambroſius duntaxat ait, non eſſe in calice externam ſanguinis formam ac ſpeciem, quæ ſenſum afficiat & commoveat, ſubjiciens illico, *Ut nullus horror cruoris ſit*. Ubi vero Ambroſius oblationem ſactam appellat *corporis Chriſti figuram*, non de oblatione conſecrata, ſed tantum de præparata loquitur, ut recte obſervarunt Benedictini Tom. 2. pag. 371. quamvis & conſecrata dona non una ratione typus & figura dicantur: quod neceſſum non eſt iterum explicare. Diluimus eadem regula 2. quæ objiciuntur ex Auguſtino. Hæc libris ſancti Patris adſuta ab aliquo Wicleſiſta, exiſtimavit cap. 57. Joannes Heſſelius, quod recedant, inquit, *ab Auguſtini exacta locutione, & limato ſermone*. Verum ne ſubſcribamus Heſſelio, faciunt exemplaria univerſa, codices vetuſtiſſimi, accuratiſſimæ editiones, & ipſa Heſſelianæ conjecturæ nimia levitas. Ergo S. Pater in libro contra Adimantum Euchariſtiam appellat *ſignum*, quod minime excludit veritatem, proferens exemplum ſanguinis, qui eſt *ſignum animæ*; ſignum ſcilicet rei in brutis, qui agunt vitam, præſentis. Ubicumque vero docet corpus Chriſti manducari a nobis *ſpiritaliter*, exponendus eſt juxta Regulas IV. & VIII. Auguſtinianis documentis illuſtratas: nam & manducari Chriſti corpus in Euchariſtia docet apertiſſime ſerm. 2. de Verbis Apoſt. cap. 1. lib. 2. contra adverſarium legis cap. 9. & quæſt. 57. in Leviticum, ut conſtat ex dictis. Nullius denique ponderis eſt argumentum ex iis ultimum, quæ auctoritati nituntur. Innumeros quippe ante Anaſtaſium Sinaitam ex Græcis, & innumeros ante Paſchaſium ex Latinis ſtetiſſe pro Catholica veritate, perſpicuum eſt. Quis inſuper Anaſtaſium, quis Paſchaſium tanquam novæ hæreſis auctores damnavit? Nulla profecto adverſus illos legimus celebrata concilia, nullaque emanata decreta. Exorto e contra Berengario, hunc inſectati ſunt univerſi Eccleſiarum præfecti, nec unus Epiſcoporum ad eum acceſſit; quo nomine illius hæreſis fuit Ariana, ceteriſque, in quas multi conſenſerunt Epiſcopi, exſecrabilior atque deterior. Ipſe denique Berengarius palinodiam tertio recantavit, & in catholicæ fidei confeſſione deceſſit. Berengarius itaque, non Anaſtaſius Sinaita, non Paſchaſius, auctor fuit exitioſi dogmatis, ac Novator. De his, qui juxta loquendi modum a Paſchaſio diſcrepaverunt, ſatis dixi in prænotatis ad magnam hanc controverſiam, & in VI. ex regulis a me conſtitutis. Itaque argumenta hæreticorum aut Scripturæ, aut Patrum auctoritati ſubnixa, non ſunt pluribus refutanda.

Venio tandem ad argumentationes Philoſophicas, præmiſſa declaratione Regulæ X. non humanam rationem, ſed auctoritatem Eccleſiæ eſſe mihi normam credendi: nam neque tres in Deo reperirem *hypoſtaſes*, neque Dei Verbum hominem factum ac mortuum, non aſſeverante Eccleſia, didiciſſem, & utrumque ea tradente profiteor. Illud etiam ab hæreticis peto, cur in Scriptura conſtituant fidei libellam, provocentque nos modo ad caſtra Philoſophorum? Cur Proteſtantes Angli, atque hos inter Forbeſius, cenſeant temerariam opinionem eorum, qui negant poſſe Deum efficere, ut corpus careat locali extenſione, ac pluribus ſit in locis, ajentes neque Zuinglium, neque Oecolampadium, neque Hoſpinianum affirmaſſe quod hæc fieri nequeant, & facta tantum negaſſe; ſuccenſeant autem nobis hæretici, quod credamus impoſſibilia? Cur Petrus Molinæus, Blondello teſte, noluerit ut Synodo damnaretur *realis Chriſti præſentia* in Euchariſtia, cur Zuinglius cum ſociis in congreſſu Marpurgi anno 1529. Lutheranis exhibuerit communionem, cur anno 1631. in Pſeudoſynodo Carentonii decreverint Sacramentarii Lutheranos recipi poſſe, nulla facta hæreſis abjuratione, ſi dogma realis præſentiæ, fidei, rationique adverſatur? Sane longe difficilior intellectu eſt hæreſis Lutherana, quam ſit veritas Orthodoxa: nam hæreſim illam Pontificiorum dogmate abſtruſiorem judicarunt Zacharias Urſinus, Wolfangus Muſculus, Theodorus Beza, Scultetus, aliique plurimi ex Novatoribus, ut oſtendam proximo capite; ideoque Sacramentarii a crimine idololatriæ ac ſuperſtitionis, & a nota ſingularis dementiæ abſolventes Lutheri gregarios, damnantes vero iiſdem nominibus Pontificios, judices ſunt impudentiſſimi atque iniquiſſimi. Atque ne Calvinianos prætercam, quo jure horum ductor ac ſignifer in nos e philoſophia de-

Digitized by Google

debacchatur iiſdem ſeſe tricis incautus implicant? Ait enim Calvinus in *Dilucid. expoſit. ſan. doctr.* pag. 839. ita eſſe in Euchariſtia corpus Chriſti *vere, ac ſubſtantialiter*, ut Deus in arca, & Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ: ait eo loci non tantum fide ac merito, verum etiam *ſubſtantialiter & reipſa* manducari a nobis Chriſti corpus: ait lib. IV. Inſtit. cap. 17. in Euchariſtia Chriſtum ipſum, in qua reſidet, carnem vivificam nobis tradere, ut ejus participatione ad immortalitatem paſcamur: in cœnæ myſterio per ſymbola panis & vini Chriſtum vere nobis exhiberi, adeoque corpus & ſanguinem ejus: verum eſſe, ſubſtantialemque corporis ac ſanguinis Domini communicationem, ita, ut non imaginatione duntaxat, aut mentis intelligentia, ſed re ipſa percipiantur: non aliter animas noſtras carne & ſanguine Chriſti paſci, quam panis & vinum corporalem vitam tuentur ac ſuſtinent, & vere Chriſtum nos reficere carnis ſuæ eſu, & ſanguinis potu. Hæc omnia iiſdem Calvini verbis conſcripta ſunt. Si vero reponas incredibile videri, quod in tanta locorum diſtantia penetret ad nos Chriſti caro, ut ſit nobis in cibum; reſpondet ille, ſupra ſenſum noſtrum eminere arcanam Spiritus ſancti virtutem, ut ſtultum ſit ejus immenſitatem velle metiri, in hanc ſententiam concludens citato cap. XVII. num. 10. *Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire quæ locis disjuncta ſint*. Age vero, quandoquidem philoſophicis argumentis pugnandum eſt, quare in cœlis exiſtens *vere ac ſubſtantialiter* manducari poteſt in terris, nec poteſt in cœlis, & in terra ſimul exiſtere? Quare poteſt Spiritus ſancti arcana virtus me cum hominibus commorantem *ſubſtantialiter* unire Chriſto regnanti cum angelis, nec poteſt Chriſtus *ſubſtantialiter* verſari ſimul inter angelos, & inter homines? Quare demum non idem nos cum Joanne Calvino reſpondeamus, *Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides?* Ne tamen hæc dicta videantur ad vim argumentorum vitandam; reſpondetur ad primum, docere Peripateticos, quod *eſſentia* corporis nequaquam in dimenſione ſit poſita, cum in hoc ſit conſtituenda, quod extenſionem naturaliter tantum exigat; nam per hoc ſolum a ſpiritu ſufficienter diſtinguitur res corporea. Recentiores quidem nonnulli contendunt, non poſſe corpus eſſe, aut cogitari, niſi extenſum ſit; ſed fatentur tamen contineri idem corpus nunc arctiori loco, nunc ampliori, eaſdemque partes habere pullum in ovo, ſeu plantam in ſemine, ac habeat pullus exploſus, & arbor parula; licet partes in ovo, aut in ſemine nondum ex involucris ſint explicatæ, ſed compreſſæ ſimul, atque contractæ. Sunt præterea, qui contendunt incompertam nobis eſſe rerum omnium *eſſentiam*, nec illam aliud cenſent, niſi quod ſepoſitis omnibus proprietatibus reliquum manet. Prior itaque objectio nulla eſt, ſive dicas extenſionem eſſe corpori accidentariam, ſive teneas Chriſti corpus in Euchariſtia occupare locum anguſtiorem, ſive ingenue fatearis neſcire te quid ſit corpus. Eligas autem ex his tribus eam, quæ arridet magis, ſententiam. Hoc tantum admoneo, ſi amplectaris ſecundam, ne mente excidat canon tertius ſeſſ. XIII. Tridentini Concilii, *Si quis negaverit in venerabili ſacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit*. Saltem ergo *ſeparatione facta*, in qualibet parte totum Chriſti corpus agnoſcas, ſi vis ante ſeparationem habuiſſe extenſionem aliquam actualem. Id ſolum a Synodo definitum ſcribit recens Auctor, & quidem Thomiſta, tom. 1. de Re Sacrament. pag. 428. Revera Tridentini Patres non fuerunt ſolliciti de Philoſophicis altercationibus: & conſulto addiderunt ea verba, *ſeparatione facta*, commemorante Joanne Æmiliano varias Theologorum opiniones; ut narrat Pallavicinus lib. XII. Hiſt. cap. 2. num. 15. Poteris ergo ſententiam illam tenere, eamque explicare exemplo, quod legitur apud Samonam Gazæ Epiſcopum. Eſt imago tua in ſpeculo, pro cryſtalli extenſione anguſtior, aut amplior; ſi ſpeculum frangas, in unoquoque fragmine eamdem imaginem videbis expreſſam: *ita*, inquit Samona, *& caro Chriſti integra eſt in unoquoque fragmento*; οὕτω καὶ σὰρξ Χριστοῦ ὁλόκληρος ἐν ἑκάστῳ κλάσματι. Vide tom. XVIII. Bibl. PP. pag. 579. Juxta diverſa Philoſophorum placita diluitur objectio altera: indubitatum quippe eſt permanere in Euchariſtia panis & vini *accidentia*, ut cum univerſis Theologis ſcribit lib. IV. de Sacramento Altaris Innoc. III. Damnarunt quippe Guilelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, cujus judicium confirmavit Urbanus VI., & Synodus Conſtantienſis ſeſſ. VIII. propoſitionem Wicleffi, *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in ſacramento Altaris*. Hinc inferunt Theologi præſtantiſſimi, inter quos noſter Lupus in ſextum Romanum Concilium S. Gregorii VII. tom. V. pag. 316. meras eſſe nugas, quæ de accidentibus a ſubjecto indiſtinctis tradit Carteſius. Multi tamen, a quibus alienus non eſt Vauroy cap. V. de Euch. q. 1. & 2. *accidentia*, & *ſpecies* panis ac vini remanere fatentur, ſed negant eſſe *entitates* tenues a ſubſtantia diſtinctas. Hi nimirum ajunt *ſpecies* panis ac vini eſſe imaginem impreſſam materiæ ſubtili panem ambienti, quæ imago, ſeu materiæ ſubtilis preſſio perſiſtit etiam conſecratione peracta, eamdem in organo viſus excitans affectionem, ac ſi panis adeſſet. Atque idem docent de *accidentibus*, quæ ſenſibus reliquis objiciuntur. Conantur id explicare exemplo Chriſti, qui *ſub hortulani ſpecie* Magdalenæ dicitur apparuiſſe, quod nempe hujus mulieris viſus a materia cœleſti eodem modo fuerit affectus, quomodo fuiſſet hortulano præſente. Poſſunt his aliquem afferre lucem, quæ lib. X. cap. 14. ſcripſimus de apparitionibus Angelorum. Hæc vero nec refello, nec probo; ſiquidem non tantus eſt mihi *Renatus Carteſius*, quantus iis, qui hoc nomen tranſpoſitis litterarum elementis conſcribunt, *Tu ſcis res naturæ*. Alii præterea Philoſophi hac reſponſione contenti ſunt, Deum ſolutum eſſe naturæ legibus, utpote quas ipſa pro ſuo arbitrio conſtituit, & eſſe mentis omnino non ſanæ velle divinam potentiam modulo intelligentiæ noſtræ metiri: quod confirmant exemplis productis ab Auguſtino Epiſt. 3. ad Voluſianum, nunc 137. num. 8. ubi diſſerens de Verbo in utero Virginis carne induto: *Hic*, inquit, *ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis*. Huc denique confugit etiam Petrus Gaſſendus, lib. VI. de qualitatibus rerum cap. 3. pag. edit. Lug. 385. Difficilius eſt argumentum tertium de Chriſti corpore in cœlo ſimul, & in pluribus conſecratis hoſtiis exiſtente. Verum non tale eſt, quod compulerit Chryſoſtomum ne ſcriberet lib. 3. de Sacerd. *Qui ſedet in dextera Patris, in dexteris peccatorum reperitur*, Nyſſenum ne in Hom. de Paſchate ita loqueretur, *innumerabilibus locis conſecratur, & tamen unum corpus eſt*, Auguſtinum ne in Pſalmum XXXIII. aſſereret Chriſtum Dominum, cum ait, *Hoc eſt corpus meum*, ſe ipſum portaſſe *manibus ſuis*. At quæris quomodo id fieri poſſit. Fit, inquiunt Scotiſtæ, quemadmodum duo corpora, etſi juxta naturæ legem ſeſe invicem de loco expellant, divinitus tamen compenetrantur, eodemque ambitu circumſcribuntur. Quamvis enim Calvinus neget quoque corporum penetrationem; refutatur tamen ex quo Chriſtus ad Apoſtolos ingreſſus ſit, *Januis clauſis*, atque, ut ait quodam in carmine Nazianzenus,

Ὡς κλεῖθρα παρθένια μηδαμῶς λύσας ἐξῆλθεν,

Ut clauſtra Virginalia, cum minime ſolviſſet, egreſſus eſt. Atque huc faciunt quæ diximus Mon. VI. & Reg. X. Alii tamen Philoſophi etſi negant idem corpus poſſe in pluribus locis exiſtere *circumſcriptive*, negant fieri non poſſe ut in locis multis exiſtat *ſacramentaliter*, & ratione extenſionis panis: nam, inquiunt, *circumſcriptio* fit extenſione locali ac propria, quæ una eſt, nec multiplicari poteſt non multiplicata ſubſtantia corporis: exiſtentia autem *ſacramentalis* pendet a quantitate panis, aut vini, quæ non eſt una, ſed quotuplex materia, quæ conſecratur. Quod neceſſum non eſt prolixius exponere diu in ſcholis Peripateticorum verſatis. Sunt etiam, qui propugnant actionem, qua conficitur Euchariſtia, ex parte Dei eſſe ipſam conſervationem corporis Chriſti, conſervationem vero ipſammet creationem; ut cenſent Gabriel, Ochamus, aliique plures apud Vaſquez diſput. 181. num. 42. quibus & nos ſubſcribimus, ſi actiones illas Dei *connotative* diſtinguant. Sicut ergo (inquit Emmanuel Maignanus Philoſ. ſacræ cap. 22. prop. 3.) ſufficit in Deo una eademque actio, ut corpus producat, ut ei tribuat locum, ut ipſum conſervet, ut ad plura loca ſucceſſive transferat, quoniam hæc mutatio ſe tenet duntaxat ex parte termini; ita eadem Dei actio per ſe invariata poteſt corpori Chriſti tribuere locum in dextera Patris, alium vero ſub his *ſpeciebus*, alium ſub aliis. Conſimili ratione probant quidam Philoſophorum, ejuſdem corporis poſſe multiplicari vicinias. Qualemcumque igitur ſecteris phyſiologiam, habes unde eludas hæreticorum ſophiſmata: volo enim ego iterum gratificari Calvino, ingeniique mei imbecillitatem agnoſcens illius verba repetere, *Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides*. Argumenta poſtremo loco a conjecturis petita, quandoquidem proximis diſputationibus ſunt iterum pertractanda, nunc prætermittam. Peto hoc unum, cur indecorum ſit, Chriſtum frangi ratione *ſpecierum* ſacramentalium, manducari ab impiis, nobiſcum permanere, & pro nobis quotidie Sacerdotum manibus immolari; poſteaquam dignatus eſt tradi manibus peccatorum, vulnerari, crucifigi, & reputari cum ſceleratis: præſertim cum in Euchariſtia non ſit paſſionis acerbitas, horror cruoris, mortiſque imago teterrima: ſed, ut ajebat Hildebertus Cenomanenſis,

Fit cibus hic ex pane ſato, Deus ex elemento,
Myſterio ſimplex, utilitate triplex:
Utque fides adſit, terrorque recedat, & horror,
Fit cibus ipſa caro, panis imago manet.

CA-

CAPUT X.

Impugnatur aſſerta ab hæreticis Conſubſtantiatio, *ſive* Impanatio.

QUamvis duo præcedentia capita ita in Euchariſtia realem corporis Domini præſentiam commonſtrent, ut inde excludant ſubſtantiam panis; tamen cum hanc ſibi permanere contendant Lutherani, poſt quoſdam obſcuri nominis diſcipulos Berengarii: illud nunc peculiari diſputatione diſquiram, an revera cum Chriſti corpore ac ſanguine non ſolum *accidentia* perſiſtant, verum etiam *ſubſtantia* elementorum, ſive, quod idem eſt, admittenda num ſit aſſerta a Catholicis *Tranſubſtantiatio*. In titulo autem quæſtionis *Conſubſtantiationem*, & *Impanationem* commemoravi, propterea quod non eodem tramite incedunt hoſtes: ſed quidam cum Oſiandro commenti ſunt inter panem & corpus Chriſti ineffabilem quamdam, & *hypoſtaticam* unionem, qualis eſt inter naturam humanam & *hypoſtaſim* divini Verbi, & quam ſolent appellare *Impanationem*: quidam tenent ſubſtantiam panis ita corpori Dominico ſociari, ut conjungantur utrique, ſed abſque vinculo ſubſtantialis & *hypoſtatica* unionis, quam ſententiam ſequitur Lutheranorum major numerus: atque horum dogma *Conſubſtantiationem* vocitamus. Nos ergo totam ſubſtantiam panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Domini tranſmutari defendimus: quod licet conſtet ex dictis, proximo nihilominus theoremate confirmamus.

PROP. In Euchariſtia non manet panis vinique *ſubſtantia*, ſed vi conſecrationis in *ſubſtantiam* corporis, & ſanguinis Chriſti convertitur.

Id enim ſequentia momenta manifeſto evincunt. I. Chriſtus Euchariſtiam conſecrans ait: *Hoc eſt corpus meum*, corporis duntaxat, non panis mentionem faciens; non enim pronomen *Hoc* ad panem poteſt referri, cum illud ſit neutrius generis. Qua ergo ratione perſuadebunt nobis Lutherani, in illa enuntiatione panis ſubſtantiam comprehendi? Præterea propoſitio illa *effectrix* eſt, quandoquidem inducit, fatentibus Lutheranis, corporis Chriſti præſentiam: at non ſignificat eadem propoſitio corpus Chriſti poni *cum pane*, aut *in*, aut *ſub pane*; quippe non ait Salvator, *In hoc*, aut, *Cum hoc*, aut, *Sub hoc pane eſt corpus meum*, ſed, *Hoc eſt corpus meum*; denotat ergo ita poni corpus Chriſti, ut deſinat eſſe ſubſtantia panis. Rurſus ex quo duo aut ſint unita, aut ſimul exiſtant, aut unum ſit in altero, non ſequitur quod unum de alio queat enuntiari, præſertim ſi ambo ſubſtantia ſint, atque in ſuo genere diſparata. Neque enim dicimus, *Anima eſt corpus*, *Deus eſt mundus*, *Pictura eſt paries*; licet anima unîatur corpori, licet Deus in mundo ſit, licet pictura adhæreat parieti. Igitur neque per unionem, neque per inhærentiam, neque per intimam penetrationem Dominici corporis poteſt de ſubſtantia panis vere enuntiari, *Hoc eſt corpus meum*. Deinde fatetur Lutherus *vere* ac *ſubſtantialiter* manducari a nobis Chriſti carnem, cum proprie accipienda ſint ea Chriſti verba, *Caro mea vere eſt cibus*; per ſolam autem unionem ſubſtantiæ panis ad ſubſtantiam corporis & carnis Chriſti, niſi ſit unio *hypoſtatica*, non conſequitur eamdem carnem vere manducari; quemadmodum, inquit Eſtius in diſt. XI. §. 1. non ſequeretur, Filium Dei paſſum, crucifixum, ac mortuum eſſe, ſi homo ille, qui paſſus, crucifixus ac mortuus eſt, fuiſſet filio Dei ſola *morali*, ut ajebat Neſtorius, unione conjunctus. Quod ſi unio admittatur inter panem & corpus Chriſti *hypoſtatica*, quanta non conſequuntur abſurda! Conſequitur divinum Verbum aſſumere in unionem *perſonæ* irrationalem ſubſtantiam, & (quod neque in myſterio contigit Incarnationis) ſubſtantiam præditam præexiſtentia ſua, idque non ſemel, ſed unaquaque die ſæpenumero; ut mittam conſectaria omnia regularum communicationis idiomatum, de quibus lib. XXVII. cap. 1. Demum a Luthero, qui ſæpe monet verba inſtitutionis Cœnæ accipienda eſſe *juxta nudam Grammaticæ intelligentiam*, ne adverſariis tribuatur occaſio eludendi Scripturas, illud peto, In hac propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, ubinam panis commemoratur? Si quando legimus, *Accepit Jeſus panem*, intelligere debemus panem *ſolum*; cur quando dicit, *Hoc eſt corpus meum*, non debemus intelligere *ſolum* corpus? Quibus vocabulis potius, quam iſtis, abſque fuco, & ambiguitate orationis explicare poſſet idem hæreſiarcha *tranſubſtantiationem* a Catholicis propugnatam? Verum de priori momento hactenus. II. Quoniam inter nos ac Lutheranos convenire non poteſt; neceſſum eſt ad Judicem aliquem appellemus, atque ad Eccleſiam univerſam in Conciliis Œcumenicis congregatam, maxime quod adverſarii nec patiuntur judicium aut Calvini, aut Zuinglii, aut cujuſpiam e Sacramentariorum ſactione; illi autem pars ſunt litigantium, ac nullam in propria cauſa habent auctoritatem. In Concilio itaque Lateranenſi IV. celebrato anno 1215. ſub Innocentio III. capite *Firmiter*, definitur contineri in Euchariſtia corpus, ac ſanguinem Domini ſub ſpeciebus panis & vini *tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divina*. Tridentinum vero ſeſſ. XIII. cap. IV. ad hunc loquitur modum: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus: quæ converſio convenienter & proprie a ſancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata*. Scio reſpondere hæreticos, inauditum *tranſubſtantiationis* dogma ante memoratam ſynodum Lateranenſem: at præſtat paucis reſponſionem iſtam excutere. Principio non tantum dogma, ſed & *Tranſubſtantiationis* vocabulum expreſſum legitur apud Petrum Bleſenſem epiſt. 140. Floruit autem Petrus tempore Alexandri III. obiitque circa exitum ſeculi duodecimi: adinvenitur eadem vox in Tract. de Sacram. Altaris circa idem tempus conſcripto a Stephano Epiſcopo Eduenſi, cap. 13. necnon in Confeſſione Albigenſium, cujus meminit in litteris datis anno 1160. Petrus tituli S. Chryſogoni Cardinalis, apud Baronium eodem an. num. 28. Atque hæc Tournelius pag. 125. aliique obſervarunt. Deinde XI. ſæculo Berengarius fatebatur omnes fideles, quos *vulgi inſanientis* nomine traducebat, tranſubſtantiationis dogma tenere, idemque ipſe ad meliorem redactus frugem profeſſus eſt: ex quo *conficitur*, inquit Præf. 2. in ſæculum VI. Benedict. Cl. Mabillonius, *falli heterodoxos pleroſque, qui novum in Eccleſia Tranſubſtantiationis dogma eſſe, nec ante Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. invectum contendunt*. Præterea Philippus Moranæus in *Myſt. iniquitatis* pag. 141. de temporibus Caroli Magni, & Adriani Pontificis ſcribit, *Tranſubſtantiatio jam exerebat caput*: quem locum exagitans Coquæus noſter in Antimornæo pag. 386. *Miror*, inquit, *qui ſcribat Tranſubſtantiationem jam tum exeruiſſe caput, cum ita ſcribat Calvinus lib. IV. Inſtit. cap. 17. n. 15. Bernardi quidem ætate (nimirum quadringentos poſt annos) etſi durior invaluerat loquendi ratio, Tranſubſtantiatio tamen nondum agnita erat. Quomodo tantus diſcipulus diſcedit a tanto magiſtro? Si Satanas Satanam ejicit, ait Dominus Matth.* XII. *adverſus ſe diviſus eſt. Quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Qua ratione tandem fieri potuit, ut anno 1215. Epiſcopi CCCCXII. Primates, ac Metropolitæ LXXI. Regum, ac Principum omnium Oratores, Religioſi viri in dignitate conſtituti ſupra DCCC. ac tantus Theologorum numerus, ut Synodus illa antonomaſtice appelletur *Magna*, nullo renitente probarit dogma, quod, ſi hæreticos audiamus, novum erat, ignotum majoribus, inducebatque idololatriam in univerſum Chriſtianum orbem? III. Verum, ut mittamus diſputationem de nomine, quæ prorſus vana eſt, cum quælibet hæreſis compulerit Patres ad intrudenda nova vocabula, ut diximus præced. Volum. pag. 169. aliiſque in locis; id, quod nos intelligimus *Tranſubſtantiationis* nomine, converſionem ſcilicet ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, illud idem unanimi conſenſu tradiderunt Latini, Græcique Patres. Quid eſt enim acceptum panem *facere corpus Domini*, panem ſanctificatum *in corpus Dei Verbi tranſmutare*, id quod eſt in calice *converti in illud, quod fluxit de Chriſti latere*; quid, inquam, iſtud eſt, niſi quod nos *Tranſubſtantiationis* nomine deſignamus? Hæc vero tradidiſſe Patres ſuperiori capite demonſtravimus. Nec aliud ſane evincunt rationes, quibus iidem Patres veritatem corporis Chriſti ſuadere conantur; veluti, dum inquiunt verbo Dei immutari naturas rerum, & quemadmodum Chriſtus aquam convertit in vinum, ita vinum in ſanguinem ſuum convertiſſe. Huc ſpectant hortationes illæ frequentiſſimæ, ut ſine hæſitatione credamus panem poſt conſecrationem non eſſe panem, ſed mutari naturas elementorum, quidquid nobis ſenſus exhibeant. IV. At cum hæc ex teſtimoniis ſupra productis ſint apertiſſima, tentant fucum facere Novatores Græcorum verborum proprietate, aſſerentes in Orientalium ſcriptis hæc tantum occurrere, *μεταβάλλειν*, *μεταῤῥυθμίζειν*, *μεταποιεῖν*, *μεταβαίνειν*, *μετασκευάζειν*, quæ *mutationem* quidem denotant, non autem *μετουσιοῦν*, *tranſubſtantiationem*. Ceterum videant, quam imperite ratiocinentur. Concedunt reipſa mutationem & converſionem aliquam fieri. At hæc mutatio non fit, ut conſtat, *in accidentibus, ac ſpeciebus*: fit igitur in *ſubſtantia*. Norunt deinde Grammatici *μεταβάλλειν*, non eſſe tantum *tranſire*, aut *invertere*, ſed etiam *contrariam qualitatem contrahere*, apud Ariſtot. 6. de Animal. *cibum concoquere*, & vertere in ſubſtantiam aliti, apud Alex. Aphrod. in præf. lib. 1. problemat. ac *degenerare de una ſpecie in aliam*, apud Henricum Stephanum, & Budæum: quod de aliis præcitatis verbis docent univerſa Græcorum Lexica. Patres deinde Græci non ſcribunt ſolum, *panem converti*, ſed *εἰς σῶμα τοῦ Θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι*, ita tranſmutari, *ut ex pane fiat corpus Verbi Dei*, quemadmodum ait Nyſſenus cap. 37. orat. Catecheticæ, atque, ut addit proximo capite, *Tranſelementata in idem corpus eorum, quæ apparent, natura*, *Πρὸς ἐκεῖνα μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν*, tom. 2. pag. 537. Addit Cyrillus Ca-

los Catech. iv. pag. 532. ita mutationem hanc fieri, ut pro certo habendum ſit, ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἄρτος ἐστίν, *panem, qui videtur, non eſſe panem*; quæ abſque *tranſubſtantiatione* a nobis propugnata nequeunt conſiſtere. Inſuper Withembergenſes donantes latinitate Cenſuram Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, in qua legitur, ἄρτος μεταβάλλεται εἰς αὐτὸ σῶμα τὸ τοῦ Χριστοῦ, *Panis mutatur in ipſum corpus Chriſti*, hoc vocabulum e regione Græci textus appoſuere, Μετουσίωσις, atque ex alia parte Latinum, *Tranſubſtantiatio*: ideoque nullum inter μεταβάλλεσθαι, ac *tranſubſtantiari*, agnoverunt ipſi Lutherani diſcrimen. Quid plura? Etiam vocabulum μετουσίωσις, frequentiſſime legitur in Apologia Gabrielis Philadelphienſis: in qua pag. 15. de ſymbolis legitur, πρὸ τοῦ μετουσιωθῆναι, *priuſquam tranſubſtantientur*, & pag. 19. ἄλλο ἅγιος ἄρτος καὶ οἶνος, καὶ ἄλλο μετουσιωμένος ἄρτος καὶ οἶνος. Πᾶς μὲν γὰρ μετουσιωμένος ἄρτος καὶ οἶνος ἐστὶν ἅγιος, καὶ τέλειος, καὶ σὰρξ Χριστοῦ. *Aliud eſt panis ſanctus, & vinum, & aliud panis tranſubſtantiatus, ac vinum; omnis panis cum vino tranſubſtantiatus eſt ſanctus, perfectus, & caro Chriſti*. Habes ergo in ſcriptis Græcorum *Tranſubſtantiationis* dogma & vocabulum. Quamquam autem Gabriel eſt ceteris junior (quod forte reponent hæretici verſutiſſimi) expoſuiſſe tamen illum communem Orientalium fidem teſtati ſunt Dionyſius Protoſyncellus, & Georgius Coreſius Chius: neque unum invenies ex Græcis, qui huic adverſetur, ſi excipias Cyrillum Lucarim, apoſtatam hominem, fideique patriæ deſertorem, & quem damnatum a ſuis confugiſſe ad caſtra Calviniſtarum, narrant Allatius lib. 3. de Eccl. Occident. & Oriental. Conſ. Arnaldus in ſua ad Claudium Reſponſione, atque in notis ad Apologiam Gabrielis Riccardus Simon. Itaque refelluntur Lutherani Latinorum, Græcorumque perantiqua traditione, firmiſſimoque conſenſu. V. Tanta præterea eſt perverſi dogmatis abſurditas, ut nullum apud alterius factionis homines invenerit patrocinium. Etenim Johannes Hus apud Pezibramum inquit: *Chriſtus verbi ſui ineffabili virtute panem & vinum tranſubſtantiat in propriam carnem, & ſanguinem*; & in Carmine de cœna Domini apud Jodochum Hockerium ſic legitur:

Ave deitatis forma
Dei unionis norma;
In te quiſque delectatur,
Qui de fide ſpeculatur.
Non es panis, ſed es Deus
Homo, Liberator meus,
Qui in cruce pependiſti,
Et in carne defeciſti.

Hieronymus quoque Pragenſis interrogatus de pane poſt conſecrationem, an maneat, teſte Poggio Florentino in Epiſtola ad Leonem Arretinum, reſpondit *apud Piſtorem remanere panem*. Ita ergo cenſent, qui ante Lutheri apoſtaſiam vexarunt Eccleſiam, perditiſſimi Huſſitæ. Quid vero hæretici poſt Lutherum exorti? Zacharias Urſinus Hidelbergenſis in Miſcell. catech. 7. *Lutherani*, inquit, *accuſant Chriſtum mendacii: negant enim panem eſſe ipſius corpus, ſed dicunt corpus eſſe in pane: videant igitur, quomodo in extremo judicio de hac blaſphemia & calumnia ſint Chriſto reſponſuri. Papiſtæ magis retinent verba Chriſti*. Zuvinglius in epiſt. ad Joannem Bugenhagium querebatur, *non poſſe Antichriſtum profligari, niſi & errore conſubſtantiationis profligato*. Conſenſus, ut dicitur, Orthodoxorum Sacram. §. *Ut vero*, ita loquitur: *Quam multum conſubſtantiationis error tranſubſtantiationi præſtet, nemo facile dixerit: abſurdiorem certe eſſe, & a Chriſti verbis alieniorem Theologi Scholaſtici, homines acutiſſimi obſervarunt*. Scharpius in Curſu Theolog. art. de S. Cœna cap. de Conſubſtant. *Jam*, ait *de conſubſtantiatione dicendum erit, quæ hæreſis antiqua eſt, quam Lutherus ſecutus eſt, &c.* Plura vide in Converſione Joannis Georgii Rat. 36. cap. 5. & apud Lindanum in Apolog. Relig. Catholicæ. VI. Talis denique eſt cauſa, pro qua pugnamus, ut nec ipſos Lutheranos judices formidemus. Idem namque Lutherus in libro de abroganda miſſa fol. 253. ſcripſit, *Chriſtum Dominum verbo virtutis ſuæ panem in corpus ſuum mutaſſe*. In Confeſſione magna de Cœna Domini commendat Nicolaum Papam, quod Berengarium adegerit ad palinodiam, ibique ſe cum Pontificiis ſentire teſtatur: ac pariter in Confeſſ. minori affirmat ſe tenere de Cœna ſententiam, quam Eccleſia ſemper ſervavit ſub ipſo quoque Papatu; ſunt quippe ejus verba: *Sic Papiſtæ docent, imo non Papiſtæ, ſed ſancta Chriſtiana Eccleſia, & nos cum ipſis*. Damnarunt propterea Lutherum tamquam nobis conſentientem præcitatus Conſenſus Orthodoxorum, Beza ad 1. partem libri Brentii, Wolfangus Muſculus in Epiſt. ad Martinum Bucerum, aliique apud Sculterum in 2. decade Annalium. Confeſſio Auguſtana, ut anno MDXXX. oblata fuit in Comitiis Auguſtæ Carolo V. articulum x. ad hunc modum exhibuit: *De cœna Domini docent, quod corpus & ſanguis Chriſti vere adſint, & diſtribuantur veſcentibus in cœna Domini, & improbant ſecus docentes*. Ubi, etſi aperte non tradatur *tranſubſtantiatio*, nulla tamen ſubſtantiæ panis fit mentio, quam feciſſent utique Confeſſionis auctores, modo in re tanti momenti noluiſſent invictiſſimum Imperatorem, & Catholicos Principes latente perfidia decipere: Atque idcirco ad articulum illum decimum ita reſcriptum eſt, *Decimus articulus in verbis nihil offendit*: quod Lutherani quidam audaciſſimi, cum obmuteſcere deberent, nobis objiciunt, pro genuino illo articulo obtrudentes Confeſſionem vitiatam anno MDXL. in qua legitur: *De cœna Domini docent, quod cum pane & vino vere exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in cœna Domini*. Indignatur Catholicis Philippus Melanchthon in Apolog. art. 2. quod hunc articulum decimum ex Germanico exemplari exhibito Auguſtanis Comitiis non repetant. At exemplar Germanicum cohæret magis cum doctrina Catholica, utpote quod non commemorat *ſubſtantiam* panis & vini, ſed tantummodo *ſpecies*: nam, ut recitatur a Valentino Erithræo Lutherano ad annum MDLXV. adverſus Sacramentarios, idem articulus in autographo Germanico ſic legitur: Von dem abendmal des Herrem virdt alſo geleret / das warer leib und blut Chriſti warhafftiglich under geſtalt des brodt vnd weins im abendmal gegenwertig ſey / vnd da auſs geteylet und ge nomen wirdt. Latine: *De cœna Domini docent, verum Chriſti corpus, & ſanguinem vere ſub ſpecie panis & vini in cœna eſſe præſens, in eademque diſtribui & accipi*. Huic ad verbum reſpondet Confeſſio Auguſtana, verſa in linguam Belgicam ac typis cuſa Weſaliæ anno 1563. Ajebat proinde Marcus Tilmannus Heshuſius inter Lutheranos percelebris, periculoſe Proteſtantes adſtringi ad Confeſſionem Auguſtanam, quam cum ſua Apologia appellabat *humanum ſcriptum*, corrigendum, & doctrina contaminatum. Vide Lindanum tom. 2. Apologetici pag. edit. Plantinianæ 95. Ipſe demum Melanchthon Confeſſionis & Apologiæ auctor, ac ſignifer Lutheranorum, anno 1530. edidit librum adverſus Œcolampadium, ubi accumulavit veterum Patrum teſtimonia, quibus expreſſe aſſeritur converſio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti. Profert hæc verba Chryſoſtomi, *Non eſt figura tantum & exemplar quoddam Dominici corporis panis, ſed in illum convertitur corpus Chriſti*: hæc alia Cypriani, *Panis iſte non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia factus eſt caro*; multa denique Ambroſii, quibus productis ait: *Hæc tam longa recitatio exemplorum oſtendit auctorem ſenſiſſe, panem non eſſe tantum ſignum, ſed naturam panis mutari*. Talia Melanchthon. Nullus itaque error, hæreſis nulla deteſtabilior eſt, ſimulque improbabilior hac *de Conſubſtantiatione*, ſive *de Impanatione*: quam prædamnavit Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, præfocarunt Eccleſiæ Patres, anathematizarunt plenariæ Synodi, refutarunt Occidentales & Orientales conſenſu unanimi, exoſam habuerent prædeceſſores Lutheri, oppugnarunt aliæ Novatorum ſectæ, tradidit ſibi ipſi repugnans Apoſtata Islebienſis, confixit, aut ſaltem probroſe occuluit Auguſtana Confeſſio, hujuſque apologiſta olim rejecit, ac profligavit: quæ omnia ſunt a nobis evidentiſſime commonſtrata.

AD EA, QUÆ OBJICIUNTUR, RESPONSIO.

Opponunt autem hæretici: Ex Scripturis eruitur potius dogma Lutheranorum. Enimvero Euchariſtia appellatur *Panis*, Lucæ XXIV. 35. & in 1. ad Corinth. x. 16. & 11. 26. 28. ideoque in illa remanet panis *ſubſtantia*. Præterea ex verbis Domini, *Hoc eſt corpus meum*, male inferunt Catholici *tranſubſtantiationem*. Nam idem Dominus Joan. VI. 51. inquit: *Ego ſum panis*. At cum ait, *Ego ſum panis*, non ſe mutavit in panem; dicens ergo, *Hoc eſt corpus meum*, non tranſmutavit panem in corpus ſuum. Atque hoc argumentum urgebat Petrus Martyr in libro contra Gardinerum num. 13. Inſuper ſalvatur veritas hujus propoſitionis, *Verbum caro factum eſt*, per unionem humanæ, divinæque naturæ: igitur & conſtabit veritas alterius, *Hoc eſt corpus meum*, per unitionem utriuſque ſubſtantiæ. Ad hæc, inquiunt communiter Lutherani, de ferro, quod pervaſerit ignis, recte dicimus, *Hic eſt ignis*, & de dolio, quod vino ſit plenum, *Hoc eſt vinum*, nulla facta aut in ferro, aut in dolio mutatione ſubſtantiæ. Cur ergo ſubſtantiæ mutationem inferendam eſſe arbitramur ex enuntiatione illa conſimili, *Hoc eſt corpus meum*?

Reſp. hæc nullius eſſe momenti. Cur enim Euchariſtia appelletur *Panis*, explicatum eſt priori Regula capitis præcedentis. Quod ſequitur eſt Petri Martyris argutum cavillulum: nam Lutherani in iis verbis, *Ego ſum panis*, agnoſcunt metaphoram, quam negant in verbis Cœnæ, propterea quod non abſolute Chriſtus appellavit ſeipſum *panem*, ſed *panem vitæ*, ideſt comparate ad manna, de quo eo loci fit ſermo: quod Salomon Glaſſius lib. v. Philolog. ſacræ tract. 1. cap. 11. contendit eſſe *metaphoræ ſignum evidens*. Deinde retorquetur illa argumentatio adverſus heterodoxos. Enimvero propoſitiones a Chriſto enuntiatæ, cum ipſe ſit infallibilis veritas, aut veritatem ſupponunt, aut efficiunt. Hæc propoſitio, *Ego ſum panis vivus*, ſupponit Dominum Jeſum eſſe panem ſuperſubſtantialem, quo fruuntur Angeli, ideoque id hæc enuntiatio non efficit. Igitur propoſitio iſta, *Hoc eſt corpus meum*, cum non præſupponat realem corporis Chriſti præ-

ſti præſentiam, illam efficiat neceſſum eſt. Si autem Deus facit, ut *Hoc*, quod erat panis, ſit corpus Chriſti, jam deſinit eſſe ſubſtantia panis, & actio illa recte dicitur *tranſubſtantiatio*. Vide, ſi hæ minus placeant, reſponſionem aliam Bellarmini lib. 3. de Euch. cap. 24. Proximum ſic diluitur: In ea propoſitione, *Verbum caro factum eſt*, Verbum *ſubjecti* locum tenet, ideoque ipſum Verbum factum eſt caro aſſumptione humanitatis in Deum: at in iſta, *Hoc eſt corpus meum*, corpus non eſt *ſubjectum*, & conſequenter non eſt id, quod fit per unionem panis ad corpus. Probaret aliquid argumentum, ſi quemadmodum dictum eſt, *Verbum factum eſt caro*, ita dictum eſſet, *Corpus meum factum eſt panis*: at neque hanc loquendi formam adhibuit Chriſtus, nec panem omnino nominavit, ſed nude ac demonſtrative inquit: *Hoc eſt corpus meum*. Jure in adverſarios hoc idem argumentum intorquet Eſtius diſt. XI. §. 1. Do inſuper aliam expeditiſſimam reſponſionem. Ne ſuſpicemur converſionem naturarum in illa enuntiatione, *Verbum caro factum eſt*, facit & immutabilitas divinæ naturæ, & quod immediate ſubjicitur, ſcilicet, *Et habitavit in nobis*; quibus verbis commonſtrari divinæ, humanæque naturæ diſtinctionem, oſtendi ratione & auctoritate diſputant adverſus Eutychianos lib. XXVI. cap. 18. In caſu autem noſtro neutrum habetur; quoniam neque panis ſubſtantia immutabilis eſt, neque ſubjiciuntur verba, ex quibus inferri poſſit eam permanere. Ad exempla adducta poſtremo loco hæc ſit reſponſio. Docent Rhetorici, atque inter hos Glaſſius Lutheranus præcitat. tractatu 1. cap. 17. ubi agit *de ſynecdoche partis*, unam rem enuntiari de alia, aut partem uſurpari pro toto ex conſuetudinario ſermone, hominumque inſtituto, quando vel eſt pars eſſentialis, quo ſenſu *anima* accipitur pro toto homine: vel pars integralis, quo ſenſu *caro* idem eſt, quod corpus: vel pars rei aggregatione compactæ, quo ſenſu *murus* idem ſonat, ac civitas; vel qualitas inhærens, aut res contenta, quo ſenſu *urbs* ſignificat populum, *lux* ſolem, *domus* familiam. Quadrant hæc quidem in exempla producta, ſed non in verba Cœnæ, *Hoc eſt corpus meum*; ſiquidem nulla hominum inſtitutione, nulloque uſu ſermonis hoc vocabulum *Corpus* deſignat partem aliquam, vel accidens inhærens pani, ſed ſubſtantiam omnino diſparatam, ac ſubſiſtentem. Addo Schluſſerbergium Lutheranum fateri verba Chriſti tam clara eſſe, *ut nullus Angelus e cælis, nullus homo in terris poſſit clarius loqui*; ideoque nullam in illis tranſlationem debemus excogitare.

Opp. 2. Antiquiores Scholaſtici tradiderunt ex Scripturis non poſſe *tranſubſtantiationem* invicte probari. Ita Ochamus in IV. q. 6. Scotus, Paludanus, Argentinas, aliique in IV. diſt. XI. Ipſe Bellarminus lib. 3. de Euch. cap. 23. de Scoto hæc ait: *Dicit non extare locum ullum Scripturæ tam expreſſum, ut ſine Eccleſiæ declaratione evidenter cogat tranſubſtantiationem admittere. Atque id non eſt omnino improbabile*. Similia Franciſcus Suarez tom. 3. in 3. p. diſput. 49. ſect. 2. Durandus autem in IV. diſt. XI. q. 3. aperte negat *materiam* panis tranſubſtantiari, atque in ſola *forma* agnoſcit converſionem: quemobrem graviter reprehenditur a Bellarmino in præcitato lib. cap. 13. atque ab Honorato Tournely q. 3. art. 2. Non ſunt ergo verba Scripturæ tam aperta, ut invicte *tranſubſtantiationem* commonſtrent.

Reſp. Hoc unum velle acutos illos diſputatores, quod ſpreta omnino Eccleſiæ Catholicæ auctoritate nullum ſit Scripturæ teſtimonium, quod non poſſit in pravum ſenſum torqueri; & illud maxime, *Hoc eſt corpus meum*, talis eſſe generis, ſi hæc verba nude accepta philoſophicis altercationibus ſubjiciantur. Quod utique Scholaſticorum judicium confirmant Lutheri, Calvini, & Zuinglii de iiſdem verbis oppoſitæ, & nullatenus ad concordiam revocandæ ſententiæ. Nos autem etiam auctoritate Eccleſiæ præciſa, ſive non ſpectatis de *tranſubſtantiatione* decretis, arbitramur Lutheranos eodem Scripturæ teſtimonio refelli, quoniam accipiendum eſt, ipſis quoque fatentibus, in ſenſu obvio, planiſſimo, & quem verba præferunt. Talis autem ſenſus eſt, id, quod manibus Chriſtus ferebat, poſt ipſorum verborum pronuntiationem, *corpus* eſſe, non *panem*. Nihil proinde ad nos attinet quorumdam diſputantium opinio de ſenſu, qui poſſit Dominicis verbis aptari; quando adverſarii nos provocant ad planum, & litteralem. Verumtamen ego non Scholaſticos Lutheranis opponam, etſi opponere poſſem ſanctum Thomam q. 75. art. 2. alioſque ſexcentos, ſed Claudium Salmaſium hæc adverſus Grotium pag. 516. pronuntiantem: *Si ad litteram accipiantur verba Chriſti, ut debere accipi contendunt doctiſſimi Lutherani Theologi, longe magis doctrinæ Pontificiorum favent, quam Lutheranæ. Dixit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum, cum panem traderet. Ergo non amplius panis eſt, ſed corpus Chriſti, ut ille, qui veritas eſt, affirmavit*. Durandus, ut in oppoſitione dictum eſt, refutatur a doctis viris: & quidem jure, meritoque; nam ſi permaneat *materia* panis, remanet etiam *ſubjectum accidentium*, quod damnatum eſt ſeſſ. VIII. Concilii Conſtant. neque fit in Euchariſtia mutatio *totius ſubſtantiæ panis*, quod repugnat Tridentino ſeſſ. XIII. cap. 4. can. 2. Attamen, ut nec Durandum vellicem, dico nomine *materiæ* intellexiſſe quantitatem, in ſententia Peripateticorum a ſubſtantia diſtinctam, ſiquidem eadem diſt. XI. quæſt. 1. ſcribit: *Subſtantia panis & vini convertuntur in ſubſtantiam corporis Chriſti*, quibus verbis *tranſubſtantiationem* profitetur; additque ſtatim: *Mediante tali converſione corpus & ſanguis Chriſti virtute divina habent talem ordinem, ſeu habitudinem ad ſpecies, ſub quibus fuerunt panis & vinum*, quibus videtur aſſerere, quod exiſtant abſque proprio ſubjecto *ſpecies*, & accidentia.

Opp. 3. Inauditum fuit ante Lateranenſem IV. ſynodum vocabulum *Tranſubſtantiationis*. Conſenſu autem Pontificiorum fides catholica novis revelationibus nequit inniti, ut docent S. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. Canus lib. 2. de Locis cap. 1. ac Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. Fluxa ergo eſt fides *tranſubſtantiationis* ante XIII. ſæculum prorſus ignota.

Reſp. hoc argumentum Hornæji lib. 2. Theol. cap. 3. num. 167. puerilem eſſe luſionem, & a vocabulo ad rem vitioſum tranſitum. Quod ſpectat ad nomen, (quamvis longe ante ſynodum Lateran. *tranſubſtantiatio* nominata ſit, ut ſupra oſtendimus) recte nova vocabula uſurpari ad novos errores eliminandos, evincunt voces ὁμοούσιος, & Θεοτόκος, quarum primam Nicæna, alteram Epheſina Synodus conſecravit. Quantum vero attinet ad dogma; id, quod nos explicamus *tranſubſtantiationis* vocabulo, ſignificarunt Veteres nomine *converſionis*, *mutationis*, atque *tranſelementationis*, ut conſtat illorum teſtimonia pervolutanti. Immo ſi antiquorum aliquis ſubobſcure, ac etiam falſo, non explorata traditione, aut nondum latis ab Eccleſia definitionibus, dogma illud expoſuiſſet; non idem dicendum foret, poſteaquam Eccleſia in Spiritu ſancto congregata diligentius veritatem inveſtigavit, & manifeſtius tenendam, credendamque propoſuit. Id namque utilitatis & commodi nobis hæreſes contulerunt, ut quod nullo contradicente ſecuri tradiderunt majores noſtri, contrariantente hæreticorum petulantia, quaſi vento nubes diſſipante, planum modo ſit, & meridiano ſole ſplendidius.

Ob. 4. At ſummi in Eccleſia Doctores docuerunt permanere cum Domini corpore *ſubſtantiam panis*. Enimvero S. Joannes Chryſoſtomus in Epiſtola ad Cæſarium Monachum refutans hæreſim Apollinarii, & Synouſiaſtarum aſſerentium in Chriſto *admirandam commixtionem, qua Deus & homo effecti ſiat una eademque natura*, ut inquit Ephræmius Antiochenus apud Photium cod. 229. demonſtrat unum filium, & unum Dominum habere utriuſque naturam dominationem, & poteſtatem, etiamſi naturæ non conſubſtantiales exiſtant, & unaquæque ſervet proprietatem ſuam incommixtam, atque ad hoc oſtendendum utitur exemplo Euchariſtiæ: *Sicut*, inquit, *antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia, mediante ſacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus eſt Dominici corporis appellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora, ſed unum corpus filii prædicatur: ſic & hic divina inundante corpori natura, unum filium, unam perſonam, utraque hæc fecerunt*. Expende quæſo ea verba, *Etiamſi natura panis in ipſo permanſit*, Græce, Εἰ καὶ ἡ φύσις ἄρτου ἐν αὐτῷ μέμενηκε. II. Theodoretus Dialogo 2. qui inſcribitur *Inconfuſus*, pariter inquit: *Neque enim ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura; manent enim in priori ſubſtantia, & figura, & forma, & videri, tangique poſſunt, ſicut & prius*. Hic non tantum legitur ſymbola, id eſt panem, & vinum, οὐκ τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως, *a propria non recedere natura*, ſed etiam, *manere in priori ſubſtantia*, ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας. III. Gelaſius Papa in libro de duabus naturis in Chriſto adverſus Eutychem, *Certa*, inquit, *ſacramenta, quæ ſumimus corporis, & ſanguinis Chriſti, divina res eſt; propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ. & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis & vini*. IV. Berengarius in Confeſſione approbata a Concilio Romano VI. anno 1079. & quæ extat de Conſecrat. diſt. 2. cap. *Ego Berengarius*, ait auctoritate Evangelica, & Apoſtolica traditione tenendum eſſe, *panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum ſacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*. Duo ſunt itaque in Euchariſtia, panis & vinum, id eſt, ſacramentum, ſive ſignum ſenſibile, & corpus ac ſanguis Domini.

Reſp. Chryſoſtomum nomine φύσεως, *naturæ*, intelligere *ſpecies*, & accidentium complexionem, non *ſubſtantiam* proprie dictam: primo quia negat poſt conſecrationem locum habere veram appellationem panis: deinde quia docet, non duo corpora, ſed unum prædicari; enuntiarentur autem duo, non unum, ſi coexiſterent ſubſtantia panis, & corpus Chriſti: inſuper quia affirmat naturam panis permanere *in ipſo* pane, quod profecto nequit intelligi, niſi de accidentibus, quibus natura panis veſtitur, cum ineptiſſima ſit hæc locutio,

Natura

Natura panis in pane remanet. Neque inſolitum eſt apud Patres, congeriem omnium accidentium, quæ rem aliquam ſecernunt ab alia, nomine φύσεως, & οὐσίας inſigniri. Nam Anaſtaſius in Ὁδηγῷ definit φύσιν, quaſi ſit μορφὴ τῶν ὄντων, *forma & qualitas rerum exiſtentium*. Ac Theodoretus Dialogo 2. de humore, & fluiditate, quæ ſunt qualitates materiæ, ait, τὰς ἐγχεομένας φύσεις ἀναμίγνυσθαι, *aſſines naturas miſceri*. Conſentiunt Latini, inter quos Hilarius can. x. in Matth. ſcribit, *Corpus per fidem mortificatum in naturam animæ evadit*, & Ambroſius in Hexameron lib. III. cap. 2. & de myſt. cap. 9. affirmat *naturas fuiſſe mutatas, quando e petra aqua fluxit, & ferrum aquæ ſupernatavit*, & quando Jordanis converſus *contra naturam*, reverſus eſt *in ſui fontis exordium*. Plura exempla affert Harduinus de Sacram. Alt. cap. 3. & 4. Nil ergo mirum, ſi Chryſoſtomus vocem φύσεως adhibuit ad ſignificandam accidentium panis glutinationem. Id quidem ſcite admodum fecit, comprobans unitatem *Perſonæ*, quæ naturam aſſumpſit humanam, comparatione unitatis corporis Chriſti, quod exiſtit ſub panis proprietatibus ac *ſpeciebus*. Atque hoc argumenti genus erat idoneum, aptiſſimumque ad refellendos Synouſiaſtas, *progenitores*, ut appellantur e Facundo Hermianenſi, *Eutychianæ dementiæ*; ſiquidem illi ita Verbum factum carnem affirmabant, ut proprietates carnis perierint, & Verbum non ſolum in divinitate, verum etiam in carne factum fuerit Petri conſubſtantiale. Quod ſi Chryſoſtomus affirmaſſet remanere cum Chriſti corpore *ſubſtantiam panis*, catholicam potius fidem prodidiſſet, quam propugnaſſet: recte namque ex præmiſſa ratiocinatione intuliſſent hæretici, non eſſe *unam perſonam* Dominum Jeſum, quemadmodum non ſunt *corpus unum* caro ejus & panis ſubſtantia. Atque ita Chryſoſtomus Apollinariſtas oppugnans præcinuiſſet Neſtorianis. Neceſſum demum non eſt, ut exempla, quæ producuntur, conveniant rei, de qua agitur, undequaque: ſtultumque eſt hæſitare de fide Chryſoſtomi, qui Homilia 24. in primam ad Corinthios, atque aliis in locis compluribus diſertiſſime docet non panem, ſed *corpus Domini, & ſanguinem, qui de ejus latere fluxit*, diſtribui nobis in Euchariſtia. Idem nunc, quod ad Chryſoſtomum, ad Theodoretum reſpondeo: quid enim is intelligat *ſubſtantiæ* nomine, explicat ipſemet dicens, *Illud ergo corpus priorem habet formam, figuram, & circumſcriptionem*, Καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα τὸ μὲν πρότερον εἶδος ἔχει, καὶ σχῆμα, καὶ περιγραφήν. Docet etiam eo loci *tranſubſtantiationem*, ſcribens de ſacris ſymbolis, *Alia quidem ſunt ante ſacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur, & alia fiunt*, ἄλλα μὲν εἶναι πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως, μετὰ δὲ τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται, καὶ ἕτερα γίνεται. Explicandus eſt igitur Theodoretus de accidentibus panis; præſertim ubi inſtituit diſputationem inter Eraniſtem, & Orthodoxum de forma, & circumſcriptione Dominici corporis. Cum enim Eraniſtes fateretur *tranſmutari panem in corpus Chriſti*, atque inde inferret etiam corpus Domini in aliam naturam tranſiiſſe; illud verum eſſe Theodoretus affirmans, Atqui, ait, etiam in ſymbolis myſticis remanent figura, circumſcriptio, & aliæ corporis qualitates: igitur etiam corpus Domini poſt reſurrectionem, licet immortalitate donatum, priorem tamen retinet circumſcriptionem ac formam. Etenim hoc, ut dixi, cum Eraniſte diſceptabatur, an corpus Chriſti priores adhuc habeat proprietates. Nec ſilentio prætereundum eſt, viſum Magdeburgenſibus Centur. v. cap. 4. hoc ipſo in loco Theodoretum *confirmare tranſubſtantiationem*, quamvis hunc Dialogum audacter rejecerint inter ſtipulas quinti ſæculi. Corruit eadem reſponſione quod opponitur ex libro Gelaſii, tametſi hunc ſuppoſititium aliqui ſuſpicentur cum Baronio ad an. 496. & Cano lib. 6. de Locis cap. ult. in reſp. ad 9. Gelaſii enim ſcopus eſt demonſtrare, quod ſicuti revere panis mutatur in ſubſtantiam corporis Chriſti, panis proprietatibus permanentibus; ita Verbum carnem aſſumpſerit perſeverante carnis circumſcriptione, cum hoc tamen diſcrimine, quod in actione ſacrorum myſteriorum remanet accidentium complexio, quam Gelaſius appellat *naturam*, ſed ſubſtantia panis mutatur in divinam ſubſtantiam, ſeu, quod eodem recidit, in ſubſtantiam corporis Chriſti: *Sicut*, inquit de pane & vino, *in divinam tranſeunt ſancto Spiritu perficiente ſubſtantiam, permanente tamen in ſua proprietate natura; ſic iis, ex quibus conſtat, proprie permanentibus unum Chriſtum integrum verumque permanere demonſtrant*. Similia occurrunt apud Walafridum Strabonem de Rebus Eccl. cap. 16. quamvis is, quod ſequiori ævo, quo vixit, indulgendum eſt, minus accurate ſolum *ſubſtantiæ* nomen uſurpaverit. Vide Harduinum citato Opuſculo de Sacram. Altaris cap. 8. Quod tandem additur de Confeſſione Berengarii, nullius eſt momenti: ſiquidem revera Chriſti corpus in Euchariſtia frangitur, & atteritur, non ratione ſui, ſed *ratione ſpecierum*, ut lib. IV. de Sacram. altaris cap. 10. docet Innoc. III. & Hugo lib. 6. de Sacram. cap. 9. Notandum tamen eſt, quod in Confeſſione Berengarii edita Romæ in Concilio VI. Gregorii VII. anno 1079. non extant verba, quæ habentur in objectione. Sunt ea quidem in Confeſſione altera Berengarii facta in Romano Concilio anno 1059. ſedente Nicolao II. & ideo fuerunt appoſita, ut aperte præter ſacramentales ſpecies, quæ atteruntur dentibus, fieret mentio corporis Chriſti, quod vere ſub iiſdem ſpeciebus ſumitur, & comeditur. At in confeſſione altera anni 1079. ad quam Berengarium adegit S. Gregorius VII. aperte his verbis continetur tranſubſtantiatio, *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam, ac vivificatricem carnem, & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri, &c.* Negat utique Lucas d'Achery in notis ad Lanfrancum, emiſſam in Romana Synodo confeſſionem iſtam a Berengario; ſed oppoſitum conſtat ex authenticis Actis, & judicio clariſſimorum virorum, Lupi in VI. Concilium Gregorii VII. pag. 313. & Mabillonii in Analectis pag. 515. Addo in hujus veritatis confirmationem teſtimonium Hugonis Fleviniacenſis, qui floruit Berengarii tempore, & de laudata Gregorii VII. Synodo hæc habet in Chronico Virdun. pag. 214. *Denique Berengarius poſt longo tempore dogmatizatam impietatem erraſſe ſe coram Concilio confeſſus, veniam poſtulatam ea Apoſtolica clementia meruit, juravitque ſic*. Profert deinde Confeſſionem, de qua ſupra.

Oppones 5. Fieri non poteſt *tranſubſtantiatio* panis in corpus Chriſti, ſi in Euchariſtia maneat panis. At panem permanere evincitur ex Ambroſio lib. IV. de Sacram. cap. 4. ita diſſerente: *Si tanta vis fuit in ſermone Chriſti, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius erit, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur?* Ita Kemnitius. Adde etiam S. P. Auguſtinum aſſerere, quod in Euchariſtia permaneant *frumentum ac vinum*, lib. XVI. de Civ. Dei cap. 37.

Reſpondeo juxta Patres in Sacramento remanere panem & vinum *in genere*, & non *in ſpecie*, eo quod prior ſubſtantia non redigatur in nihilum, ſed perſiſtentibus accidentibus fiat corpus & ſanguis Chriſti. Subſtantiæ enim panis, vinique converſionem tradit eodem in loco Ambroſius ſcribens num. 14. *Panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti*: & num. 19. *Ergo didiciſti, quod ex pane corpus fiat Chriſti*. Similia Auguſtinus, de quo ſupra cap. VIII. num. 3. Mirandum tamen, nunc hæreticos ad Ambroſium, & ad libros ipſi inſcriptos de Sacramentis, confugere: quos libros Henricus Bullingerus *ſtupidos* vocat, continentes *falſa & ridicula* editor Coccianæ Cenſuræ, & Opus *proletarium* Albertinus, qui tamen horum librorum auctorem a fol. 774. uſque ad 830. ad partes Sacramentariorum trahere conatur invitum, ac repugnantem. Illud etiam notandum eſt, in Romana editione, necnon in MSS. quibuſdam, quæ vidit Lanfrancus, ea verba, *Ut ſint quæ erant*, non reperiri, ſed legi, *Ut quæ erant in aliud commutentur*: de qua lectione fruſtra Albertinus ipſi Lanfranco indignatur, quaſi textum contra fidem exemplarium viſiaverit; cum tamen nec Albertinus exemplaria omnia perlegerit, nec Lanfrancus omittat reſponſionem initio a nobis productam ſuppoſita loci, qui objicitur, germanitate.

Opp. ult. Qui *tranſubſtantiationem* propugnant, non conveniunt, inquit Heideggerus in Vindiciis num. 4. illam explicando, *Dominicanis productivam, Franciſcanis vero in inſtanti adductivam mutationem urgentibus*. Addit Titius, olim cremari ſolitum, ut refert Heſychius, ſi quid panis conſecrati remanſiſſet, id vero futurum fuiſſe immane ſacrilegium, ſi fideles perſuaſi eſſent panem *tranſubſtantiari*. Poſtremo, ait Ameſius in *Bellarmino enervate*, tolli omne ſignum externum & rationem ſacramenti, ſi deſit panis; nam ſpecies nihil aliud poſſunt ſignificare, quam id, cujus ſunt ſpecies, videlicet ipſum panem; ideoque ſi panis deeſt, ſpecies nihil omnino ſignificant.

Reſp. ad primum, ex illa ſcholarum controverſia nullum fidei generari præjudicium. Quid nos ſentiamus, colligi poteſt ex hactenus diſputatis. Omnipotentia Dei, quæ ſuperat modulum ingenii noſtri, mirabilem hanc mutationem operatur. Firmiſſime itaque ego teneo *tranſubſtantiationem* fieri, & remanere *accidentia*, modum autem ignoro. Recte Baptiſta Mantuanus in VI. Faſtorum:

Nam quæ panis erat, quæ vini eſſentia quondam,
Fecit, ut in Chriſti corpus, ſacrumque cruorem
Tranſierit ſubito, ſalvis utriuſque figuris.
Huc æterna ſuas tulit Omnipotentia vires,
Omnia quæ peragit, ſeu ſint ingentia, ſeu ſint
Parva: pare conatu illi ſunt omnia, quæ vult,
Obvia; perfacili, quæ vult habet omnia, nutu.

Quod ſequitur facile diluitur: Heſychius enim lib. 2. in Levit. cap. 8. docet igni abſumendas *ſpecies ſacramentales*, quando corruptæ abſque horrore manducari non poſſunt, ut recte obſervant Bellarminus lib. IV. de Euch. cap. 5. Cardinalis Perronius fol. 857. & in Vindiciis Bellarminianis Vitus Erbermanus. Atque id eſſe conforme Eccleſiaſticis definitionibus, dicemus infra. Ad ultimum dico permanere in Euchariſtia rationem ſigni, quoniam

remanet *viſibilis ſpecies elementorum* : affirmo etiam carnem Chriſti, quam forma panis coopertam in ſacramento accipimus, & ſanguinem, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus, ſacramentum eſſe, eoque ſignificari corpus Chriſti, *quod viſibile , palpabile , mortale in cruce eſt ſuſpenſum*, ut inquit Lanfrancus in libro contra Berengarium cap. 14. & habetur cap. *Hoc eſt* , de Conſecrat. diſt. 2. quod non ſemel hoc ipſo in libro produximus.

CAPUT XI.

Haud invicte probatur extitiſſe hæreſim Stercoraniſtarum, *quæ tamen , ſi fuit aliquando , facile refellitur & confutatur.*

INfanda plurimum eſt, ſuoque nomine deteſtabilis hæreſis, de qua temperanter dicam , videlicet , *Stercoraniſtarum* . Quid hi dogmatizaſſe credantur, ſcripſi in prænotatis VIII. cap. neque aliam explicationem obſcœna res promeretur. Nequit cadere in mentem meam , extitiſſe homines alicujus religionis atque pietatis , quorum animis vere inhæſerit *Stercoraniſmus* ; & hunc arbitror fuiſſe aut diſputantium in adverſarios ſuos probroſam criminationem, aut exoriam ex verborum ambiguitate ſententiam. Hujus vero judicii æquitas apparebit , poſteaquam de iis , qui iſtius hæreſeos inſimulantur , atque de ejuſdem inſimulationis origine & cauſa breviſſime pertractavero.

Humbertus itaque Cardinalis in Reſponſione ad Nicetam Pectoratum , quæ extat in Append. tom. XI. Annalium Baronii, & Bibl. PP. tom. XVIII. eumdem Nicetam appellavit *Stercoraniſtam* , hujuſque labis auctorem fecit Arium , ſcribens : *Sed , o perfide Stercoraniſta , qui putas fideli participatione corporis , & ſanguinis Domini , quadrageſimalia & Eccleſiaſtica ſolvi jejunia , omnino credens cæleſtem eſcam veluti terrenam per aqualiculi fœtidam & ſordidam egeſtionem in ſeceſſum emitti , plane ſentis cum Ario , qui cum pro aliis blaſphemiis in Filium Dei , tum etiam pro iſta foveam delapſus in atrum viſceribus fuſis vacuus quoque ventre remanſit* . Algerus etiam libro 2. de Sacram. alt. cap. 1. tom. 21. B. PP. pag. 276. Græcis eamdem impingit hæreſim , aut Humberti, aut alterius ſcriptoris ductus auctoritate : ait enim , *Nunc ſunt obſervanda Græcorum hæreticorum , qui merito Stercoraniſtæ vocantur , deliramenta* . Si ergo *Stercoraniſmus* apud Græcos unquam invaluit , aut id fuit vigentibus Ariana , & ſupetioribus aliis hæreſibus , aut undecimo ſæculo, exorto ſchiſmate , & Niceta Studienſi Monacho Latinos ſcriptis dilacerante. Verum quod ad antiquas attinet hæreſes , certum eſt Paulum Samoſatenſem dogmatizatum fuiſſe Chriſti ſanguinem in Euchariſtia corruptioni ac partitioni obnoxium , eo quod illum *puri* hominis ſanguinem , communique legi crederet ſubjectum : id enim in Paulo damnat ac refellit ſanctus Dionyſius Alexandrinus . Nuſquam ego legi idem aſſeruiſſe Arium , hoſtem divinitatis Verbi perditiſſimum & iniquiſſimum . Eumdem Pauli Samoſateni errorem propugnavit imperante Alexio Comneno , & circa exitum ſæculi XI. Monachus quidam Sicidites , qui affirmabat corpus Domini in Euchariſtia dentibus ſcindi & conteri , atque corruptibile eſſe, & inanime , ac proinde non totum Chriſtum percipi in ſacroſancto myſterio , ſed partem ejus duntaxat . Plura de hac hæreſi Nicetas Acominatus Choniates, & ex eo Lupus tom. 3. pag. edit. Brux. 522. Hos ergo in *Stercoraniſmum* impegiſſe , quod Euchariſtiam communibus eſcis æquaverint , probabile eſt utique , ſed minime exploratum , aut certum. Dici enim poteſt neſaria ea dogmata de corporis Dominici *natura* , non de exitu comeſtionis intelligenda eſſe , maxime ſi loquamur de Paulo Samoſateno , quem tamen Ludovicus Cellotius in Appendice ad Hiſtoriam Goteſcalchi *Stercoraniſtis* adnumerat .

Verum Nicetas Pectoratus in prænarrato ſcripto adverſus Latinos , his objecit quod in omnibus Quadrageſimæ diebus Euchariſtiam conſecrent, & ſacrum ſaciant , contendens juxta Patrum traditionem , & canones Conciliorum celebrandas Miſſas in ſabbatis tantum , Dominiciſque diebus. *Oblationem perfectæ Miſſæ* , inquit , *per omnem diem facere in ſacris diebus jejuniorum , ſicut in ſabbato , & in Dominico die , unde aſſueviſtis , & a quo doctore accepiſtis ?* Vide Baronium in App. tom. XI. pag. edit. Colon. 792. Atque ad id probandum urget Nicetas canonem 48. Laodicenſem , ſtatuentem ne panis offeratur in Quadrageſima , *niſi in Sabbato , & in die Dominico ſolo* , & 50. ſic habentem , *Quia non oportet in Quadrageſima Martyrum natalitia celebrare , ſed ſanctorum commemorationem facere in ſabbatis , & Dominicis diebus* : canonem denique 52. Trullanum , *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus , præterquam ſabbato , & Dominica , & ſancto Annuntiationis die , fiat ſacrum Præſanctificatorum miniſterium* . Hæc ita accepit Humbertus, quaſi Nicetas in ea fuerit opinione , frangi a nobis Quadrageſimale jejunium ſacrificiis & communionibus quotidianis , atque ex hoc judicio facile Humbertus deſcendit in aliud , Nicetam non ſecreviſſe ſynaxim ſacram a communibus cibis egeſtioni obnoxiis , adeoque illum appellavit *perfidum Stercoraniſtam* . Sed revera Nicetas in toto illo ſcripto, quamvis dicteriorum pleniſſimo , nunquam ait ſolvi ſacra communione jejunium , ac multo minus hanc egeri & projici ex alvo ; ſed fuit hoc fortaſſe non bene libratum , Humberti conſectarium , prout eum Mabillonio Præf. 2. in ſæculum IV. num. 67. arbitrantur viri alii graviſſimi , atque doctiſſimi . Quidquid ſit ergo de illa accuſatione ſpectante ad quotidianas Quadrageſimæ Miſſas , quam more ſuo , uberrima ſcilicet eruditionis copia retundit Lupus Schol. in præcitatum Trullanum canonem : non ſunt nobis argumenta firmiſſima , quibus demonſtremus jure attributum fuiſſe Nicetæ Pectorato nomen illud propudioſiſſimum .

Audiit præterea tanquam *Stercoraniſta* Amalarius Abbas Metenſis , & Lugdunenſis Chorepiſcopus , hujuſque hæreſis inſimulatur a Gilberto Mauguino in Hiſt. Goteſchalchi cap. 18. ubi ait hæreſim *Stercoraniſtarum* nono ſæculo exortam , a Bertramno , & Paſchaſio fuiſſe confutatam , & Amalarium præſertim damnatum anno 838. in Synodo Cariſiaca , in qua proſcripta eſt ſententia affirmantium corpus Chriſti eſſe *tripartitum* , quam loquendi rationem uſurpat idem Amalarius in libris de divinis officiis . Subſcribit Mauguino Auctor de Perpet. fidei lib. VIII. cap. II. & Amalarium refutatum a Floro , & notatum in Concilio Cariſiaco teſtatur quoque in ſuo Epitome Guilelmus Malmesburienſis . Verum his non poſſumus fidem adhibere firmiſſimam . Enimvero Amalarius interrogatus a Guntardo , cur Euchariſtia ſuſcepta ſalivam ejiceret , reſpondit ſe frequenter ſpuere , neque id tribuendum eſſe ſacrorum myſteriorum contemptui : ac ſtatim ſubnexuit quæſtionem de corpore Domini , quo nimirum abeat poſt ſacram communionem , ac tradidit non eſſe id curioſa diſquiſitione inveſtigandum . *Ita ſumptum* , ait , *corpus Domini bona intentione , non eſt mihi diſputandum , utrum inviſibiliter abſumatur in cælum , aut reſervetur in corpore noſtro uſque in diem ſepulturæ , aut exaletur in auras , aut exeat de corpore cum ſanguine , aut per poros emittatur , dicente Domino , Omne quod intrat per os , in ventrem vadit , & in ſeceſſum emittitur . Hoc ſolum cavendum eſt , ne corde Judæ ſumam illud & contemptui habeatur ; ſed diſcernatur ſaluberrimus a communibus cibis* . In his profecto *Stercoraniſmus* aperte non traditur , neque uſlibi aut Paſchaſius , aut Bertramnus accuſavit Amalarium de infami hac hæreſi . Ejuſdem utique Amalarii libros vellicat , appellatque *phantaſticis & hæreticis diſputationibus plenos* Eccleſia Lugdunenſis in libro de tribus Capitulis cap. 4. ſed attinet hæc cenſura ad Libros *de divinis Officiis* , in quibus non ſemel Amalarius mores Lugdunenſis Eccleſiæ rodit atque exagitat ; ut mittam , auctorem eorumdem librorum de divinis Officiis eſſe Amalarium Fortunatum , quem nonnulli viri percelebres contendunt diſtinguendum eſſe ab Amalario de hæreſi Stercoraria infamato . Ita potuit Amalarium notare Synodus Cariſiaca ob ſuſpicionem erroris ; quamquam dici poteſt corpus Domini *tripartitum* abſque hujus hæreſis labe , veluti ſi diſtinguas corpus verum a corpore myſtico , & illud prout naturali modo , & prout ſub ſpeciebus ſacramentalibus exiſtit . Qua in re caſtigate admodum loquendum eſt : nam quidam ætate Amalarii plurimum fuerunt exagitati , quod corpus Chriſti natum ex Virgine ab illo , quod continetur in Sacramento, ſecernerent , prout de Ratramno Corbejenſi Monacho ſcripſi præcedenti cap. IX. Regula 6.

Sequuntur Heribaldus Antiſſiodorenſis , ſive , ut legitur in vetuſtis Codicibus , Alcedmnenſis Epiſcopus , & Rabanus Maurus ex Monacho Fuldenſi Moguntinus Antiſtes , quos de *Stercoraniſmo* accuſat ſcriptor Anonymus editus a Ludovico Cellotio in prælaudata Appendice ad Hiſt. Goteſcalchi, qui ait : *Et his quidem , qui dixerunt ſeceſſui obnoxium , quod numquam antea eſt auditum , ideſt , Heribaldo Antiſſiodorenſi Epiſcopo , qui turpiter propoſuit , & Rabano Moguntino , qui turpius aſſumpſit , turpiſſime vero concluſit , ſuus ad reſpondendum locus ſervetur* . Revera Heribaldus quæſtionem hanc Rabano propoſuit , *Utrum Euchariſtia , poſtquam conſumitur , & in ſeceſſum emittitur , more aliorum ciborum iterum redeat in naturam priſtinam , quam habuerat antequam in altari conſecraretur* . Et Rabanus epiſt. 33. reſpondit , *Superflua eſt hujuſmodi quæſtio , cum ipſe Salvator dixerit in Evangelio , Omne quod intrat in os , in ventrem vadit , & in ſeceſſum emittitur* . Faciliimum eſt autem Heribaldum , & Rabanum a nota turpiſſimæ hæreſeos purgare ; ſiquidem *Euchariſtiæ* nomine hi non Chriſti *corpus* intellexerunt , ſed *ſpecies ſacramentales* , quippe iſtæ tantum ſunt *priſtina natura* exſpoliatæ ; & alias Rabanus lib. 1. de Inſtitutione Clericorum cap. 31. *Sacramentum* illud appellat *quod ore ſentitur , & in corporis redigitur alimentum* , ſymbola ſcilicet ſenſibilia . *Stercoraniſtas* demum vocat Thomas Valdenſis omnes *Impanatores* : quorum tamen hæreſis in hoc ſita eſt , ut cum ſubſtantia corporis Chriſti permaneat ſubſtantia panis unione quadam mirabili : ſed unionem hanc perſeverare in ſpecierum ſacramentalium egeſtione, ego quidem apud *Impanatores* numquam legi : immo repugnat ſententia hæc alteri apud ipſos communi , & quam anno 1536. Luthero perſuaſit

ſuaſit

Digitized by Google

ſtaſit Martinus Bucerus, & Melanchthon, Brentius, ceterique hujus farinæ adoptarunt, corpus ſcilicet Domini eſſe in Euchariſtia *in ſolo uſu*, ideſt, dum ſumitur & comeditur.

Quæret nunc aliquis, undenam potuerint laudati ſcriptores nomine hujus turpiſſimæ hæreſis diffamari, ſi commentitia ſit, & nata in hominum opinione? Hinc ego arbitror cauſam repetendam eſſe, quod non aperte ſacramentales ſpecies diſtinxerint a Domini corpore, & nomen *Euchariſtia*, quod utrumque complectitur, Amalarius, Heribaldus, & Rabanus tribuerint *ſpeciebus*, illud vero adverſarii acceperint quaſi prolatum ad ſignificandam Chriſti Domini carnem. Revera in præcitata Epiſtola 33. Rabani quæſtio Heribaldi in antiquiſſimo codice Sancti Galli, apud Mabillonium in Itinere Germanico, ita proponitur, *Utrum* ΑΥΘϹΤΡΑΚΥΗ *poſtquam conſumitur, & in ſeceſſum emittitur, &c.* ubi procuidubio ΑΥΘϹΤΡΑΚΥΗ, inverſis litteris idem eſt, atque *Euchariſtia*: pro qua tamen voce alii nonnulli codices, male utique, aut fraudulenter repoſuerunt, *Corpus Chriſti & ſanguis*. Rabanus pariter aliqualiter imitatus veterem diſciplinam arcani, permutatis elementis ſcripſit, ϹΑΚΡΑΜΗΝϬΥ *ſiropros*, *& ſintugnes ex rebus viſibilibus & corporalibus conſiſtitur*; quæ verba licet avidenter pertineant ad ſymbola, pro corpore tamen Domini ab adverſariis fuerunt accepta. Potuit & aliunde oriri ſuſpicio hæreſis. Fuerunt enim complures, qui affirmarunt, nec Sacramentalia Euchariſtiæ accidentia per *agnaliculos digeſtus fundi*, ut auctor pſeudoepiſtolæ Clementis ad Jacobum fratrem Domini: in qua ſententia fuiſſe S. Joannem Chryſoſtomum, & S. Cyrillum Jeroſolymitanum cenſet Lupus in notis ad 2. Concilium Romanum S. Leonis IX. Nil ergo mirum ſi aliqui huic ſententiæ adhærendo illos appellaverint *Stercoraniſtas*, quos norunt ſcripſiſſe accidentia Euchariſtica per egeſtum emitti.

Ex his autem colliges illud, quod in Communione dentibus atteritur, ac digeritur, eſſe ſpecies ſacramentales, quæ aliquando *ſacramentum* dicuntur, quatenus hoc nomine ſignificatur ſignum ſenſibile: unde legimus in Miſſa, *Fracto demum Sacramento, &c.* Deinde inferes abſtinendum eſſe ab hujuſmodi quæſtionibus, quæ nequeunt decenter tractari, atque interdum fœdiſſimis erroribus viam ſternunt. Colliges demum recentiores Sacramentarios perperam nobis *Stercoraniſtas* objicere, quaſi & hi negaverint realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam; tum quia fictitia eſt propudioſa illa hæreſis; tum etiam quia realem præſentiam nequaquam negat quiſquis aſſerere audet quod fertur affirmaſſe *Stercoraniſtas*; tum denique, quia nunquam Romana Eccleſia iſtorum deliramenta probavit: de quibus hæc dixiſſe ſufficiat; nam juxta monitum Auguſtini lib. 1. de Civit. Dei cap. 16. *noſtra diſputatio inter pudorem atque rationem quibuſdam coarctatur anguſtiis*.

C A P U T XII.

Ex reali corporis, & ſanguinis Domini N. J. C. præſentia in ſymbolis Euchariſticis inferuntur quædam Catholica Theoremata.

Conſequitur apertiſſime ex dictis, fruſtra opponere nobis hæreticos *artolatriam*, ſive quod pani divinum cultum exhibeamus. Id poſt Valentinum Erythræum, Claudium Salmaſium, atque Dallæum, nobis objiciunt omnes paſſim hæretici, injurioſe carpentes quidquid in Euchariſtiæ venerationem peragimus, illam adorando, religioſiſſime cuſtodiendo, populorum exponendo adorationibus, Corporis Chriſti ſolemne Feſtum ſervando, atque illud pretioſa cuſtodia incluſum in proceſſionibus circumferendo: quæ omnia recte, & ſancte a nobis fieri, tametſi demonſtret Salvatoris noſtri veri Dei, ac veri hominis ſub Euchariſticis ſpeciebus præſentia, brevi tamen ſubjectis theſibus ad majorem gloriam divinorum myſteriorum tradere, & confirmare conabor.

T H E O R E M A I.

Domino Jeſu in Euchariſtia exiſtenti Latriæ cultus eſt exhibendus. Latriæ cultum Theologi communiter appellant obſequium, ſervitutem, atque venerationem ſupremo Domino debitam, præeunte Auguſtino, qui libro x. de Civit. Dei cap. 1. num. 2. ſcribit, λατρεία *ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum*. Hoc igitur *latriæ* cultu adorandus eſt Chriſtus Jeſus, Deus verus, & Dominus univerſorum, ac *primogenitus* ille, quem ab omnibus angelis adorandum juſſit divinus Pater, cum illum introduceret *in orbem terræ*, ut Apoſtolus ait in Epiſt. ad Hebr. 1. 6. & in cujus nomine flectendum *omne genu*, docet idem Paulus ad Philipp. 2. 10. Cum autem uberrima argumentorum copia demonſtratum ſit, ipſummet Domini ac Dei corpus & ſanguinem in Euchariſtia contineri, quis, niſi hoſtis ejus divinitatis & majeſtatis, audeat ei denegare *latriæ* cultum? Jure itaque Tridentina Synodus ſeſſ. XIII. can. 3. in heterodoxos ire vibrat anathema: *Si quis dixerit in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, &c. anathema ſit*. II. Hanc autem adorationem nobis etiam Eccleſiæ Patres præcipiunt: nam ex Græcis Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. v. myſtagogica pag. 546. jubet ne ad ſacram ſynaxim quis accedat expanſis manuum volis, ſed ſiniſtra ſubjecta dexteræ, *quæ tantum Regem ſuſceptura eſt*, atque *pronus adorationis in modum & venerationis*, κύπτων, καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως, καὶ σεβάσματος. Gregorius Nazianzenus Orat. funebri in laudem Gorgoniæ ſororis ſuæ tom. 1. pag. 186. *Ad altare*, inquit, *cum fide procumbit, eumque qui ſuper ipſo honoratur, cum ingenti clamore invocans, &c.* τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ᾽ αὐτοῦ τιμώμενον ἀνακαλέσασα μεγάλῃ τῇ βοῇ, καὶ πάσαις ταῖς κλήσεσι, *&c.* ubi eum, qui ſupra altaria honoratur, declarat eſſe Chriſtum, cujus fimbriam tetigit mulier laborans profluvio ſanguinis, cujus pedes mulier alia rigavit, & cujus ibi ſervantur ἀντίτυπα τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος, *pretioſi corporis ſanguiniſque myſteria*. Chryſoſtomus Homilia VII. in Matth. demonſtrat Magos adoraſſe puerum Jeſum & in aſſumpta carne, & tanquam Deum, redarguens Marcionem, qui ei *veritatem carnis* auferebat, & Paulum Samoſatenum, qui illum *purum hominem* non Deum exiſtimabat; atque nos hortatur, ut accedentes ad altare, & ingredientes *Bethlehem, & domum ſpiritalis panis*; non imitemur Herodem, *cujus*, inquit pag. 69. *ſimiles ſunt, qui abutuntur communione myſterii, ait enim de his Apoſtolus, Reus erit corporis & ſanguinis Domini*: τούτῳ γὰρ ἐοίκασιν οἱ τῶν μυστηρίων ἀναξίως μετέχοντες. ἔνοχος γὰρ ὁ τοιοῦτος ἔσται, φησί, τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου, ſed ſimus imitatores Magorum, atque *adoraturi Chriſtum cuncta projiciamus e manibus*, καὶ πάντα ἀπὸ τῶν χειρῶν ῥίψωμεν, προσκυνεῖν μέλλοντες. Theodoretus de conſecratis ſymbolis ait Dialogo 2. pag. 85. *creduntur & adorantur*, πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται. III. Eadem docent Latini Patres: quorum ut aliquos proferamus, Ambroſius lib. III. de Spiritu ſancto cap. 11. num. 79. poſtquam plura ſcripſit de loco illo Pſalmi XCVIII. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus*, hanc tandem tradidit expoſitionem, *Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodieque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt; neque enim diviſus eſt Chriſtus, ſed unus: neque cum adoratur tanquam Dei filius, natus ex virgine denegatur*. Atque tam apertum teſtimonium, quod etiam protulerunt Bellarminus lib. 3. de Euch. cap. 12. & Perronius eodem lib. cap. 14. nequaquam debilitari cavillis Pleſſæi, & Albertini, oſtendunt in notis Patres Sancti Mauri tom. 2. pag. 681. Verſat vero eumdem locum Pſalmi Enarratione ſua num. 9. tam perſpicue Auguſtinus, ut nullum effugium relinquatur Neotericis heterodoxis. *Quæro*, inquit ſanctus Pater, *quod ſit ſcabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura, Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic; & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram: quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem ipſam carnem manducat, niſi prius adoraverit; inventum eſt quemadmodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando*. Prætermitto poſteriorum Patrum teſtimonia, quæ accurate collegit in diſquiſitione Theologica de cultu SS. Euchariſtiæ Gelaſius Hieber Auguſtinenſis. IV. Ma autem hic continere non poſſum, quin reprehendam Simplicium Verinum, ſive latentem ſub hujus corio Salmaſium, qui de Tranſubſt. pag. 454. negat Patres accipiendos eſſe de cultu latriæ, & ait commendari ab iiſdem Patribus humilitatem duntaxat, ac reverentiam, qua ad ſacra myſteria debemus accedere. Nam in primis Verinus, aut Salmaſius, minime ſibi conſtat, qui eodem Opere p. 447. ſcribit adorationem Euchariſtiæ ignotam Patribus, quos tamen, inquit, conſtat non fuiſſe minus religioſos, ac pios circa Chriſti cultum, quam nunc ſint homines, *qui terræ veſcuntur munere*: deinde vero Auguſtini & Cyrilli adorationem hanc præſcribentium profert verba, & vocabulorum abuſione detorquet. At non opus eſt vocibus decertemus: quando Auguſtinus eam adorationem commendat, quæ nulli creatarum rerum exhiberi poteſt *abſque impietate*, Cyrillus illam, quæ debetur *ſupremo Regi*, eam vero Chryſoſtomus quam Chriſto præſtarunt Magi, & quam ei negavit Samoſatenſis hæreſiarcha. Atque hanc eſſe *cultum latriæ* nemo unus inficias ibit, niſi qui, ut fictitius iſte Verinus, lapidem pro corde gerat, aut fungum pro cerebro. V. Neque ſola auctoritate Patrum, ſed etiam antiquiſſimis Liturgiis refutantur hæretici: ſingulæ quippe mandant, ut Sacerdos,

Digitized by Google

aliique miniſtri conſecratione peracta Dominum Jeſum in Euchariſtia humillime adorent, atque idem faciant fideles, dum ad Communionem accedunt. De quibus Liturgiis Renaudotius, Richardus Simon, Vitaſſius, aliique plurimi pertractarunt. Producam tantum brevitatis gratia *divinam Miſſam* Chryſoſtomi, in qua in Euchol. Goarii pag. 81. legitur: *Dehinc adorat ſacerdos, & diaconus, in quo eſt loco, ter ſecreto dicentes; Deus propitius eſto mihi peccatori, Et populus ſimiliter cunctus cum devotione adorat. Cum autem viderit diaconus ſacerdotem manus extendentem, & ſanctum panem tangentem, ut faciat ſanctam elevationem, exclamat*, attendamus. *Et ſacerdos*, Sancta ſanctis. *Chorus*, Unus ſanctus, unus Dominus Jeſus Chriſtus, *&c.* VI. Ad confuſionem denique hæreticorum nonnulla ex ipſis heterodoxis proferam: in Ordinat. enim Eccleſ. Brandeburg. fol. 157. ac item Daniæ, & Norvegiæ præſcribitur, ut cantetur in Templis hymnus *Pange lingua*, & communicantes flexis genibus dicant, *Agnus Dei miſerere nobis*. Joachimus Weſtphalus in libro contra Joannem a Laſco ait Chriſtum in Euchariſtia adorandum *ex ejuſdem Chriſti mandato*. In Colloquio Ratiſponenſi omnes hac de re conveniſſe fatetur Bucerus Act. fol. 179. Lutherus denique adverſus articulos Lovanienſes ſcribit tom. 8. edit. Jenenſis fol. 417. *In venerabili Sacramento, quod omni honore adorandum eſt, &c.* Eraſmi, quem nolumus illis adnumerare, illuſtria profert Alanus Copus Dialogo VI. cap. 26.

Inquiunt hæretici, *idololatriæ* crimen eſſe pani, qui eſt res creata, exhibere *latriam*, cum omnes Catholici tanquam idololatras deteſtentur gentiles lapidum, planetarum, ac ſimulacrorum adoratores. Sed alucinantur heterodoxi. Sicut enim ex quo ethnici templa conſtruxerint, pecudeſque mactaverint, non ſequitur fuiſſe idololatras Patriarchas, qui templum adiere, oveſque immolarunt, quoniam hi referebant cultum ſuum, non ad res illas creatas, quas gentes in Deorum ordine locaverunt, ſed ad ſummum Deum conditorem univerſorum; ita nec nos idololatræ cenſendi ſumus, quoniam non flectimus genua, nec thura adolemus panis, vinique accidentibus, ſed Domino Jeſu ſub iiſdem latenti; ideoque caſtigatiſſime Tridentini Patres definiere adorandum *in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei filium*; tametſi catholico ſenſu dici poterat *adorandum Sacramentum*, quatenus hoc nomine non ſolæ *ſpecies* ſignificantur, ſed quod ſub iis continetur. Opportune nunc reminiſcor Dialogi Leontii cum Judæo diſceptantis, quo Chriſtianus productis Pſalmiſtæ verbis, *Adorate ſcabellum pedum ejus*, eo adverſarium adegit, ut reponeret Judæos, non ſcabellum, ſed per illud Deum adorare: cui ſtatim Chriſti cultor repoſuit: *Scito & tu, quod etiam ego per cælum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, angelos, homines, per omnem denique creaturam viſibilem, & non viſibilem, omnium auctori Domino, & factori, ſoli adorationem & latriam exhibeam*. Quod dixi opportune in mentem meam veniſſe, quoniam eodem Pſalmiſtæ textu cultum Euchariſtiæ, ut vidimus, aperte commendant Ambroſius, & Auguſtinus.

THEOREMA II.

Euchariſtia in templis religioſe, ac diligenter eſt aſſervanda. Id quippe negant hæretici, quoniam fateri nolunt Chriſti in Euchariſtia præſentiam, aut hanc agnoſcunt in ſolo uſu & actione Cœnæ. Atqui a veritate aberrant toto cælo. Realem quippe corporis Chriſti præſentiam commonſtravimus diſputatione prolixa: eamdem vero præſentiam permanentem eſſe, infertur ex quo Chriſti corpus ſub ſpeciebus ſacramentalibus efficiatur virtute verborum Domini, non fide, aut ſumptione fidelium, & Chriſtus panem conſecraverit ſemel verba illa proferendo, non quando ſingulis conſecrata ſymbola diſtribuit: ex quo vere panis in Domini corpus *tranſubſtantiatur*, non ei aniatur duntaxat: ex quo (ne repetam quæ in his Theorematis ſunt diſtributa) conſecrationis effectus permanens ſit, quemadmodum Patres unanimiter tradiderunt, præſertim Cyrillus Alexandrinus adverſus Neſtorianos, & Auguſtinus adverſus Fauſtum. II. Cum non adeo facile eſſet adire templa, vigerentque adhuc mores antiquiorum, domi a quolibet fidelium, & in eremo a ſolitariam vitam agentibus aſſervabatur Euchariſtia ad uſum viventium, & viaticum ægrotantium, prout teſtantur Tertullianus in libris de Oratione, & ad Uxorem, Clemens Alexandrinus in 1. Stromatum, Cyprianus de Lapſis, Baſilius in Epiſtola ad Patriciam, Nazianzenus in funebri Oratione ſororis, Hieronymus in Apologia ad Pammachium, aliique permulti, quorum teſtimonia negare non audent hæretici. Recte itaque eamdem conſuetudinem commendat Tridentina Synodus ſeſſ. XIII. cap. 6. eamque canone ſeptimo ejuſdem ſeſſionis corroborat, vibrans in adverſarios anathema; cum Chriſtiana religione ubique diffuſa, conſtitutiſque ſacris ædibus plurimis, ipſamet Euchariſtia nullius commodo deſit, & decentius cuſtodiatur. III. Negaturi non ſunt hæretici ſervandam ſaltem ex antiqua diſciplina Euchariſtiam ad miniſtrandum morituris Viaticum; id enim ex traditione Majorum definitur lib. 1. Decretal. tit. 24. cap. *Officium*, his verbis: *In Sacrario Euchariſtia Chriſti propter infirmos non deſit*: quod & ſtatuitur in Excerptionibus Egberti cap. 22. *Presbyter Euchariſtiam habeat ſemper paratam ad infirmos, ne ſine communione moriantur*. Similia leguntur in decretis a Burchardo collectis lib. V. cap. 9. & 10. Hanc conſuetudinem adeo eſſe antiquam, ut eam agnoverit ſæculum Nicæni Concilii teſtantur Tridentini PP. cit. ſeſſ. XIII. cap. 6. Revera Nicænus canon 13. hæc mandat: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque ſervabitur, ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & neceſſario viatico minime privetur*. Cum autem Calvinus Nicænam Synodum appellaverit *ſacroſanctam*, poſtquam repoſitionem Sacramenti improbavit, coactus eſt lib. 4. Inſtit. cap. 17. num. 39. hæc ſubjicere, *Sed qui ſic faciunt, habent veteris Eccleſiæ exemplum*. Nec minus ingenue Theodorus Beza ſcribens de antiqua hujus repoſitionis conſuetudine p. 2. quæſt. 241. *Quem morem magnopere velim reſtitutum*. Ac definite liber inſcriptus, *Peonis pietatis*, cap. 52. *Euchariſtia ægrotis eſt afferenda*. Poſſumus ergo de hæreticis repetere, quod Moyſes ait de Ægyptiis Deut. XXXII. 32. *Et inimici noſtri ſunt judices*. IV. Servatam olim Euchariſtiam demonſtrant *Turres & Columbæ*, quæ paſſim inter veterum Eccleſiarum ornamenta connumerantur. Liber Pontificalis in Silveſtro refert Conſtantinum Baſilicæ Principis Apoſtolorum inter cetera dona dediſſe *Patenam cum auro puriſſimo unam, cum Turre & Columba ornatam gemmis praſinis & hyacinthinis*. Commemoratur pariter *Turris & Columba* in Innocentio I. & in Hilario: ac *Turrim auream* ſuper altare S. Mariæ Eccleſiæ Rhemenſis locaſſe Laudonem Archiepiſcopum, ſcribit Flodoardus lib. 2. cap. 6. S. Remigium fabricaſſe *Turriculam* ex vaſe aureo decem librarum quod ſibi donaverat rex Clodoveus, affirmat idem Flodoardus lib. 1. cap. 18. *Turres* IV. *cum coopertoriis holoſericis* memorantur in teſtamento S. Aredii Lemovicenſis inter Mabillonii Analecta. *Columbas* commemorat quoque Concilium Conſtantinopolitanum celebratum ſub Menna anno 536. act. V. tom. V. Concil. Lab. pag. 159. In his *Columbis* repoſitam Euchariſtiam conſentiunt omnes: ac de ea re legi poterunt Joannes Stephanus Durantus lib. 1. de Rit. Eccl. cap. 16. Roſweidus in not. ad Paulini Epiſtulam XII. Novarinus in *Agno Euchariſtico* lib. 5. cap. 55. Gonzalez in 3. Decretal. tit. 44. Et quidem *in Columba* Euchariſtiam aſſervaſſe S. Baſilium affirmat Amphilochius in ejus Vita cap. 6. de eademque *Columba* intelligendus Chryſoſtomus Hom. 31. ad populum Antioch. ubi ait, corpus Domini reponi ſuper altare, *Spiritu ſancto convestitum*. At de *Turribus* negat vir eruditus, Joannes Harduinus Embolo 2. de Sacram. alt. cap. 1. deſerviſſe illas Sacramento adſervando, quoniam in libro Pontif. *Turris* diſtinguitur a *Columba*, & in Sacramentario Gallicano tom. 1. Muſei Italici, pag. 389. *turris* connumeratur inter vaſa, in quibus divina myſteria celebrantur. Addit Harduinus quod legitur apud Gregorium Turonenſem lib. 1. de Gloria martyrum c. 86. *Tempus ad ſacrificium offerendum advenit: acceptaque turre Diaconus, in qua miniſterium Dominici corporis habebatur, ferre cæpit ad oſtium: ingreſſuſque templum, ut eam altari ſuperponeret, elapſa de manu ejus ferebatur in aera*: ex quo loco colligit *turrim* fuiſſe *capſulam* hoſtiarum conſecrandarum, de qua canon 17. Arauſicani 1. Concilii celebrati anno 431. Fallitur tamen Harduinus; ex quo enim *turris* una cum calice, & patena foret conſecranda, ut legitur in Sacramentario Gallicano, infertur potius fuiſſe conditorium corporis Chriſti, non panis duntaxat conſecrandi: ſive fuiſſe conditorium *hoſtiarum* deſervientium communioni fidelium, & in eadem *turricula* poſt conſecrationem aſſervandarum: quod & confirmat miraculum a Gregorio Turonenſi narratum, nec repugnat canoni Arauſicano; atque idem infertur ex iſtarum *turrium* pretio & ornatu, necnon ex Epigrammate Venantii Fortunati *in Turrim* fabricatam a Felice Bituricenſi, ubi legitur lib. 3. num. 25.

Quam bene juncta decent, ſacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.

Videtur potius *Columba* ſuper *Turriculam* poſita in ſignum Spiritus ſancti, prout animadvertit Altaſerra in notis ad Anaſtaſium, tom. 2. novæ edit. pag. 312. *Turribus* vero, & *Columbis* accedit *Paſtophorium*, de quo Auctor Conſtitut. Apoſtol. lib. VIII. cap. 13. pag. 405. *Cum univerſi, & univerſæ communicaverint, accipientes Diaconi, quæ ſuperſunt, inferant in Paſtophoria*. Significare hoc vocabulo *atrium templi*, aut *ſecretarium* docet Du-Cange in Gloſſario tom. 3. pag. 186. Proprie *Paſtophorium* ſignificat *interius cubiculum, & thalamum*, ac bene hoc nomen aptari arculæ, & conditorio Dominici corporis demonſtrat præcitato cap. 16. Durantus: de aliis modis Euchariſtiam aſſervandi vide Martenium lib. 1. de antiq. Eccl. ritib. c. V. art. 3. De ſacroſanctæ Euchariſtiæ conditoriis accipiunt quidam hos Paulini verſus in Epiſtola XII. ad Severum:

His

Hic locus eſt veneranda pœnus, qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

Hos tamen ego interpretor de veſtibus, vaſiſque ſpectantibus ad ſacrificium. Potius ad Euchariſtiam attinet quod legitur eadem epiſtola,

Divinum veneranda tegunt altaria Fœdus,

Verum iſtud etiam ambiguum eſt, & accipi poteſt de reliquiis Martyrum cruci proximis, ob ea, quæ ibidem ſequuntur. Ceterum & Reliquias martyrum ſubtus Euchariſtiæ conditorium ſervatas, haud obſcure innuit Prudentius Hymn. 3. περὶ στεφάνων, illis verbis:

Sic venerarier Oſſa libet,
Oſſibus altar & impoſitum:
Illa Dei ſita ſub pedibus.

Vide Rainartium in Actis S. Eulaliæ pag. 399.

Dixi autem in propoſitione non religioſe tantum, ſed etiam *diligenter* Euchariſtiam eſſe adſervandam. Mandant quippe canones, ut ſub fideli cuſtodia conſervetur *clavibus adhibitis*, ut conſtat ex cap. *Statuimus*, 3. Decret. tit. 44. Depromptum id eſt ex canone 20. Concilii IV. Lateranenſis: quo decernitur, ut is, ad quem hæc cuſtodia ſpectat, ſi incaute id prætermittat, *tribus menſibus ab officio ſuſpendatur*, & ſi per ejus injuriam aliquod nefarium inde contigerit, puta ſacrilegum furtum, aut conſimilis profanatio, *graviori ſubjiciatur ultioni*. Huc etiam ſpectant canones præſcribentes quadraginta dierum pœnitentiam ei, cujus incuria mures comederint *ſpecies reconditas*, apud Pœnitentiale Romanum tit. XV. cap. 1. & Burchardum Wormacienſem libro V. Decretorum cap. 50. & 51. Sedulo denique attendendum eſt, ne Euchariſticæ *ſpecies* diuturno tempore, ſive alia cauſa computreſcant; cujus rei gratia Concilium Bituricenſe an. 1031. canone 2. Rothomagenſe an. 1072. canone 6. Londonenſe an. 1138. can. 2. & alia, quæ omitto, decreverunt ne diutius ſervetur Euchariſtia, *quam de una Dominica in alteram*: quod in Pontificia Cappella, quæ Sixtina dicitur, diligentiſſime obſervatur.

THEOREMA III.

Optimo conſilio ſolemne Feſtum ſacratiſſimi Corporis Chriſti fuit inſtitutum. Quis primum hanc feſtivitatem indixerit, non eſt omnino compertum, conjici tamen poteſt variarum hiſtoriarum collatione. Jam ergo ab anno 1208. beatæ Julianæ in ſuburbio Leodienſi ſanctimoniali celeberrimæ, de qua Tractatus *de vera Origine Feſt. Corp. Dom.* ad calcem Geſtorum Pontificum Leodienſium Joannis Chapeavilli, divinitus revelata fuit hujus feſtivitatis inſtitutio. Julianæ revelatio poſt annos aliquot Joanni de Lanſanno & Jacobo de Trecis Leodienſi Archidiacono patefacta, ac diligenter ab Hugone Provinciali Fratrum Prædicatorum, poſtea S. R. E. Cardinali, atque a Guiardo Epiſcopo Cameracenſi, necnon a Cancellario Pariſienſis Academiæ, pluribuſque viris Theologis revocata ad examen, impulit Robertum Leodienſem Epiſcopum, ut anno 1246. coacta Synodo in univerſa ea diœceſi hanc ſolemnitatem indiceret celebrandam. Evectus deinde ad ſummi Pontificatus apicem memoratus Jacobus de Trecis, appellatus Urbanus hujus nominis Quartus, permotus tum ſupplicationibus Henrici, qui Roberto in Epiſcopatu Leodii ſucceſſerat, tum maxime inſigni miraculo apud Vulſinium patrato, ubi Sacerdote incredulo faciente rem ſacram, ex fracta Hoſtiæ particula in ſubjectum corporale, quod etiamnum in majori templo Urbevetano ſervatur, prodigioſus ſanguis effluxit; his, inquam, permotus Urbanus anno 1264. Pontificio diplomate, quod incipit, *Tranſiturus de hoc mundo ad Patrem*, dato Urbeveteri die XI. Auguſti ejuſdem anni, non, ut legitur in Bullario, anno 1262. idem ſolemne Feſtum extendit ad univerſam Eccleſiam. Quare dicitur Urbanus hujus ſolemnitatis *Inſtitutor* ab omnibus ferme Hiſtoricis, inter quos Papirius lib. V. de Epiſcopis Urbis Romæ tom. 3. Scriptorum Rerum Italicarum, parte 2. pag. 417. ita cecinit:

Quamvis quotidie fiant myſteria tanti
Corporis, hic melius vult cumulare bono.
Sic digne ſtatuit, ut in anno Corporis hujus
Tam Feſtum celebre fiat in orbe ſemel
Poſt Pentecoſtes octava luce Jovis: nam
Conſumi Chriſtus fecerat iſta die.

Deceſſit Urbanus quarto nonas Octobris ejuſdem anni, nec ſtatim executioni mandatum fuit quod ipſe de Feſto Corporis Chriſti ubique celebrando ſtatuerat. Verum confirmatum fuit diploma Urbani a Clemente V. anno 1311. in Viennenſi Concilio, deinde anno 1316. a Joanne XXII. anno 1429. a Martino V. anno 1433. ab Eugenio IV. & anno 1551. a Tridentinis Patribus ſeſſ. XIII. cap. 5. & can. 6. Atque hæc de inſtitutione Dominici Corporis Feſtivitate: de qua vide præcit. Tractatum adjectum Hiſtoriis Joannis Chapeavilli, Raynaldum ad annum 1264. num. 27. & ſequentibus, Lupum in diſſert. de SS. Sacram. publ. Expoſit. inter *Opuſcula poſthuma*, Gelaſium Hieber in prælaudata diſquiſit. quæſt. 2. cap. 3. aut unicum, & qui ceteros omnes perlegit, BENEDICTUM XIV. ſive *Notificat.* V. ſive *de Feſt. Domini N. J. C.* a num. 528. uſque ad 537. ſive *de Serv. Dei beatific. & Beat. canoniz.* lib. 4. parte 2. cap. 30. num. 2.

Poſitum olim in controverſia, quiſnam conſcripſerit *Officium* Corporis Chriſti, quo nunc utitur Romana Eccleſia; viſumque olim a Papebrochio editum rogatu S. Julianæ, de qua ſupra, a Joanne Clerico Leodienſi. Verum conſtat teſtimonio Scriptorum omnium concordiſſimo, illius *Officii* auctorem eſſe S. Thomam, qui anno 1246. illud jubente Urbano IV. compoſuit. Nec aliquid in contrarium probat, quod idem *Officium* habeatur in vetuſtiſſimo *Antiphonario* Leodienſis Eccleſiæ; quoniam non apparet hoc *Antiphonarium* eſſe Urbani temporibus antiquiorem. Immo ex Epiſtola ipſius Urbani ad Evam virginem Recluſam, ab eodem Papebrochio publici juris facta ex Archivo Leodienſis Eccleſiæ S. Martini, liquet Urbanum una cum diplomate prælaudato miſiſſe ad Evam *Quaternum, in quo ejuſdem Feſti habetur Officium*: in quem locum ipſe Papebrochius hæc adnotavit tom. 1. Aprilis pag. 477. *A ſancto Thoma Aquinate tunc compoſitum*. In libello Dieſtemii, de quo Serarius in lib. de Proceſſionibus, pag. 100. de Eccleſia Leodienſi legimus: *Apoſtolicum Nuncium cum bullis, decretalibus, ac Officio apportatis honorifice ſuſcepit, rejecto Officio quod Virgo Juliana confici fecerat, & utens illo Officio, quod beatus Thomas Aquinas confecerat*. In hujus rei teſtimonium in foribus templi Vulſinienſis depictus olim fuit idem S. Thomas hoc *Officium* dictans, Curia Pontificis circumſtante. Conſcriptum denique ſub Urbani IV. *novum Officium* Corporis Chriſti, innuit quoque citato in loco Papirius, ſubjiciens:

Hocque ſui terno Papatus fecit in anno:
Officiumque novum continet iſta dies.

Jure itaque S. Thomæ vindicat hoc *Officium* Natalis Alexander diſſert. 6. ſæculi XIII. art. 1. Nec exorta unquam eſſet hujuſmodi controverſia (inquit eruditiſſimus Pontifex notatione DXXXVII. to Feſtum corporis Chriſti) ſi perlegiſſent diſputatores Conſtitutionem Sixti IV. inſertam Bullario FF. Prædicat. tom. 3. pag. 555. in qua legitur, feſtum, de quo loquimur, ab Urbano IV. inſtitutum, *Propriumque ejuſdem ſolemnitatis Officium per Beatum Thomam de Aquino tunc in ipſa Curia exiſtentem compoſitum*.

Ceterum, ut jam revocemur in viam, multiplex ratio commendat prælaudatæ Feſtivitatis inſtitutionem. Principio congruum eſt, ut quod ex Dei mandato habet ſpecialem Dominicæ paſſionis commemorationem, atque eſt divinæ caritatis memoriale perenne, recolatur peculiari aliqua celebritate: quod cum plene fieri nequeat feria V. majoris hebdomadæ, quoniam ea die univerſalis Eccleſia in pœnitentium reconciliatione, in confectione chriſmatis, in adimpletione mandati circa lotionem pedum, & in aliis quamplurimis rebus occupata eſt, in aliam feriam quintam fuit eadem ſolemnitas jure meritoque tranſlata. Deinde hoc ſolemniori cultu ſupplenda erat devotio, quæ in frequentibus & quotidianis ſacrificiis ob complurium negligentiam pravitatemque tepeſcit. Acceſſerunt præterea revelatio facta ſanctimoniali Leodienſi, miraculum apud Vulſinienſes patratum, pluriumque Eccleſiarum ſupplicationes & vota: quæ omnia tangit Urbanus IV. laudato diplomate, *Tranſiturus de hoc mundo, &c.* Divino denique conſilio tribuendum eſt, quod tali cultu, in quo maxime ſplendet fides Catholica, inſtituto, & univerſim recepto, Eccleſia Chriſti victricem de mendacio, & hæreſi triumphum ageret; ejuſque adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſalis Eccleſiæ lætitia debilitati, & fracti tabeſcerent. Atque rationem hanc a Tridentino Concilio productam ſeſſ. XIII. cap. 5. confirmat experimentum: nam Lutherus in proceſſione SS. Sacramenti (de qua infra) repentino terrore occupatus contremuit, frigidiſſimumque ſudorem emiſit, ut ipſemet fatetur apud Aurifabrum; ac Proteſtantes in Auguſta Vindelicorum civitate an. 1530. cum præſente Carolo V. fieret ſolemnis Corporis Chriſti proceſſio, ſumma confuſione affecti ſunt, & ſubierunt maximam Cæſaris indignationem, juſſi, ut altera die excederent Auguſta, quamvis Carolus precibus Catholicorum Principum paſſus ſit ſe ab hac ſententia deduci. Rem narrant Laurentius Surius in Commentario hiſt. pag. 150. Joannes Cochlæus de Actis, & ſcript. Luther. ad an. 1530. & Raynaldus ad eumdem annum, num. 64.

THEOREMA IV.

Cum ſolemni Feſto jure optimo inſtituta eſt Proceſſio, & circumgeſtatio ſacratiſſimi Chriſti corporis. Immorandum non eſt in ea quæſtiuncula, an *Proceſſionem*, quæ fit in prædicta ſolemnitate, præſcripſerit Urbanus IV. præcipuus hujus Feſti inſtitutor. Negant id ex Novatoribus Centuriatores cent. XIII. cap. 10. Schmidel in libro adverſus Schererum, Kemnitius p. 2. *Examinis* pag. 450. atque ex Catholicis Genebrardus lib. IV. Chronol. Juenin diſſert. IV. cap. 3. art. 4. & alii. Verum oppoſita ſententia majori probabilitate defenditur. Quamquam enim Urbanus in Bulla, *Tranſiturus*, non commemoret *proceſſionem*

S. ta-

Digitized by Google

§. tamen 2. mandat, *ut in ipſa quinta feria* (Corporis Chriſti) *devota turba fidelium ad Eccleſias affectuoſe concurrant, & tam Clerici, quam populi gaudentes in cantica laudum ſurgant, omniumque corda, vota, ora, & labia hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris*: quæ verba commonſtrare videntur celebritatem aliquam præter Clericorum pſalmodiam. Deinde Onuphrius noſter in Urbano, recenſito mirabili eventu, qui contigit Vulſinii, ait, *Attonitus Pontifex ad ſe ab Epiſcopo loci cum Proceſſione Urbem Veterem* (Corporale) *transferri voluit, & illud ſolemnitate inſtituta in Eccleſia Urbevetana recondidit*. Unde poſt Serarium & Lupum infert BENEDICTUS XIV. Notif. y. num. 6. & de Feſto Corp. Chriſti num. 536. ex facto ſaltem Urbani *Proceſſionem* hanc derivaſſe. Inſuper Martinus V. Conſtitut. quæ incipit, *Ineffabile Sacramentum*, ſupponit jam olim proceſſionem fuiſſe inſtitutam, dum elargitur indulgentias annorum centum iis, *qui proceſſiones, in quibus ipſum vivificum Sacramentum juxta ritus Eccleſiarum defertur, continuo ſecuti fuerint*. Nullus denique poſt Urbanum profertur ejuſdem *proceſſionis* primus auctor; non enim dici poteſt cum Genebrardo inſtitutam poſt centum annos Papiæ in deteſtationem hæreſis Berengarii; tum quia Berengarius jam ab anno 1088. fatis ceſſerat; tum quia Joannes XXII. creatus Pontifex anno 1316. meminit ejuſdem Proceſſionis, apud Dieſtemium, & Serarium loco citato in Theoremate præcedenti; tum demum quia in Eccleſia Papienſi anno tantum iv. ſæculi quintidecimi cœpit hæc Proceſſio obtinere, prout animadvertit Lupus in diſſert. *de Proceſſ.* cap. 3.

Verum quidquid ſit de hac inſtitutione, illam hæretici improbant, obſtrepentes quibuſdam ineptiſſimis argumentis. Primum urget Calvinus lib. iv. Inſtit. cap. 17. num. 39. quoniam Euchariſtia ad ſolum cœnæ uſum fuit a Domino Jeſu inſtituta. Alterum proponit Kemnitius 2. p. *Examinis* pag. 447. quod exhibere divinum honorem mero pani, ſit *artolatria*. Tertium opponitur ab eodem Kemnitio, ex quo Arca, hujus ſacramenti figura, quando in caſtra fuit adſportata, capta fuerit, & Hebræorum cæde oſtenderit Dominus circumgeſtationes hujuſmodi impias eſſe & ſacrilegas. Ultimum argumentum, commune omnibus Novatoribus, eſt hanc *Proceſſionem* contra divinam ſcripturam, & contra conſuetudinem Apoſtolicæ Eccleſiæ fuiſſe in uſu receptam.

Ceterum adverſus hæreticorum inſaniam ſtat immobilis Eccleſiæ poteſtas, quam alibi vindicavimus, decernendi & immutandi pro locorum, ac temporum circumſtantiis, quæ ſpectant ad diſciplinam. Hanc præterea inſtitutionem commendant cauſſæ in ſuperiori theoremate productæ. Ulterius videtur præſignata hæc eadem *proceſſio* in circumgeſtatione Arcæ fœderis, quam ſecum filios Iſrael portaſſe conſtat ex libro Joſue cap. 3. & ex 1. Regum cap. 4. necnon in typico manna, quod in ipſa arca incluſum, ideoque una cum illa adſportatum, affirmat Apoſtolus cap. 9. ad Hebræos. Nemo inſuper, qui Eccleſiaſticas hiſtorias perlegerit, ignorare poteſt, Euchariſtiam olim delatam ad fideles, qui ſacris myſteriis intereſſe non poterant, ad Titulos, & ad Epiſcopos ſuburbicarios, & a Romanis Pontificibus miſſam Præſulibus, aliiſque in teſſeram communionis: allatam quoque ad privatas domos, ad incultas eremos, & per longinqua itinerum ſpatia, ut Juſtinus Apolog. 2. Euſebius lib. v. H. Eccl. c. 24. Baſilius Epiſt. ad Cæſariam, Ambroſius de Exceſſu fratris ſui Satyri n. 43. aliique plurimi tradiderunt. Quod ſi antiquam divini ſacramenti adſportationem hæretici damnare non audeant; perperam in hanc inſaniunt, quæ, pro præſenti Eccleſiæ conditione, ritu ſolemniori peragitur.

Ad primum itaque argumentum reſpondemus non tolli per ſacroſanctæ Euchariſtiæ circumgeſtationem priſtinum ipſius uſum, ſcilicet communionem, ſive, ut inquiunt Novatores, *actionem cœnæ*; immo ad ſacram ſynaxim vehementius incitari fideles, dum Sacramentum colitur, & exponitur adorationi, idque comprobari experimento, cum per octavam hujus ſolemnitatis frequentius communicaturi accedant ad divina myſteria. Quod ſubjicitur, Theoremate primo ſolutum eſt. Alterum retorquetur adverſus Kemnitium: Arca enim, Eli ſummo Sacerdote annuente, majoribus natu conſentientibus, præ lætitia univerſo populo vociferante, ac Philiſthæis ingenti terrore percullis circumferebatur; & ſi ſemel capta eſt, contrivit Dagonis idolum, percuſſit Azotios, & Gethæos: aſportata autem in domum Aminadab filiis Iſrael erexit animum, & fortitudinem contulit. Quod autem triſte his accidit in caſtra eamdem arcam transferentibus, non ipſi Arcæ tribuendum eſt, ſed idololatriæ militum ſervientium diis alienis Baalim, & Aſtaroth, ut liquet ex 1. Reg. cap. 7. Præterea ex quo inconſiderate filii Iſrael Arcam ad caſtra tranſtulerint, poſt cladem ſuorum, & victoriam Philiſthinum; commonemur, ne ſacra exponamus periculo profanationis: quam ob rem Euchariſtia denegata eſt aliquando energumenis, ut ſuo loco dicemus, neque afferenda eſt ad extinguendum incendium, & ubicunque immineat periculum aliquod nefaſti exitus. Ad ultimum reſpondemus præter ſacras litteras, (quibus tamen hæc *proceſſio* non adverſatur) recipiendas eſſe definitiones Eccleſiæ, hujuſque non ſemper eamdem viguiſſe diſciplinam. Congruebat enim priſcis Eccleſiæ ſæculis, ut ſacra myſteria Gentium profanationi ſubtraherentur, ænigmatice de his Patres agerent, & clanculum accederent ad illa fideles; nunc vero adverſus apoſtatas conſcios ſacramentorum noſtrorum, qui exierunt a nobis, palam colenda ſunt, vindicanda, & quanta impietate ab hæreticis conculcantur, tanta religione a Catholicis aſſervanda.

Inquit Kemnitius, cur Euchariſtia ſub una tantum *ſpecie* geſtatur? cur non potius mos gerendus Huſſitis, qui in Sacramenti anniverſaria proceſſione cum Hoſtia geſtitant calicem? Reſpondeo unam circumferri *ſpeciem*, quia ſub una intus Chriſtus, & Sacramenti ratio, non minus ac ſub utraque, continetur; & quia etiam veteres, quotieſcunque ipſam Euchariſtiam ad alios in communionis ſymbolum tranſmittebant, id faciebant ſub *ſpecie* duntaxat panis: mitto periculum effuſionis, cui ſubeſſet vini conſecrati circumgeſtatio.

THEOREMA V.

Laudabilis & religioſa eſt conſuetudo aliis quoque temporibus, præter ſolemnitatem Corporis Chriſti, ſacratiſſimam Euchariſtiam exponendi; & circumgeſtandi, dummodo ſubjiciendæ præceptiones ſerventur. Principio hoc theorema demonſtratur probationibus duorum præcedentium. Stabilitur deinde conſuetudine in pluribus Parochiis vigente, faciendi hanc *proceſſionem* ſemel in menſe, atque ex piiſſima alia conſuetudine Orationis quadraginta horarum. Ex ea inſuper fructus complures percipiuntur: abſtrahit namque populum a ſpectaculis, ab otio, a confabulationibus, trahitque illum ad templum, ac templo ipſi, veluti dum in aula Rex ſub throno palam conſpicitur, majorem conciliat venerationem. Vide Lupum de ſacris Proceſſ. cap. 12.

Has vero præceptiones hac in re arbitror eſſe obſervandas. Curandum primo, ne ex frequentiori hujus devotionis uſu ſacroſancta myſteria vileſcant, & imminuatur Chriſtianæ plebis devotio. Thyers, aliique nonnulli videntur probare ſolam *Proceſſionem*, quæ fit in ſolemniis Corporis Chriſti; pius Lupus ſaltem Euchariſtiæ expoſitionem optabat frequentiſſimam, *bis, aut tertio per hebdomadam*. Placet nobis medium iter incedere, probamuſque Expoſitionem & Proceſſionem hujuſmodi, quæ fiunt urgente cauſa, annuente Epiſcopo, nec ubique frequenter. Ita nimirum ſtatuerunt Synodus Farfenſis celebrata a Cardinali Barberino, qui anno 1623. ad Pontificatus apicem evectus Urbani VIII. ſibi nomen adſcivit, Synodus Neapolitana anno 1699. Cæſenatenſis an. 1693. Spoletana an. 1688. Mechlinienſis anno 1607. Mediolanenſis tertia, & quarta, aliæque permultæ. At ſingulis diebus Euchariſtiam ſuper altare non eſſe exponendam, decrevit Sacra R. C. die 4. Martii anno 1606. Communem propterea hanc noſtram ſententiam cenſet Bononienſis Archiepiſcopus, nunc Pontifex Maximus Notificatione edita die 5. Maji an. 1734. Ab hac tamen generali Regula excipienda eſt Octava Corporis Chriſti, in qua in Eccleſiis Collegiatis Euchariſtiam exponendam eſſe conſtat ex Ceremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 3. excipienda Oratio xl. horarum, in qua Expoſitio fieri ſolet ornatu ſplendidiori; & excipienda Proceſſio ſemel in menſe, uſu, ut dixi, plurium Eccleſiarum comprobata.

Altera regula eſt, quod extraordinaria Euchariſtiæ expoſitio fieri nequit abſque licentia Epiſcoporum, cujus muneris eſt præſcribere quidquid attinet ad publicum Dei cultum. Extat enim decretum latum a ſacra Congregatione Concilii die 17. Auguſti, & non ſemel confirmatum, quo declaratur, *non licere Regularibus etiam in eorum propriis Eccleſiis, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario: ex cauſa autem privata poſſe, dummodo ſanctiſſimum Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum ita, ut ipſa quoque hoſtia videri non poſſit*. Idem decrevit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium die 9. Decembris an. 1602. & ſacra Rituum Congregatio die 18. Decembris an. 1647. & rurſus die 10. Dec. an. 1703. in Decreto confirmato die 12. Januarii an. 1704. a Clemente XI. Utuntur propterea Epiſcopi jure ſuo, dum hoc decretum Regularibus inculcant, uti fecerunt Vincentius Maria Urſinus in Synodo Beneventana anno 1693. tit. 37. cap. 7. Marcus Antonius Barbadicus in Synodo Montis-Faliſci anno 1692. cap. 18. Proſper Lambertinus anno 1734. in prælaudata Notificatione. Atque id aſſerunt ipſimet Regulares Theologi apud Rotarium lib. 1. de Sacram. cap. 2. num. 19.

Regula tertia eſt, quod expoſitio SS. Euchariſtiæ poſtulat decentem altaris ornatum, cereorum ſplendorem, & alicujus Eccleſiaſtici orantis præſentiam. De cereorum numero inquit S. Carolus parte 2. Synodi iv. Mediolanenſis: *Cerei præterea in Altari accenſi ad ſummum decem, minimum vero ſex: lampades item nec plures quam duodecim, vel tredecim, nec vero pauciores quam tres*.

Lua-

Licebit tamen Epiſcopo ob cauſam permittere, ut major luminum numerus aliquando adhibeatur. Jubet paullo poſt eadem Synodus, ut Oratio al. horarum fiat *ſplendidiori luminum apparatu*. Decreto autem S. R. C. die 15. Martii an. 1698. *quantitas luminum pietati facientis Expoſitionem remittitur*. De Eccleſiaſticis aſſiſtentibus in prælaudata Synodo inquit loco nuper laudato Gloria Præſulum Carolus: *Dum ſanctiſſimum Sacramentum in altari propoſitum eſt, interdiu Clerici duo, ſuperpelliceo induti, capite aperto ad Altare ſemper aſſiſtant, quorum alter Diaconus ſaltem ſit: noctu vero ſaltem unus, iſque in ſacro Ordine conſtitutus*. In expoſitione item privata, quæ fit Pyxide velata in aperto tabernaculi oſtiolo, mandat S. C. Epiſcoporum & Regularium præcit. Decret. an. 1602. ut fiat *cum aſſiſtentia alicujus ſacerdotis ſtola & ſuperpelliceo induti, & cum ſex ſaltem luminibus cereis*. Servanda in his, ceteriſque pia quæque, & ab Epiſcopis probata conſuetudo.

Poſtrema Regula ſit, ne exponantur una cum SS. Sacramento Sanctorum Reliquiæ. Me non latet oppoſitum contendere Lupum in laudata diſſert. *de ſacris Proceſſ.* cap. 8. & aſſertionis ſuæ proferre argumentationes doctrinæ, eruditioniſque pleniſſimas. Præferenda eſt tamen humanis conjecturis S. Romanæ Eccleſiæ conſuetudo: de qua Ceremoniale Auguſtinianum parte 3. cap. 9. *Secundum decreta Roma emanata, nec reliquiæ, nec imagines debent poni ſuper altare, quando SS. Sacramentum eſt expoſitum*. Poteſt pro eadem conſuetudine proferri ratio, ob quam Bauldry p. 3. Manualis cap. 17. Thyers lib. 4. cap. 12. aliique contendunt non eſſe Euchariſtiam exponendam in majoribus Sanctorum Feſtivitatibus, ſcilicet, quod præſente ſummo Domino ceſſare debeat honor ſervo adhibendus; ſed huic, & conſimilibus argumentis præcitato cap. 8. Lupus uberrime ſatisfecit.

THEOREMA VI.

Nulli fas eſt in itineribus Euchariſtiam appenſam collo deferre: Romanis tamen Pontificibus iter agentibus decenti pompa, & comitatu præfertur. Non agimus modo de veteri diſciplina, ex qua conſtat fideles ſibi ad *Viaticum* & communionem domum adſportaſſe Corpus Dominicum, ut ſupra diximus, tradique Tertullianus ad Uxorem, & Cyprianus de Lapſis, & de Spectaculis, ejuſdemque Domini Corporis præſentia ac præſidio ſeſe longa itinera ſuſcepturos communiviſſe, quemadmodum libro 1. de Exceſſu Satyri Ambroſius, in Epiſtola ad Ruſticum Hieronymus, atque Patres alii ſcripſere. Legimus eapropter in vetuſtiſſimis Codicibus ſanctos Epiſcopos mundiſſimo panno involutam ſecum portaſſe Euchariſtiam: idem de Monachis affirmant MSS. Monaſterii Wingartenſis: idem de Roberto, & de Sancto Ludovico Francorum Regibus referunt Helgaldus Floriacenſis, & Gulielmus Nangius: idem de Archiepiſcopis Beneventanis viſitantibus diœceſim legitur in Archivo ejuſdem Eccleſiæ. Plura de antiqua hac diſciplina Angelus Rocca in *Commentario* de hoc argumento tom. 1. pag. 33. & Martenius de Eccl. Ritibus lib. 1. cap. v. art. 4. ubi etiam narrat Patres Societatis Jeſu, ſedente Paulo V. diſceſſuros Venetiis *Hoſtias* ſingulas collo ſibi ſingulos alligaſſe, atque ita urbe exceſſiſſe. II. Juſtis tamen de cauſis priſca illa conſuetudo antiquata eſt, præſcriptumque can. 3. Concilii Cæſaraugustani anno 380. ſub anathematis pœna, ut quiſquis in Eccleſia Euchariſtiam accipit, ſumat ſtatim, nec domum, aut alium in locum deferat: quod ſtatutum pariter canone 14. Synodi Toletanæ primæ, anno Chriſti 600. aliiſque Eccleſiaſticis definitionibus. Harum plaviſſima ſcientia præditus Eccleſiæ Romanæ Paſtor vigilantiſſimus Conſtitutione ſæpe hoc in libro laudata *ſuper Græcorum Ritibus*, indixit Orientalibus Monachis, ne iter conficientes deferant Euchariſtiam collo ſuſpenſam. Atque inhibitionibus iſtis cauſam æquiſſimam arbitror præbuiſſe frequentiam itinerum, ſchiſmatum pervicaciam, & cuſtodiam, quæ ubique locorum habetur Sacramenti pro infirmorum viatico reſervati: ſiquidem olim hujus rei gratia fas erat illud extra templa deferre; ejuſque communio, cum ſit ſymbolum unitatis, optimo jure percipitur ab Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotibus. III. Priſtinæ autem conſuetudinis viget obſervantia, dum iter conficit ſummus Eccleſiæ Rector, quoniam tunc Euchariſtia defertur honeſtiſſimo, ampliſſimoque comitatu; atque ne confluentium populorum occurſus, & videndi Pontificis deſiderium imminuat cultum Domino Jeſu exhibendum, præferri ſolet a Præfecto Sacrarii Apoſtolici ſpatio itineris unius diei. Hac præterea ceremonia admonetur plebs Chriſtiana, cujus vicem gerat ille, qui ſubſequitur, Maximus Epiſcoporum; & quomodo nil proſit adhærere Chriſto participatione myſterii, niſi myſtici Corporis, ideſt, Eccleſiæ Capiti quilibet uniatur, & illi tanquam ejuſdem Chriſti Vicario reverentiam & obedientiam exhibeat. Si quis vero Romanorum Pontificum, quibus SS. Euchariſtia in conficiendis itineribus præceſſit, hiſtoricam narrationem, comitatum, apparatumque ſcire deſiderat, adeat præclarum Angeli Rocchæ eruditiſſimum Commentarium. Addendum iter, quo Benedictus XIII. primo Beneventum, præmiſſa Euchariſtia, contendit anno 1727. verno tempore; nam cum eamdem urbem repetiit anno 1729. proceſſit minori, atque humili comitatu.

CAPUT XIII.

De Euchariſtiæ conſecrandæ, & diſpenſandæ miniſtro.

Libro xxx. cap. 13. demonſtravimus non eſſe ſingulos prorſus homines miniſtros quorumlibet ſacramentorum, cum non debeat quiſque ſacerdotii honorem ſibimet arrogare, ſed offerre ſacrificia illorum munus ſit, *qui vocantur a Deo tanquam Aaron*. Potiori jure honore illo non eſſe condecorandas mulieres oſtendi proximo libro xxxi. cap. 11. Inſertur itaque ex dictis conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem non eſſe penes laicos, prout Valdenſes primum, deinde Lutherani affirmaverunt, ac multo minus penes mulieres, ut viſum Marcionitis, atque Pepuzianis: neque id valere duntaxat, quando præſentes ſunt presbyteri & ſacerdotes, verum etiam, ſi hi non adſint, cum laici & feminæ omnino, abſolute, & abſque ulla limitatione tali facultate priventur; ac falli propterea Hugonem Grotium, qui oppoſitum tenet in diſſertatione a ſe inſcripta, *De Cœna adminiſtratione, ubi Paſtores non ſunt*. Neque ex dictis tantum reſcinduntur dogmata hæc pernicioſa, & hæretica, ſed etiam ex dicendis infra de Sacramento Ordinis, ſacrorumque miniſtrorum charactere atque poteſtate. Ne igitur eadem ſæpenumero repetantur, alia autem ex parte liber, in quo verſamur, ſuis partibus conſtet, quæſtionem propoſitam breviter expediemus.

PROP. I. Euchariſtiam conſecrare, & conficere ad ſolos attinet Sacerdotes.

Demonſtratur primo. Inſtituens enim Chriſtus hoc Sacramentum, Apoſtolis, *quos tunc novi Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat*, ut loquitur Tridentinum ſeſſ. xxii. cap. 1. ait, *Hoc facite in meam commemorationem*, eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, præcipiens, ut panem vinumque conſecrarent, & offerrent. Quod utique præceptum, ſi prout importat quidquid Chriſtus fecit, ideſt, non diſtributionem & communionem tantummodo, verum etiam conſecrationem atque oblationem, obſtringeret omnes promiſcue fideles; omnes proculdubio tenerentur ſacrificare & conſecrare, quod nec proferre audent hæretici, extendentes quidem facultatem, ſed non præceptum iſtud ad laicos. Verum de hoc argumento plura Volum. iii. in libro, & capite præcitatis. II. Addit eo loci Synodus Tridentina, *Uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit & docuit*, nimirum, quod innuunt producta verba Evangelii, idem confirmat perpetua Eccleſiæ traditio. Atque ad hanc traditionem comprobandam non utar apocrypha ad Jacobum fratrem Domini Epiſtola, ex qua depromptus eſt canon, *Tribus gradibus*, de Conſecr. diſt. 2. numer. 23. neque monimentis id genus ſuppoſititiis, (quamquam & hæc priorum ſæculorum interdum fidem commonſtrent) ſed utar apertiſſimis definitionibus. Concilium quippe Nicænum ad reprimendam audaciam diaconorum, qui præſumebant Euchariſtiam diſpenſare presbyteris, *Neque regula*, inquit can. 18. *neque conſuetudo tradit, ut hi, qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant*. Similia Synodus Ancyrana, quæ Nicænum vix poſt annos 14. eſt ſubſecuta, canone 2. Leodienſis canone viceſimo quinto, & longe ante prima Synodus Arelatenſis canone quintodecimo. In Lateranenſi iv. ſub Innocentio III. ſic legitur: *Hoc Euchariſtiæ ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ*: nec aliter Synodus Florentina in Inſtructione Armeniorum, ac Tridentina citato in loco. III. Ejuſdem traditionis teſtes ſunt Patres; nam Tertullianus de Præſcript. cap. 41. carpens irregularem hæreticorum diſciplinam, *Et laicis*, inquit, *ſacerdotalia munera injungunt*, & de Corona Militis cap. 3. ſcribit ſumi antelucanis cœtibus Euchariſtiæ Sacramentum, *nec de aliorum manu, quam præſidentium*. Epiphanius hæreſi lxxix. quæ eſt Collyridianorum ait, *Neque Diaconis Eccleſiaſtica Regula concreditum eſt peragere ſacrificii myſterium*, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα, *ſed miniſtrare tantum dum perficiuntur*: atque in Expoſitione Catholicæ fidei cap. 13. redarguit quemdam pſeudomonachum, Zachæum nomine, quod *cum laicus eſſet, attingere ac ſacrificia celebrare nefario ac temerario auſu eſt aggreſſus*. S. Hieronymus Luciferianos exagitans negat apud eos Eccleſiam eſſe, quoniam Hilarius Diaconus de Eccleſia receſſit, ideoque, *Neque Euchariſtiam* (inquit) *conficere poteſt. Epiſcopos & presbyteros non habens: neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere, & cum jam homo mortuus ſit, cum homine pariter interiit & ſecta: quia poſt ſe nullum clericum Diaconus potuit ordinare. Eccleſia autem non eſt, quæ non habet ſacerdotes*. Idem Hieronymus Epiſtola ad Evangelum de quodam diacono ſeſe præferente presbyteris, *Quis patiatur*, ait, *ut ſupra eos ſe tumidus Diaconus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur?* IV. Idem evincitur ex diverſis

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ capitibus. Nunquam enim celebratam fuiſſe Collectam abſque presbytero conſecrante docent Acta martyrum Alutinenſium, quæ tom. 2. Miſcellan. edidit eruditus Baluzius. S. Athanaſius Apolog. 2. impactum ſibi crimen de confracto calice apud quemdam nomine Iſchiram, hac ratione diluit, quod *in privata domo habitans habere non poterat poculum myſticum*. Fulbertus Carnotenſis in Epiſtola 36. ad Guidonem Bituricenſem, *extra chorum deponendum, & pœnitentia plectendum* pronuntiat diaconum, *qui ſe presbyterum ſimulavit, Miſſamque celebrare præſumpſit*. V. Diaconos non poſſe Euchariſtiam conficere, vel ipſum *Diaconi* nomen demonſtrat. Cum enim *Sacerdos* dicatur *a ſacrificando*, quoniam conſecrat & ſacrificat, ut inquit Iſidorus lib. VII. Etymol. cap. 12. extatque cap. *Sacerdos*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 1. *Diaconus* ſic appellatur e verbo *διακονεῖν*, ideſt, *miniſtro*, quia ejus munus eſt ſacerdoti conſecranti inſervire. Diaconus idcirco in Liturgiis Græcorum jubetur geſtare ſanctam oblationem, munera ſcilicet conſecranda deferre *a protheſi ad aram majorem*, & in antiquo pariter Ordine Romano, *ſuſcipere oblatas de oblationario*, inſervire ſacerdoti divinam rem peragenti, & aliquando, ut dicam infra, Euchariſtiam diſpenſare. Hinc Iſidorus de Eccleſ. Offic. lib. 2. cap. 8. ait: *In ſacerdote conſecratio, in miniſtro diſpenſatio ſacramenti eſt*. VI. Nemo dicat valere hæc argumenta, *ubi adſunt Paſtores*; ſi enim ubi Paſtores & Sacerdotes deſiderantur, poteſt laicus, aut quilibet non ſacerdos Euchariſtiam conſecrare, aut offerre; quare ſcribit in Apologia 2. Juſtinus, miſſam per Diaconos ipſam Euchariſtiam ad abſentes, qui ſacrificiis non poterant intereſſe? quare tanto ſtudio illam deferebant laici domum, & ad eremum anachoretæ, ut ſuperiori capite dictum eſt? quare ad carceres martyrum cum tanto vitæ periculo accedebant presbyteri, ut coram illis ſacrificarent, quemadmodum Epiſtola 5. narrat ſanctus Cyprianus? VII. Incredibile denique eſt in lege veteri ad offerenda ſacrificia elegiſſe Dominum ſolos filios Levi, & percuſſiſſe Oziam lepra, ac reprobaſſe Saulem, quando miniſteria Levitarum attentaverunt; ſacrificium autem novæ legis *antitypum* veterum, omniumque figurarum completivum omnibus, etiam laicis, non autem viris gratia electis, inunctis, & peculiari charactere ſignatis, univerſaliter commiſiſſe.

Faciunt adverſus hanc propoſitionem quæ ſequuntur. Primum in nova lege omnes *ſacerdotes* eſſe affirmant priori in Epiſtola Petrus, & primo capite Apocalypſeos Joannes. Deinde Tertullianus in libro de Exhortatione Caſtitatis, inquit: *Nonne & laici ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt, Regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tinguis, & ſacerdos es tibi ſolus*. Idem attendit ſcopus, quem ſibi præfigit Tertullianus; adſtruit enim ibidem *monogamiæ* neceſſitatem, ex quo bigami ab altaris miniſterio arceantur; ideoque proſequitur: *Igitur ſi habes jus ſacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas etiam diſciplinam ſacerdotis, ubi neceſſe eſt habere jus ſacerdotis. Digamus tinguis, digamus offers? Quanto magis laico digamo capitale eſt agere pro ſacerdote, cum ipſi ſacerdoti digamo facto auferatur agere ſacerdotem?* Tertia objectio probat ſaltem Diaconos habere jus conſecrandi, idque ex canone ſecundo Ancyrano, & ex Actis ſancti Laurentii: canon quippe Ancyranus jubet Diaconos, qui idolis ſacrificarunt, in poſterum *ab omni ſacerdotali miniſterio ceſſare, panem vel calicem offerendi, vel prædicandi*; quibus proinde muneribus ceteri Diaconi fungebantur: atque Laurentius apud Ambroſium lib. 1. Offic. cap. 41. ita Xyſtum ad Martyrium proficiſcentem allocutus eſt, *Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem*. Ita enim legitur in omnibus fere MSS. & editionibus Romanam antecedentibus, non, ut recitatur in Breviario, *Cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem*. Diaconus quidem *calicem offerre* Cyprianus affirmat in libro de lapſis, nec alio ſenſu, inquit Grotius, accipit verbum offerendi, niſi prout *offerre* idem eſt, ac *benedicere, gratias agere, conſecrare*. Præterea laicis eamdem competere facultatem probant exempla perſpicua. Frumentius enim laicus ex Alexandria ad Indos, vel Æthiopes profectus, eos, qui eo commeaverant, hortatus eſt, *eo more, quo ſub Romano imperio fieri ſolebat, & convenire, & ſacra celebrare*: *κατὰ τὸ Ῥωμαίων ἔθος συναγείρεσθαι τε καὶ ἱερᾶς ἐπιτελεῖν λειτουργίας*, inquit lib. 2. c. 23. H. E. Theodoretus. Similia narrantur de quodam laico Monacho, quem *verbis ſanctæ oblationis panes conſecraſſe* teſtatur Sophronius Hieroſolymitanus in Prato Spirituali cap. 25. Regnante denique in Galliis Carolo V. milites Bertrandi Guiſclini, facta invicem peccatorum confeſſione, ſeſe conſecrato pane communicaſſe narrant, inquit Grotius, illius aut proximi temporis ſcripta. Synaxim vero a temporibus Apoſtolicis feciſſe inter ſe laicos adhibita precatione, indicat Eraſmus in Epiſtolam ad Cutbertum Tonſtallum, quæ extat tomo Operum ejus tertio. Panem denique in agro a paſtoribus conſecratum, converſum fuiſſe in carnem teſtantur Honorius Auguſtodunenſis in Gemma Animæ, & Albinus Flaccus in libro de divinis Officiis, apud Lupum de Præſcriptionibus pag. 705. Poſtrema objectio militat pro feminis, & petitur ex veteri Martyrologio, in quo ad diem pridie Kalendas Junias ſic legitur: *Romæ ſanctæ Petronellæ virginis. Hæc fuit filia beatiſſimi Apoſtoli Petri, quæ poſt multa miracula ſanitatum, cum eam Flaccus Comes ſuo vellet ſociare conjugio, tridui inducias poſtulans, & cum ſancta Felicula collactanea ſua continuis jejuniis, & orationibus vacans, tertio celebratis Dominicæ oblationis myſteriis, mox ut Chriſti ſacramentum accepit, reclinans ſe in lectulo emiſit ſpiritum*. In Martyrologio Romano prætermiſſa ſunt hæc verba, *Tertio celebratis divinæ oblationis myſteriis*.

Ad primum ergo reſpondetur omnes in nova lege dici *Sacerdotes* late ſignificatione, quatenus Deo preces offerunt, & ſpirituali gratia inunguntur, prout diffuſe explicavi Volumine III. pag. 205. Ad alterum poſſet uno verbo reſponderi, Tertullianum non fuiſſe, ut Hieronymus ait, *hominem Eccleſiæ*, nec mirum talia ſcripſiſſe, poſtquam defecit ad Montaniſtas, a quibus etiam feminas ſacerdotio donatas affirmant qui de hæreſibus pertractarunt, Epiphanius, Philaſtrius, & Auguſtinus. Sed quoniam contendunt aliqui ſcriptum librum illum a Tertulliano decem ſaltem annis, antequam deficeret ad Montaniſtas, ut videtur innuere Hieronymus in primo libro adverſum Jovinianum, immo idem Tertullianus inter Cataphryges adſcitus improbaſſe fertur quod hi tradebant de ſacerdotio mulierum, & hujus dogmatis cauſa conſtituiſſe ſegregatum a Montaniſtis ceteris conventiculum; melius idcirco reſpondetur, ipſum quoque Tertullianum locutum de ſacerdotio late accepto: de quo ad Scapulam cap. 2. ſcripſit *Sacrificat, quomodo præcepit Deus, pura prece*: & Apologetici 30. *Offer opimam & majorem hoſtiam Deo, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto profectam*. Quod ſi etiam velis accipiendum Tertullianum de oblatione, quam perſecutionis tempore fideles ſecum jam a ſacerdote conſecratam in cryptas latebraſque deferrent, ibique adhibitis precibus aut major natu minoribus diſtribueret, aut manibus ſuis acciperet unuſquiſque; neque id certe perdifficile eſt, aut abſurdum. Verum enim vero agnoſcit ibidem Tertullianus ſpeciale ſacerdotium, quod conſtituit *Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus*, quibus verbis Tertullianea phraſi intelligitur *origo*, & *inſtitutio* derivata ab Apoſtolis, & *character* impoſitione manus presbyterii collatus, quemadmodum libro 2. de Euch. cap. 8. demonſtrat doctiſſimus Albaſpinæus. Neque ſcopus pertractantis *de monogamia* infringit hanc reſponſionem: nam ratiocinationis, quæ conſequitur, ſenſus eſt, neminem poſſe promereri gratiam oratione, & fide, quæ ſunt ſpecies quædam ſacræ oblationis, dum qui orat & credit, licet proprie ſacerdos non ſit, (hæreticorum enim amentia eſt, *ut ſacerdotalia munera laicis injungant*) agit tamen *pro ſacerdote*: neminem, inquam, poſſe gratiam promereri, niſi ita animo affectus ſit, ut ſeſe caſtitatis amore demonſtret obeundis ſacramentis idoneum. At plura de Tertulliano Albaſpinæus paulo ſupra laudatus, Harduinus Embolo I. de Sacram. Altaris cap. 2. & Dionyſius Petavius in Diatriba *de poteſtate conſecrandi*, quam edidit adverſus Grotium.

Objectio 3. de Diaconis nullius momenti eſt. Ancyrano quippe canone ſtatuitur Diaconos, *qui ſacrificarunt idolis*, *πεπαῦσθαι πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας τῆς τε τὸν ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν*, *ceſſare ab omni ſacro miniſterio, quod eſt panem & calicem deferre*, ſcilicet prohibitum ipſis Diaconis inſervire celebranti, & de *protheſi*, ſeu minore ara, portare ad altare Pontifici munera conſecranda: *ἀναφέρειν*, quippe *deferre* eſt; ſicuti *προσφέρειν*, *offerre*, tametſi Dionyſius Exiguus, & Chriſtophorus Juſtellus reddiderunt *offerre* etiam pro *ἀναφέρειν*. Quod gratis admittimus, ſi *offerre* ſit idem, ac *exhibere* panem, & calicem ſacerdoti conſecraturo; ſecus vero, ſi *offerre* idem ſit, ac *offerre* Deo ſacrificium, & *conſecrare*. Etenim Nicæna Synodus aperte negat Diaconis poteſtatem ineſſe *τὸ προσφέρειν*, *offerendi* ſcilicet & *conſecrandi*. Senſu itaque explicato Diaconus *offert*, quatenus geſtat oblationem ad altare, ut animadvertimus ſupra, vel etiam quatenus *ſanguinem miniſtrat*, quo ſenſu ait Cyprianus de Lapſis, *Calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit*: quod affirmari de ſola adminiſtratione perſpicuum eſt, quidquid effutiat & inconſiderate aſſerat Hugo Grotius. Eamdem *ſanguinis adminiſtrationem* exercuit Sixti diaconus, & martyr invictiſſimus Laurentius; neque illa verba, *Dominici ſanguinis diſpenſationem* primi invexerunt editores Romani, ita enim habent antiquiſſima MSS. quæ ſuperant ætatem octingentorum annorum. Cohærent inſuper eadem verba Auguſtino de Laurentio ſerm. 304. dicenti, *Laurentium Romæ Diaconi officium geſſiſſe, ibique ſacrum Chriſti ſanguinem miniſtraſſe*. Reſtituerunt nihilominus Benedictini in editione Ambroſiana pro diſpenſatione *conſecrationem*, juxta fidem complurium codicum, & editionum antiquorum: ſed idem utroque vocabulo ſignificatur, communione enim

Digitized by Google

nim Dominici ſanguinis ſanctificamur, & conſecramur; & etiamnum ſacerdos immittens in calicem particulam hoſtiæ, ait, *Hæc commixtio, & conſecratio*, &c. Vide notas PP. S. Mauri Tom. 2. Ambroſii pag. 54. Ruinart in Act. Mart. pag. 170. & Cardinalem Bona lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 25. num. 4.

Ad ea, quæ objiciuntur de laicis, teneas hanc reſponſionem. Theodoretus λειτουργίας nomine intellexit conventus Chriſtianorum ad offerendas Deo preces: nam Rufinus, ex quo Theodoretus hanc hiſtoriam exſcripſit, lib. 1. cap. 9. ait Frumentium negotiatoribus cum pietate educatis, qui eo navigabant, perſuaſiſſe, *Ut conventicula per loca ſingula facerent, ad quæ ritu Romano orationis cauſa confluerent*. Nec aliter Socrates lib. 1. cap. 19. & Sozomenus libro 2. cap. 24. Licet enim Act. XIII. 2. & apud ſacros Scriptores *Liturgia* proprie ſignificet miniſterium ſacerdotum & ſacrificium; attamen aliquando eadem vox uſurpatur ad ea ſignificanda, quæ cum ſacrificio quamdam habent *analogiam*, quemadmodum Apoſtolus Evangelium gentibus adminiſtrans, ad Rom. XV. 16. λειτουργεῖ dicitur, & *ſpiritus contribulatus*, quoniam inſtar ſacrificii Deum placat, *ſacrificium* appellatur Pſ. L. 19. Addo Frumentium, ut apud Indos ſtabiliret Catholicam religionem, reverſum Alexandriam a ſancto Athanaſio poſtulaſſe Sacerdotes ad gentis illius culturam, atque Athanaſium ipſi Frumentio *ſacerdotalem gratiam* fuiſſe impertitum, ut ſcribit eodem in loco Theodoretus, immo, ut addunt Socrates & Sozomenus, etiam *Epiſcopatus honorem*, ſine quo Frumentius in Indiam reverſus non potuiſſet ordinare presbyteros, & ſacris miniſteriis præeſſe. At in hiſtoria narrata a Sophronio, ſi eam velimus admittere, conſtat ex eadem narratione contigiſſe maximum, inauditumque miraculum, ut laici deinceps non auderent conſecrationis verba proferre: unde legitur eodem cap. 25. Prati ſpirit. *Tunc ſtatuit Monachorum Senior, ut nullus addiſceret ſancta oblationis verba, niſi qui ordinatus ad hoc eſſet; neque paſſim ea quiſquam diceret, quocumque tempore, abſque loco conſecrato*. Videſis Lupum in c. XLI. Tertulliani de Præſcript. Factam vero ad ruſticorum verba panis commutationem, non verborum virtuti, ſed omnipotentiæ Dei punientis ruſticorum ipſorum audaciam, tribuunt eo loci Honorius Auguſtodunenſis, & Alcuinus: qui etiam hæc narrant ex incerto vulgi rumore, appoſito verbo, *Dicitur*, *Fertur*. De militibus Bertrandi, quamvis ea ætate ſerperet hæreſis Novatorum, aliud non referunt ipſa ſcripta a Grotio producta IV. Tom. pag. 509 prætterquam Sacerdotibus deſtitutos *loco Euchariſtiæ* panem communem accepiſſe, ipſi pani *Sacramenti* nomen attribuentes: *Et prennoyent les aucuns de iceux du pain, & le ſeignoyent du nom du ſainct Sacrament: & le uſoyent en lieu d'eſcommichement*. Atque hoc unum, non veram conſecrationem, putat Eraſmus in Epiſtola ad Cutbertum, feciſſe aliquando laicos temporibus Apoſtolorum: quæ dicta ſint ad oſtendendam Grotii alucinationem, quamvis nulla hac in re auctoritas inſit epiſtolæ Eraſmianæ, & hiſtoriæ Bertrandi.

De Petronilla, & Felicula, quas litteratus Grotius appellat *Petronellam, & Feliciliam*, reſpondet Petavius non haberi in Martyrologio, quod ab ipſa Petronilla celebrata fuerint *dominicæ oblationis myſteria*. Legi autem ego Acta SS. MM. Nerei & Achillei, & S. Flaviæ Domitillæ, quibus inſeritur Vita SS. Petronillæ, & Feliculæ: ex quibus Actibus apparet exſcripta eſſe verba Martyrologii. Eadem ergo Acta inter cetera hæc habent: *Factum eſt autem, ut trium dierum acceptum ſpatium Virgo ſanctis jejuniis & orationibus occuparet, habens ſecum ſanctam virginem Feliculam collactaneam ſuam in Dei timore perfectam. Tertio itaque die veniens ad eam ſanctus Nicomedes presbyter celebravit myſteria Chriſti; virgo autem ſanctiſſima, mox ut Chriſti Sacramentum accepit, reclinans ſe in lectum emiſit ſpiritum*. Vide Acta SS. edita ab Henſchenio tom. VII. Maji pag. 420.

PROPOSITIO II. Etiam Diaconi aliquando Euchariſtiam diſpenſarunt, præſertim ſub *ſpecie* vini, Antiſtitum tamen juſſu & delegatione.

Dictum enim ſupra, tranſmiſſam per Diaconos, immo nonnunquam etiam per acolythos Euchariſtiam abſentibus, prout conſtat ex altera Juſtini Apologia, atque ex hiſtoria Tarſicii. Miniſterium autem diaconorum fuiſſe olim, dum presbyteri aderant, præbere communicantibus duntaxat calicem, probatur primo auctoritate Juſtini, & Tertulliani, qui ſcribunt ſumptam Euchariſtiam *e manibus Præſidentium*, & Cypriani tantum affirmantis a Diaconis *oblatum calicem*. Probatur deinde ex his, quæ paullo ſupra diximus de S. Levita, & Martyre Laurentio, & ex his, quæ de ſeptem Diaconis cecinit Arator:

Jura miniſteriis ſacris altaribus apta
In ſeptem ſtatuere viris, quos undique lectos
Levitas vocitare placet. Quam ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat Agni.

Idem præterea inſertat ex quo Antiquus Ordo Romanus

præſcribat, ut ab Archidiacono *confirmentur illi, quos communicaverit Pontifex Dominico corpore*: quo in loco *Confirmationis nomine* deſignari *diſpenſationem calicis*, dixi pagina 2. hujus Voluminis.

Advertendum hic tandem eſt, diaconum non poſſe præſente presbytero Euchariſtiam diſtribuere, ut canone 15. Concilii primi Arelatenſis ſtatuitur his verbis: *Corpus Chriſti præſente presbytero tradere non præſumat*. 2. Poſſe Diaconum diſpenſare Euchariſtiam, ſi neceſſitas urgeat, & jubeat Antiſtes, ut inquit Alcuinus de divinis officiis, *In capite jejunii*, decrevitque canon 38. Concilii IV. Carthaginenſis. 3. Numquam a diacono communionem miniſtrandam eſſe presbyteris, ex præcitato canone decimo octavo Nicænæ Synodi. 4. Infirmos a presbyteris, non a diaconis eſſe communione reficiendos, ut habetur cap. *Pervenit*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 29. ubi legitur: *Omnimodis presbyter per ſeipſum infirmum communicet: quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit*. 5. Servandam denique vetuſtiſſimam conſuetudinem a Tridentinis Patribus confirmatam, ſeſſ. XIII. cap. 8. ut *Laici a Sacerdotibus communionem accipiant, Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicent*.

C A P U T XIV.

De ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communione, *ac primum de hujus præcepto*.

C*Ommunionis* vocabulum non ſemper eodem ſenſu ab Eccleſiaſticis Scriptoribus uſurpatur: aliquando enim adhibetur ad ſignificandum conſortium & ſocietatem fidelium; aliquando ad denotandam Euchariſtiæ participationem, aliquando demum ad deſignandum Miſſæ ſacrificium, necnon *antiphonam*, quæ, dum fideles communicant, cantari ſolet a clericis. Communio accepta in priori ſignificatione appellari ſolet *Communio Eccleſiaſtica*, qua interdum privantur qui gravioribus criminibus obſtringuntur, *Excommunicati* propterea dicti. Spectant ad hanc communionem laudatæ apud veteres, *communio laica, & communio peregrina*, quæ imperite ſolent accipi pro ſola Euchariſtiæ perceptione, quatenus laicis, aut advenis diſtribuitur. *Communio* enim *laica* erat pœna, qua Clerici ob patratum aliquod crimen in ordinem plebis redigebantur, nec poterant communicare cum ceteris, qui erant ejuſdem ordinis: & *communio peregrina* erat illa, quæ concedebatur Eccleſiaſticis, aut laicis, cum litteris commendatitiis, quas *Formatas* vocabant, extra propriam diœceſim peregrinantibus: hi enim cum ceteris ordinis ſui, tum in oratione, tum in Euchariſtia communicabant, ſed nullo dignitatis ſuæ munere fungebantur, Sirmondus tamen in Hiſt. publicæ pœnit. & Albaſpinæus lib. 1. Obſervat. eam dicunt *communionem peregrinam*; qua clerici ob aliquod crimen in eo loco & ſtatu collocabantur, in quo poni ſolebant peregrini abſque litteris *Formatis* vagantes. Etiam ſacrificium a Nazianzeno, ab Iſidoro Peluſiota, & ab aliis Patribus, laudatis a Cardinal. Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 3. numer. 2. appellari ſolet *communio*, quaſi parte uſurpata pro toto, quoniam in Miſſæ ſacrificio fit Dominici corporis conſecratio & participatio: eodemque *communionis* vocabulo deſignatur, ut dixi, quod cantari ſolet, dum ſacra oblatio populis diſtribuitur, ex vetuſtiſſima conſuetudine, quam laudant S. P. Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 11. Antiphonarium S. Gregorii, Ordo Romanus, Honorius Auguſtodunenſis, & alii. *Communio* denique, de qua dicturi ſumus, eſt ſacroſanctæ Euchariſtiæ perceptio, appellata in ſanctorum Conciliorum decretis *Communio Dominica*, ſeu *Communio divinorum ſacramentorum*. Hæc autem dicta ſint de *Communionis* vocabulo: de quo plura Albaſpinæus libro 1. de Euchariſtia, Morinus lib. 2. Eccleſ. exercitat. Du-Cangius in Gloſſario, Bona de Rebus Liturgicis, Lupus in canones Nicænos, & Sardicenſes, aliique viri percelebres.

De hac ergo communione pertractaturus agam principio de ipſius neceſſitate. Diximus autem Tom. III. pag. 191. aliiſque in locis, duplicem eſſe neceſſitatem, medii ſcilicet, ac præcepti: neque opus eſt, ut hæc iterum explicemus. Euchariſtiam complures neceſſariam putant neceſſitate prioris generis, adeo, ut ſine illa nemo poſſit, ſive adultus ſit, ſive parvulus, conſequi ſalutem æternam. Tenent hanc opinionem quidam Græcorum apud Arcudium lib. 3. Concordiæ cap. 40. & Calviniani, ceterique Novatores paſſim, contendentes hanc fuiſſe ſententiam veterum omnium Patrum, maxime S. P. Auguſtini diſputantis adverſus Pelagianos. Idem de Auguſtino, necnon de Innocentio I. Romano Pontifice ſcribunt Sanctefius Repetit. 6. cap. 7. & Maldonatus in caput VI. Joan. v. 54. ut mittam Adamum, & Moraineum, quos cap. IV. Vindiciarum §. 4. refellit eximius Norſius. Duplex itaque hinc oritur quæſtio; una *dogmatis*, ſcilicet an quis ſalvari poſſit abſque Euchariſtiæ perceptione, altera *facti*, an parti affirmanti adhæſerit Auguſtinus, ſitque eam ob rem reprehendendus. In quæſtione dogmatis conveniunt

omnes, affirmantes communionem actu perceptam neceſſariam non eſſe *neceſſitate medii* ad ſalutem ; & aliqui dumtaxat neceſſariam putant communionem in voto, permoti auctoritate S. Thomæ 3. p. q. 73. art. 3. quæ tamen alia ratione explicatur a Sylvio, & a multis Thomiſtis. Circa autem quæſtionem facti, falſiſſimum eſt Auguſtinum exiſtimaſſe, quod parvuli ſuſcepto baptiſmate ſalvari nequeant abſque actuali SS. Euchariſtiæ communione, ut demonſtrarunt Pallavicinus in Hiſt. Concilii Trident. lib. 17. cap. 12. Bona lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 19. & ex Noſtratibus Noriſius citato loco Vindiciarum, Deſirant in Præſcript. Euch. lib. 3. cap. 4. Piette de Euchariſt. q. 8. ut mittam recentiores Theologos Jueninum, Tournelium, Witaſſium, Trivellatium, & alios.

Facile autem dirimi poſſet hæc controverſia, ſi diſtinguamus duplicem Corporis Chriſti manducationem, *realem* nempe, quæ fit ſumendo Euchariſtiam, & *myſticam*, quæ fit adoptatione in myſticum Chriſti corpus, ideſt, Eccleſiam. De myſtica communione proculdubio loquitur Auguſtinus lib. 3. de Peccatorum meritis & remiſſ. cap. 4. num. 8. ſcribens : *Numquid & illud ambiguum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei? . . . Numquid & illud, Quia niſi manducaverint homines carnem ejus, hoc eſt, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? His, atque hujuſmodi aliis, quæ nunc prætereo, teſtimoniis divina luce clariſſimis, divina auctoritate certiſſimis, nonne veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam poſſe habere præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur, ſacramento baptiſmatis imbuuntur?* Fulgentius etiam, quem Auguſtini mens latere non potuit, in Epiſt. ad Ferrandum Diaconum cap. 11. quibuſdam verbis Auguſtini productis, *Arbitror*, inquit, *diſputationem noſtram præclari Doctoris Auguſtini ſermone firmatam, nec quicquam eſſe aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, ſanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illo panis, calicisve conſortio; etiamſi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.* Hæc Fulgentius : cujus verba adeo ſunt manifeſta, ut penitus dirimant controverſiam, nec ſinant quemquam de mente Auguſtini hæſitare. Quare Fulgentii producto textu Eminentiſſimus Bona ait : *Hinc colligitur, ſenſum Auguſtini non bene ab illis perceptum fuiſſe, qui perperam eum accuſant, quod Euchariſtiam parvulis neceſſariam ad ſalutem eſſe docuerit contra Eccleſiæ definitionem, quæ hanc ſententiam inflicto anathemate condemnavit.* Alter pariter Vaticana purpura, & doctrina conſpicuus, ideſt, Cardinalis Pallavicinus, *Hodierne*, inquit, *primum in ſchola innotuit, intellectum fuiſſe ab Auguſtino caput ſextum S. Joannis non de ipſa ſolum in re ſuſceptione Euchariſtiæ (ſive etiam de illa intellectum ab ipſo fuerit, necne, de quo diſceptatur, nec noſtra intereſt) ſed de conjunctione, qua nobiſcum Chriſtus myſtice fit unum corpus per baptiſmum ac fidem?* Hæc ille citato cap. 12. num. 8. De ipſamet myſtica communione loquitur apertiſſime S. Innocentius I. in Epiſtola ad Patres Milevitanos, inter Auguſtinianas 182. olim 93. num. 5. hæc de Pelagianis ſcribens : *Illud vero, quod eos veſtra Fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonniſi baptiſmate conferendum.* His verbis Noriſius refellit Maldonatum, & Pallavicinus Eraſmum, Suavem, & Centuriatores, qui ſcribunt non ſolum Auguſtinum, ſed etiam Innocentium putaſſe Euchariſtiam infantibus neceſſariam; cum tam Innocentius, quam Auguſtinus negent ſolummodo poſſe vitam æternam conferri ſine baptiſmate.

Hæc, quæ diximus de myſtica corporis Chriſti manducatione, demonſtrant quo ſenſu veteres quidam Scholaſtici affirmarunt Euchariſtiam eſſe unicuique, etiam parvulis, neceſſariam ad ſalutem. Interpretati ſunt enim cum Auguſtino, & Innocentio ea verba, *Niſi manducaveritis, &c.* de manducatione ſpiritali, animumque intenderunt ad rem ſacramento ſignificatam, ſive ad unitatem Eccleſiæ, non ad actualem ſacramenti communionem. Hæc certo tradit S. Thomas q. 73. art. 3. ubi ait, *rem hujus ſacramenti eſſe unitatem corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus.* Nec de Angelici Doctoris mente poteſt dubitare, qui legerit nonum articulum quæſtionis lxxx. In qua, ubi definivit Euchariſtiam dandam non eſſe parvulis, & amentibus, ita in reſponſione ad 3. concludit : *Nec tamen per hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit Joan. 6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis : quia, ſicut Auguſtinus ſcribit Bonifacio, tunc unuſquiſque fidelium corporis, & ſanguinis Domini particeps fit, ſcilicet ſpiritualiter, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur.* Unum eſt, quod ad memoriam arbitror revocandum, Auguſtinum nempe accepiſſe quidem hæc verba, *Niſi manducaveritis, &c.* pro manducatione myſtica, ſive incorporatione in Eccleſiam, dum ageret contra Pelagianos; ſed ulterius explicaſſe eadem verba, (neque uno in loco) de communione Euchariſtica, prout monui ſupra pag. 81. Jamvero, quamvis ex prænotationibus illis facillimum ſit de neceſſitate Euchariſtiæ proferre ſententiam, & ſenſum aſſequi verborum Auguſtini, quæ ſolent in contrarium torqueri; ſubjectis tamen theſibus quidquid in diſputationem cadit, enucleabo.

THESIS I.

Euchariſtia non eſt omnibus prorſus, ſive adultis, ſive parvulis ita ad ſalutem neceſſaria, ut nullus omnino poſſit ſine illa ſalutem conſequi. Probatur primo; nam parvuli per baptiſmum regenerantur in Chriſto, & conſtituuntur filii Dei, & regni cæleſtis hæredes, ut oſtendimus libro xxxi. cap. 25. ſi ergo ex hac vita migraverint, priuſquam ratione ac libertate utentes gratiam & innocentiam in baptiſmo acceptam amiſerint, minime privabuntur filiorum Dei hæreditate. Deinde nunquam Eccleſia credidit Euchariſtiam *abſolute* parvulis neceſſariam : hujuſque perpetuæ fidei argumentum eſt inviotiſſimum, quod nunquam aut laici, aut mulieres Euchariſtiam ceteris diſpenſaverint, cum tamen baptiſmum contulerint urgente neceſſitate : quod abeunte in deſuetudinem communione parvulorum, nullus Patrum ſcripſerit denegari illis neceſſarium ſalutis remedium : quod aliquando conſueverit Eccleſia negare lapſis etiam in exitu mortis communionem ſacramentalem, eo quod non ſit *viaticum* tam neceſſarium, quam reconciliatio & abſolutio, prout demonſtrat præſtantiſſimus Lupus ad Nicænum canonem tertium decimum. Tridentina denique Synodus ſeſſ. xxi. cap. 4. docet parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem, producta ratione illa apertiſſima, quam initio poſuimus, quoniam ſcilicet *per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Declarat ibidem ſanctiſſimos Patres, qui etiam parvulis Euchariſtiam adminiſtrarunt, *ſui facti probabilem cauſam* pro illius temporis conditione habuiſſe, atque id feciſſe *nulla ſalutis neceſſitate* : & canone 4. ejuſdem ſeſſ. concludit : *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.* Quod autem opponunt hæretici, dixiſſe Dominum, *Niſi manducaveritis, &c.* probat tantum neceſſitatem præcepti obſtringentis adultos; niſi accipiantur hæc verba de communione myſtica paullo ſupra explicata, quo ſenſu ſpectare ad parvulos docet S. Pater, ut dixi tom. *iii.* pag. 308. & nunc iterum repetam.

THESIS II.

Si accipiatur manducatio corporis Chriſti myſtico ſenſu, quatenus idem eſt, ac Eccleſiæ copulari, eſt omnino, aut in re, aut ſaltem in voto de neceſſitate ſalutis. Probatur 1. quoniam extra unitatem Eccleſiæ non poteſt haberi ſalus. Probatur 2. quia S. Pater Auguſtinus probat adverſus Pelagianos, parvulos a vita æterna excludendos, *niſi manducaverint carnem filii hominis*, lib. 1. de Peccat. meritis & remiſſ. cap. 20. libro 2. contra duas Epiſt. Pelagianor. c. 4. lib. 3. contra Julianum cap. 1. aliiſque in locis : neque Auguſtinus ſolus, verum etiam Innocentius Primus ad Patres Milevitanos, nec non Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum. Atqui nequeunt intelligi de manducatione ſacramentali, ut conſtat ex theſi præcedenti. Intelligendi ergo ſunt de manducatione myſtica & ſpiritali, ſive de *Incorporatione* in Eccleſiam. Denique S. Thomas 3. p. quæſt. 73. art. 3. inquit : In Euchariſtia duo poſſunt conſiderari, res, & ſacramentum. *Dictum eſt autem, quod res hujus ſacramenti eſt unitas corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus : nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam; ſicut nec in diluvio abſque arca Noe, quæ ſignificat Eccleſiam, ut habetur 1. Petri.*

THESIS III.

Non erravit Auguſtinus adſtruens communionem corporis, & ſanguinis Domini ſingulis, etiam parvulis, neceſſariam, ſiquidem de communione myſtica, non de ſacramentali ſermonem inſtituebat. Etenim Tridentina Synodus docet diſtributam quidem a Patribus olim Euchariſtiam infantibus, ſed *nulla neceſſitate* : quod falſum eſſet, ſi Auguſtinus inculcaſſet neceſſitatem *communionis ſacramentalis*. Quod ſi dixeris Auguſtinum a doctrina Patrum ceterorum receſſiſſe; idem ſibi affirmandum erit de Romanis Pontificibus Innocentio, & Gelaſio eamdem Auguſtini ſententiam tenentibus in prælaudatis Epiſtolis decretalibus. Atque ipſemet Auguſtinus in Epiſtola 186. ad Paulinum n. 29. ſcribit non a ſe tantum, ſed etiam *ab Apoſtolica Sede*

fuiſſe

fuiſſe adhibitam illam ſententiam, *Niſi manducaveritis*, *&c.* adverſus Pelagianos promittentes parvulis ſine baptiſmo denatis æternam vitam: laudatque inſuper Innocentii Epiſtolam lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 4. num. 7. & libro 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. Si ergo erravit Auguſtinus, errarunt pariter Innocentius, & Gelaſius; nec Tridentini Patres mentem antiquiorum ſunt aſſecuti. Præterea locutum Auguſtinum *de adoptatione in Eccleſiam* tradunt Theologi præclariſſimi ſupra commemorati, & in lectione Auguſtinianorum Operum verſatiſſimus, beatus Fulgentius. Deinde novum non eſt, nec inſolitum apud Auguſtinum appellare *manducationem corporis Chriſti* unitatem Eccleſiæ, fidem caritate formatam, & manſionem in Chriſto: nam lib. 3. de Peccat. meritis cap. 4. docet parvulos non poſſe habere vitam extra Chriſti corpus, *cui ut incorporentur, ſacramento baptiſmatis imbuuntur*: ſermone *ad infantes* laudato a Fulgentio ſcribit, unumquemque fidelium *corporis ſanguiniſque Domini participem fieri*, quando in baptiſmate efficitur membrum Chriſti; & Tractatu XXVI. in Joannem num. 15. ait: *Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia*; ac paucis interjectis diſtinguit apertiſſime *ſacramentum a re ſacramenti*, ut fecit poſtmodum S. Thomas; atque demum in hanc ſententiam concludit: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*. Similia leguntur cap. *Quid eſt*, de Conſec. diſt. 2. num. 46. deprompto ex Beda in 1. ad Corinth. Ex his, ut verbis utar Noriſii, error de neceſſaria pueris præter baptiſmum reali Euchariſtiæ ſumptione a recentioribus Auguſtino attributus in fumum evaneſcit.

Me non latet adinveniri inter recentiores, qui putant Auguſtinum accipiendum eſſe de *communione ſacramentali*, propterea quod utrumque diſtinguat, baptiſmum, & manducationem Dominici corporis; recte tamen ex illo teſtimonio, *Niſi manducaveritis*, *&c.* confutaſſe Pelagianos, quia non ex propria mente aſſerebat Euchariſtiam eſſe parvulis neceſſariam ad habendam vitam æternam, ſed ex ſententia, & hypotheſi ipſorum Pelagianorum. At ſi attente legeris Auguſtinum, atque laudatas Epiſtolas Innocentii & Gelaſii, percipies ſanctum Parentem, Romanoſque Pontifices eo pacto demonſtraſſe parvulos ſine manducatione corporis Chriſti excludendos a vita æterna propter Dominicam ſententiam, *Niſi manducaveritis*, *&c.* quemadmodum demonſtrarunt expellendos abſque baptiſmate a cæleſti regno propter ſententiam alteram, *Niſi quis renatus*, *&c.* Hypotheſis autem Pelagianorum, ut diximus lib. XIII. cap. 1. & 8. erat diſtinguere regnum cælorum a vita æterna: ob quam diſtinctionem vanam, atque fictitiam, Auguſtinus præter baptiſmum urgebat etiam Dominici corporis communionem, atque ita adverſarios perſtringebat: Duo in Evangelio leguntur, videlicet, *Niſi quis renatus fuerit*, *&c.* &, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, *&c.* Neceſſum eſt ergo, ut baptiſmo renaſcatur, qui intraturus eſt in regnum cælorum, & Chriſto incorporetur qui fruiturus eſt vita æterna. At parvuli ſine baptiſmo decedentes, neque ſunt renati ex aqua & Spiritu ſancto, neque incorporati ſunt Chriſto. Igitur iidem parvuli tam regno cælorum, quam vita æterna privantur.

THESIS IV.

Adulti tenentur præcepto divino ad ſacramentalem communionem. Chriſtus enim Euchariſtiam inſtituens ait Apoſtolis, *Hoc facite*, *&c.* ideſt, *Conſecrate*, *comedite*, *diſtribuite*; ideoque divinum præceptum eſt, ut Sacerdotes percipiant communionem ſacramentalem, eamdemque diſtribuant laicis. Præterea inquit Dominus, *Niſi manducaveritis*, *&c.* quæ verba non ſolum explicantur a Patribus de communione myſtica unicuique neceſſaria, ſed etiam de communione reali, præſcripta iis, quibus neceſſarium eſt ſpirituale alimentum, ut in Chriſto permaneant. Eruitur hinc ratio; cum enim caro Chriſti *vere* ſit *cibus*, & ſanguis ejus *vere* ſit *potus*; vitam ſpiritalem nequaquam cuſtodit quiſquis ſpernit, & negligit divinum hoc nutrimentum. Dicam vero de ejuſdem frequenti uſu proximo c. XVII.

THESIS V.

Eccleſiaſtico præcepto adulti ad communionem ſacramentalem tenentur ſaltem ſemel in anno, recurrente ſolemnitate Paſchali. Conſtat ex cap. 21. Concilii Lateranenſis IV. in quo his verbis id ſtatuitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*. Et Tridentinum ſeſſ. XIII. can. 9. *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ; anathema ſit*.

Circa hoc præceptum de communione Paſchali quæri poteſt, quinam dicendi ſint ad annos *diſcretionis* perveniſſe: quis ſit *proprius Sacerdos*, a quo percipienda eſt communio: quid veniat nomine *Paſchatis*; & an huic præcepto ſatisfiat ab eo, qui communicat extra propriam *Parochiam*. Ad primam quæſtionem dico illum ad uſum diſcretionis, quantum ad communionem attinet, perveniſſe, qui non ſolum ratione utitur, & prolabitur in venialia peccata, ut cenſent plurimi apud Joannem Sanchez Abulenſem diſputatione inter ſelectas viceſima ſexta, ſed qui inſuper idoneus eſt ad corpus Domini dijudicandum, divinique myſterii percipit magnitudinem, ætatis ſcilicet *inter annum decimum, ac duodecimum*. Principio enim uſus rationis non eſt ad res ſingulas ejuſdem energiæ: atque aliud eſt exercere in rebus humanis facultatem arbitrii, aliud vero ad res divinas comparatum eſſe, atque idoneum. Deinde ætatem illam grandiuſculam, annorum ſaltem decem, requirunt Theologi cum S. Thoma in IV. diſt. 9. q. 1. præſcribunt Acta Mediolanenſis Eccleſiæ S. Caroli P. IV. Inſtruct. de Sacrament. & perantiquum Carmen laudatum a Martenio lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 4. art. 10. num. 14. atque a Joanne Pontaſio v. *Communio* num. 1.

Non pueris infra his quinque manentibus annos
Des Corpus Domini, quamvis ſint corpore puri;
Quid ſumant cum ignorent: ergo prohibentur.
Excipe quos urget ſera mors; annis licet his ſint
Octo, ſive novem, vel ſeptem, dum ſibi conſtet
Scire Pater noſter, *& eorum vita probata.*

Accedit praxis Eccleſiæ, quæ puerorum minorem ætatem agentium audit utique Confeſſiones, ſed illos non admittit ad participationem ſacroſancti divinique myſterii.

Proprius Sacerdos, ut ad quæſtionem alteram veniamus, eſt Parochus, & quiſquis eo jubente Sacramenta diſpenſat. Verum licet in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, proprio Sacerdoti dicatur facienda peccatorum confeſſio, ab eoque ſuſcipienda communio; non tamen eſt de Communione & de Confeſſione eadem ratio. Satisfacit enim Confeſſionis annuæ præcepto, qui confitetur etiam Regularibus *ſimpliciter* ab Ordinario approbatis; quoniam Epiſcopus, (qui & ipſe *proprius Sacerdos* eſt) dum impertitur audiendæ confeſſionis facultatem, non excludit Paſchale tempus: ideoque qui eo temporis adit Confeſſarium quemlibet approbatum, recipit Sacramentum, *proprio ſacerdote* annuente. Damnavit propterea Joannes XXII. in Extravaganti, *Vas electionis*, ſententiam Joannis e Poliaco Doctoris Pariſienſis, qui irritas pronuntiabat confeſſiones factas Paſchali tempore Regularibus. Quare rigidiores quidam Theologi propugnantes neceſſitatem Confeſſionis faciendæ Parocho, ſaltem in Paſchate, & negant Epiſcopum *proprium Sacerdotem eſſe*, & audacter ab Orco revocant damnatam Joannis de Poliaco ſententiam; prout animadvertit Notificat. XVIII. primi Voluminis Summus Pontifex BENEDICTUS. Id vero, ut dixi, de communione non tenet; quoniam exceptionem hanc Romani Pontifices ſemper appoſuere, declarantes non ſatisfieri extra Parochiam præcepto annuæ communionis. Clemens enim VIII. anno 1592. adverſus quoſdam Galliarum Parochos ſancivit poſſe utique ſæculares confiteri peccata ſua Regularibus idoneis, & ab Ordinario approbatis, ſed ea conditione expreſſa, *Dummodo tamen iidem ſæculares, Chriſtifideles, ſacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchalis reſurrectionis in propria Parochia ab coram Parocho ſumant*. Et Clemens X. Conſtitut. *Suprema*, pariter declaravit, *eos qui Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit*, Omnis utriuſque ſexus, *quoad confeſſionem duntaxat omnes ſatisfeciſſe cenſendos*.

Quale ſit *tempus Paſchale*, aperte explicavit in Conſtitutione XX. quæ incipit, *Fide digna*, Eugenius IV. his verbis: *Intelligimus optimo jure ſatisfactum eſſe canoni, ſi in hebdomada ſancta, vel infra octavam Paſchæ reſurrectionis Dominicæ, ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, fideles præparatione debita ſanctum Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem; & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere*.

Denique communionem percipiendam eſſe *in propria Parochia*, ut impleatur Eccleſiaſticum præceptum, conſtat ex laudatis definitionibus. Oriri tantum hic poſſunt dubiola quædam, E. G. an qui habet duo domicilia, quod neque canonicis, neque civilibus legibus repugnat, communicare poſſit in utraque Parochia, cui domicilia illa ſubjiciuntur: & an ſatis ſit communicare in Metropolitana, aut Cathedrali Eccleſia, quando hæc non eſt Parochialis. At ad dubium primum communis eſt, & certa reſponſio, communicandum in ea Parochia, in qua tempore Paſchali communicaturus habitat. Ad alterum reſpondet præcitata Notif. ſapientiſſimus, & vigilantiſſimus

Eccleſiæ Paſtor, non edimplet Eccleſiaſticum præceptum, ſi quis propria neglecta Parochia communicet in Cathedrali, cum nec Romæ ſufficiat communicare in Eccleſia Lateranenſi, quæ mater & caput eſt ceterarum. Hujus ratio aſſignari poteſt, quod *Parochiæ* nomine intelligitur *diſtrictus Eccleſiæ presbyteri*, ut demonſtrat in Gloſſario Du-Cangius; tum quod communicando agnoſcitur Paſtor proximus & immediatus: demum quod Eccleſia vult dignoſcere filios præceptum hoc adimplentes, & cenſuris animadvertere in pervicaces, difficulter autem hoc poſſet deprehendere, ſi communicaturi omnes confluerent ad Cathedralem.

T H E S I S VI.

Per communionem ſacrilegam non adimpletur Eccleſiaſticum præceptum theſi ſuperiori propoſitum. Probatur primo, quoniam Innocentius XI. anno 1679. damnavit hanc num. lv. propoſitionem: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem:* ex qua proſcriptione ſequitur, nunc probandum non eſſe judicium Sylvii ſcribentis in 3. p. q. 80. art. 11. quæſt. 2. damnandos non eſſe, *qui partem affirmativam ſequuntur*, quod vir doctiſſimus pronuntiavit de auctoribus, qui ante Innocentii tempora floruerunt. Deinde ante Innocentium innumera prodiere decreta, quibus cautum eſt, ne ad Euchariſtiam admittantur qui *confeſſione peccatorum* non fuerint præmuniti, ut ſtatuit Synodus Lingonenſis anno 1452. Burdigalenſis an. 1582. Bituricenſis anno 1584. aliæque apud Natalem Alexandrum de Euch. cap. 1. art. 5. Regula 9. Præterea Eccleſia ſacramentalem Communionem præcipiens non promulgavit novum præceptum, ſed latum a Domino, atque divinum; addiditque duntaxat explicationem, atque determinationem temporis, ut ab omnibus obſervetur; ac proinde nullum dubium eſt, quod intendat talem communionem præcipere, qualem Chriſtus ipſe præcepit, animæ ſcilicet proficuam, atque vivificam. Inſuper quiſquis indigne manducat corpus Domini, ejuſque ſanguinem indigne bibit, *judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini*, ut inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. xi. 29. At qui corporalem cibum eo modo deglutiret, ut ſibi mortem inferret, non ſervaret, ſed frangeret præceptum ſuſtentandi ac nutriendi vitam corporis. Igitur qui ita dentibus premit ſacramentum, ac panem vitæ, ut anima ſibi judicium arceſſat, non ſervat, ſed infringit præceptum ſumendi hunc cibum, quo ipſius animæ ſpiritalis vita nutritur.

Adverſus hanc theſim militant argumenta, quæ ſequuntur. Primum eſt, quod plurimorum ſententia nequit Eccleſia præſcribere actus internos; ideoque ſacrilege in Paſchate communicans frangit quidem divinum præceptum, ſed non Eccleſiaſticum. Alterum, quod per confeſſionem ſacrilegam ſatisfit præcepto annuæ Confeſſionis; ergo & per ſacrilegam communionem impletur præceptum communionis Paſchalis. Tertium, quod Eccleſia *ſubſtantiam* actus, non *modum* ejus præſcribit, ſive determinat tempus agendi quod Chriſtus præcepit. Dummodo ergo ponatur actus in tempore ab Eccleſia ſtatuto, Eccleſiaſticum præceptum minime violabitur. Proximum argumentum eſt, quod ſacrilegium nequaquam impedit, quin Sacerdos accepto ſtipendio ſatisfaciat obligationi Miſſæ celebrandæ: nec ſimulatio, quin ſuſcipiatur baptiſmus; nec peccati macula quin ſatisfiat operibus in ſatisfactionem injunctis. Poſtremo, fruſtra datur præceptum, cujus tranſgreſſio nec poteſt cognoſci, nec poteſt puniri a præcipiente.

Reſpondetur ad primum, ſententiam eorum, qui cenſent non poſſe Eccleſiam præcipere internos actus, falſam eſſe, & a nobis improbatam ac refutatam libro xx. cap. 25. Ad hæc præceptum, de quo eſt quæſtio, non eſt ſolummodo Eccleſiaſticum, verum etiam divinum. Inſuper, etſi detur Eccleſiam non præſcribere univerſim internos actus, eos tamen, omnium fere conſenſu, præcipit, qui ita conjuncti ſunt cum externis, ut ſi ſeparentur, externi actus habere nequeant rationem virtutis; quemadmodum præcipiendo orationem vocalem præcepit quoque attentionem, præcipiendo ut conficiatur, vel ſuſcipiatur ſacramentum præcipit etiam deliberationem animi, præcipiendo ut audiatur miſſa præcipit ulterius ne ad Eccleſiam quis accedat pravo aliquo fine, nec, dum res ſacra peragitur, animus ad alia voluntarie diſtrahatur, prout poſt Cajetanum, Soto, Suareſium, Leſſium, Dianam quoque, ceteroſque benigniores, docet Sylvius citata qu. 2. tom. 4. pag. Venetæ edit. 277. nec non Dominicus Viva in Propoſitionem xiv. ex damnatis ab Alexandro VII. ac ratio apertiſſima, quæ in præſenti etiam caſu vim habet, innititur rationi virtutis, quæ conſiſtere nequit abſque interiori animi actu: ideoque præcipiens actum virtutis præcipit neceſſario actum interiorem eidem virtuti conjunctum. Quod ſequitur, continet propoſitionem xiv. nuper commemoratam, & confixam ab Alexandro VII. quæ talis eſt, *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Idcirco hac propoſitione theſis noſtra corroboratur, & hujus, atque proſcriptæ ab Innocentio eadem eſt ratio, ut recte obſervarunt, qui in propoſitiones a Romanis Pontificibus damnatas ediderunt Commentaria, Dominicus Viva laudato in loco, Bartholomæus Riccius diſput. 49. & Pius Thomas Milante exercit. xxxi. ſecundæ partis. Proximum diluitur ex dictis; *modus* enim cadit ſub præcepto, quotieſcumque talis eſt generis, ut actus virtutis nequeat ſine illo exerceri. Proximum argumentum expeditur facillime: nam ſacrificium Miſſæ ſuum habet valorem *ex opere operato*: Baptiſmi *character* non eſt cum ſimulatione inſociabilis; atque ad virtutum officia, ſive ſint opera ſatisfactionis, ſive alterius generis, minime requiritur, ut demonſtratum eſt adverſus Bajum libro xviii. cap. 2. & libro xxi. cap. 4. gratia *habitualis* & ſanctificans, ſed ſufficit actualis. Non faciunt ergo hæc tria exempla ad rem noſtram, & optime ad ſingula reſpondet Aurelius Piette quæſt. 7. de Euchariſtia, quæ in ſexto Operum ejus Tomo tenet priorem locum. Poſſunt præterea exempla eadem retorqueri; ſiquidem ſi deſit intentio & interior animi deliberatio, neque offertur ſacrificium, neque baptiſmus perficitur, neque aliquid promerentur opera ſatisfactionis. Poſtremum denique argumentum omnino nullum eſt: nam etſi præcepto Eccleſiæ nequeat animi interna pravitas cohiberi, poteſt tamen unuſquiſque ab Eccleſia reprehendi, corrigi, & proprii officii commonefieri, ideoque præceptum illud non eſt inutile, quemadmodum inutilia non ſunt monita, & conſilia, quæ ſuadere poſſunt, compellere & invitos coercere non poſſunt.

C A P U T XV.

Utrum neceſſum ſit, vel ſaltem expediat, ut laici ſub utraque ſpecie communicent?

AD controverſiam hanc diluendam præmittendum cenſeo, neminem Catholicorum negare quin ab Eccleſiæ primordiis ad ſæculum uſque duodecimum laici paſſim ſub duplici *ſpecie* communicaverint. Non opus eſt, ut id Bucerus Reſp. 2. ad Latomum, Pleſſæus lib. 1. de Miſſa cap. 12. aliique hæretici demonſtrare conentur. Fatetur Bellarminus Controverſiarum ſcriptor egregius lib. iv. de Euch. cap. 24. *miniſtraſſe ſub duplici ſpecie veterem Eccleſiam, quando Chriſtiani erant pauci*. Ruardus Tapperus tom. 2. pag. 328. id obſervatum ait *longiſſima conſuetudine*. Alphonſus a Caſtro, ex quo per multa ſæcula hæc conſuetudo obtinuerit, Tit. *Euchariſtia*, hæreſi 13. argumentum depromit ad demonſtrandum quod porrigere laicis Euchariſtiam ſub utraque *ſpecie* non ſit *contra Evangelicam inſtitutionem*. Lindanus denique libro iv. Panopliæ cap. 56. hoc idem aperte fatetur dicens, *Utraque ſpecies paſſim per Occidentem communicabatur diu poſtea in annum uſque milleſimum ducenteſimum*. Recentiores Theologi non ſolum id ingenue fatentur, ſed etiam demonſtrant, præ cæteris Joannes Mabillon Præfat. 1. in ſæculum 3. Benedictinum, Jacobus Benignus Boſſuet in libro de Communione *ſub utraque ſpecie*, Eſtius diſt. 11. §. 7. Gaſpar Juenin de Euchariſtia q. 8. cap. 4. art. 2. aliique permulti. Apoſtolicis temporibus frequenter adminiſtratam utramque *ſpeciem* infertur ex verbis Apoſtoli in 1. ad Corinth. xi. 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. De temporibus proximioribus teſtem habemus Juſtinum in altera Apologia, ubi ait diſtributum *cuique præſenti panem, & vinum, in quo gratiæ actæ ſunt*. Viguiſſe eumdem morem ætate Cypriani & Ambroſii, aperte eorum ſcripta demonſtrant. Sæculo v. Leo Primus, & Gelaſius utramque *ſpeciem* in publicis ſynaxibus præſcripſerunt, de qua re poſtmodum. Plura exempla ad commonſtrandam conſuetudinem proximiorum ſæculorum producit Mabillon ex Actis S. Odiliæ Abbatiſſæ, & S. Anſcharii Bremenſis Archiepiſcopi, ex libro 2. Conſuetudinum Cluniacenſium, ex Opuſculo quadrageſimo ſeptimo Petri Damiani, atque ex monimentis aliis antiquitatis. Commemorat etiam vir eruditiſſimus calices pro communione laicorum paratos, in quorum unum extat diſtichon apud Gerbertum epiſtola xc.

Hinc ſitis, atque fames fugiunt, properate fideles:
Dividit in populos has Præſul Adalbero gazas.

Conſuetum etiam fuit aliquando porrigere, ægris præſertim, ac pueris *panem intinctum*, de qua re dixi nonnulla capite tertio pag. 53. Illam vero conſuetudinem fuiſſe neceſſario in laicorum communione ſervandam, imo & ſervatam ſemper negamus, aſſerentes nullum frangi præceptum, nec derivare in laicos aliquid detrimenti, ſi communicent ſub una duntaxat *ſpecie*.

Poſteaquam ergo vetuſta conſuetudo abierat in deſuetudinem, & ubique fere locorum communicantes unam tantum *ſpeciem* ſumebant, nullo in Occidentali Eccleſia reclamante, circa annum 1414. Petrus Dreſdenſis Ludimagiſter, ſuffultus opera Jacobelli Miſnenſis, qui Pragæ magno auditorum plauſu conciones ſacras habebat, aſſerere cœpit neceſſariam laicis communionem ſub utraque *ſpecie*, ut in Hiſtoria Bohemorum cap. 35. narrat Æneas Sylvius Piccolomineus. Hauſit ab his errorem Joannes

Hus,

Hus , eique adhæſerunt dicti ab eodem Huſſitæ , præſertim qui Roqueſane duce ab uſu calicis appellati ſunt *Calixtini*. Ipſam calicis neceſſitatem perſuaſit Caroloſtadius circa annum 1521. Eccleſiæ Withembergenſi : quod ægre tulit Lutherus, affirmans communionem ſub utraque ſpecie *inter res indifferentes* adnumerandam, ut conſtat ex epiſtola quam ſcripſit adverſus reformationem Caroloſtadii . Sed parum Lutherus ſibi conſtans anno 1523. libro *de forma Miſſæ* , ait ſe nequaquam Generali Concilio aſſenſurum, ſi vel utramqua *ſpeciem*, vel unam præſcriberet ; ſed recepturum unam tantum , ſi Concilium decerneret ſumendam utramque , contra probaturum utramque, ſi unam Concilium ſtatueret : quod contentioſiſſimi ac ſuperbiſſimi animi evidens indicium eſt. Deinde in libro de Captivitate Babylonica affirmavit teneri ſacerdotes ad utramque *ſpeciem* populo diſtribuendam, populum vero poſſe pro libito aut utramque , aut unam accipere : ac poſtremo in libro de Viſitatione Saxonica communionem ſub una *ſpecie* aperte damnavit . His acceſſere hæretici alii negantes in ſacramento concomitantiam ſanguinis Domini cum ejus corpore, præſertim Calvinus lib. IV. Inſtitut. cap. 17. num. 47. & ſequentibus , ac Hermannus Hamelmannus, qui pro communione ſub *utraque ſpecie* pugnavit acerrime. Conſentiunt præterea hæreticis nonnulli ex Græcis recentioribus, qui ut ait Arcudius libro 3. Concordiæ cap. 50. pag. 320. ritum communicandi ſub utraque *ſpecie* , qui olim ἀδιάφοροι habebatur, retinent ut fidei dogma , præeunte Hieremia Patriarcha, qui in Epilogo Cenſuræ ſuæ inter eos, quos appellat *abuſus Romanæ Eccleſiæ*, connumerat communionem unius *ſpeciei*, ita alloquens Withembergenſes : *Primum utriuſque ſpeciei participes eſſe oportere dicitis & recte quidem : φατὲ ἐν πρώτοις, ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ τῶν ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν, ᾗ καλῶς λέγετε*. Hinc Callixtus Helmeſtenſis librum edidit, in quo probare conatus eſt nunquam Orientales communicaſſe ſub una *ſpecie*; ſed Callixtum egregie confutavit Nihuſius in Annotationibus ad Diſſertationem Leonis Allatii de Miſſa Præſanctificatorum.

Ex Orthodoxis Scriptoribus nonnulli in ea fuerunt ſententia, quod etſi ad ſalutem utraque *ſpecies* non ſit neceſſaria, ex utriuſque tamen *ſpeciei* communione uberior gratia percipiatur. Steterunt pro hac ſententia in Tridentino Concilio Melchior Canus, Antonius Uglioa Franciſcanus Hiſpanienſis, & Sigiſmundus Fedrius ejuſdem Ordinis, ut refert Pallavicinus in Hiſtoria Concilii libro XII. cap. 2. num. 5. eamdemque opinionem poſt Alexandrum de Alea, & Arboream propugnavit Gabriel Vaſquez in 3. p. quæſt. 80. diſput. 215. cap. 2. Eo loci Vaſquez citat pro eadem ſententia Caſalium noſtrum libro 2. de Cœna & Calice Domini ; ſed falſo : Caſalius enim eodem libro cap. 25. tam hujus ſententiæ, quam oppoſitæ productis argumentis pag. 161. inquit : *Quæ ſententia, ſeu opinio iſtarum eſt magis probabilis ? Alia eſt quæſtio , & de qua modo nihil agimus , nec quicquam agere intendimus* . Imitatus eſt vir doctus Tridentinos Patres, qui, auctore citato in loco Pallavicino, noluerunt hanc quæſtionis partem definire. Et ego quidem hanc ſilentio præterirem , niſi animadvertens Eccleſiam ſtuduiſſe ſemper fidelium ſuorum utilitati, crederem ex communione unius *ſpeciei* nullum conſequi vel minimum detrimentum, cum ſub utraque *ſpecie* totus Chriſtus contineatur ; quæ eſt ſententia S. Thomæ citata quæſt. 80. art. 12. omnium diſcipulorum ejus, Gabrielis Biel lect. 84. in canonem Miſſæ , Ruardi Tapperi in Explicat. articul. Facult. Theologicæ Lovanienſis art. 15. Eſtii in IV. diſt. XI. §. 7. communior denique, & longe probabilior , quam ſit oppoſita. Complures inſuper in Tridentino Concilio , etiam nomine ſummorum Principum, poſtularunt ut ad ſedandos animos Bohemorum, & præripiendam Novatoribus anſam conviciandi Romanæ Eccleſiæ, reſtitueretur cuique uſus calicis ſublatus an. 1415. decreto Concilii Conſtantienſis , & anno 1437. definitione Concilii Baſileenſis . At Tridentini Patres re diligenter conſiderata ſeſſ. XXI. definierunt nequaquam teneri omnes ac ſingulos fideles ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis ad utramque ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti *ſpeciem* ſumendam ; totum & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem & auctorem ſub unica *ſpecie* contineri & ſumi ; atque ſanctam Eccleſiam Catholicam juſtis cauſis fuiſſe adductam, ut laicis , & non conficientibus clericis unam duntaxat *ſpeciem* concederet, quod a Conciliis Baſileenſi & Conſtantienſi jam ut dixi, fuerat definitum adverſus Huſſitas , & Calixtinos : in fine autem ſeſſionis XXII. Tridentina Synodus declaravit ſpectare ad prudentiam & auctoritatem Romani Pontificis examinare an uſus calicis ob rationes Chriſtianæ caritati conſentaneas alicui vel nationi, vel regno ſit concedendus, & efficere quicquid utile Reipublicæ Chriſtianæ ei viſum fuerit. Ut igitur in graviſſima hac controverſia ſervemus cum brevitate perſpicuam methodum , omniaque comprehendamus, quæ veniunt in diſputationem, inquiremus primo, an communio ſub utraque *ſpecie* ſit ex Chriſti præcepto neceſſaria ad ſalutem ; deinde an inviolabiliter ad ſeculum uſque XII. in Eccleſia Occidentali obtinuerit ; poſtmodum an diſciplinam eamdem conſtantiſſime ſervaverit Orientalis Eccleſia ; deinceps an in una *ſpecie* totus Chriſtus contineatur, poſthac an ſumptio utriuſque *ſpeciei* gratiam conferat ampliorem ; tum vero an ex juſtis cauſis laicis uſus calicis ſublatus ſit ; denique an expediat modo antiquatum eumdem uſum inſtaurare .

PROP. I. Neque divinum præceptum , neque ſalutis neceſſitas exigit, ut laici ſub utraque *ſpecie* communicent.

In inſtitutione quippe ſanctiſſimæ Euchariſtiæ illa tantum verba proprie ſonant præceptum, quæ leguntur apud Lucam XXII. 19. & apud Paulum in 1. ad Corinth. XI. 24. *Hoc facite in meam commemorationem* : alia enim , *Accipite* , *ſumite*, *bibite* , apud Matth. XXVI. 27. & Marcum XIV. 22. prolata a Domino ſacra oblata porrigente , ſunt potius verba diſtribuentis & invitantis, quam jubentis atque præcipientis : vel ſi præceptum continent, hoc ad eos tantum ſpectat, qui præſentes erant, id eſt , duodecim Apoſtolos , *tunc conſtitutos Sacerdotes novi Teſtamenti*, & ad ſacerdotes reliquos, quibus pariter, ut conſecrent , & diſtribuant , commiſſum eſt . Atqui illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem* , utpote abſolute tantum poſt Dominici corporis diſtributionem prolatis, non præcipitur *utriuſque ſpeciei* diſtributio. Igitur ex Evangelica hiſtoria narrante inſtitutionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ non colligitur præceptum *utramque ſpeciem* diſtribuendi . Præterea Apoſtolus optimus interpres hujus inſtitutionis, atque præcepti , alloquens Corinthiacam Eccleſiam, omneſque in ea fideles laicos & clericos , & inſtituens orationem de ſpecie panis *abſolute* profert eadem verba , *Hoc facite* , *&c.* loquendo autem *de ſpecie vini* illa repetit cum determinatione, *Quotieſcumque bibetis* , dicens , *Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem* . Igitur communio ſub *ſpecie* vini non *abſolute* a Domino præcepta eſt , ſed de ea juſſum tantummodo, ut ſi fiat, *quotieſcumque* fiat, in Domini commemorationem fiat. Vide Eſtium diſt. XI. §. 7. & in Paulum tom. 1. pag. 325. Idem colligitur ex quo Apoſtolus paullo infra verſu 27. ejuſdem capitis ita disjunctive loquatur: *Quicumque manducaverit panem hunc , vel biberit calicem Domini indigne , &c.* non enim ſic loqueretur, niſi ſentiret unam *ſpeciem* ſine altera ſumi poſſe. II. Ex cap. 6. Joannis conſtat communione unius tantum *ſpeciei* æternam vitam conferri: nam legitur verſ. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; & panis , quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* : verſu pariter 59. *Qui manducat hunc panem , vivet in æternum* . Sumptio igitur utriuſque *ſpeciei* ad conſecutionem ſempiternæ vitæ omnino neceſſaria non eſt. III. Utuntur etiam noſtrates exemplo Chriſti , qui ſub una *ſpecie* fertur ſacramentum diſtribuiſſe Cleophæ, & alteri diſcipulo, euntibus in Emmaus, qui, ut inquit Lucas cap. XXIV. 35. *Cognoverunt eum in fractione panis* . Urgent hoc argumentum Ruardus Tapperus tom. 2. pag. 327. Coſterus in Enchiridio cap. 14. Bellarminus lib. IV. de Euch. cap. 24. & recentiores paſſim. At negant hæretici hanc fuiſſe manducationem *ſacramentalem*, quod prorſus certum non eſſe diximus & nos ſupra . Voſſius præterea diſput. V. de Cœnæ ſymbolis conatur nobis hoc argumentum eripere, quoniam ſi *ſacramentalis* fuiſſet ea cœna, ſequeretur etiam ſacerdotibus poſſe panem ſolum præberi , cum duo iſti diſcipuli, ut Pontificii agnoſcunt , fuerint ex LXX. quos Chriſtus in Judæam miſerat ad Evangelium prædicandum. Sed perſiſtit tamen vis argumenti, ſive dicas revera eam cœnam fuiſſe *Sacramentalem*, quemadmodum tenent Auguſtinus l. 3. de Conſ. Evangeliſtarum cap. 25. Iſychius Jeroſolymit. lib. 2. in Levit. cap. 9. & Theophylactus in cap. 24. Lucæ, ſive dicas fuiſſe cœnæ *ſacramentalis* figuram, quod a nullo hominum negari poteſt. Nec Voſſii argutatio probat aliquid, nam & nos fatemur ſacerdotibus *non conficientibus* ſufficere *ſpeciem* unicam. Subtilius aliquid Voſſius dixiſſet, ſi objectaſſet ſequi ex facto Chriſti , quod conſecrari poſſit una duntaxat *ſpecies*, ut fecit Dominus, qui porrecto pane ab oculis diſcipulorum evanuit : ſed hæc objicienti reſponderetur ex facto non immutaſſe Chriſtum inſtitutionem in ultima cœna factam , nec ſacrificium obtuliſſe ; ſed commonſtraſſe ſingulari exemplo , quod una tantum *ſpecies* diſtribui valeat ; nec mandaſſe, ut idem diſcipuli facerent, ſicuti mandavit Apoſtolis in cœna poſtrema, ut conſecrarent, offerrent, comederent, diſtribuerent : quamobrem docet Eccleſiæ praxis, & poſtulat ratio ſacrificii, ut diximus pag. 65 ne fiat conſecratio ſine oblatione, neque oblatio ſine conſecratione calicis ; cum tamen alia ſacrificii, alia autem ſacramenti ſit ratio. IV. Utuntur etiam Catholici auctoritate Actuum Apoſtolorum, ubi cap. II. 42. & XX. 7. legimus conveniſſe fideles *ad frangendum panem* ; nam hiſce in locis ſermonem eſſe de communione Euchariſtica fatentur ipſi quoque adverſarii, Lutherus in ſerm. de Euch. & Calvinus lib. IV. Inſtitut. cap. 17. §. 35. Reſpondent utique Novatores illic *ſub fractione panis* etiam populi diſtributionem ſignari κατὰ συνεκδοχὴν , ac ſcripturas ſub panis nomine intelligere univerſam hominis alimoniam , quæ in cibo, & potu conſiſtit . Verum id gratis aſſerunt , quandoquidem Lucæ XXIV. 35. *fractio panis* nulla ratione potum includit, ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem, ut dixi, Chriſtus pane porrecto ſtatim ex oculis diſcumbentium evanuit. Sed de hoc loco plura in Acta Apoſt. pag. 152. Joannes Lorinus. V. Tridentinum Concilium ſeſſ. XXI. can. 1. ſic veritatem hanc definivit: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit.* Hujus autem definitionis ratio manifeſta deſumi poteſt ex dicendis paullo infra in IV. & V. propoſitione. VI. Ne interim hoc loco prætermittamus quodlibet Theologicum ratiocinium, fieri non poteſt, ut ſublata re ad ſalutem penitus neceſſaria, fideles omnes acquieſcant, nec inſtent, ut ſibi quamprimum reſtituatur. Quis enim aſſerere audeat ſingulos, ignaros, doctos, laicos, Eccleſiaſticos, in tantam cæcitatem, in tantum propriæ ſalutis contemptum devenire poſſe, ut præcepti divini oblivionem atque neglectum propria, aliorumque pernicie patiantur irrepere? At decurſu ſæculi XIV. priuſquam Petrus Dreſdenſis utriuſque *ſpeciei* neceſſitatem intrudere conaretur, obtinebat in tota Occidentali Eccleſia uſus unius *ſpeciei*, nullus laicorum alteram flagitabat, nullus presbyterorum calicem porrigebat, nullus Theologorum neceſſarium hunc eſſe propugnabat: immo cum adhuc obtinebat *intinctio*, & fideles ſumebant utramque *ſpeciem*, perſuaſum erat Catholicis *ſpeciem* unam ſufficere, ut conſtat ex teſtimonio Gulielmi Epiſcopi Catalaunenſis vita functi ſæculo XII. & anno 1120. quod ex vetuſto membranaceo Codice edidit Præfat. 1. in ſæc. III. Benedi. n. 75. eximius Mabillon. Nulla eſt ergo jactata a Petro Dreſdenſi communionis ſub utraque *ſpecie* neceſſitas.

PROPOSITIO II. In Eccleſia Occidentali etiam ante duodecimum ſæculum Euchariſtia frequentiſſime ſumebatur ſub unica *ſpecie* panis.

Quod diximus ſupra de antiquo calicis uſu, non ita accipiendum eſt, ut frequentiſſime non communicarent laici ſub una tantummodo *ſpecie*. Factum id in communione domeſtica infertur ex Tertulliano, qui in librum ad Uxorem cap. 5. haud obſcure innuit ſolum conſecratum *panem* fuiſſe domi aſſervatum: idem conſtat ex his, quæ Ambroſius narrat de obitu fratris ſui Satyri, & quæ de Euchariſtia diu ſervata diximus præcedenti cap. 12. *Nullum, qui utramque ſpeciem domi ſervaret, aut ſumeret, novi laicum, niſi Gorgoniam Nazianzeni Gregorii germanam*, inquit in diſſert. de S. Leonis IX. actis Chriſtianus Lupus tom. 3. pag. 703. Gorgoniæ id conceſſum ob ejuſdem ſanctimoniam, erectum domi altare, fratriſque ac patris præclara merita. II. Infantibus unam vini *ſpeciem* conceſſam apparet ex illuſtri miraculo puellæ, quæ contaminata pane & mero ex immolationibus idolorum, *os labiis obturantibus* porrectum a Diacono calicem recuſavit; & reluctanti infuſus ſanctificatus in Domini ſanguine potus *de pollutis viſceribus erupit*, ut narrat S. Cyprianus in libro de Lapſis pag. novæ edit. 381. Adminiſtratum puerulis ſacramentum ſanguinis *digito ſacerdotis intincto*, conſtat ex Hugone Victorino lib. 1. de Sacram. cap. 20. & ex antiquis Pontificalibus laudatis a Martenio lib. 1. cap. 1. art. XV. n. 15. & art. XVIII. Ord. 14. III. Infirmis porrectam interdum *unicam ſpeciem*, conſtat ex *Vita* Ambroſii a Paulino Diacono conſcripta ad S. Patrem Auguſtinum, ubi n. 47. de Honorato Vercellenſi legimus, *Obtulit Sancto Domini corpus: quo accepto ubi glutivit, emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens*. Cluniacenſes Monachi infirmis dabant ante annos ſexcentos unam *ſpeciem panis* madefactam vino non conſecrato, aſſervabantque pro viatico abſque ſpecie vini quatuor hoſtias *in pyxide, & in aurea columbæ ſuper altare pendente*, ut narrat Udalricus lib. 1. Conſuetud. Cluniacenſ. cap. 8. & lib. 3. cap. 28. Unica *ſpecie* communicaſſe Monachos S. Columbani morti proximos conſtat ex ejuſdem vita in Sæculo 2. Benedict. n. 29. Extant apud Eminentiſſimum Bonam lib. 2. Rerum Liturg. cap. 18. num. 1. alioſque Scriptores, verſus Rodulfi Abbatis, qui vivebat anno 1110.

Hic & ibi cautela fiet, ne Presbyter ægris,
Aut ſanis tribuat laicis de ſanguine Chriſti,
Nam fundi poſſet leviter, ſimplexque putaret,
Quod non ſub ſpecie ſit totus Jeſus utraque.

IV. Etiam in communione publica porrectam aliquando *ſpeciem* unicam evincitur ex hiſtoricis monumentis. Hieronymi enim tempore ſacræ virgines a vino abſtinentes calici non communicabant, & ideo mulieres ingurgitantes ſe vino, *Abſit*, ajebant, *ut ego me a Chriſti ſanguine abſtineam;* & ſi quam videbant pallentem atque triſtem, vocabant *miſeram*, *Monacham*, & *Manichæam*. Vide S. Doctoris Epiſt. 22. ad Euſtochium, in edit. Benedict. num. 18. S. Bernardus in præcipuis ſolemnitatibus unam *ſpeciem* diſtribuebat, ut conſtat ex facto cujuſdam Monachi, qui indignus accedens non potuit ſacram hoſtiam *ad interiora trajicere*, & poſt horam ſeatam ad pedes S. Patris obvolutus *aperto ore ipſam quoque Euchariſtiam oſtendit*. Narratur id in vita Bernardi a Gulielmo Abbate conſcripta, lib. 1. cap. XI. numer. 51. Etſi in conſecratione Epiſcopi ex antiquo ritu commemoratam in Ordine Romano, & in Epiſtola 2. S. Fulberti Epiſcopi Carnotenſis ad Finardum, conſecrato danda ſit etiam communio calicis, ei tamen tribuebatur integra oblata, ſeu *hoſtia*, ex qua poſt communionem perceptam, quod reſiduum erat reſervabat ſibi ad communicandum unoquoque die uſque ad diem quadrageſimum, ut quotidiana cœleſtis panis alimonia illud tempus memoria repeteret, quo per quadragenos dies Dominus diſcipulis apparens, & convescens refecit illos deſideratæ viſionis ſatietate: ideoque erat hæc novi Epiſcopi quotidiana communio *ſub unica panis ſpecie*. V. Perantiquum fuiſſe in Anglia uſum *unius ſpeciei* colligitur ex Hiſt. Venerabilis Bedæ lib. 2. cap. 5. ubi narrat idololatras quoſdam dixiſſe Pontifici Euchariſtiam poſt Miſſarum ſolemnia diſtribuenti, *Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri noſtro dabas, & populo adhuc in Eccleſia dare non deſiſtis?* De quo loco vide Liodanum in libro IV. Panopliæ cap. 56. & in altera parte Apologiæ cap. 40.

PROP. III. Etiam in Orientali Eccleſia obtinuit aliquando communio ſub una duntaxat *ſpecie*.

Quantum enim ſpectat ad communionem parvulorum, Græci dant recens baptizatis Euchariſtiam, imbuentes tantummodo vini guttula ipſorum linguam, ut demonſtrat Arcudius in Concordia lib. 3. cap. 40. pag. 278. Micas Euchariſtici panis, quæ poſt celebrata Miſſarum ſolemnia ſupererant, diſtribuiſſe feria quarta, vel ſexta pueris Grammaticorum ſcholas frequentantibus, idque ex vetuſta conſuetudine, narrant Evagrius lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. 36. pag. edit. Valeſii 411. & Nicephorus lib. XVII. cap. 25. pag. 772. quod & fatetur Calixtus Helmſtadienſis §. 36. Exercitationis ſuæ adverſus *Tranſubſtantiationem*. II. De infirmis habetur apud citatum Arcudium pag. 334. regula Eliæ Metropolitæ Cretenſis, ut communio accommodetur πρὸς τὸ ἀσθενὲς αὐτῶν, *ad ipſorum ægrotantium infirmitatem*, nimirum, ſi comedere nequeant, ſolus eis miniſtretur potus Euchariſticus: ac Serapioni in exitu vitæ porrectam fuiſſe exiguam panis particulam *in aqua intinctam*, legitur apud Euſebium lib. VI. H. Ec. cap. 44. pag. 246. Valeſianæ editionis. III. In perſecutione Euchariſtiam domi ſumptam ab unoquoque, & ab iis, qui per eremum vitam monaſticam inſtituebant de ſuis manibus perceptam, ſcribit S. Baſilius epiſt. 289. ad Cæſariam Patriciam, loquens procuidubio *de ſpecie panis*, quam ſacerdos in manus fidelium tradebat, ut vel ori admoverent, vel ſecum illam deferrent. IV. In Miſſa *Præſanctificatorum*, quam & Latini ex vetuſta conſuetudine celebrant feria VI. in Paraſceve, Græci autem in Quadrageſima ſæpius, ſolam panis *ſpeciem* abſumunt. Ajunt quidem hæretici abſumi utramque *ſpeciem*, vel quia idem panis fuit antea ſanguine intinctus, vel quia in Miſſa *Præſanctificatorum* ei ſuperinfunditur vinum, quod conſecratur præſanctificatæ oblationis contactu; & ideo, inquit Hottingerus, plurali numero *Præſanctificata* dicuntur, & communiter τὰ ἅγια λείψανα, δῶρα. Sed facillimum eſt Hottingerum refutare, tum quia præcedens illa intinctio apud omnes Græcos non fit, tum quia exſiccato pane, vini *ſpecies* deſinit & evaporat, ut recte obſervarunt Allatius de VIII. Synodo Photiana cap. 14. & Nihuſius de Commun. Oriental. §. IX. ſolus autem contactus nequit efficere de non conſecratis conſecrata: & ideo appellantur *ſancta dona* plurali numero, & quia in plures particulas dividuntur, & quia ſub unica *ſpecie* tam corpus, quam ſanguis abſumitur. Legi poteſt opuſculum Joannis Matthæi Caryophili Archiepiſcopi Iconienſis ad art. 17. Confeſſionis Calvinianæ editæ ſub nomine Cyrilli Patriarchæ Conſtantinopolitani. V. Apud Maronitas, ceteroſque Orientales communicare ſub unica *ſpecie* ruſticos, paſtores & ægrotos, qui Eccleſiam adire non poſſunt, conſtat ex Epiſtolis Abrahami Ecchellenſis, & Gabrielis Sionitæ ad calcem Operis Allatiani de Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua conſenſione. Apud Coptos Jacobitas ægros non communicare ſacro calici omnibus compertum eſt, auctore in Appendice ad Patriarchas Alexandrinos ſect. 3. num. 205. erudito viro J. B. Sollerio.

PROP. IV. Sub utraque *ſpecie* continetur totus, & integer Chriſtus.

Sequitur hæc propoſitio ex Catholico *tranſubſtantiationis* dogmate, ſi enim ſub *ſpecie* panis eſt corpus Chriſti, corpus autem Chriſti poſt reſurrectionem eſt immortale, vivens, conſtans ſubſtantialibus partibus, & animæ, ac divinitati *hypoſtatice* conjunctum; profecto fieri non poteſt, ut ſit alicubi corpus Domini, neque ſit ibidem ſanguis, anima, divinitas, ac una Incarnati Verbi perſona. Quare neceſſum eſt, ut propoſitionem illam rejicientes in plura hæreſum capita conſcotiant; negentque in Chriſto unam individuamque perſonam, & in divino myſterio panem illum vivum, *qui de cœlo deſcendit*. Invictiſſimum etiam hujus veritatis argumentum eſt, quod Chriſtus accepto pane affirmavit dare ſe diſcipulis corpus ſuum, quod in mortem quamprimum tradendum erat, ac pariter accepto calice aſſeruit præbere eumdem ſanguinem, qui in remiſſionem peccatorum effundebatur. Tunc vero corpus illud vivebat, & ſanguis erat in eodem corpore vividus. Quare in poſtrema cœna cum ſuo corpore ſanguinem, & cum ſanguine corpus diſtribuit; idque

Digitized by Google

idque pari conſecutione nunc eſt dicendum, cum nobis Chriſtus tradat corpus & ſanguinem, quæ obtulit in cruce, & quæ poſt reſurrectionem iterum fuerunt animæ conjuncta. Non ergo neceſſe eſt, ut multa de hac quæſtione dicamus, quæ refutatis Sacramentariis, obvia eſt, ac planiſſima. Plura tamen de ea tradunt Scholaſtici in iv. diſt. x. & qui ſequuntur S. Thomam, 3. p. quæſt. 76. art. 2. Bellarminus lib. iv. de Euch. cap. xi. & alii. Merito inter fidei decreta hanc veritatem recenſuerunt ſacroſancta Concilia, Conſtantienſe ſeſſ. xiii. Florentinum in Inſtruct. Armenorum, & Tridentinum ſeſſ. xiii. cap. 3. & ſeſſ. xxi. cap. itidem tertio. Optime priori in loco Tridentinum ait, *ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie una cum ipſius anima & divinitate exiſtere: ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem*. Mire hæc verba illuſtrant & corroborant rationem nuper productam. Hinc etiam infertur, quod ſi Apoſtoli in triduo mortis Chriſti panem vinumque conſecraſſent, quoniam tunc Domini corpus ſeparatum erat a ſanguine, & utrumque ab anima, extitiſſet *ſub ſpecie panis* corpus ſine anima & ſine ſanguine, ac *ſub ſpecie vini* ſanguis ſine anima & ſine corpore; quæ tamen in reſurrectione Domini propter prædictam copulationem iterum conjuncta fuiſſent. Atque ita etiam docet S. Thomas cit. quæſt. 76. art. 2. & lib. iv. contra Gentes cap. 64.

PROP. V. Communicanti *ſub utraque ſpecie* non confertur amplior gratia, quam conferatur communicanti ſub unica.

Enimvero, ut demonſtratum eſt modo, ac definivit Tridentina Synodus ſeſſ. xxi. can. 3. *ſub una tantum ſpecie* continetur totus & integer Chriſtus fons omnium gratiarum, & auctor. Abſumens ergo *unam ſpeciem*, niſi accedat ad ſacram menſam indignus, adhæret Domino, Chriſtus in eo permanet, eique confertur gratia cap. v. Joannis verſ. 57. manducanti carnem ipſius Chriſti, & bibenti ſanguinem repromiſſa. Deinde tota virtus carnis & ſanguinis Chriſti eſt a divinitate illis *hypoſtatice* conjuncta: ſi ergo tam *ſub una ſpecie*, quam *ſub utraque* recipiuntur caro, & ſanguis unita divinitati, tam ſub una, quam ſub duplici ſpecie continetur eadem virtus ſacramenti. Atque hinc eſt, quod præcitato cap. 6. Joannis idem prorſus effectus tribuitur modo carni, & ſanguini, ut verſu 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; modo autem carni duntaxat, aut pani, ut verſu 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Præterea quamvis in utriuſque ſpeciei communicatione duo ſymbola, quorum utrumque gratiam confert, ſuſcipiantur; eadem tamen ſymbola cauſant gratiam ratione rei, quam continent: ſi ergo eadem res communicatur tam *in una*, quam *in duplici ſpecie*, participatur quoque eadem omnino gratia. Neque enim quicquam officit, quod in abſumptione utriuſque *ſpeciei* bis eadem res contenta diſtribuatur, aut eædem *ſpecies* habeant ſignificationem, rationemque diverſam; ſiquidem in bina illa abſumptione fit una communio ac ſpiritalis refectio, in qua proinde *ſpecies* altera eo prorſus modo ſe habet, ac dum ſacerdos poſt ſacrificii hoſtiam plures abſumit particulas; quo in caſu uberiorem gratiam non recipit, niſi forte *ex opere operantis*, & ob repetitos actus devotionis; quod etiam in communione *ſpeciei unius* fieri poteſt. Etſi vero duæ *ſpecies* habent diverſam rationem; quantum tamen ad rem attinet, ejuſdem ſunt efficaciæ; quoniam *ſpecies panis* repræſentat corpus, quod reapſe eſt unitum ſanguini, ac *ſpecies vini* ſanguinem, qui actu corpori permixtus eſt: efficacia autem hujus ſacramenti, ut dixi, ineſt ſymbolis ratione rei, quam continent, & ſignificant. Hæc arbitror ad propoſitam v. theſim definiendam ſufficere: ſed qui plura deſiderat, adeat Bellarminum lib. iv. de Euch. cap. 23. Sylvium in 3. p. q. 80. art. 2. Joannem Cochlæum, Hoffmeiſterum in Harmoniam Confeſſ. Auguſtanæ pag. 413. & ſeq. & Gaſparum Caſalium lib. 2. de Cœna & Calice Domini cap. 25.

PROPOS. VI. Jure optimo, atque omni æquitate non ſacerdotibus uſus calicis ſublatus eſt.

Hæc propoſitio ratione iſta ſuadetur. Quod ad ſalutem neceſſarium non eſt, & ſpectat *ad ſolam diſciplinam*, ſi ob hæreticorum pervicaciam temere & audacter propugnetur ad prava dogmata ſtabilienda, omni jure a Rectoribus Eccleſiarum, qui pro temporum, & locorum circumſtantia immutare poſſunt quæ pertinent *ad diſciplinam*, antiquatur & inhibetur. Talis eſt uſus calicis, quem ad æternam ſalutem non eſſe prorſus neceſſarium conſtat ex ſacris litteris, ex Conciliorum definitionibus, atque ex omnium ſæculorum conſuetudine, juxta quam, iis quoque temporibus, quando utriuſque *ſpeciei* communio erat frequentior, parvulis, & ægrotis, necnon illis, qui non poterant adire Eccleſiam, ſolebat porrigi unica tantum *ſpecies*: ex alia autem parte Novatores uſu calicis abuſi ſunt ad dogmatizandum, quod ſub una *ſpecie* non ſit Chriſtus integer; quod ſit Pontificiorum commentum aſſerta in panis ſymbolo concomitantia ſanguinis, & ſub ſpecie vini præſentia corporis; quod ſi priventur *ſpecie* altera, defraudantur fideles neceſſaria ſpiritus alimonia. Igitur Rectores Eccleſiæ omni æquitate ſervare uſum calicis pro non ſacerdotibus abrogarunt. Id præſtitiſſe Concilia, Romanoſque Pontifices, non *abſolute*, ſed ob prædictum abuſum, & ob arrogantiam atque perfidiam hæreticorum inde evincitur, quod tempore Concilii Conſtantienſis celebrati an. 1415. & ſubſequentibus aliquot annis, miniſtri omnes altaris communicabant *ſub ſpecie utraque*, ut fatetur Ruardus Tapperus tom. 2. pag. 342. necnon Gerardus Voſſius tom. 6. pag. 446. Poſt Synodum quoque Baſileenſem Romanus Pontifex aliquando *ſub utraque ſpecie* laicos communicavit, prout inquit in Epiſt. 7. ad Bohemos data anno 1452. Nicolaus Cardinalis Cuſanus. Præterea nunquam Eccleſia Romana Græcos & Orientales damnavit, propterea quod paſſim abſumant utrunque ſymbolum: ac Tridentina Synodus, ut ſupra diximus, declaravit ſpectare ad Romanum Pontificem examinare, an expediat, necne laicis perantiquum communionis uſum permittere. Ipſamet Baſileenſis Synodus eumdem uſum Morâvis, Bohemiſque conceſſit, ea lege, ut *ſub qualibet ſpecie totum adeſſe Chriſtum* faterentur; idemque Germanis, ad prudentiam & arbitrium Epiſcoporum, an. 1564. indulſit Pius IV. ut narrat Raynaldus ad eumdem annum, num. 32. Cum ergo Concilia, & Pontifices Romani communionem calicis haberent tamquam indifferentem, cur illam, quæſo, interdixerunt, niſi ut eadem ſublata facilius prava hæreticorum dogmata extirparentur? Acceſſerunt autem his cauſæ aliæ quamplurimæ, nimirum priſtini ritus deſuetudo; tempore enim Concilii Baſileenſis trecenti prope fluxerant anni, ex quo *ſub una ſpecie* laici communicabant, ut oſtendit in Oratione ſua, quæ extat tom. xii. Conc. pag. 1057. Joannes de Raguſio: neceſſitas deferendi viaticum infirmis quacunque hora: abſtemiorum multitudo: periculum effuſionis in magna præſertim populorum frequentia: difficultas conſervandi *ſpeciem vini* abſque eo quod aceſcat; atque, ut cauſas alias omittam, conſenſio fere omnium Catholicorum, & irrationalis illorum hæreticorum præſumptio, qui calicem Domini ſymbolum pacis, & unitatis ſacramentum, fecerunt teſſeram ſchiſmaticæ diviſionis; quemadmodum demonſtrarunt Cardinalis Cuſanus in Epiſtolis ad Bohemos, & Hoffmeiſterus noſter in Confeſſionem Auguſtanam loco ſuperius laudato.

PROP. VII. Non expedit iterum laicis permittere ſublatum calicis uſum.

Si enim id expediret, foret maxime, ut per hanc Eccleſiæ benignitatem divulſæ a noſtra Proteſtantium Eccleſiæ redirent ad unionem. At cauſa ſeparationis non eſt ſola priſtinæ conſuetudinis abolitio, ſed pravitas dogmatum, & pertinacia doctrinæ integrum Chriſtum *ſub una ſpecie* negantium. Præterea vel Novatores uſum calicis exiſtimant ad ſalutem neceſſarium, vel retinent tamquam ritum indifferentem. Si neceſſarium putant, cur illis in tam abſurda opinione aſſentiamur? Si vero credunt indifferentem; cur potius ipſi non recedunt a variabili diſciplina, ut obtemperent veræ Eccleſiæ ſtatutis, nec ab ea ſeparati ſacrilege & inutiliter participent ſacramenta, quæ *extra unitatem Corporis Chriſti* nequeunt prodeſſe? Inſuper cum Romani Pontifices, ac præſertim Pius IV. quibuſdam per Germaniam laicis calicem conceſſiſſet; tali humanitate adeo quidam abuſi ſunt, ut hoc prætextu damnatam Jacobellianam hæreſim ſuſcitarent: quod impulit S. Pium V. & Gregorium XIII. ad conceſſionem Pii IV. revocandam, ut narrat ad annum 1564. num. 36. Raynaldus. Cum etiam Martinus V. in feſto Paſchatis communicaſſet laicos *ſub utraque ſpecie*, atque hos inter medicum quemdam Bohemum; cœpit is poſtea gloriari probatam tandem ab ipſo Romano Pontifice hæreſim Jacobelli: quod impuliſſe Martinum, ut deinceps in ſolemnitate Paſchali ritum hunc prætermitteret, litteris prodidit Henricus Kalteiſen Archiepiſcopus Nidroſienſis in diſputatione contra Bohemos, apud Caniſium Tom. iv. p. 2. Antiq. lectionum. Etſi denique non omnes, quibus reſtitueretur uſus calicis, inducerentur in impiam illam, hæreticamque opinionem, quod *utraque ſpecies* neceſſaria ſit ad ſalutem, atque in una non contineatur totus Chriſtus; alii tamen hæretici in ſuo firmarentur errore, & jactarent Romanam Eccleſiam ſententiam ſuam retractaſſe, nec eſſe rerum credendarum Regulam irrefragabilem. His, & conſimilibus rationibus Oratores illi, qui in Tridentina Synodo nomine quorumdam Principum inſtabant pro uſu calicis reſtituendo, perſuaſi, & inſtructi a petitione ſua receſſerunt: quamquam prudentiſſime Synodus ſacroſancta declaravit pertinere ad ſupremum Eccleſiæ Paſtorem expendere, ac decernere quid hac in re ſit agendum; ut diximus paullo ſupra.

Digitized by Google

AD HÆRETICORUM ARGUTIAS.

Partite definitis, comprobatiſque hiſce theſibus, non erit laborioſum ea diluere, quæ ſolent opponi ab hæreticis. Urgent priori loco adverſum nos ea teſtimonia Scripturæ, quæ videntur præſcribere ſingulis, etiam laicis, corporis ſanguiniſque communionem. Hujus generis ſunt, quæ leguntur Joan. VI. 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ubi occurrit particula *Et*, utramque præcepti partem æqua ratione complectens, utrumque ſymbolum proponens. Deinde quemadmodum Chriſtus panem porrigens inquit Matth. XXVI. 26. *Accipite, & comedite*; ita verſu proximo porrigens calicem ait, *Bibite ex hoc omnes*: atque ne a calicis potu excludantur laici, addidit prætermiſſum ſupra ſignum univerſale, *OMNES*. Et quidem repræſentabant in ultima cœna Apoſtoli univerſam Eccleſiam, nec ambigendum eſt, quin *ad omnes* pertineat impoſitum illis præceptum. Paulus etiam ex traditione Domini *utramque ſpeciem* commendat in prima ad Corinth. XI. 24. 25. ubi tam de pane, quam de calice ait Dominum dixiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem*: quod Apoſtolus repetens verſu 26. inquit: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Verſu etiam 28. ait: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. Superiori capite X. 16. 20. dehortans ab idololatria Corinthiacam Eccleſiam longe maximam partem ex laicis collectam, ſic eam affatur, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*. Ibi autem removet Apoſtolus a cultu ſimulacrorum argumento ex calicis communione deprompto.

Reſp. Fruſtra nobis opponere Novatores caput ſextum Joannis, quod eorum plerique accipiendum eſſe contendunt *de manducatione fidei, non oris*, qua ſcilicet credamus carnem Chriſti pro nobis crucifixam fuiſſe, effuſumque ſanguinem ejus in remiſſionem peccatorum, ut præ ceteris Calvinus lib. IV. Inſtitut. cap. XVII. num. 6. & Sacramentarii, de quibus ſupra pag. 76. Nullam præterea habet vim argumentum, ſi cum Auguſtino, Innocentio, & Gelaſio illa verba, *Niſi manducaveritis, &c.* accipiantur de myſtica manducatione, qua per ſacramentum regenerationis Eccleſiæ inſerimur, & effuſo pro nobis ſanguine abluimur. Corruit pariter argumentum, ſi dicamus *ſub ſpecie panis* ſumi etiam ſanguinem per venas in corpus diffuſum; ſiquidem nec hæretici, qui nobis opponunt perantiquum uſum *panis intincti*, defendere poſſunt neceſſitatem proprie *bibendi*, ſeu vini ſeorſum & ſeparatim ſumendi. Sed ne recedamus a communi firmiſſimaque reſponſione, negamus illis verbis, *Niſi manducaveritis, &c.* contineri præceptum ſumendi *utramque ſpeciem* diviſim. Enimvero effectus, qui utrique *ſpeciei* adſcribitur, etiam uni tantum tribuitur, ut docet Synodus Tridentina ſeſſ. 21. cap. 1. & nos ſupra prop. 1. demonſtravimus. Quare in illo textu particula *Et* poteſt optime accipi *disjunctive* ob contextus apertiſſimos ejuſdem capitis ſexti: tametſi retinet vim propriam atque nativam, quatenus manducans carnem & *panem vivum*, ſumit etiam ſanguinem, & *ſub una ſpecie* totum Chriſtum contineri firmiſſime credit. Quod ſequitur ſolutum eſt Tom. 3. pag. 204. ubi oſtendimus verba Chriſti cœnam inſtituentis ad ſolos Apoſtolos ſegregato in loco diſcumbentes, & ad ſacerdotium promotos, fuiſſe directa: quare non alia ratione repræſentabant illi totam Eccleſiam, niſi eo ferme pacto, quo Primates & Magiſtratus repræſentant Rempublicam. Nil proinde ex cap. XXVI. Matthæi inferri poteſt, niſi munus ſacerdotibus impoſitum conſecrandi & diſtribuendi Euchariſtiam: neque enim quæcunque Chriſtus inſtituit, & fieri voluit, ad omnes æqualiter attinent, alias eſſent omnes in Eccleſia Doctores & Paſtores, neque ullum eſſet inter Clericos, laicoſque diſcrimen. Neque vero ait Chriſtus Apoſtolis, *Diſtribuite calicem*; immo nec eo conſecrato, eumque porrigens dixit, *Hoc facite*, ſed tantummodo inquit, *Bibite ex eo omnes*; ut inde ſacerdotes colligerent juſſum utique ſibi, ut de calice biberent, & ſacrificium conſummarent, ſed non ut calicem diſtribuerent. Hoc enim poſtremum nec mandavit, nec prohibuit, quoniam illorum arbitrio mutanda, & dirigenda reliquit, quæ non ſunt omnibus neceſſaria, ſed pertinent ad conſuetudines, vel ceremonias. Ea itaque verba, *Bibite ex eo omnes*, dicta ſunt ad ſingulos ſacrificantes: idque appoſite adnotarunt plurium Verſionum auctores, qui ita exſcripſerunt, *Bibite ex eo omnes vos*: hanc ſiquidem lectionem exhibent V. tom. Polyglot. Walt. pag. 136. Syriaca, Arabica, Æthiopica. Perperam itaque Novatores extendunt τὸ *Omnes* etiam ad laicos. Maldonatus in cap. 26. Matth. ſcribit, ideo in fractione panis Dominum non dixiſſe, *Accipite omnes*, quoniam ipſemet panem fregit, & ſigillatim unicuique diſtribuit: e contra dixiſſe, *Bibite ex eo omnes*, quia calicem uni tantum tradidit, ut is proximiori, & ille alteri ad ultimum uſque porrigeret, unde apud Lucam cap. 22. Dominus dixiſſe fertur, *Dividite inter vos*. Ingenioſa eſt hæc obſervatio, ac valet plurimum ad revincenda hæreticorum ſophiſmata; quare ibidem Maldonatus miratur expoſitores alios tam commodam interpretationem non advertiſſe; quamquam revera advertit etiam Eraſmus, inſertus Volumini VI. Criticorum ſacrorum pag. 865. Theophylactus in Matth. pag. 162. opinatur ea verba, *Bibite ex eo omnes*, dicta fuiſſe propter Judam, qui porrectum ſibi panem non comedit, ſed occultavit; quod refero tantum, ne hoc videar prætermiſiſſe. Ex Apoſtolo autem hæretici inepte argumentantur: nam in 1. ad Corinth. cap. XI. verſu 25. non præcipit, ut quiſque calicem bibat, ſed tantum, ut *quotieſcunque biberit*, id faciat in Chriſti commemorationem, abigens veteris legis ſacrificia, & myſteria legis novæ a communi menſa ſecernens. Similiter verſu 28. nil aliud mandat, niſi ut ſacramenta, quando ſuſcipiuntur, digne ſuſcipiantur. In capite pariter præcedenti nihil intendit aliud, niſi quod nemo poſſit ſervire idolis, & participare Chriſtiana myſteria, nec ſimul ſpectare ad conventicula Satanæ, & ad corpus myſticum Chriſti; cujus tamen unitatem commonſtrari participatione *unius ſymboli* docet ipſemet Paulus eodem cap. X. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus*. At de mente Apoſtoli ſupra propoſit. 1.

Pergunt objectare Novatores: Communio percipienda eſt *in commemorationem* paſſionis Chriſti, ut inquit citato cap. XI. Apoſtolus. At paſſio Chriſti non commemoratur ſola communione panis, quia hæc non repræſentat ſanguinem effuſum, & a corpore ſeparatum. Igitur communio ſolius panis non eſt ea communio, quam Chriſtus percipiendam eſſe mandavit. Præterea ſanguinis effuſione novum Teſtamentum confirmatum eſt, immo idem ſanguis *Teſtamentum* dicitur Lucæ XXII. 20. Sicut ergo ad omnes pertinet Teſtamentum, ita ad omnes ſpectat ſanguinis participatio, & communio.

Reſp. Poſſe Euchariſtiam dupliciter conſiderari, ut ſacrificium, & ut ſacramentum eſt: ad rationem ſacrificii requiritur myſtica quædam immolatio, quæ fit dum ſeorſim corpus, & ſeorſim ſanguis conſecrantur, qua ſeparata conſecratione ſignificatur ſacrificium crucis, in qua Chriſti ſanguis fuit effuſus, & diviſus a corpore: ad rationem vero ſacramenti ſufficit, ut ſit ſenſibile ſignum corporis Chriſti pro nobis immolati; quale utique ſignum perſiſtit *in una ſpecie*, quoniam dum una ſpecies ſumitur ſine altera, ſignificatur corpus Chriſti fuiſſe a ſanguine ſeparatum. Diſtinguo itaque minorem; in ſola communione panis non habetur commemoratio paſſionis Chriſti, ideſt, immolatio myſtica, ſive imitatio cruentæ immolationis, quæ pertinet ad ſacrificium, concedo: non habetur commemoratio Dominicæ paſſionis, ſcilicet, ſignum corporis Chriſti pro nobis crucifixi, atque immolati, quod ſat eſt ad rationem ſacramenti, nego. Quod ſi dicas expreſſius immolationem crucis, & ſanguinis effuſionem repræſentari in duplici ſpecie, quam in una; tenet eadem reſponſio, nimirum, quod illa magis expreſſa repræſentatio ad ſacrificium utique, ſed non ad ſacramentum ſit neceſſaria. Quod vero additur de Teſtamento, nullius eſt roboris; eatenus quippe ſanguis appellatur *teſtamentum*, quatenus ſanguine teſtamentum novum firmatum eſt, ut explicavimus ſupra pag. 83. Licet autem ſanguis Domini Eccleſiæ relictus ſit legato quodam teſtamentario, non ſequitur quod omnibus ſit ſeorſim a corpore tribuendus, ſed tantummodo quod in ejus diſtributione ſervanda ſit Teſtatoris voluntas, & attendenda illorum, ad quos pertinet teſtamentum, neceſſitas & conditio.

Inſuper hæretici objiciunt: Commendat utriuſque ſpeciei communionem vetus traditio, & conſtans judicium antiquitatis. Servavit enim hoc de calice præceptum ultra mille annos Eccleſia univerſa. Teſtis eſt in altera Apologia Juſtinus, Cyprianus in Epiſtola ad Cæcilium, & in libro de lapſis, Chryſoſtomus hom. 18. in 2. Epiſtolam ad Corinthios, & alii. Prætermittendum non eſt decretum Gelaſii de quibuſdam calicem recuſantibus, relatum a Gratiano cap. *Comperimus*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 12. *Comperimus autem, quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, a calice ſacri cruoris abſtineant. Qui proculdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*. Extat idem canon etiam apud Ivonem parte 2. n. 89. & Micrologum cap. 19. Paſchaſius lib. de Corpore Domini cap. 15. poſt ea verba, *Accipite, & bibite ex hoc omnes*, inquit, *Tam miniſtri, quam & reliqui credentes. Hic eſt calix, &c.* Quo in loco fruſtra Joannes a Lovanio, & qui eum ſequitur, Bellarminus lib. IV. de Euch. cap. 26. ad 16. pro *Bibite* reponunt *Edite*, nam reclamat ratio, quæ de calice additur.

Reſp. nil aliud ex prælaudatis Patribus inferri, niſi communionem utriuſque ſymboli fuiſſe aliquando laicis adminiſtratam, quod minime negamus, eruentes ex ipſomet antiquitatis fonte frequentiſſimam fuiſſe ſumptionem *unius ſpeciei*, præſertim in communione domeſtica, atque in

porrecta

porrecta pueris, abſtemiis, ægrotis, nec non in Miſſa *προηγιασμένων*, *Præſanctificatorum*. Reponunt hæretici controverſiam nobis eſſe de conventibus publicis; additque Caſſander communionem *unius ſpeciei* fuiſſe extraordinariam, *præter legitimam conſecrationem, & oblationem*. Hujus proinde viri teſtimonio nimium geſtiunt heterodoxi. At primo negamus privatum fuiſſe conventum illum, quo in Actibus Apoſtolicis conveniebant fideles *ad frangendum panem*; & negamus pariter fuiſſe *extraordinariam* ſynaxim, quam *ſub una ſpecie* celebrabant Angli ante Bedam, Monachi vivente Bernardo, & ante Jacobellum Eccleſiæ complures. Deinde vel illa extraordinaria unius ſymboli ſumptio erat *ſacramentalis*, & proficiebat ad vitam, vel non. Si reponant hæretici non fuiſſe *ſacramentalem*, nec vivificam; damnant ipſi potius univerſam antiquitatem, quæ nec extreme laborantibus dederit Sacramentum, & ſpiritalis vitæ alimoniam: & ſi fateantur proficuam, atque *ſacramentalem*, concedere debent utrumque ſymbolum neceſſarium non eſſe, ſive ad perceptionem ſacramenti, ſive ad conſecutionem æternæ vitæ. Nonnihil difficultatis ingerit decretum Gelaſii; ſed occurritur duplici reſponſione. Prima eſt damnari eo decreto quoſdam ſacerdotes, qui poſt conſecrationem ſumebant corpus, ſed abſtinebant a ſanguine, nam apud Ivonem, Micrologum, & Gratianum, capiti *Comperimus* hic præfigitur titulus, *Corpus Chriſti ſine ejus ſanguine ſacerdos non debet accipere*. Utuntur autem hac reſponſione Gloſſa Decreti, Joannes a Daventria, Cochlæus, & Hoffmeiſterus in Confeſſionem Auguſtanam, aliique ævi ſuperioris. Altera reſponſio eſt recentiorum fere omnium, qui putantes decretum illud eſſe Gelaſii primi, & latum adverſus Manichæos (quod tamen incertum eſt) docent idcirco Gelaſium præſcripſiſſe communionem calicis, ut hoc indicio detegerentur iidem Manichæi, qui e vino tanquam a re mala, & diabolica, *ſacrilega ſuperſtitione* abſtinebant; unde etiam inferunt fuiſſe ante Gelaſium liberum unicuique ſumere aut unam ſpeciem, aut alteram, aut utramque. Certe Manichæi, ut tutius in Urbe laterent, frequentabant Catholicorum myſteria, *ſed ſanguinem Redemptionis haurire declinabant*, unde S. Leo Magnus ſermone IV. de Quadrageſima ait, deprehenſa hoc indicio ſacrilega illorum ſimulatione, expellendos auctoritate ſacerdotali *a ſanctorum ſocietate*. A moribus Manichæorum abſtemias virgines dictas fuiſſe *Manichæas* obſervatum ſupra prop. 2. Hæc omnia reddunt poſtremam reſponſionem valde probabilem, ſed etiam prima diluit objectionem, ac plana eſt, facilis, expedita. Paſchaſium accommodaſſe ea verba, *Bibite ex eo omnes*, ad uſum ſui temporis, cenſet Eſtius diſt. 11. §. 8. Conjectura tamen Joannis a Lovanio, & Bellarmini de interpolato Paſchaſii codice redditur probabilis ex integra periodo, quæ ad hunc modum ſe habet: *Hic ſolus eſt, qui frangit hunc panem, & per manus miniſtrorum diſtribuit credentibus, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes*. Addo Chriſtum porrigendo calicem Matth. XXVI. 27. non dixiſſe, *Accipite, & bibite*, ſed dixiſſe, *Bibite ex hoc omnes*. De pane duntaxat ſcriptum eſt ſuperiori verſu, *Accipite, & comedite*. Igitur & propter orationis ſyntaxim, & propter citati textus germanitatem legendum eſt in Paſchaſio, *Accipite, & comedite*: aut ſi retinendum eſt, *Bibite*; exponenda ſunt verba de ſanguine *ſub ſpecie panis* latente, & *per concomitantiam* permixto carni.

Denique opponunt: In Sacramento Euchariſtiæ exhibetur fidelibus ſpirituale convivium. At convivium ſeparatim conſtat cibo, atque potu. Ergo præter *ſpeciem panis*, quæ ad cibum pertinet, dandus eſt communicanti potus, & calix Chriſti ſanguine conſecratus. Reſp. in convivio ſpirituali idem eſſe quod continetur ſub accidentibus panis, & quod adeſt ſub ſpeciebus vini, utrobique ſcilicet ſumi totum, & integrum Chriſtum, quod minime reperitur in partibus, quibus conſtat convivium corporale; quamvis & iſtud inſtrui poſſet una duntaxat re, veluti quando lacte nutriuntur infantes. Diſtinguenda eſt itaque minor, Convivium inſtitutum ad nutrimentum corporis conſtat ſeparatim cibo atque potu, tranſeat. Convivium paratum ad alimoniam ſpiritus, nego. Hinc colliges panem vinumque Euchariſticum rectius dici *ſpecies* facti convivii, quam *partes*; cum utraque ſpecies etiam ſeparata convivium ſit plenum, & veriſſimum ſit quod ſeſſ. XIII. cap. 3. ait Tridentinum, *tantumdem ſub alterutra ſpecie, atque ſub utraque contineri*.

CAPUT XVI.

Quibus exhibenda ſit communio Euchariſtica.

Inquiri ſolet hoc in loco quibus Euchariſtia adminiſtranda ſit: cumque ea ſit Sacramentum *viventium* atque inſtitutum ad animæ jam in vita ſpirituali conſtitutæ alimoniam ac nutrimentum, oritur prior quæſtio, an ab Euchariſtica menſa procul arcendi ſint homines ſceleribus inquinati. Deinde cum varia ſint hominum genera, quibus aliquando data eſt, aliquando autem denegata communio, de his etiam inquiritur ſingillatim. Sunt vero hi, parvuli, energumeni, damnati ad mortem, & qui poſt vitam contaminatam perveniunt ad vitæ extrema. Mortuis quoque data fuit aliquando Euchariſtia, aut cum eorum exuviis in ſepulcro recondita: de qua item conſuetudine flagitabit, ut dicamus aliqua, ſtudioſus, & ſacræ eruditionis amator. Ergo hæc omnia ſuis diſtincta numeris explicabimus.

DE SCELEROSIS, ET IMPIIS.

Certum eſt malos quoque, & ſceleribus inquinatos re ipſa *ſacramentaliter* manducare Chriſti carnem, quamvis oppoſitum tenuerint quidam veterum, ut refert q. 80. art. 3. S. Thomas, eamque ſententiam poſtea amplexus fuerit Wicleſus, ut inquit Thomas Waldenſis tom. 2. de Sacram. cap. 60. Etenim de ſingulis Apoſtolis, inter quos erat proditor Judas, legitur Marci XIV. 23. *Et biberunt ex illo omnes*. Apoſtolus in 1. ad Corinth. cap. X. 17. poſtquam ait panem, quem frangimus, eſſe communicationem corporis Domini, ſubjecit, *Unum corpus omnes ſumus, qui de uno pane participamus*, comprehendens procul dubio ſigno univerſali etiam malos, qui Eccleſiæ ſunt membra, & quos monet ut vitent idololatrarum conſuetudinem, propterea quod nemo poſſit *calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*. Ac proximo cap. verſu 27. indigne communicantes appellat reos *corporis & ſanguinis Domini*. Docent ſimilia Patres: nam Auguſtinus lib. V. de Baptiſm. cap. 8. num. 9. ait: *Indigne quiſque ſumeat Dominicum ſacramentum, non efficit, ut quia malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accipit, nil acceperit. Corpus enim Domini, & ſanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus dicebat Apoſtolus, Qui manducat indigne, judicium ſibi manducat & bibit*. Extant eadem verba cap. *Sicut Judas*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 68. Idem habetur cap. *Polluimur*, ejuſdem diſtinctionis 84. quod Gregorio attribuitur, ſed exſcriptum eſt ex Comment. Hieronymi in cap. 1. Malachiæ, v. 7. His non opponitur cap. *Qui diſcordat*, ubi legitur, *Qui diſcordat a Chriſto, nec manducat carnem ejus, nec ſanguinem bibit*, ead. diſt. 2. num. 65. ita enim exponendum eſt, indignum non manducare Chriſti carnem *ſpiritaliter*, utiliter, & quoad effectum, qui eſt habere Chriſtum in ſe permanentem, ut explicatum eſt ſupra pag. 80. & conſtat ex cap. *Qui ſcelerate*, in ipſamet diſtinct. num. 24.

At licet ne peccatoribus dare communionem? Si peccatores publici ſint, nequaquam. Sacerdotibus enim hæc a Domino inculcantur Matth. VII. 26. *Nolite ſanctum dare canibus, nec mittatis margaritas veſtras ante porcos*. Canes juxta Chryſoſtomum Hom. 24. in Matth. pag. 235. ſunt homines perditiſſimi, & *in impietate viventes immedicabili*; *porci* vero, qui commorantur *in luto infrenis luxuriæ*. His ergo deneganda eſt Euchariſtia, cujus particulas appellaverunt antiqui Patres *margaritas*, apud Lupum diſſert. de quibuſdam Patrum locis cap. X. Ex cap. *Pro dilectione*, deprompto ex Epiſtola 61. alias 2. S. Cypriani ad Eucratium, liquet denegandam eſſe communionem hiſtrionibus, & magis, qui *in artis ſuæ dedecore perſeverant*. Idem dicendum de publicis uſurariis, meretricibus, concubinariis. Obſtringuntur eadem lege excommunicati, ac publice denunciati: & decreto Innocentii XI. an. 1683. etiam mulieres, quæ ad altare accedunt habitu ad laſciviam compoſito. Hujus rei manifeſta eſt ratio, quod peccator publicus nullum jus habeat ad ea ſacramenta, quorum perceptio exigit probitatem. Illum autem dicimus peccatorem *publicum*, cujus crimen notorium eſt, & in publicam notitiam venit, aut per evidentiam facti, quæ nulla tergiverſatione celari poteſt, aut per judicium vel ſæculare, vel Eccleſiaſticum, in quo rei de peccato ſuo convicti fuerint. Ita in cap. *Tua nos*, & cap. *Quæſitum eſt*, de Cohabit. Cleric. ita Auguſtinus homilia ultima ex 50. nunc ſerm. 351. num. 10. Ita S. Thomas, cui Theologi omnes ſubſcribunt, 3. p. q. 82. art. 9.

Quid vero, ſi crimen occultum ſit, aut notum ſolummodo per confeſſionem? Eo in caſu dum peccator publice petit, & coram aliis ad ſynaxim accedit, arceri debet, quoniam *in facie Eccleſiæ non conſtat ipſum amiſiſſe jus ſuum*. Ita præcitatus S. Thomas in IV. diſt. 9. art. 5. q. 1. Idem docuit Salvator, qui Judæ corpus & ſanguinem ſuum in ultima cœna minime denegavit. Legitur in Vita S. Bernardi conſcripta a Guilelmo Abbate, quæ poſtponitur in vetuſtioribus editionibus, ac præmittitur in recentiori, lib. I. cap. XI. exemplum omnino in communitate ſervandum: *Agebatur ſolemnitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro ſecreta culpa ab altaris ſacri communione ſuſpenderat, notari timens, & ruborem non ſuſtinens, ad manum ejus cum ceteris nimium præſumptuoſus acceſſit. Intuitus autem eum, quoniam cauſa latens erat, repellere hominem noluit, ſed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præſumptione melius aliquid ordinaret*. Hujuſmodi orationi addi poteſt, niſi res inſolita ingerat ſuſpicionem, efficax hortamentum ut quiſque probet ſe-

ipſum, nec ſeſe efficiat reum Dominici corporis. Quod ſi peccator privatim communionem petat, ei deneganda eſt, quoniam nec ei fit injuria aliqua, nec irrogatur infamia, nec jure ſuo defraudatur; nam revera jus in ſe non habet, tametſi illud retineat, (quamdiu crimen non eſt publicum atque notorium) in conventu & judicio Eccleſiæ. Excipiendum tamen arbitramur caſum, quando crimen notum eſt ſacerdoti per ſolam confeſſionem, quamvis S. Thomas citato in loco ſcribat: *Si ſacerdos ſciat peccatum alicujus, qui Euchariſtiam petit, per confeſſionem, vel qualibet alio modo, diſtinguendum eſt: quia aut peccatum eſt occultum, aut manifeſtum. Si eſt occultum, aut exigit in occulto, aut in manifeſto. Si in occulto, debet ei denegare, & monere ne in publico petat, &c.* Idem docent Durandus, & Eſtius in eamdem diſt. 9. §. 4. Videtur his accedere Natalis Alexander de Euch. cap. v. prop. 4. Reg. 3. Adhæremus tamen nos ſententiæ oppoſitæ, quoniam Eugenius Papa cap. *Si ſacerdos*, de off. Jud. Ordinarii inquit: *Si ſacerdos ſciat pro certo aliquem eſſe reum alicujus criminis: vel ſi confeſſus fuerit, & emendare noluerit, niſi judiciario ordine quis probare poſſit, non debet eum arguere nominatim, ſed indeterminate, ſicut dixit Chriſtus: Unus veſtrum me traditurus eſt. Sed ſi ille, cui damnum illatum eſt, petierit juſtitiam, poteſt excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confeſſus ſit: ſed tamen non nominatim poteſt eum removere a communione, licet ſciat eum eſſe reum; quia non ut judex ſcit, ſed ut Deus, ſed debet eum admonere ne ſe ingerat, quia nec Chriſtus Judam a communione removit.* Ita 1. Decret. tit. 31. cap. 2. Adde confeſſionis ſigillum, & curam maximam adhibendam, ne peccatorum confeſſio in contemptum, invidiamque trahatur. Subſcribunt huic ſententiæ Gabr. in iv. diſt. 9. Sylvius in 3. p. quæſt. 80. art. 6. Navarrus cap. 21. num. 55. Suarez diſp. 97. ſect. 3. Vanroy in Append. ad Tract. de Euch. art. 3. ac S. Thomam in opinione, quam junior adoptaverat, non perſtitiſſe poteſt conjici ex art. 6. quæſt. 80. ubi prætermiſſa ſententia, quam tenuerat in iv. quamvis opportunum fuiſſet illam inſerere articulo, laudat ſolummodo probatque auream Auguſtini regulam ex poſtrema homilia inter L. nunc ſerm. 351. *Nos a communione prohibere quemquam non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo judicio Eccleſiaſtico, vel ſæculari nominatum atque convictum.* Ita ſentit Dominicus Soto in iv. diſt. 12. q. 1. Sed regula Auguſtini, conſenſu omnium, eſt de peccatoribus occultis, qui publice petunt; quorum famæ conſulendum eſſe docet eodem art. 6. ad 2. Doctor Angelicus.

Adverte non poſſe ſacerdotem accedenti ad communionem pro corpore Domini dare hoſtiam non conſecratam, quando novit occultam ejus improbitatem, nec fas eſt eum repellere propter ſcandalum ceterorum. Docent id Theologi univerſi cum S. Thoma cit. quæſt. 80. art. 6. ad 2. primum quia ſacerdos quantum in ſe eſt tali in caſu induceret adſtantes in idololatriam; deinde quia admitti non debet hæc compenſatio, *ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat*, ut inquit S. Pater Auguſtinus q. 42. in Geneſ. præterea quia non impeditur ea ratione ſacrilegium animo accedentis patratum, nec injuria Domino illata: poſtremo quia in cap. *De homine*, lib. 3. Decret. tit. 41. de celebrat. Miſſarum legitur impie ſe gerere ſacerdotem, *qui propter ſui facinoris conſcientiam Miſſam celebrare ſe fingit, & ſuppreſſis verbis, quibus conficitur corpus Chriſti, panem & vinum tantummodo pure ſumit*; ibique profertur hæc ratio, *Cum falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſint periculis graviora.*

DE PUERIS, ALIISQUE RATIONIS USU CARENTIBUS.

Quid aſſerendum ſit de pueris colligitur ex hactenus diſputatis. Datam enim aliquando parvulis ſtatim poſt baptiſmum Euchariſtiam diximus præcedenti cap. prop. 2. & 3. At illis neceſſariam non eſſe oſtendimus cap. xiv. theoremate primo. Hinc infertur agi hic de re *ad ſolam diſciplinam* ſpectante. Cum ergo a duodecimo ſæculo deſierit vetuſta conſuetudo, ut conſtat ex Hugone Victorino lib. 1. de Sacrament. cap. 20. & ætate Sancti Thomæ, ſæculo nempe tertiodecimo, invaluerit opinio aſſirmans pueris Euchariſtiam porrigendam non eſſe, id in Occidentali Eccleſia ſervandum eſt. Græci enim, Syri, & Copti priorem adhuc retinent diſciplinam; ob quam immerito e pleriſque Orientales redargui, obſervat Dominicanus Auctor de Re Sacram. tom. 1. pag. 436. Non enim reprehendendum eſt, quod per plura ſæcula univerſaliter obtinuit, & quod Romana Eccleſia in aliis patitur: nec fovenda ſunt ſchiſmata ob variabilem diſciplinam. Cur apud nos abolita fuerit priſtina conſuetudo, non una eſt cauſa. Prior eſt, quod puereli non percipiunt quid ſumant, & carent devotione; ac in re minime ad ſalutem neceſſaria, præponderare debet reverentia tanti Sacramenti augmento illi gratiæ, cujus defectu parvuli nullum patiuntur ſpiritale detrimentum. Altera eſt, quod infantes nequeunt *ſpeciem* panis digerere, *ſpeciem* autem vini facile vomendo ejicerent. Adde tertiam cauſam, nempe ut recentiori Eccleſiæ uſu reprobetur eorum ſententia, qui cenſent pueros baptiſmate regeneratos non poſſe abſque Euchariſtia ſalvari, eamque ſententiam adſcribunt Patribus, et diximus cap. xiv. De amentibus, qui nunquam habuerunt rationis uſum, eadem ac de parvulis, habenda eſt ratio: ſi autem fuerunt aliquando compotes ſui, & erga hoc Sacramentum devotionem aliquam exhibuerunt, non debent in morte privari Viatico, ex canone 76. Concilii iv. Carthaginenſis, inſerto ſecundæ parti Decreti, xxvi. q. 6. cap. *Is, qui pœnitentium*. Mutis, ſurdiſque, ſi per nutus ac ſigna prætulerant conceptum de peccatis dolorem, piamque animi præparationem, non eſſe Euchariſtiam denegandam ſuadet ratio, omneſque prorſus conſentiunt.

DE ENERGUMENIS, ET ARREPTITIIS.

Energumenis denegatam aliquando Euchariſtiam demonſtrant antiquæ Liturgiæ, quæ docent Diaconum poſt exitum Catechumenorum alta voce clamaſſe, προέλθετε οἱ ἐνεργούμενοι, *Exite energumeni*. Vide lib. viii. Conſtit. Apoſt. cap. 7. pag. novæ edit. 294. Canone etiam 29. Illiberitano præſcribitur, neque energumeni *nomen ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut ſua manu in Eccleſia miniſtret*. Iſte tamen canon de ſolis illis energumenis accipiendus eſt, qui ita a maligno ſpiritu exagitantur, ut ſubjecti ſint diuturnæ perturbationi; nam additur, *Qui ab erratico ſpiritu exagitatur*. Hinc canone 37. ejuſdem ſynodi Illiberitanæ permittitur communio iis, *qui a ſpiritibus immundis vexantur*: ac poſſunt optime hi duo canones invicem conciliari, ſive diſtinguantur energumenorum genera, ſive canon poſtremus accipiatur de energumenis lethali morbo correptis. Energumenis itaque, niſi actu exagitentur a dæmone, porrigenda eſt communio. Etenim Concilium 1. Arauſicanum anno 441. edidit hunc canonem num. 14. *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſollicitudini clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonis, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior.* In Collationibus Caſſiani collat. vii. cap. 29. pag. 457. Germanus ait energumenos a communione Dominica quibuſdam in locis perpetuo abſtinere, ut de iis accipiendum quod legitur in Evangelio, *Nolite ſanctum dare canibus*. At Serenus proximo capite reſpondet: *Communionem iis ſacroſanctam a ſenioribus noſtris numquam meminit interdictam, quin imo, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impertiri debere cenſebant; nec enim ſecundum Evangelii ſententiam, quam incongrue huic ſenſui coaptatis, Nolite ſanctum dare canibus, ad dæmonis eſcam ſacroſancta communio, & non potius ad purgationem ac tutelam corporis, animæque pervenire credenda eſt: Quæ ab homine percepta eum, qui in membris ejus inſidet, ſpiritum veluti quodam exurens fugat incendium.* Id exemplis confirmans addit nuper curatum hoc modo Abbatem Andronicum. Puellam Arabum liberatam a dæmone accepta Dominici corporis particula narrat S. Proſper lib. de Prædict. & promiſſ. Dei cap. 6. Habere eamdem vim ad repellendam dæmonum infeſtationem ſacrificium Corporis Chriſti, colligitur ex iis, quæ narrat de Tribunitio Heſperio S. P. Auguſtinus lib. xii. de Civit. Dei cap. 8. Vide Petrum Thyræum in Opere de Dæmoniacis parte 2. cap. 28. num. 7.

DE AFFICIENDIS EXTREMO SUPPLICIO.

Ultimo ſupplicio plectendis denegata eſt aliquando Euchariſtia, in Gallia præſertim, & in Hiſpania. Hinc in Hiſpania ſervatum morem, ut damnati ad mortem priventur ſalutari Viatico, ſcribit Dominicus Soto in iv. diſt. xii. q. 1. nunc vero ibi obtinere contrarium uſum teſtatur Sylvius in 3. p. q. 80. art. 6. & nuper Guerrerus de Euch. §. vii. num. 174. In Galliis autem prior conſuetudo perſeverat: ejuſque proferunt rationes quaſdam Merbeſius 3. p. quæſt. 27. pag. 340. & Juenin quæſt. vi. cap. 4. Præcipuæ hæ ſunt, quoniam cruciarii, & furciferi plerumque ſcelera deteſtantur timore ſupplicii: unde merito dubitatur, an capaces ſint ſacramentalis abſolutionis, quæ etiam ſumma benignitate illis impenditur. Deinde ſunt illi monſtra quædam ex omnium ſcelerum colluvione concreta, atque ut plurimum adeo perditi, ut neque Deum, neque homines revereantur. Præterea accepto mortis nuncio ita conſternantur, ut deſtituti appareant rationis uſu, & metu mortis mox oppetendæ de omni prorſus gradu dejiciantur. Injuria deinde eſt maxima, quæ irrogatur corpori Chriſti, ſi trajiciatur in corpus omni libidine conſpurcatum, & ſanguine cædibuſque reſperſum. Turpiſſimum denique eſt, ſi cum dedecore, & ignominia tortoris manu corpus illud tractetur, quod nuper ſupremum Regem excepit.

At non denegandam Euchariſtiam extremo ſupplicio afficiendis perſuadent nobis momenta, quæ ſequuntur.

Petitur

Petitur primum ex cap. *Quæſitum* eſt, XXIII. q. 2. num. 30. ubi definitur iis, qui pro ſuis ſceleribus in patibulis ſuſpenduntur, *communionem in finem ſecundum canonicum juſſum dandam eſſe*. Idem habetur in canone 27. Concilii Moguntini an. 847. in can. 80. Concilii Wormacienſis anno 868. & in canone 31. Concilii Triburienſis an. 895. Gaſpar Juenin ait accipiendos hos canones de abſolutione Sacramentali, quæ *communio* aliquando dicitur, quoniam Wormacienſis ſynodus affert exemplum latronis, cui in morte peccata dimiſſa ſunt. At fallitur vir doctus. Nam ſynodus Moguntina abſolutionem a communione diſtinguit, & de ea communione loquitur, quam appellat *Euchariſtiam, & communionem viatici*, concedendam in exitu mortis omnibus pœnitentibus, juxta canonem 26. ejuſdem ſynodi. Triburienſis vero non ſolum ait ſtrangulandis *communionis gratiam eſſe tribuendam*, ſed monet præterea, ut adjuventur *ſacroſanctis myſteriis*, laudatque canonem 12. Nicænum: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit*. Quo in canone, etſi non jubeatur, ut omnibus prorſus in exitu mortis detur communio; de communione tamen Euchariſtica ex oblationibus conſecratis percipienda ſermo eſt: ideoque hanc ſingulis etiam ſuſpendendis, dummodo pœnitentiam agant, cenſet ſynodus Triburienſis. At Wormacienſis ideo exemplum latronis commemorat, ut illo admoneamur, *nullum pietatis officium denegandum eſſe morienti*. Confirmant deinde ſententiam noſtram praxis Italiæ, in Hiſpaniis, & fere ubique Gentium ſervata, edicta Belgica art. 11. hiſtoriæ Theodoſii filii Mauritii Imperatoris, cui, priuſquam juſſu Phocæ necaretur, datam fuiſſe Euchariſtiam narrat Cedrenus *in Phoca*, an. 1. Extat etiam Conſtitutio Caroli V. quæ mandat, ne Euchariſtia damnato ad mortem negetur: atque, ne Gallias prætereamus, legimus Statuto XI. ſynodi Remenſis an. 630. *Cur ad mortem condemnatis renuitur Euchariſtia, cum iis maxime conducat ad ſpem, & ſecuramen certi deceſſus, & præſentis agonis?* Præterea non videtur contraria conſuetudo retinenda ex rigore antiquioris diſciplinæ, tum quia primis Eccleſiæ ſæculis pœnitentibus cum reconciliatione dabatur Euchariſtia, tametſi hæc conſuetudo poſt Novatum cœperit immutari, ut lib. IV. de Pœnit. cap. 21. & 22. demonſtrat Joannes Morinus: tum quia in Galliis ante annum 1396. denegabatur ſuſpendio necandis abſolutio quoque Sacramentalis, ut obſervat idem Morinus lib. X. ejuſdem operis cap. 1. & fatetur Tournely de Euch. q. 5. art. 3. hoc tamen poſtremum fuit citato anno abrogatum edicto Caroli VI. Denique S. Pius V. in Conſtitutione XCI. edita pro Confraternitate nationis Florentinæ inſtitutæ in Urbe ab Innocentio VIII. ad confortandos ſententia Judicis morituros, quæ Conſtitutio incipit, *Cum ſicut accepimus*, §. 21. Cappellano ejuſdem Confraternitatis conceſſit, ut ſi ei videatur damnatos ad ultimum ſupplicium eſſe diſpoſitos ad recipiendum ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, poſſit *in eorum præſentia etiam de nocte in caſu neceſſitatis Miſſam celebrare, & abſolutionem ac indulgentiam plenariam in forma Jubilæi impendere, & dictum Euchariſtiæ ſacramentum eis miniſtrare*.

Nil vero probant argumenta contraria: non primum, quoniam timore perculſis poteſt Deus gratiam contritionis largiri; & *quotieſcunque peccata donantur*, tribui debet *Dominici corporis ſacramentum*, ut ait Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 3. num. 18. & habetur cap. *Poteſt fieri*, de Pœnit. diſt. 1. §. *Sicut ſemel*. Non ſecundum, quia apud Deum ablutus baptiſmi, aut pœnitentiæ lavacro, *ſuper nivem* dealbatus eſt. Non tertium, quia cæleſti viatico ſubiturus ſupplicium corroboratur, ut poſſit cum morte luctari, neque nos dandam communionem aſſerimus inſanienti, aut in furorem, vel deſperationem dejecto. Non denique ultimum, quoniam exigui temporis intervallo mutantur Euchariſticæ *ſpecies*, ac potior eſt apud Deum ſalus morientis, quam mortis infamia; hanc enim & ipſe ſubiit innocens pro redemptione animarum. A piis tamen judicibus ac magiſtratibus quibuſdam in locis tribuitur capitis damnato, ne ille die afficiatur ſupplicio, quo ſumpſit ſacratiſſimum corpus Domini, quam conſuetudinem laudat S. Carolus in V. Synodo Mediolanenſi parte 1. Conſtit. num. 9. Verum nequit hæc obſervari in iis locis, in quibus rei poſt acceptum mortis nuncium vix unius noctis breviumque horarum decurſu confortantium ſollicitudini committuntur.

DE PŒNITENTIBUS IN EXITU MORTIS.

Quod ſupra dixi de afficiendis ſupplicio, aſſerendum eſt de omnibus, quantumvis ſceleſtiſſimis, qui morti proximi agunt pœnitentiam, nec ratione ſunt deſtituti. Aliquando utique lapſis communio denegata eſt in extrema quoque periodo vitæ, ſed indulſit præcitatus canon Nicænus, ut cuilibet in exitu poſcenti communionis gratiam, ſi dignus judicetur ab Epiſcopo, Euchariſtia tribuatur. In Concilio pariter Agathenſi anno 506. can. 15. legitur: *Viaticum omnibus in morte poſitis non eſt negandum*: & in canone 76. Concilii III. Carthaginenſis an. 398. de illo, qui pœnitentiam in infirmitate petit, habetur: *Si conti-*

nuo creditur moriturus, reconciliatur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Gregorius III. in Epiſtola ad Bonifacium num. 7. ſcribit quæ ab Ivone inſerta ſunt Collectioni canonum p. X. cap. 179. *De his vero, qui patrem, matrem, fratrem, aut ſororem occiderint, dicimus ut toto vitæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro viatico*, tom. VI. Concil. pag. 1469. Denique Innocentius III. cap. *Quod in te*, lib. V. Decret. tit. 38. de Pœnit. conceſſit, ut etiam tempore interdicti Clericis, & laicis detur *viaticum in extremis*, quamvis hoc decretum deſideretur in epiſtolis Innocentii editis a Sirleto & Boſqueto.

DE MORTUIS.

Ori defunctorum non eſt ingerenda Euchariſtia. Aliquando Euchariſtiam fuiſſe datam mortuis, aut cum ipſis ſepultam colligitur ex hiſtoriis. Etenim S. Amphilochius *in Vita S. Baſilii* pag. 224. edit. Combefiſii ſcribit: *Teſtamento ſepeliri ſanxit cum tertia portione* ὑπὸ τοῦ κυρίου δοθείσης αὐτῷ κοινωνίας, *a Domino datæ ſibi communionis*. Ambiguum quidem cenſebatur olim hoc Amphilochii opus non ſolum a Coco, Blondello, Riveto, aliiſque heterodoxis, ſed etiam a Baronio ad an. 363. num. 70. a Bellarmino de Script. Eccl. an. 380. aliiſque Catholicis: ut prodiit tamen opera memorati Combefiſii ad regios codices emendatum, non indignum ipſo Amphilochio deprehenditur; ut in notis ejuſdem Combefiſii pag. 256. & in diſſert. Hiſtorica Philippi Labbè de Script. Eccleſ. in *Amphilochio*, apertiſſime demonſtratur. Sepultam Euchariſtiam, poſitamque juſſu S. Benedicti ſupra pectus cujuſdam Monachi, cujus corpus terræ mandatum ſequenti die repertum eſt extra tumulum, narrat S. Gregorius Magnus lib. 2. Dialog. cap. 24. confirmatque plurima eruditione Mabillon in Annal. Benedictinis lib. IV. cap. 8. num. 11. Aliquando uſitatum fuiſſe, ut ſacrum Chriſti corpus collocaretur ſupra pectus Epiſcopi vita functi, demonſtrat ex Beda, & Amalario Fortunato eruditus Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii n. 680. Quo in loco etiam probat S. Benedictum facto ſuperius narrato non violaſſe canones, qui prohibent Euchariſtiam dari mortuis, cum adverſetur quidem Conciliis communio mortuis porrecta, non vero collocatio Euchariſtiæ ſupra pectora defunctorum quod & adnotarunt Mabillon citato in loco, & Patres alii S. Mauri in Editione Gregoriana tom. 2. pag. 455. Perperam ergo de hujuſmodi hiſtoriis quidam dubitant, ut facit in ſuo Commen. de Sacram. q. 6. a. 5. Gaſpar Juenin.

Originem dandi mortuis communionem repetit Cl. Lupus in canonem LXXXIII. Trullanum ex hiſce cauſis: prima eſt, quam inſinuant Dialogi S. Gregorii, & exempla producta, ne cadavera e ſepulchro ejicerentur: altera ne dæmones in defunctorum corpora baccharentur ac furerent: tertia, ut qui vivi Euchariſtiam non perceperant, juvarentur ſaltem præſentia ſacroſancti Viatici. Doctiſſimi viri conjecturas confirmo ex iis, quæ in eumdem canonem Trullanum ſcribit Theodorus Balſamon: *Quod autem*, inquit, *ſanctus Panis Antiſtitibus poſt mortem tradatur, & ſic ſepeliantur, exiſtimo hoc fieri ad avertendos dæmones, & ut per ipſum, tanquam Viaticum, deducatur ad cælum, qui magna & Apoſtolica benedictione dignus eſt habitus*. Baſilius Poncius parte 1. Variarum diſput. p. 137. affert cauſam aliam, nempe, ut hoc ritu communionis evocarentur homines a ſuperſtitione Gentilium, qui mortuis obulum imponebant ori, Acheronti pro ratis naulo perſolvendum: unde Juvenalis Satyra 3. de quodam paupere inquit:

Jam ſedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec ſperat cœnoſi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

Ejuſdem ſuperſtitionis profert vir doctiſſimus teſtimonia complura ex Luciano, Apulejo, aliiſque ſcriptoribus Ethnicis.

Quæcunque fuerit origo ejuſdem conſuetudinis, vetat, ne communio detur mortuis, præcitatus canon 83. Trullanus his verbis: *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet: ſcriptum eſt enim, Accipite, & comedite. Mortuorum autem corpora non poſſunt accipere nec comedere*. Extat conſimilis canon in Codice Eccleſiæ Africanæ, & alius item ſynodi Antiſſiodorenſis, quos omnes affert pag. 135. ejuſdem Operis Baſilius Poncius, nec non Parte 2. in Canones Chriſtianus Lupus. Abiit pariter in deſuetudinem mos collocandi Euchariſtiam ſupra pectus defunctorum: ipſorumque quieti ſatis conſultum eſt benedictione cœmeteriorum, quæ Pontifex benedicendo munit crucis ſigno, *ne dæmon accedat*, purgat luſtrali aqua, ut mundentur *ab omni ſpurcitia inquinamento, & immundorum ſpirituum inſidiis*, oratque ut defunctis ibi ſepeliendis Deus tribuat *quietis ſedem, & ab omni incurſione malorum ſpirituum tutelam*. Vide Pontificale Rom. P. 2. tit. 6.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De diſpoſitionibus ad ſacramentalem Communionem, de hujus frequentia, & maxima utilitate.

PLURA hoc uno in capite comprehendimus, quæ cum ad διδασκαλίαν, inſtitutionemque pertineant, tali brevitate trademus, ut quæ in aliorum ſcriptis diſperſa ſunt, hic ſimul occurrant, & recentiorum Theologorum præcepta, veteris etiam diſciplinæ inſerta notitia, proponantur, & illuſtrentur. Ad ſacram itaque communionem acceſſuri debent eſſe corpore animoque diſpoſiti. Ad corpus attinent jejunium, caſtitas, habitus: ad animum vero recta conſcientia, injuriarum oblivio, aliarumque exercitia virtutum.

I.

De communicantium jejunio primo ſcimus non eſſe illud divini præcepti, ſed traditionis Apoſtolicæ: nam *liquido apparet, quando primo acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non accepiſſe jejunos*, ait Auguſtinus epiſt. 118. nunc 54. ad Januarium cap. 6. nec invenitur in ſacris litteris præceptum Domini, ut nonniſi jejuni communicent. II. At commendat idem jejunium Apoſtolica traditio, & præceptum Eccleſiæ. Hujus traditionis teſtem habemus Tertullianum ſcribentem lib. de Corona Militis, ſumi Euchariſtiæ Sacramentum *antelucanis cœtibus*, & lib. 2. ad Uxorem cap. 5. *ante omnem cibum*. S. Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcilium, Baſilius hom. 1. de Jejunio, Chryſoſtomus hom. 27. in Epiſt. 1. ad Corinth. & 9. ad Populum Antiochenum idem apertiſſime tradunt. Auguſtinus vero poſt præcitata verba eamdem traditionem comprobat uſu univerſalis Eccleſiæ, ſimulque demonſtrat jure optimo fuiſſe inſtitutam his verbis: *Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.* Afferunt Auguſtinianam rationem Magiſter in IV. Sent. diſt. 8. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 8. & quotquot ſubſecuti ſunt Scholaſtici. III. Non repugnare hanc traditionem exemplo Chriſti demonſtrat eo loci Auguſtinus ſubjiciens; *Neque enim, quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit, & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Namque Salvator quo vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat.* Reddit rationem alteram Cyprianus laudata ad Cæcilium Epiſtola ſcribens, *Chriſtum offerre oportebat circa veſperam diei, ut hora ipſa ſacrificii* veteris Teſtamenti *oſtenderet occaſum*. Similia habet Paſchaſius in libro de Corp. Dom. cap. 20. ubi ait, voluiſſe Dominum prius paſcha typicum complere, ut inde ad verum Paſchæ Sacramentum tranſiret. IV. Receſſerunt ab ea univerſali conſuetudine quidam Ægyptii, qui apud Sozomenum lib. VII. H. Ec. cap. 19. die ſabbati ſub veſperam convenientes jam pranſi ſacra myſteria percipiebant. Nonnulli etiam, licet aliis diebus communicarent jejuni, feria tamen quinta majoris hebdomadæ id faciebant cœnati, in commemorationem poſtremæ Cœnæ Domini; atque hunc morem in quibuſdam Africanis Eccleſiis ætate ſua adhuc perſeveraſſe affirmat Auguſtinus citata ad Januarium Epiſtola cap. 7. ut recte obſervarunt viri doctiſſimi, Joannes Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 21. num. 3. Schelſtratius de Eccleſia Africana diſſert. 3. cap. 7. num. 13. & Lupus in canonem 29. Trullanum tom. 2. pag. 911. Hunc tamen morem univerſalem non fuiſſe eo loci aſſerit ſanctus Pater his ſubjectis verbis: *Hoc tamen non arbitror inſtitutum, niſi quia plures, & prope omnes in pleriſque locis eo die lavare conſueverunt: & quia nonnulli etiam jejunium cuſtodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia ſimul, & lavacra tolerare non poſſunt, ad veſperam autem propter jejunantes.* Irrepſit eadem conſuetudo in Gallicanam Eccleſiam, ut conſtat ex can. 9. ſecundæ ſynodi Matiſconenſis. Alio autem perverſoque fine Priſcillianiſtæ ſacrificabant, & communicabant ſoluto jejunio, ſcilicet quia dogmatizantes cum Marcione corpus Chriſti phantaſticum, veram ipſius mortem negabant, & recolendam eſſe dicebant abſque jejunii triſtitia. Poſtremo conſuetudinem communicandi poſt cœnam amplexi ſunt hæretici Huſſitæ damnati anno 1415. in ſynodo Conſtantienſi. V. At reprobarunt prænarratam conſuetudinem Eccleſiæ canones. Trullanus XXIX. ad hunc modum ſe habet: *Carthaginenſis ſynodi canon dicit* (is eſt 29. Synodi III.) *ut Sancta altaris nonniſi a ſobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur; tunc fortaſſe propter aliquas in iis locis occaſiones Eccleſiæ utiles ſanctis illis Patribus hac diſpenſatione uſis. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam obſervationem relinquamus, ſtatuimus Apoſtolicas, & paternas traditiones ſequentes non oportere in Quadrageſimæ poſtrema ſeptimana quinta feria jejunium ſolvere, & totam Quadrageſimam injuria afficere.* Reliquos canones vide apud Bonam, vel Lupum citatis in locis. VI. Ab hac lege jejunii excipiuntur ſeſſ. 13. Concilii Conſtantienſis, uſuque Eccleſiæ infirmi in mortis periculo conſtituti; parvuli etiam, ubi apud Orientales communione ſtatim poſt baptiſmum donantur: nec non ſacerdotes, qui inter ſacrificandum recordentur peracta conſecratione ſe non eſſe jejunos, aut, poſt ſumptionem hoſtiæ advertant ſe calici non appoſuiſſe vinum, aut eis perficiendum conſummandumque foret ſacrificium alterius ſacerdotis ſubito morbo correpti: de quibus, aliiſque caſibus accurate pertractant Suarez, & Sylvius in 3. p. q. 80. art. 8. Toletus lib. VI. Inſtit. Sacerd. cap. 15. Natal. Alex. cap. V. art. 2. §. 2. & quotquot de Morali Theologia libros ediderunt. VII. Jejunium, de quo loquimur, eſt illud, quod appellant *naturale*, atque ſitum eſt in omnimoda cibi potuſque abſtinentia etiam pharmaci ſumpti valetudinis cauſa: quod conſtat ex omnium doctorum conſenſu, ex vetuſtiſſima Eccleſiæ praxi, & ex canone 2. Concilii VII. Toletani, præcipientis, ne celebretur Miſſa, aut percipiatur communio, *poſt cibum potumque quemlibet minimum*, & habetur cap. *Nihil contra*, Cauſa VII. quæſt. 1. num. 16. Non frangunt autem naturale jejunium, (quicquid ſuadeat rudis, & nimia quorumdam anxietas) quæ interius per modum cibi aut potus minime trajiciuntur, ut manans a capite humor, & ſaliva poſt deguſtatum condimenti alicujus ſaporem, ſi ſtatim illud expuatur, necnon pulvis aut fumigium nicotianæ, ſive, ut inquiunt, *tabaci*: quod tamen adeo indecorum eſt, ut Limenſis ſynodus ſub mortali indixerit ſacerdotibus, ne *tabacum* mandant, vel fumidum glutiant ante rem ſacram; idemque ſynodus tertia Mexicana præſcripſerit ſingulis ad ſacram communionem acceſſuris. De qua re vide Franciſcum Henno diſput. VIII. de Euch. q. 2. art. primo circa finem, Vanroy cap. 8. quæſt. 1. & Monacellum in Formulario Legali tom. 1. Tit. 5.

II.

Munditiem carnis ad communionem prærequiri demonſtrat typus veteris Teſtamenti, in quo legimus *panes propoſitionis* datos tantummodo mundis *a mulieribus*, 1. Regum XXI. 4. Utitur hoc exemplo S. Hieronymus epiſtola 50. num. 30. ad commonſtrandum, quod non debeat contingi panis ille, qui de cælo deſcendit, ab his, *qui conjugalibus paulo ante hæſere complexibus*: & habentur verba Hieronymi cap. *Sciatis*, c. XXXIII. quæſt. 4. num. 5. Satis idem perſuadet conditio hujus Panis, puriſſimi ſcilicet intemeratæ Virginis filii, cui ad ſynaxim ſacram accedens exhibet corpus ſuum templum, atque habitaculum. II. Ut vir abſtineat ante communionem a propria uxore *tribus, aut quatuor, aut octo diebus*, monet caput *Omnis homo*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 21. exſcriptum ex lib. V. Burchardi cap. 22. Eos item, qui matrimonio juncti ſunt, *ut aliquot dies a concubitu uxorum abſtineant*, hortatur Catechiſmus Romanus P. 2. cap. IV. num. 58. Non ſunt tamen hæc monita abſoluti præcepti; nam habetur cap. *Vir*, c. XXXIII. q. IV. num. 7. de ſumendo corporis Dominici ſanguiniſque myſterio virum illum ſuo relinquendum eſſe judicio, qui conjuge *non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo liberorum creandorum gratia utitur*. III. Placet autem mihi admodum regula S. Franciſci Saleſii p. 2. aurei libri, quem *Philothea* nomine inſcripſit, ubi cap. 20. docet a proxime communicaturo conjugale debitum non eſſe petendum, nil vero afferre impedimenti, ſi ei, qui petit, reddatur: nam ut inquit S. Pater Auguſtinus in Pſ. 149. *Pro ſanctificatione perfecta Deus tibi computabit, ſi non quod tibi debetur exigis, ſed reddis quod debetur uxori*. IV. Caute agendum περὶ τῆς τοῦ σπέρματος ἐκχύσεως: de qua legendum eſt cap. *Teſtamentum*, diſt. VI. num. 1. depromptum ex Epiſtola Gregorii Magni ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, quæ eſt 31. libri XII. In ea docet S. Pontifex illuſionem non eſſe timendam, *cum ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate evenerit*. Secus dicendum, ſi oriatur ex crapola, ex turpi cogitatione, ex mulierum conſortio, atque ex alia hujuſmodi cauſa, libera ac voluntaria. Tali in caſu a communione abſtinendum, ſi abſque ulla nota fieri poſſit, docent Theologi omnes cum S. Thoma 3. p. q. 80. art. 6. Alias, ut ajebat Theonas apud Caſſianum Collat. XXII. cap. 5. pag. 816. *Si hoſtis nequiſſimus, ut nobis caleſtis remedii ſubtrahat medicinam, cuſtodiam ſopita mentis illuſerit, ita duntaxat, ut nullo irreprehenſibili interveniente pruritu, nullo contaminetur oblectationis aſſenſu, ſed egeſtionem, aut naturali neceſſitate propulſam, aut recte impugnatione diaboli abſque ſenſu voluptatis elicitam, ad impedimentum noſtræ ſanctificationis obtenderit, poſſumus & debemus ad gratiam ſalutaris cibi confidenter accedere*. Docet ſimilia Iſidorus lib. 3. Sent. cap. 6. relatus diſt. 6. cap. *Non eſt peccatum*. V. Damnanda omnino eſt ſuperſtitio Sinenſium, qui

qui a ſacramentis arcent mulieres menſtruali morbo laborantes, ut damnavit decrem ſuo a Clem. XI. Benedicto XIII. & BENEDICTO XIV. auctoritate Apoſtolica confirmatu Carolus Thomas Cardinalis de Tournon. Etſi enim aliquando in uſum receptum fuerit, ut fluorem ſuſtinentes non participarent *impolluta myſteria*; ſcimus tamen mulierem, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, poſt tergum Domini fimbriam veſtimenti ejus tetigiſſe, & magnum Gregorium laudata ad Auguſtinum epiſtola illam ſuperſtitionem hiſce verbis prædamnaſſe: *Feminis namque & menſtruus ſui ſanguinis fluxus ægritudo eſt; igitur bene præſumpſit, quæ veſtimentum Domini in languore poſita tetigit. Quod uni perſonæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ ſuæ vitio infirmantur?* Depromptum eſt ex eadem Epiſtola cap. *Ad ejus*, diſt. v. numer. 4. ubi prope finem legitur: *Sancta autem communionis myſterium in eiſdem diebus percipere non debet prohiberi: ſi autem ex veneratione magna percipere non præſumit, laudanda eſt; ſed ſi percipiat, non judicanda.* Verum de Sinenſium conſuetudine, ejuſdemque condemnatione plura in ſuo *Examine* cap. 13. Aloyſius Maria Lucinius nuper ob doctrinam atque pietatem Vaticana purpura ornatus.

III.

Talis quoque in communicantibus requiritur cultus corporis, qui omnem reverentiam, honeſtatemque præſeferat. Antiqui Tabenenſes Monachi *ad Synaxim* ingredientes pellem deponebant ovinam, ut ex Hiſtoria Lauſiaca Palladii adnotat ad Collat. 23. Caſſiani pag. 853. Alardus Gazæus. Balneo alii utebantur, apud Mabillonium Præf. 1. in ſæculum IV. Benedict. S. Wilfridum ſeſe nocturnis horis mundaſſe luſtrali aqua ſcribit eo loci Mabillonius, & cap. 55. Concordiæ Regularum Menardus. II. Ex documentis S. Caroli P. 2. Act. Eccl. Mediol. pag. 240. debent mares accedare cum ſumma reverentia, manibus pectori admotis, depoſitis armis, humili ac decenti habitu, ſed non ſordido. Mulieres autem non ſumptuoſis veſtibus, non intortis crinibus, non vultu pigmentis illito, non pectore nudo, aut velo tranſlucido obtecto, ſed permodeſto habitu, demiſſoque ſuper faciem denſo velamine. Videſis Natalem Alexandrum de Euch. cap. 5. art. 2. & Genettum Tract. IV. da Sacram. cap. 11. quos nemo hac in re cenſet rigidiores.

IV.

Quid vero dicendum de præparatione animi? Neceſſaria profecto eſt *gratia ſanctificans*, & animus taliter effectus, ut ſibi non ſit conſcius alicujus lethalis culpæ. *Quicunque enim manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. XI. 27. ideſt, reus erit, *ac ſi occidiſſet, & effudiſſet*, ait eximius verbi Dei Præco S. Thomas a Villanova Conc. 3. in die Corporis Chriſti, pag. edit. Colon. 247. Præmittenda eſt itaque peccatorum confeſſio illis omnibus, *quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſarii*, ut definit ſeſſ. XIII. can. 11. ſacroſancta ſynodus Tridentina. II. Si Sacerdos, cui ex neceſſitate incumbit celebrare, Confeſſario deſtitutus celebret urgente cauſa, *abſque prævia confeſſione*; mandat eadem ſancta ſynodus præcitatæ ſeſſionis cap. 7. *ut quamprimum confiteatur*. Hoc vero præceptum eſſe, non conſilium, ac præceptum omni ſolicitudine implendum, ubi primum Confeſſarii ſit copia, conſtat ex propoſitiona 38. ex confixis ab Alexandro VII. *Mandatum Concilii Tridentini, factum ſacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum*: & proxima 39. *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum ſacerdos ſuo tempore confitebitur*. III. Studium præſertim eſt adhibendum, ne quis accedat ad communionem, quæ eſt *ſymbolum unitatis*, odio habens fratrem ſuum. Jubet quippe Evangelium Mat. v. 24. ut irato ſtatri reconciliemur, priuſquam munus ad altare offeramus; quod multo magis præſtandum eſt divina munera percepturis. Tertullianus de Orat. cap. 14. plura ſcribit adverſus ſubtrahentes *oſculum pacis*, dum vel adſtant ſacrificio, vel corpus Domini accipiunt: meritoque ſtatuta noſtra vetaut, ne communicet, qui ex animi deliberatione fratrem aliquem non alloquitur, Conſt. p. 3. cap. 17. num. 6. Ut enim præclare inquit Auguſtinus Tract. XXVI. in Joannem num. 11. & cap. *Panem cæleſtem*, de Conſecr. diſt. 2. num. 64. *Si dimittis, dimittetur tibi: ſecurus accede, panis eſt, non venenum. Sed vide, ſi dimittis. Nam ſi non dimittis, mentiris: & ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes*. IV. Non dicam de exercendis virtutibus ſingillatim; nam fidem axigit altitudo myſterii, pietatem ac dilectionem commemoratio paſſionis Dominicæ, humilitatem majeſtas Altiſſimi, timorem ipſe Judex vivorum & mortuorum, ſpem denique pretium, quo redemptus eſt mundus. Non opus eſt ut prolixius agatur de re ipſis quoque adoleſcentulis notiſſima. Juniores docex Saleſius p. 2. cap. 21. operis præcitati: Monachos caput 34. Regularum breviorum Baſilii, Jureconſultos cap. *Timorem*, de Conſecrat. diſt. 2. numer. 25. Concionatores laudata oratio 3. Archiepiſcopi Valentini, Parochos Catechiſmus p. 2. cap. 4. numer. 57. Theologos S. Thomas 3. p. quæſt. 80. omnes denique Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. XI.

V.

Circa frequentem Communionem dicam primo quænam fuerit Eccleſiæ diſciplina, deinde quid canones Patreſque tradiderint; demum quæ regulæ in ea frequentanda ſervandæ ſint, & quidem, ut rigor & laxitas vitentur, ex probatiſſimorum Scriptorum conſenſu. Frequentiſſimam itaque fuiſſe communionem, & ſæpenumero quotidianam, cum exordio naſcentis Eccleſiæ fideles convenirent *ad frangendum panem*, haud obſcure colligitur ex Actibus Apoſtol. cap. 2. verſ. 42. Juſtinus in Apolog. ad Antoninum ſcribit omnes, qui in agris, vel oppidis morabantur, unum in locum conveniſſe, concluſiſque precibus percepiſſe Euchariſtiam *die, qui ſolis dicitur*. Addit Tertullianus feriam quartam ac ſextam, quibus diebus conveniſſe fideles ad ſacram *Synaxim* docex etiam Epiphanius in Expoſit. fidei num. 22. Eo loci *Synaxeos* nomine intelligendam eſſe Euchariſtiam negat in libro de freq. Commun. cap. 9. Antonius Arnaldus: ſed immerito: nam quamvis eo vocabulo ſignificetur *conventus & collectio*, immo interdum modulatio Pſalmorum, ut in Regula S. Columbani cap. 7. & apud Domnitium in Vita Mathildis lib. 1. cap. 21. ubi legitur,

More ſuo ſanctis ſurgit cantare Synaxim;

nihilominus apud Græcos deſignari eadem voca divinæ participationem Euchariſtiæ teſtatur Pachymeres non uno in loco in ſuis adnotationibus ad Dionyſium. Adde quod olim fidelium conventus ſine communione Euchariſtica, aut nunquam, aut perraro celebrabantur. Adnumerat Baſilius prædictis feriis ſabbatum, dieſque cultui Martyrum deſtinatos, in ſua ad Cæſariam Patriciam epiſtola. II. Frigeſcente poſthac devotione communio primum coarctata fuit ad ſingulos dies Dominicos, in quibus nunquam olim fuiſſe prætermiſſam ſcribit auctor ſermonis XXV. inter adſcriptos Ambroſio, & in libro de Divinis Off. cap. 120. Joannes Beleth; ubi ait etiamnum in Græcia ſub anathemate eum puniri, *qui a tribus diebus Dominicis non communicaverit*. Atque hoc etiam in deſuetudinem abeunte, indicta eſt communio ſub præcepto in tribus ſolemnitatibus, ita ab eodem Beletho enumeratis, *Modo autem nos tenemur in tribus ſolemnitatibus, utinam Paſchate, Pentecoſte, & Natali*. In cap. *Omnis*, de Conſecrat. diſt. 2. definitur, eum, qui iiſdem tribus diebus a communicando abſtinuerit, non eſſa *inter catholicos* connumerandum. Lateranenſe Concilium coarctavit poſtea communionis præceptum ad Reſurrectionis Domini ſolemnitatem, ut dictum eſt ſupra. III. At Monachi ſemper conſueverunt ad Eucheriſtiam accedere ſemel in hebdomada, aut ſingulis ſaltem menſibus. De Tabenenſibus dixi paullo ſupra ex Alardo Gazæo, qui ex Palladio, & Caſſiodoro etiam refert Abbatem Hellen vectum a crocodilo tranſmeaſſe ingentem fluvium, ut ſacerdotem acceſſeret, ne diutius monachi divino cibo carerent. Vivente S. Benedicto Monachos omnes in ſolemnioribus diebus ſimul communicaſſe demonſtrat Mabillon Præf. 1. in ſæcul. IV. nu. 168. Idem ſervant inſtituti noſtri fratres, juxta Ordinis Conſtitutiones parte 1. cap. 9. Ut monachi *in prima Dominica menſis cujuſlibet ſemper communicent*, ſtatuit Clemens V. in Viennenſi Concilio, ſive caput, *Ne in agro Dominico*, Clementinarum lib. 3. tit. 10. num. 1. §. *Sane*. Atque hæc ſunt, quæ ad diſciplinam & conſuetudinem ſpectant.

VI.

Suadent vero Patres, & canones communionis frequentationem, Cyprianus præſertim in libro de Orat. Dominica, Baſilius prælaudata ad Cæſariam Epiſtola, Chryſoſtomus hom. V. in primam Epiſt. ad Timoth. Horum teſtimonia, cum ea collegerit Natal. Alex. lib 2. Theolog. Moral. cap. 5. gratia brevitatis prætermitto. Ad frequentem præterea communionem hortatur Tridentina ſynodus ſeſſ. XIII. cap. 8. S. Gregorius VII. in epiſtola ad Comitiſſam Mathildem conſcripta an. 1073. Theodulphus Aurelianenſis in Capitul. num. 44. jam ab anno 797. exaratis. Virginum præſertim, qui nondum laſcivientis ætatis vitio labefactantur, ac provectæ ætatis hominum, qui peccare deſinunt, juxta Concilium quoddam Cloveshoviæ an. 747. canone 23. uſus communionis debet eſſe frequentior. Idem docuit poſtea Saleſius parte 2. cap. 20. adhibito exemplo ceraſi Aproniani, mali Armeniaci, fragorum, aliorumque fructuum, qui ſaccharo contecti diutius ſervantur. II. Quidam Euchariſtiæ frequentationem nec laudant, nec reprobant. Laudantur Auguſtini nomine, etiam citato in loco a Saleſio, hæc verba cap. *Quotidie*, de Conſecr. diſt. 2. num. 13. *Quotidie Euchariſtiæ communionem* per-

percipere nec laudo, nec vitupero. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor: ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Hæc verba ſunt Gennadii in libro de Eccleſ. Dogmat. cap. 53. qui falſo adſcribitur Auguſtino. Sunt tamen ſancti Patris, & exſcripta ex Epiſt. 54. ad Januarium cap. 3. verba, quæ in eodem cap. *Quotidie*, ſequuntur, parum præcedentibus abſimilia: *Faciat unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit, Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum, alter dixerit, Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Addit paullo poſt Auguſtinus hanc ſimilitudinem, *Quod in primo populo unicuique manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat*: & concludit, *Contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium.* Adhibuit eamdem moderationem S. Hieronymus, qui Epiſtola 30. alias 50. ad Pammachium ait: *Scio Romæ eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo. Unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat.* III. Ceterum Patres docent illis a communione eſſe abſtinendum, qui adhuc habent voluntatem peccandi, ut conſtat ex præcitato cap. *Quotidie*, necnon eis, qui eadem die utuntur uxoriis amplexibus, de quibus loco nuper laudato Hieronymus: *Eorum conſcientiam convenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & juxta Perſium noctem flumine purgant.* Alludit Hieronymus ad Satyram 2. Perſii, qui de profano homine ad ſacra poſt nocturnum inquinamentum accedente:

. . . . . Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Ac ut repetam, quæ dixi ſecundo paragrapho, iis, qui ſcelerate vivunt, atque in eadem peccata prolabuntur, Euchariſtiæ perceptionem *nil ad emundationem proficere*, docet lib. I. Sent. cap. 24. S. Iſidorus relatus in cap. *Qui ſcelerate*, de Conſecrat. diſt. 2. n. 24.

VII.

Verum quid ex varia hac diſciplina; atque ex his Patrum documentis pro frequentatione communionis infertur? Principio illud quidem, quod utilius eſt frequentius communicare, quam a communione deſiſtere; perniciosum autem contemnere, aut faſtidire cibum manna præſtantiorem: Atque id commonſtrant conſuetudo naſcentis Eccleſiæ, & Conciliorum ac Patrum monita ſaluberrima. Adde, quod ex parte Sacramenti ſemper eſt utiliſſimum, ſi ſumatur, ut docet q. 80. art. 10. S. Thomas verbis Ambroſii lib. IV. de Sacram. cap. 6. num. 28. quæ etiam extant in Decreto, de Conſecrat. diſt. 2. num. 14. *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* II. At ex parte ſumentium, ſi deſint prænarratæ diſpoſitiones, nulla utilitas ex Euchariſtia percipitur, ſed, ſi ſumatur ſacrilege, maximum detrimentum, & reatus ſceleris omnium graviſſimi. Etiam in diſpoſitis, ut docet Auguſtinus, commendari poteſt *Centurionis humilitas*, ſi nempe cenſeant ſeſe indignos qui Chriſtum recipiant: quamquam, ut recte animadvertit Sylvius in præcit. art. 10. tom. IV. pag. Venet. edit. 276. abſtinentia communionis oriri ſolet ex timore, frequentatio autem ex amore: atque ſunt, quæ ex amore procedunt, reliquis operibus laudabiliora. III. De frequenti autem communione has regulas trado. Prima eſt Saleſii Philotheam alloquentis parte 2. cap. 20. ut qui caret affectu peccati, atque ſacræ ſynaxeos deſiderio inflammatur, ad eam *ſingulis Dominicis diebus* accedat. Altera eſt S. Bonaventuræ in IV. diſt. 12. part. 2. q. 3. ut qui innocenter vivit, virtutemque ſectatur, atque imitari ſtudet naſcentis Eccleſiæ pietatem ac devotionem, (quod nullus debet de ſeipſo præſumere) arbitrio prudentis Confeſſarii etiam *quotidie* communicet. Tertia eſt pii doctique Scriptoris Ludovici de Ponte Tract. XIV. de Chriſtiani hominis perfect. cap. 6. §. 4. ut qui cœlibem agit vitam, & ſedulo in Dei obſequium incumbit, proficitque plurimum in exercitatione virtutum, ſectetur conſuetudinem ſupra a Baſilio laudatam, ſervatamque a monachis ſub Apollo Abbate, ut refert Palladius cap. 48. communionem ſacram percipiendi *ter*, *aut quater* in eadem hebdomada. Regula IV. eſt, ut conjugati Deum timentes, ſed officiorum ſuorum gravati onere, & ſoluti etiam, qui alteri famulantur, niſi queant frequentius, communicent *quintodecimo die*, aut ſemel in menſe; prout monet eo loci Saleſius. Poſtrema tandem, & certiſſima regula eſt, ut quiſque ſequatur docti prudentiſque Confeſſarii conſilia: is vero memor ſit Dominici præcepti non abſque cauſa dati in Exodo c. XVI. 16. de manna, *Colligat unuſquiſque quantum ſufficit ad veſcendum*; & moniti, quod legitur Proverbiorum XXV. 16. *Mel inveniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus evomas illud.* IV. Poſtremo a rigidioribus Confeſſariis memoria tenendæ ſunt propoſitiones duæ ab Alexandro VIII. anno 1690. proſcriptæ: prima num. 22. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint*: altera num. 23. *Similiter arcendi ſunt a ſacra communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.*

VIII.

Reliquum eſt, ut dicamus de ſacræ communionis effectibus. Horum primus eſt gratia, quæ nos Deo vehementiori caritate conjungit, infirmitatem corroborat, confirmat fidem, ſpem erigit, ac ſpiritali gaudio perfundit. De hac gratia legitur in Clement. de Reliq. & Ven. Sanct. lib. III. tit. 16. *Dedit igitur nobis ſe in pabulum, ut quia per mortem homo corruerat, per cibum relevaretur ad vitam: cecidit homo per cibum ligni mortiferi, relevatus eſt homo per cibum ligni vitalis: in illo pependit eſca mortis, in iſto pependit vitæ alimentum. Illius eſus meruit læſionem, iſtius guſtus intulit ſanitatem: guſtus ſauciavit, & guſtus ſanavit. Vide quia unde vulnus eſt ortum, prodiit & medela; & unde mors ſubiit, exinde vita evenit. De illo ſiquidem guſtu dicitur, Quacunque die comederis, morte morieris: de iſto vero legitur, Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt cibus, qui plene reficit, vere nutrit, ſummeque impinguat: non corpus ſed cor, non carnem ſed animam, non ventrem ſed mentem.* Hæc Richardus in IV. diſt. 9. art. 1. q. 2. his complexus eſt verſibus:

Inflammat, memorat, ſuſtentat, roborat, auget
Hoſtia, ſpem reficit, purgat, vitam dat, & unit;
Confirmatque fidem, minuit, fomitemque remittit.

Aliquando Euchariſtia conferri *per accidens* primam gratiam, oſtendi lib. XXX. cap. 21. num. 2. Delet deinde communio venialia peccata, præſervatque a futuris; ac proinde appellatur a Tridentino ſeſſ. XIII. cap. 2. *Antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur.* His accedit, ut teſtatur Eccleſia, *pignus futuræ gloriæ.*

SCHOLION.

„ CUravimus agentes paullo ſupra de frequenti communione virtute quorumdam rigorem, & quorumdam laxitatem. Hac autem in re cavendum ſedulo eſt, ne quis ſibimet perſuadeat præcipi nobis, ut frequentiſſime, & ſi fieri id poſſit, quotidie ad Sacram Synaxim ſinguli etiam laici accedant, atque ſufficienter cunctos dicendos eſſe diſpoſitos, dummodo Sacramentali Confeſſione præmiſſa obtinuerint lethalium criminum remiſſionem. Hæc eſt a pluribus Galliarum Epiſcopis reprobata ſententia in condemnatione Operis inſcripti, *L' Eſprit de Jeſus-Chriſt & de l' Egliſe, ſur la frequente Communion*, in lucem editi Pariſiis anno 1745. In illud ſcripta vulgarunt, & Inſtructiones omnium doctrinarum Sacrarum ubertate refertas Antiſtites ſapientiſſimi, recte ſecernentes quid præcepti ſit, quid conſilii, & quid ſanctis viris congruat, quid ſæpe in peccata labentibus. Sed cum multi auctorem prædicti Operis, nempe Joannem Pichon Societatis Jeſu presbyterum, non deſinant infamare, ac proſcindere; operæ pretium duximus lectorem commonefacere de ejus Retractatione: quod enim aliquis erret, humanæ infirmitatis eſt; quod vero errores ſuos fateatur, & refellat, probi viri eſt, humilis, ac ſapientis. Igitur Joannes Pichon ſequentes litteras dedit ad Archiepiſcopum Pariſienſem die 24. Januarii anno 1748. ſcriptas Straſburgi, ſive Argentorati. „ MONSEIGNEUR: *Recevez avec bonté un Auteur qui a le chagrin d'avoir publié un Livre qui ne fait que trop de bruit.*

„ *C' eſt dans votre Diocèſe que le Livre intitulé*, l' Eſprit de Jeſus Chriſt & de l' Egliſe ſur la frequente Communion *a été imprimé, il eſt juſte*, MONSEIGNEUR, *que ce ſoit devant Votre Grandeur, que j' en faſſe le premier deſaveu public.*

„ *Peu de tems après que ce Livre eut paru, mes Superieurs le deſapprouverent, en arrêterent le débit, & ordonnerent qu' on le corrigeât. Pluſieurs grands Prélats, pluſieurs ſçavans Theologiens firent ſur cet Ouvrage de ſages & de judicieuſes obſervations. Dieu m' a fait la grace d' avoir la docilité qui convient à mon état. Je déferai, comme je le devois, aux lumieres de tant de perſonnes reſpectables; & comme on convenoit que, pour remédier au mal, il étoit à propos de faire une ſeconde édition de mon Ouvrage, qui rectifiat & fit diſparoître tout ce qu' il y a de condemnable dans la premiere, ce travail fut auſſi-tôt entrepris.*

„ *Vous ſçavez vous-même*, MONSEIGNEUR, *que dès la fin du mois d' Août 1747. cette ſeconde édition étoit prête de ma part; que revûe par des yeux éclairés, & retouchée pars des mains habiles, on m' aſſuroit qu' elle pouvoit être deſormais utile aux Fidéles qui la liroient, dans*

tout

„ *un eſprit de religion, & que ce n'eſt que quelques diffi-*
„ *cultés que je n'avois pû prévoir, qui en ont empêché l'*
„ *impreſſion.*
„ *Dans la crainte, néanmoins qu'on ne me ſoupçonne d'*
„ *y avoir mis obſtacle, & de tenir encore à des maximes*
„ *répréhenſibles, je déclare ici à Votre Grandeur (& la*
„ *ſupplie de ne point laiſſer ignorer cette déclaration) que*
„ *je déſavoue le Livre intitulé*, l'Eſprit de Jeſus-Chriſt &
„ de l'Egliſe ſur la fréquente Communion, *imprimé à*
„ *Paris, chez Guerin, en 1745., que je retracte cet Ou-*
„ *vrage, & que je le condamne de tout mon cœur.*
„ *J'ai l'honneur d'être avec le plus profond reſpect,*

MONSEIGNEUR

De Votre Grandeur,

A Strasbourg, ce 24. Janvier 1748.

Le tres-humble & tres-obéiſſant ſerviteur
PICHON, Jéſuite,

„ Hanc *Retractationem* Pariſienſis Archiepiſcopus ency-
„ clicis ſuis ad omnes Parochos & Confeſſores conſcriptis
„ eodem anno 1748. die octava Februarii, aliique Gallia-
„ rum Præſules in ſuis reſpective diœceſibus direxerunt.

CAPUT XVIII.

De variis ritibus in Sacramentali Communione ſervatis.

UBI de ſacræ communionis ritu pertractatum erit, finem imponam diſſertationi de Euchariſtiæ Sacramento. Pertinet autem ad illius ritus notitiam fractio panis, diſtributio, verborum formula, & ſubſequens ceremonia; peculiaris item modus communicandi in Miſſa cum ſimplicis ſacerdotis, tum Pontificis, præſertim feria v. majoris hebdomadis, deinde extra Miſſam, ac demum quando Euchariſtia deferenda eſt ad infirmos. De his vero ii, quibus notationes hæ noſtræ minime ſatis erunt, poterunt perlegere Joſephum Vicecomitem, Menardum, Lupum, Martenium, BENEDICTUM XIV. alioſque viros doctiſſimos, quorum opera, & loca ſingulatim commemorabo.

I.

Igitur quantum ſpectat ad panis *fractionem*, Chriſtus manibus ſuis panem fregit, priuſquam illum ſingulis diſtribueret, Matth. xxvi. 26. Divinat autem Hoſpinianus, qui parte 1. de Re Sacram. pag. 31. putat veriſimilius Dominum confregiſſe panem in duas partes, quarum unam dederit illi, qui proximus ei accumbebat ad dexteram, alteram illi qui ad ſiniſtram, ut ipſi deinceps proxime accumbentibus porrigerent, donec ſinguli particulam ſibi decerpſiſſent. Rabbini antiquarum rerum Judaicarum periti tradunt azymos panes coqui ſolitos *inciſionibus in particulas plures ſignatos*, ut ad eſum non ſit opus illas incidere, ſed ſolum frangere. Vide Baronium ad an. 58. Et revera Dominum panem *fregiſſe* innuit Evangeliſta. Voſſius diſput. xx. theſi 8. multiplici eruditione demonſtrat inciſos eodem pacto fuiſſe panes, quos Græci vocabant *βλωμὸς*, *exigua buccella*, *βλωμικὶς*, Latini autem *buccellatos*; cujus generis erant panis militaris & nauticus. Conſueſcunt autem Græci oblationem partiri ferro, quod *λόγχην*, *lanceam*, dicunt, idque etiam ſervant Æthiopes; ut narrant Nicolaus Cabaſilas in Expoſit. Liturg. cap. 5. Humbertus Cardinalis in diſput. de Azymo adverſus Græcos, & Gaſpar Sanctius in Act. Apoſt. cap. 2. verſ. 42. Conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, quæ pro communione parat tenues, exileſque *particulas*, eſſe perantiquam conſtat ex dictis pag. 57. Tenuiſſimam ſacræ oblationis partem in communione ſumendam, ut ſciamus, quod *non ſatietati, ſed ſanctimoniæ deſervit*, ſcribit quoque Gelaſius Cyzicenus apud Lupum Volum. v. pag. 407. Partitio ante conſecrationem facta id etiam affert commodi, quod minora conterantur fragmenta, dicta a Patribus *margarita*.

II.

Nunc *de diſtributione*. Tradebatur olim panis in manus laicorum. Perſpicua ſunt de hac re teſtimonia apud Nazianzenum Orat. in laudem Gorgoniæ, Cyrillum Jeroſolymitanum Catech. v. Myſtag. Chryſoſtomum Hom. 3. in cap. 1. ad Epheſios, Hieronymum epiſt. 39. alias 62. ad Theophilum, & Auguſtinum lib. 2. contra litteras Petil. cap. 23. num. 53. Huc ſpectat quod legitur de Novato apud Euſebium H. E. lib. vi. cap. 43. pag. edit. Valeſii 245. in diſtributione Sacramenti coegiſſe miſeros homines ad jusjurandum, apprehenſis manibus, quibus adhuc tenebant Euchariſtiam, his verbis, *ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλείψειν, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον*, *Jura mihi per corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam me deſerturum, nec reverſurum ad Cornelium*. Refert etiam Cyprianus de Lapſis p. 381. iniquum quemdam pro Euchariſtia, quam acceperat, apertis manibus cinerem inveniſſe. II. At mulieres mundo linteamine manus, quibus acceptura erant corpus Chriſti, cooperiebant; atque anno 578. Antiſſiodorenſis ſynodus edidit hunc canonem num. 36. *Non licet mulieri nuda manu ſua Euchariſtiam ſumere*: & canone 42. ſtatuit eadem ſynodus, ut unaquæque mulier, quando communicat, accipiat corpus Domini mundo linteo, quod appellat *Dominicale*. Idem docet S. Cæſarius ſerm. 229. in Appendice Auguſtinianorum. Plura de his Martenius lib. 1. de Antiq. Eccl. Ritib. c. iv. art. 10. num. 8. Menardus in Sacrament. Gregorii Not. 1042. & Lupus in can. 101. Trullanum tom. 2. pag. 1065. Ex hoc canone intelligimus nonnullos communionem excepiſſe *vaſculis aureis*: quod eo loci damnat Trullana ſynodus. III. Perperam Hoſpinianus lib. 2. de Re Sacrament. pag. 33. Theodorus Beza Epiſt. 2. ad Tilium, & Voſſius diſput. xxi. theſi 4. & 5. præferendam ajunt illam conſuetudinem alteri, qua Euchariſtia in os laicorum ingeritur. Primo enim orta eſt vetuſtior conſuetudo ex neceſſitate, quam ſævientibus perſecutionibus habebant fideles deferendi ſecum Euchariſtiam. Deinde etiam Græci illam conſuetudinem reprobarunt more inducto ſumendi Euchariſtiam cochleari, non manu: quem morem illuſtris Lupus tom. v. pag. 411. inſtitutum putat a S. Joanne Chryſoſtomo. Obtinuit præterea præſens diſpenſandæ communionis modus ante magni Gregorii tempora, ut liquet ex lib. iii. Dialog. cap. 3. Eamdem inſuper conſuetudinem confirmatam invenimus ſæculo nono ſtatutis Concilii Rothomagenſis. IV. Quod inquiunt heterodoxi derivatum noſtri ævi morem *a ſuperſtitioſa veneratione ſignorum*, calumnia eſt ſingularis: nam & veteres, qui manu ſymbola excipiebant, ea ea junctis manibus acceſſiſſe, exhibito Euchariſtiæ latriæ cultu, diximus ſupra. Miniſtrabatur autem populo *ex ſublimi loco*, teſte Hieronymo in Altercatione Lucif. & Orthodoxi tom. iv. pag. 290. Hunc locum Græci *Soleam* dixere apud Goarium pag. 18. in Notis ad Euchologium. Ad eum locum acceſſiſſe percepturos communionem *conjunctis manibus*, refert S. P. Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmen. cap. 7. numer. 13. Communicaſſe flexis genibus putat Joſeph Vicecomes lib. v. de Rit. Bapt. cap. 27. pag. 367. At negant Habert, Valeſius, Thierſius, Martenius. Stantes communicabant, quoniam accedebant ad limen Sanctuarii, & extra cancellos poſiti vix flexis genibus oblata dona percipere potuiſſent. *In adorationis* tamen ſignum accedebant corpore prono, inquit Catech. v. Cyrillus Jeroſymitanus; ſtabant *demiſſis oculis*, ait Chryſoſtomus Orat. in Encœnia, atque *adinſtar Seraphim* expandebant alas caritatis, inquit Hom. in Seraphim idem Chryſoſtomus.

III.

Utebantur ſacri miniſtri Euchariſtiam diſpenſantes, & utuntur etiamnum aliqua verborum formula. Tempore S. Gregorii hæc erat in uſu, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam*, ut conſtat ex ejus Vita conſcripta a Joanne Diacono lib. 2. cap. 41. Profert Alcuinus hanc etiam, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam*. Illyrici utuntur ita, *Corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi in remiſſionem omnium peccatorum, & in vitam æternam*. In Galliis hæc olim obtinuit, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ, & corporis*. Græci ex Euchologio pag. 85. hanc adhibent, *Μεταδίδωμί σοι τὸ τίμιον, καὶ ἅγιον, καὶ ἄχραντον σῶμα τοῦ Κυρίου, καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς ζωὴν αἰώνιον*, *Impertior tibi pretioſum, ſanctum, & illibatum corpus Domini, Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, in vitam æternam*. Ea formula, quam nos proferimus, nota eſt ſingulis. II. Particulam *Amen* pronuntiatam olim ab iis, qui Euchariſtiam ſumebant, dixi pag. 74. hujus Voluminis: aperta ſunt autem teſtimonia Cyrilli præcitata Catech. 5. Myſtag. Ambroſii lib. iv. de Sacram. cap. 5. Hieronymi Epiſt. ad Theophilum, aliorumque. Menardus not. 1046. in Sacram. Gregorii, Goarius in Miſſam Chryſoſtomi pag. 150. & Lupus in vii. Concilium Romanum tom. v. pag. 529. erudite de ipſamet particula pertractarunt. Sectatores Novati, ut refert cit. lib. Euſebius, loco *Amen* dicebant: *Non deinceps ad Cornelium revertar*. III. Mos eſt pervetuſtus, ut communicaturi imitantes humilitatem Centurionis dicant verba, quæ apud nos ante prædictam formulam tertio a ſacris miniſtris repetuntur, *Domine non ſum dignus, &c.* hujuſque vetuſtatis Durantus lib. 2. de Ritib. Eccl. Cathol. cap. 55. num. 21. & Cardinalis Bona lib. 2. Rerum Liturg. cap. 17. num. 1. aliique complures, teſtes proferunt Origenem, & Chryſoſtomum,

De

De Communione calicis, de Intincta, & de ritu ſignandi pretioſo Sanguine organa ſenſuum, quoniam in variis hujus libri locis pertractavi, nil modo reperam. IV. Conſuetum fuit olim, dum Euchariſtia diſtribuebatur, pſalmum aliquem canere, cujus rei gratia antiphonam Miſſæ appellari *Communionem* præmonui capite 14. Præcitato in loco eruditiſſimus Bona comprobat conſuetudinem iſtam ex Liturgia S. Jacobi, ex Ordine Romano, ex Miſſa Æthiopum, & ex Auguſtino lib. 2. Retract. cap. 11. Canebatur, dum ſacra ageretur Synaxis, præſertim Pſalmus XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore*; eſt enim de panibus propoſitionis, & de Davide, qui immutavit vultum ſuum coram Abimelech: & recte, inquit Micrologus Eccl. Obſervat. cap. 18. *Euchariſtia accommodatur*. Actæ denique gratiæ, *ſicut & Chriſtus celebrata Cœna cum diſcipulis hymnum dixit*, ait S. Thomas 3. parte, quæſt. 83. art. 4. At de hoc etiam *hymno* pertractatum eſt capite 3. hujus libri pag. 53.

IV.

Ferè omnia, quæ diximus, ſervantur in communione, quæ ex Miſſali & Rituali Romano, ſi fiat in Miſſa, ut faciendam monet ſynodus Trident. ſeſſ. 22. cap. 6. fieri debet *poſt communionem celebrantis ante purificationem*. Non eſſe adminiſtrandam communionem *poſt miſſam* a ſacerdote celebrante, docuerunt Brancacius, Thierſius, Le-Brun, laudati a BENEDICT. XIV. de Sacrif. Miſſæ p. 4. ſect. 2. num. 160. At ſapientiſſimus Pontifex ſacrificio peracto adminiſtrandam docet, ſi magnus ſit communicantium numerus; quoniam adſtantes poſſent tædio affici, aut agendarum rerum urgeri ſollicitudine: quod & docuit Gavantus in Theſ. ſacrorum Rituum p. 2. tit. 10. In hujus ſententiæ confirmationem addo Concilium V. Mediolanenſe, in quo tom. XV. Concil. pag. 587. præſcribitur, ut ſacerdos, ſi communicare velit peracta jam Miſſa, utatur iiſdem veſtibus, quibus in eadem Miſſa uſus eſt, *caſula tantum depoſita, & manipula item*. Idem legitur in Sacramentali Ambroſiano pag. 74. extatque de communione *poſt Miſſam* facienda præſcriptio in Antiq. Rit. Eccleſ. Saliſburg. pag. 61. Permittitur eadem communio decretis Sacræ Congreg. Viſit. Apoſtolicæ, latis ſedente Urbano VIII., ea tamen cautione, ut Sacerdos *nec planetam, nec manipulum deponat*: profertque eadem decreta Cajetanus Meratus Obſervat. 29. in prælaudatum Gavanti titulum. II. Etiam in Miſſa defunctorum poſſe Euchariſtiam adminiſtrari ſententia probabilior eſt, eamque tenent quamplurimi, quibus ſubſcribunt doctiſſimus Pontifex citat. loco num. 161. ac duobus ſequentibus, & Meratus num. 28. nec aliud cenſet in Ceremoniali Ordinis noſtri Hiſpanice edito Antonius de Caſtro pag. 445. Sancta enim Tridentina ſynodus citato in loco peroptat; *ut in ſingulis Miſſis* fideles communicent, iis, quæ aguntur pro defunctis, nequaquam exceptis. In his quoque Sacerdos ait in Canone, *Ut quotquot ex hac Altaris participatione, &c.* & in Rubricis Agendæ pro defunctis pariter legitur: *Si qui ſunt communicandi, eos communicet, antequam ſe purificet.* Atque his præſertim rationibus permoti, recedunt viri docti ab oppoſita aliquorum ſententia, innixa cuidam decreto S. R. Cong. an. 1701. quod tamen eadem Congregatio die 21. Martii an: 1712. vetuit, ne deinceps promulgaretur. III. Quæri poteſt, an communio adminiſtrari valeat in nocte Nativitatis Domini; & feria VI. ac ſabbato majoris hebdomadæ. In nocte Nativitatis Salvatoris noſtri communicant in ſolemni miſſa Clerici omnes Vaticanæ Baſilicæ ſacerdotio nondum initiati: & communicabant olim Carthuſiani; & antiqui monachi: ſed decreto S. Rit. Congregationis die 7. Sept. 1641. cautum eſt, ne poſt decantatam Miſſam aliæ celebrentur, & in eis communio exhibeatur fidelibus eam depoſcentibus. Feria VI. in Paraſceve *ſolis infirmis* dandam communionem ſancivit eadem S. R. C. die 19. Februarii 1622. In ſabbato etiam ſancto a communione abſtinendum commonſtrat praxis Eccleſiæ, quam vetuſtiſſimam eſſe colligitur ex quo in Miſſa illius diei non cantetur antiphona, quæ appellatur *communio*. Vide in præcitata ſect. 2. num. 164. præſtantiſſimum, doctiſſimumque Pontificem.

V.

In *Cœna Domini* fit ex antiqua conſuetudine ſolemnis totius Cleri communio; quam laudant in Capitul. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus ſcriptor X. ſæculi, Joannes Abrincenſis auctor ſæculi XI. & Ordo Romanus; eamque ex priſco more ſervari a Græcis tradit lib. III. de Eccleſ. Occidentalis & Orient. conſenſu cap. 17. Allatius. In Cerem. Epiſcoporum lib. 2. cap. 23. præſcribitur, ut ſacerdotes deferant *ſtolam à collo pendentem ſupra collam*. Antiqui Monachi ea die communionem ſumebant de manu Abbatis, prout obſervat Martenius de Antiq. Monach. ritib. lib. 3. cap. 13. num. 44. Decreto S. Rit. Cong. 2. Sept. 1608. omnes de Clero Euchariſtiam ſumere debent de manu Celebrantis, quamvis ſint Canonici. Altero ejuſdem Congreg. decreto 8. Aug. 1645. adminiſtrare eam debet Epiſcopus per ſeipſum. Commendat hujus communionis ritum prima ſacroſanctæ Euchariſtiæ inſtitutio, ipſiuſque facta duodecim Apoſtolis diſpenſatio, cujus tunc anniverſaria commemoratio recolitur. Quidquid ad Communionem hanc ſpectat, collegit, produxit, & explicavit Notificat. diei 26. Februarii an. 1735. prælaudatus Romanus Pontifex.

VI.

De Communione privata, quæ extra Miſſam adminiſtratur, iis, quæ traduntur in Rituali Romano, addi poſſunt perpauca. Meratus tom. 1. pag. 614. docet quod paranda ſint mappa munda, & vaſculum cum vino, vel aqua ad purificationem, ac danda ſit benedictio pyxide jam repoſita, clauſoque Tabernaculi oſtiolo. Manuale Cameracenſe pag. 52. advertendos docet ignaros, purum ibi contineri vinum, aut puram aquam; quod tamen quiſque deprehendit ex quo vaſculum extra altare conſiſtat, neque a Diacono, ſed a minori clerico porrigatur. Sacramentale Ambroſianum ex documentis ſancti Caroli pag. 71. præcipit, ut communio primo miniſtretur maribus, tum feminis, nullo habito conditionis diſcrimine, & loco (de laicis ſermo eſt) remotiori aliquantulum ab altari. Decreto demum Congregationis Concilii confirmato an. 1679. ab Innocentio XI. indicitur ne uni major, alteri minor hoſtia præbeatur, cum idem Dominus etiam ſub minima contineatur, nec apud Deum ſit perſonarum acceptio.

VII.

Quam de Euchariſtia pro infirmorum Viatico ſervanda prolixe egerim capite XII. theoremate 2. nil aliud dicendum remanet, niſi ſacroſanctam Euchariſtiam deferendam ad infirmos a ſacerdote *in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, honorifice ante pectus, cum omni reverentia & timore ſemper cum lumine præcedente*. Verba hæc ſunt Honorii III. cap. *Sane*, 3. Decret. tit. 41. num. 10. Remenſis ſynodus jam ab anno 852. definierat rem eſſe *horribilem ac deteſtabilem*, ſi ab alio, quam a presbytero, ad infirmos Corpus Domini deferatur. Vide caput, *Pervenit*, de Conſ. diſt. 2. num. 29. Decentem habitum eſſe *ſuperpelliceum cum ſtola*, demonſtrat ex Eccleſiaſticis definitionibus tom. 3. in Decret. pag. 816. eruditus Gonzalez. Cetera ſingulis nota ſunt. Ad ægrotos, qui ob morbi gravitatem nequeunt ſacram Communionem accipere, nullatenus deferenda eſt Euchariſtia, ut illam adorent & venerentur, cum id Eccleſiaſtica decreta prohibeant, repugnante etiam praxi & diſciplina; quæ juxta Paſtorum ſtatuta eſt accurate, diligenterque ſervanda.

VIII.

Unum reſtat ſolummodo, quod forte a me quæret aliquis, cur Romanus Pontifex ſolemniter celebrans ratione a ſacerdotibus aliis diverſa communicet: etenim poſtquam ad altare conſecravit oblata, in Pontificali ſolio ſumit dimidium *hoſtiæ*, diſtributa parte altera inter Cardinalem Diaconum, & Subdiaconum, ſugitque pretioſum Sanguinem aurea fiſtula. Verum de hoc ritu diſſertationem edidit noſter Angelus Rocca, quæ extat Volum. 1. Operum ejus, pag. 15. Prætermiſſis autem omnibus, quæ eo loci afferuntur, arridet mihi plurimum ea ratio, quod Pontifex in altari ſymbolum gerit Redemptoris noſtri, quatenus in Cœna poſtrema Euchariſtiam fregit, & conſecravit; in ſublimi autem ſolio communicans confractam hoſtiam, & facie ad omnes converſa, gerit typum ejuſdem Redemptoris palam in cruce immolati, & lancea claviſque transfixi. In memoriam quoque paſſionis, & calami, quo Jeſus deguſtavit fel & acetum, utitur fortaſſe Pontifex ea fiſtula; quam tamen apud veteres invenimus aliquando adhibitam ad Sanguinem facilius exſugendum. Vide, ſi lubet, quæ de eodem ritu literis conſignarunt etiam Innocentius III. lib. 6. Myſt. Miſſæ cap. 9. & Guilelmus Durandus lib. IV. Rat. Divin. Offic. cap. 54. nam ego de Euchariſtia, quatenus *Sacramentum* eſt, pro modulo ingenii mei hactenus pertractavi.

CAPUT XIX.

Demonſtratur in Miſſa afferri Deo verum ac proprium ſacrificium.

JAM vero de Euchariſtia, *quatenus ſacrificium eſt*, in hac diſſertatione agendum erit: qua in re, cum Theologi omnes in hoc ampliſſimo argumento verſentur, moderate ſaltem neceſſaria, & graviora attingemus. Quoniam vero huc attinent quæ dicta ſunt de oblatis, de conſecratione, hujuſque miniſtro, necnon alia plura in ſuperioribus pertractata; illam inſtituo in præſentia quæſtionem, an in Miſſa verum offeratur Deo ſacrificium. Inter eos, qui negarunt in nova lege ſacrificium

eſſe

eſſe offerendum, Carolus V. & Catholici Principes in reſponſ. ad Confeſſ. Auguſtanam connumerarunt Arianos, *ae quibus Auguſtinus* (inquiunt in Harm. Confeſſ. pag. 469.) *ait negaſſe facienlam oblationem pro vivis & mortuis.* At nihil tale epud Auguſtinum invenies. Scribit ſolum S. Pater Aerianos dixiſſe, *afferri pro dormientibus non oportere*, obſervatque de hæreſib. num. 33. id Aerium proprio marte addidiſſe ad dogmata Arianorum. Auctores itaque illius reſponſionis ſimilitudo vocabulorum fefellit. Inter veteres hæreticos invenies perpaucos, qui de medio ſubſtulerint ſacrificia. Hoc tamen ſcelus attenterunt Petrobruſſiani, Albigenſes, atque hos ſubſecuti ceteri Novetores. Nam Lutherus in *Formula Miſſæ* edita anno 1523. obletionem Miſſæ eppellat *abominationem*. Œcolampadius in reſp. ad Confeſ. Luth. vocet altaria *impias lapidum congeries*. Eadem Petrus Martyr edverſus Gaudiucrum part. 3. ad object. 16. comparat aræ Baal; ac ſimilie effutiunt reliqui tum Calviniſtæ, tum Lutherani.

Quæret forte aliquis, qua ratione in Confeſſione Auguſtane tam primum edite enno 1530. quam poſt anuos decem reformata ſcripſerint hæretici: *Falſo accuſantue Eccleſiæ noſtræ, quod miſſam aboleant: retinetur enim miſſa apud nos, & ſumma reverentia celebratue.* Ergone falſes in illos calumnias impingimus? Abſit. Celebrant utique nonnulli hæreticorum Miſſem, ſed cum velint homines ſole in Chriſtum fiducie juſtificari, nefarias conſecutiones trahentes, ex quo Scriptura doceat ipſum Chriſtum factum eſſe oblationem & ſanctificationem pro totius mundi peccatis, atque una oblatione conſummaſſe ſanctificatos omnes, affirmant inferri injuriam paſſioni Chriſti ſi elia repetetur oblatio, negant elind ſacrificium præter immolatum in cruce vim aliquam habere *propitiationis*, & concludunt ad hoc tantum deſervire Miſſem, ut facta Dominici tranſitus commemoratione, & fiducie excitata ſacramentum Euchariſtiæ credentibus porrigatur. Negant igitur hæretici reveta Miſſem, *quatenus ſacrificium eſt*. Eam ob rem Lutherus in præcitata Miſſæ *formula* omnes Liturgiæ partes delevit, quæ ſpectant ed oblationem. Calvinus pariter docuit Genevenſes, & Zuinglius Helveticos, ne ullatenus *oblationis* nomen uſurparent; & quidam pro eltari lapideo poſuerunt in templis ligneam menſam, retinentes communionem ſacrificio rejecto. Atque ob eamdem rationem *privatas* Miſſas, in quibus populus non communicat, damnant abuſus, & nefariæ ſuperſtitionis. Idcirco in Confeſſione Auguſtana paullo poſt verbe citeta legitur: *Cum miſſa ſit communicatio ſacramenti, ſervatur apud nos una communis miſſa, ſingulis feriis, atque aliis etiam diebus, ſi quis ſacramenta velit uti, ubi porrigitur ſacramentum his, qui petunt.* Et in Confeſſ. reformata an. 1540. additur: *In inſtitutione cœna Domini non mandat Chriſtus, ut offerant ſacerdotes pro aliis vivis ac mortuis. Qua igitur auctoritate hic cultus, tanquam oblatio pro peccatis, ſine mandato Dei inſtitutus eſt?* Quare, ut adverſus hæreticos recta methodus teneatur, principio inveſtigendum eſt, an Chriſtus Euchariſtiam inſtituerit etiem *ut ſacrificium*, quod in Miſſe proinde ſit offerendum: deinde, an ſacrificium iſtud ſit etiam *propitiatorium*, ideſt, offeratur pro peccatis, & pœnis peccatorum remittendis; ac preterea, num probandum ſit ſacrificium ebſque adſtantium communione, hoc eſt, *Miſſa*, quæ dici ſolet *ſolitaria*, aut *privata*. Quæ hoc, & duobus proximis capitibus diſcutientur, nam reliqua ad hanc materiam ſpectantia tradentur poſtea.

Prænotandum eſt autem *ſacrificii* nomine minime nos intelligere qualecunque opus bonum, quod eatenus ſacrificium appellatur, quatenus ex bona voluntate procedens acceptum eſt Deo, ejuſque indignationem evertit, & promeretur benevolentiam; quo ſenſu Pſ. xlix. 14. legitur: *Immola Deo ſacrificium laudis.* Pſ. L. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*; & epud Auguſtinum lib. x. de Civit. Dei cap. 6. *Sacrificium verum eſt omne opus quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreatur Deo*; ſed intelligimus *ſacrificii* nomine externum religionis officium, quo Deo tanquam ſupremo univerſorum Domino fit alique rerum ſenſibilium oblatio, ut cum in lege naturæ, vel ſcriptæ in ara e ſacerdotibus immolebantur fruges, effundebantur libamina, mactabantur pecudes, & holocauſta cremabantur. Definitur autem ſacrificium e Theologis omnibus, *Externa oblatio a legitimo miniſtro facta ſoli Deo, qua in ejus cultum, & ſupremi dominii argumentum res aliqua ſenſibilis ritu myſtico conſecratur, & immutatur.* Ex qua definitione percipimus, in ſacrificio offerendam eſſe rem eliquem extre nos poſitam, non voluntatem duntaxet, animique affectum: obletionem hanc non e quocunque, ſed ab iis, quibus id muneris commiſſum eſt, & religioſo ritu eſſe perficiendam; rem denique oblatam, ut quodammodo ſuprema Dei poteſtas reſplendeat, eſſe *myſtice* deſtruendam, aut abſumptione ignis, aut diviſione partium, aut liquidorum effuſione, aut rerum oblatarum conſummatione: alioqui, niſi talis mutatio intercedat, habebitur quidem oblatio, ſed non ſacrificium. Interim hæc prænotaſſe ſufficiat; nam varia ſacrificiorum genere initio proximi capitis afferentur.

PROP. I. Chriſtus inſtituens Euchariſtiæ ſacramentum, obtulit in ea ſacrificium.

Hæc propoſitio, quæ in hac controverſia caput eſt ceterarum, demonſtrata eſt auctoritate Scripturarum, ac Patrum libro xxvii. cap. 7. ubi etiam ſoluta ſunt objecta hæreticorum. Summa autem illius capitis hac brevi argumentatione comprehenditur: Chriſtus a Davide Pſal. cix. 4. & a Paulo ad Hebræos vii. 15. appellatur *ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*: atque, ut docent Patres, & ratio ſuadet, hujus appellationis hæc eſt cauſa, quod idem Chriſtus obtulit ſacrificium juxta ritum & ſimilitudinem ſacerdotii Melchiſedech, qui Geneſ. xiv. 18. dicitur *ſacerdos Dei altiſſimi*. Atqui hujuſmodi ritus, ac ſimilitudo ſecerdotii Melchiſedech in eo ſita eſt, quod ſicuti Melchiſedech *obtulit panem & vinum*, quæ erant typus ac ſymbolum Euchariſtiæ, ita Chriſtus Dominus ſacerdotio functus eſt, dum ipſam Euchariſtiam *ſub ſpeciebus panis & vini* inſtitutam conſecravit, & obtulit. Igitur Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum inſtituens verum & proprium obtulit ſacrificium. Vide tom. iii. p. 96. & ſequentibus.

PROP. II. Chriſtus Euchariſtiam inſtituens præcepit Apoſtolis, ut illam in ſacrificium offerrent.

Demonſtratur proximis argumentis. Principio ait Dominus ad Apoſtolos Lucæ 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; at ipſe obtulit ſacrificium, ut alibi demonſtratum eſt: igitur juſſit, ut Apoſtoli idem ſacrificium offerrent. Hinc epparet jure meritoque Tridentinam ſynodum ſeſſ. 22. cap. 1. hæc docuiſſe: *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit; & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, &c.* II. Probatur traditione Patrum. Etenim S. Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium non ſolum ait Chriſtum fuiſſe ſacerdotem, & obtuliſſe *hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, ideſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem*; ſed etiem ait pag. 230. novæ edit. *Si Jeſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, utique ille ſacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Irenæus lib. iv. cap. 32. ex diſt. Maſſuet 17. num. 5. poſtquam Euchariſtiæ inſtitutionem commemoravit, *Novi Teſtamenti*, inquit, *novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo.* S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 24. in 1. epiſt. ad Corinth. pag. 533. aperte de Euchariſtia, & de pane, quem frangimus, verba faciens, *Pro cæde brutorum* (inquit) *Chriſtus ſeipſum juſſit offerri, ipſumque ſacrificium mutavit*, τὴν θυσίαν αὐτὴν ἀμείψας, ἢ ἀντὶ τῶν ἀλόγων σφαγῆς ἑαυτὸν προσφέρειν κελεύσας. Euſebius Cæſarienſis Demonſtrationis Evangel. lib. 1. cap. 10. docet pariter Chriſtum in cœna *admirandam hoſtiam* Patri ſacrificando immolaſſe *memoriam nobis tradendo, ut nos vicem ejus ſacrificii eamdem in perpetuum ſacrificemus*, μνήμην ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεκῶς προσφέρειν. Similiter Œcumenius in Paulum, ubi exponens ea verba, *Tu es ſacerdos in æternum*, inquit, *Deditque ipſis Apoſtolis in cœna illa myſtica modum iſtiuſmodi ſacrificii*: καὶ παραδοὺς αὐτοῖς ἐν τῷ μυστικῷ δείπνῳ τὸν τρόπον τῆς αὐτῆς ἱερουργίας. Theodoretus quoque in Epiſtolam ad Hebræos tom. 3. pag. 431. quærens, cur novi teſtamenti ſacerdotes *myſticam Liturgiam* peragant, *Quoniam*, ait, *id nobis præcepit ipſe Dominus dicens, Hoc facite in meam commemorationem*: τοῦτο γὰρ ἡμῖν αὐτὸς ὁ δεσπότης προσέταξε, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Addamus poſt Græcorum teſtimonia, quædam inter Latinos præſtantiſſimorum Antiſtitum. Ac Cypriani quædam exſcripſimus paullo ſupra. Ambroſii in libro de Benedict. Patriarch. cap. 9. num. 38. Hæc ſunt verba: *Panem dedit Apoſtolis, ut dividerent populo credentium, hodieque dat nobis eum, quem ipſe quotidie ſacerdos conſecrat ſuis verbis*: & in Pſalmum 38. num. 25. *Sequimur principem ſacerdotum ut poſſumus ſacerdotes, ut offeramus pro populo ſacrificium: etſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio; quia etſi Chriſtus nunc non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando Chriſti corpus offertur: immo ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cujus ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur.* S. Hieronymus lib. 3. Dialogi adverſus Pelag. tom. iv. pag. 545. eit: *Sic docuit Apoſtolos ſuos, ut quotidie in corporis illius ſacrificio audeant loqui, &c.* & infra pag. 547. *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech regem Salem, hujus principem invenies civitatis: qui jam tunc in typo Chriſti panem, & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Salvatoris ſanguine & corpore dedicavit.* S. Pater Auguſtinus Enarrat. 1. in Pſ. 33. num. 5. ita loquitur: *Erat autem, ut noſtis, ſacrificium Judæorum ante ſecundum ordinem Aaron in victimis*

pecorum, & hoc in myſterio; nondum erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod fideles norunt & qui Evangelium legerunt, quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum. Demonſtrat deinde hoc ſacrificium eſſe *ſecundum ordinem Melchiſedech*, qui Deo panem vinumque obtulit. Habet ſimilia lib. XVI. de Civit. Dei cap. 22. lib. 1. contra Adverſarium legis & Prophet. c. 20. epiſt. 95. nunc 177. ad Innoc. n. 12. aliiſque in locis compluribus.

PROP. III. Sacrificium, quod Chriſtus inſtituit, & in Eccleſia offerendum præcepit, non eſt ſacrificium improprie acceptum, atque, ut contendunt hæretici, ſola Dominici Corporis diſtributio & communio, ſed vera oblatio habens proprii ſacrificii rationem.

Demonſtratur primo ex antiquis figuris ac vaticiniis. Inter quæ mitto ſacrificium Melchiſedech, quod non fuiſſe nudam oblationem cibariorum factam Abrahamo, comprobatum eſt alibi. Prætermitto etiam immolationem Paſchalis Agni, de qua diſſerui Volum. 11, pag. 194. nam & Paſchalem agnum figuram fuiſſe Euchariſtiæ, inde conſtat, quod Apoſtoli in cœna corpus Domini ſacramentaliter manducarunt, ideoque præceſſit hujus corporis immolatio; quoniam, ut inquit Theophylactus in cap. 28. Matth. οὐδεὶς ἐσθίει τι ἐὰν μὴ πρότερον ἐσφαγμένον ᾖ, *Nemo quicquam edit, niſi prius fuerit immolatum*. Etiam omitto typos alios veterum ſacrificiorum, quos accurate expendit doctiſſimus Bellarminus lib. V. de Euchariſtia c. 8. Ad revincendos enim hæreticos ſufficit celebre vaticinium Malachiæ cap. 11. *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Quæ eſt enim *oblatio* facta Domino ubique locorum, niſi Miſſæ ſacrificium? De hoc utique ſacrificio Patres omnes vaticinium illud interpretati ſunt. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus præcitato capite 17. Joannes Chryſoſtomus in Pſ. 95. Hieronymus, & Theodoretus in Malachiam, S. Pater Auguſtinus lib. 19. de Civitate Dei cap. 23. & in primo contra Adverſarium legis cap. 18. Damaſcenus lib. IV. Orthodoxæ fidei c. 14. & alii plurimi. Quorum teſtimoniis, cum obvia ſint, & in unum collecta a Lindano tom. 2. Apologetici, & Bellarmino cap. 10. citati libri, & ab omnibus Polemicæ Theologiæ tractatoribus, addi poſſunt veteres omnes Rabbini, qui apud Galatinum lib. 11. cap. 9. Malachiæ verba explicarunt de vero ſacrificio abſque victimarum cruore, & ſine loci coarctatione, offerendo. Perſpicue enim vocabula Hebraica מנחה טהורה, *Minchah meorà*, quæ Latinus reddidit, *Oblatio munda*, ſignificant æternum aliquod ſacrificium, ac præſertim *oblationem ſimilæ*, & molitæ farinæ, Levit. 11. 2. nec alia eſt vis Græcarum dictionum, θυσία καθαρά, *ſacrificium mundum*. Etiam Druſius 2. p. tom. IV. Criticorum Anglicanorum pag. 801. interpretatur hæc verba, *Munus, quod offerunt ex farina mundiſſima*, & Hugo Grotius tom. 1. Comment. pag. 567. *Oblationem fidelium, ex quibus & Euchariſtia fiebat*. Præterea multæ aliæ fuere ejuſdem ſacrificii vaticinationes, ut Iſaiæ XIV. 19. prædicitur altare in Ægypto erigendum, & cap. ult. 21. necnon Jeremiæ XXXIII. 22. prænuntiantur Sacerdotes & Levitæ alterius generis ab Aaronicis. Huc etiam ſpectat verſus 16. Pſalmi LXXII. *Et erit firmamentum in terra, in ſummis montium*; etenim in codice Hebraico habetur pro *firmamento*, פסת בר Piſſath bar, *placenta frumenti*, & Chaldaicus legens יהי קרבן דבורא בארעא בריש טוריא כנישתא, idest, *Erit ſacrificium frumenti in terra in capite montium Eccleſiæ*, quo in loco prænuntiatum fuiſſe ſacrificium Meſſiæ, *in placenta frumenti* offerendum, tradunt antiqui Rabbini apud Raymundum Martinium in Pugione fidei 3. p. diſt. 3. cap. 15. Petrum Galatinum lib. 10. cap. 4. & Joſephum de Voiſin de Lege Divina cap. 4. Jam vero ſacrificium extra Jeruſalem, in regionibus Gentium, ſuper altaria in Ægypto, aliiſque in locis constructa, & a miniſtris in ſacerdotium electis immolandum, & offerendum, eſſe verum propriumque ſacrificium, diverſum ab Aaronico, necnon a cruento Chriſti peracto in Golgotha; res eſt clarior luce meridiana. II. Fatentur hæretici Euchariſtiam in ultima cœna datam Apoſtolis, eamque naſcentis Eccleſiæ fideles frequentaſſe, quod evidentiſſime hiſtoria Evangelica, Acta Apoſtolorum, & Paulus ſcribens ad Corinthios memoriæ poſterorum tradiderunt. Sed commendant hæc omnia Euchariſticum ſacrificium. Enim vero quantum ad cœnam attinet, in ea Chriſtus Euchariſtiam appellavit *Paſcha*, dicens: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha, &c.* Nam etſi hæc verba etiam ad Agnum typicum referri poſſunt; tamen verba proxima, *Ex hoc non manducabo illud, &c.* nonniſi ad Paſcha Chriſtianum, ſcilicet Euchariſtiam, poſſunt accommodari, ut animadvertit Calmet in Lucam XXII. 16. & Eſtius in IV. diſt. 12. §. 11. Etiam Theophylactus in Evangelia pag. 513. ea verba refert ad myſteria τὰ τῆς καινῆς διαθήκης, *quæ ſunt novi teſtamenti*. Porro *Paſcha* ſacrificium eſt, ut demonſtravi pag. 81. docetque Apoſtolus 1. ad Corinth. v. 7. ideoque in Euchariſtia Chriſtus verum obtulit ſacrificium. Eapropter gratias egit, benedixit ſymbola, ſegregavit, & ſaltem *myſtice* ſanguinem ſeparavit a corpore, quæ ſunt actiones ſacrificiorum. Spectat etiam ad ſacrificii conſummationem quod ipſemet Chriſtus ſumpſerit Euchariſtiam, atque, ut fieri ſolebat in ſacrificiis pacificis, diſtribuerit eam diſcumbentibus. Ajebat propterea Cyrus Theodorus Prodromus in Matthæum pag. 119.

> Θύεις τὸ θῦμα, καὶ τὸ θῦμ' ἐσθίεις,
> Καὶ κλᾷς τὸν ἄρτον ἄρτος, καὶ κρατὴρ πίνεις,
> Ἄμφω γάρ εἶ σύ, καὶ θυτὴρ καὶ θῦμα.
> *Tu, qui ſacrificium es, ſacrificas; qui cœna, comedis;*
> *Qui panis es, panem frangis: qui calix es, bibis;*
> *Utrumque enim es, & Sacerdos, & hoſtia.*

In Actibus Apoſtolicis XIII. 2. legimus: *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus, &c.* ubi pro *miniſtrantibus* eſt Græce λειτουργούντων, *ſacrificantibus*. Hunc utique locum Theophylactus in Acta pag. 118. & Œcumenius pag. 110. interpretantur, κηρυττόντων, *hoc eſt prædicantibus*: ſed Græca vox omne *miniſterium*, & præcipue *ſacrificium* ſignificat, nec Theophylactus & Œcumenius hoc excludunt. Ii ſiquidem, qui Domino miniſtrabant, erant ſacerdotali charactere inſigniti, etenim Saulo & Barnabæ manus impoſuerunt; ideoque *prædicare* erat miniſterii ipſorum pars tantum una. Si ergo λειτουργούντων accipiatur pro munere ſacerdotum præcipuo; bene redditur *ſacrificantibus*, ut explicarunt Sanctius, Eſtius, Lorinus, A Lapide. Adde Eraſmum, qui reddidit, *Operantibus ſacra*, & H. Stephanum, *Dantibus operam rebus divinis*. Præterea ſubjicitur τῷ κυρίῳ, *Domino*: at *prædicatio*, licet divinum opus ſit, hominibus potius impenditur, quam Deo. Eſt in Syriaco participium מתכשפין, *Methchoſchpin*, quod in Polyglottis Waltonianis tom. V. pag. 566. vertitur, *dum preces auſpicarentur*: ſed adverte Guidonem Fabricium Boderianum in Lexico Syrochaldaico explicare idem participium, Methchaſchpin, *Exercentes actionem, qua vel ſacrificent, vel preces concipiant*. In Bibliis denique Roberti Stephani edit. Pariſienſis an. 1532. legitur in margine, *Sacrificantibus*; ideoque rectiſſime utuntur hoc teſtimonio adverſus hæreticos Pontificii Theologi: quorum argumentationi non abs re erit has breves notulas adjeciſſe. Ut nunc ad Apoſtolum veniamus; is ad Corinthios 1. cap. X. 18. ut ab idololatria fideles averteret inquit: *Videte Iſrael* (nota quarti caſum vocem eſſe τὸν Ἰσραήλ, in quod multi impegerunt) *ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Mox vero: *Sed quæ immolant gentes dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*. Ex hoc loco apparet in menſa Domini, ſcilicet Euchariſtia, abſumi rem aliquam prius ſacrificio immolatam. Illius enim argumenti hæc vis eſt: Iſraelitæ ut ſacrificii fierent participes, admittebantur ad comedendum de hoſtiis Deo oblatis: atque idem fieri ſolet in ſacrificiis Gentilium, qui proinde edentes victimas dæmoniis mactatas, communicant & ipſi ſacerdotum ſuorum immolationibus. At vos, qui menſæ Domini participes eſtis, & communicatis ſacrificio, quod offertur Domino, non poteſtis manducare quod immolatur idolis, niſi velitis pariter communicare ſacrificiis idololatrarum. Atque hoc argumentum ſupponit in menſa Euchariſtica ſumi ſacra munera jam ſacrificio immolata, ideoque Euchariſtiam eſſe ſacrificium, quod prius offertur, deinde ſumitur; quemadmodum fiebat in ſacrificiis Judæorum, atque Gentilium. Præclare itaque Tridentini Patres ſeſſ. XXII. cap. 1. de Sacrificio Miſſæ ita loquuntur: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obſcure innuit Apoſtolus Paulus Corinthiis ſcribens, cum dicit non poſſe eos, qui participatione menſæ dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri: per menſam altare utrobique intelligens, &c.* III. In Euchariſtia fieri ſacrificium, & oblationem a communione ſacramenti diſtinctam demonſtrat vetuſta, & perpetua traditio. Atque hujus traditionis exhibet teſtimonium Nicæna Synodus, quæ canone 18. vetat, ne Diaconi ſacramentum porrigant ſacerdotibus, *cum nec regula nec conſuetudo tradiderit, ut hi, qui poteſtatem non habent offerendi*, μὴ ἐξουσίαν ἔχοντας προσφέρειν, *his, qui offerunt, dent Chriſti corpus*: ubi aperte *communio* ab Euchariſtiæ *oblatione* ſecernitur. Protulit quoque adverſus Œcolampadium Cutbertus Tonſtallus vetuſtiſſimum ejuſdem canonis fragmentum, in quo legebatur ſumi in altari immaculatum Dei Agnum, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, *incruente & ſine mactatione immolatum*: atque hujus fragmenti ſi revocetur in dubium αὐτογραφία, nequit in dubium revocari vetuſtas. Accedunt Patres, qui non ſolum in Euchariſtia *ſacrificium* agnoſcunt, ut præcedenti propoſitione dictum eſt; ſed ulterius in hoc ſacrificio a diſtributione, & communione ſacramenti diſtinguunt *oblationem* Deo factam.

Nam

Digitized by Google

Nam Juſtinus prælaudata ad Antoninum Apologia pag. 79. ait prius deferri panem & poculum vini & aquæ ei, qui fratribus præeſt: ab ipſo deinde offerri τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, *Patri univerſorum per nomen Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti*; & peracta Euchariſtia, ſeu gratiarum actione, panem & vinum diſtribui unicuique præſentium. Quo in loco *oblatio* populi, *ſacrificium*, & *communio* apertiſſime diſtinguuntur. Addit paullo poſt ſanctus Martyr hoc idem fieri per imitationem docuiſſe pravos dæmones *in myſteriis & initiationibus Mithræ*. Μίθραν Gentiles appellabant ſolem, ut docent Kircherius in Obeliſco Pamphilii fol. 282. & Daniel Claſenius de Theolog. Gentili lib. 1. cap. 7. ac Mithræ immolabatur animal in editiſſimis montibus, utpote cælo proximioribus; poſt immolationem ſacerdos ſingulis, qui intererant ſacrificio, diſtribuebat fruſtum carnis. Quod utique reddit verba Juſtini pleniſſima. Deprehenditur etiam *oblatio* in aliis Patrum teſtimoniis paullo ſupra productis: a quibus propterea repetendis abſtineo; addens tantummodo quod lib. 2. Qq. Evangelicarum q. XXXIII. num. 5. ait Auguſtinus de vitulo ſaginato, epuliſque a Patrefamilias reſipiſcenti filio paratis: *Et iſtæ epulæ atque feſtivitas nunc celebrantur per orbem terrarum Eccleſia dilatata, atque diffuſa. Vitulus enim ille in corpore, & ſanguine Dominico & offertur Patri, & paſcit totam domum*. IV. Eruitur idem ex omnium fidelium populorum Liturgiis. In illis enim, quibus utuntur Græci, et præſertim in Miſſa Chryſoſtomi pag. Euchol. 77. peracta conſecratione Sacerdos alta voce ait: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν, *Tua ex tuis*, ſcilicet donis, *tibi offerimus*. In Miſſa Æthiopum, cujus Canonem Latinum reddidit Petrus Paulus Gualterius Aretinus legitur: *Offerimus tibi hunc panem & hunc calicem, tibique gratias agimus, quod per hoc ſacrificium dignos nos feciſti ſtandi in conſpectu tuo, & ſacerdotale officium coram te exequendi*. Habentur ſimilia in Liturgia Syriaca, quæ prodiit Romæ juxta vetuſta exemplaria anno 1594. In Miſſali Maronitico, ut vertit Simonius in notis uberioribus ad Apologiam Severi, hæc habentur: *Deus, qui recepiſti oblationem Abelis in campo, & Noachi in Arca, & Abrahami in vertice montis, & Davidis in area Doronis Jebuſæi, & Eliæ in monte Carmelo, & minuta viduæ in Gazophylacio, ſuſcipe oblationes iſtas, &c.* Liturgia Armeniorum ex typographia Congr. de Propag. fide pag. 8. *Et tua*, inquit, *hæc ab his tuis, tibi offerimus ſecundum omne, & pro omnibus*: quæ verba conſimilia ſunt præcitatis ex Miſſa Chryſoſtomi; & in quæ editi Commentarii S. Germani, Marci Epheſini, Nicolai Cabaſilæ, aliorumque agnoſcunt veri & proprii ſacrificii rationem. Verum eſt tamen, quod *eſſentia* ſacrificii, juxta communiorem Theologorum ſententiam, non conſiſtit in oblatione facta prædictis Liturgiarum verbis a Sacerdote, ſuo, & totius Eccleſiæ nomine; ſed potius *in conſecratione*, cujus verbis, quaſi ſpirituali quodam gladio, exhibetur Chriſti ſanguis ut effuſus, & ſeparatus a corpore, atque ita nomine Chriſti offertur victima ſalutaris, ut paullo poſt explicabo. At Liturgiæ omnes illam quoque conſecrationem, & *oblationem* præſcribunt: ad quam conſequitur oblatio verbis expreſſa, qua Eccleſia offert, oratque ut acceptabile fiat ſacrificium eadem conſecratione immolatum. Ex quibus apparet hæreticorum, qui Liturgias mutilarunt, temeritas & audacia. V. Valent plurimum ad id confirmandum *Altaria* ab exordio Eccleſiæ pro ſacrificiis erecta. Quamquam enim per *catachreſin* altare aliquando ſumitur pro acervo Lapidum, aut monumento in teſtimonium rei, non ad ſacrificium erecto, ut Joſue XXII. 10. attamen eo vocabulo abſolute pronuntiato ſignificatur *Ara*, aut potius *ſuperior Aræ pars*, in qua Deo fiunt ſacra, ut etiam Feſtus apud Voſſium in Etymologico, Servius in Eclogam v. Virgilii, & ſcriptores plurimi tradiderunt. Sacræ utique litteræ vocabulum illud hac ſignificatione accipiunt trecentis in locis: nec obſtat e libro Joſue citatus, in quo *altaris* nomine ſignificari tumulum poſitum ad diviſionem, non ad rem ſacram agendam, conſtat ex textu: nam molem illam appellat Hebraicus Codex, מִזְבֵּחַ גָּדוֹל לְמַרְאֶה *Altare magnum ad videndum*, Græcus *Aram ſpectatu maximam*, βωμὸν μέγαν τοῦ ἰδεῖν, Vulgata *Altare infinitæ magnitudinis*. Altaria igitur proprie dicta, ideſt, pro ſacrificiis in nova lege conſtructa, commemorat Apoſtolus ſcribens ad Hebræos XIII. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*: ibique Græci legunt θυσιαστήριον, *altare* ſcilicet *pro ſacrificio*, nam θυσία *ſacrificium* eſt, *victima*, *hoſtia*. Horum autem altarium vetuſtatem comprobant ſacra antiquæ Romæ monumenta, ubi adhuc viſitur in *Catacumbis* altare lapideum vetuſtiſſimum; aliud exiſtit in Titulo Equitii, in quo rem ſacram faciebat ſanctus Silveſter: conſecratum alterum ab eodem Pontifice in Vaticana Baſilica XIV. Kal. Decembris, tradunt MSS. antiquiora Lateranenſis Archivi: conſtructa denique altaria ſupra Martyrum ſepulcra commemorat S. P. Auguſtinus ſerm. 313. num. 5. & 318. num. 1. S. Paulinus Nat. 3. Prudentius in Hymno S. Hippolyti, & in altero S. Eulaliæ, aliique apud Boſium, Aringhium, Boldetium. Diximus & nos nonnulla de Altaribus Tom. III. pag. 323. atque in hoc IV. pag. 93. Quæ de altari diximus, confirmat ordo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, in qua extiterunt ſemper Pontifices, ac Sacerdotes, & quidem veri, proprie dicti, atque conſecratione initiati, quod inferius demonſtrabimus. At ſicut altaria pro ſacrificiis eriguntur; ita *omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur*, ut inquit Apoſtolus ad Hebræos VIII. 3. Sacerdos etiam, Iſidoro teſte, *a ſacrificando* nomen habet. VI. Poſtremo nihil in Miſſæ deſideretur, quod neceſſarium ſit ad ſacrificium conſtituendum. Adeſt enim *miniſter legitimus*, & conſecratus cum impoſitione manuum Presbyterii: offertur Deo *res ſenſibilis*, ideſt Chriſti corpus & ſanguis ſub panis vinique ſpeciebus: eſt etiam *myſtica* quædam immolatio & mactatio, & quædam *myſtica* effuſio ſanguinis, dum calix conſecratur ſeparatim ab alio ſymbolo, ſeu a pane in Chriſti corpus tranſubſtantiato, unde Lucæ XXII. 20. de poculo ſanguinis legitur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *quod pro nobis funditur*: quæ verba nequeunt intelligi de ſanguinis effuſione facta duntaxat in Cruce, tum ob participium præſentis temporis, tum ob orationis ſyntaxim, nam τὸ ἐκχυνόμενον, *quod funditur*, refertur ad τὸ ποτήριον, *poculum*, caſus recti, non ad ea verba, *in ſanguine meo*, ἐν τῷ αἵματί μου, conſtat Græca inſpicienti. Atque hinc apparet etiam in conſecratione *Panis* participium διδόμενον, *quod datur*, præſentis temporis, referendum eſſe ad corpus Chriſti exiſtens ſub ſpecie panis, unde Apoſtolus I. ad Corinth. 11. 24. pro διδόμενον poſuit κλώμενον, *quod frangitur*; quoniam idem Chriſti corpus, quod immolatum eſt in Cruce, frangitur in altari, non quidem in ſe, ſed ratione *ſpecierum*, ut dixi pag. 83. Tandem in ſacrificio noſtro eſt etiam *rei oblatæ conſumptio*, quæ fit, dum ſumitur Euchariſtia, & a Sacerdote utraque ſpecies deglutitur: neque huic conſummationi obſtat quod reſerventur ex oblatis pro communione fidelium, & pro infirmorum viatico; nam & olim de victima oblata ſervari aliquid poterat in diem alteram; & aliquando ſacrificium igne abſumebatur, aliquando comedebatur ab offerente, aliquando partim igne cremabatur, partim vero cedebat in cibum offerentium, & Levitarum.

OBJECTORUM REFUTATIO.

Quæ faciunt adverſus Chriſti ſacerdotium, & ſacrificium in ultima Cœna peractum, refutata ſunt lib. XXVII. cap. 8. Remanent nunc diluenda, quæ adverſus incruentum Miſſæ ſacrificium objiciuntur: quorum unum eſt, Miſſam humanum eſſe inſtitutum, non Chriſti mandatum. Nam Sacrificii *ordinem* primi ediderunt Jacobus, & Marcus: & horum quoque Liturgia, ſi non *apocrypha*, dubia eſt ſaltem. Theodorus enim Balſamon libro v. Juris Græco-Romani illam in dubium revocat, & Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis Liturgiam Jacobi precum additione *locupletatam* eſſe fatetur. Nec ſuſpicione carent, quæ circumferuntur ſub Chryſoſtomi, & Baſilii nomine; nam a multis Proclo Conſtantinopolitano Archiepiſcopo tribuuntur. In his præterea Græci a nobis diſſentiunt circa *formam* conſecrationis, in qua potiſſimum ſita eſt, juxta Pontificios Scriptores, ratio ſacrificii.

Reſpondeo nil concludi adverſus ſacroſanctum & incruentum ſacrificium ex his, quæ hæretici de ſacris Liturgiis commentantur. Primo, quia licet Apoſtolorum ſucceſſores divino *miniſterio* preces addiderint, & ritus ac ceremonias immutarint; non ſequitur ab Eccleſiæ incunabulis non fuiſſe immaculatum Agnum Chriſtum in altari immolatum, neque ſacrum miniſterium & ſacrificium peractum in menſa Domini; cum oppoſitum doceant Acta Apoſtolica, Paulinæ Epiſtolæ, antiquus ſcriptor Juſtinus, univerſorumque Patrum conſenſio. Deinde ex his, quæ de Liturgiis aſſirmant, ita hæreticos ipſos perſtringimus: Quemcunque auctorem variæ Liturgiæ habeant, antiquiſſimæ ſunt tamen, & quæ ſub Baſilii & Chryſoſtomi celebrantur nomine, obtinebant quarto Chriſtiani nominis ſæculo. Tunc ergo temporis in Eccleſia Chriſti incruentum ſacrificium offerebatur. Sed nec probabile eſt Baſilium, Chryſoſtomum, aut alium quempiam novum ſacrificium adverſus Patrum traditionem invexiſſe, univerſa Eccleſia approbante. Habent præterea antiquæ Liturgiæ invictum teſtimonium ex canone 32. Trullano, in quo legitur, *Nam & Jacobus Chriſti Domini noſtri ſecundum carnem frater, cui Hieroſolymitanæ Eccleſiæ thronus primum eſt creditus, & Baſilius Cæſareenſium Eccleſiæ Archiepiſcopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervaſit, myſtico nobis in ſcriptis tradito Sacrificio, ita conſecrandum in divina Miſſa ex aqua & vino ſacrum calicem ediderunt*. In unaquaque deinde Eccleſia vetus aliqua Liturgia cuſtoditur, recepta ab immemorabili tempore, & longe antequam Lutherus & Calvinus prodirent. Poſſunt denique omnia, quæ de Liturgiis controvertuntur, facile componi, ſi dicamus Apoſtolos quemdam ritum inſtituiſſe, ut ſacrificium Euchariſti-

cum certis precibus perageretur, quo in ritu contineri *Orationem Dominicam* ſcribit Hieronymus lib. 3. Dialogi contra Pelagianos: Jacobum preces alias addidiſſe pro Hieroſolymorum Eccleſia; idem præſtitiſſe pro Eccleſia ſua Inſtitutores alios; Baſilium deinde, Chryſoſtomum, ac forte etiam Proclum, ex Liturgiis variis unam aliquam collegiſſe; ita, ut ſi prior Liturgiæ origo ſpectetur, auctores habeat Apoſtolos; ſi ampliatio, aut collectio, ſanctiſſimos, & præſtantiſſimos Epiſcoporum. *De forma* autem conſecrationis dictum eſt ſupra.

Oppones 2. Innititur dogma de incruento Miſſæ ſacrificii inſtitutioni Cœnæ, in qua creditur Dominus Jeſus ſacrificaſſe corpus, & ſanguinem ſuum ſub panis, vinique ſpeciebus, declarans ſeipſum ratione rerum oblatarum Sacerdotem *ſecundum ordinem Melchiſedech*. Verum id falſum eſt; legimus quippe in Evangelio Dominum cum Apoſtolis ſediſſe, fregiſſe panem, diſtribuiſſe diſcumbentibus: obtuliſſe ſacrificium non legimus.

Reſp. falſum eſſe, quod Chriſtus in ultima cœna non obtulerit ſacrificium. Principio enim quod ajunt hæretici, id non legi in Evangelica hiſtoria, eſt argumentum negans, & nullius ponderis; deinde & obtuliſſe legitur, & ulterius præcepiſſe Apoſtolis ut offerrent. Legitur obtuliſſe, in veteris, novique Teſtamenti locis, quæ eum appellant ſacerdotem *ſecundum ordinem Melchiſedech*: & legitur etiam in verbis Inſtitutionis, ubi calicem porrigens inquit: *τοῦτο τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον*, *Hoc eſt poculum, quod funditur*, quæ, ut diximus, præſentis ſunt temporis, & referuntur ad calicem pretioſo ſanguine plenum, ideoque fuit in cœna immolatio, & myſtica effuſio ſanguinis. Deinde, quamvis verba hujuſmodi non legerentur; aperte tamen legitur Chriſtum conſecraſſe calicem ſeorſim a pane, illumque appellaſſe calicem ſanguinis ſui: quod ſufficit ad ſacrificium comprobandum. Noſtræ enim communionis Theologi docent *eſſentiam* ſacrificii ſitam eſſe in conſecratione; & quamvis nonnulli addant etiam fractionem ſpecierum, earumque ſumptionem, non tamen hæc duo ſpectare cenſent ad ſacrificii ſubſtantiam, ſed unum ad repræſentationem paſſionis Chriſti, alterum ad conſumptionem rei oblatæ. Etenim eo ipſo, quod Chriſti ſanguis exhibetur, ut ſeparatus a corpore, *myſtice* mactatur, & immolatur, ideoque in ea ſeparata conſecratione potiſſimum ſita eſt ratio ſacrificii, & *oblatio*, non quidem verbis expreſſa, qualis habetur in Liturgiis paullo ſupra commemoratis, & quæ ſupponit oblationem factam nomine Chriſti, ſed oblatio actu perfecta, ſive, ut inquiunt Scholaſtici, *in actu exercito*, eo ferme pacto, quo ipſa mactatio victimarum erat oblatio ſacrificii, etſi forte Levita non dixerit, *Offero, ſacrifico, macto*. Vide Eſtium diſt. XII. §. 12. Sylvium in quæſt. 83. art. 1. Bellarminum de Euch. lib. V. cap. 1. Juenin diſſert. V. quæſt. 2. cap. 2. &c. Cum igitur Chriſtus ſeparatim ſymbola conſecraverit; verum obtuliſſe ſacrificium infertur ex ipſa conſecratione in Evangeliis narrata.

Rurſus oppones: Euchariſtia ſacramentum eſt; igitur non eſt ſacrificium. Repugnat enim, quod eadem res ſacrificii & ſacramenti rationem habeat: ſiquidem ſacramentum nobis exhibetur, & ſacrificium offertur Deo.

Reſpondeo falſam eſſe conſequentiam, hujuſque probationem inanem & ludicram: ſiquidem nulla repugnantia eſt, quod eadem res ſub diverſa ratione ſit ſimul & ſacramentum, & ſacrificium; ſacramentum, prout inſtitutum eſt tanquam ſignum efficax noſtræ ſanctificationis; ſacrificium vero, quatenus myſtico ritu a nobis offertur ſupremo Domino. Etenim agnus Paſchalis ſacramentum erat ut Chriſtum præſignabat, & ſacrificium ut Deo immolabatur: ac fatentibus hæreticis idem Chriſti corpus vere a nobis comeditur in Euchariſtia, & vere pro nobis fuit immolatum in cruce. Fieri præterea non poteſt, ut Deo offeramus aliquid, quod non ſit datum nobis ab ipſo Deo: nam, ut Dominum alloquebatur ſanctus David 1. Paralip. XXIX. 14. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*.

Præterea oppones: Unicum & ſingulare eſt ſacrificium Chriſti, atque illud eſt, quod obtulit in cruce, factus pro nobis hoſtia, ſanctificatio, & redemptio. Nullum ergo ſacrificium, illo uno excepto, agnoſcendum eſt. Probatur antecedens ex Epiſtola Pauli ad Hebræos. In ea cap. VII. 23. novum Teſtamentum præfertur veteri, quod in veteri multi extiterint ſacerdotes, quorum unus alteri vita functo ſuccederet; in novo unus ſacerdos ſit, immortalis, & ſucceſſorem non habens: *Et alii quidem plures* (ait Apoſtolus) *facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*. Si ergo nullus eſt ſacerdos præter Chriſtum, nullus eſt etiam miniſter legitimus, qui offerat ſacrificium. Pergit Apoſtolus commonſtrare nullum aliud ſacrificium, præter cruentum crucis, eſſe admittendum, ex quo illud ſemel oblatum a Pontifice, qui ſanctus erat, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cælis factus, longe ſuperaverit ſacrificia quælibet veteru, propterea quod ipſe Pontifex, cum eſſet innocens, non tenebatur offerre hoſtias pro peccatis ſuis, & alias rurſus hoſtias pro peccatis populi; & cum eſſet excelſior cælis, & filius Dei, ac præterea obtulerit ſemetipſum, hoſtiam ſcilicet ſummi pretii, non opus erat aliud adjicere ſacrificium: *Qui non habet*, verba ſunt Pauli, *neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo*. Qui ergo incruentum ſacrificium propugnant, maximam ſacrificio Crucis irrogant injuriam, quaſi fuerit aut ſacerdotis peccato obnoxii, qui priorem illam hoſtiam pro ſe immolaverit; aut ſacerdotis exigui meriti, cujus unicum ſacrificium non valuerit ad omnia totius populi expianda delicta. Proximo capite nono ejuſdem Epiſtolæ verſu 12. legitur: *Introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*: verſu 26. *Semel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*: verſu 28. *Semel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*: & demum cap. X. 14. *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Hæc vero quomodo poſſunt explicari ab iis, qui ſacrificia quotidiana commendant? Si Chriſtus cruenta crucis immolatione invenit redemptionem æternam, ſi hæc una oblatio exhaurire poteſt univerſa peccata, ſi ab hac una perficitur omnis juſtitia, omnis ſanctitas; nonne quælibet alia oblatio inutilis prorſus eſt, & cedens in Crucis injuriam, & contumeliam? Atque hoc eſt præcipuum in hac controverſia argumentum.

Ut vero facilius ſolvatur, tria ſunt breviter explicanda: primum, quomodo Chriſtus ſit *Sacerdos in æternum*, neque aliquem habeat ſucceſſorem; alterum, qua ratione oblatio ejus ſit una; tertium, quid præſtet efficiatque oblatio ſacrificii incruenti. Eſt igitur Chriſtus *ſacerdos in æternum*, *ratione perſonæ*, quia ipſe miniſterio ſacerdotum ſemper ſacrificium offert: *ratione officii*, quia ſemper vivit ad interpellandum pro nobis; & *ratione effectus*, quia per ſacrificium crucis factus eſt ſingulis hominibus cauſa redemptionis & ſalutis æternæ. Neque in Sacerdotio aliquis Chriſto ſuccedit, quia *ſucceſſor* ille dicitur, qui ſubrogatur in locum alterius vel amoti, vel abeuntis, vel mortui; Chriſtus autem per miniſtros ſuos erogat fidelibus verbum prædicationis, ſacramenta, & corpus ac ſanguinem ſuum, quem ſemel in cruce obtulit. Quare ſacerdotes novæ legis non ſunt *ſucceſſores* Chriſti, quemadmodum Aaroni ſucceſſit Eleazar, Eleazaro Phinees, atque ita deinceps; ſed ſunt potius *miniſtri*, & *diſpenſatores myſteriorum Dei*, ſicut in prima ad Corinthios cap. IV. 1. ait Apoſtolus. Hac itaque ratione Chriſtus eſt Pontifex permanens *in æternum*, & cui nullus ſuccedit. Sacrificium autem a Chriſto oblatum unum eſt, quatenus in uno crucis ſacrificio pretium ſolutum fuit pro redemptione hominum univerſorum, neque alia hoſtia neceſſaria eſt ad exhaurienda peccata, cum illa infiniti ſit pretii, & quidquid nobis gratiarum impenditur, deſcendat ex illius ſacrificii merito, & efficacia. Ex quo tamen incruentum ſacrificium minime excluditur; quoniam iſtud non offertur, ut redimatur mundus, aut ſolvatur ſalutis pretium, ſed ut virtus paſſionis nobis applicetur per ſacrificium, quod in ejuſdem paſſionis commemorationem peragitur. Neque enim oblatio crucis excludit media, quibus ejus virtus & effectus hominibus applicetur: alioquin & baptiſmus, & pœnitentia, & bona opera, & cetera ſalutis media ſuperflua forent: & Crucis ſacrificium his quoque mediis adhibitis maxima afficerent injuria. Quod ergo diximus pertractantes de Chriſti Redemptione lib. XVI. & XXVIII. aliud eſſe oblationem pretii, aliud actualem ejus applicationem, quemadmodum aliud eſt, quod a medico paretur ſaluberrimum remedium, aliud quod applicetur ægrotis, tenet etiam in caſu; ſiquidem per ſacrificium crucis pretio ſoluto, & condigna ſatisfactione redempti ſumus, & per ſacrificium incruentum ad nos pretium illud, & gratiarum copia derivat: quod utique cedit in ſacrificii cruenti laudem & commendationem; quemadmodum laudatur medicus, ejuſque commendatur remedium, quotieſcumque applicatur infirmis, atque his impertitur priſtinam valetudinem. Denique ſacrificium crucis, & ſacrificium Miſſæ, licet attento oblationis modo diverſa ſint, ſpectato tamen primo ac ſummo Sacerdote, idest, Chriſto, & conſiderata hoſtia, quæ offertur, ipſius nempe ſacratiſſimo corpore, & ſanguine, idem ſacrificium ſunt, ſive unum eſt alterius applicatio. Hæc omnia tradit ſacroſancta ſynodus Tridentina ſeſſ. XXII. cap. 2. his verbis: *Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur*.

His præmiſſis ad primum Apoſtoli teſtimonium reſpondeo, loqui illum de ſacerdotibus ſummis, ideſt Pontificibus, quorum unus eligebatur mortuo altero, ut liquet ex illis verbis, *Idcirco quod morte prohiberentur permanere*: Sacerdotes enim alii, ſummo Pontifici ſubjecti, plures ſimul miniſtrabant. Id non ſolum interpretes no-

Digitized by Google

noſtri tradunt unanimiter, ſed etiam editores Bibliorum Londinenſium tom. v. pag. 862. qui lectionem Syriacam reddiderunt, *Multi fuerunt Pontifices*, & Grotius qui in hunc locum ſcripſit: Ἱερεῖς, *Sacerdotes*, *ideſt*, *per excellentiam* ἀρχιερεῖς, כהנים הגדלים *Pontifices magni*. Ex quo autem Chriſtus ſucceſſores non habeat, non ſequitur plures non habere miniſtros, atque inter illos unum quoque ceteris ſublimiorem, qui *Maximus* appelletur in ordine miniſtrorum, vicarius Chriſti, & Petri ſucceſſor, non autem *ſucceſſor* Chriſti, ut inquit in ſuis ad hanc Paulinam Epiſtolam adnotationibus Jacobus Cappellus. Deinde ex quo Chriſti ſacerdotium *æternum* ſit, potius infertur, quod in Eccleſia a Chriſto per miniſtros ipſius perſonam gerentes uſque in finem ſæculi debeat exerceri, ut recte ratiocinatur Eſtius diſt. art. §. 13. ad 3. Egregie autem ratiocinationem Eſtii confirmat Œcumenius in hanc Epiſtolam pag. edit. Sonnii 348. ſcribens: *Neque enim de ea, quæ ſemel a Deo facta eſt oblatio, & hoſtia, dimiſſet, in æternum: ſed reſpiciens ad præſentes miniſtros, per quos medios Chriſtus ſacrificat, & ſacrificatur*, δι᾽ ὧν μέσων χριστὸς ἱερουργεῖ, καὶ ἱερουργεῖται. Quod opponitur ex verſu 27. ejuſdem capitis, diluitur ea dictis. Semel enim Chriſtus obtulit ſemetipſum in cruce, & illa unica oblatio efficax fuit ad omnium peccatorum remiſſionem: at inde non ſequitur inutilem eſſe oblationem aliam, per quam applicetur nobis effectus illius primæ oblationis; nec ſequitur unam cedere in alterius injuriam; præſertim cum ſacrificium incruentum offeratur in commemorationem cruenti, atque ut offeratur, præceperit ipſe Dominus. Quis enim dixerit affici aliquem injuria, dum præcipuum ac præſtantiſſimum ejus opus celebratur, & colitur, atque executioni mandatur, quod ipſe præcepit; cum in iis etiam, quæ non continent religionis actum, non adferunt utilitatem, nec augent meritum obedientiæ, *Conſentienti, & volenti*, ut fert commune proloquium, *nulla fit injuria*? Ad ea pariter, quæ ſubjiciuntur ex cap. 9. & 10. reſponſio patet ea dictis. Fatemur enim & nos ſufficere ad redemptionem, & ſanctificationem univerſorum, unicum crucis ſacrificium; ſed negamus excludendum eſſe ſacrificium incruentum, quod ratione *rei oblatæ* cum ipſo crucis ſacrificio eſt unum, & idem, atque inſtitutum eſt, non ut alia hoſtia pro nobis immoletur, ſed ut illius, cruentæ ſcilicet immolationis, a nobis fructus percipiatur, quemadmodum inquit Tridentinum Concilium paullo ſupra laudatum.

At dices: Si etiam in novo teſtamento iteratur ſacrificium, igitur tollitur diſtinctio a Paulo inter utrumque teſtamentum facta, atque inde petita, quod ſacerdotes Aaronici plures hoſtias mactaverint, Chriſtus vero unam, eamque ſemel obtulerit.

Reſpondeo falſam eſſe conſequentiam: perſiſtit enim ſtatutum a Paulo diſcrimen, etiamſi a nobis iteretur ſacrificium: nunquam enim Levitæ offerebant eamdem numero hoſtiam, & ſæpenumero mactabant victimam diverſi generis, puta vitulum, ovem, turturem. Deinde una victima non offerebatur pro expiatione omnium peccatorum, neque deſervire poterat pro holocauſto, & pro hoſtia pacifica: & inſuper pro peccato offerebatur vitulus, aut hircus, aut capra, pro legali immunditia agna, vel turtures, aut columbæ, &c. Præterea nulla oblatio vel ex ſe, vel ex alia ejuſdem teſtamenti habebat vim ſanctificandi & remittendi peccata. E contra in novo Teſtamento immolatur ſemper eadem numero *Hoſtia*, hæc una eſt omnis ſanctificationis origo, per hanc unam delentur omnia peccata, & ab hac una ſemel in ligno crucis oblata vim habent quotidianæ oblationes, per quas fidelibus applicatur Dominicæ paſſionis virtus.

Inſuper oppones: Legitur Joannis iv. 24. *Eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*; quo in loco adorationis nomine intelligitur quilibet cultus Deo exhibitus, præſertim vero ſacrificium; nam his verbis demonſtrat Chriſtus advenisse finem a Prophetis prænuntiatum veterum ſacrificiorum, quæ a Judæis in Templo Jeroſolymitano, e Samaritanis in monte Garizim immolabantur. In lege ergo Evangelica nullum offerendum eſt ſacrificium, præter ſpirituale, & internum.

Reſp. perperam abuti hæreticos hoc loco ad excludendum non ſacrificium tantummodo, ſed etiam uſum templorum, peregrinationes, ceremonias, omnemque Dei cultum externum. Nam Chriſtus quoque adoravit in templo, ibique poſt ipſius aſcenſionem quotidie orabant diſcipuli; & ſacræ ædes, ritus, oblationes, ac preces non ſolum corde, verum etiam ore prolatæ quovis ſæculo obtinuerunt. Evangelicæ itaque ſententiæ ſenſus eſt, quod ſublato errore Samaritarum ſacrificantium in monte Gerizim, & ſublatis etiam cruentis victimis, quæ Jeroſolymis mactabantur, offerenda erat *oblatio munda* ubique locorum, in ſpiritu, & veritate, non in figura, & futurorum typo, ſed in fide, & ſpiritali devotione, non excluſis tamen vel loco, vel externa actione, vel oblatione rei ſenſibilis, quæ hominibus animo & corpore conſtantibus, viſibili congregationi fidelium, & religionis Chriſtianæ officiis ſunt neceſſaria. Atque his adde ſacrificium noſtrum *ſpiritale* eſſe, quatenus externo ritu, & ſub aſpectabilibus ſymbolis immolatur victime ſalutaris, quæ non videtur, ſed creditur; non jugulatur gladio, ſed immutatur verbis; non abſumitur dilaniata, ſed ſpiritaliter manducatur, ſenſu expoſito cap. ix. Regula iv. & viii.

Poſtremo objicies: Hoſtia, quæ in ſacrificium offertur, debet occidi; Chriſtus in Euchariſtia non occiditur; igitur Chriſtus in Euchariſtia non offertur in ſacrificium. Neque huic argumento ſatisfit reſpondendo in Miſſa etiam Chriſti ſanguinem fundi, ut ſupra dictum eſt: ſiquidem Græcum participium τὸ ἐκχυνόμενον, in Latina quoque vulgata redditur, *Quod effundetur*, futuri temporis: eodem modo pronuntiatur in Canone Miſſæ, quo utitur Romana Eccleſia, atque a Cypriano ad Cæcilium ſcribente. Ea verſione nos pariter uſi ſumus pag. 83. ad probandum in calice contineri verum Chriſti ſanguinem effuſum in cruce. Nulla ergo in altari intervenit effuſio ſanguinis, immo nec hoſtiæ immutatio, neceſſaria ad ſacrificii rationem.

Reſp. primo negando majorem; nam quamvis in ſacrificiis *cruentis* effunderetur victimarum ſanguis, plura tamen fuerunt ſacrificia *incruenta* abſque ſanguinis effuſione, ac talis fuit etiam oblatio ſacerdotis Melchiſedech, cujus *ordinem*, ac ſimilitudinem oblatio noſtra imitatur. Appellat propterea Cyrillus Jeroſolymitanus hanc oblationem Catecheſi v. myſtagogica τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ τῆς θυσίας τοῦ ἱλασμοῦ, *ſpiritale ſacrificium, cultumque incruentum ſuper ipſa propitiationis hoſtia* peractum: & Chryſoſtomus hom. 52. in S. Euſtathium Antiochenum, *Eſt*, inquit, *ſacrificium etiam ſine ſanguine: ſciunt hi, qui myſteriis initiati ſunt, quod dicitur*, ἔστι θυσία καὶ χωρὶς αἵματος. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον. Gregorius quoque Nazianzenus carmen xii. ad ſacerdotes Conſtantinopolitanos ſic incipit:

> Ὦ θυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆες,
> *O qui ſacra Deo offertis non tincta cruore.*

Deinde reſpondeo fundi etiam ſanguinem in Euchariſtiæ ſacrificio *myſtice*, dum calix conſecratur ſeparatim; qua conſecratione *vi verborum* ponitur *ut a corpore effuſus*, licet per *concomitantiam* cum ſanguine adſit etiam corpus, ut ſæpe diximus: atque hæc myſtica effuſio ſufficit ad ſacrificium, quod non eſt *cruentum*, ſed ſacrificium cruentum *in ſymbolis* repræſentat. Demonſtratur eadem effuſio myſtica in participio præſentis temporis, quo in Conſecratione calicis uſus eſt Chriſtus: quod abſque ulla contradictione Vulgata, Canon Miſſæ, & Cyprianus proferunt, *Quod effundetur*; quoniam etiam in cœna & in poculo Euchariſtico effuſus eſt *myſtice*, ſive ratione ſymboli, idem Chriſti ſanguis, qui fundendus erat in ſacrificio cruento crucis, *in remiſſionem peccatorum*. Relucet in hac myſtica immolatione etiam mutatio victimæ, ut explicatum eſt ſupra, & conſummatio in ſpecierum abſumptione, quæ eſt incruenti ſacrificii pars *integralis*, & complementum.

CAPUT XX.

Demonſtratur ſacrificium Miſſæ eſſe ſacrificium Propitiatorium.

PLura ſacrificiorum fuerunt genera, quæ a Theologis dividi ſolent vel ratione legis, vel ratione rei oblatæ, vel ratione ritus, vel denique ratione finis. Ratione legis alia ſunt ſacrificia *legis naturæ*, qualia obtulerunt Abel, Enos, Noe, Abraham, & Melchiſedech: alia *legis ſcriptæ*, quæ juxta Levitici mandata obtulerunt Aaron, & filii ejus: aliud ſacrificium *legis novæ*, de quo diſſerimus in præſentia. Ratione rerum oblatarum aliud eſt *Hoſtia*, ſeu victima, aliud *Immolatio*, aliud *Libamen*. *Hoſtia* appellabatur res animata, ut vitulus, ovis, hircus: *Immolatio* erat rei inanimatæ ac ſolidæ oblatio, ut ſimilæ, hordei, farris, aliarumque frugum, quæ torrebantur igni, molæ frangebantur, & conſpergebantur ſale: *Libamen* autem oblatio liquidorum, ut ſanguinis, vini, olei. His vero ſacrificiis utebantur etiam Gentiles, æmulante dæmone, ut ſæpe diximus, veræ Religionis myſteria. Conferas ſecundum caput Levitici cum primo libro Faſtorum Ovidii, ubi legitur:

> *Victima, quæ cecidit dextra victrice, vocatur,*
> *Hoſtibus a domitis hoſtia nomen habet.*
> *Ante, Deos homini quod conciliare valeret,*
> *Far erat, & puri lucida mica ſalis.*

Spectato ritu, ſive oblationis modo, aliud erat *Holocauſtum*, aliud *Hoſtia pacificorum*. In *holocauſto* tota comburebatur victima, quod demonſtrat ipſum vocabulum ab ὅλον, *totum*, & καίω, *uro*. Fundebatur in holocauſto ſanguis victimarum per altaris circuitum, deinde illæ adolebantur ſuper altare, juxta caput primum Levitici; & de gentium itidem holocauſtis in iv. Æneidum Virgilius:

> *Et ſolida imponunt taurorum viſcera flammis.*

In *hoſtiis pacificorum*, ſanguine effuſo, una pars igni conſumebatur, altera cedebat in uſum ſacerdotum, vel offerentium. Atque hinc apparet hoſtiarum & victimarum ſacri-

ſacrificia *cruenta* fuiſſe: immolationum autem, vel libaminum *incruenta*. Ratione denique finis ſacrificium vel eſt λατρευτικὸν, *Latreuticum*, quod ſpectat ad Dei obſequium, ſic appellatum a λατρεύω, *ſervio*, *colo*: vel εὐχαριστικὸν, *Euchariſticum*, quod offertur in gratiarum actionem, dictum ab εὐχαριστέω, *gratias ago*: vel *Impetratorium* oblatum pro beneficiis obtinendis; vel *Propitiatorium* pro remittendis peccatis, aut pœnis, ſuppliciiſque peccato debitis.

Igitur Novatores poſtquam coacti ſunt confiteri Patres univerſos commendaſſe Euchariſtiæ *ſacrificium*, ne prorſus errorem priſtinum retractarent, in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ dixerunt fideles in actione cœnæ *conſcientia fide erecta gratias agere pro beneficio & paſſione Chriſti, & uti ipſa ceremonia ad laudem, ut hac obedientia gratitudinem oſtendant, & teſteatur ſe magnificare dona Dei: atque ita fit ceremonia ſacrificium laudis. Hinc extitit appellatio Euchariſtia in Eccleſia*, &c. Quibus verbis fatentur admitti poſſe ſacrificium *Euchariſticum*, & *Latreuticum*, ſed non *propitiatorium*, & *impetratorium*: quamvis revera nullum proprium ſacrificium admittant, quia nullam agnoſcant oblationem Deo factam, atque his verbis nil affirmant aliud, niſi in Euchariſtia laudari Deum, & ei reddi grates. Nos itaque certiſſima fide tenemus valere plurimum Euchariſtiæ ſacrificium etiam ad remiſſionem, aliaque beneficia obtinenda; unde conſequitur offerri jure, meritoque non ſolum *pro conſcientiarum conſolatione, & gratiarum actione, ſeu laude*, ut legitur in citata Apologia, verum etiam pro aliis, tam viventibus, quam defunctis, quibus poteſt Chriſti paſſio applicari. Quamquam vero hæretici id præfracte negantes, ne oblationi crucis irrogetur injuria, refutati ſint capite ſuperiori; majoris tamen dilucidationis gratia proximas addo propoſitiones.

PROP. I. Incruentum Miſſæ ſacrificium eſt vere *Propitiatorium*.

Sacrificium enim propitiatorium eſt, quod offertur ad ſupremum Numen placandum, & pro remittendis peccatis, & peccatorum pœnis ſuppliciiſque avertendis. Tale eſſe ſacrificium Euchariſtiæ demonſtrant ea verba Lucæ XXII. 20. *Hic eſt calix novum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur:* quæ verba ob participium præſentis temporis, ἐκχυνόμενον, & Græcæ orationis ſyntaxim referuntur *ad poculum* Euchariſticum. Igitur Euchariſtiæ ſacrificium vere propitiatorium eſt. II. Idem probatur definitione Tridentini Concilii, cujus extat canon 3. ſeſſ. XXII. *Si quis dixerit Miſſa ſacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit*. III. Non receſſit Tridentinum in hoc ſtatuendo canone a traditione Majorum: nam ex Græcis Cyrillus Jeroſolymit. præcitata Catech. V. appellat hoc ſacrificium θυσίαν τοῦ ἱλασμοῦ, *hoſtiam propitiationis*: & Joannes Chryſoſtomus lib. VI. de Sacerdotio cap. 4. ait Sacerdotem, qui offert juge ſacrificium, *legatum & deprecatorem eſſe apud Deum, ut propitius fiat ταῖς ἁπάντων ἁμαρτίαις, οὐ τῶν ζώντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπελθόντων, omnium peccatis, non viventium modo, verum & mortuorum*. Ambroſius, ut recenſeam nonnullos quoque Latinorum, in Exhortat. ad Virgines, c. XIV. num. 94. ſacrificium, quod in templis offertur, appellat *hoſtiam ſalutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur*. S. P. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium de ſacrificiis altaris cap. 110. inquit: *Pro valde bonis actiones gratiarum ſunt, pro non valde malis* (loquitur de defunctis) *propitiationes ſunt*. Habet ſimilia quæſt. 2. num. 4. ad Dulcitium. IV. Idem Auguſtinus q. 57. in Levit. num 4. rationem ſuppeditat pro hac propoſitione firmanda: ſacrificia enim legis veteris erant propitiatoria. Igitur tale eſt *a fortiori* ſacrificium Euchariſticum in illis præfiguratum: *Illis ſacrificiis*, inquit, *unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum*.

PROP. II. Non pro viventibus tantum, verum etiam pro iis, qui cum pietate defuncti ſunt, hoc *propitiatorium* ſacrificium debet offerri.

Ita definit præcitato can. 3. Synodus Tridentina. Ac demonſtratur primo ex quo defunctorum complures *a peccatis* ſolvi poſſint; ut inquit Judas Machabæus lib. 2. Machab. cap. 12. qui etiam pro iis, qui in prælio ceciderant, obtulit ſacrificium: de qua re alibi. Interim ſufficiat advertere ex Machabæorum libris commendari *ſacrificium pro mortuis oblatum*, ut ait S. P. Auguſtinus in libro de Cura pro mortuis gerenda cap. 1. num. 3. Deinde, cum Auguſtinus eo loci ſcribat, *Etſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur, non parva eſt univerſa Eccleſia, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas*; propoſitio ex Eccleſiæ conſuetudine comprobatur. Apparet ea conſuetudo ex Chriſtianorum populorum Liturgiis: nam in Baſiliana, & Chryſoſtomiana ſacerdos orat: καὶ μνήσθητι πάντων τῶν κεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου, *Et memor eſt omnium dormientium in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ:* & infra, dum ſingulatim eos commemorat, pro quibus offertur, ait, ὑπὲρ ἀναπαύσεως, καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου, *Pro quiete, & remiſſione animæ ſervi tui*, N. Vide Euchologj. pag. 78. & 170. In Liturgia etiam, qua utuntur Syri, latine reddita ab Andrea Maſio, legitur: *Memento Domine ad aram tuam cæleſtem eorum omnium, qui tranſierunt de hoc mundo anguſtiarum pleniſſimo. Erue ipſos ex tenebris & caligine, appareatque eis facies tua pacifica, neque intres cum ipſis in judicium*, &c. Similia in Liturgiis aliis habentur. His accedunt *diptycha*, quæ olim tempore ſacrificii a Diaconis legebantur; quorum alia comprehendebant nomina Epiſcoporum, qui laude ſanctitatis inclaruiſſent; alia viventium Antiſtitum, Regum, eximiorumque virorum; & alia defunctorum, qui in communione deceſſiſſent, ut erudite demonſtrat lib. 3. de Eccleſ. Occiden. & Oriental. Conſenſ. cap. XV. num. 4. Allatius. Eamdem conſuetudinem exempla illuſtria confirmant: etenim in funere Conſtantini Epiſcopos, ac ſacerdotes precationes, & ceremonias peregiſſe, *Ut popula Dei in Eccleſia ſociaretur, diviniſque liturgiis, & myſtico ſacrificio, atque ſanctarum precum communione potiri mereretur*, narrat Euſebius in illius Vita lib. IV. cap. 71. pag. edit. Valeſii 562. S. Ambroſius obtulit ſacrificium pro anima fratris ſui Satyri, ut liquet ex libro 1. de hujus exceſſu num. 80. atque de Obitu Valentiniani num. 56. inquit: *Date manibus ſancta myſteria, pio requiem ejus poſcamus affectu: date ſacramenta cæleſtia, animam Nepotis noſtri oblationibus proſequamur*. De ſancta matre Monica hæc Auguſtinus ſcribit cap. ultimo libri IX. Confeſſ. *Namque illa imminente die reſolutionis ſuæ non cogitavit ſuum corpus ſumptuoſe contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit ſepulcrum patrium. Nam iſta mandavit nobis, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit, cui nullius diei prætermiſſione ſervierat, unde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum*, &c. Neque audiendi ſunt hæretici, quorum aliqui cum Melanchthone negant locutam Monicam de propitiatione ſacrificii, aliqui cum Calvino ajunt id condonandum vetulæ mulieris ſimplicitati, & aliqui cum Bucero dicunt viguiſſe conſuetudinem hanc in ſola Eccleſia Africana. Nam, ut prætermittam quæ adverſus hujuſmodi effugia profert lib. IV. Panopliæ cap. 53. Lindanus; Monicam hæc poſtulaſſe, *ligando animam ſuam vinculo fidei ad pretii noſtri ſacramentum, ne ſe interponeret vi aut inſidiis leo & draco, atque eſſes in pace cum viro*, tradit ibidem Auguſtinus; oratque ipſum librum legentes, ut ad altare Monicæ, & Patricii, dulciſſimorum Parentum ſuorum, reminiſcantur. Atque id rogaſſe Monicam, & Auguſtinum litteris conſignaſſe, juxta fidelium omnium conſuetudinem, conſtat ex dictis. Adde non in Africa, ſed apud Oſtia Tiberina parentem piiſſimam obiiſſe. Pro Auguſtini item anima oblatum ſacrificium commemorat in ejuſdem vita cap. 31. ſanctus Poſſidius: appellatque Caſſianus Collat. 2. cap. 5. ſacrificia pro mortuis *memoriam & oblationes pauſantium*. Vetuſtæ conſuetudini, de qua hactenus, accedit ſanctorum Patrum traditio, ipſorum teſtimoniis firmata. Ex Græcis Cyrillus Catech. V. pag. 539. interprete Grodecio ait: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio ſancti illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt, ſacrificii*. Epiphanius hæreſi 75. pag. edit. Petavianæ 908. connumerat inter errores Aerii, quod negaret *ſacrificia pro mortuis*, quod etiam ſcribit Auguſtinus de hæreſibus; & in Anchorato ait idem Epiphanius: ἐν ἁγίᾳ ἑβδομάδι ἐξ ὀνόματος τὰς μνήμας ποιοῦντες τῶν τελευτησάντων προσευχὰς τελοῦντες, καὶ λατρείας, καὶ οἰκονομίας, *In ſancta hebdomade nominatim defunctorum memoriam faciunt, offerentes preces, cultum, & ſacrificium*. Joannes Chryſoſtomus hom. 3. in Epiſtolam ad Philippenſes aſſerit ab Apoſtolis legem fuiſſe conſtitutam, *ut in venerandis, atque horrificis myſteriis memoria eorum fiat, qui deceſſerunt*, ſubjiciens, πῶς οὐ δυσωπήσομεν ὑπὲρ τούτων τὸν Θεὸν παρακαλοῦντες; *Quomodo Deum non placabimus pro iſtis orantes?* Ac Theophylactus in cap. 12. Lucæ ait non omnes, qui moriuntur, mitti in gehennam, quod a ſe dici teſtatur, διὰ τὰς ἐπὶ τοῖς κεκοιμημένοις γινομένας προσφοράς, *propter factas pro mortuis oblationes*. Quid vero Latini? Sacrificia pro mortuis commemorat Tertullianus de Corona Militis cap. 3. his verbis: *Oblationes pro mortuis annua die facimus*. Cyprianus epiſt. 66. ſtatutum refert ab anteceſſoribus Epiſcopis de illo, qui ad tutelam vel curam Clericos nominaverit, *ne offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Poſtremo Auguſtinus (hos enim ſufficit laudaviſſe) præcitato cap. 110. Enchiridii concludit: *Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis ſacrificium Mediatoris offertur*. Rationem, qua denique propoſitio ſuadetur, commonſtrat ipſemet Auguſtinus lib. XX. de Civit. Dei cap. 9. ubi ait: *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti; alioquin nec ad altare Dei fieret*

eorum

eorum memoria in communicatione corporis Chriſti ; ex quibus verbis eruo ratiocinationem iſtam : Cum ſacrificium Miſſæ, ut propitiatorium eſt, pro iis applicetur, qui poſſunt percipere fructus paſſionis Chriſti, debet pro iis offerri, qui ſpectant ad Chriſti regnum, ideſt corpori ejus myſtico conjuncti ſunt, & remiſſione ac propitiatione indigent. Sed plurimorum defunctorum animæ, quæ nimirum cruciantur in purgatorio, ſpectant ad regnum Chriſti, ejuſque corpori myſtico ſunt conjunctæ, atque egent condonatione, & remiſſione pœnarum, quibus excruciantur. Igitur ſacrificium propitiationis pro iiſdem animabus offerri debet.

PROP. III. Neque pro damnatis, neque pro Sanctis in cœlo regnantibus offerri poteſt ſacrificium tanquam *Propitiatorium* : pro ſanctis tamen civibus cæleſtis Jeruſalem aliis ex cauſis peragitur.

De damnatis probatur auctoritate Auguſtini ſcribentis in libro de Origine Animæ cap. 9. *Quis offerat corpus Chriſti, niſi pro iis, qui membra ſunt Chriſti?* Confirmatur exemplo Chriſti Domini, qui etſi pro omnibus in cruce oravit, & ſanguinem fudit, non tamen mortuus eſt pro iis, qui uſque ad mortem cor impœnitens habuerunt, & jam in parte diaboli computantur, ut docet idem S. Pater lib. XXI. de Civit. Dei cap. 24. Demonſtratur denique ratione, quoniam in perpetuum ſeparatis a Chriſto, & in carcerem, ubi nulla eſt redemptio, detruſis, applicari nequit Dominicæ paſſionis fructus ; qui ad eos tantum extenditur, qui vel ei uniti ſunt, vel ſaltem uniri poſſunt, quemadmodum demonſtravimus lib. XVII. & XVIII. differentes de univerſorum hominum redemptione. De Sanctis pariter theſis probatur ex Auguſtino, qui ſerm. 159. alias 17. de verbis Apoſtoli inquit : *Injuria eſt pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*, & Tract. 84. in Joan. *Ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus ; ſed magis, ut orent ipſi pro nobis*. Accedit ratio ; qui enim Beati ſunt, nullam habent peccati maculam ; & nulla excruciantur miſeria, a qua per ſacrificia oblationeſque liberentur. Plura de utraque hujus propoſitionis parte lib. XII. cap. 9. ubi pertractavi de præſenti ſtatu animarum ſanctarum, & libro X. cap. 17. in quo differui de pœnis dæmonum & damnatorum hominum ſempiternis. In memoriam tamen, & honorem ſanctorum ſacrificium multiplici ex cauſa offertur. Præcipuas tradit Synodus Tridentina ſeſſ. 22. c. 3. ideſt ut de illorum victoriis Deo gratias agamus : ut eorum patrocinium imploretur : ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Habentur ſimilia in Liturgia Miſſæ, in Catecheſi V. Cyrilli Jeroſolymitani, in libro 22. de Civit. Dei S. P. Auguſtini cap. 10. Epiſtola 34. Cypriani, & in Catechiſmo Romano P. 2. cap. 4. num. 73.

PRÆCEDENTIUM CONSECTARIA.

Ex dictis quædam inferuntur notatu digna. Ac primo, nunquam a nobis ſacrificium offerri Sanctis, ſed Deo, Domino univerſarum rerum ſupremo : unde Auguſtinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 27. ait : *Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus : Offero tibi ſacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cæleſti honore ſociavit : ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoria renovatione adhortemur?* Fere eadem leguntur in prælaudato capite tertio Tridentini Concilii. Riſu propterea excipienda eſt miſerrima illa hæreticorum comparatio, qua ſacrificia in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ Deo oblata ſolent iis æquiparare, de quibus Jeremiæ VII. 18. *Mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis*. II. Præterea ſequitur, ſacrificium *propitiatorium* pro omnibus viventibus eſſe offerendum, omnes enim vel uniuntur Chriſto, vel poſſunt uniri : ideoque etiam pro infidelibus ſceleſtiſſimiſque hominibus in ſacrificio rogamus, quoniam & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & pro omnibus orandum eſſe docet Apoſtolus, & id commendat Cyprianus ad Demetrianum ſcribens, & legimus olim ſacrificia peracta pro Nabuchodonoſor, pro Heliodoro, pro Spartiatis, & denique pro omnibus orat Eccleſia in ſancto die Paraſceves. Dum enim oramus, ut convertantur impii, ut catechumeni regenerentur baptiſmo, ut pagani & infideles Dominum noſtrum agnoſcant ; non tam pro his rogamus, quam pro Eccleſia Catholica, ut augeatur, & tranquilla pace fruatur. III. Quid vero de Excommunicatis? Pro his ſacrificium *nominatim* & *publica oblatione* offerre nefas eſt, ut conſtat ex cap. *A nobis*, de ſent. Excommunicat. num. 28. & ex cap. *Sacris*, eodem tit. num. 38. ſed licet tamen privatim pro eis orare, ut redeant ad unitatem, & communionem fidelium, uti docent graviſſimi Theologi, Soto diſt. 22. quæſt. 1. Suarez in 3. p. quæſt. 83. art. 3. Sylvius in eumdem articulum q. 9. Cardinalis Gotti de Sacrif. t. q. 2. dub. 2. §. 2. & aliis. Qui vero oppoſitum cenſent, ni fallor, accipiendi ſunt de oblatione facta pro Eccleſia ejuſque membris, cujus excommunicati nequeunt eſſe participes, ſi vitandi ſint, nec tolerati ab eadem Eccleſia. IV. Movent nonnulli quæſtionem de Catechumenis, & de excommunicatis, ſi moriantur priuſquam illi baptizentur, & illi reconcilientur Eccleſiæ ; ſed attendendum eſt, quomodo obierint : nam ſi Catechumeni fuerint in numero *Competentium*, & deceſſerint cum voto baptiſmi, computantur inter fideles ; ſecus ſi fuerint in claſſe *Audientium*, & regenerationis ſacramentum neglexerint. Facile conciliantur hac diſtinctione ſententiæ, non re, ſed nomine tenus oppoſitæ. Pro excommunicato, ſi ante ejus mortem *manifeſta pœnitentiæ ſigna præceſſerint*, offerendum ſacrificium tradidit Innocent. III. præcitato cap. *A nobis*, hac producta ratione, *Quia etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit*. Quoniam tamen, licet quoad vinculum culpæ ſolutus ſit apud Deum, non abſolvitur apud homines, niſi quando ſententiæ vinculum relaxatur ; priuſquam pro tali excommunicato ſacrificii *publica oblatio* fiat, debet ei etiam defuncto beneficium abſolutionis impendi. Refert S. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 23. corpora duarum monialium, quas ob linguæ intemperantiam S. Benedictus excommunicatione innodaverat, clamante diacono, *Si quis non communicet, det locum*, de ſepulcro exiiſſe, & a S. Benedicto abſolutas, iterum monumentum ingreſſas, ſacræ oblationis fuiſſe participes. V. Certum eſt pro iis, quibus ſacrificium eſt propitiatorium, etiam *impetratorium* eſſe, ſcilicet, offerri pro pace, pro tranquillitate, pro peſtilentia avertenda, pro peregrinantibus, pro infirmis, & pro omnibus, qui egent auxilio. Certum quoque eſt, ſacrificium pro ſanctis oblatum partim eſſe *Euchariſticum*, partim *propitiatorium*, ut recte Eſtius diſt. XII. §. 15. eodem quippe ſacrificio aguntur Deo gratiæ pro ſanctorum glorificatione ac triumpho, nobiſque impetratur venia eorumdem ſanctorum interceſſionibus. At quæri ſolet, an comparate ad ſanctos poſſit ſacrificium appellari etiam *impetratorium* : quod multi quidem affirmant, quoniam ſanctis, ut diximus Volum. 1. pag. 87. majorem in Eccleſia cultum, & *accidentalem* gloriam apprecamur. Verum hoc non eſt proprie aliquid impetrare pro ſanctis, ſed potius impetrare nobis gratiam, ut ſanctos digno honore proſequamur ; quemadmodum non oramus pro Deo, ut ei aliquid impetremus, quando frequentiſſime dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*. Vide Sylvium in prælaudatum articulum quæſt. XI. tom. IV. pag. Venet. edit. 329.

CAPUT XXI.

De Miſſis privatis, *quæ aguntur ſine adſtantium communione*.

Miſſa nunquam proprie loquendo *privata* eſt, nam quælibet miſſa eſt commune & publicum ſacrificium, a publico & legitimo miniſtro peragitur, ritu publico & probato ab Eccleſia offertur, & pro publica commoditate, ideſt, pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebratur. Invaluit tamen uſus, ut *privatæ* dicantur eæ Miſſæ, in quibus ſolus ſacerdos *ſacramentaliter* communicat, & quæ vel aguntur abſque publico conventu populique frequentia, vel celebrantur a presbytero abſque ſacrorum miniſtrorum, clericorumque comitatu. *Solitariæ* etiam hæ Miſſæ dici ſolent, atque ut habetur cap. *Et hoc attendendum*, de Conſecrat. diſt. 2. numer. 52. *Miſſæ peculiares*. Privatas ergo Miſſas damnant communiter Novatores, eo quod negantes veri ſacrificii oblationem, velint Miſſam eo tantum fine inſtitutam, ut porrigatur ſacramentum his, qui petunt : eas autem miſſas, in quibus non miniſtratur communio, & ceteras omnes, præter unam communem & publicam, porrigendi ſacramenti gratia ſervatam, nonniſi quæſtus cauſa inductas eſſe, ajunt hæretici Confeſſionis Auguſtanæ tertio articulorum, in quibus recenſent quæ ipſi mutarunt. Lutherus *de abroganda Miſſa privata* librum edidit dæmone inſtigatore, ut ipſemet teſtatur tom. VII. pag. 228. edit. Vittemb. eique poſtea Novatores alii acceſſerunt. Scripſerunt autem pro Miſſis privatis Joannes Cochlæus in præcitatum articulum 3. Conſ. Auguſtanæ, Bellarminus de Euch. lib. VI. cap. 9. Veranus tom. 3. Theologiæ Polemicæ l. VIII. cap. 10. Bona lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 14. Eſtius in IV. diſt. XII. §. 17. Sylvius in 3. p. qu. 83. art. 5. ut mittam alios recentiores innumeros, in quibus nil occurrit, quod fuerit ab illis prætermiſſum. Nos, ut undequaque hæreticos exagitemus, primo demonſtraturi ſumus *privatas* Miſſas agendas eſſe ; deinde male hæreticos, iis ſublatis, ſtatuiſſe unam tantum Miſſam communem ad miniſtrandum fidelibus ſacramentum ; poſthac multitudinem Miſſarum non eſſe inductam

dictam

ductam quæſtus cauſſa, aut pravo aliquo fine. Addemus poſtremo quæſtionem nuperrime exortam, quaſi hujus diſputationis maniſſam.

PROP. I. Miſſæ *privatæ* nullo Theologico argumento demonſtrari poſſunt illicitæ.

Si enim illicitæ forent, id eſſet, quoniam iſtiuſmodi Miſſis aut violaretur Chriſti præceptum, aut intmſa eſſet conſuetudo repugnans veterum inſtitutis ac traditionibus, aut profanaretur Eccleſiaſticum miniſterium; ad hæc enim capita reducuntur hæreticorum calumniæ & mendacia. Atqui nulla harum rerum evincit *privatas* Miſſas eſſe illegitimas; ſed hiſce potius capitibus apparet retinendas eſſe, & ſummopere commendandas. Igitur ex nullo capite *privata* Miſſa demonſtratur illegitima, illicita, & reprobanda. Probatur minoris propoſitionis pars prima. Nullum in ſacris litteris invenitur præceptum, ut ſacerdotes publice tantum, & in conventu Eccleſiæ offerant ſacrificium, neque ut a communicando abſtineant, quando nullus adeſt laicorum, qui ex eorum manibus percipiat communionem. Duntaxat Apoſtolis mandatum eſt, ut etiam non conſectantibus diſtribuant Euchariſtiam; ſed ut diſtribuant ſemper, & quotieſcumque ſacrificant, tantum abeſt quod præſcriptum ſit, quin vetitum eſt, ne dent *ſancta canibus*, neque indignis porrigant ſacramenta, ideoque ſi peragant rem divinam, ipſorum eſt diſpenſandæ communionis dijudicare locum, tempus, atque opportunitatem. II. Probatur ejuſdem minoris pars altera. Quemadmodum ſemper fuit liberum fidelibus accedere ad communionem, vel ab ipſa abſtinere; ita ſemper liberum Sacerdotibus, non urgente neceſſitate, publice, aut privatim offerre: nam Marcellum Papam rem divinam peregiſſe in domo Lucinæ commemorant ipſius acta: Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in laudem Patris ſui, aſſerit illum in cubiculo privatim egiſſe ſacrum: Ambroſius Romæ in quadam domo trans Tiberim, auctore Paulino in ejus Vita, obtulit ſacrificium: S. Paulinus Nolanus paucis ante obitum horis, Uranio teſte, idem fecit in altari ante lectulum ſuum præparato: Lucianus martyr attritus vulneribus, & ara deſtitutus ſupra pectus ſuum, ut narrat lib. 2. Hiſt. Eccl. Philoſtorgius, ſacra myſteria peregit: Theodoretus ſacrificium obtulit in cellula Maris monachi, ut ipſemet narrat capite Hiſtoriæ Religioſæ viceſimo. Ex omnibus hiſce exemplis apparet ſaltem celebratam fuiſſe miſſam abſque cœtu fidelium; & ex his, quæ dicta ſunt de Patre Gregorii Nazianzeni, de Paulino Nolæ Epiſcopo, & de Luciano, etiam infertur in ſacrificiis prælaudatis neminem, ſacerdotibus exceptis, communicaſſe. Demonſtrant autem vetuſtiſſimam *privatarum* Miſſarum conſuetudinem argumenta alia complura; quorum tria tantum producam. Sit primum: Non omnes fideles Chryſoſtomi ætate, & ſubſecutis temporibus quotidie communicabant, cum tamen multi Sacerdotes quotidie ſacrificarent, nemine ad ſacram communionem accedente: nam Chryſoſtomus adverſus eos, qui tantum in Quadrageſima ad ſacra accedebant myſteria, Hom. 3. in Epiſt. ad Epheſios, inquit: *Fruſtra eſt quotidianum ſacrificium: fruſtra adſtamus altari: nemo eſt, qui participet*: *εἰκῆ θυσία καθημερινή, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων*, & hom. 17. in Epiſt. ad Hebræos, *Multi*, inquit, *hujus ſacrificii ſunt participes ſemel toto anno: alii autem bis: alii vero ſæpe*, *πολλοὶ τῆς θυσίας ταύτης ἅπαξ μεταλαμβάνουσι τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ, ἕτεροι δίς, ἄλλοι πολλάκις*. Caſſium Narnienſem quotidie celebraſſe, ſive adeſſent, ſive non adeſſent communicantes, ſcribit S. Gregorius Hom. 37. in Evangelia. Quotidie pariter ſacrificaſſe ſanctum Goar anachoretam, S. Geremarum abbatem Flaviacenſem, Licinium Andegavorum epiſcopum, aliosque quamplurimos ſæculo 6. ac 7. demonſtrat Præf. in 2. ſec. Benedict. Joannes Mabillon. Illo itaque tempore Miſſarum *privatarum* numerus erat maximus. Sit vero argumentum alterum: Leontius Cyprius in Vita S. Joannis Eleemoſynarii cap. 41. hæc beati viri profert verba: *Ego propter vos deſcendo in ſanctam Eccleſiam: nam poteram facere mihimet miſſas in Epiſcopio*. Adeas Vitas Patrum Roſweydi pag. 201. Igitur teſtimonio hujus Archiepiſcopi Alexandrini, laudibus Romani Martyrologii XIII. Januarii, Græcorumque Menologii XII. Novembris, multorumque ſcriptorum celeberrimi, ſcilicet, Joannis, manifeſtum eſt licitas eſſe *privatas* Miſſas, ac publice agi ob ſolum commodum populorum. Sequitur argumentum tertium: Anno 506. Concilium Agathenſe canone 18. juſſit ut ſæculares communicarent ter in anno, ideſt, *in die Nativitatis Domini*, *Paſchatis*, *& Pentecoſtes*: canone autem 47. mandavit ut *ſingulis diebus Dominicis* ipſimet ſæculares Miſſam audirent. Sexto itaque ſeculo ineunte debebant Paſtores animarum ſingulis Dominicis Miſſas agere, quamvis nemo laicorum vellet ſacramentum percipere; ideoque tunc temporis Miſſæ ſine adſtantium communione frequenter peragebantur. III. Probatur tandem minoris propoſitionis pars tertia. Quotieſcunque offertur Deo verum ac perfectum ſacrificium, quo redditur cultus ipſi Deo, quo celebrantur Sanctorum memoria, quo fidelibus vivis atque defunctis pax, venia, requies, omniaque bona impetrantur; non profanatur, ſed ſummo honore afficitur ſacerdotale miniſterium. At in ſacrificio Miſſæ, tametſi nullus laicorum myſteria ſacra percipiat, offertur Deo ſacrificium hujus generis, ut demonſtratum eſt duobus præmiſſis capitibus. Igitur in ſacrificio Miſſæ *privatæ* honore afficitur, non profanatur Eccleſiaſticum miniſterium. Recte idcirco Carolus V. & Catholici Principes præcitatum tertium articulum Confeſſionis Auguſtanæ hac animadverſione perſtrinxerunt: *Super omnia reprehenſione dignum eſt, quod miſſæ privatæ in quibuſdam locis deſierunt. Hac enim abrogatione miſſarum cultus Dei minuitur, ſanctis ſubtrahitur honor, ultima voluntas defunctorum corruit & irrita fit, debitis defuncti ſpoliantur ſuffragiis, & vivorum devotio aufertur & frigeſcit*. Vide Harmoniam Confeſſionis Auguſtanæ edit. Coloniæ anno 1573. pagina 469.

PROP. II. Impie, & ſacrilege hæretici unam tantum Miſſam communem, reprobatis ceteris, commendant & prædicant.

Hujus impietatis & ſacrilegii enormitatem refellit principio audacia, qua unius ſacrificii, in locum omnium veterum ſubrogati, repetitas oblationes, cum tanto Chriſtianæ pietatis divinique cultus detrimento de medio tollunt, atque etiam novum & ſingularem illum ritum, quem alii *Cœnam*, alii *communem Miſſam* appellant, abſque vera celebrant oblatione: quod utique quam ſceleſtum ſit, quam ſacrilegum atque nefarium, evidentiſſime apparet ex dictis. Deinde, cum ad majorum conſuetudines provocent, (qui alias, dum ſua intereſt, nil habent magis ſolemne, quam parvipendere traditiones majorum) comprobat miſſarum multitudinem ingens numerus ſacerdotum: inter quos lege Honorii & Theodoſii in ſola Conſtantinopolitana Eccleſia conſtituti ſunt *nongenti & quinquaginta decani*, ut conſtat ex Cod. Juſtiniani tit. de Sacroſanctis Eccleſ. l. *Non plures*, atque in Eccleſia Romana initio ſchiſmatis Novatiani, prout ſcribit S. Cornelius apud Euſebium lib. VI. H. E. cap. 43. pagina Valeſianæ editionis 244. connumerabantur, clericis aliis exceptis, *presbyteri quadraginta*. Præterea ab Eccleſiæ incunabulis conſuetum fuit alios præter Parochos & Eccleſiarum rectores ad ſacerdotium promovere: quæ ſane promotio fuiſſet fruſtranea, ſi præter unam communem Miſſam a Parochis pro commoditate populi agendam, celebratæ non eſſent abſque *collecta* & *ſynaxi* Miſſæ ſolitariæ ac privatæ. Rurſus non leve pro Miſſarum multitudine argumentum deſumitur ex privatis Oratoriis, quorum duo in ſummitate Caſſini montis ædificavit S. Benedictus, quatuor in ſuo Monaſterio S. Maurus ejus diſcipulus, alia plura laudant lib. 1. Inſtitut. Laicalium Joannes Aurelianenſis, ceterique Eccleſiaſtici Scriptores apud Eminentiſſimum Cardinalem Bonam citato in loco. Permultas deinde Miſſas eodem die celebratas demonſtrat idem præſtantiſſimus Auctor ex Conſtitutionibus Angelberti Abbatis, ex antiquitatibus Fuldenſium, ex multitudine altarium in eadem Eccleſia, atque ex monumentis aliis Eccleſiaſticæ eruditionis, ex quibus ſatis eſt hæc tantummodo produxiſſe.

PROP. III. Fruſtra calumniantur hæretici multitudinem Miſſarum pravo fine fuiſſe introductam.

Ut jure a ſe abrogatas fuiſſe *privatas* Miſſas perſuadeant gregariis ſuis hæretici peſtilentiſſimi, has obtendunt cauſas, quod collatæ ſint ad quæſtum, & celebrentur tantum propter mercedem atque ſtipendium: quod a nobis Miſſæ fiant pro quotidianis delictis; & quod agantur etiam pro mortuorum ſuffragiis. At vero poſtremæ duæ cauſæ paullo ſupra refutatæ ſunt: & in hoc potius hæretici maximo detinentur errore, quod repetunt a ſola fide juſtitiam, contemnunt ſacrificia, & peſſime ſentiunt de ſtatu animorum a corpore ſeparatorum. Quod pertinet autem ad ſtipendium, nemo noſtrum pecuniam, aut rem aliquam recipit *tamquam ſacrificii pretium*; nec eſt qui ignoret ſimoniacum & damnatum eſſe pro ſpirituali opere mercedem repetere temporalem. Verum ſtipendium recipere, non tamquam pretium ſacrificii, ſed ratione *propriæ ſubſtentationis*, res eſt Apoſtolicis teſtimoniis, Eccleſiæ praxi, & omni jure probata. Etenim Apoſtolus in priori ad Corinthios IX. 13. ait: *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* Deinde ſtipendia hæc, ſive potius eleemoſynæ pecuniariæ ſucceſſere oblationibus, quæ initio Eccleſiæ fiebant non tantum pro ſacrificii materia, verum etiam pro uſu miniſtrorum & pauperum. Nemo præterea eſt, qui non laudet pietatem ac religionem aut Caroli Francorum Regis cognomento Calvi, qui Monachis S. Dionyſii pro Miſſis agendis dedit villam *Scindeliciarum*, aut Ludovici Pii, qui pariter eo fine Parochialibus, & viris religioſis territoria legavit, aliorumque plurium, de quibus legendi ſunt Grodegandus in Regula Canonicorum, Bona laudato in loco, Mabillon Præf. 1. in ſæculum 3. num. 63. Du Cangius v. *Eleemoſynæ*. Ratio denique poſtulat, ut quiſquis officium ſuum impendit aliis ſpiritualia miniſtrando, temporalibus adjumentis, ſtipendiis, ac privilegiis fruatur, ſpectatis quoque legibus Imperatoriis, de quibus dixi libro XX. cap. 17.

At ob-

Digitized by Google

At objiciunt hæretici: Chriſtus ait, *Hoc facita in meam commemorationem*: ſed ipſe quando conſecravit, diſtribuit: ergo ſacerdotes, dum conſecrant, debent Euchariſtiam diſtribuere. Rurſus Apoſtolus ad Corinth. x. 16. appellet panem, quem frangimus, *participationem corporis Domini*, & cap. xi. 20. ſcribit, manducaii *Dominicam cœnam* in Eccleſia, ubi in unum conveniunt plures; ideoque privata Miſſa, in qua Euchariſtia non frangitur, nec diſtribuitur, & ad quam non conveniunt communicantes, non eſt *Cœna Dominica*. Præterea in Latinorum Liturgia habetur. *Ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus*, ibique leguntur alia verba, quæ ſignificant adſtantium communionem, in omnibus fere precibus, quas ob præſentium multitudinem *Collectas* dicimus. Deinde Orientales, ut conſtat ex eorum Liturgiis, quæ nullo negotio eb omnibus conſuli poſſunt, nunquam ſine communicantibus Miſſas agunt. Ad hæc canon. decimus inter Apoſtolicos privat communione fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, *nec ſanctam Communionem percipiunt*; ita enim legitur in vetere Conciliorum editione Petri Crabbii, & in primo Volumine Conciliorum editionum ceterarum. Inſuper Chryſoſtomus citata Hom. 3. in Epiſtolam ad Epheſios ait, *fruſtra* fieri quotidianum ſacrificium, *ſi nemo ſit, qui participet*: additque comparationem ejus, qui ad convivium invitatus, ſi manus laverit, & accubuerit, deinde particeps non fuerit menſæ, eum, qui invitavit, afficit contumelia. Ad quæ non aliud habemus quod reſpondeamus, quam hæc κατ' ὑπερβολὴν dicta eſſe, ut lib. 2. de Miſſa cap. 10. ait Bellarminus. Ulterius S. Franciſcus in Epiſtola ad Sacerdotes ſui Ordinis inquit: *Moneo præterea & exhorter in Domino, ut in locis, in quibus morantur fratres, una tantum Miſſa celebretur in die, ſecundum formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ; ſi vero in loco plures fuerint ſacerdotes, ſit per amorem caritatis alter contentus audita celebratione ſacerdotis alterius*. Unam ergo Miſſam in die commendat vir ſanctitate clariſſimus, idque ſecundum inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ. Rurſus Walafridus Strabo lib. de Rebus Eccleſiaſticis cap. 22. circa finem, & Humbertus Cardinalis in Reſponſione ad Nicetam cognomento Pectoratum docent legitimam eſſe Miſſam, perfectamque Cœnæ Dominicæ commemorationem, in qua eſt fractio, benedictio, & diſtributio, interſunt autem ſacerdos offerens, reſpondens, & communicans. Denique in eſu Agni plures ad eamdem cœnam conveniebant, ut habetur capite Exodi duodecimo: erat autem Agnus ille typus convivii Euchariſtici; quod proinde inſtitui non debet abſque cœtu fidelium, & convivarum.

Reſp. ad primum impleri a ſacerdotibus mandatum Chriſti, etiam dum celebrant *privatas* Miſſas, quantum attinet ad ſacrificium, & hoſtiæ conſecrationem, oblationem, & conſumptionem: in eo autem præcepto *Hoc facite, &c.* diſtinguenda ſunt quæ pertinent ad ſubſtantiam rei, & quæ ad loci, vel temporis circumſtantias: ad ſubſtantiam ſpectat, quod agantur Deo gratiæ, benedicantur & conſecrentur oblata, de his participet qui ſacrificat, & hæc omnia fient in commemorationem paſſionis Chriſti, his enim conſtat Euchariſtici ſacrificii finis, ratio, & *eſſentia*: quod vero huic ſacrificio adſit populus, communionem petat, & porrigatur illi una, vel utraque ſpecies, idque fiat in hujus, vel alterius loci, aut temporis circumſtantiis, iſtud non attinet ad ſacrificii *ſubſtantiam*, & arbitrio Rectorum Eccleſiæ relictum eſt: alioqui ſi omnia, quæ Chriſtus fecit, caderent ſub præcepto; poſt cœnam, ſemel in anno, a diſcumbentibus, feminiſque ſecluſis, Euchariſtia eſſet percipienda. Diſtinguenda eſt itaque prima propoſitio, Chriſtus ait, *Hoc facite in meam commemorationem*, omnia, quæ fecit, eadem ratione præcipiens, nego: relinquens Paſtorum diſpoſitioni quæ non ſpectant ad ſacrificii ſubſtantiam, concedo. Huic communi reſponſioni aliam addo: Chriſtus in ultime cœna non ſolum communionem diſtribuit, ut objiciunt hæretici; ſed etiam inſtituit verum ſacrificium, ut demonſtratum eſt ſupra. Juſſit utique, ut in ejus memoriam idem fieret in Eccleſia, ſed non juſſit ut utrumque fieret *ſimul*; ideoque poteſt communio diſtribui & ſacrificii tempore, & extra: & quemadmodum populus frequenter percipit a ſacerdote communionem, licet ſacerdos tunc non offerat ſacrificium; ita ſacerdos poteſt ſacrificium offerre, etiamſi nullus e populo percipiat communionem. Ex Apoſtolo nihil aliud colligitur, niſi communione percipi *corpus Chriſti*, & iſtud fidelibus diſtribui *convenientibus in unum*; at hinc non ſequitur idem corpus nunquam fuiſſe oblatum abſque conventu, & participatione fidelium; quemadmodum non ſequitur fidelium quamplurimos nunquam privatim, & abſque congreſſu, aliorumque conventu idem ſacratiſſimum corpus manducaviſſe. Cœna autem Dominica communis dicitur, quoniam pro omnibus eſt inſtituta, omnibus legitime petentibus miniſtratur a Parochis, omneſque eumdem omnino panem accipiunt. Quod ſequitur de Liturgiis hac ratione diluitur. Sacerdos etiam in Miſſis privatis, in quibus nullus alius communicat, pronuntiat numero multitudinis ea verba, *Ut quotquot ex hac altaris participatione, &c.* quoniam multi ſæpenumero, etſi non ſemper, de altari participant, nonnulli communicant ſpiritualiter; & ſacerdos ſuo, aliorumque fidelium nomine offert, & orat. Ceterum ab hæreticis illud petendum eſt, qua fronte ipſi talia verba objiciant, quæ ſacrificii oblationem, & uberrimum fructum expreſſe ſignificant, & quæ proinde hæreticos ipſos confodiunt, ac premunt. *Collectas* vero eſſe orationes ſolius Miſſæ publicæ ſcripſerunt Micrologus, Honorius Auguſtodunenſis, Innocentius III. & alii apud Lupum de Præſcript. pag. 752. nec probabilitate caret, fuiſſe olim prætermiſſas in ſacrificiis privatis: ſed jure, meritoque in his etiam recitantur, cum ſacerdos fungatur legatione pro populo, & oret pro Eccleſia univerſa. Proxima objectio petita ex moribus Orientalium facit plurimum contra adverſarios: Græci enim ſæpiſſime offerunt ſine populi communione, quamvis finita publica Miſſa ſoleant præſentibus diſtribuere *panem*, unde exciſa eſt oblata, & quem non Euchariſtiam appellant, ſed ἀντίδωρον, quaſi *loco ſacramenti* datum. *Qui non credit* (ait Allatius increpans mendacia Chytræi lib. 3. Conſ. Eccleſiarum cap. 15. nu. 3.) *adeat ipſas Græcorum Eccleſias ubicumque terrarum conſtitutas; in omnibus ſacerdotes ut plurimum, nulla interveniente communione, tum privatim, tum publice celebrant.* Proximum argumentum ex canone x. inter Apoſtolicos, ſolvendum eſt ab hæreticis, qui negant fideles obſtringi præcepto aliquo Eccleſiaſtico. Deinde non damnantur eodem canone, qui in Miſſis ſingulis non communicant, ſed qui, dum communicant alii, conſuetudinem Eccleſiarum perturbant & aſpernantur, quod in Eccleſiæ primordiis erat occaſio ſcandali: atque id manifeſtum eſt ex verbis, quæ ſubjiciuntur, *veluti inquietudines Eccleſiæ commoventes*, ſive, ut eſt in Græco, & apud Dionyſium Exiguum, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντες τῇ ἐκκλησίᾳ, *ut confuſionem afferentes Eccleſiæ*. Ex eodem Græco textu eruitur reſponſio altera, nam canon ille Apoſtolicus ita in Græco extat: Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. *Quicumque fideles Eccleſiam ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque uſque ad preces & ſanctam communionem permanent, eos tamquam qui ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, a communione arceri oportet*. Atque hæc verſio eſt Haloandri, & collatione 2. canonis Antiocheni, necnon interpretatione Zonaræ probatur a Voſſio diſput. 22. theſi 2. ubi idem Voſſius concludit: *Itaque ſententia canonis erit, non ut quiſque, quoties adeſt, communicet, ſed ne, nec dum peracta communione diſcedat*. Objectio pariter deprompta ex verbis Chryſoſtomi valet ad hæreticos revincendos: nam ſi ille quotidianum offerebat ſacrificium, quamvis nullus perciperet communionem, niſi bis, aut ſemel in anno; optime profecto noverat hujuſmodi ſacrificii oblationem non eſſe illicitam, aut illegitimam. Non eſt ergo cur hæretici ſubiraſcantur doctiſſimo Bellarmino agnoſcenti in oratione Chryſoſtomi rhetoricam quamdam hyperbolem. Adde ſanctiſſimum & eloquentiſſimum Archiepiſcopum reprehendere negligentiam eorum, qui perraro communicabant, & parabolam invitantis ad menſam ad eos eſſe directam, qui nec dominicis diebus, nec quando ille ad communionem hortabatur, ſeſe corpore Domini reficiebant: nam Hom. XVII. in Epiſtolam ad Hebræos, quam ſupra laudavimus, profitetur a ſe neminem compelli ad quotidianam ſynaxim, neque ſe magis acceptare, qui ſemel in anno, quam qui ſæpius, aut qui raro communicant: optare tamen, ut accedant qui mundo ſunt corde; hi vero, qui tales non ſunt, nunquam id audeant. Quæ proxime ſequitur objectio, a Joanne Eckio in Enchiridio, & a Bellarmino lib. 2. de Miſſa cap. 10. ſolvitur negando illam epiſtolam revera conſcriptam fuiſſe a Sancto Franciſco, aut, ſi genuina eſt, de alia die accipiendam, quam de feria V. majoris hebdomadæ. Wadingus, aliique exponunt Seraphici Patris verba de Miſſa conventuali. Cardinalis Bona lib. I. Rerum Liturgicarum cap. XV. num. 6. ait ea verba, *ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ*, ad ritum Miſſæ, non ad conſuetudinem, quæ eo temporis obtinuerit, eſſe referenda, virumque ſanctiſſimum humilitatis cauſa fratres monuiſſe, ut uni adeſſent oblationi, ne ex frequentiori celebratione fierent tepidiores. Videtur hæc poſtrema reſponſio planior, & ceteris præferenda. Joſeph Vicecomes volum. 3. de Rit. Miſſæ cap. 29. pag. 279. demonſtrat ætate beati Franciſci in Eccleſia Romana celebratas fuiſſe *privatas* Miſſas complures, & fuiſſe tantum in more poſitum apud aliquos Cœnobitas agere Miſſam unam, ad quam omnes convenirent: quod de Carthuſianis, aliiſque Monachis affirmat ipſemet Bona cap. XVIII. ejuſdem libri. Hinc eruo aliam reſponſionem, traditæ ab Eminentiſſimo Scriptore non repugnantem, probatam vero ab Eman. Gonzalez in 3. Decretal. tit. 41. pag. 796. ſcilicet, Seraphicum Patriarcham adhortatum fuiſſe (non tamen mandaſſe) ut ſui in agendis Miſſis conſuetudini potius aliorum Cœnobitarum, quam ceterorum Preſbyterorum ſeſe accommodarent. At proxima argumentatio hæreticorum nullius eſt ponderis: quamquam enim in diſtributionem Euchariſtiæ repræſentetur aliqua Chriſti actio peracta in ultima cœna, ut

na, ut docent Walafridus & Cardinalis Humbertus: tamen in Miſſa (etſi fiat abſque tali diſtributione) continetur quidquid ſpectat ad *eſſentiam* ſacrificii, in poſtrema illa cœna inſtituti, & repræſentatur paſſio Domini, & Sanguinis ejus effuſio, immo, ut docent qui Miſſæ exponunt myſteria, quidquid Chriſtus Jeſus pro humani generis redemptione peregit. Ultima quoque objectio ſolvitur quamfaciliſſime; tum quia neceſſum non eſt, ut figuræ per omnia reſpondeant veritati: tum quia totus Agnus non poterat ab uno manducari, & Chriſtus integer ſumitur tam a ſingulis, quam ab uno: tum denique, quia nec cœna Paſchalis erat *una communis*, ſed per ſingulas domos familiæ ad eſum Agni conveniebant, juxta præceptum Domini, Exodi XII. 3.

APPENDIX.

In quæſtionem cadit, an ſacerdos *privatim* Miſſam celebrans teneatur laicis petentibus Euchariſtiam diſtribuere. Videntur præſtantiſſimi Theologi ſupponere non adeſſe tale præceptum, niſi qui celebrat ſit Parochus. Nam Bellarminus præcitato lib. 2. de Miſſa c. 10. num. 13. ſolvens argumentum adverſus *privatas* Miſſas petitum ex Liturgiis, quæ innuunt diſtributionem Euchariſtiæ, ait: *Semper fieri poteſt, ac debet Sacramenti diſtributio in Miſſa eorum ſacerdotum, qui curam animarum ex officio gerunt, ſi ſint aliqui parati ad communicandum*. Eſtius pariter in IV. diſt. 12. §. 18. ſcribit: *Præſentibus* (agit de Miſſis privatis) *ac legitime petentibus ejus communio negari non debet, cum hoc Sacramentum ſit inſtitutum in cibum fidelibus omnibus communem*. Nec vero dubium eſt, quin *legitime* petat, qui petit a Parocho. Franciſcus Sylvius in 3. part. quæſt. 83. art. 5. animadvertit idem aſſerendum non eſſe de ſacerdotibus, qui animarum curam non gerunt; atque hinc depromit pro Miſſa privata argumentum iſtud: *Certum eſt vetuſtiſſimam eſſe conſuetudinem ordinandi Preſbyteros etiam eos, quibus nulla animarum cura incumbit: ergo hi poterant celebrare, neque tamen obligati erant populum fidelem communicare*. Similia apud Theologos alios occurrunt, ac tam perſpicua, ut nulla egeant explicatione. Hugo Grotius in Annotatis ad conſultationem Caſſandri *de ſolitariis Miſſis* ait laicos admittendos ad communionem, & invitandos, ut communicare velint, cum apud Græcos id nunc quoque fiat, & in Occidentis monaſteriis multis, & dicat Henricus Gorichemus, *teneri Presbyterum admittere laicos cupientes communicare*. At fallitur Grotius obtendens conſuetudinem Græcorum; Henricus itidem de Gorichem in Tract. de Effectu Miſſæ prop. 23. loquitur de Parochis, reprehendens paſtores quoſdam ſuæ ætatis, qui ægre ferebant nonnullos parochiæ ſuæ ſubjectos frequenter petere divini ſacramenti communionem; id, quod Georgius Caſſander tradiderat in præcitata Conſultatione. Eadem ſententia, quod ſacerdotes Miſſam celebrantes teneantur miniſtrare Euchariſtiam fidelibus, qui paratos ad ipſam recipiendam ſe exhibent, ac petunt ſacrificii, cui adſtant, fieri participes, paullo ante pullulavit in nonnullis Italiæ diœceſibus: atque hac de cauſa dedit ad Italiæ Epiſcopos litteras Apoſtolicas die XIII. Novembris præteriti anni MDCCXLII. vigilantiſſimus Eccleſiæ Paſtor BENEDICTUS XIV. His autem litteris controverſia tota dirimitur. Inde enim arcitur Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, & quas *ſolitarias* appellant, jure meritoque celebrari, quemadmodum definivit Tridentina ſynodus, atque nos argumentis plurimis demonſtravimus. Aſſeritur præterea convenire veteri diſciplinæ, juxta quam fideles in publicis conventibus adſtantes Miſſis, de ſacrificio participabant, necnon inſtitutioni, atque exemplo Chriſti, ſi fideles in ſingulis Miſſis, quibus adſtant, non ſolum ſpirituali affectu, verum etiam ſacramentali Euchariſtiæ perceptione communicent, ut ad eos perveniat hujus ſacrificii fructus uberior; prout ſe optare inquit ſeſſ. XXII. cap. 6. laudata ſynodus Tridentina, ejuſdemque verbis reperit Beatiſſimus æque ac Sapientiſſimus Pontifex. Additur veterem diſciplinam non eſſe neceſſario ſervandam, ſed cuncta in Eccleſia ordinate, & congruenter diſponenda eſſe, ut ex una parte minime fraudetur pietas fidelium, ex alia autem vitetur quælibet occaſio perturbationis & ſcandali. Concluditur nullam injuriam ipſis fidelibus fieri, ſi juxta diſciplinam, quæ modo viget, & in qua facilior eſt, quam fuerit priſcis ſæculis, ad participationem ſacramentorum acceſſus, in tanta Miſſarum multiplicitate non ſemper adminiſtretur communio; neque importune inſiſtendum eſſe, ut miniſtretur in iis loci, temporis, & perſonarum circumſtantiis, quas Eccleſiarum Paſtores excipiendas eſſe declarent, maxime, quod nec juſta, nec rationalis eſt eorum petitio, qui oſtendunt animum contumacem ac refractarium. Ex his ergo litteris Apoſtolicis tria apertiſſime conſequuntur; primum, communionem adſtantium nequaquam eſſe neceſſariam ad ſacrificii eſſentiam ac perfectionem; Parochos vero, qui miniſtrare ſacramenta legitime petentibus tenentur ex officio, poſſe pro variis circumſtantiis ad nutum Epiſcopi in Miſſa, & extra Miſſam Euchariſtiam diſtribuere, ipſorumque Epiſcoporum monita ab aliis quoque ſacerdotibus eſſe obſervanda. Alterum, rem eſſe magnopere congruam, ſi in ſingulis Miſſis aliquis adſtantium communicet ſacramentaliter. Tertium denique, in his ceteriſque rebus ad diſciplinam ſpectantibus ſedulo dandam eſſe operam, ne fraudetur pietas, ne oriantur ſcandala, & ne ſub devotionis prætextu pravum aliquod, ac perniciosum dogma ſubrepat. Nulla profecto argumenta pro adſtruenda obligatione miniſtrandi Euchariſtiam in ſingulis Miſſis poſſunt, me judice, afferri, utſi petita ex Liturgiis, ex praxi & diſciplina veteris Eccleſiæ, ex Collectis precibuſque Miſſarum, atque ex cœnæ Dominicæ inſtitutione. Verum hæc argumenta congruitatem inferunt, non præceptum, & a ſacrificii ratione ad participationem ſacramenti fallaciter tranſeunt; denique ſunt illa eadem, quæ urgent hæretici, ut demonſtrent *privatas* Miſſas eſſe illicitas & abrogandas: in quibus argumentis refellendis paullo ſupra verſati ſumus.

SCHOLION.

„ FUerunt, qui in me ſtylum intemperanter acuerunt propter ſuperiorem *Appendicem*, contendentes unumquemque Sacerdotem, quocunque in loco, & quovis tempore celebret, teneri ad ſacroſanctam Euchariſtiam porrigendam, modo aliquis fidelium adſit, qui petat. Ea de re ſtatuerunt *in Oratoriis* quoque *privatis*, atque *in nocte dominica Nativitatis* Euchariſtiam eſſe poſtulantibus diſtribuendam. Præ ceteris in me debacchati ſunt, quod ſcripſerim Euchariſtiam adminiſtrandi debitum ſpectare ſolum ad Sacerdotes, qui curam gerunt animarum. Omnino autem ferre non potuerunt, quod addiderim illorum momenta eadem eſſe, quibus adverſus *Miſſas privatas* digladiantur hæretici. Nihil reponendum eſſe arbitrati ſumus. Qui prælaudatas *Benedicti XIV*. Litteras perlegerit, & abſque partium ſtudio accurate diligenterque ad examen revocaverit, is percipiet, num ego illarum ſenſum fuerim aſſecutus. Ipſas, ut quiſque pervolutet, ſerverque obſecro, obteſtorque tantummodo. *In privatis Oratoriis*, niſi accedat Apoſtolicæ Sedis indultum, non eſſe *in privatis Miſſis* a laicis communicandum, invictiſſime demonſtravit Abbas Canonicorum Lateranenſium, qui de iiſdem *privatis Oratoriis* locupletiſſima edidit Commentaria. Sat eſt ad praxim & conſuetudinem Eccleſiæ intendere animum. Qui *nocte ſancta Dominici Natalis* communionem dandam, in quadam Italiæ noſtræ civitate, affirmarunt, ſuamque opinionem *Calendario* inſeruerunt, hanc expungere juſſi ſunt. Atque hi dicteriis, ſpreta caritate, & moderatione poſthabita, ſcripta noſtra proſcindunt. Percipiant ergo, quo illos nimia doctrinæ ſuæ confidentia atque æſtimatio pertraxerit. Et tamen eos ego diligo, veneror que ſummopere, adeo, ut ab ipſorum quoque nomine, ne ulla ratione a me lædi putent, abſtineam. Immo fateor, me quoque a Præceptore, ſimulque Parocho in Miſſa, quæ celebratur in nocte *Dominicæ Nativitatis*, primam ſuſcepiſſe communionem. Quod an prudenter, an incaute præſtiterit præceptor optimus, ac benevolentiſſimus, ipſe noverit. Vitio enim ingrati animi laborarem, ſi ipſum auderem reprehendere. Porro diſcrimen a me allatum *inter Parochos, ſimplicesque preſbyteros*, eſſe Venerabilis Cardinalis Bellarmini, Franciſci Sylvii, aliorumque clariſſimorum Theologorum, nemo unus non videt. Cum hujuſmodi viris patimur gratanter, libenterque calumnias. Hæreticos præſertim debacchari in Miſſas privatas, *in quibus ſolus ſacerdos communicat*, teſtatur prælaudatus Bellarminus lib. 6. de *Sacramento Euchariſtiæ* cap. 9. num. 17. Proximo cap. 10. ſolvit eximius Purpuratus objecta *Chemnitii*, *Joannis Brentii*, & *Philippi Melanchthonis*; quæ omnia eo tendunt, ut ſuadeant exemplo Chriſti, conſuetudine Apoſtolorum, doctrina Pauli, praxi veteris Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum teſtimoniis, Euchariſtiam eſſe *cœnam*, atque *convivium*, ideoque celebrandam non eſſe *abſque communicantibus*. Quomodo ergo iſtiuſmodi momentis innixi præſidia ac munimenta opinionum ſuarum ab hæreticis non mutuantur? Eos autem hæreticos eſſe non dicimus. Orthodoxi ſunt enim, doctique viri.

CAPUT XXII.

Quædam alia ad ſacrificium Miſſæ *ſpectantia proponuntur, & explicantur.*

PErmulta ſunt, quæ ad *Miſſam* pertinent, & ad Polemicam, Moralemque Theologiam, necnon ad ſacros Ritus referuntur: quorum notitiam ſaltem aliquam tradere capite hoc poſtremo conabor; eum de ſingulis plene & accurate diſſerere nec inſtituti noſtri ratio poſtulet, nec hujus libri patiantur anguſtiæ. Prima igitur quæſtio erit de *Miſſæ* vocabulo, quod aliqui Hebraicum putant, permulti vero Latinum, nonnulli etiam Græcum. Cenſent Hebraicum Baronius ad annum 34. num. 59. Joannes Reuchlinus lib. 2. Hebraic. eruditionum, Hector Pintus in cap. 3. Danielis, Claudius de Sainctes, Pamelius, & Genebrardus in Li-

in Liturgiam, Munſterus quoque in Dictionario Hebraico, & alii. Hi *Miſſa* nomen derivatum eſſe propugnant a verbo מִסַּת, *miſſat*, quod ſignificat *oblationem* liberali animo factam, Deut. xvi. 10. ubi legimus, מִסַּת נִדְבַת יָדְךָ *Oblationem ſpontaneam manus tuæ*. Significatur eadem voce aliquando *Myſterium*, *res ſacra*, *arcanum*, præſertim littera ס in ט commutata: unde ex ipſo nomine Catholici Principes in Cenſura Confeſſ. Auguſtanæ colligebant *Miſſam* eſſe verum ſacrificium. Prædictum vocabulum eſſe Latinum communior ſententia eſt, Bellarmini lib. v. de Euch. cap. 1. Jo. Stephani Duranti initio lib. 2. de Eccleſ. Ritibus, Cardinalis Bonæ lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. 1. num. 4. Scholaſticorum omnium cum Magiſtro lib. iv. ſent. diſt. 13. & S. Thoma 3. p. q. 83. art. 4. Du-Cangii in Gloſſario, & ſapientiſſimi Pontificis de Sacrif. Miſſæ ſect. 1. num. 66. a quo recentiores plurimi, qui ſententiam tenent eamdem, commemorantur. Repetunt vero idem nomen a *mittendo*, quaſi idem ſit *Miſſa*, ac *miſſio*, quemadmodum *remiſſa* idem eſt ac *remiſſio* apud Cyprianum, Tertullianum, alioſque veterum. Ideo autem incruento ſacrificio hoc nomen tributum fuit, quod lecto Evangelio dimitterentur Catechumeni: unde Victorinus lib. 2. de Eccleſ. Officiis cap. 41. ait: *Dicit Diaconus, Ite Miſſa eſt, quaſi revertimini ad propria. Ab hac miſſione, ideſt, dimiſſione Miſſam dicunt appellari*. Qui a Græcia originem nominis hujus arceſſunt, ortum putant a vocabulo μύησις, *initiatio*, *myſterium*, ſive a verbo μυέω, *doceo*, *inſtituo*; unde & *Muſa* apud Euſebium libro 2. de Præparat. Evangel. cap. 2. Prima iſtarum opinio videtur falſa, quoniam nec apud Syros, nec apud Græcos, (qui tamen alia hebraica nomina ab Apoſtolis uſurpata retinuerunt) legitur *Miſſæ* nomen. Tertia ſingularis eſt, leviſſimæ innititur conjecturæ, & ratione ipſa ſcribendi refellitur, nullibi enim *Myſſam*, aut *Muſam* pro *Miſſa* ſcriptum inveni. Reſtat ergo ſecunda ſententia, probata eruditorum omnium ſuffragio, prout Exercit. 16. in Baronium fatetur Caſaubonus. Confirmat eamdem ſententiam, quod ſæpenumero apud veteres legitur nomen *Miſſæ* uſurpatum pro dimiſſione ab Eccleſia, peracto officio, cujus generis exempla extant apud Caſſianum lib. 2. de Cœnob. inſtitut. cap. 7. 13. & 14. Avitum Viennenſem Epiſt. 1. & Luitprandum lib. v. cap. 9. Atque hæc tantum de *Miſſæ* vocabulo, de quo plura viri omnes prælaudati.

II.

Neque hoc ſolo nomine incruentum Sacrificium deſignari ſolet, ſed compluribus aliis, quorum nunc præcipua producam. Latini Miſſam appellant *Oblationem*, *Communionem*, *Collectam*, *Dominicum*, *Sacrum*, *Agendam*. Occurrit *Oblationis* nomen apud Tertullianum de cult. femin. cap. 11. Cyprianum epiſt. 27. Optatum lib. 1. de Schiſmate Donatiſt. Auguſtinum epiſt. 54. alias 118. Ennodium Ticinenſem in Apologetico, & in Capitularibus Caroli Magni ſæpiſſime: eodemque nomine in Ordine Romano, & apud Anaſtaſium in Melchiade ſignificatur etiam *Hoſtia conſecrata*, quæ appellari ſolet *Oblatio formata*; nam & hoſtia, quæ offertur, vulgo *oblatio* dicitur, ſive *oblata*, a Latinorum *offero*, non (ut viſum Caſaubono in Athenæum lib. 3. cap. 25.) a Græcorum ὀβελίας, *pane toſto*, aut offerumento, quod dicebatur de donariis in templo factis. De vocabulo *Communionis* dictum ſupra pag. 97. *Collecta* dicitur, ex quo populus, ut ſacrificio interſit, ſimul colligatur: ideoque hoc nomine ſignificatur etiam *collectio Monaſtica* in Regulis SS. Iſidori, Fructuoſi, & Pachomii: item *oratio*, quæ expleto canonico Officio, omnium adſtantium nomine, recitabatur voce altiori, ut inquiunt in Obſervat. Eccleſ. Micrologus, & lib. 2. Inſtit. cap. 7. Caſſianus. Plura *de Collectis* Lupus in caput 43. Tertulliani de Præſcriptionibus. *Dominicum* dicitur myſticum ſacrificium a Cypriano epiſt. 63. ad Cæcilium, ab Auguſtino in Brev. Collat. contra Donatiſtas, & in Actis Proconſularibus S. Saturnini apud Baronium ad an. 303. num. 84. & Bollandum xi. Februarii, necnon in Martyrologio Romano 25. Decembris. Eodem nomine, utpote adjectivo, deſignatur etiam *Templum* apud Cyprianum, Rufinum, Hieronymum, alioſque productos in Gloſſario a Du Cangio. Idem de *Sacro* dicendum eſt. *Agenda* paſſim occurrit in Antiphonario S. Gregorii, in Concilio Carthaginenſi 2. ſub Cæleſtino canone 9. in Epiſt. Innocentii I. ad Decentium, & in Vita S. Martini ſcripta a Severo Sulpitio. Ita Miſſa appellatur, quoniam veteres dicere ſolebant *Agere Miſſas*, & ſacrificare Deo *actio* quædam eſt ſingularis ac præſtantiſſima. Hinc *Actionis* nomine præcipue ſignificatur *Canon* Miſſæ; *quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica*, inquit Walafridus Strabo de Rebus Eccl. cap. 22. *Agenda* ſine addito apud Bedam, Durandum, & Anaſtaſium Bibliothecarium denotat Miſſam pro defunctis; & recte *parvo* pro mortuis *Miſſali* vocabulum hoc præfigitur. At plura de his Miſſæ vocabulis Bona, Dartis, Vicecomes, Raynaudus, Du-Cangius.

Habent & Græci ad ſacrificium Miſſæ deſignandum plura nomina, quorum præcipua ſunt, λειτουργία, *Liturgia* μυσταγωγία, *Myſtagogia*, ἱερουργία, *Hierurgia*, σύναξις, *Synaxis*, τελετή, *Telete*, θυσία, *Thyſia*, ἀναφορά *Anaphora*, & προσφορά, *Proſphora*; Liturgia publicum miniſterium ſignificat, eſt enim a λειτον, *publicum*, & ἔργον, *opus*: unde hoc vocabulo *publica munera* appellant Iſocrates, Syneſius, & Suidas. Significari autem hoc nomine oblatum Deo ſacrificium in cap. 13. Act. diximus paullo ſupra; eademque voce λειτουργίας Lucæ 1. 23. exprimitur Sacerdotale miniſterium Zachariæ. Occurrit eadem vox in Pandectis, & Novellis Juſtinianeis, ac præfigitur Miſſæ ſanctorum Baſilii, & Chryſoſtomi. Exponuntur ex iſta proximæ duæ voces μυσταγωγία, & ἱερουργία: quarum una idem eſt, ac *myſtica actio*: altera, *actio ſacra*. Synaxis idem ſonat, ac apud Latinos *Collecta*, a verbo συνάγω, *congrego*; unde & *ſynagoga* appellatio. *Thyſia* ſacrificium ſonat a θύω, *macto*, *ſacrifico*: quare legitur apud Ignatium ad Smirnenſes, θυσίαν προσκομίζειν, *ſacrificium immolare*, & apud Gregorium Nazianzenum, ἀναίμακτον θυσίαν, *ſacrificium incruentum*. Vide ſupra cap. xix. prop. 3. *Telete* a τελέω, *perficio*, ſignificat *conſecrationem*; & Græci eo vocabulo utuntur tam ad deſignandum ſacrificium, quam ſacrorum Ordinum initiationes, & confectionem, atque benedictionem chriſmatis. Uſurpat idem vocabulum S. P. Auguſtinus lib. x. de Civit. Dei cap. 23. ſcribens: *Dicit etiam Porphyrius, divinis oraculis fuiſſe reſponſum, non nos purgari luna teletis, atque ſolis*: quem locum intactum reliquerunt Coquæus, & Vives. Poſtrema duo vocabula derivata ab ἀναφέρειν, & προσφέρειν, denotant *oblationem*; quamquam maximum eſt inter hæc duo verba diſcrimen, explicatum ſupra pag. 96. Agunt de Græcis hiſce vocabulis Bona, Durantus, Goarius, Du-Mortier. Conſimilia ſunt nomina, quibus utuntur Syri, & Maronitæ, explicata parte 3. *Evoplia* fidei Catholicæ a Fauſto Nairono.

III.

Explicatis nominibus, agendum de variis Miſſarum generibus: quorum plura vel ſolo nomine ſatis percipiuntur: qualia ſunt, quæ habent appellationem a tempore, ut *Miſſa Ferialis*, *Matutina*, *Dominicalis*, vel a ritu, ut *Latina*, *Ambroſiana*, *Illyrica*, *Mozarobica*: vel ab auctore, ut *Jacobi*, *Baſilii*, *Gregorii*, vel ab officio, ut *de Tempore*, *pro Sanctis*, *Votiva*; vel denique a celebrandi ratione, ut *publica*, *ſolemnis*, *privata*. Hæc ergo ſufficiat ſolummodo commemoraſſe. Sed legimus præterea Miſſam *Catechumenorum*, Miſſam *ſacramentorum*, *ſeu fidelium*, Miſſam *Præſanctificatorum*, Miſſam *ſiccam*, *vel nauticam*; necnon Miſſas, quas barbara voce appellarunt *Biſaciatas*, aut *Triſaciatas*: quæ omnia forte hæc legentibus ignota ſunt. Itaque *Miſſa Catechumenorum* erat Liturgiæ noſtræ pars complectens Epiſtolas & Evangelia, quibus recitatis *Audientes* dimittabantur, *Competentibus* vero tradebatur ſymbolum: atque ita Catechumeni omnes exibant ante Offertorium, clamante Levita, *Si quis Catechumenus remanſit, exeat*. Ab hac dimiſſione derivatum, ut diximus, nomen *Miſſa*. Egimus de his rebus Volumine 111. pag. 315. & 316. ubi tradidimus brevem Catechumenatus narrationem. Dimiſſos autem fuiſſe Catechumenos, ut eis ſacra myſteria celarentur, obſervatum quoque eſt cap. 9. hujus libri, Regula v. Miſſæ Catechumenorum, & præſertim Epiſcoporum concionibus, quæ liturgiæ præmittebantur, adeſſe poterant hæretici etiam, atque Judæi, cum nulli hominum deneganda ſit gratia prædicationis, ut habetur cap. *Epiſcopus nullum*, de Conſecr. diſt. 1. num. 67. deprompto ex canone 84. Concilii iv. Carthaginienſis. Legimus aliquando Miſſam Catechumenorum celebratam fuiſſe a Diaconis: quoniam hi Evangelium legebant, dimittebantque non initiatos; Caſſianus enim lib. xi. Inſtit. cap. 15. narrat Monachum quemdam κενοδοξίας fuiſſe tentatum, *quia celebrabat velut Diaconus Catechumenis Miſſam*. At quæ ſequebatur Catechumenis dimiſſis, complectens ſacram *Actionem*, cui ſolis fidelibus adeſſe fas erat, appellabatur *Miſſa fidelium*, ſive, ut epiſtola 219. ſcribit Ivo, *Miſſa Sacramentorum*.

De Miſſa, quam τῶν προηγιασμένων, *Præſanctificatorum* vocant, quædam ſcripſi pagina hujus Voluminis 102. Dicendum nunc quambreviſſime de illius origine, & qualitate. Vetuſtam eſſe apud Græcos conſtat ex canone 52. Trullano, in quo præcipitur, ut *in omnibus ſancta Quadrageſima jejunii diebus, præterquam Sabbato, Dominica, & ſancto Annuntiationis die*, γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ *ſit Præſanctificatorum dies*, vel, ut habet vulgaris lectio, *Fiat ſacrum Præſanctificatorum miniſterium*. Probant viri docti eamdem antiquitatem ex canone 49. Laodiceno, quo pariter in Quadrageſima, Sabbatis, & Dominicis exceptis, prohibetur τὸν ἄρτον προσφέρειν, *Panem offerre*: ſed nulla eo in canone mentio προηγιασμένων. Horum ſynodorum Laodicenæ ſcilicet, & Trullanæ monumentis eruditus Du Cangius in Gloſſario refellit Gregorium Protoſyncellum, qui in Epiſtolam Marci Epheſini illius Miſſæ auctorem facit S. Gregorium Magnum. Sed lapſus eſt Du Cangius: nam Protoſyncellus ait ex Gregorii Ma-

qui inſtitutione factum eſſe, *ut Quadrageſimali tempore apud Romanos Miſſæ ſacrificium integrum peragatur*: quod etiam Anaſtaſius Bibliothecarius, & Marianus Scotus tribuunt Gregorio Secundo, non primo. Michael Conſtantinopolitanus, & Simeon Theſſalonicenſis repetunt originem hujus Miſſæ a temporibus Apoſtolicis, nec aliter opinatus eſt Joſeph Vicecomes falſa cujuſdam loci Dionyſii, de Eccleſiaſtica Hierarchia, interpretatione deceptus. Nil certi de inſtitutione ejuſdem Miſſæ definiri poteſt; ſed fuiſſe illam in uſu, quando omnes quotidie communicabant, haud obſcure colligit ex illius Liturgia Leo Allatius. Verum in Eccleſia Latina longe ante S. Gregorii tempora, & ab Apoſtolorum ætate quovis Quadrageſimæ die *divina myſteria celebrabantur*, exceptis dumtaxat duobus diebus, ideſt, Feria ſexta Paraſceves, & Sabbato ſancto; & hujus etiam diei Miſſa in proxima nocte agebatur; quod & commonſtrat hodiernum Officium. Arauſicana enim ſynodus juxta veterem Collectionem Decretorum lib. xiv. cap. 16. ſtatuit, *ne divina myſteria his duobus diebus celebrentur*, & Innocentius I. in Epiſtola ad Decentium conſcripta an. 416. teſtatur ex traditione Eccleſiæ, *iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari*. Quare cum Miſſa ſabbati, quæ agebatur in nocte, fiat modo ante meridiem, more ob jejunantium debilitatem inducto, ut in libro 3. de ſpecialibus Miſſæ obſervat, cenſet Hugo Victorinus; conſequitur Miſſam *Præſanctificatorum* ex traditione vetuſtiſſima celebrari ſolo die Paraſceves, & falli non ſolum Protoſyncellum, verum etiam Marianum Scotum, & Anaſtaſium. Atque hæc de Miſſæ *προηγιασμένων* antiquitate. In hac autem Miſſa nullam fieri conſecrationem ex quo vinum præſanctificato panis ſymbolo ſuperinfundatur, dixi præcitata pag. 102. Idcirco a Cardinali Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 15. appellatur *æquivoce dicta*: quo nomine deſignatur etiam Miſſa *nautica*, vel *ſicca*, in qua nulla fit conſecratio. At de Miſſa *Præſanctificatorum* legendi ſunt Allatius & Nihuſius ad calcem Operis de Eccl. Occident. & Orient. Conſenſione, Goarius pag. 205. Euchologii, Bona citato in loco, Lupus in Trullanum canonem 52. & Eximius Pontifex in Feriam vi. majoris hebdomadæ num. 919. & ſequentibus.

Miſſam ſiccam, vel *nauticam*, male Vicecomes de Ritib. Miſſæ lib. 5. cap. 9. confundit cum Miſſa *Præſanctificatorum*, in quo & alios alucinatos obſervarunt in loco nuper laudato Bona, Lupus, Allatius. Etenim Miſſam *ſiccam* Eckius Annotatione ad art. 21. Confeſſ. Auguſtanæ ait eſſe *Miſſæ ſimulationem*, *ſacerdote agente quæ ſunt celebrantis*, *cum Introitu*, *Collecta*, *Epiſtola*, *Evangelio*, *& canticis*; *qui tamen*, *quia non vult communicare*, *non conſecrat*, *ita*, *ut Miſſa ſit ſine corpore*, *& ſanguine Domini*. At in Miſſa *Præſanctificatorum* eſt verum Chriſti corpus, atque communio. *Siccam* Miſſam *nauticam*, ſeu *navalem* quidam dixerunt, quod aliquando celebrata ſit in navi, cum ob fluctuum agitationem vix poſſit ibidem peragi *Miſſa perfecta*; quam tamen quandoque celebratam in navibus oſtendam infra. Nunc de Miſſa *ſicca* quæſtio incidit, num licitum ſit eam agere; nam Genebrardus illam approbat in lib. de Liturgia Apoſtolica cap. 30. celebratam juſſu S. Ludovici, dum e tranſmarinis partibus remearet in Galliam, narrat in libro Geſtorum ejus Gulielmus de Naugiaco. Durandus Mimatenſis Epiſcopus in Rationali l. iv. c. 1. n. 23. & licitam aſſerit, & ritum ejus deſcribit. Lupus, quamquam *hiſtrionalem* vocat, affirmat tamen uſitatam fuiſſe apud Belgas. At in hanc Miſſam declamavit Eſtius Orat. 13. Theologica, illamque refutarunt Sylvius 3. p. q. 83. art. 3. ac Lupus in citatum Trullanum canonem, & abrogatam *provida Epiſcoporum cura*, ſcripſit Joannes Cardinalis Bona præcitato cap. xv. num. 6. His proculdubio ſubſcribendum eſt; quoniam *Miſſa ſicca* eſt revera, ut Eckius & Lupus aſſerunt, *hiſtrionalis ſimulatio*: atque hæc ſimulatio apparet in ſacerdote, qui tanquam ad ſacrificium diſpoſitus, ſacriſque indumentis ornatus ad altare, ideſt, ad ſacrificii locum accedit, ritusque Liturgiæ ſervat; & licet canonem omittat, præmittit tamen orationes ac preces, quæ ad ſacrificii oblationem directæ ſunt, & quarum nonnullæ oblationem ipſam præſignant; recitat denique orationes alias, in quibus peractæ communionis fit mentio, & gratiæ de ipſamet perſolvuntur. Reprobarunt deinde Miſſam hanc *ſiccam* Innocentius III. in litteris ad Rectores Romanæ fraternitatis cap. *De homine*, in 3. Decretal. tit. 41. cap. 7. ubi *ſimulationem* appellat Miſſam ab impio quodam ſacerdote ſine conſecratione peractam, illum damnans non ſolum quod *deceperit populum*, quale utique crimen non eſſet in Miſſa *ſicca*, verum etiam quod ritus ſimulatione *Deo illuſerit*. Prohibuerunt præterea *Miſſam ſiccam* Concilium Pariſienſe an. 1212. can. 12. Sariſberienſe an. 1217. can. 38. Synodus Iprenſis Martini Rithovii tit. 15. cap. 10. ſecunda Cameracenſis tit. 3. cap. 7. praxis denique univerſarum Eccleſiarum. Qui *Miſſas ſiccas* probarunt, nitebantur exemplo piorum virorum, Ritualibus quarumdam Eccleſiarum præſcribentibus hujus Miſſæ ritum ac formam, & præſertim auctoritati Dionyſii, qui de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. ait Catechumenis præſentibus pro defunctis fieri ſolemne ſacrum. Verum ad hæc reſpondemus, commendari a nobis virorum ſanctorum devotionem atque pietatem, laudari etiam privatarum Eccleſiarum conſuetudines, haberi denique rationem Durandi, Guidonis, aliorumque auctorum; his tamen præferendam eſſe diſciplinam veritati conſonam, majori approbatione firmatam, & ab univerſali Eccleſia receptam: Dionyſium vero nequaquam ea loci verba facere de catechumenis, nam ibidem pag. Plantinianæ edit. 410. ait, *non incongrue ordines qui expiantur*, *admitti ad ea*, *quæ geruntur*, *ut perſpicue diſcant*, *& advertant mortis incertitudinem*, *& ſanctorum præmia*; ab his autem expiandorum ordinibus excludit catechumenos ſcribens: *Ceterum obſerva*, *quomodo non omnes*, *qui expiationi vacant ordines*, *pro more jam dimittantur*, *ſed ſoli Catechumeni a ſacro choro arceantur*, *quod nimirum hic ordo ſacri omnis myſterii ſit expers*, *neque fas ſit illi quidquam*, *ſive parvum*, *ſive magnum*, *eorum quæ ſancte peraguntur adſpicere*. Hæc vero quomodo faciant pro Miſſa, quam *ſiccam* vocant, non video: cum potius hinc eruatur Miſſam quoque pro defunctis *formatam* eſſe, non *ſiccam*. Quidam alii reſpondent Dionyſium non de Miſſa, ſed de aliis precibus inſtituiſſe ſermonem.

Biſaciatæ, & *Triſaciatæ* Miſſæ ita ſunt appellatæ, quaſi multiplicem habentes faciem, erantque Miſſæ, in quibus improbi quidam ſacerdotes, ut pro uno ſacrificio ſtipendia plura reciperent, plures Miſſas diverſi generis, E. G. de Sancto, & pro mortuis, atque votivam etiam, vel quam voluiſſent, celebrabant uſque ad Offertorium, unam poſt aliam: deinde ex ordine tot ſecretas orationes recitabant, quot Miſſas inceperant; ac ſemel recitato Canone, & una conſecratione, & communione peracta, totidem in fine addebant *Collectas*, quot initio præmiſerant. Jure autem hujus generis Miſſas Petrus Cantor in Verbo Abbreviato cap. 29. tamquam *deteſtabiles abuſus* perſtringit & vellicat, Durandus cit. cap. 1. num. 24. illas damnat ac reprobat, Cardinalis Bona appellat *monſtruoſas*, *contrariaſque inſtitutioni*, *& conſuetudini Eccleſiæ*, & recens Auctor de Re Sacrament. tom. 1. pag. 511. portentoſas, & prava turpiſſimi lucri cupiditate introductas.

IV.

Nunc *de loco* ad celebrandam Miſſam idoneo dicturus, præmitto in Eccleſiæ cunis, furentibus perſecutoribus, & priuſquam tria priora ſæcula forent tranſacta, in quolibet loco ſacrificium fuiſſe oblatum, *in agris*, *in ſolitudine*, *in navibus*, *in carceribus*, *in diverſoriis*, quemadmodum ſcribit Alexandrinus Epiſcopus Dionyſius apud Euſebium lib. vii. H. E. cap. 22. pag. Valeſ. edit. 268. Hæc tamen pro ſe ſacra potiſſimum loca præeligebantur, *privatæ fidelium domus*, atque in his vel ſuperior pars, ubi veteres habebant cœnacula, vel ſubterranea, oculiſque paganorum impervia; *carceres* item, in quibus Chriſti Confeſſores occludebantur, prout colligimus ex epiſtola quinta ad Presbyteros & Diaconos ſancti martyris Cypriani; & Criptæ demum, cœmeteria, & *loca illa*, quæ, ſive a Græcorum *κατὰ*, & *τύμβος*, *juxta tumbas*, ſive potius a Latinorum *Cymba*, quod ad inſtar navigii eſſent concava & longiora, ſive denique a Sabinorum *Cumba*, unde Feſtus putat derivari *cubiculum*, appellaverunt Majores noſtri, & adhuc appellant Scriptores Eccleſiaſticarum rerum, *Catacumbas*. Sed quoniam de his locis nonnulla dixi paullo ſupra diſſerens de Miſſis *ſolitariis*, prolixius vero de iiſdem egi pertractans de Titulis S. Evariſti, plura nunc dicenda eſſe non arbitror.

V.

Poſtquam ergo illuxerunt feliciora tempora, cœperunt ad fidelium conventus peragendos, Miſſaſque celebrandas erigi & conſecrari templa, & ædes, quibus appoſuere nomen *Baſilicarum*, & *Dominicorum*, quoniam in cultu ſupremi Regis, ac Domini conſtruebantur; *Templorum* etiam, *Oratoriorum*, *Martyriorum*, quæ vocabula a loco, qui cernitur & contemplatur ex omni parte, in quo oratur, & habetur ſanctorum memoria vel monumentum, etymologiam ſuam deduxerunt; quamquam *Baſilicæ* appellentur communiter, quaſi ob magnificam regiamque ſtructuram, ampliores Eccleſiæ; ut Vaticana, atque Lateranenſis, quæ & *Aurea* dicta eſt propter ornatum, ſacrorumque donariorum pretium, numerum atque amplitudinem: *Oratorii* titulus ad privata & anguſtiora ſacella coarctari ſoleat; *Templi* vero nomen potius ſacris paganorum, quam Chriſtianorum ædibus, ut docet Codex Theodoſianus, conveniet. Neque vero majores noſtri ſacras has ædes conſtruxerunt, deſciſcentes ab Apoſtolicis inſtitutis. Nam, ut omittam Templum Salomonis in toto olim orbe celeberrimum, & non ex idololatrarum conſuetudine, ſed juſſu Domini ædificatum; eas ædes, ad quas Apoſtolorum ætate conveniebant fideles, in priori ad Corinthios cap. xi. e privatis domibus diſtinguuntur: Praxedis quoque, & Pudentianæ domum in Eccleſiam conſecraſſe fertur Princeps Apoſtolorum;

Digitized by Google

rum; & Philo apud Euſebium lib. 2. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 17. de Alexandrinis ad Chriſtum converſis tradidit, habuiſſe in ſingulis locis *conſecratam orationi domum*, & in ea celebraſſe *caſtæ vitæ myſteria*. Ut ergo his in locis, non promiſcue in omnibus, divina agantur officia, præcipiunt vetuſti canones collecti de Conſecrat. diſt. 1. a Gratiano, & noviſſime a Giberto de Sacram. tit. v. ſect. 6. ideſt, Concilium Toletanum xvi. an. 698. cap. 8. Romanum an. 826. Excerpta Egberti cap. 9. Capitularia Theodulphi Aurelianenſis cap. 11. & Eccleſiaſtica alia decreta quamplurima. Quibus acceſſerunt etiam Principum Catholicorum conſtitutiones, Novella 57. Juſtiniani, Capitularia Caroli Magni an. 789. nu. 9. & Regum Francorum lib. vii. cap. 431. aliaque producta ab erudito Martenio lib. 1. de Eccleſ. Ritib. cap. 3. art. 5. num. 9. His vero definitionibus adſtipulatur aperta ratio; ſiquidem cum certa loca ad judicia, & ad publica munia deputentur, congruit pariter ut deputata ſint ad rem ſacram, atque ad cetera divini cultus, & pietatis officia, in quibus conveniant neceſſum eſt, qui Chriſtianorum inſtituta ſequuntur, atque in uno Religionis nomine colligantur.

VI.

Ut vero hæc loca pro ſacrificiis, & pro fidelium conventibus erecta Deo ab Epiſcopis conſecratione dedicentur, multiplex ratio ſuadet. Principin enim dedicationem templi Salomonis narrat Regum Hiſtoria lib. 3. cap. 8. unde Eccleſiarum noſtrarum, in quibus dignior ara ſtatuitur, & immolatur ſacrificium longe præſtantius veteribus, commendat dedicationem Honorius Fortunatus, carmen ſextum libri tertii ſic modulans:

Cum Salomon coleret generoſi encænia templi,
Iſraeliticos fecit adeſſe viros.
Levitas, proceres, pueros, juvenesque, ſeneſque
Undique certatim regia pompa trahit.
Mactantur vituli, tauri jugulantur ad aras,
Et populi in votis gaudia cedis erant.
Nunc vero adſurgit ritu placitura beato,
Tempore decurſo, juſtior Ara Deo.

Dedicationem pariter, poſt contaminationem gentium, factam ſub Juda Machabæo legimus in libro Machab. 1. cap. 4. Ut quædam proferamus ea Eccleſiaſtica Hiſtoria, Romæ in Exquiliis a Principe Apoſtolorum conſecratam Eccleſiam, teſtantur vetera Martyrologia, demonſtratque Florentinius Exercitatione 21. in qua alias quoque antiquiorum templorum dedicationes veſtigat. Ab eodem Apoſtolorum Principe conſecratas in Eccleſiam ſanctarum Praxedis & Pudentianæ domos diximus paullo ſupra. Cæcilia quoque, ſicut in fine actorum ejus habetur poſtulavit ante obitum *triduanas inducias*, ut ſanctus Urbanus domum ſuam conſecraret *Eccleſiæ nomine*. Item Lucinæ ædes dedicavit Marcellus, quas in *catabulum*, ideſt, ſtabulum jumentorum vertit Maxentius, animalium curæ ſanctiſſimo Pontifice mancipato. Euſebius lib. x. H. Ecc. cap. 3. pag. 370. commemorat feſtivitates, ἐγκαινίων κατὰ πόλεις τῶν ἄρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων, *dedicationum per ſingulas urbes Oratoriorum recens* (ideſt poſt reſtitutam Eccleſiæ pacem) *ſtructorum*: & lib. iv. de Vita Conſtantini cap. 43. pag. 548. narrat dedicationem Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, ad quam Auguſtiſſimus Imperator invitavit omnes Epiſcopos, qui ad ſynodum Tyri convenerant. Athanaſius in ſua ad Conſtantium Apologia commendat dedicationem Eccleſiarum ab Alexandro, aliiſque Patribus celebratam, affirmans aliquando ſe ante Encænia ſacrificaſſe, (quod ei objiciebant Ariani) ob Eccleſiarum anguſtias, & populorum frequentiam. Vide eamdem Apologiam numero 17. ſufficiat autem ex hiſtoriis innumeris hæc tantummodo produxiſſe. Huc præterea ſpectant canones ſuperiori numero laudati. Rationem inſuper inſinuant cap. *Tabernaculum*, de Conſecrat. diſt. 1. num. 2. excerptum ex epiſtola prima Felicis iv. (quam tamen permulti cenſent eſſe ſuppoſitam) in quo capite hæc extant: *Si Judæi, qui umbræ legis deſerviebant, loca habebant divinis ſupplicationibus conſecrata, ad offerendum ſacrificium; quanto magis nos habere convenit, quibus veritas patefacta eſt?* Neque enim conſecratio templorum pertinebat ad claſſem illarum ceremoniarum, quæ cum eſſent futurorum umbræ, erant in lege nova abrogandæ, ſed ad moralia præcepta, quibus præſcribuntur divini cultus & religionis officia, ut diai pertractans de Sacramentorum Ritibus capite ultimo libri triceſimi. S. Thomas q. 83. art. 3. ad 3. ait Eccleſias *ex conſecratione acquirere ſpiritualem quamdam virtutem*, ſed hoc non uſſe accipiendum, quaſi loca inanimata *ſint gratiæ ſuſceptiva*; nimirum Deus in Eccleſiis peculiari quadam ratione præſens eſt, preces exaudiens, & peccata dimittens: unde Ambroſius in fine libri de Exhortatione Virginitatis num 94. ait: *Te nunc, Domine, deprecor, ut ſupra hanc domum tuam, ſupra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, ſupra hos lapides ſpiritales, quibus ſenſibile tibi in ſingulis templum ſacratur, quotidianus præſul intendas, orationeſque ſervorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua ſuſcipias miſericordia.* His conſonant quæ leguntur in Officio dedicationis Eccleſiæ. Solemni denique Eccleſiarum benedictiona loca Deo ſacrata purgantur; idque etiam miraculis comprobatum eſt; aliquando enim dum conſecrarentur Eccleſiæ, inde ſub porcorum imagine immundos dæmones exiiſſe, demonſtrant quæ de conſecratione Eccleſiæ ſanctæ Agathæ *in Suburra* narrat S. Gregorius lib. 3. Dialogorum cap. 30. & de Carthaginienſi Baſilica Fauſti, etiam ab Auguſtino ſerm. 111. & 261. laudata, ſcribit Victor Vitenſis de Perſecut. Vandalica lib 2. n. 6.

VII.

Oritur nunc quæſtio, quando Eccleſia polluta ſit, neque poſſit in ea divinum peragi ſacrificium. Jureconſulti in titulum xl. tertii libri Decretalium has, quibus Eccleſia violatur, cauſas enumerant. Prior eſt *violenta ac voluntaria ſanguinis effuſio*, de qua caput *Si Eccleſia*, ejuſdem tituli num. 10. & cap. *Eccleſiis*, de Conſecrat. diſt. 1. num. 20. Si ergo effuſio ſanguinis *voluntaria* non ſit, veluti ſi fiat ab homine furioſo, Eccleſia nequaquam polluitur. Si etiam percuſſio levis ſit, neque ex ea effluat magna ſanguinis copia, ut interdum contingit in rixa puerorum, communis ſententia eſt Eccleſiam non violari. Violaretur tamen, ſi juſſu tyranni trucidaretur in ea martyr? quoniam licet patientis caritas ſit Deo grata, illi tamen injurioſa eſt occidentis impietas. Si vulneratus extra Eccleſiam, in eam ingreſſus expiret, vel effundat cruorem, nulla conſequitur ſacri loci pollutio; ſecus, ſi intra Eccleſiam infligatur vulnus, mors autem, & effuſio ſanguinis foris contingat. Non violatur inſuper Domus Dei, ſi in ea exiſtens lapidem vel jaculum emittat, quamvis alterum extra poſitum afficiat lethali vulnere: violatur e contra, ſi exterius mittatur lapis, aut jaculum, percutiatque in ſacris ædibus commorantem. Em. Gonzalez in 3. Decretal. pag. 774. & vir doctus hujus ævi in Pontif. Roman. p. 2. pag. 225. docent ea ſententia Suareſii violari Eccleſiam, *ſi lapis, aut lancea ab Eccleſia emittatur, ictus vero extra Eccleſiam fiat, vel a contrario*. At Suarez in 3. partem diſput. 81. ſect. 4. ſcribit quidem pollui Eccleſiam, ſi quis *jacto lapide percutiat aliquem in Eccleſia exiſtentem*, ſed hæc ſubjicit: *Secus vero eſſet, ſi a contrario, qui exiſtit intra Eccleſiam ſagitta vulneraret alium extra Eccleſiam exiſtentem: tunc enim non violaretur Eccleſia: nam licet actio vulnerativa, & effuſiva ſanguinis in Eccleſia inchoetur, tamen ipſa vulneratio, ſeu effuſio extra Eccleſiam fit.* Polluitur item Eccleſia *voluntario homicidio* etiam abſque ſanguinis effuſione patrato, ſive a ſeipſo, ſive ab alio, quamvis fieret præcedente ſententia judicis. Si percuſſio, aut altera violationis cauſa, contingat extra Eccleſiæ januam, & in ipſo quoque portæ limine extra clauſuram oſtii, ſive in ſacrario, in turri, in cœmeterio, in conclaviom aliquo, non pollui Eccleſiam conſentiunt omnes. Plura ad hanc rem pertinentia memoratus Gonzalez in titul. de Conſecrat. Eccl. vel altaris, Auguſtinus Barboſa lib. 2. Juris Eccleſiaſt. cap. 4. Navarrus in Manuali cap. 27. Cabaſſutius in Theoria Juris Canon. lib. v. cap. 21. Et ex Scholaſticis in 3. p. q. 83. art. 3. Franciſcus Sylvius, Suarez, alii.

Polluitur deinde Eccleſia *voluntaria humani ſeminis effuſione*, cap. *Eccleſiis*, de Conſecrat. diſt. 1. quæ tamen ſi occulta ſit, habet ſacrilegii crimen, non *canonicam* templi violationem. Quæritur, an polluatur Eccleſia ex duorum conjugum concubitu. Violari negant in præcit. caput *Eccleſiis*, Gloſſa, Amicus, Arriaga, & ex noſtratibus Baſilius Poncius. Affirmant tamen Turrecremata, Paſſerinus, Sanchez. Gonzalez in 3. Decretalium, productis aliorum opinionibus, lociſque laudatis, concludit Eccleſiam nequaquam pollui, quando conjuges alibi mutuum congreſſum habere nequeunt, diuturno tempore in ea detinentur, & vitare incontinentiam non poſſunt. Navarrus, Vivaldus, & Sylvius etiam in hoc caſu putant adeſſe violationem Eccleſiæ, & illicitam eſſe conjugum commixtionem; propterea quod ſi abſtinere debent altero eorum abſente, idem facere teneantur ob ſacrorum locorum reverentiam. Habet robur tantummodo hæc opinio, quando res publice eſt nota, & amovendum eſt ſcandalum, atque devotio populi eſt reparanda; alioqui conſentientibus omnibus, quod citra peccatum committitur, neque notorium eſt, nullam infert *canonicam* violationem, de qua diſſerimus. Atque hac brevi notatione facillimum eſt oppoſitas conciliare ſententias.

Cenſetur præterea Eccleſia polluta, *ſi in ea ſepeliatur notorie excommunicatus*, capite *Conſuluiſti*, cit. tit. xl. num. 7. quod affirmandum itidem eſt, ſi in eadem Eccleſia ſepulturæ mandentur corpora infidelium, vel paganorum, cap. *Eccleſiam*, de Conſecrat. diſt. 1. num. 27. & ſequenti. Idem aſſerendum, ſi in Eccleſia humetur puer non baptizatus; non tamen, ſi nondum materno ex utero ſit extractus, & una cum matre demortua ſepeliatur: quoniam, etſi puer ille nondum natus non pertineat ad maternum corpus, ut diximus libro xxxi. cap. 18. non ei tamen tanquam perſonæ a matre diſtinctæ beneficium ſepulturæ impenditur, quando ſimul cum illa redditur terræ,

Digitized by Google

næ. Cavendum tamen, ne puer ſemel ab utero matris ſeparatus, ac ſine baptiſmate mortuus, iterum inter materna viſcera claudatur, ut eodem cum matre condatus ſepulcro; id enim fieret duntaxat in gratiam pueri: nec deſunt qui ſentiant in tali caſu Eccleſiam violatum iri. Certe id ſenſit haud vulgaris Theologus Franciſcus Sylvius in Quæſtionem 83. tertiæ partis. Suarez cit. diſput. 81. ſect. 4. putat pollui Eccleſiam, ſi dum mater ſepelitur, occidatur filius in ejus utero clauſus, ſecus ſi id contingat extra Eccleſiam: ſed illo in caſu violatio a crimine homicidii repetenda eſt, non a ſepultura enecati puerili.

Diſputari ſolet, an polluatur templum, *quando Eccleſia conſecratur per Epiſcopum excommunicatum*. Veteres omnes ante Suareſium, Paludanus, Angelus, Tabiena, Panormitanus, Oſtienſis, & alii ſcripſerunt, omni dubio procul violari. At Suarez oppoſitum tradidit, eique acceſſerunt Gibalinus de Cenſuris diſq. VII. quæſt. 5. Henno de Sacrificio Miſſæ diſput. 23. Fagundez, Ugolinus, Gonzalez, alii. Ducuntur hi potiſſimum hac ratione, quod talis violatio in jure non ſit expreſſa; argumenta vero, quæ in contrarium urgeri poſſunt ducta paritate a ſepultura excommunicati, vim non habeant in his quæſtionibus ad Jus Canonicum pertinentibus. Addunt, ſi paritate certandum ſit, nec violari Eccleſiam, quando in illa excommunicatus Miſſam celebrat, juxta cap. *A nobis*, de Sacramentis non iterandis. Non cecidit tamen a jure ſuo ſententia illa vetuſtior, nam pro ea pugnant Sylvius citato in loco, Caballutius item lib. V. cap. 21. num. 6. Barboſa præcit. cap. IV. num. 25. & Juriſperitorum, Theologorumque permulti. Ajunt enim eamdem ſententiam regulis Juris conſentaneam eſſe, ex quo fuerit aliquando communis, & nunquam Eccleſia ſtatuerit contrariam. Revera Suarez fatetur ſe non inveniſſe auctores aliquos ſibi conſentientes; quod videtur eſſe ſufficiens argumentum falſitatis. Ex his vero ſaltem oritur non leve dubium, quo ſtante optimum conſilium eſt, ſi Eccleſia reconcilietur. Extra controverſiam denique poſitum eſt, conſecrandas iterum Eccleſias ab hæreticis occupatas, ut habetur cap. *Eccleſias*, & cap. *Arianorum*, de conſecrat. diſt. 1. num. 21. & 22. idque confirmant quæ ex magno Gregorio, & Victore Vitenſi laudata ſunt in fine paragraphi præcedentis. Videtur autem eamdem de hæreticis, ac de excommunicatis habendam eſſe rationem.

Quocumque modo polluatur Eccleſia, ſi ante fuerat conſecrata, nonniſi per Epiſcopum debet reconciliari, ex Reſcripto Gregorii IX. ad Epiſcopum Aſtoricenſem, cap. *Aqua*, de Conſecrat. Eccleſ. 9. Si autem Eccleſia conſecrata non fuerit, reconciliari poteſt, annuente Epiſcopo, per ſimplicem ſacerdotem, cap. finali ejuſdem tituli, *Si Eccleſia*. Clementem IV. non ſemel indulſiſſe ſimplici presbytero facultatem pollutas Eccleſias reconciliandi, obſervarunt JCC. in III. decretalium; atque hæc indulta de Eccleſiis non conſecratis expoſuerunt Oſtienſis, & Fagnanus. Verumtamen delegatione Summi Pontificis poſſe a ſingulis presbyteris Eccleſias reconciliari & conſecrari, diximus ſuperioris libri capite VII, agentes de miniſtro Confirmationis.

VIII.

Itaque juxta canones ſuperiori numero V. laudatos, *privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria*, peragi Miſſæ ſacrificium non poteſt, atque ne id Epiſcopi in ſuis diœceſibus patiantur, jubet in decreto de obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ, quod canones ſeſſ. XXII. immediate conſequitur, ſacroſancta ſynodus Tridentina. Hoc decreto revocata eſt facultas, quam olim habebant Epiſcopi, licentiam largiendi, ut in privatis oratoriis agantur Miſſæ, ex cap. *Miſſarum*, de Conſecrat. diſt. 5. atque circa poteſtatis hujus abrogationem omne dubium eliminavit in epiſtola Encyclica anno 1615. ſummus Pontifex Paulus V. In ædibus tamen, quas inhabitant, poſſunt epiſcopi privata oratoria ad ſacrificandum habere: ſed ne erigantur in privatis aliorum domibus, petenda eſt ab Apoſtolica Sede facultas. Agathenſis Synodus an. 506. canone 21. ſtatuit, ne Miſſæ celebrarentur in oratoriis *in Paſchate, Natali Domini, Epiphania, Adſcenſione Domini, Pentecoſte, Natali S. Joannis Baptiſtæ, & ſi qui maximi dies in feſtivitatibus habentur*; ac fieri ſolet exceptio conſimilis in facultate oratoriorum privatorum, quando ab Apoſtolica Sede conceditur, ne ſcilicet in his celebretur Miſſa in *die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, F. V. in Cœna Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Annunciationis & Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis Mariæ, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum*. Iſtæ enim Feſtivitates a S. R. Congregatione die 17. Novembris an. 1607. declaratæ fuerunt præcipuæ atque ſolemniores. Præterea in aliis locis cum *altare portatili*, de quo infra, celebrari poteſt Miſſæ ſacrificium, *urgente neceſſitate*, ut in caſtris ſub papilionibus, aut ſub dio; in litiore ab Eccleſiis remoto; in plateis, vel in agro, ſi diruantur, aut terræmotu quatiantur templa, necnon ſi horum anguſtiæ in magna aliqua populorum frequentia capere non valeant multitudinem confluentem: in quo tamen poſtremo caſu conſulendum Epiſcopum docent graviſſimi, doctiſſimique ſcriptores. Diſputatum a Theologis, & Juriſconſultis in utramque partem, an ſacrificium Miſſæ peragi poſſit in navibus. Negant vero id permulti ob inconſtantiam fluctuum, ac ſubitæ tempeſtatis pericula. At alii ex adverſo reponunt languere interdum fluctus malacia & tranquillitate, peritoſque naucleros præſentire ventorum commotiones atque procellas, fas proinde eſſe fluctibus quieſcentibus facere rem ſacram; & ſi forte ſubita excitaretur tempeſtas, ſervare quod fieret in templis ſi Miſſas agentibus improviſum & inopinatum accideret impedimentum. Addunt ex Baronio ad annum 700. num. 3. peractum in navi ſacrificium a Wulfranno Senonenſium Epiſcopo; quod Scriptor Eminentiſſimus refert ex Jona Monacho, & Surio ad diem 20. Martii; Maximianum quoque Siracuſanæ civitatis Epiſcopum, omneſque, qui cum ipſo erant in navi Adriatici maris fluctibus quaſſata, data ſibi invicem pace, *accepiſſe corpus & ſanguinem Redemptoris*, ex Gregorio Dialogorum tertio, cap. 36. Hoc tamen poſtremum exemplum potius de communione Euchariſtiæ in illa navi aſſervatæ, quam de peracto ſacrificio, accipiendum eſſe demonſtrant verba ipſa Gregorii. Videtur nunc controverſia illa finita; nam poſſe in navibus peragi ſacrificium *ex privilegio tantum Apoſtolicæ Sedis*, tradunt unanimiter viri percelebres, Pignatellus tom. VIII. Conſultat. 124. num. 1. Cardinalis Petra in Comment. ad Conſtit. 2. Urbani V. Rotarius in Theologia Regularium tom. 3. lib. 1. cap. 2. Meratus in Gavantum p. 1. tit. 20. aliique permulti, quibus adhæret ſect. 2. de Sacrif. Miſſæ num. 53. eruditiſſimus Pontifex. Hi nimirum demonſtrant celebrari Miſſas, tranquillo cœlo, in navibus Indicis ex privilegio Clementis VIII. & Pauli V. privilegium hujuſmodi denegatum a ſummo Pontifice triremibus maris Mediterranei; conceſſum denique, prævio voto S. Congregationis Concilii, a Clemente XI. die 13. Martii anno 1706. ſtrenuiſſimis Ordinis Hieroſolymitani Equitibus.

IX.

Spectant inſuper ad ſacrificii locum altaria, de quibus dixi nonnulla pag. 115. Appellant Hebræi altare מִזְבֵּחַ *Mizbeach*, a radicali זָבַח, *zabach, ſacrificavit*; quemadmodum Græci θυσιαστήριον, a θυσιάζω, *ſacrifico*; Latini *Altare* dixerunt, ſive quod pro holocauſtis ignem *aleret*; ſive potius ab *altitudine*, quod ſcilicet in tumulis a terra exaltatis ſacra facerent diis ſuperis. Hinc Virgilius Ecloga V. *aras* Daphnidi, *altaria* Phœbo erecta aliquo diſcrimine notat: quamquam & altaria Jovi poſita appellat *aras*, ubi de Jarba ait Æneidum IV.

Centum aras poſuit, vigilemque ſacraverat ignem.

Quare & latiniſſime *ara*, & *altaris* nomine utimur indiſcriminatim. At de his alibi dictum eſt, nec iterum occupare nos debent obſervationes Grammaticorum. Altaria in lege veteri alia terrea erant, alia lapidea, alia ænea, alia aurea. De terreis legimus Exodi XX. 24. *Altare de terra facietis mihi*, ubi nudam humum, aut lateritium opus ſignificat tum hebraica phraſis, מזבח אדמה, *Mizbeach adamach, Altare terram*; tum Verſio LXX. θυσιαστήριον. Altare lapideum commemorant proximus verſus ejuſdem capitis viceſimi, & loca alia Scripturarum innumera. Legitur eodem verſu altare non ædificandum *de ſectis lapidibus*, ſed de rudibus & impolitis, forte ne abraſis ſcalpello particulis Judæi ad ſuperſtitionem, vel magicas artes abuterentur. Altare æneum, quale deſcribitur 2. Paralip. IV. cremandæ hoſtiæ deſerviebat: unde & ædificatum *de lignis ſetim*, Exodi XXVII. tabulis æreis tegebatur, ne læderetur a flamma. Altare aureum, de quo Exodi XXX., erat pro adolendo *thymiamate*, quod erat ſuffumigii genus ibidem deſcriptum, ideoque Græci appellarunt idem altare θυμιατήριον. At de his plura ſacri Interpretes: exquiſita vero in Myrothecio II. litteratiſſimus Scacchus. In lege nova quædam altaria fuiſſe lignea colligimus ex Athanaſio epiſt. ad Solit. Optato libro VI. contra Parmenianum, & Auguſtino lib. V. de Baptiſmo cap. 20. ac lib. 3. adverſus Creſconium cap. 43. Servatur Romæ in Titulo S. Pudentianæ ligneum altare, in quo fertur ſacrum peregiſſe Petrus Princeps Apoſtolorum. Turrecremata in cap. *Altaria*, de Conſecrat. num. 31. refert S. Silveſtrum in Lateranenſi Baſilica conſecraſſe altare ligneum, de quo etiam lib. 1. cap. 4. Cæſar Raſponus in Opere de eadem Baſilica. Verum Silveſtri ſæculo fuiſſe in uſu altare lapideum demonſtrat ex oratione Nyſſeni in Chriſti baptiſma, & ex monimentis aliis lib. 1. Rerum Liturg. cap. 20. eruditiſſimus Bona: atque jam ab anno 517. a Concilio Epaonenſi ſtatutum fuit, ut altaria tantum lapidea chriſmatis unctione ſacrentur. Vide præcit. cap. *Altaria*.

Altarium conſecrationem commendant varii canones apud Gratianum de Conſecrat. diſt. 1. & in 3. Decretalium tit. 40. Eamdem & ratio ſuadet, quod non ſolum oporteat, ut ſacer ſit locus ſacrificii remotus, verum etiam proxi-

Digitized by Google

proximus, & in quo peragitur ipſummet ſacrificium, Id natura ipſa tradente præſtitit Jacob, qui Geneſ. xxviii. 18. lapidem erexit in titulum, *fundens oleum deſuper*. Hoc ritu non fudit Jacob oleum, ut ſervaretur memoria viſionis, ad hoc enim ſatis fuiſſet erectio lapidis, ſed ut Deo locus conſecraretur: unde & locum ipſum appellavit *Bethel*, ideſt, *domum Dei*. Impoſitum vero fuiſſe hoc nomen ob loci ſanctitatem inde apparet, quod erecto ibidem a Jeroboamo uno ex vitulis aureis, tranſierit nomen *Bethel* in *Bethaven*, quod ſignificat *domum idoli*, *ſeu vanitatis*. In illa unctione *figuratum aliquid quod ad magnum pertinet Sacramentum* ſcribit ſapientiſſimus Auguſtinus lib. xvi. de Civit. Dei cap. 38. & Nazianzenus Orat. 2. de Theologia, ſeu xxxiv. *Jacob*, inquit, *columnam inungendo dedicavit arcano haud dubie conſilio, qua Lapidem noſtri cauſa inunctum denotaret*. Quæ obiter dicta ſint ad refellendum Du-Vartium ſcribentem nil myſticum in ea unctione inveniri. Apparent evidentius hujus conſecrationis myſteria ex altarium expiatione, & dedicatione, de qua Levitici 16. Exodi 40. & 1. Machab. cap. 4. In his quippe locis unctionem factam *ſanctificationis* atque *emundationis* cauſa demonſtrant ſcripturæ verba. Diximus autem alibi in altarium conſecratione neceſſarias eſſe Reliquias Sanctorum Martyrum; quod confirmant canon 5. Concilii Africani anno 424. ſive cap. *Placuit*, *ut altaria*, de Conſecrat. diſt. 1. n. 26. canon 7. Concilii Gen. vii. an. 787. Hieronymus adverſus Vigilantium cap. 3. Ambroſius in Epiſtola ad ſororem ſuam Marcellinam, Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & Paulinus, cujus Natali ix. hæc ſunt verba:

Namque & Apoſtolici cineres ſub cælite menſa
Depoſiti, placitum Chriſto ſpirantis odorem
Pulveris inter ſancta Sacri libamina reddunt.

Orat propterea Sacerdos accedens ad Miſſæ Introitum, *Per merita Sanctorum tuorum*, *quorum Reliquiæ hic ſunt*.

Altarium numerus non eſt Eccleſiaſticis definitionibus conſtitutus, tametſi Carolus Molinæus lib. 2. Controv. cap. 27. contendat *unicum* in ſingulis Eccleſiis permittendum, tum ex Apoſtolica conſuetudine, tum ex Hieronymo ſcribente in caput 2. Oſeæ verſ. 13. habere Eccleſiam *unum altare*, hæreticos *plurima*. Sed facillimum eſt Calvinianum illum hominem refutare; ſiquidem ut Eccleſiæ ſtatus felicior nunc eſt, & presbyterorum numerus amplior, ita major eſt altarium multitudo, quemadmodum diximus ſupra de Miſſis. Præterea variabilis eſt, uti in cæteris, hac in re temporum, locorumque diſciplina. Nec altarium numerus poſtremis ſæculis adauctus eſt: nam Gregorius lib. v. epiſt. 43. ad Palladium *tredecim* ejuſdem Eccleſiæ altaria commemorat, & Nolanus Epiſcopus Paulinus prælaudato Natali cecinit:

Spectant de ſuperis altaria tota feneſtris.

Hieronymus autem *altaris* nomine intelligit fidem, atque communionem, unde ait eo loci de hæreticis, *Habent tot altaria*, *quot ſchiſmata*. Uſurpatur eadem phraſi de iis, qui ſecedunt ab Eccleſiæ unione, *Erigere altare contra altare*; quod invenies apud Cyprianum, Optatum, atque Auguſtinum.

X.

Præter altare immobile & loco adhærens, datur altare motorium, quod *Altare viaticum* appellat Durandus in Rationali, *Tabulam itinerariam* Ordo Romanus, *Altare geſtatorium* S. Anſelmus, & Hugo Flaviniacenſis, *Lapidem portatilem* alii apud Mabillonium Præf. in Sæculum 3. Bened. num. 78. Demonſtrat Cardinalis Bona ex Capitulis Hincmari, *altaris portatilis* olim uſum fuiſſe, cum celebrandum foret in altaribus ſiais nondum conſecratis, aut in oratoriis privatis, quorum aris tempore duntaxat Agendæ *ſacer lapis* apponeretur, chriſmate ab Epiſcopo delibutus: unde & nunc Orientalis Eccleſia utitur ἀντιμήνσιον, *Antimenſio*, adhibendo tantum, quando oblatio Liturgiæ fit in altari, de cujus conſecratione non conſtat. In privatis ergo oratoriis non erant olim altaria *conſecrato lapide* ornata. *Altaris viatici* privilegium conceſſum quibuſdam Regularibus legimus cap. *In his*, in v. Decretalium tit. 33. de Privilegiis num. 30. itemque Epiſcopis omnibus, cap. *Quoniam*, in vi. eodem titulo, num. 12. At quantum ad Regulares ſpectat, omnino privilegium illud revocatum fuiſſe, poſt definitiones alias complures declaravit die 15. Decembris an. 1703. ſummus Pontifex Clemen. XI. ideoque peculiari tantum indulto Gregorii XIII. utuntur eodem Altari Miſſionarii Societatis Jeſu. Quantum vero pertinet ad Epiſcopos; tametſi ad quoſdam abuſus eliminandos, aliquorum præſertim, qui ut gratificarentur laicis, *tabula itineraria* in horum ædes aſportata ſinebant ibidem a ſuis Cappellanis immolari vivificam Chriſti hoſtiam, ipſimet Epiſcopi comprehendi videantur præcitata Clementis XI. inhibitione; non eis tamen ſublatum eſt privilegium expreſſum cap. *Quoniam*, ſed jure utuntur *altare portatili* in iis laicorum domibus, in quibus occaſione viſitationis, vel itineris excipiuntur hoſpitio, vel in caſibus aliis a Jure permiſſis moram faciunt; prout declararunt Innocentius XIII. & Benedictus XIII. tradiditque hujus nominis, auctoritatis, ac throni Hæres Beatiſſimus, ſect. 2. de Sacrif. Miſſæ num. 48. In his quoque *Viaticis aris* neceſſum eſt includantur Sanctorum Reliquiæ, ut conſtat ex dictis præcedenti num. & decrevit S. Rituum Congregatio die 10. Novembris 1612. eaſdemque aras iterum conſecrandas, *ſi confractum ſit ſigillum*, colligitur ex cap. *Ad hæc*, de Conſecrat. Eccl. ubi Juris Canonici Tractatores *ſigilli* nomine deſignari docent ſacrum Reliquiarum operimentum.

XI.

De iis altarium ornamentis, quæ ad cultum ſplendoremque ſpectant, non eſt loci hujus diſſerere: audiendus tantum Paulinus Natali 3. pag. Plantin. edit. 540. canens de S. Felicis Baſilica:

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur denſis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte, dieque micant, ſic non ſplendore diei
Fulget, & ipſa dies ſolſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Ad ſacrificium tamen ſpectant *lintea*, *crux*, *cerea lumina*. Lintea, quæ *mappas* etiam dicunt, & in Concilio Ravennati an. 1311. can. 8. necnon in Cæremoniali Romano *tobaleas*, in Actis autem Mediolanenſis Eccleſiæ, *ſindones*, apponi ex more vetuſtiſſimo liquet ex Optato Milevit. lib. vi. num. 2. ubi ſcribit notum cuique fidelium, altaria *in peragendis myſteriis linteamine cooperiri*. Vide in hunc locum Albaſpinæum. Ex his linteis impie feciſſe ſibi ſudaria, & femoralia Proculum exercitus Genſerici regis imperatorem, tradit in priori libro de Perſecut. Vandalica n. 12. Victor Vitenſis. Tribus mappis cooperiendum altare, oblonga una, brevioribus aliis, vel una duplicata, infertur ex cap. *Si per negligentiam*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 27. de Cruce extant verſus Paulini Epiſt. xii. ad Severum pag. 147.

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compoſitis ſacra cum cruce martyribus:
Cuncta ſalutiferi coeunt martyria Chriſti,
Crux, corpus, ſanguis, martyris ipſe Deus.

Corporis Domini *ſub Cruce* poſiti meminit ſynodus Turonenſis anno 570. canone 3. ac plura in hanc rem monimenta collegit Joannes Baptiſta Scortia lib. 3. de Sacrif. Miſſæ cap. 3. Amalarius lib. 1. de Eccleſ. Off. cap. 14. aliique omnes, qui de ſacris myſteriis pertractant, ajunt ante nos locari crucem, *ut Chriſtum quaſi pendentem in ea mente teneamus*: addit lib. v. Operis Paſchalis Sedulius,

Neque quis ignoret ſpeciem Crucis eſſe colendam.

Cum itaque crux ante oculos ſtatuenda ſit, ut facilius excitetur Crucifixi memoria, atque adoretur ſignum redemptionis noſtræ; conſequitur in altari, dum agitur Miſſa, ponendam crucem eſſe, quamvis ſit ibi expoſitum ſanctiſſimum Sacramentum, prout decrevit Sacra R. Congregatio die 14. Maji an. 1707. e contra neceſſum non eſſe, ut ponatur alia crux (quicquid ſcripſerint aliqui Ceremoniarum præceptores) quando adeſt in altari *magna ſtatua SS. Crucifixi*, quemadmodum eadem S. R. C. declaravit 16. Junii 1663. De cereis vero, quoniam plura dixi lib. xxx. cap. 23. & quædam etiam ſupra p. 94. & 95. ubi egi de SS. Euchariſtiæ expoſitione, nil addam in præſentia, niſi decretum Tridentini Concilii ſeſſ. xxii. prohibens *candelarum certum numerum*, *qui magis a ſuperſtitioſo cultu*, *quam a vera Religione inventus eſt*.

XII.

Sequitur, ut nonnulla dicamus de ſacris celebrantium indumentis, contracte tamen & breviter; de his enim univerſim egimus præcitato capite tertio ac viceſimo. Sunt autem, quibus ſacerdotes omnes utuntur, *Amictus*, *Alba*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, *Planeta*. Amictus, inquit Cardinalis Bona, appellatur etiam *Superhumerale*, *Ambolagium*, *Anabolarium*, & per analogiam ad legalium ſacerdotum indumenta, *Ephod*. Ac priora duo vocabula, cum latina ſint, ſatis ſunt nota. Tertium *Ambolagium* idem eſt, ac Græcorum ἀναβολάγιον, a verbo ἀναβολέω, *induo*: anabolarium vero eſt idem cum ἀναβόλαιον, ornamentum ſcilicet, quo humeri proteguntur: Ephod ab אָפַד, *ligavit*, ſeu, *cinxit*, derivat. Claudius De-Vert amictum adhiberi cenſet ad collum undique cingendum, ne contrahatur raucedo: ſed attendenda potius ſignificatio myſtica, de qua Bruno Signienſis de Veſtimentis Epiſc. *Amictus quidem*, *quo & collum ſtringitur*, *& pectus tegitur*, *interioris hominis caſtitatem deſignat*: *tegit enim cor*, *ne vanitates cogitet*; *ſtringit etiam collum*, *ne inde ad linguam tranſeat mendacium*. Indecorum eſſe ſacrum facere, hærente in capite amictu, fatentur Pariſienſes Theologi Joannes Du-Tour, & Honoratus Tournelius, tametſi hiberno tempore ita Miſſas agere conſuetum ſit in Eccleſia Pariſienſi. Vide Tournely de Euch. pag. Venetæ edit. 441. Viget idem mos, rigente hieme, in Polonia: permittendum cenſent aliqui apud Sinenſes, ubi detectio capitis non eſt honoris ſignificatio. Nemini ex decreto S. R. C. 3. Auguſti 1652. fas eſt ſacrificium pera-

Digitized by Google

peragere *cum caſarie ficta*. Albam vocant etiam Eccleſiaſticarum rerum illuſtratores *camiſiam*, *ſubuculam*, *veſtem talarem*, *lineam dalmaticam*, & Græco vocabolo *ποδήρη*, *poderem*; quod uſque ad *pedum* talos dimittatur. Hujus mentionem facere Carthaginienſa Conciliom IV. celebratum aono 398. cap. 41. Hieronymus adverſus Pelagianos, Magous Gregorius I. libro in Ezechielem cap. II. aliique bene multi. Hac veſte deſignari vitæ innocentiam, ornamenta virtutum, bonorum operum perſeverantiam, & veſtem albam, qua Herodes illuſit Chriſto demonſtrat lib. 3. Rationalis cap. 2. clariſſimus Mimatenſis Epiſcopus. Sacerdotes quoque Iſidis *veſtibus lineis* utabantur, teſtibus Apollonio, Apolejo, Plinio, Ovidio, quorum ſcriptorum loce laudent Sauſſajus, Bona, Durantus: imitati ſiquidem ſunt idololatræ typum, de quo Apocalypſis XIX. 8. *Byſſinum enim juſtificationes ſunt ſanctorum*. Cingulum, quod & *balthum*, ac *zonam* appellant, indicium eſſe caſtitatis docent Innoc. III. lib. I. de Myſt. Miſſæ cap. 15. Stephanus Eduenſis da Sacram. altaris cap. 10. Rabanus Maurus lib. I. Inſtitut. Clericorum cap. 13. Ex Concilio Aurelianenſi an. 511. can. 20. *Monacho in monaſterio zonas habere non licet*, ut legitur cap. *Monacho* 27. q. I. c. 32. Curnam, quæſo, ſi zone aeſtitetis eſt ſymbolum? Pro zonis quidam legendum putant *Tzangas*, ideſt, cothurnos, quos & in urbe ſingulis vetat Codex Theodoſianus l. 2. *de habitu, quo uti oportet*, & Clericis Capit. Caroli M. lib. 7. cap. 304. Alii Aurelianenſem canonem exponunt de munuſculis a muliere acceptis: ſed prior interpretatio comprobatur vatari lectiona, quæ apud Jacobum Petitum habet *ciangas*: de qua voce agit in Gloſſario Du-Cangius. *Manipulum* appellatum quoqua invenimus *Panonem*, *Mappulam*, & a Græcis *ἐπιμανίκιον*, quaſi *ſupermanicale*. Subſtitutum utique eſt loco mantilis, quo ſacri miniſtri frequenter tergabant manus, & interdum affluentiem lacrymarum, ut de Arſenio legimus in Martyrologio Bedæ XIV. Kal. Auguſti. At hinc non ſequitur *manipulum* myſtica ſignificatione carere. Illo Honorius Auguſtodunenſis ait denotari pœnitentiam, S. Bonaventure patientiam atqua humilitatem, quibus *tamquam clypeo* munimur ad ſpiritale certamen, Theodorus Balſamon vincula Chriſti manibus implicata, Latina autem Eccleſia dolorem ac fletum, cui in altera vita copioſa merces rependitur. Ideo ponitur *in ſiniſtra*, quæ ſignificet vitam hanc tranſitoriam. Epiſcopo imponitur tantum confeſſione peracta (inquit Bona) priſco more, quoniam tunc *Caſula* elevabatur, ut celebrantium brachia eſſent ad divinum opus expedite. *Stola* nomen, derivatum a *στέλλω*, *inſtruo*, *orno*, uſurpabatur e veteribus de quovis indumento, e Latinis vero pro veſte muliebri uſque ad imos pedes demiſſe; pro muliebri æque, & virili e ſcriptoribus Græcis. Frequentius uſurpatum aſt idem nomen ad ſignificandum honeſtum, ſplendidumque ornamentum; unde legimus Gen. 41. 42. e Pharaona Joſeph donatum *ſtola*, eadem ab Aſſuero Eſther 6. 11. veſtitum Mardochæum, Aaronem quoque cetaroſqua Pontifices Eccli. 45. 12. indutos *ſtola ſanctia*. Veneti cives ſtolam appellant panni ſegmentum oblongum & dodrantalis latitudinis, quod humero injiciunt ſiniſtro. At rarum Eccleſiaſticerum Scriptores deſignant eo vocabuli interdum *Pallium Archiepiſcopale*, & commoniter veſtem anguſtam in modum faſciæ, quam diaconi, ac presbyteri geſtant in humeris, & quam veteres appellara ſolent *Orarium*. S. Antoninus, & JCC. tradunt deferri ſtolam in ſignum juriſdictionis, ideoque ſummum Pontificem univerſalis Eccleſiæ Paſtorem ſemper procedere ſtola ornatum. Amalarios, Stephanus Eduenſis, Durantus, aliique plures ab eo laudati lib. 2. de Rit. Eccl. Cathol. cap. 9. docent ſtole collo ſuperpoſita demonſtrari *miniſterium Evangelicæ prædicationis*; at oratio a presbyteris illa ſe ornantibus recitata commonſtrat *ſtolam* ſymbolum eſſa juſtitiæ & immortalitatis, quam amiſimus in Adami prævaricatione. Hanc immortalitatem appellat *ſtolam* S. P. Auguſtinus lib. VI. in Geneſ. cap. 27. n. 38. eique ſubſcribit S. Bernardus ſerm. 3. de ſanctis. Sequitur *Planeta* ſic dicta, quod oris errantibus evagetur; olim autem quod totum hominem a collo uſqua ad pedes ambiret, & veluti parve caſa circumdaret, *Caſula* appellabatur, Græci *φαινόλιον* dicunt: quod vocabulum occurrit 2. ad Timotheum 4. 13. ubi noſter vertit *Penulam*. Hinc plure de veſte illa Pauli diſſidia, de quibus ad annum 58. n. 67. Baronius, contendentibus aliis vellem illam Troade apud Carpum relictam fuiſſa ſacram, aliis commune pro depellendis imbribus, aliis etiam librorum thecam. Sed nihil ex Græca, aut Latina verſione hinc pro ſacra veſte inferas; ſiquidem tam Latinorum *penula*, quam Græcorum *φαινόλης*, ſive *φαινόλιον* aſt ſuperius, ſpiſſumque indumentum, aptum arcendis imbribus, dictum a *φελλίνῳ*, quod aſt, *in aqua fluito*. Hinc Hieronymus, Chryſoſtomus, & Theophylactus Commentariis in Paulum *τὸν φαινόλιον* interpretantur *veſtem hyemalem*. Ad ſignificandum tamen indumentum ſecerdotale hæc vocabula recta adhibentur; nam *Planetam* legimus apud Rabanum, Ivonem, Hildebertum, & jam ab anno 633. adhibita fuit eadem vox cap. 27. in IV. Synodo Toletana. *φαινόλιον* occurrit in omnibus libris Græcorum Liturgicis; *Caſula* denique in libris Alcuini, Ruperti, Honorii, aliorumqua. *Caſula* olim ſuper brachia complicabatur, unde Latini, ut facilius ſacris operarentur, cœperunt paullatim eam ad latera ſcindera & decurtare: da quo plura lib. I. cap. 24. n. VIII. Cardinalis Bone. Stephanus Eduenſis in Caſula denotari exiſtimat veterem & novam Eccleſiam, Innocentius III. Hugo, Ivo, Alcuinus, aliique complures duo caritatis præcepta, nonnulli inconſutilem Chriſti veſtem. Erudite pertractat de Caſule, præter Auctores de divinis Officiis ſimul Romanis typis collectos, & recentiores permultos, Joannes Stephanus Durantus lib. 2. de Rit. Eccl. Catholicæ cap. 9. nu. 17. & 19.

XIII.

Quædam addam modo de *Calice*, *Patena*, *Corporali*, *Hamulis*, *& Campanula*. Calicem Varro dictum putat vas, quo veteres utabantur ad *calidam* potionem, Iſidorus e *κᾶλον*, *lignum*, quod vaſa potoria initio lignea fuerint, ac Priſcianus a *κύλιξ*, quod eſt *torno confectum*. It, quibus in ſacrifieiis utimur, *calices*, priſcis ſæculis lignei fuerunt, vitrei, ſtannei, pro varia tamporum conditione, ut demonſtrant viri clariſſimi, Bona lib. I. cap. 25. aximus Pontifex ſect. I. n. 26. Boldetios de Cœmeteriis lib. I. cap. 39. & alii. At non defuerunt, furentibus etiam perſecutionibus, calices pretioſiores; nam & argentea pro ſacrificio vaſa inventa ſunt in Cœmeteriis Romanæ Urbis: quare Prudentius hymno 2. *περὶ στεφάνων* deſcribit præfectum Urbis, dum a Laurentio peteret Eccleſiæ theſauros, ita loquentem:

Hunc eſſe veſtris Orgiis
Moremque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis
Libent ut auro antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

Stannei calices pervetuſti ſervantur adhuc Romæ in Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani in Foro Boario, & in Baſilica Lateranenſi. Calicem illum, in quo Chriſtus Dominus conſecrevit, fuiſſa argenteum, diuque ſervatum Jeroſolymis, ſcribunt Beda de locis SS. cap. 2. & Baronius ad annum 34. n. 63. ex achate, vel onychino lapide fuiſſe confectum probare nititur Sauſſajus lib. 8. Panopl. Sacerdot. eumque viri graves aſſervarum tradunt in majori Valentinæ civitatis Eccleſia. At Chryſoſtomus hom. 60. ad populum Antioch. ſive potius 51. in Matth. pag. edit. Commel. 455. ait nil in Cœna, *præter ſacra myſteria*, pretioſum interfuiſſe. Tribarienſe Concilium anno 895. cap. 18. inquit Zephirinum Romanum Pontificem XVI. ſtatuiſſe ut Miſſæ celebrarentur *patenis vitreis*: Urbanum autem I. *miniſteria ſacra feciſſe argentea*: decrevitque idem Concil., ut calix cum patena, *ſi non ex auro, omnino ex argento fiat*; ſi quis autem paupertimus eſt, *ſaltem ſtanneum calicem habeat*; de ære, aut aurichalco non fiat, *quia ob vini virtutem facit æruginem, pariterque vomitum provocat*; nullus danique Miſſas *in ligneo, aut vitreo calice* præſumat agere. Vida cap. 44. *Vaſa*, & cap. 45. *Ut calix*, de Conſecrat. diſt. I. necnon cap. 14. *Litteras*, de Celebrat. Miſſarum, in 3. Decretal. Tit. 41. Erant & *Calices miniſteriales*, ceteris ampliores, ac pleni vino, in quos refundebat Archidiaconus paullulum ſanguinis *ad complementum communionis* laicorum. Errant propterea, qui cenſent factam in hujuſmodi calicibus conſecrationem atqua oblationem. In unum ex his calicibus S. Remigius Remenſis Epiſcopus apud Hincmarum in ejus Vita hos verſus inſcribi juſſit:

Hauriat hinc populus vitam de Sanguine ſacro
Injecto, æternus quem fudit vulnere Chriſtus,
Remigius reddit Domino ſua vota ſacerdos.

Qui verſus mire confirmant ſententiam V. Cl. Dominici Georgii in Liturg. Romani Pontif. lib. I. cap. 3. de uſu *Calicis miniſterialis*. Quæ de calice diximus, eadem de *patena* dicenda ſunt: nam *vitreas patenas* ſervarunt nobis cœmeteria Calixti, Prætextati, & Priſcillæ, & quidem diſtinctas e communibus; quoniam ſacræ anguſtiora ſunt formæ, Chriſti, & Apoſtolorum imagines referunt, & carent etiam inſcriptiona illa profanarum, (cavæ namqua erant, & potoriæ) *Vivite*, *Bibite*, aut Græcolatina, *Piete*, *Zeſete*. Legendus in Obſervationibus ſuis Boldetius Tom. I. pag. 189. Patenas vero *argenteas*, vel *aureas* commemorant Anaſtaſius in Silveſtro, & in Nicolao, Alcuinus Poemate 3. ubi ait: *Sit laſa argento conſtat fabricata patena*, *&c.* Debet tam calix, quam patena ab Epiſcopo conſecrari, ut dixi præcedenti libro cap. 10. de benedictionibus chriſmate peragendis. *Corporale* appelletur etiam ab Eccleſiaſticis Scriptoribus *palla*, ac *pallium*, *quo ſacra munera conteguntur*; ſed uſus invaluit, ut *palla* dicatur parvum lineumqua calicis operimentum; ac revera Meldenſe Concilium apud Burchardum lib. IV. cap. 13. *pallam e corporali* diſtinguit. Utrumqua ſimul nomen complectuntur Sacramentarium Gregorii, & Ordo Romanus,

Digitized by Google

nus, ubi legitur *Corporalis palla*. De Corporali omnes interpretantur quod legitur apud Anaſtaſium in Silveſtro, ſacrificium *non in ſerico, neque in panno tincto, ſed tantum in lineo* faciendum eſſe. In manticula, quam *burſam* vocant, corporalem ſindonem recondi ex antiqua conſuetudine, infertur ex adinventa in ſancti Bertini tumulo, filis aureis contexta. Super hanc deferri nequit a Sacerdote linteolum, quo manus terguntur, ex decreto S. Congregat. Rit. 1. Septemb. 1703. Velo calicem in anteriori parte poſt communionem cooperiendum eſſe, alio decreto 1. Martii 1698. ſtatuit eadem S. R. C. Quid vero ſignificent calix, patena, & corporale, explicavit Hildebertus Cenomanenſis de Myſt. Miſſæ Tom. XXI. Bibl. PP. pag. 163. hiſce verſibus:

Ara crucis, tumulique calix, lapidiſque patena,
Sindonis officium candida byſſus habet.

Hamularum frequenter meminit Ordo Romanus: hamulaſque argenteas legimus apud Anaſtaſium in Silveſtro, & in Gregorio IV. ſed vitrearum communior uſus, & ad vinum diſtinguendum ab aqua magis aptus. Invenimus *hamulas offertorias* dictas aliquando *gemelliones* ob formæ ſimilitudinem, communiter autem *ampullas*. Extat in carmine de Epiſcopis Eboracenſibus:

Juſſit & obryzo non parvi ponderis auro
Ampulla ut major fieret, qua vina ſacerdos
Funderet in calicem ſolemnia ſacra celebrans.

Adhibetur denique in ſacrificio *campanula*. Inſtituiſſe Gregorium IX. ut hæc pulſaretur, dum *conficitur Corpus Domini*, ſcribit Auctor Vitæ Gregorii tom. 3. Script. Rer. Italic. pag. 582. cum Spondano ad an. 1239. num. 12. Sed Bona lib. 2. cap. 13. num. 2. & Mabillonius in Ordinem Romanum cap. 7. demonſtrant ex epiſtola 142. Ivonis Carnotenſis, qui obiit anno 1115. atque ex ſtatutis Gulielmi Epiſcopi Pariſienſis, qui floruit eodem fere tempore, conſuetudinem illam eſſe Gregorio vetuſtiorem. Cæſarius Heſterbacenſis apud Lupum de ſacris Proceſſ. cap. 10. tribuit eamdem inſtitutionem Guidoni Ciſtercienſi, S. Romanæ Eccl. Cardinali, Epiſcopo Præneſtino, & Innocentii III. in Germaniam Legato. Sed hæc accipienda ſunt de inſtitutione hujus ritus apud Germanos; nam Innocentius anno tantum 1198. VI. Idus Januarias electus eſt ſummus Pontifex.

XIV.

Rebus omnibus ad ſacrificium paratis, opportunum tempus eſt attendendum. Perſecutionum metu olim peragebantur in nocte fidelium conventus, quos Tertullianus de Corona militis vocat *antelucanos*; qua voce uſus eſt etiam Cicero deſcribens cœnas Catilinariorum, & compotationes uſque ad diluculum. Plinius in Epiſt. ad Trajanum de Chriſtianis refert, *Quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire*: ac propterea iidem Chriſtiani a gentilibus dicti ſunt, ut legitur apud Minucium Felicem in Octavio, *latebroſa & lucifugax natio*. Cenſebant tamen antiqui fideles celebrandos eſſe, ubi convenire poſſent, diurnos cœtus; objiciebatque idem Tertullianus Valentinianis *nocturnas initiationes*. Peculiari nomine pervigilium agebant, & pernoctabant in ſolemnibus Paſchæ, ut referunt ipſe Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 4. & Lactantius lib. VII. cap. 19. Pace itaque Eccleſiis reſtituta agebantur publicæ Miſſæ *hora tertia, ſexta, ac nona*; paucis diebus exceptis, in quibus noctu celebrabantur, ideſt, in Nativitate Domini, Sabbato ſancto, in feſto S. Joannis Baptiſtæ, & in collatione ſacrorum Ordinum in ſabbatis Quatuor temporum. Atque in his quoque ſervatur nunc dierum aliorum conſuetudo, una excepta nocte Dominicæ Nativitatis. Joannes Beleth de Divinis Officiis cap. 30. Micrologus cap. 58. Gerſon in Summa Theol. cap. 4. de Euch. rationem afferunt, cur Miſſa prædictis horis ſit celebranda, nimirum quod *hora tertia* Chriſtus crucifixus fuerit linguis Judæorum, *hora ſexta* mortis ſententiam ſubierit, & *hora nona* emiſerit ſpiritum. Sed Petrus Paludanus in IV. diſt. 3. q. 2. hinc inferebat celebrandam quoque Miſſam in aurora, quia tunc Principes ſacerdotum *concilium fecerunt adverſus Jeſum*. Peragebatur itaque Miſſa hora nona diebus jejuniorum ob jejunantium communionem, ut conſtat ex Concilio Moguntino apud Ivonem p. 4. decret. cap. 35. ceteris diebus ante meridiem, ut fideles ſacro peracto domum ad prandendum adirent. Privatæ Miſſæ *ab ineunte aurora uſque ad meridiem* ſunt peragendæ; ac veſpertinas omnino prohibuit an. 1556. S. Pius V. Quod in quibuſdam Eccleſiis Venetiarum, & in Cathedrali Veronenſi in Vigilia Nativitatis fiant ſub noctis initia, eſt peculiare Apoſtolicæ Sedis indultum. Regularibus cauſa itineris, & ex ſuperioris licentia fas eſt Miſſam celebrare integra hora ante diluculum, ſeu ante primam aeris illuſtrationem, quæ ſolet præcedere ortum ſolis, plus, minus, per horam alteram, ac ſemihoram. Sed plura de his Thomas-Franciſcus Rotarius lib. 1. de Sacram. cap. 2. puncto XI. num. 9.

XV.

Licet ſemel tantum in die Miſſas agere cuilibet ſacerdoti, ut decreverunt Alexander II. Honorius III. Innocentius III. capp. *Sufficit*, *Te referente*, *Conſuluiſti*, de Conſecrat. diſt. 1. & de Celebrat. Miſſarum. Ex vetuſta tamen conſuetudine tres celebrantur in die Nativitatis Domini: idque inſtitutum a Teleſphoro, ſæculo Eccleſiæ ſecundo, affirmant Walafridus de rebus Eccleſ. cap. 21. cui ſubſcribunt quamplurimi; tametſi epiſtola Teleſphori, unde exſcriptum eſt cap. *Nocte ſancta*, cit. diſt. 1. de Conſecrat. cenſeatur ſuppoſititia. Morem tamen illum antiquum eſſe conſtat ex VIII. Homil. S. Gregorii, quæ incipit, *Quia largiente Domino Miſſarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus*. In privatis quoque Oratoriis, ubi in ſolemnioribus diebus permittitur una Miſſa in gratiam infirmorum, qui e domo nequeunt egredi, poſſunt eadem Nativitatis die ex decreto S. Congregat. 20. Januarii 1725. celebrari tres Miſſæ. In ceteris diebus neque ob viaticum infirmorum, neque in commodum agentium itinera, neque ob celebrationem nuptiarum fas eſt eidem Sacerdoti iterum Miſſam peragere, cum hi caſus neceſſitatem abſolutam non inferant. Mos eſt in regno Aragoniæ, quod etiam regna Valentiæ & Catalauniæ complectitur, ut in die Commemorationis omnium defunctorum ſacerdotes ſæculares duas Miſſas, Regulares autem tres Miſſas celebrent: quod alii a Julio III. alii a Paulo III. conceſſum affirmant. Eamdem facultatem petierunt quidam alii ab Apoſtolica Sede, ut fecit ſedente Clemente XI. Archiepiſcopus Pragenſis; ſed res a Conſultoribus S. Congregationis Concilii, juſſu Pontificis Maximi, revocata ad examen die 4. Martii 1711. paſſa eſt ſupplicationis repulſam. At plura de his Pontificum Decus in Opere de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. num. 35.

XVI.

De ſtipendio, & eleemoſyna pro Miſſis agendis, dictum eſt ſupra: quare ad memoriam tantummodo revocanda ſunt ſtatuta quædam ſaluberrima ad avaritiam coercendam lata, & omnino conſona æquitati. Primum eſt, *Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas etiam pro aliis miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſunt eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere*. Alterum, *Eſſe contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre*. Tertium, *Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, non poteſt per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta*. Quartum, *A ſacerdotibus tot Miſſæ abſolute celebrandæ ſunt, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerunt; alioqui graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur*. Atque hæc iiſdem verbis conſtitutionum Romanorum Pontificum, Urbani VIII. Alexandri VII. & Innocentii XII. conſcripta ſunt. Adde ex decreto Congregat. Cardinalium approbante Paulo V. die 5. Novembris 1605. licitum non eſſe ſacerdoti *anticipate ſacrificium applicare pro eo, qui poſtea daturus eſt eleemoſynam, cum ſuſpenſione effectus ſacrificii*. Hæc autem, quoniam ſingulis nota ſunt, attigiſſe ſufficiat.

XVII.

Reliquum eſt, ut breviſſime percurramus præcipuas Miſſæ partes, de quibus egerunt prolixe Amalarius, Ivo, Rupertus, Alcuinus, Rabanus, Durandus, Bellarminus, Bona, atque ut prætermittam ceteros, ſæpe quidem, at nunquam digne laudatus, Supremus Eccleſiæ Rector. Itaque Confeſſione præmiſſa recitatur, aut canitur a choro *Introitus* ex vetuſta conſuetudine, qua ante ſacrificium decantabantur Pſalmi Davidis; quibus per Horas Canonicas diſtributis, ſelecti fuerunt verſiculi ad excitandam devotionem idonei: quare *Introitus* a Pſalmis non deprompti, dicuntur a pertractantibus de Re Liturgica *irregulares*. Introitu ſignificantur Prophetarum de Chriſto oracula, Patrum vota, atque ipſe Salvatoris adventus: ideoque dum ſolemniter res divina peragitur, cantari incipit, priuſquam ſacerdos, typum Chriſti gerens, accedat ad aram. Cecinit propterea de hujuſmodi acceſſu in Carmine ſuperius citato Turonenſis Epiſcopus Hildebertus:

Secreta ſiquidem procedit ab æde miniſter,
Ortu ſecreto venit ad ima Deus.

Sequitur *Kyrie eleiſon*, non ex inſtitutione S. Gregorii, ut quidam dixerunt, ſed ex conſuetudine vetuſtiori, quam ante Gregorium laudat can. 3. Concilium Vaſenſe celebratum anno 529. Græca verba ſunt, idem ſonantia ac *Domine miſerere*. Græcis aliquando verbis utimur, quemadmodum & Hebraicis, ut demonſtremus undique collectam Eccleſiam. Etſi definitus olim non erat numerus, & protrahitur etiamnum in Miſſis Pontificis, donec perdurat reverentia illi a Purpuratis Patribus exhibenda, novies tamen repetitur *Kyrie eleiſon*, ut a tribus SS. Trinitatis Perſonis imploretur miſericordia *adverſus triplicem miſeriam ignorantiæ, culpæ, & pœnæ*; quemadmodum docet S. Thomas q. 83. art. 4. Mitto conjecturas alias, quas afferunt Turrecremata in cap. *Jacobus*, de Conſecrat. diſt.

diſt. 1. Amalarius lib. IV. cap. 2. & Innocent. III. lib. 2. Myſter. Miſſæ cap. 19.

Hymnus Angelicus locum habet poſt *Kyrie eleiſon*: de quo hymno Hildebertus,

Angelicum poſt hæc ſacrifex pater incipit hymnum,
Inceptum complet vociferando chorus:
Incipiens memorat quæ Salvatoris in ortu
Gaudia paſtores Angelus edocuit.
Cantica, quæ poſt hunc Superi cecinere, recenſet
Gloria, *quam complet vociferando chorus.*

Quidam hunc hymnum Teleſphoro, alii Symmacho, nonnulli Hilario Pictavorum Epiſcopo tribuerunt. Joannes Stephanus Duranti adſcribit Apoſtolis, quod fere integer extet lib. VII. Conſtit. Apoſtolic. cap. 47. infirmiſſima, ut liquet, ratiocinatio. Nos contenti erimus eruditione Patrum Synodi IV. Toletanæ an. 633. quorum can. 13. hæc ſunt verba: *Nam & ille hymnus, quem nato in carne Chriſto Angeli cecinerunt*, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: *reliqua quæ ibi ſequuntur Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt*, &c.

Orationi præmittitur *Dominus vobiſcum*, quæ eſt populi ſalutatio, & ad proximas preces invitamentum. At Epiſcopi dicere ſolent, *Pax vobis*, quod imperite quidam dixerunt repugnare can. 3. Concilii Bracarenſis, quod an. 563. ſtatuit *ne populos aliter Epiſcopi, aliter presbyteri ſalutarent*. Verum obſervarunt viri docti perſtringi illo canone Priſcillianum contendentem ſemper ab Epiſcopo dicendum, *Pax vobis*, & ſemper a presbytero, *Dominus vobiſcum*: unde ſequitur in canone, *non ſicut Priſcilliana pravitas permutavit*. Vide notas Binii ex Garzia Tom. V. Concil. pag. 844. Collect. Labbeanæ.

Poſt *Collectas*, ſive orationes recitatur *Epiſtola*, tum *Graduale*, *Alleluja*, vel *Tractus*: olim quippe in Miſſis ſacrarum litterarum lectionem fuiſſe habitam aperte colligitur ex Juſtino Apolog. 2. Tertul. Apologetici capite 39. & Auct. Conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 5. Lectori olim demandatum hoc munus, ſcribunt Micrologus, Durandus, & Martenius: ſed legimus canone 4. Concilii Remenſis an. 813. *Subdiaconi miniſterium eſſe Apoſtolum legere*. Animadvertu autem ex præcit. cap. 57. Conſtitut. Apoſt. ex Pachimere ad cap. 3. Eccleſ. Hierarchiæ, & ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de Miraculis S. Martini cap. 6. olim Propheticam lectionem Apoſtolicæ, ſeu Paulinæ fuiſſe præmiſſam. Illa ergo ad minores clericos, hæc ad Subdiaconum ſpectat juxta canonem Remenſem, & vigentem adhuc conſuetudinem, quando lectio præmittitur Liturgiæ. *Graduale* nomen accepit, ex quo caneretur dum per gradus Diaconus in ambonem lecturus Evangelium conſcenderet. *Alleluja*, quæ vox idem ſonat, ac *Laudate Deum*, tam laudis ſignum eſt, quam ſpiritualis exultationis: ideoque jejuniorum tempore prætermittitur, ſubſtituto *tractu*, qui juxta Innocentium III. Alcuinum, & Stephanum Eduenſem ſignificat *Eccleſiæ gemitum*, inde ſortitus nomen, quod *tractim*, & voce graviori canatur. De *Epiſtola*, *Graduali*, & *Alleluja* hæc Hildebertus:

Lectio, quæ ſequitur, doctrinam ſignat eorum,
Qui ſunt præmiſſi Septuaginta duo.
Illorum monitis, dum reſponſoria cantat,
Edocet aſſenſum ſe tribuiſſe chorus.
Alleluja *ſequens memorat, quâ gloria mentis,*
Quam pia laus oris ſit comitata fidem.

Evangelium ex primæva inſtitutione legi in Miſſa, manifeſtum eſt ex Concilio Laodiceno, Carthaginenſi IV. Arauſicano 1. aliiſque Eccleſiaſticis monimentis collectis a Cardinali Bona lib. 2. cap. 7. Ivo, Micrologus, Alcuinus, & alii obſervarunt legi Evangelium *in ſiniſtra, & aquilonem verſus*, ad commonſtrandum quod lux Evangelii illuxerit gentibus, fruſtra diabolo contranitente. De *Symbolo*, & illius traditione facta Catechumenis dictum eſt alibi: item de oblationibus, & de aqua vino admiſcenda, hoc ipſo in libro pag. 55. 61. 96. &c. *Præfatio*, quæ dicitur quoque *Immolatio*, & *Conteſtatio Miſſæ*, & qua populi affectus excitatus, ac depoſcitur, ut humanæ vocis ſupplicatio uniatur laudibus ſupernarum Virtutum, commendarunt a Cypriano in libro de Oratione, ab Auguſtino in Epiſtolis ad Dardanum, ad Honoratum, ad Probam, a Milevitano Concilio, atque a Cyrillo Jeroſolymitano, Anaſtaſio Sinaita, & Chryſoſtomo, adeo, ut ipſius *Præfationis* antiquitas, & auctoritas nequeat ab ullo ſanæ mentis in dubium verti. Præfationi adnectitur τρισάγιον, ſive hymnus, quem Græci ἐπινίκιον, ideſt, *Triumphale carmen* appellant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* Hymnum hunc Deo convenire demonſtrant ſacræ litteræ, Iſaiæ VI. 3. & Apocalypſis IV. 8. eodemque hymno diſtinctionem Trinitatis, & Divinitatis unitatem prædicari docet Ambroſius lib. 3. de Spiritu S. cap. 18. Idem aſſerit Hildebertus his verſibus:

Ter poſitum Sanctus *Trinum notat eſſe; ſed Unum*
Declamat Dominus, *atque* Deus Sabaoth.

Canon ſecundum vocis ſignificationem ſonat idem ac *Regula*, & complectitur ritum, regulamque ſacrificii peragendi; unde & *Actio* per antonomaſiam appellatur, ut dictum eſt ſupra, necnon *Legitimum* ab Optato lib. 2. adverſus Parmenianum, atque a Concilio Eboracenſi *Secretum Miſſæ*. Diſertiſſime de Auctore *Canonis* pertractant Joannes Stephanus Duranti lib. 2. cap. 39. Menardus in Sacrament. Gregorii, & Bona lib. 2. cap. 11. Inſtitutum *multis ante ſæculis* docet ſeſſ. XXII. cap. 4. ſynodus Tridentina: idque evincitur ex quo in illo antiqui tantum Martyres commemorentur; ex quo permulta *Canonis* verba legantur lib. IV. de Sacramentis inter Opera Ambroſii, ex quo denique contineatur idem Canon in Antiquo Ordine Romano, atque explicetur ab Alcuino, & Amalario, qui floruerunt Caroli Magni temporibus. Recitandum *Canonem* ſubmiſſa voce non una ſuadet ratio: ſiquidem ſacra myſteria ſervare in occulto dignitatem ſuam ſcribit S. Baſilius de Spiritu S. cap. 27. atque idem confirmant quæ diximus pag. 70. & 79. Chriſtus quoque offerens ſemetipſum in Cruce oravit in ſilentio, ſeptem verbis, vel ſententiis exceptis, alta voce juxta Evangeliſtarum narrationem prolatis.

Orationem Dominicam habent in Liturgiis ſuis omnes Chriſtianorum populorum nationes, illamque ex Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutione quotidie recitari *in ſacrificio Dominici Corporis* affirmat lib. 3. adverſus Pelagianos ſplendidiſſimum Eccleſiæ Lumen Hieronymus. De hac vero oratione plura ſcripſimus libro XXIII. cap. 13. Perantiquam eſſe *fractionem hoſtiæ* conſtat ex Clem. Alexandrino libro 1. Stromatum, Gregorio Nazianzeno epiſt. 240. ad Amphilochium, Chryſoſtomo hom. 24. in priorem Epiſtolam ad Corinthios, ac S. P. Auguſtino epiſt. 59. nunc 149. ad Paulinum. Varias trium *hoſtiæ* partium ſignificationes recenſet lib. IV. *Rationalis* Durandus: ac de iis agit etiam S. Thomas quæſt. 83. art. 5. & in eumdem articulum Sylvius. Proferemus eam tantummodo, quæ exprimitur pervulgato metro:

Tres partes factæ de Chriſti Corpore ſignant,
Prima ſuam carnem, ſanctoſque ſecunda ſepultos,
Tertia viventes: hæc eſt in Sanguine tincta.

Ut in Miſſis *tempore confractionis Dominici corporis* diceatur, *Agnus Dei, &c.* ſtatuiſſe fertur Sergius I. ad Pontificatum evectus an. 687. ſed apud Græcos id prius obtinuiſſe oſtendunt antiquæ ipſorum Liturgiæ. Ea tamen verba, *Dona nobis pacem*, addita fuiſſe poſterioribus temporibus ad ſchiſmata Eccleſiæ tollenda, auctor eſt Innoc. III. lib. V. de Myſt. Miſſæ cap. 6. Deſiderari in antiquis Miſſalibus, nec recitari in Baſilica Lateranenſi, in qua tertio repetitur juxta antiquam conſuetudinem, *Miſerere nobis*, ſcribit lib. 2. cap. 16. num. 5. Eminentiſſimus Bona. Cæſar Raſponus lib. 1. *de Baſilica Lateranen.* cap. 2. ſcribit in eadem Baſilica non addi, *Dona nobis pacem*, ſed congeminari illud, *Miſerere nobis, quia videlicet in cæleſti Eccleſia, cujus typum hæc gerit, ſempiterna pax nunquam non invenitur*. Idem ex Paulo Diacono de eadem Baſilica cap. 6. refert Martenius: etſi in Eccleſia Sanctorum neque culpa, neque calamitas eſt ulla, cujus cauſa illud *Miſerere nobis* ingeminetur. De communione, collectis, ac dimiſſione populi, quoniam egimus in ſuperioribus diſſertationibus, ſupervacaneum foret iterum pertractare. Hæc ergo ſunt, quæ conſcripſimus de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento; cumque nihil eo dignius poſſimus offerre Deo, ſive in gratiarum actionem, ſi quid recte diximus, ſive in expiationem inertiæ, & ignorantiæ noſtræ, ſi forte in multis erravimus, finem imponemus libro triceſimo tertio verbis Alcimi Aviti in Poemate *de tranſitu Maris rubri*, prout extant tom. VIII. Bibliothecæ Patrum, editæ per Margarinum De la Bigne pag. 614.

Ergo agnoſce tuum in nobis rex Chriſte cruorem,
Atque tuos educ Ægypti e carcere ſervos;
Et quocunque loco ſanctus mactaberis Agnus,
Inque cibos ſanctum porrexerit hoſtia corpus
Chriſte tuum, non attingat tua dextera vindex.
Præterea veterem exutos formamque, virumque,
In vitæ novitate tuum fac ſumere corpus,
Et ſacrum æterni calicis potare cruorem.

Digitized by Google

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS QUARTUS,

In quo agitur de Sacramento Pœnitentiæ, & de actibus, qui in pœnitente ad ejuſdem Sacramenti integritatem requiruntur, nempe Contritione, Confeſſione, & Satisfactione.

HOC mihi Volumen exornanti, & magna alacritate ipſi conſcribendo operam impendenti, compreſſit primum ac fregit, deinde excitavit & vehementius incendit animum magnitudo adverſarum rerum, quibus vexabatur Italia noſtra, inter regiones orbis univerſas pulcherrima, ac florentiſſima. Etſi enim in illa Urbe conſiſto, quæ caput eſt ceterarum, & in qua floret religio, pax regnat, nec auditur armorum fragor moderante rempublicam Pontifice Glorioſiſſimo; ad aures tamen meas interdum pervenerunt diſperſi ac ſiniſtri rumores, quibus aliquando nunciatum eſt amica oppida ingenti terræmotu concuſſa; tum Meſſanam vetuſtiſſimam, munitiſſimamque Siciliæ Urbem, non abſque magna finitimarum gentium formidine, oppreſſam peſtifera contagione; affici inſuper incommodis plurimis, propter exundantes exterorum militum copias, provincias atque civitates opulentiſſimas: quæ ſane narratio, addita ſupremi Paſtoris ſolicitudine, ſupplicationum frequentia, arctiori viarum cuſtodia, necnon populari loquacitate, quamquam ut plurimum ineptiarum atque mendaciorum pleniſſima, meipſum haud mediocriter commovebat. Interea temporis qui appellantur philoſophi, & qui amant exiſtimari politici, cauſam hujuſmodi eventuum inveſtigantes, animum meum ita affectum exacerbare potius videbantur, quam recreare: dum illi in diſputationem traherent, afferant ne peſtilentiæ illuvionem occulti quidam ſpiritus præſentiſſimo infecti veneno, an vero perennes vermiculi mercibus peregrinis incluſi, qui prolis mortiferæ fœcundiſſimi, illinc erumpentes pervadant, inficiantque viventium corpora; ac præterea diſceptarent, ſit ne cauſa effectrix motus & hiatus telluris impetus exhalationum, an conjectus aer, an ignis, an copia nitri vel ſulphuris. Illi autem, qui nempe dicuntur politici, introirent Regum penetralia, divinarent conſilia procerum, dirigerent ſtationes militum, ac ſæpe inter rerum geſtarum ephemerides roderent inviolabilem Principum majeſtatem. Verum quicquid otioſi homines fabulentur; Auctor & Gubernator univerſorum quemadmodum teſtantur divina eloquia, *reſpicit terram, & facit eam tremere; mortificat, & vivificat; mittit bellum, & creat pacem; & armat creaturam ad ultionem inimicorum*. Quamobrem illud ſummopere attendendum eſt, præcipuam cauſam irruentium in nos malorum eſſe iniquitatum noſtrarum gravitatem & multitudinem, atque Deum Optimum Maximum exercere nobiſcum reſtiſſime judicis ſeveritatem, quoniam offendimus amantiſſimi Patris miſericordiam, & abutimur elementiſſimi Domini patientia. Dum hæc itaque animadverterem, & me occuparent timor mei, & aliorum commiſeratio; Quid vero, dixi, deliberandum in hoc rerum diſcrimine, quid exequendum? Piiſſimus Dominus, ut Tridentini Patres ajebant, cognoſcens figmentum noſtrum, *illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet* POENITENTIÆ, *quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur*. Profecto, ſi deleantur hoc Sacramento peccata, avertetur ſupremi Judicis indignatio, ipſomet per os unius Prophetarum elamante: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris; & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Atque hæc, humaniſſime Lector, animum meum paullo ante languidum ac torpentem impellunt rurſus & incitant ad ſcribendum: maxime quod Opus a me ſuſceptum ad pertractandum de ipſo Pœnitentiæ Sacramento, Deo adjuvante, proceſſerit. Quoniam tamen liber iſte trigeſimus quartus in nimiam molem excreſceret, ſi in eo comprehenderentur quæcumque de Pœnitentia dicenda ſunt; duas in partes illum dividendum putavi; atque in prima de Contritione tantum pertractabo, reliqua, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent, parte altera proſecuturus. Neque enim vereor, quin interim ceſſent Dei flagella, & ceteri etiam pœnitentium actus protinus conſequantur; ſi præceſſerit vera deteſtatio peccatorum, & ſalutaris contritio.

CAPUT PRIMUM.

Quæ de Pœnitentia, ut virtus eſt, ſolent huic diſſertationi præmittere Diſputatores Scholaſtici.

NON una *Pœnitentiæ* vocabulo ſubeſt ſignificatio. Grammatici enim *Pœnitentiæ* nomine intelligunt ipſum pœnitendi actum, quo aliquem facti pœnitet, ſive quo aliquis dolet ob factum noxium, vel occaſionis prætermiſſionem, quacumque ex cauſa hujuſmodi dolor concipiatur. A *pœna* originem habet ſuam, a qua verbum *pœnitet*; quamvis Iſidorus nomen derivet etiam a *punio*, quoniam *homo pœnitendo punit quod male admiſit*; Pierius vero, adſtipulante Eraſmo, velit pœnitentiam dici, quod *pone tenet*. Utimur autem *pœnitentiæ* vocabulo cum ea, quæ conſilio & voluntate facta ſunt, incipiunt diſplicere; tametſi antiquis *pœnitere* interdum idem fuerit, ac *parum videri*, prout obſervat Donatus in illud Terentii Eunuch. Act. v. ſc. 7. *An pœnitebat flagitii, te auctore, quod feciſſet*. Verum Theologi Pœnitentiæ nomine tria præſertim ſignificant, nempe intimum doloris ſenſum ob perpetratum aliquod crimen, cum vitæ male actæ expiatione & vindicta, quæ modo fiat in compenſationem injuriæ Deo illatæ, conſtituit peculiarem virtutem: externum, ſacrumque ritum, quo per miniſterium clavium dimittuntur peccata, & hæc Pœnitentia eſt *Sacramentum*, de quo ſumus diſceptaturi: pœnam denique ipſam, vindictam ſcelerum, & injunctam reſipiſcentibus ſatisfactionem.

Habent & Græci voces ſuas ad exprimendum id, quod Latini ſignificant nomine Pœnitentiæ, Μετάνοιαν, *Metanœam*, ἐξομολόγησιν, *Exomologeſim*, & Ἐπιτίμιον, *Epitimion*. Μετάνοια idem ſonat, ac *Reſipiſcentia*: nam eſt a μετανοέω, *ad mentem redeo*: atque Pœnitentiæ, ut virtus eſt, egregie nomen iſtud accommodatur. *Exomologeſis* idem ſignificat ac Latine *Confeſſio*, & eſt a verbo ἐξομολογοῦμαι, *Confiteor*: quare hoc nomen, licet aliquando deſignet reconciliationem Pœnitentium, omneſque ipſorum actus, maxime in Epiſtolis Cyprianicis, & apud Tertullianum; proprie tamen commonſtrat *Confeſſionem Sacramentalem*. Ἐπιτίμιον denique idem eſt, ac *pœna*, ſeu *mulcta* peccatis debita: derivatque ab ἐπιτιμάω, ſive ἐπιτιμῶμαι, *interminor*, vel *reprehendo*: ideoque aptiſſimum eſt hoc poſtremum vocabulum ad ſignificandum ſupplicium, & ſubeundam peccati animadverſionem.

Pœnitentia itaque priori ſignificatione ſpectata, nihil eſt aliud, quam *Virtus, qua commiſſa a nobis ſcelera deteſtamur, ac præmiſſa certa firmaque deliberatione pravas conſuetudines & corruptos mores emendandi, eadem ſcelera ſponte vindicamus, in compenſationem injuriæ Deo illatæ*. Hæretici, qui negant opus eſſe, ut perpetrata ſcelera compenſentur digna aliqua ſatisfactione, propterea quod autument impium juſtificari ſola in Chriſtum fiducia; contendunt etiam nihil aliud requiri ad veram pœnitentiam conſtituendam, præter melioris vitæ propoſitum, ac rectius proinde appellari *reſipiſcentiam*, quam *Pœnitentiam*, cum hoc nomine importetur pœna aliqua, vel inflicta, vel ſponte ſuſcepta. Urgent quidam Recentiores ad hæreticos refellendos præmiſſum Græcum vocabulum μετάνοιαν, eo quod μετάνοια idem ſonet, ac *ſcelerum pœnas exigere*, productis verſibus Auſonii ex Epigrammate XII. *in ſimulacrum Occaſionis, & Pœnitentiæ*.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat, ſic Metanœa *vocor*.

Sed infirmum eſt argumentum petitum a ſola nominis Græci etymologia; cum revera μετανοεῖν ſit idem ac *reſipiſcere, recedere a priori ſententia*, atque proprie, ut diximus, *redire ad mentem*, quod tamen minime juvat hæreticos; ſiquidem ſeſe convertere, & ad ſanam mentem redire, unde *Metanœa* nomen habet, eſt pœnitentium prior actus, quem conſequuntur patratorum ſcelerum

 dolor,

dolor, & vindicatio: immo & his, ceteriſque pœnitentium operibus ipſum *Metanœæ* nomen tribuitur; unde & corporis inflexiones, aliaque mortificationis genera *Metanœæ* dici ſolent, ſed per ſynecdochen. Ita Theodoretus narrat nonnullos in Simeone Stylita numeraſſe 244. *metanœas*, & S. Petrus Damiani refert Monachos feciſſe pro uno fratre defuncto *metanœas ſeptingentas*. Verum de his legendi Navarinus, Suicerus, Morinus, & Dumortierius.

Falſa hæreticorum opinio refutatur apertiſſimis Scripturarum ſanctarum teſtimoniis, quæ pœnitentiam non ſolum per melioris vitæ propoſitum, verum etiam per culpæ deteſtationem, amaritudinem animi, criminumque punitionem deſcribunt. Atque ut nonnulla ex multis producam, Iſaias cap. XXXVIII. 15. inquit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Joel II. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra*. Lucas 3. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Huc ſpectant pœnitentium opera, quæ ſacri libri commendant, gemitus Davidis, jejunia & ſordidatæ veſtes Ninivitarum, lacrymæ a muliere peccatrice profuſæ, humiliatio Publicani pectus tundentis, et Petri poſt trinam negationem amarus fletus. Docent ſimilia Eccleſiæ Patres: inter quos Nazianzenus Orat. XXXIX. in Sancta Lumina Pœnitentiam appellat τὸ τῶν δακρύων βάπτισμα, *Lacrymarum Baptiſmum*; & S. P. Auguſtinus epiſt. 153. num. 54. ad Macedonium, inquit: *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, niſi ut id, quod mali fecit, impunitum eſſe non ſinat*. Verum de his plura ubi de contritione, & ſatisfactione pertractabitur.

Certum inſuper eſt hanc Pœnitentiam eſſe veram propriamque virtutem, quemadmodum docent omnes Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 85. ar. 1. Etenim pœnitentia nobis a divina lege præcipitur, juxta Matth. III. 2. & Act. III. 19. *Pœnitentiam agite: Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. At lex divina, cum ſancta ſit & immaculata, præſcribit duntaxat actus virtutum. Deinde virtus definitur ex loci a S. Thoma *habitus electivus ſecundum rectam rationem*. Quid autem magis rationi conſentaneum, quam deteſtari peccata, de iis dolere eo modo, quo dolendum eſt, propoſitam intentionem habere ea vitandi, & pro virium noſtrarum modulo exhibendi ſummo Deo debitam ſatisfactionem? Pertinet ergo Pœnitentia ad veram propriamque virtutem, & quidem juxta Doctorem Angelicum art. 3. ejuſdem quæſtionis ad Juſtitiam, quatenus hæc inter Deum & creaturam locum habet; quamquam ſunt, qui diſtinguendam putant rationem, quæ ad pœnitentiam ipſam trahit, adeo, ut ſi concipiatur pœnitentia ob offenſam Dei ſummopere diligendi, ſpectat ad caritatem, & ſi oriatur ex injuria Deo illata, quam compenſare ſatagat, ad juſtitiam: quod minime D. Thomæ repugnet.

Quid vero dicendum de Pœnitentia, quam in nobis excitat timor gehennæ, et turpitudo peccati? illam procul dubio inter veras virtutes connumerare debemus. Quemquam enim volumine ſecundo pag. 229. a nobis tradita eſt definitio illa virtutis, *Virtus eſt ordo amoris*, quæ utique definitio Auguſtiniana eſt, Auguſtini verbis contexta, & Auguſtinianæ doctrinæ munimentis firmata; non tamen inde inferre quis poteſt, denegari a nobis veras, propriaſque virtutes a caritate diſtinctas. In eodem quippe volumine II. eodemque capite teſtati ſumus *dari plures virtutum ſupernaturalium habitus abſque caritate*, quod iterum aſſeruimus libro XXIII. cap. 10. commonſtrantes veram ac ſupernaturalem fidem remanere in homine impio, et rurſus cap. 12. ubi adverſus Novatores oſtendimus timorem ſervilem eſſe bonum et ſupernaturalem, atque inter dona Dei adnumerandum, neque in eo inveniri aliquid vitii, quod *eidem timori* ſit adſcribendum. Affirmavimus itaque, iterumque profitemur, & cuique forte hæc legenti declaramus, eo ſenſu a nobis virtutem locari *in ordine amoris*, quoniam etſi *abſque caritate* virtutes ſunt plurimæ, eæque actus ſuos bonos exerunt; debet nihilominus caritas iiſdem virtutibus dare *formam*, ac perfectionem, illas *ad finem ſuum dirigendo*, ne infectæ ſint, aut recto ordine deſtitutæ; quemadmodum virtutes *morales* juxta ea, quæ ſcripſimus lib. XVIII. cap. 3. non debent deflectere ab incommutabili regula nobis indita. Hoc autem iiſdem, aut conſimilibus verbis in ipſo II. volum. pag. 230. 312. & 317. aliiſque in locis abſque ulla ambiguitate tradidimus. Idem ergo, eodemque ſenſu nunc affirmamus de Pœnitentia: quæ prout oritur ex Dei amore, & deteſtatur peccatum huic amori contrarium, attinet *ad caritatem*, & ab illa elicitur, atque emanat; prout vero proficiſcitur ex timore, aut ex ratione alia ſupernaturali, ad rationem ipſam redigitur; conſtituitque etiam *ſpecialem virtutem*, quatenus in id incumbit & nititur ut deleantur peccata præterita, & injuria illata Deo compenſetur. Sed undevis oriatur, & cujuſvis generis virtus ſit; ut habeat virtutis *formam*, & complementum, ac ſit recte undequaque, id eſt, non tantum in ſe ſpectata, verum etiam ex parte ejus, quem pœnitet, debet a caritate dirigi in finem ſuum. Hæc eadem eſt expreſſe doctrina S. Thomæ cit. quæſt. 85. art. 2. ubi ait: *A caritate derivatur aliquis actus dupliciter. Uno modo, ſicut ab eo elicitus: & talis actus virtuoſus non requirit aliam virtutem præter caritatem, ſicut diligere bonum, gaudere de eo, & triſtari de oppoſito. Alio modo aliquis actus a caritate procedit, quaſi a caritate imperatus; & ſic quia ipſa imperat omnibus virtutibus utpote ordinans eas ad finem ſuum, actus a caritate procedens poteſt etiam ad aliam ſpecialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis conſideratur ſola diſplicentia peccati præteriti, hoc immediate ad caritatem pertinet, ſicut & gaudere de bonis præteritis: ſed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit ſpecialem virtutem ſub caritate*.

Indubitatum quoque eſt Pœnitentiam eſſe virtutem *infuſam*, & ex genere earum, quæ ſupernaturali adjutorio Spiritus ſancti inſpirantur, tametſi ex parte noſtri requirat motus arbitrii, ac diſpoſitiones fidei, timoris, ſpei, ac dilectionis non abſque gratia præveniente a nobis præmittendas, ut conſequamur juſtificationem; quemadmodum ſeſs. VI. cap. 5. & 6. docet ſacroſancta Synodus Tridentina, atque nos itidem ſcripſimus lib. XIX. cap. 4. Perſpicue pœnitentiam ex Deo eſſe tradit divina Scriptura, cujus hæc ſunt verba: *Converte nos Deus ſalutaris noſter, Converte me & convertar, Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam, Gentibus pœnitentiam dedit Deus*, Pſal. 85. 5. Jerem. XXXI. 18. Act. XI. 18. Idem commonſtrant orationes Eccleſiæ, quibus Deum gratiarum omnium largitorem precamur, *ut errantium corda reſipiſcant, ut peccata noſtra plangere valeamus, ut ad veram pœnitentiam nos perducere dignetur*. Hoc denique definit præcitata ſeſs. VI. can. 3. Synodus Tridentina, confirmatque quidquid de neceſſitate gratiæ ad omnia opera ſalutaria contra Pelagianam, & Semipelagianam hæreſim diſputavimus.

His nequaquam adverſantur, quæ Zach. I. 3. leguntur: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; & convertar ad vos*; quo loco abutebantur etiam Pelagiani apud Auguſtinum lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. V. Ibi enim num. 10. hæc reponit invictiſſimus Gratiæ Dei propugnator: *Talia ergo de ſcripturis colligunt: quale eſt hoc unum, quod paullo ante dixi*, Convertimini ad me, & convertar ad vos, *ut ſecundum meritum converſionis noſtræ ad Deum, detur gratia ejus, in qua ad nos & ipſe convertitur. Nec attendunt qui hoc ſentiunt, quia niſi donum Dei eſſet ipſa ad Deum noſtra converſio, non ei diceretur*, Deus virtutum converte nos: *&*, Deus tu convertens vivificabis nos; *&*, Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum; & *hujuſmodi alia, quæ commemorare longum eſt*. Præcitatis itaque Zachariæ verbis admonemur duntaxat *libertatis noſtræ*, quam aliis poſterioribus verbis ab Auguſtino productis confitemur *gratia Dei præveniri*; ut prælaudato capite 5. ſeſſ. VI. pariter docuit Synodus Œcumenica.

Multæ quidem inſtituuntur de virtute Pœnitentiæ quæſtiones, inter quas præcipuæ ſunt, quæ verſantur circa ipſius pœnitentiæ neceſſitatem, circa remiſſionem peccatorum, & circa vim, qua bona opera reviviſcunt. Sed quoniam hujuſmodi quæſtiones variis hujus libri capitibus ſunt inſerendæ; hoc unum in præſentia addam, quomodo Pœnitentia, quæ eſt virtus, a Pœnitentia quæ Sacramentum eſt; diſtinguatur. Igitur virtus Pœnitentiæ eſt dolor ac deteſtatio peccatorum, de qua modo diximus, ſita in actibus & operibus Pœnitentium, & quovis tempore hominibus, qui ſe mortali peccato inquinaverunt, ad obtinendam juſtificationem neceſſaria. *Pœnitentia* autem accepta ſecundo modo, *eſt Sacramentum novæ legis a Chriſto Domino inſtitutum, quo fidelibus poſt baptiſmum lapſis vere pœnitentibus & confeſſis vi clavium, & poteſtatis Eccleſiæ abſolutio Sacerdotalis impenditur*. Ex qua definitione obvia, & pervulgata apparet diſcrimen, de quo nunc agitur. Enimvero virtus pœnitentiæ tota ex parte pœnitentis ſe tenet; at Pœnitentiæ Sacramentum exigit præterea Sacerdotis judiciaria poteſtate præditi abſolutionem. Pœnitentiæ virtus eſt Sacramenti hujus pars & materia, ut infra explicabitur. Illa, inquit S. Thomas q. 89. art. 1. eſt gratiæ prævenientis *effectus*; iſtud vero *cauſa* effectrix gratiæ ſanctificantis. Hæc autem omnia ex proximis diſquiſitionibus perſpicua fient.

CAPUT II.

Demonſtratur adverſus hæreticos Pœnitentiam eſſe verum Sacramentum a Chriſto inſtitutum.

INTER Hæreticos, qui primum negarunt Sacramentum Pœnitentiæ cum Bellarminus lib. 1. cap. 9. tum Doctores Scholaſtici recenſent Montaniſtas, & Novatianos. Gaſpar Juenin, Le Drouin, et recentiorum alii ſentiunt ab hoc errore hæreticos illos fuiſſe immunes, atque in eo tantum erraſſe, quod crederent aliqua ſolum, ſed non omnia peccata poſſe Eccleſiæ poteſtate remitti. Ac de Montaniſtis hoc videtur adſerere Tertullianus, qui de pudicitia cap. 2. ait mundari delicta, *quæ quis in fratrem*,

non

Digitized by Google

non in Deum admiſerit; atque cap. 19. diſtinguit inter *peccata graviora & exitioſa, quæ veniam non capiunt*, ut homicidium, idololatriam, fornicationem, blaſphemiam & inter alia peccata leviora, quæ appellat *quotidianæ incurſionis*, ut iracundiam, detractionem, & prolatum temere juramentum. Atque illorum peccatorum veniam concedi Tertullianus addictus Montaniſtis exiſtimat. De Novatianis etiam ſcribit S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 3. num. 10. *Sed ajunt ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus*. Ceterum S. Epiphanius hæreſi 59. num. 1. ait Novatum affirmaſſe eum, *qui poſt baptiſmum delinqueret*, nullam poſſe conſequi miſericordiam, quod & affirmat S. Philaſtrius hæreſi 82. & apud Photium Cod. 182. S. Eulogius Epiſcopus Alexandrinus, atque ipſemet Ambroſius, præced. cap. 2. num. 5. ubi ait Novatianos *Stoicorum quodam more omnia peccata paribus æſtimaſſe menſuris, & æque eum, qui gallum, ut ajunt, gallinaceum, atque illum, qui patrem ſuffocaverit, perpetuo cæleſtibus abdicandos myſteriis*, quod merito quidem Ambroſius connumerat inter Stoicorum errores, quos & Venuſinus Poeta Satyra 3. lib. 1. refellit dicens:

Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divum ſacra legerit. Adſit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.

Idem de Novato, ac de Montano literis conſignavit S. Hieronymus, affirmans ab iis *errantibus manum non porrigi, præcipitati jacentes in barathrum ne leventur, ad omne pene delictum obſerari fores Eccleſiæ*, quæ Hieronymus tradit epiſt. 27. ad Marcellum pag. 65. ad Pammachium 307. & ad Oceanum 659. edit. Martianæi. Etſi autem reponit memoratus Juenius quæſt. 1. cap. 1. de Pœnit. eximios hos Patres nequaquam Novatianorum mentem & ſyſtema fuiſſe aſſecutos, confidenter tamen, ac irreverenter hæc dicta ſunt; cum facile poſſint omnia revocari ad concordiam, ſi dicamus tam Montaniſtas, quam Novatianos, cum æqualitatem illam criminum nimis odioſam eſſe cognoſcerent, ab ea poſtmodum receſſiſſe. Atque id aperte affirmat S. Ambroſius poſt verba nuper producta, *Sed ajunt ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus*, immediate ſubjiciens: *Non hoc quidem auctor veſtri erroris Novatianus, qui nemini dandam pœnitentiam putavit*. Ex quibus apparet falli recentiorum pleroſque, qui cenſent neminem ante ſæculum xvi. bellum ſacramento Pœnitentiæ indixiſſe. De Valdenſibus, Wicleſiſtis, & Huſſitis ſubſcribendum omnino eſt doctiſſimo Meldenſium Epiſcopo, qui in Hiſt. Variat. lib. 11. num. 104. & 165. docet ab his hæreticis nunquam Sacramentum iſtud fuiſſe negatum, cum in hoc tamen peſſime ſentirent, quod vellent ſacerdotes improbos tanquam ad laicorum ordinem redactos carere poteſtate tam abſolvendi, quam adminiſtrandi reliqua ſacramenta. In hoc autem hæreticos illos erraſſe, & non in diſpungenda Pœnitentia ex albo Sacramentorum, recte obſervarunt prælaudatus Juenius Concl. 3. Tournelius pag. 12. Witaſſius 6. Le Drouin 21. quod ex Concilio Conſtantienſi, Thoma Waldenſi, Raynero, atque ex ipſo Wicleſi Trialogo, Boſſuetius primum, deinde hi, ceterique Theologi demonſtrarunt.

At pertinaciter ſacramentum Pœnitentiæ denegarunt poſteriorum hæreticorum permulti. Principem hos inter locum tenet Zuvinglius, qui in libro de vera & falſa Religione cap. de Sacramentis negat his Pœnitentiam adnumerandam. Calvinus lib. IV. Inſtitut. cap. 19. num. 17. contendit Pœnitentiam non eſſe ſacramentum a Baptiſmo diſtinctum, & nos, quocunque baptizemur tempore, in omnem vitam ablui & purgari, ita, ut ſi poſt baptiſmum lapſi fuerimus, repetenda ſit baptiſmi memoria, & hac armandus animus, ut de peccatorum remiſſione ſemper ſit certus atque ſecurus. Kemnitius in Examine Concilii Trid. ad can. 1. de Pœnit. Mathias Illyricus, Wigandus, aliique plurimi abſolute duo tantum ſacramenta recipiunt, Baptiſmum, & Euchariſtiam. Lutherus, & Melanchthon videntur alicubi Pœnitentiam accenſere ſacramentis, alicubi ab horum numero illam expungere: ſed ſive admittant, ſive non, negant abſolutionem ſacerdotis eſſe actum judicialem, quo remittantur peccata, autumantes eſſe illam pronuntiationem quamdam, & declarationem extrinſecam, qua abſolutus excitatur ad fidem, & credens a Deo remiſſa ſibi peccata, arripit hac ab omnibus fere Novatoribus jactata fiducia commentitiam illam juſtificationem, ſitam in ſola imputatione juſtitiæ Chriſti. Illiduntur eidem ſcopulo qui Confeſſionem ſectantur Auguſtanam: in qua licet art. XI. admittatur peccatorum confeſſio; ſacrilege tamen definitur pœnitenti neceſſariam non eſſe delictorum enumerationem, modo *ex Evangelio, ſeu abſolutione* (animadvertas, quæſo, qua fraude abſolutionem appellitent Evangelium) *credat propter Chriſtum remitti peccata*.

Plura itaque, ut undequaque refutentur hæreſes execrandæ, a nobis in diſputationem trahenda ſunt: Primum an ſit aliquod Sacramentum, in quo judiciaria Sacerdotum poteſtate lapſi poſt baptiſmum Deo reconcilientur: alterum, an hoc Sacramentum ſit aliud præter baptiſmi reminiſcentiam: tertium, an per illud remitti poſſint peccata omnia, quantumvis gravia, & deteſtabilia: proximum, an pœnitentibus neceſſum ſit in confeſſione ſingula enumerare delicta: poſtremum, an ſacerdotes abſolventes remittant peccata, an vero tantum pronuntient & declarent eſſe remiſſa. Sed quoniam ex his tria pertinent ad varias hujus libri partes; expediam nunc duo priori loco recenſita, demonſtrans Pœnitentiam verum ſacramentum eſſe, & a baptiſmo diſtinctum, nonnulla addens de hujus Sacramenti inſtitutione, atque neceſſitate, quæ ſunt primi hujus capitis conſectaria, de reliquis opportuniori loco dicturus.

PROP. I. Pœnitentia eſt verum ac proprium novæ legis Sacramentum, quo judiciaria ſacerdotum poteſtate remittuntur peccata.

Sit prior hujus dogmatis demonſtratio ex ſcripturis. Chriſtus contulit ſacerdotibus facultatem remittendi peccata eorum, qui ad Eccleſiæ claves confugiunt. Atque id ſacerdotes præſtant per veri proprique nominis Sacramentum, quod appellamus Pœnitentiam. Hæc itaque ſacramentum verum ac proprium eſt. Datam poteſtatem illam a Chriſto, perſpicue commonſtrant quæ leguntur Matth. XVI. 19. ubi inter alias Petri prærogativas hæc habetur, *Quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis*. Quæ prærogativa tametſi competat peculiari titulo ſupremo Eccleſiæ Rectori ob juriſdictionis maximam, pleniſſimamque amplitudinem, collata eſt etiam ceteris Apoſtolis Joannis XX. 21. quando illis Dominus inquit, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Ex collatione autem hujuſmodi poteſtatis conſequi Pœnitentiam eſſe verum ſacramentum, ſic demonſtro. Ad Sacramentum conſtituendum requiritur, quod ſit a Deo inſtitutum, quod externo aliquo ſymbolo ſanctificantem gratiam ſignificet, & quod hanc efficienter producat: quamquam hoc poſtremum hæretici præfracte ac temere denegent. At in præcitatis Evangelicis teſtimoniis expreſſam habes divinam inſtitutionem. Hinc etiam eruitur externus ritus, & gratiæ ſymbolum; ſiquidem ſi ſacerdos ſolvere velit peccata ſua confitentium, opus eſt, ut judicium proferat, & exteriori ſigno appareat quibus juxta collatam ſibi auctoritatem dimittat crimina, quibus autem retineat: præterquamquod exhibet etiam *ſignum rei ſacræ* tum pœnitens, qui provolutus ad confeſſarii pedes, & factus accuſator ſui commonſtrat ſeſe a viis peſſimis avertiſſe; tum ſacerdos, qui abſolutionem impendens oſtendit quomodo exerceat factam ſibi a Domino poteſtatem. Atque inde etiam ſequitur *collatio gratiæ*, ſine qua, ut demonſtravimus agentes de juſtificatione impiorum, neque abſtergimur a maculis peccatorum, neque renovamur Spirituſancto, neque induimus novum hominem, *qui in juſtitia & ſanctitate creatus eſt*. Hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. 1. ait: *Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles, poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*.

Tridentinæ Synodi poſtrema verba inſinuant nobis alteram propoſitionis probationem, ex Patrum conſenſione petitam. Sed cum plura ex libris Patrum producenda ſint, ubi de ipſa peccatorum confeſſione, & de abſolutione ſacerdotis data opera pertractabitur; aliqua nunc tantum ſunt recenſenda. Tertullianus de Pœnit. cap. 7. ſermonem inſtituens de peccatis poſt baptiſmum patratis, ait. *Hæc igitur venena prævidens Deus collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat*: & proximo cap. 9. eamdem pœnitentiam deſcribens, ne quis forte putet loqui Tertullianum de ſola impiorum reſipiſcentia, ſubjicit: *Hujus pœnitentiæ ſecundæ, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt; ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur*. Tranſit deinde ad *exomologeſim*, & delictorum manifeſtationem, de qua alibi. S. Cyprianus in libro de Lapſis pag. 383. commendat, & apud Deum gratam eſſe reitatur *Remiſſionem factam per ſacerdotes*. Epiſt. 54. quæ Synodica eſt, hæc ad Cornelium pag. 171. ſcripſit: *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia Eccleſiam pulſantibus claudi; & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſæculo recedentes ſine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur, quando permiſerit ille qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cælis ligata eſſent, ſolvi autem poſſent illic, quæ prius in Eccleſia ſolverentur*. Idem Cyprianus Epiſt. 67. pag. 247. queritur a Marciano Arelatenſi pacem & communionem denegatam fuiſſe *ſervis Dei pœnitentibus, & dolentibus, & Eccleſiam lacrymis & gemitu & dolore pulſantibus*; atque Epiſt.

69. pag.

69. pag. 264. ita Florentium Pupianum alloquitur : *Subveniat Pupianus, & ſententiam dicat, & judicium Dei & Chriſti in acceptum referat, ne tantus fidelium numerus, qui ſub nobis arceſſitus eſt, ſine ſpe ſalutis & pacis exiſſe videatur*. S. Joannes Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio cap. 5. demonſtrat maximam ſacerdotum dignitatem, ex quo Deus optimus ipſis tantum, non autem Angelis, vel Archangelis dixerit, *Quæcunque alligaveritis in terra, &c.* et, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* unde infert habere illos ampliorem, quam habeant terreſtres principes, poteſtatem, quoniam hi ſolvunt vincula duntaxat corporis; *Id autem quod ſolvunt ſacerdotes, ipſam animam contingit, atque ad cælos uſque pervadit*, οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς. Demonſtrat proximo capite, quantum Judæorum ſacerdotibus ſint Evangelici præferendi, ex quo illis datum fuerit corporis lepram purgare, immo verius haud purgare quidem, ſed purgatos probare : *At vero noſtris ſacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum ſit*, τούτοις δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλ' ἀκαθαρσίαν ψυχῆς, οὐκ ἀπαλλαγεῖσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν. Similia docent in cap. xx. Joannis, & poſt eum Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, aliique Græcorum. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 2. num. 6. arguit Novatianos reſervantes ſoli Deo *remittendorum criminum poteſtatem*, præcitato textu, *Accipite Spiritum ſanctum : quorum, &c.* Ait proximo numero Eccleſiam in utroque ſervare obedientiam, *ut peccatum & alliget & relaxet*, num. 8. addit : *Munus Spiritus ſancti eſt officium ſacerdotis, jus autem Spiritus ſancti in ſolvendis, ligandiſque criminibus eſt; quomodo igitur munus ejus vindicant, de cujus diffidunt jure & poteſtate ?* Proximo cap. 3. num. 10. habet verba relata in cap. *Deus*, de Pœnit. diſt. 1. *Sed Deus diſtinctionem non fecit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit*. Verum cum Ambroſius exagitet potiſſimum Novatianos negantes graviora crimina relaxari, iterum egregios illos de Pœnitentia libros delibabimus. S. Hieronymus lib. 1. Dialogi adverſus Pelagianos pag. 504. ſcribit hominem redimi a peccato ſanguine Salvatoris, *aut in dono baptiſmatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur baptiſmatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam, nec delectatur mortibus peccatorum, ſed ut convertantur & vivant*. Idem in Epiſtola ad Demetriadem pag. 790. appellat pœnitentiam *ſecundam poſt naufragium tabulam*, qua perperam a Calvino ſuggillata lib. iv. Inſtit. cap. 19. num. 17. utuntur etiam Tridentini Patres ſeſſ. xiv. canone 2. S. P. Auguſtinus de Hæreſibus num. 38. de Catharis, ſeu Novatianis ait : *Secundas nuptias non admittunt, Pœnitentiam negant* : quibus profecto verbis intelligit Sacramentum Pœnitentiæ; ſiquidem Novatiani illam pœnitentiam negabant, qua ab Eccleſia omnibus lapſis datur pax & reconciliatio, hanc tamen a Deo petendam eſſe affirmantes. De ipſamet pœnitentia ait S. P. in Enchiridio num. 17. *in Eccleſia remitti peccata : ideo ipſam Eccleſiam Spiritum ſanctum pignus accepiſſe, ſine quo non remittuntur ulla peccata; ita ut quibus remittuntur, conſequantur vitam æternam*. Tract. xlix. in ea verba, *Solvite illum, & ſinite abire*, Joan. xi. 45. comparans reconciliationem peccatoris reſurrectioni Lazari, atque pœnitentium confeſſionem, abſolutionem Sacerdotis, & gratiæ conſecutionem commemorans, inquit n. 24. *Quando contemnis, mortuus jaces : quando confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut exeundo manifeſtari ? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id eſt, magna gratia vocando. Ideo cum proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus; ut ſolverentur peccata ejus, miniſtris hoc dixit Dominus, ſolvite illum, & ſinite abire. Quid eſt, Solvite, & ſinite abire ? Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo*. Similia ſerm. 352. num. 8. Tractatu inſuper cxxi. num. 4. in ea verba, *Quorum remiſeritis, &c.* inquit : *Hoc continuo de peccatorum remiſſione et detentione ſubjecit*. Denique Victor Vitenſis libro 2. de Perſecut. Vandalica num. 21. inducit fidelium turbas cereos manibus geſtantes, ſuoſque infantulos ante veſtigia martyrum projicientes, ac voce iſta clamantes : *Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas ? qui hos baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis ? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi, quia vobis dictum eſt, Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis ?* In his utique, & in teſtimoniis aliis compluribus, illa nobis *Pœnitentia* delineatur, quæ includit *Exomologeſim*, & delictorum manifeſtationem; qua Sacerdotis miniſterio pœnitentibus & dolentibus Eccleſia pacem & remiſſionem largitur; & in qua Miniſtri Domini animarum maculas diſtinguunt, purgant, ſolvunt, remittunt. Atqui Pœnitentia iſtiuſmodi eſt Sacramentum, quale Eccleſia Catholica profitetur. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ, ut ſupra diximus cum Tridentino, demonſtratur & confirmatur *univerſorum Patrum conſenſu*.

Proxima eſt argumentatio deducta ex perpetua Eccleſiarum omnium conſenſione : cujus primum invictiſſimumque argumentum eſt, quod hæretici nequeant oſtendere quis primus Sacramentum iſtud invenerit ſive apud Orientales, ſive apud Occidentales, qui unanimiter ſacramentalem Pœnitentium abſolutionem agnoſcunt, hujuſque exhibent in Ritualibus libris formulas varias, a Morino, Martenio, aliiſque doctis viris collectas. Deinde perpetuam hanc apud Orientales fidem teſtantur Jobus Monachus, Simeon Theſſalonicenſis, Joannes Paleologus, Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, Gabriel Severus Philadelphienſis, Gregorius Hieromonachus, Synodus Cypria Germani Epiſcopi Amathuntis, & Conſtantinopolitana Parthenii adverſus apoſtatam Cyrillum Lucarim; nec non monimenta alia quamplurima, quæ iterum adferre, cum partim conſcripta ſint ab Allatio Conſenſionis Eccleſiarum libro tertio cap. 16. partim vero a nobis præcedenti volumine lib. xxi. cap. 3. laudata, præter rem foret, ac ſupervacuum. Apud Jacobitas etiam, & Coptos, quamvis referat Chronicon Orientale abrogatam Sacramentalem Confeſſionem a Joanne Abulmagedo, perpetuo tamen obtinuiſſe in Eccleſiis Catholicis demonſtrant apud Sollerium in Appendice ad Patriarchas Alexandrinos num. 208. & ſequentibus Bernatus, Vanslebius, & Naironus. Permulti denique Lutheranorum, quamvis negent omnia peccata eſſe manifeſtanda, atque a ſola pœnitentium fide juſtitiam repetant, nihilo tamen minus Sacramentum Pœnitentiæ agnoverunt cum Luthero, qui in libro de Captivitate Babylonica inter Sacramenta recenſet *Baptiſmum, Pœnitentiam, & Panem*, cui ſubſcripſit Melanchthon in locis communibus an. 1543. In Confeſſione Auguſtana art. xi. legitur, *De Confeſſione docent, quod abſolutio privata in Eccleſia retinenda ſit*. Quod repetitur art. proximo, ubi damnantur Novatiani, *qui nolebant abſolvere lapſos poſt baptiſmum*, itidemque art. iv. inter illos, qui inſcribuntur, *Abuſus mutati*. Idem de Pœnitentia ſtatuit Confeſſionis hujus Apologia, ut obſervat in Hiſt. variat. Meldenſis Epiſcopus lib. 3. num. 48. Retinuit idem Sacramentum Henricus VIII. apud ipſummet Auctorem præſtantiſſimum libro vii. num. 24. Atque id egiſſe apoſtatas, quoniam negare non poterant quod toto orbe profitebatur Eccleſia, auctor eſt in præcitatum articulum xi. Auguſtanæ Confeſſionis Fabricius Leodius. Sive ergo Eccleſiarum attendatur conſenſio, ſive Patrum doctrina, ſive auctoritas Scripturarum ſanctarum, ſive ratio illinc deprompta, manifeſtum eſt optimo jure ſacroſanctam Synodum Tridentinam ſtatuiſſe hunc primum de Pœnitentia canonem : *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſis Deo reconciliandis a Chriſto Domino inſtitutum; anathema ſit*.

Adverſus hanc propoſitionem hæc opponunt hæretici. Dimittere peccata ſpectat ad ſolam Domini auctoritatem, quum Marci ii. 7. ſcriptum ſit, *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus ?* Nullum ergo datur Sacramentum pro remittendis peccatis a Chriſto inſtitutum. Deinde in veteri lege nullum tale Sacramentum extitit, licet neceſſaria eo etiam temporis fuerit pœnitentia *univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent*, prout c. 1. ſeſſ. xiv. fatetur eadem Synodus Tridentina. Igitur neque in nova lege caritatis & gratiæ Sacramentum illud erat inſtituendum. Inſuper ſacræ litteræ tribuunt remiſſionem peccatorum ſoli *impiorum converſioni* & reſipiſcentiæ, ut Pſalmo l. 19. Ezech. xviii. 21. Non opus eſt ergo hac in re externo ritu alicujus Sacramenti. Præterea ad Sacramentum requiritur cum ſubjecta materia quædam forma verborum. Hæc vero neceſſaria non eſt ad remiſſionem peccati, quod animi voluntate dimittitur. Denique infirma ſunt, quæ ad Sacramentum hoc adſtruendum proferuntur ex Scripturis. Nam quæ leguntur Matth. xviii. 18. *Quæcumque ligaveritis, &c.* intelligenda ſunt de injuriis invicem condonandis; referuntur enim ad præcedentia verba, *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Unde S. Pater ſerm. xvi. de verbis Domini, nunc 82. num. 7. inquit : *Cœpiſti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra; ſed ut juſte alliges, vide, nam injuſta vincula diſrumpit juſtitia. Cum autem correxeris & concordaveris cum fratre tuo, ſolviſti illum in terra. Cum ſolveris in terra, ſolutus erit & in cælo*. Quæ verba habentur, cap. *Cœpiſti*, 11. q. 3. Affert eamdem interpretationem Theophylactus in Matth. pag. edit. Morel. 106. Cap. autem 20. Joannis fit ſermo de remiſſione peccatorum in collatione baptiſmi, ut mox videbimus.

His, de quibus iterum in proximis diſputationibus occurret ſermo, ad hunc modum reſpondemus. Si primum argumentum vim haberet ad Sacramentum Pœnitentiæ oppugnandum, impeteret etiam baptiſmum, quod conferri *in remiſſionem peccatorum* teſtantur Act. Apoſtolica cap. 2. 38. Conſimilis itaque erat objectio Novatianorum, qui apud Ambroſium lib. 1. de Pœnit. cap. 2. nu. 6. ajebant, *ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent*. Sed reſpondet egregius

gius doctor verbis paullo ſupra citatis, jus quidem in ſolvendis, ligandiſque criminibus eſſe Spiritus ſancti, ſed munus Spiritus ſancti eſſe officium Sacerdotis. Quæ repetens, & illuſtrans lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19. nunc 18. num. 137. *Ecce*, inquit, *per Spiritum ſanctum peccata donantur; homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent*. Eadem perſpicue docet prælaudatus Auguſtinus. Ac S. Joannes Chryſoſtomus hom. 85. in Joannem explicat diſcrimen inter Deum, ac Sacerdotes comparatione illius, quod intercedit *inter regem, & præfectos ab eo miſſos cum poteſtate reos in carcerem detrudendi & liberandi*: καθάπερ, inquit, τις βασιλεὺς ἄρχονται ἀποστέλλων ἐξουσίαν εἰς δεσμωτήριον ἐμβάλλειν καὶ ἀφιέναι δίδωσιν. Quare diſtinguenda eſt prioris objectionis major: Spectat ad ſolum Deum peccata dimittere jure poteſtatis, auctoritate ſuprema, propriaque virtute, concedo: munere Spiritus ſancti, miniſterio, atque officio, id nego. Ad alterum nego conſequentiam. Ex quo enim neceſſaria ſemper fuerit Pœnitentia, quatenus virtus eſt, nemo inferre poteſt in lege caritatis & gratiæ non fuiſſe inſtituendam Pœnitentiam, in quantum eſt Sacramentum, ad facilius aſſequendam remiſſionem peccatorum, quam ex ſe, efficienter, & *ex opere operato* producit, nec non ad pœnitentes erigendos conſcientiæ tranquillitate, & morali quadam certitudine veniæ. Falſa pariter eſt proximæ oppoſitionis conſecutio; nam quemadmodum juxta hæreticos contritio, cordiſque converſio, quibus ſacræ litteræ indulgentiam veniamque promittunt, minime excludunt neceſſitatem fidei in Chriſtum, & lavacrum baptiſmi, ita nec excludunt Pœnitentiæ Sacramentum; præſertim cum ille, quem vere pœnitet, contemnere nequeat præſtituta ſibi remedia, eademque contritio ſit ejuſdem Sacramenti materies. Proximum argumentum diluitur negando neceſſariam non eſſe prolationem verborum, ad peccatorum remiſſionem, quæ fiat in foro Eccleſiæ, & poteſtate illa judiciaria, quam Chriſtus contulit Sacerdotibus. Poſtrema objectio facile ſolvitur, ſi attendatur, ea verba, *Quæcumque alligaveritis*, &c. Matt. XVIII. 18. peculiari ratione ſpectantia ad Eccleſiæ præfectos, extenſione quadam ad ſingulos pertinere, quatenus Deus ratam habet condonationem injuriarum, quibus afficiuntur; cum hoc diſcrimine, quod laicis conceditur remittere duntaxat illatas ſibi contumelias, & injurias, *commiſeratione caritatis*, non de iis poſcere indemnitatem ac pœnam, *æquitate juſtitiæ*; Eccleſiæ autem præfecti poſſunt delere quæcunque crimina *poteſtate judiciaria*. Id vero docet Auguſtinus, qui eadem verba ſpeciatim Sacerdotibus abſolventibus tribuit præcitato Tract. 49. in Joannem, ſerm. 98. numer. 6. & 352. numer. 8. atque in iiſdem verbis agnoſcit *claves datas Eccleſiæ* libro 1. contra adverſarium legis cap. 17. num. 36. necnon *judicium præpoſitorum* libro 20. de Civit. Dei cap. 9. num. 2. & Tract. 22. in Joan. num. 7. Eadem vero ſentit Theodoretus, qui citata pag. 106. injuriarum remiſſionem diſtinguit ab ea, quæ crimina λύουσιν οἱ ἱερεῖς, *ſolvunt Sacerdotes*: quod & præſtat in eumdem locum Chryſoſtomus, aliique Græci apud Corderium pag. 155. ſed de his rurſus.

PROP. II. Pœnitentiæ Sacramentum diverſum eſt a Sacramento Baptiſmi.

Validiſſime demonſtratur hæc theſis a Patribus Tridentinis cap. 2. de Pœnit. ſeſſ. XIV. ubi plura aſſignant utriuſque Sacramenti diſcrimina. Primum diſcrimen eſt, *quod materia & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſime diſſident*: materia enim baptiſmi eſt aqua, ac forma, *Ego te baptizo*, quorum neutrum adhibetur in Pœnitentia. Diſcrimen alterum eſt ex parte miniſtri, & ſubjecti, cum non oporteat miniſtrum baptiſmi judicem eſſe, Eccleſia in neminem judicium exercente, *qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus*; miniſter autem ſacramenti Pœnitentiæ ſit Sacerdos, ad cujus tribunal *baptizatos*, qui ſe crimine aliquo contaminaverint, Chriſtus Dominus tanquam reos ſiſti voluit. Tertia diſcriminis ratio in hoc ſita eſt, quod baptiſmus iterari nequeat, per Pœnitentiam vero poſſumus *ab admiſſis peccatis liberari*, quoties ad ipſum Eccleſiæ tribunal confugiamus. Tandem alius baptiſmi, alius Pœnitentiæ effectus, & *fructus* eſt: ſiquidem per baptiſmum Chriſtum induentes, *nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium*, tam originalis, quam actualium *remiſſionem conſequentes*: at per pœnitentiam ſola actualia relaxantur, & injungitur ſatisfactio, adeo ut ad integritatem & novitatem *ſine magnis noſtris fletibus & laboribus*, divina id exigente juſtitia, nequaquam pervenire poſſimus. Quæ omnia ſatis perſpicua ſunt, & iiſdem fere verbis Synodi Tridentinæ conſcripta.

Demonſtratur eadem veritas ex Auguſtino, cujus præſertim auctoritate abutuntur hæretici. Etenim S. P. epiſt. 23. ad Boniſ. nunc 98. num. 2. ait parvulum regenerari per baptiſmum, in quo eſt *aqua forinſecus exhibens ſacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ*; ſi vero adultus propria impietate gratiam amittat, & ætatis acceſſu malus evadat, *Tunc propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur*: quod repetit Enchiridii cap. 46. num. 13. Deinde per Auguſtinum miniſter baptiſmi eſt etiam laicus & paganus, cum Eccleſia filios aliquando ſibi generet *per ancillarum uterum*, ut S. P. inquit 1. de Baptiſ. cap. XVI. 25. eos autem qui peccata ſolvunt illos eſſe, *per quos Eccleſia nunc gubernatur*, & quibus *judicium datum eſt*, de quo legitur, *Quæ ligaveritis in terra*, &c. tradit S. Pater capite 9. viceſimi libri de Civit. Dei, aliiſque paullo ſupra laudatis locis. Inſuper baptiſmum non repetendum ſententia eſt Auguſtini ſæpe in omnibus adverſus Donatiſtas lucubrationibus tradita: at pœnitentiam ſaluberrime a baptizatis iterandam affirmat eximius Doctor epiſt. 54. nunc 153. ad Macedonium, num. 7. unde depromptum eſt cap. *In tantum*, de Pœnit. diſt. 3. necnon epiſt. 108. nunc 265. ad Seleucianam, ubi confoditur Novatiana hæreſis; atque, ut alia prætercam, ſermone, ſeu libro 1. de Symbolo cap. 7. numer. 14. ubi docet quomodo *ſemel* abluamur baptiſmate, *quotidie* a venialibus, ſine quibus eſſe non poſſumus, oratione: gravia autem & immania ſcelera non niſi *in humilitate majore Pœnitentiæ* expientur. Diverſum denique utriuſque ſacramenti effectum commonſtrat fulgidiſſimum Eccleſiæ lumen tum poſtremo hoc in loco de ſymbolo, tum præcitata ad Seleucianam epiſtola; in qua num. 7. ait: *Agunt homines ante baptiſmum pœnitentiam de ſuis prioribus peccatis, ita tamen ut etiam baptizentur*; & poſt pauca: *Agunt etiam pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur*. Docent his ſimilia alii Patres; de quibus lib. 1. de Pœnit. cap. 13. Cl. Bellarminus. Merito itaque, cum Baptiſmatis & Pœnitentiæ diverſa ſit materia, diverſa forma, diverſus miniſter, diverſum ſubjectum, diverſus effectus, edidit adverſus hæreticos ſacroſancta Tridentina Synodus hunc canonem num. 2. *Si quis ſacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ ſacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo ſacramenta diſtincta non ſint; atque ideo Pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.*

Opponunt hæretici: Catholici ſacramentum Pœnitentiæ commendari putant illis verbis Joan. XX. 23. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. At his verbis nihil aliud oſtenditur, niſi Apoſtolis fuiſſe præſcriptum a Domino, ut Evangelium annuntiarent, & baptizarent credentes in remiſſionem peccatorum; & eumdem ſenſum hæc verba habent ac ea, quæ leguntur Matth. ult. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. Igitur remiſſio peccatorum, quæ Pœnitentiæ tribuitur, Baptiſmati eſt adſcribenda, ideoque Pœnitentia aut ſacramentum non eſt, aut idem eſt ac baptiſmus, ejuſque reminiſcentia. Præterea Marci I. 4. legimus Joannem prædicaſſe *baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Quid ergo ad incerta confugimus, inquit Calvinus, quaſi vero apertius quippiam requirendum ſit, quam quod recitat Evangeliſta? Inſuper omnis peccatorum remiſſio, etiam ſubſequens, baptiſmati tribuendam eſſe, Apoſtolus, Auguſtinus, & ratio ipſa ſuadent. Etenim Apoſtolus ad Epheſ. v. 25. ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam*, &c. quibus verbis omnis mundatio, omniumque macularum abſterſio ſoli baptiſmatis lavacro tribuitur. S. P. Auguſtinus lib. 1. de Nuptiis & Conc. cap. 33. num. 38. his verbis Apoſtolicis recitatis, *Sic*, inquit, *accipiendum eſt, quod ait Apoſtolus, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur, atque ſanentur; non ſolum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut baptiſma quoties peccatur, toties repetatur; ſed quia ipſo, quod ſemel datur, fit ut non ſolum antea, verum etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur*. Eadem repetit S. P. initio proximi capitis, necnon de Peccato Originali cap. 39. & 40. lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. & in VI. contra Julianum cap. 13. & 18. His, ut dixi, cohæret ratio; ſiquidem credenti, & ſuſcipienti baptiſmum Marci ult. 16. promittitur æterna ſalus; Baptiſmus ipſe nunquam deletur; in illo communicatur nobis, atque imputatur juſtitia Chriſti. Atqui divina promiſſio ſemper manet, & virtus baptiſmi ſemper viget, adeo, ut ex communi ſcholaſticorum ſententia, ſi quis ficte ad baptiſmum accedat, recedente fictione, recipiat gratiam, quæ ipſius baptiſmatis effectus eſt; ac denique juſtitia Chriſti perſiſtens, ac perpetua, ſemel imputata nunquam amittitur. Igitur nulli alteri externo ſigno, præter Baptiſmum, aut divina promiſſione, aut ipſius lavacri virtute, aut demum communicatione juſtitiæ Chriſti ſpectata, poteſt adſcribi peccatorum remiſſio. Hæc Novatores.

Reſp. ad 1. nego mi. conſtat enim longe diverſum eſſe ſenſum verborum Joannis XX. & Matth. ult. neque unam unius textus ſyllabam in altero reperiri. Nonnulli quidem Patres, ac præſertim S. Cyrillus libro XII. in Joan. ajunt etiam in Baptiſmo vim habere quod legitur apud Joannem, *Quorum remiſeritis*, &c. ideoque hæreticorum

corum

Digitized by Google

torum nonnulli primam hanc, inſulſam, fractamque objectationem communire tentant mutilato Cyrilli textu. Sed vafre, ac doloſe id faciunt; nam Cyrillus eo loci ait remitti *duobus modis* peccata, uno quidem, *dignos ad baptiſmum vocando vita gravitate & conſtantia fidei probatos*: *ſed alio modo*, inquit, *peccata* Spiritu afflati homines *remittunt ac retinent, nempe cum filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoſcunt*: *καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσι τε καὶ κρατοῦσι ἁμαρτίας ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες*: ibique profert Cyrillus exemplum illius Corinthii fornicarii, quem Paulus tradidit in carnis interitum, ac denuo complexus eſt, ne vehementia doloris abſorberetur. At quod ſequitur, nullius eſt momenti, ſiquidem baptiſmum Joannis appellari baptiſmum *Pœnitentiæ*, quoniam non conferebat *vi propria* Spiritum ſanctum, atque in eo Præcurſor Domini hortabatur ad ſe confluentes, ut pœnitentia pararent viam Domino, & Dei Agno tollenti peccata mundi, oſtendimus libro xxi. cap. 2. prolixa diſſertatione. Ad tertium eſt plana & expedita reſponſio, ſi dicatur baptiſmati omnem renovationem & gratiam adſcribi, non ſolum, quia per ipſum tollitur originarium, ac præcedens omne peccatum, verum etiam per ipſum baptiſmum induimus Chriſtum, & inſerimur Eccleſiæ, in qua non deſunt remedia, quibus conſequentia peccata abluantur, eo ferme pacto, inquit Eſtius in iv. diſt. 4. §. 8. quo generationi atque nativitati tribuitur quoque incrementum, robur, & perfectio virilis, nec non morborum ſanatio, quæ tamen etiamſi naturalis facultas in his operetur, abſque externis adminiculis non proveniunt. Ita ergo valet ad omnem remiſſionem baptiſmus, quia per ipſum regeneramur & renaſcimur, & niſi per ipſum ſpiritalis vita daretur, nec Pœnitentia, nec ſacramenta alia prodeſſent; quæ tamen valent plurimum ad ſpiritalem vitam nutriendam, corroborandam, ſanandam, quemadmodum corporalem vitam juvant cibus, potus, medicamenta. Vide quæ ſcripſimus lib. xxi. cap. 24. Hanc eſſe mentem Apoſtoli conſtat, nam præter lavacrum vitæ tribuit illa ſalutem fidei, ſpei, caritati, monet ne vivamus ſecundum carnem, eodemque cap. 5. (in quo procuIdubio baptizatos alloquitur) ut exurgamus a mortuis, ut redarguamus infructuoſa opera tenebrarum, ut vitemus immunditiam, avaritiam, turpitudinem, ſtultiloquium, ſcurrilitatem, non vero ut reminiſcamur duntaxat ſuſcepti lavacri. Atque Auguſtinus aperte ſententiam ſuam exponit tum ubi docet peccata baptiſmum conſequentia ſanari *alia curatione*, & ſubjici judicio illorum, *per quos gubernatur Eccleſia*; tum iiſdem locis quæ objiciuntur. In primo enim libro de Nuptiis & Concup. immediate poſt verba ab adverſariis producta hæc ſubjicit Auguſtinus. *Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet?* & lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 3. num. 5. ait: *Si a me quiſquam quæſierit, utrum per baptiſmum ſalvi facti fuerimus; negare non potero, dicente Apoſtolo, Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti. Sed ſi quæſierit, utrum per idem lavacrum omni prorſus modo jam nos fecerit ſalvos; reſpondebo, non ita eſt*. Demum & lib. vi. adverſus Julianum, poſteaquam ſcripſit pervenire hominem baptiſmate *etiam ad perfectionem futuri ſæculi*; demonſtrat hominem renovari *de die in diem*, atque id fieri quando adjuvante gratia Dei *Opera ſpiritus eriguntur, opera carnis mortificantur*. His vero corruit ſubjecta hæreticorum ratiocinatio; quandoquidem promiſſio æternæ ſalutis facta credentibus & baptizatis *conditionata* eſt, nec pœnitentiam, ſacramenta, & cuſtodiam mandatorum excludit: neque per ſolam *imputationem* juſtitiæ Chriſti, ſed per gratiam *inhærentem*, eamque *amiſſibilem* juſtificamur; ſicuti demonſtratum eſt libro xix. cap. 2. & 9. Ex quo autem virtus baptiſmi producat *ſublato obice* effectum ſuum, ut diximus tom. iii. pag. 237. minime ſequitur, quod producere valeat effectum aliorum ſacramentorum, & remittere peccata, quæ *alia curatione ſanantur*. Vide eumdem tomum iii. pag. 317.

At dices: Tridentina Synodus ſeſſ. xiv. canone 3. damnat eos, qui negant ea verba, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.* eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, eaque detorquent ad auctoritatem prædicandi Evangelium. Verum cum in conſeſſu Patrum de hoc canone ageretur, Ambroſius Pelargus Dominicanus Electoris Trevirenſis Theologus, monuit illa verba vix ab ullo Patrum exponi de hoc ſacramento, & a nonnullis accipi de baptiſmo: itaque eos, qui eadem verba ad ſolam inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ reſtringant, & hæreticos pronuncient omnes, qui aliter accipiant, magnam adverſariis palmam dare, & materiam geſtiendi ob damnatam in Concilio veterem Eccleſiæ doctrinam. Hæc Paulus Sarpi in Hiſt. Trident. Concilii pag. edit. Genev. 408. Revera cum verba illa Chriſtus dixerit poſt reſurrectionem ſuam, antequam mitteret Apoſtolos in univerſum orbem ad Evangelium annuntiandum; comprobat Pelargi monitum, & interpretationem Patrum, quos ille laudavit, ipſa temporum circumſtantia. Si ergo præcitata verba, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* intelligenda ſunt juxta Tridentini definitionem de Sacramento Pœnitentiæ, alias autem admonente inſigni Theologo accipiuntur de Baptiſmo ab omnibus fere Patribus, conſequitur maniſeſta illatione Baptiſmum & Pœnitentiam eſſe unum & idem Sacramentum.

Reſpondeo cum Eminentiſſimo Pallavicino lib. xii. H. C. cap. 12. num. 7. nunquam ab ore Pelargi eruditi viri potuiſſe hæc elabi, quæ cadere minime potuiſſent in mentem cujuſvis quamquam imperitiſſimi. Pelargus enim in eo theatro præſens fuerat, ubi jam pro hoc Sacramento producta fuerant univerſæ antiquitatis teſtimonia. Inter quæ, ut conſtat ex dictis, multa ſunt, quæ demonſtrant verba illa, *Quorum remiſeritis, &c.* eſſe accipienda de poteſtate peccata dimittendi, & retinendi, tradita Sacerdotibus. Neque obſtat, quod nonnulli Patrum eadem interpretati ſint de remiſſione, quæ fit per baptiſmum, aut quod a Chriſto prolata ſint quando miſit Apoſtolos ad gentes fide imbuendas & baptizandas: nam, præterquamquod in capite xx. Joannis nullus de prædicando Evangelio, aut de conferendo baptiſmo ſit ſermo, Tridentinum Concilium nequaquam illos proſcripſit, qui recenſitis verbis aliquam aliam ſententiam tribuerent, ſed eos damnavit qui illa detorquebant contra inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ. *Quare* (inquit Pallavicinus) *quod quiſpiam eadem ſic explicet, ut ſimul de hoc loquantur, & ſimul de facultate Sacerdotibus tradita tanquam miniſtris ordinariis baptiſmi, quid tandem is peccat? & quis ab ipſo tum commodus ad oppugnandum aditus adverſariis reſeratur? in quanam dialectica traditum eſt, affirmationem unius eſſe alterius diverſi, ſed non contrarii, inficiationem?* Diſtinguo itaque propoſitionem illam, Ea verba accipiuntur de Baptiſmo; tantum, nego: de baptiſmo, & de facultate abſolvendi baptizatos a culpis poſt baptiſmum propria voluntate patratis, per Sacramentum Pœnitentiæ a baptiſmo diverſum; concedo. Vide quæ paullo ſupra diximus de Cyrillo.

Opp. ultimo: Quamvis in conſecratione panis, & vini diverſa ſit materia, diverſa forma, diverſum ſymbolum Sacramenti; utraque tamen *ſpecies* pertinet ad eamdem Euchariſtiam: idem ergo affirmare poſſumus de Pœnitentia ac de Baptiſmo, quæ, licet in his diverſa materia, & diverſa forma habeantur, poſſunt ad idem Sacramentum referri. Habetur rurſus diverſitas materiæ, formæ, nec non effectus in Presbyteratus, & Epiſcopatus Ordinibus; & nihilominus Epiſcopatus non eſt Sacramentum ab ordine Presbyteratus diverſum, ſed ampliatio duntaxat & extenſio characteris ad munera, quæ excedunt facultatem Presbyteri, puta ordinandi, vel confirmandi, aut ſi Sacramentum diverſum eſt, non tamen ſententia hoc negantium ſpectat ad fidem. Pari ergo ratione affirmare poſſumus pœnitentiam eſſe extenſionem quamdam gratiæ & characteris baptiſmatis, aut ſaltem non aberraturum a fide, quiſquis id aſſereret.

Reſp. ad i. haberi quidem in duabus Euchariſtiæ *ſpeciebus* diverſam materiam, diverſamque formam; ſed tamen utramque ſpeciem ſignificare eamdem unionem cum Chriſto, referri ad eamdem ſpiritalem animæ refectionem, eamdemque gratiam producere: unde Theologi docent cum S. Thoma 3. p. q. 75. art. 2. Euchariſtiam utique eſſe Sacramentum *materialiter* multiplex, unum tamen perfectione ſigni, & gratiæ productione. E contra in baptiſmo, ac Pœnitentia, diverſa confertur gratia, ac diverſa eſt etiam ſignificationis ratio, ſiquidem baptiſmus eſt ſpiritalis regeneratio, Pœnitentia vero reconciliatio regeneratorum; ideoque hæc duo Sacramenta non *materialiter* tantum diverſa ſunt, verum etiam, ut inquiunt Scholæ, *formaliter*. Ad poſtremum reſpondetur eos, qui negant Epiſcopatum eſſe ordinem a Presbyteratu diſtinctum, negare etiam quod conferat gratiam *ex opere operato*, & quod hujus gratiæ ſignum practicum ſint materia & forma, quæ in Epiſcopi ordinatione adhibentur; cum ad conſtituendum Sacramentum non ſufficiat materia & forma, quæ habentur etiam in Sacramentalibus & in quolibet ſacro ritu, ſed ulterius neceſſum ſit efficax ſignum gratiæ. Nulla eſt ergo vis hujus oppoſitionis, quoniam dato Epiſcopatum non eſſe Sacramentum (quod tamen maxime controvertitur, nec ſine magna probabilitate negatur a multis); Sacramentum eſt tamen Pœnitentia, quæ relaxando peccata actualia non ſolum conſtat propria materia & propria forma, ſed etiam gratiam ſuamet efficacitate producit. Illud tandem advertendum eſt, Epiſcopatum, ſive ſit Sacramentum conferens gratiam, ſive non ſit, nequaquam conferre characterem ſuum, aut ampliationem characteris per ſolam reminiſcentiam presbyteratus: ac propterea his, aut conſimilibus argutationibus nullatenus juvari hæreticos, qui repetentes juſtificationem a ſola fide docent pœnitentibus dimitti peccata per ſolam recordationem baptiſmi, ut explicatum eſt ſupra.

PROPOSITIO III. Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum *præcipue* fuit, cum Dominus a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis, &c.*

Hæc

Hæc propoſitio eſt Tridentini Concilii ſeſſ. xiv. cap. 1. Ac demonſtratus; cum enim Sacramentum Pœnitentiæ illud ſit, quo *judiciaria poteſtate* a Sacerdotibus remittuntur peccata; tunc præcipue inſtitutum fuiſſe dicendum eſt, quando Dominus diſcipulis ſuis eamdem contulit poteſtatem. Atqui Dominus hanc poteſtatem contulit, dum poſt reſurrectionem ſuam inſufflavit dicens, *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. ut diximus prop. 5. & definit ipſa Tridentina Synodus canone 3. ejuſdem Seſſionis. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ tunc a Domino fuit *præcipue* inſtitutum.

Advertas tamen ideo a nobis appoſitam particulam illam *præcipue*, a ſacroſancta etiam Synodo conſulto adhibitam, quoniam de poteſtate judiciaria remittendi peccata explicantur etiam a Patribus ea verba, *Quæcumque ligaveritis*, &c. utique ante reſurrectionem Domini pronuntiata. Sed cum his verbis revera *poteſtas judiciaria* diſcipulis data non ſit, ſed prædicta tantum, atque promiſſa; non relucet in illis *præcipua* ac propria inſtitutio, quemadmodum ſententia noſtra nec Baptiſmus proprie inſtitutus eſt, dum Chriſtus ait Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. quamquam hæc verba ab omnibus de baptiſmo explicentur, eo quod ſonent potius Sacramenti inſtituendi neceſſitatem atque virtutem, quam ejuſdem inſtitutionem. Nec etiam Sacramentum Pœnitentiæ poteſt dici *præcipue* inſtitutum in ultima cœna, quando Apoſtoli fuerunt ſacerdotali *charactere* exornati; nam ſacerdotium dat poteſtatem offerendi ſacrificium, non remittendi peccata; confert enim poteſtatem in verum Chriſti corpus, ſed in iis, quæ pertinent ad corpus myſticum, & ad exercendum in ipſo munus judicis, neceſſaria eſt quædam illius poteſtatis ampliatio. Suarez diſput. xvi. ſect. 1. aſſert. 3. ſcribit exiſtimaſſe Cyprianum, quod inſtitutum fuerit hoc Sacramentum *in nocte cœnæ*, laudato ſermone de Ablutione pedum, in quo commemoratur aliud a baptiſmo *lavacrum*, a Domino eadem nocte præſcriptum. Verum neque ſermo ille opus eſt Cypriani, neque aliud lavacrum agit, quam de humilitatis officio, ut oſtendimus lib. xxx. cap. 6. Videtur denique ſententia S. Thomæ q. 84. art. 7. *actus pœnitentis*, qui ſunt hujus ſacramenti materia, indictos fuiſſe a Domino initio prædicationis; *officium miniſtrorum* inſinuatum Matth. xvi. poſt reſurrectionem denique *efficaciam hujus Sacramenti* manifeſtatam. Recte itaque Œcumenica Synodus appoſuit particulam illam *præcipue*.

PROP. IV. Pœnitentiæ Sacramentum hominibus poſt baptiſmum lapſis ad ſalutem aſſequendam eſt neceſſarium.

Demonſtratur 1. Sacramentum Pœnitentiæ, ut diximus, eſt illud, quo judiciaria poteſtate a Sacerdotibus peccata ſolvuntur, juxta ea, quæ leguntur in Evangelio, *Quæcumque ſolveritis*, &c. atque, *Quorum remiſeritis*, &c. Sed abſque ſolutione, aut remiſſione peccatorum nemo poſt baptiſmum lapſus ſalutem conſequi poteſt. Igitur, &c. II. Tridentina Synodus ſeſſ. xiv. cap. 2. his verbis hanc propoſitionem definit: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus*. Qui ergo poſt lavacrum regenerationis actualibus criminibus inquinantur, non aſſequentur æternam vitam, niſi re, aut voto (ſicuti diximus de Baptiſmo libro xxxi. cap. 23.) Pœnitentiæ Sacramento ſolvantur. III. Auguſtinus ſcribens ad Honoratum epiſt. 180. nunc 228. num. 8. ait: *Si miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum; qui eos ſecum in vita æterna non habebunt?* & de adult. conjugiis lib. 2. cap. ult. num. 35. *Quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa*. At plura ex Patribus proferenda erunt, ubi de neceſſitate Confeſſionis, quæ hujus Sacramenti pars eſt, diſſeretur. IV. Hanc neceſſitatem ratio ipſa commonſtrat. Si enim ſacerdotes in Eccleſia judices, & abſolutionis miniſtri ſunt a Domino conſtituti, ipſorumque judicium in cælis ratum ac firmum eſt, profecto apud Deum rei permanent, qui ad ipſos Sacerdotes, cum poſſint, abſolutionem impetraturi nolunt accedere; quemadmodum in republica quiſquis patravit homicidium, aut furtum, cenſetur reus, ac ſupplicio legibus conſtituto puniendus, donec a principe, vel a præfecto illius vicem gerente, poſt cognitam cauſam proferatur judicium, atque abſolvatur.

Oppoſitiones, quæ militant adverſus poſtremam hanc theſim, quoniam partim ſolutæ ſunt propoſitione prima, partim vero ſolvendæ erunt, ubi de Confeſſione, & abſolutione tractabitur, iiſdem in locis perlegi poterunt, & expendi.

CAPUT III.

An detur peccatum aliquod irremiſſibile.

CONSUEVERUNT Scholaſtici materiam Sacramenti Pœnitentiæ duplicem conſtituere, quarum unam appellarunt *circa quam*, alteram *ex qua*. Cum enim, ut dicturi ſumus, tribus partibus Sacramentum iſtud potiſſimum conſtet, ideſt, contritione, confeſſione, & ſatisfactione, hæ vero circa peccata abolenda verſentur; eadem peccata materiam *circa quam*, ipſam vero contritionem una cum aliis neceſſariis actibus pœnitentium dixerunt materiam *ex qua*. Nos, hac diſtinctione non repudiata, dicimus peccata eſſe, ad quorum remiſſionem Deus miſericordiarum, cognoſcens figmentum noſtrum hoc Sacramentum inſtituit, quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur; illos autem pœnitentis actus, quos commemoravi, eſſe id, quod ex parte pœnitentis requiritur ad integritatem Sacramenti, plenamque, & perfectam ipſorum peccatorum remiſſionem. Quæ iiſdem Tridentinæ Synodi verbis dicta ſunt. Sane ex quo Sacramentum iſtud inſtitutum ſit, tamquam remedium illorum, qui ſeſe poſt baptiſmum tradiderunt in peccati ſervitutem & dæmonis poteſtatem, evidenter conſequitur non ſpectare ad hoc Sacramentum ea peccata, quæ ante regenerationem patrantur. Certum quoque eſt quotidiana & venialia peccata expiari poſſe aliis ab hoc Sacramento remediis, præſertim oratione fidelium, atque eleemoſynis, quemadmodum docet magnus Auguſtinus in Enchiridio cap. 7. num. 2. de Symbolo num. 14. in Opere imperfecto lib. 2. num. 71. atque innumeris aliis in locis. Hinc Tridentina Synodus ſeſſ. xiv. cap. 5. poſtquam ait oportere a pœnitentibus, omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima ſint; *Venialia*, inquit, *quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt*. Quare Theologi peccata mortalia *materiam* Sacramenti hujus *neceſſariam* appellant, peccata autem venialia *materiam ſufficientem*.

Cum igitur Novatiani, prout priori capite dictum eſt, negaverint in Eccleſia poteſtatem remittendi peccata poſt baptiſmum commiſſa, quod eorum aliqui univerſe aſſeruerunt, omnia peccata paribus æſtimando menſuris, alii autem id affirmarunt de gravioribus tantum criminibus, cujus generis ſunt idololatria, homicidium, fornicatio, & blaſphemia; videtur præſens quæſtio utiliſſima, & ſummopere neceſſaria tum ad vindicandam poteſtatem Eccleſiæ a Chriſto collatam, confirmandumque Catholicum dogma de Sacramenti Pœnitentiæ exiſtentia ac virtute, tum ad refellendam hæreſim Montaniſtarum, & Novatianorum, quam aſſertione iſta convellimus, atque explodimus.

PROPOSITIO: Nullum omnino datur peccatum, quod per Pœnitentiam expiari, & ab Eccleſia remitti non poſſit.

In hujus veritatis confirmationem principio afferri poſſunt innumera Teſtamenti veteris loca, in quibus miſericors Deus non uni pœnitentium, quantumvis nefandis ſceleribus inquinato, pollicitus eſt, & contulit remiſſionem. Hujuſmodi ſunt, quæ leguntur Iſ. 1. 16. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis veſtris: quieſcite agere perverſe*: & verſu 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. Jeremiæ xxxiv. 3. *Revertatur unuſquiſque a via ſua peſſima, & propitius ero iniquitati & peccato eorum*. Ezech. xviii. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam; vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum, quas operatus eſt, non recordabor; in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet*. Joelis ii. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu: & ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum; quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia*. Quæ, aliaque proferunt epiſt. 52. ad Antonianum S. Cyprianus, prima ac tertia ad Sempronianum S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, & in duobus libris de Pœnitentia S. Ambroſius. Huc ſpectant exempla eorum, quibus poſt nefanda ſcelera Deus peccata dimiſit, & de quibus citata Epiſt. 1. Tom. iv. Bibl. PP. pag. 307. ait S. Pacianus: *Nonne Davidi poſt cædis & adulterii reatum pro Bethſabee pœnitenti Propheta reſpondit, Dominus abſtulit a te peccatum tuum? Nonne Babylonium regem poſt tot idololatriæ facinora damnatum Exomologeſis liberavit?* &c. Accedunt loca innumera, quibus Deus aut pœnitentiam indicit, aut impœnitentibus comminatus æternam mortem: *Nunquam enim* (inquit ibidem Pacianus) *Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti*; & Ambroſius pariter lib. 1. de Pœnit. cap. 1. num. 4. *Quid autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent; cum utique veniam negando incentivum auferant pœnitentiæ? Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam*.

Sed quoniam Novatiani minime inficiabantur poſſe a Deo peccata dimitti, & hanc poteſtatem denegabant tan-

Digitized by Google

tummodo Eccleſiæ; refutantur evidentius Evangelicis teſtimoniis, quibus præced. cap. prop. 2. eamdem Eccleſiæ poteſtatem vindicavimus. Neque enim iis verbis, *Quæcunque ſolveritis*, &, *Quorum remiſeritis, &c.* collata Eccleſiæ poteſtas ad quædam peccatorum genera limitatur; unde prælaudatus Ambroſius cap. 2. num. 10. ita Novatianos exagitat: *In eo igitur potrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a vobis putetis, & quæ ſine remedio arbitremini; ſed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit*. Idem docet præcitata epiſt. S. Cyprianus, ſimulque Novatianos validiſſimo hoc argumento ſefellit: *Si invenimus a pœnitentia agenda neminem debere prohiberi; deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors & pius eſt, per Sacerdotes ejus pax poteſt concedi*. Præterea ex Evangelicis parabolis ita Pacianus divinam erga omnes miſericordiam commendat: *Quid ad illa tot ſimilitudinum dominicarum argumenta reſpondent? Quod drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam; quod paſtor ovem reportat erraticam; quod filio revertenti poſt prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis epotato, pater blandus occurrit, & invidum fratrem oſtenſa ratione caſtigat, Filius, inquiens, meus hic mortuus erat, & revixit, perierat & inventus eſt. Quid ille, in via vulneratus, a Levita & Sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Eccleſiis. Epheſios deſerta dilectionis accuſat, ſtuprum Tiathyrenis imputat, Sardos in opere ceſſantes, Pergamenos docentes diverſa reprehendit, Laodicenorum divitias inurit; & tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactionis invitat*. Poſt hæc vero reſponſionem Novatianorum paullo ſupra productam ita impetit: *Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt: ſed & quod per ſacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit, Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis, & quæcunque ſolveritis in terris, ſoluta erunt & in cœlis? Cur hoc, ſi ligare hominibus ac ſolvere non licebat?* Ex ſcripturis itaque divinam miſericordiam commendantibus, & pœnitentiam ſingulis indicentibus, nec non ex poteſtate ligandi ac ſolvendi collata Apoſtolis, hæreſis Novatiana invicte ſefellitur.

Præterea demonſtratur propoſitio Eccleſiaſticis definitionibus. Exorta quippe Novatiana hæreſi, S. Cornelius coacto Concilio ſexaginta Epiſcoporum, menſe Octobri anno 251. opinionem Novati declaravit *immaniſſimam, & a fraterna caritate alienam*; decrevitque *fratres, qui in calamitatem inciderant, curandos eſſe & confovendos*. Eadem Synodo (quamquam duas diverſas Romæ a Cornelio celebratas cenſeat Baronius, & qui eum ſequitur Labbeus) confirmata fuere decreta Concilii Carthaginenſis *de lapſis recipiendis*, paullo ante, perſecutione Decii ſopita, coacti opera Cypriani, uti conſtat ex ejus ad Antonianum epiſtolis. Collegit etiam Cornelius ſententias Epiſcoporum, qui Romanæ Synodo non interfuerant, *per Italiam, & Africam, aliorumque locorum provincias*, ſicuti libro VI. c. 43. pag. 242. ſcribit Euſebius, ibique idem Cornelius in Epiſtola ad Fabium Antiochenum. Hinc eruitur, quæ de Cornelio ſcribit Hieronymus de Script. Eccl. cap. 66. *Scripſit Epiſtolam ad Fabium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum de Synodo Romana, Italica, Africana*, accipienda eſſe, de præcitatis ſententiis a Cornelio collectis, ut contendit Pagius ad annum 251. num. 26. tametſi alii Italicam Synodum adverſus Novatianos celebratam fuiſſe velint, non minus ac Romanam, & Africanam. Sed aut Epiſcopi Itali, qui Romano Concilio non interfuerant, alio in loco coadunati ſunt, ut ad Cornelium ſuas adverſus Novatum ſententias mitterent, aut ſingulatim id fecerint; conſtat omnes dogma Catholicum propugnaſſe. Libellus Synodicus commemorat Synodum Antiochenam Demetrii, in qua legimus depoſitum Novatum, *ὡς ὄντα φιλαμαρτήμονα, tanquam qui peccatoribus patrocinaretur*, ubi vereor, ne deſit aliquid. A ſæculo autem tertio ad hoc uſque ſemper Eccleſia Novatianos execrata eſt; ideoque Concilium Lateranenſe IV. an. 1215. perantiquas definitiones confirmans, *Si poſt ſuſceptionem Baptiſmi* (inquit cap. 1.) *quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper Pœnitentiam reparari*: ac Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. 1. *Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tamquam hæreticos expluſit atque condemnavit*.

Corroboratur ulterius Catholica veritas teſtimoniis Patrum: quorum plura producta ſunt præcedenti cap. prop. 2. nonnulla Cypriani, Paciani, & Ambroſii paullo ſupra: quædam mox proferentur. Unius nunc Auguſtini verba recitabo ex libro de Agone Chriſtiano cap. 31. num. 33. ubi de Novatianis hæc habet: *Nec eos audiamus, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claves regni cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt*. Et infra: *Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua ſanitate cuſtodiunt, ſed ægris ſubtrahunt medicinam*. Idem Auguſtinus in Epiſt. ad Vincentium Rogatiſtam 93. num. 42. invehitur in eos, qui negabant reconciliationem adulteris, *& clauſa Eccleſiæ pulſantibus ſubtrahebant*: cumque lib. 1. de Serm. Domini in monte ſcripſerit aliquod peccatum dari, quod nequit remitti: in priori Retractationum cap. 19. num. 7. tanquam id minus accurate aſſertum corrigens inquit: *Addendum fuit, ſi in hac tam ſceleroſa mentis perverſitate impius finierit hanc vitam: quoniam de quocumque peſſimo in hac vita conſtituto non eſt utique deſperandum, &c.*

Probatur denique Catholica veritas ratiocinationibus Theologicis: quarum prima petitur ex quo miſericors Deus veniam obtulerit peccatoribus ſceleſtiſſimis, Caino etiam, qui omnium primus fraterna cæde ſanguinem effudit humanum, unde Epiphanius hæreſi 59. p. 493. infert *neminem, ſi oxiderit, ab Eccleſia deſerendum eſſe*. Quod argumentum, ut diximus, exemplis aliis illuſtribus, necnon parabolis Evangelicis confirmatur a Paciano. In idem Caini factum intendens animum Claudius Victor lib. 2. in Geneſim cecinit:

At vero nulla eſt hominis tam dira nefandi
Culpa, Deus quam non animo clementer remittat,
Si modo pœniteat facti: quod teſte Caino
Accipimus, quem tunc fraterna cæde madentem
Arguit, & leviter tanto pro crimine punit.

Aliud argumentum petitur ex quo Dominus Eccleſiam ſuam validiſſimis adverſus portas inferi præſidiis inſtruxerit; nec omnino credendum ſit, plus virium ad perdendas animas eſſe dæmoni per Chriſti mortem devicto, quam ſit Eccleſiæ ad animas ipſas ſanandas: ideoque S. Pacianus Epiſt. 1. *Habetne*, inquit, *tam dirum ſerpens venenum, & Chriſtus non habet medicinam? Diabolus in mundo interficit, Chriſtus hic non poteſt ſubvenire?* Ambroſius itidem lib. 1. de Pœnit. cap. 3. num. 14. *Pro quibus ergo Chriſtus interpellat, eos Novatianus accuſat. Quos Chriſtus ad ſalutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem. Quibus Chriſtus dicit, Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia mitis ſum, Novatianus dicit, immitis ſum*. Ac S. Hieronymus epiſt. 82. ad Oceanum pag. 646. tomi IV. ita loquitur: *Dicis enim eſſe aliqua, quæ Chriſtus non poſſit purgare ſanguine ſuo, & tam profundas ſcelerum priſtinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, ut medicina illius attenuari non queant. Quid aliud agit, niſi ut Chriſtus fruſtra mortuus ſit? Fruſtra autem mortuus eſt, ſi aliquos vivificare non poteſt*. His accedunt alia complura, nimirum quod Deus velit, ut Eccleſiæ miniſtri miſericordiam ſuam imitentur, ut ignoſcant omnibus, pro omnibus orent, neminem deſerant, ſingulos paternis viſceribus complectantur, atque de nullius ſalute in hac mortali vita deſperent, quæ omnia ſatis ex dictis perſpicua ſunt.

OPPOSITIONUM REFUTATIO.

Adverſus dogma catholicum iſta militant. Ut ſunt in veteri teſtamento quæ exaltant Dei miſericordiam, ad pœnitentiam hortantur, & exemplis divinam indulgentiam commonſtrant: ita plura ſunt, quæ in gravia, vel in eadem ſcelera plures lapſis comminantur indignationem Dei, ac ſempiternum interitum, demonſtrantque rerum eventu inutilem eſſe perditiſſimorum hominum pœnitentiam. Eccleſiaſticus enim cap. XXI. 4. ſemel lapſum ad reſipiſcentiam exhortans, *Quaſi romphæa*, inquit, *bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non eſt ſanitas*. In Prov. cap. 1. 24. Iſ. LXV. 12. & Jerem. VII. 13. teſtatur Deus ſe ſubſannaturum illos, qui irruente repentina calamitate ad eum clamabunt, eo quod aliquando neglexerint increpationes. Amos cap. 1. & 2. Deus de Damaſci, Gazæ, Tyri, Moab, & Iſrael populis repetit: *Super tribus ſceleribus, & ſuper quatuor non convertam eum*. De peccatis autem in Deum, & in Sanctuarii miniſterio patratis ita Heli ait ad filios ſuos 1. Regum II. 25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Dominus: ſi autem in dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Exempla item occurrunt pœnitentiæ iniquorum a Deo reprobatæ: unum de Antiocho legimus in ſecundo libro Machab. IX. 13. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*: & de Eſau ad Hebr. XII. 17. *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*. Patrocinantur itaque tam veteris Teſtamenti ſententiæ, quam exempla ſyſtemati & doctrinæ Novatianorum.

Reſpondeo nullum ex his locis ſuffragari Novatianis; non enim in eis ſermo fit de poteſtate Eccleſiæ in remittendis peccatis, ſed de execrabili impiorum conditione, de atrocitate ſcelerum, & de falſa aliquorum pœnitentia: ac propterea ſi hæc loca probarent aliquid, evincerent nec apud Deum crimina atrociora remitti; quod Novatus nunquam auſus eſt affirmare. Singula autem adducta loca percurrens dico Eccleſiaſticum aſſerere peccata divinam majeſtatem irritare, atque homini æternam mortem, ac tale vulnus inferre, cui ſolus Deus præſtare poteſt gratia auxiliatrice, & ſanante medicinam. Quæ ſequuntur dicta ſunt in reprehenſionem eorum, qui perverſe ſperando (ut inquit S. P. Auguſtinus ſerm. 87. de Verbis Evang. cap. 9.) de die in diem differunt converſionem, ac male ſperando, & differendo miſerrime pereunt; quoniam, dum volutantur in flagitiorum gur-

Digitized by Google

gurgite, atque in mortifera delectatione, claudunt ſibimetipſis oſtium indulgentiæ, & a Deo, quem pervicaciter deſerunt, juſto rectiſſimoque judicio deſeruntur. Verba Amos ita explicantur a Hieronymo tom. 3. pag. 1374. *Primum peccatum eſt cogitaſſe quæ mala ſunt. Secundum cogitationibus acquieviſſe perverſis. Tertium, quod mente decreveris, opere compleſſe. Quartum poſt peccatum non agere pœnitentiam, in ſuo ſibi complacere delicto.* Theodoretus, aliique ita hunc locum exponunt, quod multiplicata ſcelera Deum compellunt ad punitionem. Increpationis Eli planus eſt ſenſus; nam cum Sacerdotes pro omnibus interpellent, ſi ipſi in Dominum peccaverint, nullus e populo accedit ad altare pro iiſdem offerens ſacrificia, ut recte interpretatur hunc locum S. P. Auguſtinus concione 2. in Pſal. 36. & libro 2. contra litteras Petiliani c. 105. Addit S. Pater hæc in lege veteri dicta eſſe, in qua nobis promittebatur ſacerdos, *pro quo nullus poſſit orare*, ideſt, Chriſtus; ceterum tum etiam Sacerdotibus fuiſſe locum pœnitentiæ, & potuiſſe unum pro altero hoſtias offerre. Ambroſius vero in primo de Pœnit. cap. 9. num. 40. ſcite obſervat illa phraſi, *Quis orabit pro eo*, quæri, non excludi *qui in tali cauſa orare poſſit*, exponens hunc locum collatione ſimilium, ut Pſalmo XIV. 1. *Quis habitabit in tabernaculo tuo?* XXIII. 3. *Quis adſcendet in montem Domini?* Lucæ XII. 42. *Quis fidelis diſpenſator & prudens?* Obſervat præterea, quo major eſt culpa, eo majora quærenda eſſe ſuffragia; non enim quicunque de vulgo, ſed Moyſes rogavit pro Judæorum populo, quando vitulum adoraverunt: & Hieremias quoque, licet ei dictum fuerat a Domino, *Noli orare pro populo iſto*, oravit tamen, & veniam promeruit. Poſtremo exempla Eſau, & Antiochi non ſunt ad rem; de Eſau enim ſcribit Chryſoſtomus Homilia XXX. in Epiſt. ad Hebræos: *Non ut oportuit egit pœnitentiam*, ὡς μετανοεῖν ὡς ἐχρῆν. Nimirum de amiſſa hæreditate, non de commiſſis ſceleribus eum pœnituit, ſed continuo in Jacobum fratrem ſuum odio, & invidia contabuit: & inſuper Apoſtoli verba alium patiuntur ſenſum, Eſau nempe non potuiſſe lacrymis conſequi benedictionem paternam: unde ibidem *non invenire locum pœnitentiæ*, eſt non obtinere id, cujus cauſa contriſtabatur; inquirere *pœnitentiam*, metonymice idem ſonat, ac expetere benedictionem ipſam atque hæreditatem, prout manifeſtum eſt legenti ipſum Apoſtoli textum, Geneſis XXVII. 34. Antiochus etiam, ut præcitato Machab. cap. legitur, doluit quoniam *per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus fœtorem ſuum ferre non poterat*: unde S. P. Auguſtinus ſerm. 343. num. 2. infert, Antiochum *non fuiſſe dignum*, cui miſericordia a Domino præſtaretur.

Opp. 2. Sunt in novo teſtamento loca quædam expreſſa & perſpicua, ex quibus conſtat dari aliquod peccatum prorſus irremiſſibile. Primus locus eſt Matth. XII. 31. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Similia habentur Lucæ XII. 10. & Marci III. 29. Alter locus occurrit in Epiſt. ad Hebr. cap. VI. 4. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Tertius habetur in eadem Epiſtola cap. X. 27. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Habetur quartus in prima Joannis Epiſtola cap. V. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Sunt ergo aliqua peccata prorſus irremiſſibilia, ideſt, blaſphemia in Spiritum ſanctum, apoſtaſia, & peccatum quod a Joanne dicitur *ad mortem*, ſive idem cum apoſtaſia ſit, ſive diverſum.

Reſp. Primum teſtimonium ex Matthæo depromptum opponi hæreſi Novatianæ: primo, quia ſi omnis blaſphemia, & omne peccatum remittitur, cur hæretici *alligant vincula quæ non ſolvunt? cur nodos nectunt quos non relaxant?* inquit Ambroſ. libro 2. de Pœnit. cap. 4. num. 20. præterea quia ſi Filius æque ac Spiritus ſanctus eſt Deus, & nihilominus blaſphemia in Filium remittitur; igitur non a gravitate peccati, ſed aliunde repeti debet, quod aliud peccatum non remittatur. Deinde (ut directe reſpondeam) dico blaſphemiam in Spiritum ſanctum, quæ nunquam remittitur, juxta Auguſtinum ſerm. 71. de Verbis Evangelii Matthæi num. 23. eſſe *peccatum impœnitentiæ contra donum Dei, & gratiam regenerationis vel reconciliationis, quæ fit in Eccleſia in Spiritu ſancto*, E. G. peccatum hæreticorum, & ſchiſmaticorum, quos non pœnitet ejus peccati, quo alieni ſunt ab Eccleſia Dei; in qua per gratiam Spiritus ſancti fit remiſſio omnium peccatorum. Tale utique peccatum nunquam dimittitur, cum extra Eccleſiam gratia, remiſſio, & ſalus haberi nequeant. Tournely de Pœnit. pag. 21. ait juxta Patres alios, præſertim Hieronymum in Matth. Pacianum, & Ambroſium cit. loc. blaſphemiam in Spiritum ſanctum eam eſſe, qua veritas manifeſta impugnatur, & Chriſti miracula dæmoni tribuuntur: videri autem interpretationem Auguſtini falſam eſſe, quia nec blaſphemia in Filium remittitur, ſi cum impœnitentia finali ſit conjuncta. Idem ſcripſerat Bellarminus lib. II. de Pœnit. cap. 16. ſed (quod honore debito dictum ſit) non videntur prælaudati viri Auguſtinianam doctrinam aſſecuti. Non enim docet S. Pater blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe duntaxat impœnitentiam finalem; ſed docet blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe dividi a Chriſto, & velle extra unitatem corporis ejus remiſſionem peccatorum, ita, ut ſi quis ab Eccleſia ſeparatus agat pœnitentiam, & non redeat ad unitatem, nequaquam ſalvari poſſit: unde citato ſermone 71. hæc ſubjicit: *Si quemquam extra Eccleſiam ſuorum pœniteat peccatorum, & hujus tanti peccati, quo alienus eſt ab Eccleſia Dei, cor impœnitens habeat, quid ei prodeſt illa pœnitentia, cum iſto ſolo verbum dicat contra Spiritum ſanctum, quo extraneus ab Eccleſia, quæ accepit hoc donum, ut in ea in Spiritu ſancto fiat remiſſio peccatorum?* Et epiſtola ad Bonifacium 185. alias 50. exponens quale ſit peccatum, quod nunquam dimittitur, inquit: *Hoc eſt autem duritia cordis uſque ad finem vitæ, qua homo recuſat in unitate corporis Chriſti, quod vivificat Spiritus ſanctus, remiſſionem accipere peccatorum.* Similia habet cap. 82. Enchiridii num. 22. Igitur in ſententia Auguſtini vere, ac proprie nunquam blaſphemia in Spiritum ſanctum dimittitur, quia nunquam eſt particeps divinæ caritatis qui hoſtis eſt unitatis, & neminem extra corpus Eccleſiæ vivificat Spiritus ſanctus; ſed qui in Eccleſia eſt, tametſi dicat blaſphemiam in Filium, ſi pœniteat, veniam conſequitur quærens Spiritum ſanctum in corpore Chriſti; dum e contra ab Eccleſia alienus, repugnans gratiæ, & non rediens ad corporis unitatem, vivificari nequit Spiritu Chriſti, qui eſt Salvator tantummodo corporis ſui. Arbitror eadem cum Auguſtino ſentire beatum Ambroſium: qui poſteaquam præcit. cap. 4. ait blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe illorum iniquitatem, qui dixerunt in Beelzebub Chriſtum dæmonia ejicere; docet in iis eos deſignari, *qui membra Chriſti diſcerpunt, & ſeparant Eccleſiam Domini*, additque num. 24. in horum numero comprehendi *omnium temporum hæreticos & ſchiſmaticos, quibus indulgentiam negat; quod omne peccatum circa ſingulos eſt, hoc in univerſos. Soli enim ſunt, qui volunt ſolvere Chriſti gratiam, qui Eccleſiæ membra diſcerpunt, propter quam paſſus eſt Dominus Jeſus, Spirituſque ſanctus datus eſt nobis.* Hinc vero non ſequitur, ut dicam paullo infra, irremiſſibilia eſſe ſchiſmaticorum, hæreticorumque peccata; ſed tantum ſequitur remiſſionem non haberi extra Eccleſiam. Puto etiam Auguſtinianam expoſitionem plurimum Evangelico textui cohærere: nam Dominus arrepta occaſione dæmonii a ſe ejecti demonſtrat perveniſſe ad nos regnum Dei, alligari a ſe fortem, & diripi domum ejus, atque omnes qui a ſe ſegregantur, ſtare contra ſe; his autem expoſitis, ſtatim ſubjicit quæ ſupra objecta ſunt: *Ideo dico vobis, Omne peccatum, & blaſphemia, &c.* Quænam eſt ergo blaſphemia in Spiritum ſanctum irremiſſibilis, niſi eorum pervicacia, qui ad regnum Beelzebub, domumque direptam, ideſt, extra Eccleſiam confugientes putant ſalvari, ubi non eſt ſalus, atque ex arbore mala percipere fructum bonum? Hæc autem dicta ſint de Auguſtiniana interpretatione, quæ utique plana eſt, atque omnino dirimit objectionem. Ceterum ſi velimus blaſphemiam in Spiritum ſanctum in præcitato Matthæi textu eſſe pervicaciam illorum, qui manifeſtam veritatem oppugnant, & Chriſti miracula tribuunt virtuti dæmonum (quod utique ob auctoritatem aliorum Patrum aſſeritur recte, neque a nobis refellitur) duplici ex cauſa dicitur peccatum illud irremiſſibile: primum quia hujuſmodi peccatum neque ex ignorantia, neque ex infirmitate procedit, ideoque non habet illam ſpem reſipiſcentiæ, quæ oritur ex veritatis aſſecutione, per quam depellitur ignorantia, atque ex depreſſione terrenarum cupiditatum, per quam ſanatur infirmitas. Deinde quia hebraica phraſi dici ſolet, *Hoc fiet, iſtud vero non fiet*, ad commonſtrandum multo eſſe difficilius id, quod poſterius ponitur, ut Iſaiæ LIV. 10. *Montes commovebuntur & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet a te*; & Matth. V. 18. *Donec tranſeat cœlum & terra*, aut XXIV. 35. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ad hunc modum Virgilius Eccl. I.

Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Planus ergo verborum quæ objiciuntur ſenſus eſt, peccatum apertiſſimam veritatem negantium ceteris difficilius remitti: unde in hunc locum Chryſoſtomus Hom. 42. pag. 391. τί οὖν ἐστιν ὅ φησιν; ὅτι ὑπὲρ πάντα αὕτη ἡ ἁμαρτία ἀσύγγνωστος. *Quid igitur eſt, quod dicit? Significare voluit, præ omnibus hoc peccatum minus eſſe ignoſcibile.*

Alterius loci ſeuſus eſt, illos, qui ſemel per ſacramentum baptiſmi renovati ſunt, ſi rurſus in peccate labantur, non poſſa repetito baptiſmete conſequi amiſſam regenerationis gratiam; quoniam ſicuti Chriſtus ſemel mortuus eſt, ira ſemel in baptiſmate conſepulti ſumus in Chriſto; ejuſdemqua baptiſmatis iteratio eſt mexima injuria facta Domino, quaſi ſamal affixus cruci rurſus mori dabeat ed eahaurienda peccata. Id vero non facit, quiu patrata a baptizatis crimina deleri poſſint pet Pœnitentiam; ſemel enim tenaſcimur, & innovamnt, ſad liberari a vetuſtate, ee ſanari poſſumus iterum, iterumque; qnemadmodum & carna ſemel gignimut, ſemel naſcimur, deperditam autem valatudinem ſæpe ſæpius inſtauramus. Tradit hanc reſponſionem S. Epiphanius h. 59. pag. 495. S. Joannes Chryſoſtomns Hom. ix. in Epiſt. ad Hebræos, & S. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. eap. 2. nnm. 8. eamque legitimam eſſe iidem Patres oſtendnnt. Nam Epiphanius advertit Apoſtolum loqui adverſus eos, qui Judaicis moribus aſſueti volebant baptiſmum identidem uſurpare, (qnod conſtat ea principio ajuſdem capitis ſexti) illorumque pœnitantiam, & ſaniora conſilie ipſum Apoſtolum confidantar expetere, prout epparet ea verſu nono, & ſaquentibus. Chryſoſtomus inſuper eapendans ee verba, *Rurſum crucifigenter ſibimetipſir filium Dei*, demonſtrat hæc qnedrare in baptiſmum, in qno crucifigitur vatus homo, in quo conſepulti ſumus cum Chriſto in mortem, & in quo conformes facti ſumus ſimilitudini mortis ejns, ſicuti ad Rom. vi. & ad Epheſios ſv. ſcribit ipſemet Peulus. Eadem Ambroſins repetit, addens Apoſtolum, qui donevit Corinthio peccarum per pœnitentiam, non potuiſſe edverſns factum ſnnm prædicare, propriamque ſententiam reprehendere. Inconcuſſa eſt itaque hæc reſponſio; quamquam nonnulli malint aliam adhibere, ſcilicet, quod in Epiſtole ad Hebræos Paulus ſermonam inſtituat de crimine epoſtaſiæ, quod perraro & difficulter ob canſas paullo ſupra productas dimittitot; adeo, ut *Impoſſibile* dicatur ab Apoſtolo qnod arduum, & difficillimum eſt, uſitata in ſacris litteris phraſi, ut dieimus lib. 2. cap. 6. explicantes qnot modis dicatur alique res *impoſſibilir*.

Velet præcitata reſponſio ad ſolvendum quod objicitur tertio loco. In cap. enim x. ejuſdem Epiſtolæ nomine *hoſtiæ* intelligitur mors & paſſio Chriſti, cui in baptiſmate conſignramnr. Andiatur S. Joannes Chryſoſtomus Hom. xa. pag. edit. Commel. 1884. *Hec rurſut nos adortuntur, qui tollunt pœnitentiam, & quicunque cunctautur venire ad baptiſmum. Hi quidem dicunt non eſſe atr tutum venire ad baptiſmum, ſiquidem non eſt ſecunda remiſſio: illi vero dicunt eſſe tutum eor, qui peccaverunt, impertiri myſteriir, ſiquidem non eſt ſecunda remiſſio. Quid ergo dicemur utriſque? Quod hic non tollit pœnitentiam, neque eam, qua per pœnitentiam fit, placationem; neque expellit, aut dejicit per deſperationem eum qui lapſur eſt. Non eſt uſque adeo inimicur noſtra ſalutir: ſed ſerundum aufert lavacrum. Non enim dixit, non eſt amplius Pœnitentio, neque eſt amplius remiſſio; ſed, non eſt amplius hoſtia, hoc eſt, non eſt amplius crux ſecunda: hoc enim vocet hoſtiam, &c.*

Qnod opponitur ee apiſtole prime Joannis, ſolvitur eb Augnſtino lib. de Corrept. & gratia cap. 12. num. 35. dicendo peccetum illud eſſe *Fidem, qua per dilectionem operatur, deſerere uſque ad mortem*. Enimvaru da qnocumqne peſſimo peccatora in hac vita conſtitnto non aſt deſperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non daſperatur. Quamquam vero de peccato *ad mortem* poſſnnt mnlta & diverſa ſentiri, ut ibidam ait Auguſtinns; videtur tamen hæc reſponſio ceteris præfaranda, qnod plana ſit, expedita, nacnon confirmata canone quinto ſecundæ Nicænæ, ſive vii. Synodi: *Peccatum ad mortem eſt quando quidam peccantes incorrepti perſiſlunt*.

Opp. 3. Permulta ſunt taſtimonia Patrum eſſerentium peccata regeneretorum eſſe irremiſſibilia, apoſtaſiam præſertim, & blaſphemiam in Spiritnm ſanctum, manifeſtæ ſcilicet veritatis oppugnationem; eut ſi Pœnitentiæ locum dedere, ejus vim denegarunt comparete ad peccata graviora, & poſt conſecutam ſemel remiſſionem perpetrata. Harmas anim, Paſtor dictus, ſimilitudine viii. libri iii. pag. 110. da iis, qui Deum abnegavarunt, inquit: *Hir igitur non eſt locut pœnitentia*. Tertullianus da Pudicitia cap. 1. de quodam edicto promnlgato a Zephyrino Pontifica ſcribit: *Audio etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex ſcilicet Maximur, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum, edicit: Ego & mœchia & fornicationir delicta pœnitentia functir dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit, Bonum factum!* De Pœnitentia entem eap. 7. *Collocavit* (inquit) Deus *in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, qua pulſantibus patefaciat; ſed jam ſemel, quia jam ſecunde, ſed amplius nunquam, quia proxime fruſtra*. Auctor Conſtitut. Apoſt. l. 2. cap. 23. pag. 233. ait: *Si quir inſtructa velues acie rebellir delinquat tentans Deum quaſi malos non inſectantem; hujuſcemodi venia carebit*. Origenes & Theognoſtus laudati a S. Athanaſio Epiſt. ed Serepionem num. 9. docuerunt illos, quibus in baptiſmate Spiritus ſanctus tribuitur, ſi ad peccata tedeant, non conſecuturos remiſſionem: idemque Athanaſius proximo num. 12. approbat ſententiam illam, ſi reſtringatnr ad blaſphemiam in Spiritum ſanctum; quam proximo num. 16. adſcribit Phariſæis, qui ajebant Beelzebulis eſſe Chriſti opera, nec erubeſcebant in diabolum transferre Dei poteſtatem, concludens jure merito Salvatorem declaraſſe, quod iſtiuſmodi blaſphemia nec veniam habeat nec remiſſionam. S. Cyprianus in lib. da lapſis pag. 379. demonſtrat nec Moyſen pro peccatis populi orantem obtinuiſſe peccatoribus veniam, atque his inſuper applicat quæ leguntur Ezech. xiv. 20. Si *Noe, Daniel, & Job fuerint in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus, quia filium & filiam non liberabunt*. S. Pacianus Epiſt. 3. tom. iv. Biblioth. Patrum pag. 312. poſtquam ait blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſa cæcitatam, qua impius non vult videre quod vidat, deputatque diabolo ſancti Spiritus opera, *Hoc eſt ergo* (inquit) *quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus, frater Sympronione, donantur*. Ambroſius etiam lib. 2. de Pœnit. cap. 4. num. 24. teſtatur hæreticis, & ſchiſmaticis denegari indulgentiam, prout dieimus paullo ſupra: atque de lapſu Virginis conſecratæ cap. 8. num. 38. *Inhære*, inqnit, *pœnitentia uſque ad extremum vita, nec tibi præſumas ab humana die veniam dari, quia decipit te qui hoc tibi pollicere voluerit. Qua enim propriæ in Dominum peccaſti, ab ipſo ſolo te convenit in die judicii expectare remedium*. Poſtremo S. Hieronymus in cap. xii. Matth. tom. iv. pag. 50. ſcribit: *Qui autem manifeſte intelligens opera Dei, quum Dei virtutem negare non poſſit, eamdem ſtimulatus invidia calumniatur; & Chriſtum Deique Verbum, & opera Spiritus ſancti, dicit eſſe Beelzebub; iſti non dimittetur neque in præſenti ſeculo, neque in futuro*. Et Epiſtola ad Marcellam eod. Vol. pag. 164. demonſtrat adverſus Novatianos verbum in Spiritum non eſſe culpam illorum, qui tormentis compulſi, & veris eviſcerati cruciatibus Dominum negant, ſed eorum, qui enm in virtutibus videant opera Dei, calumniantur, & clamitent dæmonis eſſa virtutam. Atque iſtorum peccatum fatetur irremiſſibile his verbis: *Probet itaque Novatianus aliquem de his, qui ſacrificare compulſi ſunt ante tribunal judicis, reſpondiſſe omnia, qua in Evangelio ſcripta ſunt, non a filio Dei, ſed a Beelzebub principe dæmoniorum fuiſſe perfecta; & tunc poterit approbare irremiſſibilem in Spiritum ſanctum eſſe blaſphemiam*. Et paullo infra: *Doceat igitur aliquem negatorem Beelzebub vocaſſe Chriſtum, & ultro referam gradum, negatorem non poſſe veniam conſequi poſt ruinam*.

Reſp. Patres, qui peccate aliqua dieerunt *irremiſſibilia*, aut locutos fuiſſe da iis, qui peccare nunquam deſiſtunt, aut de iis, qui deficientes a Chriſto degunt inter Ethnicos, vel propter hæreſes vel ſchiſmata ſeparatos, eut locutos de iis criminibus, quæ non infirmitete, ent ignorantia, ſed plena & protſus inexcuſabili perverſitate patrantur, ideoque dicuntur *irremiſſibilia*, quia in ſe nihil habent excuſationis, & quia difficilius, quam peccata reliqua, condonantur. Hanc eſſe mentem Paſtoris inde conſtat, quod eadem ſimilitudina 8. poſteaqnam deſcripſit plura genera hominom, qui juſto judicio deſeruntur a Deo, & traduntur in reprobum ſenſum, concludit: *Qui ſi cito pœnitentiam egerint, in turri ſedem habebunt; ſi vero tardius egerint, in muris habitabunt; ſi autem non egerint, mortem ſibi acquirent*. Hermas itaque de impœnitentibus & pervicacibus verba facit. Idem præſtat Pſeudo-Clemens, ſive Auctor Conſtitut. Apoſtolicarum; quamvis huic diverſi diverſa reponant. Poſt objecta enim verba immediata proſequitur, *Venia carebit, licet ſecum ipſe dicat, Bene mihi ſit, ambulabo in conſuetudine cordis mei pravi; qualis extitit Amon Manaſſis filius. Ait enim Scriptura: Et decepit ſe Amon mala cogitatione tranſgreſſionis, & dixit, Pater meus a puero multa inique egit, & in ſenectute pœnitentia ductus eſt; & nunc ego ambulabo prout deſiderat anima mea, & poſtea ad Dominum me convertam*. Amon varo in hac perverſa cogitetione, inſidiis ſervorum interfectus eſt, ut lib. iv. cap. 21. narret ſacra Regum hiſtoria. Legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis initio ejuſdem capitis: *Gravius delictum idololatria non reperitur; eſt enim in Deum impietas: nihilominus tamen & illud per ſinceram pœnitentiam condonatum eſt*. Quæ verba a diametro Novatianæ hæreſi ſunt oppoſita. At Tertullianus, eum edidit librum de Pudicitia, jam deſecerat ad Montaniſtas: quare hujus libri auctoritete nullatenus permovemur, tametſi de ſolo mœchiæ crimine diſſerat, & diſciplinam Eccleſiæ lapſos recipiantis, quam alibi commendaverat, non vim pœnitentiæ ibidem reprehendat. In libro autem da Pœnitentia demonſtrat non ideo hanc eſſe inſtitutam, ut pataat aditus delinquendo, præmittens præclaram illam ſententiam: *Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur*. Hinc infert pœnitentem ita debare eſſe comparetum, ut ſemel Deo reconciliatus, nunquam prævaricetur in poſterum: etque de iis, qui iterum deliquerint, e veſtigio proſequitur: *Verum non ſtatim ſuccedendus, ac ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecunda*

quis

quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat ſane peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, ſed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt. Origenis & Theognoſti ſententiam officioſe præterire poſſumus, maxime quod num. 12. prælaudatæ ad Serapionem epiſtolæ ſcribat Athanaſius, *ambiguam* illam eſſe, atque *indigere mediocri quadam inquiſitione.* Deinde reſpondeo ab Origene, & Theognoſto duo affirmari, auctore citato in loco Athanaſio, primum blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe, *cum ii, quibus in baptiſmate donum Spiritus ſancti tribuitur, ad peccata recidunt, ὅταν οἱ καταξιωθέντες ἐν τῷ βαπτίσματι τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου πνεύματος, παλινδρομήσωσιν εἰς τὸ ἁμαρτάνειν* alterum hos *remiſſionem minime conſecuturos, μηδὲ ἄφεσιν αὐτοὺς λήψεσθαι.* Ac prior hujus ſententiæ pars refellitur ab Athanaſio numer. 12. & 13. quoniam blaſphemiæ in Spiritum ſanctum accuſantur Phariſæi, qui lavacrum regenerationis non acceperant; & Paulus Corinthium, qui poſt baptiſmum peccaverat, pœnitentem in caritate firmavit, iterumque reformare ſtuduit Galatas retrorſum abeuntes: quod, ut mox dicam, aſſeruit itidem ad Marcellam ſcribens Hieronymus. Quod vero baptizatorum peccata non remittantur, Origenes non *abſolute* affirmavit, ſed comparate ad peccata eorum, qui delinquunt ante ſuſceptum baptiſmum, attendens ad diſciplinam, qua olim lapſi rejiciebantur a fidelium communione; nam lib. 3. contra Celſum pag. 554. edit. Cantabr. hæc de Deo ſcribit: *Qui peccata ſua damnant toto pectore, ſeque ipſos deflent ac lugent tanquam ob malefacta merito perditos, ac mox mutationem præſeferunt, qua reſipiſcentes deceat, ait demum propter mutatam in melius mentem condonat errata præterita.* Idem vero credendum eſt ſenſiſſe Theognoſtum, cujus opera perierunt. De Cypriano, quoniam de veteri diſciplina, non de poteſtate Eccleſiæ eo in libro pertractat, dicam cap. xv. Quantum ad Athanaſium, qui blaſphemiam in Spiritum ſanctum appellet *irremiſſibilem*, id S. Doctor pronunciat ſuppoſita conditione, quod hujus criminis rei in pervicacia perſiſtant, quod utique ob malitiæ perverſitatem ut plurimum contingit. Etenim eadem Epiſtola num. 22. blaſphemiam illam adſcribit etiam Arianis, qui cum cernerent Dominum divina opera facientem, illum creatis rebus adnumerabant, affirmatque Arianorum & Phariſæorum errores inter ſe collatos eſſe conſimiles, & utroſque in vallem amaræ ſtultitiæ conſertim eſſe collapſos, additque num. 23. illis verbis, *Qui vero dixerit adverſus Spiritum ſanctum, non remittetur ei*, declaraſſe Dominum, *tam illis, quam iſtis nullam fore ſupplicii debiti remiſſionem.* Et nihilominus Athanaſius in Synodo Alexandrina, cui interfuerunt Euſebius Vercellenſis, Aſterius Arabs, & Epiſcopi ex Ægypto quamplurimi, anno 362. decrevit Arianos eſſe recipiendos, modo ejurarent hæreſim, & Nicænam fidem amplecterentur. Vide Athanaſii Vitam præmiſſam editioni Maurinæ pag. lxxie. Cenſuit ergo Athanaſius blaſphemiam in Spiritum ſanctum, accedente pœnitentia, remitti; omnemque dubitationem eliminat, dum in libro de communi Eſſentia Patris, Filii, & Spiritus ſancti num. 49. ait: *Sunt alii, qui in Spiritum ſanctum impingunt, qui ſcilicet in Chriſti deitatem blaſphemiam dicunt, ajuntque, In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. De iſtis intelligendum eſt, quod ait: Non remittetur neque in præſenti ſæculo, neque in futuro. Quin & hoc obſervandum eſt, non dixiſſe Chriſtum blaſphemanti, & pœnitentiam agenti remiſſionem dandam non eſſe, ſed blaſphemanti, ideſt, in blaſphemia perſeveranti. Quandoquidem nullum eſt peccatum irremiſſibile apud Deum illis, qui vere ex animo, & ut par eſt pœnitentiam agunt.* Idem de S. Paciano aſſerendum eſt: qui enim nolunt videre quæ vident, ſunt impœnitentes, & ſponte in malo obdurati. Quare ibidem monetur lector, ne Paciani verba pravo accipiat ſenſu, cum eadem Epiſtola demonſtret Eccleſiæ poteſtate quælibet peccata remitti, extendi hanc poteſtatem ad omnia crimina quantumvis gravia, & Novatianos aperte refutari Dominica ſententia, *Quæcunque ſolveritis, erunt ſoluta*; ſiquidem, ait ibidem Pacianus, *Cum Chriſtus hæc dixit, nihil excepit, non magna, non modica peccata.* Ad Ambroſium quod attinet, ſunt qui ajunt dixiſſe blaſphemiam in Spiritum ſanctum irremiſſibilem *figura conceſſionis*; neque enim evincerent Novatiani quælibet graviora crimina baptizatorum non poſſe relaxari ab Eccleſia, etiamſi gratis daretur unum tantum inveniri ſcelus inexpiabile. Præterea Joannes Morinus libro ix. de Pœnit. cap. 28. numer. 6. 7. & 8. non veretur concedere tam Ambroſium, quam alios Patres, etiam cum Eccleſiæ auctoritatem amplificant, & videntur nullum peccatum excipere quod nequeat ab illa condonari, in univerſali aſſertione non comprehendere unum illud prævaricationis crimen, quod in Evangelio appellatur verbum contra Spiritum ſanctum. Neutram vero reſponſionem probo. Nam Ambroſius lib. 1. de Pœnit. c. 2. num. 5. de Novatianis ait: *Si unum tantum crimen exciperent ſacrilegii, cui veniam negarent, dure quidem, ſed tamen divinis tantum redargui viderentur ſententiis, aſſertionibus tamen ſuis convenirent. Dominus enim nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia.* Non ergo Ambroſius concedit unum aliquod ſcelus inexpiabile; ſed ait duntaxat, fore tolerabiliorem, ſuiſque principiis & ratiocinationibus magis conſentaneam ſententiam Novatianorum, ſi irremiſſibile dicerent unicum tantum crimen; quamquam & id nimis dure affirmaretur, ac poſſet divinis teſtimoniis revinci. Immo eodem cap. iv. lib. 2. de Pœnit. ubi Ambroſius inquit denegari indulgentiam hæreticis, quos reos cenſet blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, blaſphemiam ipſam plurimis Judæorum condonatam fuiſſe fatetur. Ipſe denique Morinus in Admonitione ad Lectorem poſterius addita teſtatur nullum revera dari peccatum prorſus irremiſſibile, ac Patres accipiendos de quibuſdam circumſtantiis, *propter quas Deus interdum ſubtrahit impiis pœnitendi auxilia.* Rejectis itaque reſponſionibus iſtis, dico S. Ambroſium cap. 4. lib. 2. de Pœnit. aſſerere irremiſſibile crimen hæreticorum, quoadusque vivunt *extra unitatem Eccleſiæ*, ut ſupra dixi mentem S. P. Auguſtini explicando. Aſſerens namque ad exprobrandum crimen diſcerpentium membra Chriſti Evangelicam ſententiam, *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*; quæ legitur eodem capite xii. Matth. ubi de blaſphemia in Spiritum ſanctum fit ſermo, *Arbor itaque* (ait Ambroſius) *congregatio eſt, fructus bonæ arboris filii Eccleſiæ ſunt*: ac ſtatim orationem convertens ad Novatianos, *Et ideo*, inquit, *revertimini ad Eccleſiam, ſi qui vos ſeparaſtis impie; omnibus enim converſis pollicetur veniam, quia ſcriptum eſt, Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Denique etiam Judæorum populus, qui dicebat de Domino Jeſu, Dæmonium habet, qui dicebat, In Beelzebub ejicit dæmonia, qui crucifixit Dominum Jeſum, Petri prædicatione vocatur ad baptiſmum, ut ſceleris tanti merita deponat.* Igitur manifeſta res eſt, S. Ambroſium appellaſſe inexpiabile hæreticorum ſcelus pro eo tempore, quo ſegregantur a Chriſti membris, eumdem Ambroſium conſentire Auguſtino in explicanda blaſphemia contra Spiritum ſanctum, utrique aſſentiri Athanaſium; nullamque in illorum Patrum ſententiis remanere, præmiſſa Auguſtiniana doctrina, ſpeciem difficultatis. In ejuſdem Ambroſii libro de lapſu Virginis nulla offenditur difficultas, ſi attendatur ſevera illius temporis diſciplina denegandi in vita indulgentiam prolapſis in execranda flagitia. Nil ergo aliud innuit S. Doctor, niſi mulierem illam, Suſannam nomine, quæ poſt promiſſam ad aras virginitatem, ſæpius ab impudico adoleſcente vitiata, cum maxima plurimorum offenſione, & cum ſummo generis ſui dedecore, conceptum infantem dicebatur necaſſe, debere in pœnitentia ad extremum uſque vitæ perſiſtere. Ceterum eo in libro lapſam ad pœnitentiam ſtimulans, eamque ita alloquens, *Sed tu, quæ jam ingreſſa es agonem pœnitentiæ, inſiſte miſera; fortiter inhære tanquam in naufragiis tabulæ, ſperans per ipſam te de profundo criminum liberari*; hæc, inquam, auctor ſcribens demonſtrat quam alienus ſit ab hæreſi Novatiana. Atque hinc etiam apparet eos falli, qui ob apprehenſa hæreſeos veſtigia eumdem librum abjudicarunt Ambroſio, cum Riveto, Coco, Eraſmo, & aliis; de quibus legenda *Admonitio* Patrum S. Mauri tom. 2. pag. 304. Poſtremo S. Hieronymus Comment. in Matth. & in Epiſtola ad Marcellam ſcribit utique blaſphemiam in Spiritum ſanctum nunquam remitti, ſed hypotheſi facta, quod improbi in perverſitate permaneant, ut faciunt ſæpenumero qui peccant non ignorantia, aut infirmitate, ſed ſola pervicacia malitiæ: non enim Hieronymus ignorabat, quæ adverſus Novatianos ipſe ſcripſit in præcitata ad Oceanum Epiſtola. Addo Hieronymum in Ep. ad Marcellam demonſtrare adverſus Novatianos blaſphemiam in Spiritum ſanctum non eſſe quodlibet mortiferum crimen baptizatorum: quod egregie probat iiſdem fere argumentis, quibus in Epiſtola ad Serapionem uſus eſt Athanaſius, nimirum, quia Judæi de nece Domini cogitantes tali peccato non fuiſſent obſtricti; & quia Petrus Apoſtolus ancillæ interrogatione perterritus Dominum negavit, & tamen flevit amare, ac trinam negationem trina poſtea confeſſione delevit. Inde vero Hieronymus infert falli Novatianos, qui blaſphemiam in Spiritum ſanctum lapſis omnibus impingebant, cum proprie blaſphemia illa ſit ſcelus eorum, qui Beelzebub vocant Chriſtum, omniaque in Evangeliis tradita adſcribunt principi dæmoniorum. Atque de hac etiam re ait fuiſſe *prolixius differendum*, commonſtrans ſe Novatianorum hallucinationem refutaſſe, prætermiſſa quæſtione, Quo pacto blaſphemia in Spiritum ſanctum ſit irremiſſibilis, de qua interrogatus non fuerat a Marcella. Hæc vero nos ad objecta Patrum teſtimonia reſpondemus. num recte, penes illos judicium ſit, qui non ſolum Theologicas diſſertationes, verum etiam ipſorum Patrum ſcripta perlegerint.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quid de prima Pœnitentiæ parte, ideſt, Contritione tradant unanimi ſenſu Doctores Catholici.

Diximus ſupra cum Tridentinis Patribus ſeſſ. xiv. cap. 3. eſſe *quaſi materiam* hujus Sacramenti tres pœnitentis actus, Contritionem, ſcilicet, Confeſſionem, & Satisfactionem: in quo Catholici omnes conveniunt, etiamſi diſceptare ſoleant Scoti, ac S. Thomæ diſcipuli, num hi actus ſint ſacramenti materia, ut inquiunt, *intrinſeca*, an *objectiva*, ſeu extrinſeca tantum. Horum itaque diſſidium Scholaſticis exercitationibus indefinitum relinquens Synodus ſacroſancta, caute actus illos, non materiam, ſed *quaſi materiam* appellavit, tradiditque requiri actus ipſos in pœnitente ad integritatem ſacramenti, & ad plenam, perfectamque remiſſionem peccatorum. Mens enim ejuſdem Synodi erat perſtringere Novatorum errores, ac præſertim Lutheranorum, qui duas tantum Pœnitentiæ ſtatuerant partes, *terrores conſcientiæ incuſſos agnita peccata, & fidem conceptam ex Evangelio, ſeu abſolutione, qua quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata.* Hanc hæreticorum doctrinam expreſſam articulo xii. confeſſionis Auguſtanæ, ipſa Tridentina Synodus canone iv. ejuſdem ſeſſionis ferit anathemate. Illa namque hæreticorum aſſertio multiplici ex capite falſa eſt; ac primo male pœnitentiæ partem vocat incuſſos terrores; male etiam his adnumerat fidem; male abſolutioni adtribuit munus Evangelii; male denique confeſſionem peccatorum, & ſatisfactionem explodit. Hæc tamen coacti ſunt hæretici evomere, repetentes juſtificationem a ſola fide.

Principio itaque conveniunt Catholici in tribus illis partibus conſtituendis, requirentes ex parte pœnitentium contritionem cordis, confeſſionem oris, atque ſatisfactionem operis. Etenim cordis contritionem, etſi male in incuſſo terrore conſtituunt, neceſſariam tamen agnoſcunt iidem hæretici, eamque commonſtrant loca Scripturæ producta priori in capite, atque paullo poſt repetenda. Cetera duo ſtudioſius ſuis in locis tradentur. Omnia tria ſimul comprobat ratio Sacramenti, quod per modum judicii inſtitutum eſt; & in quo peccatoris reſipiſcentia atque dolor neceſſario requiritur ad vitæ emendationem, & tamquam obtinendæ reconciliationis diſpoſitio: peccatorum confeſſio præmittenda eſt, ut judex cognita cauſa ſententiam proferre poſſit; ſatisfactio denique, ut injuria Deo illata compenſatione aliqua reparetur. Præterea tres ipſas partes commemorat S. P. Auguſtinus ſcribens in Pſalmum cxlvi. v. 3. *Sanat contritos corde, ſanat confitentes, ſanat ſeipſos punientes.* Partes eaſdem viri docti permultis rationibus comprobant. Quidam ajunt peccatores contritione Deum, confeſſione Eccleſiam, ſatisfactione proximum ſibimetipſis conciliare. Alii pœnitentem filio prodigo comparant, qui vitam priſtinam deteſtatus, & ad pedes patris provolutus, ſeſe hujus diſciplinæ ſubjiciens tres illos actus præmonſtravit. Hos nonnulli explicant exemplo Publicani, de quo legimus dolore perculſum noluiſſe oculos ad cælum levare, ſe accuſantem clamaſſe, *Deus propitius eſto mihi peccatori*: pectuſque tundentem ſuum exhibuiſſe opera pœnitentiæ. Afferunt ſcripturarum interpretes pœnitentiam Ninivitarum, quibus Jonas contritionem indicens ait, *Convertatur vir a via ſua mala*; confeſſionem inſinuans inquit, *Et clament ad Dominum in fortitudine*; & ſatisfactionis præſcribens opera dixit, *Operiantur ſaccis homines, & jumenta.* Sunt & qui docent peccatorem domi mortuum eſſe cum filia Archiſynagogi: in foribus cum filio viduæ, & in ſepulcro cum Lazaro: revocari autem ad vitam domi per contritionem, in foribus per confeſſionem, in ſepulcro per ſatisfactionem. Sed horum plura ſymbolica ſunt potius, quam firma & inconcuſſa argumenta.

Nos ergo iis, quæ priori loco propoſita ſunt, addemus aliqua, duas illas pœnitentiæ partes ab hæreticis conſtitutas perſpicue oppugnantia. Ac principio *terrores incuſſi* non ſunt contritio, ſed illud potius, unde contritio naſcitur; quamvis hæc non uno ex capite oriri poſſit. Deinde contritio ac pœnitentia virtus eſt, non quatenus importat neceſſariam, indeliberatam, & extrinſecus provenientem *paſſionem*; ſed prout dicit motum aliquem liberum, rectamque voluntatis electionem. Vide S. Thomam 3. p. q. 85. art. 1. ad 2. At terror incuſſus *paſſionem* dicit, externa pœnarum intimatione excitatam, non electionem, non propoſitum voluntatis, non liberum aliquem motum: igitur terror ipſe neque pœnitentiæ, neque contritionis, neque virtutis alicujus rationem habere poteſt. Docent præterea hæretici naſci terrores, quos *contritionem* appellant, cum verbo Dei redarguuntur peccata. Cur autem peccata arguuntur, niſi ut peccator percipiens patratorum a ſe criminum fœditatem, debitumque ſupplicium, concutiatur timore? Terrores igitur illi ex culpæ diſcuſſione, ſupplicique atrocitate peccatoribus incutiuntur. At per hæreticos, quos oppugnamus, dolor proveniens ex terrore, pœnarumque formidine, non pœnitentem aliquem facit, ſed hypocritam magis & peccatorem. Igitur terrores illi nequeunt, in hæreticorum ſententia, ſalutaris pœnitentiæ partem eſſe. Inſuper ſi terrores pars pœnitentiæ dicendi ſunt, quoniam Evangelium redarguens peccata terrores incutit: cur pœnitentiæ pars non erit ſpes, cum Evangelium gratiam remiſſionemque promittens ſpem excitet? cur non caritas, cum hanc Evangelium præcipiat? Cur non virtutes aliæ, ad quas nos Evangelium hortatur? Recte Andreas Leodius in Harm. Confeſſ. Auguſtanæ p. 235. *Si ita philoſophari oporteat* (quemadmodum philoſophantur hæretici, dum ſtatuunt duas illas pœnitentiæ partes, terrores incuſſos, quia Evangelium arguit peccata, & fidem, quia docet propter Chriſtum remitti) *cur pari ratione ſpem, caritatem, Dei timorem, temperantiam, caſtitatem, ceteraſque virtutes non faciunt eſſe pœnitentiæ partes?*

Idem aſſerimus de fide, quam ad remiſſionem peccatorum eſſe neceſſariam Catholici omnes fatentur, ſed pœnitentiæ partem eſſe jure negant. Non enim ſequitur, *Fides ad pœnitentiam prærequiritur: ergo fides pœnitentiæ pars eſt*; ſicuti non tenet illatio iſta, *Cognitio dilectionem præcedit: igitur cognitio eſt dilectio, aut pars dilectionis.* Inepte etiam ratiocinantur hæretici, dum ajunt, *Fides eſt primum gratiæ donum, quod in peccatore cauſat pœnitentiam: igitur fides eſt pœnitentiæ pars*; quemadmodum ineptiſſime quis ratiocinaretur ad hunc modum, *Deus eſt rerum creatarum effectiva cauſſa; ergo & pars earumdem.* Ipſis quoque hæreticorum principiis doctrina eorum ſubruitur. Primum quia fidem poſt terrores incuſſos enumerant. Qui autem non credit Deum iniquis indignari, eoſque perdere in gehennam, nec Dei timet indignationem, nec gehennæ ſempiterna ſupplicia. Fides itaque præcedit, non ſubſequitur incuſſionem terroris. Docent præterea hæretici veram fidem in peccatore non eſſe: quando igitur peccatori offertur per Evangelium remiſſio, quomodo poteſt credere, & juſtificari per fidem? Rurſus aſſerunt oportere, ut peccator credat fide per caritatem formata; alibi vero propugnant fidem caritate formatam nunquam in peccatore inveniri; aliis itidem in locis hominem juſtificari abſque caritate, & abſque ullo opere per ſolam fidem. Quiſnam maximam hic non miretur incohærentiam? Enimvero ſi proponente Evangelio remiſſionem peccatorum iniquus habeat fidem caritate formatam; neceſſum eſt, ut ſit juſtus priuſquam ei tribuatur remiſſio: ſi fides illa ſit abſque caritate, nec donum Dei eſt in iſtorum hæreticorum ſententia; ſi vero caritati ſit conjuncta, non ergo juſtificat, ut ipſi autumant, fides ſola. Quapropter hæreticam doctrinam tres pœnitentiæ partes negantem, conſtituentem vero ipſam pœnitentiam in fide atque in terrore per Evangelium incuſſo, rectiſſime confixit Leo X. cum reliquis Lutheri articulis; appellarunt traditioni univerſæ Eccleſiæ contrariam Carolus V. & Catholici Principes in Auguſtanis Comitiis; damnavit prælaudato canone iv. Synodus Tridentina; Philippus ipſe Melanchthon Confeſſionis Auguſtanæ architectus eodem anno 1530. coactus eſt tres pœnitentiæ partes fateri, quamvis paullo poſt illas in Apologia iterum obruere molitus ſit: execrati demum ſunt hæreticam illam de Pœnitentia doctrinam quotquot Confeſſionem ipſam animadverſionibus diſpunxerunt, Caſſander, Leodius, Hoffmeiſterus, Virveſius, deinceps vero innumeri Catholicorum dogmatum propugnatores.

Tribus igitur Pœnitentiæ partibus conſtitutis, *Contritio*, quæ in his priorem habet locum, definitur a Tridentinis Patribus, *Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero.* Fatentur autem Theologi, quod hunc dolorem atque deteſtationem præcedat fides, timor, ſpes, & aliqua etiam dilectio. Ad juſtificationem quippe diſponimur, dum excitati, & adjuti divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere movemur in Deum, credentes quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt. Porro inter ea, quæ ſunt revelata, non ſolum connumerantur Unitas, ac Trinitas divinarum Perſonarum, & Incarnationis Œconomia, verum etiam Deum eſſe remuneratorem bonorum operum, vindicemque malorum, impios theſaurizare ſibi iram in futurum, venturum Dominum ad judicium, ſempiternas fore damnatorum hominum pœnas, aliaque plura, quæ imbuti fide repetentes memoria, utiliter divinæ juſtitiæ timore concutimur; idemque propterea timor genitus in nobis fide, ſupernum donum eſt, atque pœnitentiæ ſalutaris initium. Qui enim peccati vinculis innectuntur, nunquam fere ſe illis extricare curarent, niſi accepta per legem cognitione peccati, ad evadendum ſupplicium, quod peccati *ſtipendium* eſt, divina excitante gratia ſtimularentur. Quare Iſ. xxvi. 18. legitur: *A facie tua Domine concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum*; ſive ut legunt lxx. *A timore tuo, &c.* In Proverbiis etiam xiv. 27. *Timor Domini ſpes vitæ, ut declinent a ruina mortis.* Hinc recte ſapienterque Scholaſtici docent initium pœnitentiæ eſſe *ex timore*; ut inquiunt Magiſter diſt. xv. S. Thomas q. 75. art. 5. necnon ſapientiſſimus Auguſtinus Tract. ix. in Epiſt. 1. Joannis n. 4. *Timor primo occupat mentem.* Sed non ſiſtit pœnitens in ſolo timore; verum perpendens impium juſtificari per gratiam

Chri-

Chriſti, & hunc eſſe propitiatorem pro totius mundi peccatis, a timore ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertens, in ſpem erigitur, fidens Deum propter Chriſtum ſibi propitium fore, ut ſeſſ. 6. cap. 6. docet præclare Synodus Œcumenica. Atque ita præconceptum timorem ſpes firma conſequitur. Tum vero ſpe fretus Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiens movetur adverſus peccata odio quodam, & deteſtatione, ſtatuens ceſſare ab iiſdem peccatis, & proponens novam inchoare vitam, adeo, ut peccatum, quod cœperat homini diſplicere propter ſupplicia, diſpliceat poſtea propter Dei offenſam, & turpitudinem ſuam, prout citato art. 5. ad 2. ait S. Thomas. Ex his, quæ vellem propter ea, quæ ſubſequentur, ſedulo adverti, & de quibus nulla apud Catholicos oriri poteſt diſſenſio, cum iiſdem fere verbis tradantur a Tridentino Concilio ſeſſ. VI. cap. 6. & ſeſſ. XIV. cap. 4. ex his, inquam, infertur primo timorem ſervilem eſſe donum Dei, diſponere ad gratiam, atque, ut ait Auguſtinus, *quaſi locum præparare caritati*: infertur deinde nos minime a pœnitentia fidem removere, quod inſolenti verborum ſtrepitu in comitiis Auguſtanis vociferabantur hæretici: denique infertur aſſertam a nobis contritionem non eſſe extortam & coactam, ſed libero arbitrii motu conceptam, ut fide tenendum eſt. At recole quæ de Juſtificatione ſcripſi libro XIX. cap. 4. & de timore libro XXIII. cap. 12.

Sequitur ex dictis ad contritionem neceſſarium eſſe novæ vitæ propoſitum: idque Tridentinum citato capite IV. his verbis definit: *Declarat igitur ſancta Synodus non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis: & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Solet duntaxat diſputari, an propoſitum iſtud debeat eſſe explicitum, atque, ut Scholæ loquuntur, *formale*: quod nos probabilius exiſtimamus cum Soto in IV. diſt. 17. quæſt. 2. art. 5. Cajetano ac Sylvio in ſupplem. 3. p. q. 1. Suareſio diſp. IV. ſect. 3. aliiſque Theologis probatiſſimis. Ducimur autem his momentis. Primo ipſum *propoſiti* nomen deliberationem aliquam, & actualem voluntatis intentionem, ſuſceptumque conſilium ſonat. Deinde producta Concilii verba eadem ratione vitæ veteris odium, ac vitæ novæ propoſitum in vera contritione contineri declarant. Ad hæc inter præcipuos pœnitentiæ fines eſt emendatio vitæ: emendare autem vitam præteritam, & inchoare novam ſunt prorſus idem. Denique conſtat tutiorem eſſe hanc ſententiam, nec in re magni momenti inconſiderate repudiandam. Joannes Pontaſius ex doctrina Sylvii videtur tradere oppoſitum v. Contrit. caſu 4. & revera Sylvius citato in loco docet *ad eſſentiam contritionis* non requiri, ut hujuſmodi propoſitum *ſit formale*, atque expreſſum, quoniam, inquit, *tota definitio contritionis reperitur in eo, qui peccatum ex animo deteſtatur, doletque ſe illud admiſiſſe, virtualiter proponens non amplius peccare*. At idem Sylvius hanc proximam concluſionem 3. ſubnectit: *Per ſe, ſeu ordinarie loquendo propoſitum non peccandi debet eſſe formale & expreſſum. Nam alioquin fruſtra hanc partem*, cum propoſito non peccandi de cetero, *in definienda contritione addidiſſent Concilia Florent. & Trid. niſi intellexiſſent iſtud propoſitum, per ſe loquendo, debere eſſe explicitum, quia implicitum continetur in priori parte illa*, dolor de peccato commiſſo. *Fieri enim non poteſt, ut is ex animo doleat de præteritis, qui non ſtatuit, ſaltem virtute, deinceps cavere ſimilia*. Hæc Sylvius: qui propterea negat duntaxat neceſſitatem propoſiti expreſſi *per accidens*, nempe ſi pœnitens tota cogitatione defixus in deteſtanda vita præterita, in imploranda Dei miſericordia, in excitando ſe ad amorem Dei, non dicat intra ſe, *Volo emendare vitam*; quoniam in illa deteſtatione includitur propoſitum, de quo eſt ſermo: contingere namque poteſt, ut idem Spiritus ſancti impulſus inſpirans erga patrata ſcelera actum odii, excitet etiam melioris vitæ conſilium; immo forte unum ab altero divelli nequit, ſi odium illud ſit efficax. Hoc interim indubitatum eſt, Concilium, dum exigit ad contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & novæ vitæ propoſitum, ſed etiam veteris odium atque deteſtationem, repellere articulum illum hæreticum, quo aſſeritur, *contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, non præparare ad gratiam Dei*, recte damnatum ſeſſ. XIV. can. 5. ſive præter reſipiſcentiam, & melioris vitæ inſtitutum, requirere amaritudinem animæ ponderantis peccatorum ſuorum multitudinem, ac fœditatem, quod Lutherani temere negabant.

Huic contritioni, quæ propoſitum melioris vitæ, odiumque anteactæ complectitur, has conditiones tribuunt unanimi ſenſu Theologi, ut interior ſit, vera & non ficta, ſupernaturalis, omniaque peccata deteſtans. Atque neceſſariam eſſe interiorem animæ contritionem demonſtrant cum præmiſſa Tridentini definitio, tum Scripturæ præcipientes, ut *toto corde* ad Dominum convertamur, ipſaque in animo ſedem habens ratio virtutis ac meriti. Quapropter etſi commendandus eſt ſenſibilis dolor, quandoque in lacrymas gemituſque prorumpens; non eſt is tamen contritio vera, niſi animum diverberet & excruciet. Nimium hic videntur acuti, qui objectant dolorem nihil aliud eſſe, quam affectionem ſenſuum: nam & deteſtationem cordis dolorem appellet, qui Pſal. 12. 2. ait: *Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* Affectio etiam ſenſuum ex animo corporeis vinculis alligato naſcitur in hominibus ratione præditis. Sequitur conditio altera, ut contritio non ſit fallax & adumbrata, qualis utique nequit eſſe, ſi oriatur *ex toto corde*. Cavendum propterea eſt, maxime in iis, qui detinentur peccati conſuetudine, ne tenues quædam animi commotiones, & deſideria inefficacia & ſterilia, exiſtimentur veræ contritionis effecta. Oportet inſuper, ut contritio ſit ſupernaturalis; nam Innoc. XI. anno 1679. proſcripſit hanc propoſitionem num. 57. *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam*: ac Tridentinum Concilium ſeſſ. 6. can. 3. definivit neminem *ſine Spiritus ſancti inſpiratione pœnitere poſſe, ſicut oportet*. Qui ergo aut propter dedecus & infamiam, aut propter pœnas humanis legibus ſtatutas, aut propter mortem corporis, morborumque vehementiam, aut etiam propter ſceleris fœditatem, quatenus naturali honeſtati repugnet, patratorum criminum conſcientia angeretur, is utique nondum haberet ſufficientem contritionem, ſed inutilem, extortam, & qualem præcedenti capite diximus fuiſſe in Antiocho. Demum contritio *univerſalis* eſſe debet, ſcilicet peccatorum omnium, quæ commiſſa ſunt, deteſtatio. Cum enim peccatum deteſtandum ſit, quatenus eſt offenſa Deo illata, non poſſumus revera ob cauſam iſtam dolere, niſi odio habeamus quicquid ſummum Deum afficit injuria. Quare Ezechielis XVIII. 30. ait Dominus: *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*. Hæc ergo ſunt, in quibus penitus conſentiunt Doctores omnes Catholici.

CAPUT V.

Cujus generis dolor ad gratiam, remiſſionemque peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ conſequendam ſit neceſſarius?

PERUTILEM aggredior quæſtionem, magniſque animorum contentionibus agitatam, ſit ne ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ percipiendam neceſſarius dolor, qui aliquem Dei amorem includat; an illa ſufficiat, quæ concipitur ex ſupernaturali timore gehennæ, cui nulla accedit dilectio Dei ſuper omnia, ſive dolor ille imperfectus, quem appellare ſolent Theologi bene multi *Attritionem*. Ut eadem quæſtio perſpicua methodo dirimatur, brevi primum tollendam puto æquivocationem verborum, deinde exponendam ſententiarum diverſitatem, ac poſtremo in certas theſes totam controverſiam diſtribuendam. Quantum ergo ad vocabula attinet, non ſemper, neque eadem ſignificatione nomen *Attritionis* invenimus uſurpatum: ab illo antiquiores omnes Theologi abſtinuerunt, cœpitque in Scholis duntaxat audiri circa annum 1230. Ignotum fuit Hugoni, & Richardo e S. Victore, Roberto Pullo, Petro Pictavienſi, Magiſtro ſententiarum, Joanni Sariſberienſi, ceteriſque a Carolo Vitaſſio ſingillatim enumeratis pag. 77. Primi omnium inveniſſe illud nomen dicuntur Gulielmus Pariſienſis, Alexander de Ales, & Albertus Magnus. Sed nullum de hac re cum adverſariis diſſidium: nova ſiquidem vocabula, novis exortis quæſtionibus, utiliter, & quandoque neceſſario inducuntur. Sane *Contritionis* vocabulum fuit quovis tempore uſitatiſſimum, ſacrarumque litterarum, Patrum, & Theologorum teſtimoniis frequentiſſime inſertum.

Quod ſpectat ad vocabuli ſignificationem, *Attritio* ſignificat penes omnes *contritionem imperfectam*. Poteſt autem ex multiplici capite hæc imperfectio derivare. Imperfecta primo erit, ſi conditionibus paullo ſupra enumeratis ſit deſtituta, ſcilicet, ſi ex corde non profecta, ſi naturali rationi innixa, ſi ad aliquod peccati genus coarctata; quo in caſu non eſſe ſufficientem probi omnes fatentur. Imperfecta dicitur ulterius contritio, quæ ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, & quidem ſupernaturali, concipitur, ſed exſpoliatur dilectione Dei benevola; quæ eſt deteſtandi peccata ratio timore illo perfectior. Denique imperfecta dici poteſt; quoniam concepta ex metu gehennæ procedit ad amorem *initialem*, adeo, ut peccata, quæ incipiunt diſplicere propter ſupplicia, odio habeantur quatenus ſunt offenſa Dei ſummopere diligibilis, ſed nondum tamen eſt caritate formata, neque amore illo perfecto, qui non eſt abſque peccatorum remiſſione. Si ergo petas, quomodo *Attritio* diſtinguatur a *Contritione*, ſive imperfectus a perfecto dolore; reſpondemus a nonnullis diſcrimen utriuſque doloris repeti ex intenſione caritatis, adeo, ut dolor perfectus ſive *Contritio* procedat ex carita-

ta per-

te perfecta, ſive amore Dei prædominante, ideſt, tam vehementi, ut omnes ad peccatum affectus ſuperet & excedat: dolor autem imperfectus, ſive *Attritio* non ex tali dilectione prædominante & flagrentiſſima oriatur, ſed ab amore initiali, tenui ac *remiſſo*: alios vero diſcrimen illud in hoc conſtituere, quod dolor ille ſit perfectus, qui oritur ex amore caritatis, cujuſcunque intenſionis & gradus ſit; dolor autem imperfectus, qui concipitur ex ſolo metu ſempiterni ſupplicii, nullo benevolæ dilectionis actu accedente. Quare non omnes, qui ſcripſerunt *attritionem* in ſacramento ſufficere, amoris initialis negarunt neceſſitatem; ſed attritionis nomine id intellexerunt, quod in eodem genere & ordine exiguum eſt ac pertenue, quaſi grammaticalem ſignificationem ſpectantes; nam Latini dicunt rem illam *atteri*, quæ ad alteram teritur, & quaſi defricatur, aut leviter imminuitur; *conteri* autem, quæ tunditur, frangitur, atque in pulverem, triturumque redigitur. Jam vero qui propugnant *Attritionis* ſufficientiam, ſolent illam a *Contritione* ita diſtinguere, ut in eodem ordine, ſive, ut inquiunt, *ſpecie* non comprehendatur, penituſque excludat benevolam Dei dilectionem. Quare Noſtrates ad omnem vitandam ambiguitatem, duplicem ſtatuunt *Attritionem*; unam, quæ oritur ex metu pœnarum, & includit initialem amorem Dei, qua impius ex conſideratione turpitudinis peccati, & ex metu gehennæ patratam culpam execratus, movetur ulterius ad eam deteſtandam tanquam offenſam Dei ſummo amore digni: alteram, quæ ſiſtit in ſolo timore, & culpam odio proſequitur, quatenus peccatorem ſempiterno ſupplicio reddit obnoxium; ac primam appellant *Attritionem initialem*, alteram vero *Attritionem ſervilem*. Neque commentitia eſt hæc diſtinctio, ſed deprompta ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 19. art. 4. docet *objectum timoris ſervilis eſſe pœnam, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus, & per conſequens pœna timeatur tanquam principale malum*; & art. 5. ad 2. timorem ſervilem reſpicere Deum, *ſicut principium inflictivum pœnarum*. De timore autem initiali ſcribit art. 8. eſſe illum, *qui competit ſtatui incipientium, in quibus inchoatur quidam timor per inchoationem caritatis*; & in reſp. ad 2. ait timorem initialem non timere pœnam *ſicut proprium objectum*, & actum ejus manere *cum caritate imperfecta*. Rectiſſime itaque noſtri attritionem, quæ habet initium aliquod caritatis, appellant *Attritionem initialem*; alteram vero, quæ reſpicit duntaxat inflictionem pœnæ, *Attritionem ſervilem*, & quidam expreſſius, *Attritionem pure formidoloſam*. Atque hæc pro vitanda vocabulorum ambiguitate ſint dicta.

Trado nunc ſententiarum diverſitatem. Hæretici tempore Tridentini Concilii autumabant *contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, non præparare ad gratiam, nec remittere peccata; ſed potius facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, eamque contritionem dolorem eſſe coactum, & non liberum*. His verbis errorem hæreticorum propoſitum fuiſſe Patribus Tridentinis conſtat ex Pallavicino libro XII. Hiſt. cap. X. Refutatur autem, & damnatur cap. IV. & canone V. ſeſſionis XIV. Ut recte hæreticorum mentem percipias; hi, Lutherani præſertim, affirmabant, quidquid ſine caritate agitur, peccatum eſſe; caritatem imperfectam, & timori conjunctam eſſe impedimentum ad introitum regni cœleſtis; ipſam caritatem timoris vitio contaminari; nullam proinde contritionem eſſe bonam, niſi concipiatur ſolo amore, qui timorem omnem expellat, & ſi quis ſibi contritionem parare vellet recogitando annos in amaritudine animæ ſuæ, & ponderando peccatorum ſuorum multitudinem ac fœditatem, nec non amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum; illum hypocritam fore, non pœnitentem. Adverſus igitur Lutheranam hæreſim firmiſſime tenendum eſt timorem, qui prævenit caritatem, rectum ac ſaluberrimum eſſe; ab illo haberi pœnitentiæ initium; imperfectam caritatem, quæ timorem ipſum non excludit, nullam maculam ab illo contrahere; contritionem in nobis parandam eſſe conſideratione peccati, ponderatione judicii, & diſcuſſione pœnarum: quæ omnia nos & aſſerimus, & adverſus hæreticos propugnamus. Ceterum an ſolus timor contritionem ſufficientem efficiat, necne nullatenus ſpectat ad hæreſim hanc oppugnandam, nec habet cum ea aliquid affinitatis.

Inter Catholicos autem quatuor ſunt celebriores ſententiæ. Prima eſt eorum, qui dicunt contritionem *caritate perfectam*, quæ deleat culpam apud Deum, ideſt, conjunctam caritati habituali, & gratiæ ſanctificanti, præcedere debere Pœnitentiæ Sacramentum; idque nullatenus derogare ejuſdem Sacramenti virtuti, quoniam peccatores per contritionem interius vivificantur, per miniſterium autem Sacerdotale abſolvuntur a pœna, & admittuntur ad Sacramentorum communionem. Huic ſententiæ permulti veterum adhæſerunt, Hugo Victorinus, Richardus, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, S. Bonaventura, Gabriel Biel, aliique quamplurimi. Sententia altera illorum eſt, qui tenent ſufficere ad gratiam in Sacramento recipiendam *attritionem ſervilem*, non tantum a caritate perfecta, verum etiam a caritate initiali, & ab omni actu amoris benevoli ſejunctam; attritionem nempe illam, quæ ex turpitudine peccati, & ex metu gehennæ concipitur, & quam Lutherus negabat eſſe initium Pœnitentiæ, quæ ſententia judicio doctiſſimorum virorum nata poſt Tridentinum Concilium, adeo celebris evaſit, ut omnem aliam, ſaltem ſcriptorum numero, videatur ſuperaſſe. Tertia præter attritionem ex metu gehennæ conceptam, neceſſarium in Sacramento putat amorem aliquem ſpei, quo Deus diligatur, ut bonus nobis, ſive ut finis noſter, atque beatitudo, non autem amorem caritatis, quo diligatur propter ſe: atque hæc ſententia plures itidem habet aſſertores, & facile cum præcedenti conciliatur. Poſtrema denique ſententia, quam Auguſtiniani omnes, aliique celeberrimi viri propugnant, tenet non quidem requiri in Sacramento Pœnitentiæ contritionem caritate perfectam, quæ hominem Deo reconciliat, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, requiri tamen amorem aliquem initialem, ſive actualem dilectionem Dei ſuper omnia, nec ſatis eſſe attritionem ſervilem, quæ in ſolo gehennæ timore perſiſtit, neque ad amorem procedit; oportere etiam, ut ipſe amor caritatis ſit, nec ſufficere amorem concupiſcentiæ, vel ſpei.

Quoniam vero ſententiam iſtam vellicare nonnulli auſi ſunt tanquam Luthereno affinem errori, alii Tridentino Concilio repugnantem dixere, complures illam nimis rigidam appellaverunt, ac multi innumeris argumentis conati ſunt oppugnare, ex eo præſertim capite, quod certiſſimum putant attritionem ſervilem excludere voluntatem omnem peccandi, ideoque eſſe in Sacramento ad gratiam conſequendam diſpoſitionem ſufficientem ac proximam, necnon amorem omnem Dei benevolum, initialem quoque & remiſſum juſtificare impium vi ſua, & abſque Sacramenti actu ſuſcepti adminiculo; principio eamdem ſententiam noſtram ab omni cenſura vindicare conabor, oſtendens quantum diſtet a damnatis erroribus; deinde inquiram, an Tridentino Concilio contraria, an potius conſentanea dicenda ſit; ac tandem proferam ea momenta, quorum cauſa ſententiis ceteris ſit præferenda, omniaque exequar moderate, ut decet Auguſtini diſcipulum, poſtulantque illa duo, ſæpenumero a ſanctiſſimo Protoparente commendata, veritas nimirum, & caritas.

PROP. I. Sententia propugnans neceſſitatem *amoris initialis* ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam nulla poteſt cenſura notari, quemadmodum nec oppoſita.

Demonſtratur primo ex decreto Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri Papæ VII. qui anno 1667. die 5. Maji provide in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervata Sanctæ Sedi præcepit, *cunctis, & ſingulis fidelibus, quocunque gradu, ac dignitate, Epiſcopali & majori, immo & Cardinalitia fulgentibus, ut ſi deinceps de materia attritionis ſcribent, vel libros aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut ſcholares, ceteroſve erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec a Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum, &c.* Benedictus XIII. in Inſtitutione Chriſtiana, quæ extat in Appendice ad Concilium Romanum celebratum an. 1725. & quæ probatur Tit. 32. ejuſdem Concilii cap. 3. utriuſque ſententiæ meminit, neutram ab Apoſtolica Sede definitam eſſe declarans. At nunc Eccleſiam Paſtorali ſollicitudine regens, & ſingulari doctrina colluſtrans BENEDICTUS XIV. ut anno 1741. accepit virum nobilitate generis, & eruditione conſpicuum, Joſephum Gorinium ab ingreſſu Xenodochii Mediolanenſis prohibitum, quod ſententia noſtra in inſtruendis ægrotis uteretur, non tantum hanc immunem aſſeruit, ac ſartam tectam præfata Alexandri VII. Conſtitutione; verum etiam nobilis viri pietatem, editos Soliloquiorum libros, impenſamque infirmis operam ſummis laudibus commendavit, egitque officioſiſſimis litteris ad Eminentiſſimum Archiepiſcopum, & ad Urbis Mediolanenſis Rectorem die 3. Aprilis ejuſdem anni conſcriptis, ut ſpiritnale ac temporale ſubſidium monitis, ſtudioque viri præclariſſimi ægrotantibus iterum impenderetur.

Deinde conſtat propoſitio ex pluribus Theſibus in celeberrimis Academiis, urbibuſque primariis ad hanc uſque diem approbantibus ſupremis Judicibus, propugnatis. Nam in Ædibus ſacræ Facultatis Pariſienſis hanc theſim, *Attritio ex metu gehennæ concepta non eſt diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationis gratiam in Sacramento obtinendam, niſi includat amorem Dei ſuper omnia ſaltem inchoatum*, in tribus duntaxat annis, a die ſcilicet 28. Maji 1672. uſque ad 23. Julii 1675. a XXI. celeberrimis Magiſtris traditam defenſamque conſtat ex Appendice ad librum *de Contritione* Lovanii Gallice editum an. 1678. In Lovanienſi Archigymnaſio eamdem tradiderunt Ruardus

Ruardus

Digitized by Google

dus Tapperus, Joannes Heſſelius, Judocus Raveſteyn, Martinus Rythovius, Thomas Stapletonius, & ne ſingulos recenſeam, contra adverſarium ſtrenuum Maximilianum Ledent, Franciſcus noſter Farvacques, ac poſtmodum Antonius Rolliers, Chriſtianus Lupus, Leonardus Vanroy, & Auſelius Piette. In Duacenſi Guilelmus Eſtius, & Franciſcus Sylvius: atque, ut attingam tempora & loca proximiora, in Regio Taurinenſi Lyceo non ſemel anno 1739. ac proxime præcedentibus, hæc poſitio fuit ſolemnioribus concertationibus propoſita, *Attritio, quamvis hominem non faciat magis peccatorem & hypocritam, ſed ſit bonus ac utilis motus, ſine formali tamen caritatis ſaltem initialis actu minime ſufficit ad juſtitiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam*. Eamdem arcte, mordicuſque tenent inſtitutores Seminariorum Italiæ, Veſoncenſis maxime, ac Patavini: atque hoc ipſo anno, quo hæc mando litteris, Romæ tum Ciſtercienſes doctiſſimi Patres in Collegio S. Crucis in Jeruſalem, cum Religioſiſſimi Scholarum Piarum Præceptores in Collegio Nazareno, accuratiſſima diſcuſſione præmiſſa, eamdem ſententiam adoptarunt, publiciſque diſputationibus iterum, iterumque expoſuerunt; illi quidem his verbis, *Ad hoc ut attritio concepta ex fœditate peccati, & pœnarum metu ſit diſpoſitio proxima ad gratiam ſanctificantem in Pœnitentiæ ſacramento recipiendam, requiritur, ut adnexum habeat aliqualem amorem Dei benevolum, qui Deum omnibus præponat, imperfectum tamen, & qui extra Sacramentum non juſtificet*: hi vero verbis iſtiuſmodi, *Quamvis attritionem mere ſervilem bonam, & utilem, metumque Spiritus ſancti, non quidem inhabitantis, ſed prævenientis eſſe doceamur a Concilio Tridentino ſeſſ. XIV. cap. 4. eam tamen ſufficere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, ſi quemcumque amorem Dei benevolum excludat, conſtanter negamus; nec opinionem noſtræ contrariam unquam docere viſa eſt Synodus Tridentina.*

Tertio theſis corroboramus auctoritate veterum Theologorum, qui ante Tridentinum Concilium floruerunt, de iis enim, qui ſubſecuti ſunt, agendum poſtea. De illis ego fatetur vir præſtantiſſimus Pius Thomas nuper ex Ordine Prædicatorum ad Epiſcopalem Sedem Stabienſem evectus 3. Volumine Exercitationum in Propoſit. ab Apoſtolica Sede proſcriptas pag. 210. neminem ambigere, quin veteres omnes indiſcriminatim adſeruerint contritionem, quæ aliquam caritatem ſaltem imperfectam includat, neceſſariam eſſe ad Sacramenti pœnitentiæ valorem. Auctor alius percelebris ejuſdem familiæ, qui de Re Sacramentaria eruditos edidit Commentarios, tom. 2. pag. 67. ſcribit ſententiam propugnantium ſufficientiam timoris ſervilis, Theologis, qui a duodecimo ſæculo ad tempora Tridentini Concilii floruerunt, eſſe aperte contrariam; atque idcirco eamdem ſententiam refellit ob novitatem doctrinæ. Idem docet Joannes Morinus lib. VIII. de Pœnit. cap. 4. & in Opere poſthumo de Contritione, in quo per ſingulos Theologos accurate diſcurrens demonſtrat ſancti Thomæ, omniumque illius, ac præcedentis ſæculi Theologorum, quorum ſcripta ſuperſunt, fuiſſe circa neceſſitatem contritionis conſtantem exploratamque ſententiam; illos vero, qui videntur adſtruere Attritionis ſufficientiam, aliud eo vocabulo ſignificaſſe, quam eodem deſignent Scholaſtici recentiores. Idem præſtant q. 3. de Pœnit. ar. 6. ſect. 3. argumento tertio Vitaſſius, aliique hujus ævi ſcriptores. Dominicus etiam Soto in IV. diſt. 18. q. 3. art. 2. ſcribit: *Doctrina hæc de Attritione, quæ in Sacramento fit contritio, licet ſit vera, non eſt tamen multum vetus. Patres enim antiqui ſolam contritionem agnoſcebant neceſſariam ad confeſſionem.* Mitto Joannem Launojum in libro de mente Concilii, qui habetur tom. 1. editionis poſtremæ pag. 143. Utrum res ita ſe habeat, dijudicare nequit, niſi qui Theologorum ſcripta pervolutarit. Horum teſtimonia collegerunt iidem, Morinus, Vitaſſius, & præcitatus auctor Operis Gallice conſcripti *de Contritione*. Inferius nos loca indigitabimus inſigniorum. Interim hæc valide aſſertum confirmant noſtrum; quis enim adeo perfricatæ ſit frontis, ut carbone tetro notet ſententiam, quæ ſola ad ſextumdecimum uſque ſæculum vel obtinuit, vel ſaltem dicitur obtinuiſſe?

Denique Sacra Pariſienſis Facultas in comitiis celebratis die 23. Julii, anno 1716. declaravit ſanam eſſe, & a Patribus acceptam, ſuiſque tradendam doctrinam, quæ his propoſitionibus continetur: *Timorem gehennæ, etiam ſupernaturalem, quamvis ſit bonus & utilis, non excludere affectum peccandi, nec ſufficere in adultis ad juſtificationem, etiam in Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ obtinendam; ſed præter hunc timorem, actuſque fidei & ſpei, requiri amorem Dei, quo Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem, ut docet Concilium Tridentinum, diligere incipiamus: Hunc amorem ferri in Deum, tum ut in ſe ſumme bonus eſt, tum ut eſt ſummum bonum noſtrum, quæ duo complectitur caritas inter virtutes Theologicas tertia: Hoc ſolo amore converti voluntatem ad Deum, & averti a creatura: Amorem Dei ſuper omnia, qui caritatis inchoatæ ſaltem actus ſit, neceſſarium eſſe, ut ab adultis obtineatur remiſſio peccatorum in Sacramentis Baptiſmi & pœnitentiæ.* Quæ omnia, ſervatis iiſdem quoque vocabulis, docent ſententiæ noſtræ propugnatores.

PROP. II. Eadem ſententia propugnans neceſſitatem amoris *initialis* ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam e diametro opponitur doctrinæ hæreticorum a ſacroſancto Tridentino Concilio proſcriptæ.

Decretum paullo ſupra laudatum Alex. VII. opportune latum fuit ad compeſcendas contentiones in Belgio circa quæſtionem, de qua agimus, ſerveſcentes. Quidam enim affirmarunt eos, qui tenent *contritionem ex ſola metu gehennæ, ſine motivo caritatis conceptam ſufficere ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ*, eſſe ſequaces Lutheri, atque in eos a Tridentina Synodo intortum *anathema*. Quinam hi fuerint conſtat ex Apologia Xenii edita a Farvacqueſio pag. 3. & ex mandato Epiſcopi S. Pontii emanato Biterris pag. 37. At facillimi negotii eſt demonſtrare quomodo noſtratium ſenſus adverſetur hæretici dogmatis pravitati. Principio iidem hæretici docuerunt pœnitentiam ſolo amore concipi, nec ex amore timori conjuncto, ſed perfecto, metum quemlibet expellente. Id liquet ex Luthero qui in aſſertione art. VI. rejicit *Theologiam illam, quæ inter odium & gratificantem amorem medium fingit, quod contritionem paret*: & Joannes Eckius lib. 1. de Pœnit. cap. 1. oſtendit in hoc ſitam ſummam diſputationis inter Lutherum, atque catholicos, quod ille vellet *Pœnitentiam non niſi amore concipi*. Hinc impius hæreſiarcha inferebat, *eum, qui contritionem ſibi parare vellet in amaritudine animæ ſuæ, reddi hypocritam & magis peccatorem*. Nos vero affirmamus pœnitentiam prius *ex timore* concipi, & hunc viam ſternere amori, caritatem initialem, (non impios Deo gratificantem) eſſe poſt metum gehennæ neceſſariam ad contritionem, parari in nobis contritionem ipſam diſcuſſione peccati, recogitando in amaritudine animæ vitam præteritam, & ponderando peccatorum multitudinem, gravitatem, fœditatem, ſupplicium; atque impium hac ratione diſponi ad gratiam, non magis inquinari peccato. Deinde Lutherus affirmavit *amorem initialem* conjunctum timori non eſſe diſpoſitionem ad gratiam, ſed impedimentum: ait namque in aſſertione art. IV. *Verum eſt imperfectam caritatem eſſe impedimento ad introitum regni propter vitium, quo imperfecta eſt*; ſcilicet, propter metum gehennæ, qui in hæreticorum ſententia inficit, maculatque omnia, quæ ante caritatem perfectam & juſtificantem efficiuntur ab impio, etiam actum amoris initialis, cui timor conglutinetur. At nos conſtanter negamus amorem ipſum inchoatum atque imperfectum, necnon alia impiorum opera propter conjunctum timorem corrumpi; ac tantum abeſt, quod aſſeramus iſtiuſmodi initialem amorem eſſe impedimento ad gratiam, quin e contra neceſſarium illum exiſtimamus ad gratiæ conſecutionem. Tertio, ut diximus præcedenti cap. hæretici Lutherani in Confeſſ. Auguſtana art. XII. duas tantum Pœnitentiæ conſtituerunt partes, ideſt, *terrores incuſſos, & fidem*, jure meritoque damnati canone IV. ſeſſ. XIV. a ſacroſancta Tridentina Synodo. Tam ergo rejiciebant tamquam neceſſariam ad remiſſionem peccatorum deteſtationem peccati ob ſempiterni ſupplicii metum, quam opus aliud liberi arbitrii, præter fidem, a qua ſola repetebant juſtificationem; & idcirco admittebant terrores incuſſos, non quaſi ad gratiam diſponant, ſed ut impius incuſſo terrore & peccato agnito concipiens fidem ex Evangelio & abſolutione, certo credat ſibi propter Chriſtum dimitti peccata, & ita conſolatione percepta liberetur ab incuſſo terrore. Hæc expreſſe traduntur in prædicto articulo Confeſſionis Auguſtanæ. Hæc Philippus Melanchthon in Apologia ejuſdem articuli, ubi ait: *Intelligunt omnes boni viri utiliter & pie reprehenſam eſſe doctrinam Sophiſtarum, & Canoniſtarum de Pœnitentia. Nam hæc dogmata aperte falſa ſunt, & non ſolum aliena a Scripturis, ſed etiam ab Eccleſiaſticis Patribus. Quod per attritionem mereamur gratiam: Quod ſuſceptio ſacramenti. Pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu utentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum conſequatur gratiam.* Hæc longe aurea Lutherus in XII. ex articulis a Leone X. damnatis, *Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, ſi autem credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime abſolutus eſt.* Duo ex his inferuntur; unum, quod hæretici repetant juſtificationem a ſola fide; alterum, quod falſo calumnientur catholicos, quaſi tradant Sacramentum Pœnitentiæ abſque motu ſuſcipientium gratiam conferre. Quid autem conſentientes nobiſcum Theologi? Docent non a ſola fide, ejuſque motu juſtificationem pendere, ſed ad hanc diſponere fidem, timorem, ſpem, dilectionem; juſtificationis vero gratiam, tanquam *cauſæ inſtrumentali*, tribuunt Sacramento. Diſtant ergo toto cælo a Lutherano dogmate, directe ſeſe opponunt doctrinæ Confeſſionis Auguſtanæ, & undequaque calumnias Melanchthonis exſufflant. Inſuper ipſe Melanchthon in eadem Apologia art. XII. non tantum Scholaſticis objectat, quod doceant *nos per attritionem promereri gratiam*, ſed ulterius quod doceant *nos propter contritionem, non fide in Chriſtum, conſequi remiſſionem*

nem peccatorum. Primam propoſitionem ideo Melanchthon falſam eſſe contendit, *quoniam propter Chriſtum gratis remittuntur peccata;* alteram falſam item pronontiat, *quia*, inquit, *non prius dilectio adeſt, quam ſit fide reconciliatio facta: h* *nim non fit ſine Chriſto juxta illud, Per Chriſtum habemus acceſſum ad Deum*. Hæc Melanchthon. Quid noſtrarum partium Theologi? Tenent fidem eſſe ſalutis initium, hominem gratis juſtificari, & nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fidem, ſive opera, juſtificationis gratiam promereri; ad hanc tamen diſponi adultos fide eorum, quæ revelata ſunt, timore divinæ juſtitiæ, ſpe atque fiducia, atque ulterius dilectione benevola, adeoque haberi acceſſum ad Patrem per fidem quidem, at non per fidem inanem ac ſterilem, ſed per illam, quæ per dilectionem operatur. Atque id, quæſo, nonne eſt toto cœlo a Melanchthone diſtare, eique in omni aſſertione adverſari? Præterea hæretici magis inſectabantur ſententiam noſtram, quam nobis contrariam aſſerentium *attritionis ſervilis* ſufficientiam; cum enim juſtitiam a ſola fide repeterent, damnabant eos, qui deteſtationem peccati & dilectionem Dei propugnabant tanquam neceſſarias ad juſtificationis gratiam. Quare in Confeſſione Auguſtana reformata ann. 1540. art. XII. legimus: *Damnant illos, qui non docent remiſſionem peccatorum per fidem gratis propter Chriſtum contingere, ſed contendunt contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, & aliorum operum*. Et Philippus Melanchthon in Apologia Catholicis objicit, quod dicant *peccatorem per actum contritionis recipere remiſſionem peccatorum;* quod nititur oppugnare inſulſo illo argumento: *Hoc nihil eſt, niſi legem docere, deleto Evangelio, quia lex exigit dilectionem*. Quæ exagitans Joannes a Daventria in Harmonia Confeſſ. pag. 241. *Acute*, inquit, *& plane ut Monophthalmos decet, diſputant. Sic enim ratiocinantur: Quia lex dilectionem exigit, ergo qui dilectionem requirunt, deſerto Evangelio, legem docent;* demonſtratque ſubinde vir doctus, dilectionem exigi etiam ab Evangelio, ideoque hæreticos fruſtra Catholicis eſſe infeſtos. Ita etiam compellat hæreticos ipſos Virveſius Philippica IX. pag. Harm. Confeſs. 164. *Rejicitis, & inter hæreticos adnumeratis eos, qui docent remiſſionem Peccatorum contingere propter noſtram dilectionem, aut craſſo nimis obliti, aut impie damnantes, quod Chriſtus ait Lucæ* VII. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Jam vero ad hunc modum ratiocinabor: Pravæ doctrinæ dogmatizantium non contingere remiſſionem peccatorum propter præcedentem actum dilectionis, nil opponitur magis quam ſententia docens ipſam dilectionem ad gratiam in Sacramento recipiendam prærequiri, ac ſufficienter diſponere. Atqui id tenet ſententia, cui adhæremus. Igitur nil magis, quam ſententia noſtra, opponitur perverſo dogmati hæreticorum; & qui de illa ſiniſtram habuerunt opinionem, aut penitus ignorarunt, aut minime perceperunt nefarium, & hactenus expoſitum dogma ipſum Lutheri, Melanchthonis, & Confeſſionem Auguſtanam recipientium.

PROP. III. Quæ reponere poſſunt adverſarii objicientibus ſententiam, quæ propugnat ſufficientiam attritionis *ſervilis*, in Tridentina Synodo anathema ſubiiſſe, eadem omnia ſententiam noſtram catholicam, & directe hæreticis oppoſitam eſſe declarant.

Abſit, ut hoc in loco adverſariis noſtris impingam ego hæreticæ labis notam, nec religioſiſſime obtemperem Apoſtolicæ Sedis decreto. Fuerunt nihilominus, qui auſi ſunt id aſſerere, quod Tridentini Patres proſcripſerint, non, ut jactant, definierint eorumdem nobis adverſantium opinionem. Joannes Morinus, ut alios mittam, vir in litteraria republica præclariſſimus, capiti X. Operis *de Contritione & Attritione*, pag. 57. hunc præfigit titulum: *Concilium Tridentinum non modo non ſtatuit dolorem ex ſolo pœnarum timore ortum juſtificationi ſufficienter præparare, ſed etiam hoc aſſerentibus anathema dixit*. Ad quod probandum vir doctus præmittit Concilium ſeſſ. XIV. in fine cap. 3. eos damnare, *qui pœnitentiæ partes incuſſos terrores, & fidem eſſe contendunt*. Deinde demonſtrat per *terrores incuſſos* intellexiſſe hæreticos pavorem, & dolorem conſcientiæ cogitantis, & quærentis quomodo pœnam gehennæ poſſit effugere: atque id Morinus evincit ex art. 12. Confeſs. Auguſtanæ, ex Melanchthone in cap. de Pœnit. ex Chemnitio parte 2. Examinis, nec non ex Calvino lib. 3. Inſtit. cap. 3. ſect. 3. Hi omnes apertiſſime aſſerunt terrores incuſſos, ſive, ut Calvinus inquit, *mortificationem*, includere dolorem animæ, & deteſtationem peccati propter æternæ damnationis judicium. *Altera pars pœnitentiæ eſt contritio, hoc eſt, terrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoſcimus, & dolemus nos peccaſſe, & peccata deteſtamur, ac fugimus;* ita Confeſſio Auguſtana. *Vocamus contritionem pavores conſcientiæ agnoſcentis iram Dei adverſus noſtra peccata; & dolentis propter peccatum;* ita Melanchthon. *Pavor & dolor excitat, & urget conſcientiam, ut cogitet, & quærat, an, & quomodo effugere poſſit iram Dei, & judicium damnationis;* ita Chemnitius. *De pœnitentia docti quidam viri* (Melanchthonem, aliosque Confeſſioniſtas intellige) *dixerunt conſtare duabus partibus, mortificatione, & vivificatione. Mortificationem interpretantur animæ dolorem & terrorem ex agnitione peccati, & ſenſu judicii Dei conceptum. Ubi enim quis in verum peccati cognitionem deductus eſt, tum vere peccatum odiſſe, & execrari incipit, tum ſibi ipſi animo diſplicet, miſerum ſe, & perditum fatetur;* ita Calvinus. Hinc apparet in ea parte pœnitentiæ, quam hæretici *timores incuſſos* appellant, contineri dolorem animi, & odium, atque execrationem peccati. Audias nunc Morinum ex dictis hæc inferentem: Igitur *contritio, quæ procedit ex ſolo terrore pœnarum conſcientiæ incuſſo, nullumque aliud habet motivum, non eſt pars pœnitentiæ, ut docet Concilium adverſus hæreticos id aſſerentes*. Subjicit Morinus hujus argumenti confirmationem: *Cum negat Concilium* (canone IV.) *terrores conſcientiæ incuſſos & fidem partes eſſe pœnitentiæ, haud negat iſta ad contritionem formandam concurrere;* canone enim ſequenti contrariam ſententiam aperte damnat. Negat igitur Concilium terrores conſcientiæ incuſſos eſſe partem pœnitentiæ, *quæ ad juſtificationem conſequendam nos ſufficienter diſponat, ideoque hoc ſenſu ab hæreticis docebatur contritionem ex his ſolis terroribus conſtantem veram eſſe contritionem, & pœnitentiæ partem*. Hæc Morinus.

Huic Morini argumento facile occurrent patroni attritionis *ſervilis*, reſpondendo, rectiſſime damnatas a Tridentino duas illas pœnitentiæ partes, *terrores incuſſos, & fidem*, non quod inſufficiens ſit diſpoſitio dolor conceptus ex metu gehennæ abſque motivo caritatis & dilectionis; ſed ob hæreſes complures ſub hac male feriata diviſione partium pœnitentiæ latentes. Hæreſis prima eſt, quod in tali diviſione excluduntur *Confeſſio, & Satisfactio;* altera quod juſtificatio tribuitur duntaxat fidei, & timor, odium peccati, hujuſque execratio ad gratiam in hæreticorum ſententia non præparant: tertia quod ipſa timor, deteſtatio peccati, & quicquid juſtificationem præcedit, inquinatum eſt, magiſque animam inficit, nil aliud præſtans, niſi ut impius dejectus, & conſternatus tremat, animum deſpondeat, deſperet; *donec enim fides accedat*, inquiunt hæretici, *contritio eſt fuga Dei, & fremitus, quibus tandem ruitur in æternum exitium:* quarta tandem hæreſis eſt, quod inter veram & falſam contritionem interſit hoc unum planum, & illuſtre diſcrimen, quod poſt incuſſos terrores & deteſtationem peccati, ſi accedat fides, habeatur contritio Petri, & Davidis, atque juſtificatio; niſi accedat fides, contritio Judæ, & Saulis, necnon mors æterna. Quatuor hæc aſſerta iiſdem verbis hæreticorum, maxime Melanchthonis, conſcripta ſunt: a quibus cum longe diſtent patroni attritionis *ſervilis*, falſo Joannes Morinus probare nititur iſtorum ſententiam proſcriptam a Tridentino, ubi damnat qui contendunt pœnitentiæ partes eſſe *terrores conſcientiæ incuſſos & fidem*. Hæc ego candide Morino pro adverſariis noſtris reſpondeo, me illis gratificari confidens, atque, ſi ſenſa ipſorum penetro, certo ſciens nequaquam hanc ab eis reſponſionem repulſum iri. Nunc mihi vices, uti ad gratificandum ſunt longe procliviores, alterna lege rependant. Qui tradimus neceſſitatem *amoris initialis*, non excludimus duas pœnitentiæ partes, *confeſſionem atque ſatisfactionem*: non adſcribimus juſtificationem *ſoli fidei*: non aſſerimus timorem & deteſtationem peccati eſſe animi inquinamenta; non conſtituimus inter veram, & falſam contritionem hoc unum diſcrimen, quod ſi terroribus accedat fides, ſit contritio Petri, & juſtificet; niſi accedat fides, ſit contritio Judæ, trahatque in æternum exitum. Defendimus e contra confeſſionem peccatorum, ſatisfactionem operum, rectitudinem timoris, deteſtationem peccati, & conſtanter negamus ſolam fidem diſcernere inter contritionem veram & falſam. Igitur quæ proferre poſſunt adverſarii in defenſionem ſententiæ ſuæ contra ſcribentes eam non differre a dogmate hæreticorum; eadem omnino adduci poſſunt a nobis in defenſionem ſententiæ noſtræ.

PROPOSIT. IV. Tridentinum Concilium non definivit ſeſſ. XIV. cap. 4. attritionem *ſervilem*, & ab amore *initiali* ſejunctam ad gratiam, remiſſionemque peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam *ſufficienter* diſponere.

Hæc propoſitio ex dictis perſpicua eſt. Si enim conferas doctrinam hæreticorum theſibus præmiſſis appoſitam cum capite quarto ſeſſionis XIV. ſynodi ſacroſanctæ, percipies iiſdem verbis ab ea damnari quicquid illi impie dogmatizant de contritione. Hæretici negant ipſam contritionem continere odi[illegible] peccati, & recogitationem vitæ præteritæ in amarit[illegible] animæ, tanquam præparationem quamdam ad grat[illegible]; cum ea omnia, quæ præcedunt firmiſſimam illam fiduciam, quæ excitatur in impio abſolutione & Evangelio, juxta hæreticos eumdem impium dejiciant tantum, proſternant, in deſperationem trahant, & hypocritam magiſque peccatorem conſtituant: idque, ut evidenter oſtendi, effutiunt etiam de amore *initiali*, non expellente gehennæ timorem. Perlege nunc, præjudiciis ſepoſitis, quartum, de quo agimus, caput; & perſpicies recta methodo pernicioſæ hæreſis dogma-

Digitized by Google

dogmata radicitus extirpari. Definitur primo contritionem manare ex anteactæ vitæ odio, & peccatorum deteſtatione. Statuitur deinde attritionem imperfectam, quæ concipitur ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, eſſe donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum, *quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*, non autem reddere hominem magis peccatorem: quod profecto intelligitur etiam de attritione *initiali*, quam Lutheros ajebat vitiari a timore, & eſſe ad gratiam impedimento; ideoque Concilium non inquit, Attritionem, *quæ includit ſolam turpitudinis peccati conſiderationem, vel ſolum gehennæ, & pœnarum metum, ſed quæ hinc communiter concipitur*, & ad initialem amorem ſolet procedere. Declarat poſtea illam contritionem imperfectam per ſe ad juſtificationem non perducere, ed gratiam tamen in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere; quoniam contritio, quæ hominem juſtificat antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur, eſt *caritas perfecta*: contritio autem imperfecta, quæ ex metu pœnarum *communiter concipitur*, non eſt impedimento ad gratiam, ſed ad eam viam ſternit, ac præparat; remote quidem ſententia noſtra, ſi in timore perſiſtat; proxime, ſi accedat *caritas initialis*. Profert denique exemplum Ninivitarum, qui hoc timore utiliter concuſſi ad Jonæ prædicationem plenem terroribus pœnitentiem egerunt, & miſericordiam e Domino impetrarunt: non utique abſque amore, ut dicam paullo infra; ſed ex timore *concipientes*, non in ſolo timore conceptum animi dolorem ſervantes.

Niſi huic analyſi, & collectioni hæreticalis eam Orthodoxa doctrina acquieſcas; non unum depromem pro firmanda theſi argumentum ex Hiſtoria Concilii ab Eminentiſſimo Pelleviciuo conſcripta. In ea primo legitur lib. XII. cap. X. num. 24. ſententiam complurium Theologorum, qui Concilio interfuerunt, fuiſſe, neceſſariam eſſe in Sacramento Pœnitentiæ caritatem aliquam initialem. *Didacus Lainius* (inquit illuſtris Hiſtoricus) *qui primo loco inter minores Theologos ſermonem habebat, dixit: Sacramento eſſe neceſſariam pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, abſolutionem. Dilectionem pariter tamquam neceſſariam enumeravit Jacobus Fecruſius, Hiſpanus, Segovienſis Epiſcopi Theologus, & per hoc eumdem articulum improbavit, cauſatus ſolis terroribus minime contineri dilectionem, quæ abſolute neceſſaria eſt, cum Chriſtus pronuntiaverit, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; & Dilexit, inquit, per præteritum, quia dilectio remiſſionem anteceſſit*. Infra num. 25. *At Melchior Avoſmediauus, tunc Pacenſis Epiſcopi Theologus, poſtea vero reverſus ad Pii Concilium Guadicenſis Epiſcopus, dixit, prius nos propter pœna metum dolere, dein propter Deum: poſtea vero, ajebat, peccata confitemur. Et Bernardus Collvredus Dominicanus, Forolivienſis Epiſcopi Theologus, tamquam neceſſaria numeravit timorem, deteſtationem, ac fidem, ex qua ſpes oriatur, &, ab hac dilectio. Ejuſdem ſententiæ fuit Franciſcus Contreja ex Ordine Minorum Obſervantium*. Addit num. 26. *Aliquod duntaxat veſtigium comperio opinionis negantis neceſſitatem amoris, in iis, quæ Granatenſis diſputavit*. Hinc proximam eruo argumentationem: Superat omnem fidem, voluiſſe Tridentinos Patres proſcribere ſententiam a celeberrimis Theologis propugnatam, & cujus oppoſita in unius Granatenſis diſputationibus tradi tantummodo videbatur. At ſententiæ, quam Theologi præſtantiſſimi propugnabant, ea erat, quæ adſtruit in Sacramento Pœnitentiæ neceſſitatem amoris. Superat ergo fidem voluiſſe Tridentinos Patres in eamdem ſententiam, quæ defendit amoris neceſſitatem, animadvertere.

Proſequitur eximius Hiſtoricus ait. num. 25. *Quantum ex Actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tamquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem, non item, ut ferrent ſententiam de Scholaſtica quæſtione, an hujuſmodi timor non ſolum abſque contritione animi perfecta (de quo controverſia vix fuit, ſicut patebit) ſed etiam abſque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacramento*. Hinc noſtra roboratur aſſertio: etenim quæſtio propugnans in Sacramento neceſſitatem *caritatis initialis*, ſcholaſtica eſt, ac nullam haber affinitatem cum impie hæreticorum aſſertione, quin huic opponitur e diametro, ut oſtendi prop. 2. De hac ergo quæſtione noluit veneranda Synodus proferre judicium. Deinde Pallavicinus producit invictum hujus rei argumentum, iterum ſubjiciens: *Id vero clare liquet ex ipſa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat capite quarto, nimirum, Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe, cum certum eſſet eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidoloſam pœnitentiam minime ſuffeciſſe per ſeipſam ad peccatum delendum; ſed vim tantummodo habuiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur caritatis affectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe fatentur ante novam legem ad juſtitiam recipiendam*. Quæ verba hanc nobis argumentationem ſuppeditant: Voluit Concilium attritionem formidoloſam utilem eſſe, & vim habere ad impetrandam gratiam, qua auxiliante conciperetur amor aliquis initialis; non ergo ſtatuit formidoloſam illam attritionem ad gratiam juſtificationis obtinendam ſufficere, ſi amore ipſo initiali ſit expoliata. Concilium præterea attritionem ex timore conceptam utilem eſſe pronunciat, quoniam Ninivitæ timore illo concuſſi pœnitentiam egerunt, & impetrarunt e Domino miſericordiam. At Ninivitæ ideo miſericordiam impetrarunt, quia per timorem adepti ſunt gratiam ſanctæ dilectionis, non facti ſunt pervicaciores & magis improbi. Igitur Concilium commendat approbatque attritionem ex timore profectam, quia adjuvat impium, ut impetrare queat gratiam caritatis, non vero, ut ajebant hæretici, illum inquinat magis, deprimit, redditque ſceleſtiorem.

Ruſſus aperte Hiſtoricus alia ratione prius exaratum fuiſſe Synodi Tridentinæ decretum, atque hiſce verbis conceptum: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta ſit, & ſolum vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu, qui ſervilis timor dicitur, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc ſancta Synodus, & declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem (ut quidam blaſphemare non verentur) verum etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum veriſſimum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat, viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam diſponitur*. Hujuſmodi autem decretum ad eum modum, quo legitur in præſentia, inſtante Joanne Æmiliano Tudetano Epiſcopo, reformatum eſt. Nunc vero non extat particula *ſolum* in ea periodi parte, in qua legitur attritionem ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipi, & illius particulæ loco adverbium *communiter* eſt ſubſtitutum. Deſunt quoque modo adjuncta illa pœnarum timori, *Qui ſervilis timor dicitur*. Diſpunctæ ulterius ſunt ea verba, *Sufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*. Itidem deſiderantur inſequentia, *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*. Hinc primum infero, in decreto, quod promulgatum confirmatumque eſt, ſermonem non coarctari ad ſolam attritionem ſervilem, quoniam exploſa eſt particula *ſolum*, atque pariter verba illa expuncta ſunt, *Qui ſervilis timor dicitur*; ideoque poſſumus optime Concilium interpretari de attritione, quæ *communiter* quidem concipitur ex timore ſervili, ſed aliquando oritur quoque ex amore initiali, ſive ex timore ad amorem procedit; præſertim, quod hanc etiam attritionem initiali amore conjunctam damnabat Lutherus, & impie de ea pronuntiabat reddere hominem magis impium, & impedimento eſſe ad gratiam. Dein vero ex quo abraſa ſunt ea verba *ſufficere ad Sacramenti conſtitutionem*, infero noluiſſe Concilium præjudicium afferre ſententiæ veterum Scholaſticorum affirmantium opus eſſe in Sacramento *contritione perfecta*, in qua proculdubio ſententia fuit Joannes Æmilianus, ut paullo ſupra ſcripſerat Pallevicinus: *At Joannes Æmilianus Hiſpanienſis Tudetanus Epiſcopus extremum oppoſitum ſententiæ tenuit, hoc eſt, opus eſſe contritione perfecta; nec tamen hinc argui per Sacramentum peccatum non remitti, quippe quæ Sacramentum jam invenit remiſſa præeuntis contritionis efficacitate: ſiquidem ajebat, ipſa contritio id præſtat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur*. Quod ſi Concilium noluit præjudicium ullum inferri ſententiæ adſtruenti neceſſitatem contritionis perfectæ, quæ efficacia ſua remittit peccata priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur; quanto magis immunem, integramque reliquit ſententiam eorum, qui docent neceſſitatem amoris duntaxat *initialis*, qui amor peccatum efficacitate ſua non remittit? Si vero Adverſarii contendent in decreto, prout nunc extat, agi de attritione ſervili, & omni amore expoliata, propterea quod expuncta ſunt ea verba, *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*; fateantur pariter neceſſum eſt, in eodem decreto pertractari de diſpoſitione ad gratiam remota, & quæ viam ſternit dilectioni, non autem de diſpoſitione proxima atque ſufficiente, quoniam & ea verba abraſa ſunt, *Sufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*. Aut e contra, ſi placet adverſariis Concilium, dum ait de contritione imperfecta, quæ concipitur ex gehennæ metu, *Ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*, de diſpoſitione ſufficienti & proxime fuiſſe locutum, quoniam in priori conſcriptione decreti aſſerebatur attritionem hanc *ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*; fateantur viciſſim pertractaſſe Concilium de Attritione, quæ ex timore quidem concipitur, ſed ulterius ad inchoatam caritatem pertrahit timentem; nam & in prima delineatione legebatur, *Cum ſine aliqua dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*.

Tandem ne reformationis illius decreti cauſam proprio marte fingemus, hanc memoratus Hiſtoricus aſſignans ait: *Laudatus Epiſcopus*, Joannes Æmilianus, *monuit falſa dici hujuſmodi dolorem ſine amore vix unquam concipi poſſe: quod autem hæc attritio ſatis eſſet Sacramento con-*

to conſtituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata abſolutionis ſupervenientis vi, variare auctorum ſententias, adeoque id eſſe tollendum; quamobrem decretum, ſicut nunc extat, reformatum eſt. Ex his apertiſſime conſtat, ſacroſanctum Concilium delendo verba illa, quibus aſſerebatur contritionem imperfectam in Sacramento *ſufficere*, pepercifſe auctoribus docentibus neceſſitatem contritionis perfectæ, quæ vi ſua remittat peccata; quandoquidem in Decreto ante reformationem legebatur attritionem *ſufficere*, quoniam *abſque motu dilectionis* vix eſſe poteſt; ideoque ſermo tunc erat de attritione initiali, non autem ſervili: abradendo autem verba exprimentia ſufficientiam attritionis imperfectæ, ſimulque ea, quæ exprimebant motum dilectionis conjunctum timori, demonſtraſſe attritionem ſervilem ab omni actu dilectionis ſejunctam (indubitatum quippe eſt, amorem ac timorem poſſe invicem ſeparari) eſſe quidem impulſum Spiritus ſancti, & ad gratiam diſponere, non tamen ſufficienter, & proxime.

Inſtituunt hoc in loco auctores ſententiæ noſtræ quæſtionem, an in decreto prius delineato, in quo aperte tradebatur attritionis ſufficientia, ageretur de attritione *ſervili* omni amore exſpoliata, an de attritione *initiali* conjuncta amori imperfecto. De hac pertractatum fuiſſe commonſtrant ſuperiora argumenta; mihique perſuaſum eſt factam decreti reformationem in gratiam adſtruentium neceſſitatem contritionis perfectæ. Qui hac in parte fluctuat, adeat Auctorem Opuſculi de mente Concilii Tridentini circa Contritionem, & Attritionem p. 1. cap. 8. Petrum Lambertum Le-Drou diſſert. 1. c. 3. Leonardum Vanroy de Pœnit. cap. IV. q. 7. Aurelium Lovanienſem q. 1. §. 2. Ceterum non ero de hac re plurimum ſollicitus; ſed utar ſatis obvio dilemmate: Aut de attritione conjuncta imperfectæ dilectioni in priori decreto agebatur, aut de attritione pure ſervili; ſi de hac poſtrema, inepte ex Concilio infertur ſufficere in Sacramento, cum verbum illud *ſufficere* expunctum ſit: ſi de attritione imperfectæ caritati conjuncta; ineptius in nos detorquent adverſæ partis Theologi, qui nec ſeriunt adſtruentes neceſſitatem contritionis & caritatis perfectæ.

Accedit in hujus theſis confirmationem, quod eximii Theologi, & qui Concilio interfuere, & qui illud ſubſecuti ſunt, ſententiæ ſubſcripſerunt noſtræ ut dicam inſtan Propoſitione VI, & de nonnullis tetigi paullo ſupra. Nec prætereundum eſt per Gallicanos Antiſtites anno 1700. hanc propoſitionem num. 87. *Concilium Tridentinum adeo expreſſe definivit, attritionem, quæ non vivificet animam, quæque ſupponatur ſine amore Dei eſſe, ſufficere ad abſolutionem, ut anathema pronuntiet adverſus negantes*, fuiſſe ſequenti cenſura confixam: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit*. Vide perpolitum ſcriptorem de Re Sacrament. tom. 2. pag. 94.

PROP. V. Sententia ad gratiam in Sacramento conſequendam exigens *initialem* amorem ipſi Tridentino Concilio, ſacris litteris, Patribus, & rationi videtur eſſe conformis.

Expulſis cenſuris, & adverſantium machinamentis disjectis, quæ ſuperſtrui ſolent damnato Lutheranorum dogmati, & orthodoxæ Concilii Tridentini doctrinæ, progrediendum mihi eſt ad ſtabiliendam ſententiam hactenus ab erroris ſuſpicione purgatam. Neque enim, ſi quicquam ſapimus, immunis eſt ſolum, & diſputantium arbitrio relicta; ſed vera etiam, atque in primis eidem Œcumenicæ Synodo undequaque cohærens. Hujus veritatis haud obſcura veſtigia occurrent pacata mente legentibus præmiſſas duas poſitiones. Inde enim liquet ſacroſanctum Concilium, dum ageret de diſpoſitione ſufficienti ac proxima appoſuiſſe *motum dilectionis in Deum*; & de hoc motu ſilens expunxiſſe, quæ ſonant ſufficientiam: quod utique argumento eſt, perſuaſum Patribus conceptam ex metu attritionem, niſi ad diligendum Deum progrediatur, non conſtituere contritionem illam, quæ eſt pars ſacramenti, & ad gratiam juſtificationis proxima diſpoſitio. Illud inſuper ſententiam, quam ſequimur, plurimum corroborat, quod Tridentinum prælaudato cap. IV. declarat quovis tempore neceſſarium fuiſſe ad impetrandam veniam motum contritionis, ad hanc requiri averſionem a peccato, & converſionem cordis ad Deum, neceſſarium quoque eſſe animi dolorem, & odium ac deteſtationem peccati, oportere inſuper, ut attritio voluntatem peccandi excludat: quæ omnia adverſarii noſtri fatentur, & attritioni pure *ſervili* ineſſe exiſtimant. Qua in re ſi fallantur, quemadmodum eos falli ſuadent nobis ratiocinationes paullo infra ſubjiciendæ: ſequitur conſecutione legitima ſententiam hanc noſtram non everti, nec aliquatenus impeti, ſed fulciri, ac firmari ejuſdem Tridentini Concilii firmiſſima & ineluctabili auctoritate. Poſtquam hæc leviter attigimus, recitanda ſunt, quæ de neceſſaria ad gratiam diſpoſitione docet ipſummet venerandum Concilium ſeſſ. VI. cap. 6. *Diſponuntur* (inquit) *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*. Hinc argumentum illud eruitur: Præparatio animi neceſſaria ad obtinendam juſtitiam in Sacramento baptiſmi deſideratur pariter in Sacramento Pœnitentiæ. At neceſſaria eſt in Sacramento baptiſmi ea præparatio, quæ præter fidem, timorem, & ſpem, includat initialem amorem, quo diligatur Deus tanquam fons omnis juſtitiæ. Igitur hæc animi præparatio deſideratur pariter in Sacramento Pœnitentiæ.

Occurrunt huic argumento adverſarii, reponentes Concilium accipiendum eſſe de amore concupiſcentiæ, aut ſaltem de amore abſtrahendo ab amore concupiſcentiæ, vel caritatis. Amorem vero concupiſcentiæ nec ipſi excludunt, ſiquidem cum attritione ſervili *ſpem* requirunt, quam expreſſe Concilium ipſum ſeſſ. XIV. cap. 3. commemorat. Quid ergo, ſi de amore caritatis Concilium accipiendum eſſe monſtretur? At illud demonſtratur perquam faciliime. Principio cum decretum antea delineatum foret abſque illis verbis, *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, poſtmodum addita hæc fuere, inſtantibus Theologis præſtantiſſimis, ut infereretur actus aliquis caritatis, ſine quo infructuoſa eſſet pœnitentia. Attige aures Eminentiſſimo Pallavicino hæc lib. VIII. cap. 13. num. 13. enarranti. *Quod attinet ad id, quod dicitur de dilectione Dei, advertendum eſt, per tenorem decreti prius delineati nullam fieri dilectionis mentionem, ſed Salvatorem Alepium Archiepiſcopum Turritanum, Claudium Jajum Societatis Jeſu, Lippomanum Veronenſes adjutorem, & Pium Franciſcanorum præſidem admonuiſſe, ut aliquis caritatis actus infereretur; cumque id ad omnium Patrum judicium relatum fuerat, cum aliis præcipuis notis, ut indicavimus, viginti tres ex ipſis diſerte illud comprobaſſe; adeoque inſertum Decreto: ſed poſtea aliis haud probatum; verum a Theologis ſtrenue propugnatum, & per hæc verba retentum: Non eſt ſermo eo loco de habitu caritatis; ſed cum in particula, quæ loquitur de Pœnitentia, nulla fiat mentio amoris, viſum eſt cum fide & ſpe jungere aliquem dilectionis actum; quia ſi pœnitentia tota eſſet ex timore, ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tantum, & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet*. Præterea non ulla ratione quidam additamentum illud improbabant, niſi quia caritas, quæ diffunditur in cordibus noſtris per inhabitantem Spiritum ſanctum, eſt *forma juſtitiæ*, non ad juſtitiam præcedens diſpoſitio; ſed ubi formatores decreti affirmarunt aliud eſſe actum caritatis, aliud habitum, & cum actu illo haberi quidem deſiderium juſtitiæ, non ſemper obtineri juſtitiam ipſam; aſſenſum ſinguli præbuerunt ſtatueruntque in habitu infuſo caritatis, non in quolibet actu locandam juſtitiæ formam: quamobrem pergit memoratus Hiſtoricus cap. XIV. numer. 3. *Quibuſdam pariter animadvertentibus, caritatem ſuperiori capite memoratam recenſeri ſub illius initium inter ea quæ præparant animum ad juſtitiam ſuſcipiendam, poſtea vero tanquam ipſius juſtitiæ formam poni; reſponderunt Decreti formatores, in primo loco ſermonem eſſe de quodam actu caritatis, cum inſit aliqua dilectio in homine non quidem obtinente, ſed exoptante juſtitiam, at in ſecundo ſignificari habitum caritatis*. Paucis te volo, qui negas de amore caritatis loquutum eſſe Concilium. Cur de amore concupiſcentiæ accipiendum illud eſt? Quoniam, inquis, dilectio & amor caritatis eſt *forma* juſtitiæ, aut ſaltem hanc ſemper obtinet. At falleris; primum, quia formatores decreti aſſerunt actum caritatis, qui præparat ad juſtitiam, hanc exoptare, non obtinere: deinde, quia docent illius dilectionis actum præparare animum ad juſtitiam ſuſcipiendam, cujus dilectionis *habitus* eſt ipſa juſtitia. Hujuſmodi autem *habitus* eſt ne habitus ſpei, an habitus caritatis? Caritatis utique ex eodem Concilio proximo c. VII. Igitur dilectio præparans ad juſtitiam eſt dilectio caritatis, non concupiſcentiæ, vel ſpei. Addo exigi a Patribus Tridentinis dilectionem, ut pœnitentia ſit *propter Dei offenſam*; quod auctore S. Thoma 3. p. q. 85. art. 5. ad 1. *pertinet ad caritatem*; verumtamen id paullo inferius expendam. Quid præterea opus erat commemorare præter ſpem actum dilectionis ad commonſtrandum amorem concupiſcentiæ a ſpe, cui non additur caritas, indiviſum? Hoc denique in loco amorem caritatis intellexerunt auctores Catechiſmi Romani, dum p. 2. cap. 5. num. 8. juxta doctrinam Tridentini exponentes gradus, quibus adſcenditur ad pœnitentiæ virtutem, fide, timore, atque ſpe recenſitis, *Poſtremo*, inquiunt, *caritate corda noſtra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur; atque id unum illud veriti, ne qua in re Dei majeſtatem lædamus, peccandi conſuetudinem omnino deſerimus*. Intellexerunt idem omnes illi Scholaſtici, qui cum Franciſco Suarez Theologo Societatis Jeſu doctiſſimo in 3. p. diſput. IV. ſect. 8. demonſtrant homi-

Digitized by Google

hominem non poſſe Deo ad juris apices ſatisfacere pro ſemetipſo, quia ſi id poſſet, poſſet præſertim per actum caritatis, quo diligeret Deum ſuper omnia, qui tamen *actus amoris* (inquit Suareſius) *eſt diſpoſitio, non autem formalis cauſa juſtificationis ex Tridentina ſeſſ. VI. cap. 6.* Intellexerunt idem Tannerus, eoque fatente, communi ſenſu Doctores alii; prout diſſ. 3. cap. 2. §. 1. demonſtrat noſter Le-Drou.

Neminem debet movere, quod præcipiat Tridentinum amorem, quo diligamus Deum, *tamquam omnis juſtitiæ fontem*; non enim his verbis præſcribitur duntaxat amor Dei, quo diligatur propter nos, & tamquam cauſa juſtitiæ noſtræ; ſed ulterius exigitur amor, quo diligatur Deus propter ſe, ut ſummum bonum, ut illum, a quo eſt omnis juſtitia, & in quo, non tamquam in rivulis diſperſa, tenuis, exhauſta, quemadmodum in hominibus, ſed tamquam in fonte permanet plena, incommutabilis, indeficiens. Primum namque hoc mente verſabant editores decreti, ut exprimeretur actus dilectionis, quo *propter Deum*, non cauſa noſtri, odio proſequamur peccata. Deinde amor juſtitiæ, quatenus eſt juſtitia noſtra, & peccatorum remiſſio, nonne includitur in ſpe, qua erigitur animus, & qua fidimus Deum nobis propter Chriſtum propitium fore? Nonne docet Scholarum Lumen S. Thomas 2. 2. q. 17. art. 8. pertinere ad ſpem illum amorem, *quo quis amat aliquid, non ſecundum ſeipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat?* Immo nonne amor iſte præcedit ſpem, quæ teſte Auguſtino cap. VIII. Enchiridii num. 2. *ſine amore eſſe non poteſt?* Stulti ergo fuiſſent, nimiumque ſoliciti decretorum formatores, dantes operam ut præter ſpem apponeretur dilectio, ne pœnitentia redderetur infructuoſa; niſi aliam dilectionem intellexiſſent, quam ſpei comitem & pediſequam. Hoſpes præterea eſt in Auguſtini lectione quiſquis neſcit nil eſſe aliud amare Deum *tamquam omnis juſtitiæ fontem*, quam illum diligere tamquam rationalis creaturæ finem ultimum, a quo fine ſeſe peccator avertit. Audiatur S. Pater lib. X. de Civit. Dei cap. 3. num. 2. *Ipſe enim* (inquit de Deo) *fons noſtræ beatitudinis, ipſe noſtræ appetitionis eſt finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiſeramus enim negligentes, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quieſcamus.* Si velis expreſſum juſtitiæ nomen; S. Pater docens quomodo amandus ſit Deus in lib. de Catech. rud. cap. 27. num. 55. *Amandus eſt* (inquit) *non ſicut aliquid quod videtur oculis, ſed ſicut amatur ſapientia, & veritas, & ſanctitas, & juſtitia, & caritas; non quemadmodum ſunt in homine, ſed quemadmodum ſunt in ipſo fonte incorruptibilis & immutabilis ſapientiæ.* In Pſalmum itidem LXX. num. 21. ait: *Ergo cum ſis injuſtus, eſſe non potes juſtus, niſi convertendo te ad quamdam juſtitiam manentem: a qua ſi recedis, injuſtus es; ad quam ſi accedis, juſtus es*, ſubinde demonſtrans fuſiori oratione, hujus juſtitiæ *fontem* eſſe Deum, qui eſt ſua juſtitia, ſua bonitas, ſua veritas, ſummum denique bonum propter ſe diligendum.

Præterire non poſſum, quod ſæpe in præcedentibus monui, agere Tridentinos Patres de diſpoſitionibus ad gratiam adverſus hæreticos repetentes juſtificationem a ſola fide. Demonſtravi autem Lutheranos negaſſe ad juſtitiam diſponere fidem adnexam operibus, & caritati inchoatæ, quam ob conjunctum timorem ajebant eſſe impedimento ad juſtitiam; & neminem proinde ante juſtificationem diligere Deum amore caſto & innoxio. Hinc Lutherus in cap. 2. Epiſt. ad Galatas ſcribit: *Sophiſtæ cæci* (hoc nomine ab Apoſtata condecoramur) *ſomniant fidem non juſtificare, niſi ornata ſit operibus caritatis.* Quid ergo magis veritati conſonum, quam ſi Concilium pertractans de diſpoſitionibus ad juſtificationem, de illa dilectione verba faciat, quam hæretici negabant ad juſtificationem diſponere? Sane, ne levem putes hanc conjecturam, Lovanienſes Theologi at. IV. in definitione contritionis appoſuerunt ea verba *propter Dei offenſam*, quæ non extant in definitione contritionis tradita a Conc. ſeſs. XIV. cap. 4. ſubintelliguntur tamen, ut poſtea dicam: appoſuerunt autem, inquit Ruardus Tapperus in Expoſit. ejuſdem articuli, *propter Martinum Lutherum, & Philippum, qui docent peccatorem non poſſe dolere de peccatis ob Dei offenſam ex ejus amore, antequam remiſſum ſit peccatum.* Eumdem habuiſſe ſcopum Patres Tridentinos ſeſs. VI. cap. 6. eo eſt veriſimilius, quod ibi omnia, quæ præcedunt juſtificationem, diſertiſſime connumerantur.

Manet ergo primum hoc argumentum ab inani adverſariorum effugio integrum, & inconcuſſum; nam quod quidam reponunt agere Concilium de juſtificatione extra Sacramentum, aut de diſpoſitione congrua, ſed non neceſſaria; deterior eſt reſponſio, nec alia indiget refutatione. Loquitur enim Concilium de juſtificatione ſuſcipientium baptiſma: eodemque cap. VI. ad diſpoſitionem illam ſpectare docet quod legitur in Act. Apoſt. cap. X. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in no*[illegible] *Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Tranſiens poſthac ad cauſſas juſtificationis enumerandas, declarat ipſum Sacramentum baptiſmi eſſe *cauſam inſtrumentalem*. Exigit quoque, ut qui diſponuntur ad juſtitiam, incipiant Deum diligere, ut moveantur adverſus peccata *per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.* De juſtificatione, quæ fit in Sacramento, neceſſum præterea eſt pertractet ea Synodus, quæ ſtudet evellere hæreticum dogma adſcribens juſtitiam fidei, quæ tanquam oppignoratione divina excitetur verbis Evangelicis, quibus Sacramentum adminiſtratur. De neceſſaria autem diſpoſitione Concilium peragere, demonſtrat verbum *oportet*, repetitum canone 3. evincit eadem de fide, de timore, de ſpe, atque de amore initiali loquendi ratio; unde ſicut illa, ita ille neceſſario requiritur: confirmat additamentum decreto factum, ne pœnitentia evadat *infructuoſa*. Cum igitur quæ ad conſequendam juſtificationem in baptiſmo a Tridentino Concilio præſcribuntur, a fortiori neceſſaria ſint ad ipſam juſtificationem obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ, quæ laborioſus quidam baptiſmus appellatur ab eodem Concilio, necnon contritionem exigit, non tantum ut impius præparetur ad gratiam, qua ratione fuit quovis tempore neceſſaria ad veniam impetrandam, verum etiam tanquam partem Sacramentum conſtituentem; haud immerito exiſtimamus Theologos pro neceſſitate caritatis initialis pugnantes nec latum unguem diſcedere a mente Patrum Tridentinorum.

Sacris etiam litteris conformis videtur ſententia noſtra, ſive attendantur quæ de caritate, & dilectione Dei in iiſdem leguntur, ſive quæ ſpecialiter traduntur de converſione impiorum, atque de Pœnitentia. Quantum ad dilectionem attinet, habemus de illa primum omnium maximumque præceptum Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Habemus ſingulare exemplum in muliere peccatrice, de qua legitur Lucæ VII. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Habemus caritatis neceſſitatem apud Apoſtolum ſcribentem in priori ad Corinthios XIII. fidem, etiamſi montes transferat, eleemoſynam, martyrium, aliaque ſine caritate opera *nihil prodeſſe*. Quantum ad præceptum, tametſi non obliget ſemper, cum ſit affirmativum, certum nihilominus eſt, aliquo tempore obligare, ac nimium laxos fuiſſe illos moralis Theologiæ Tractatores, qui vel dixerunt illud generale eſſe mandatum, & plene ſervari ſi cetera adimpleantur, vel aſſeruerunt per ſe obſtringere duntaxat in mortis articulo, vel ſemel in vita, aut poſt longum temporis intervallum. Obviæ ſunt damnatæ hac in re ab Innoc. XI. anno 1679. die 2. Martii propoſitiones. Si autem præceptum diligendi Deum obligat aliquando, tunc præſertim obligandi vim habet, quando peccator vult Deo, quem graviter offendit, reconciliari. Primo quia alias fieri poſſet, ut ſceleſtiſſimus homo nunquam in vita dilexerit auctorem ſuum, ac tandem ſupplicii terrore perculſus peccata confiteatur, ſtatim vero abſolutione percepta extremam diem obeat, ideoque juſtificatus ſit, quamquam toto vitæ ſuæ tempore Deum non dilexerit. Deinde quia ſeveri auctores nonnulli, ex eorum numero, qui defendunt ſufficientiam attritionis pure ſervilis, architecti fuerunt earum propoſitionum, quas diximus ab Innocentio XI. fuiſſe proſcriptas, cohærenti ratiocinio animadvertentes, quod ſi dilectio Dei ad juſtificationem non ſit neceſſaria, nequaquam aut dum primum illuceſcit ratio, aut dum humana vita tranſigitur, aut dum imminet fatum irreparabile, neceſſum ſit Deum amare, niſi forte haberi nequeat alia juſtificationis via, intercluſo ad Sacramentum acceſſu. Quid enim ultra ad ſalutem æternam deſideratur, quando impius juſtitiæ gratia exornatus eſt, adoptatus in Dei filium, & factus divinæ conſors naturæ habet pignus & arrham hæreditatis? Quod utique ſi præſtat ſervilis timor, fruſtra opus aliud indicitur. Hinc adverſariorum unus, a cujus nomine abſtineo, p. 2. Explicat. Decalogi cap. 3. §. 2. ſcribere non eſt veritus, *præceptum caritatis impoſitum fuiſſe ob juſtificationem impii, ſolum igitur obligare, quando impius, quia Sacramentum pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam, qua ſe juſtificet, niſi eliciat actum contritionis, qui ſemper aliquo tandem modo actum amoris Dei ſuper omnia dilecti involvit.* Id utique damnatum eſt decimanona ex laudatis confixis theſibus: ſed hinc tamen apparet, ipſis propugnatoribus attritionis ſervilis perſuaſum aliquando, quod ſemel eorum ſententia probata, nunquam obliget primum decalogi præceptum, niſi *indirecte*, & quando nulla alia adeſt via, *qua juſtificari poſſimus*. Nos e contra, cum illud præceptum frequenter inculcandum eſſe arbitremur juxta ea, quæ ſcripſimus libro XXIII. cap. 15. maxime illud implendum aſſerimus, dum irato Deo volumus reconciliari, atque ea de cauſa ad ſacerdotis pedes provolvimur, memores ſcriptum eſſe Deut. IV. 29. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & in tota tribulatione animæ tuæ*; & Ezech. XVIII. 31. *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.*

Videtur propterea nobis magnopere cavendum, ne qui ſolo timore ſupplicii ad veniam petendam accedunt, a Deo, qui ſcrutatur renes & corda, tanquam adhuc corde averſi, & prava cupiditate irretiti, divina miſericordia cenſeantur indigni. Conantur hæc Doctores noſtri expli-

explicare comparatione mulieris, quæ in adulterio deprehenſa, & permota ſola egeſtate, aut timore, peteret donari venia, virique conſortio; at nunquam id aſſequeretur, ſi maritus gravi affectus injuria averſum a ſe mulieris animum introſpiceret: non ita tamen, ſi foret ille timor uxoris caſtæ maritum ſuum diligentis. Atque exemplum iſtud acceperunt ab Auguſtino ſerm. 161. num. 9. & in Pſ. 127. nu. 8. Eodem nos uſi ſumus II. Volumine de variis timoris generibus diſſerentes. Utitur conſimili exemplo Albertus Pighius Controverſia ix. pag. edit. Pariſ. 139. ubi ad oſtendendum nunquam dolore ſolo, quo deteſtetur peccata *ob gehennæ metum*, veniam ab impio impetrari, *Si quis* (inquit) *homini, quem offendit, ſi ſervus Domino diceret: Doleo equidem vehementer, quod te offenderim, non tamen propter te; ſed propter me doleo, quia ob tuam offenſam merito cædor, vinculis conſtringor, bonis, quibus tibi obſequentes ſuaviter perfruuntur, ego miſer careo; numquid hic tali pœnitentia offenſæ ejuſmodi a Domino impetraret veniam?* Idem ſcribit Tapperus, de quo paullo infra; & Joannes a Daventria ad art. XII. Confeſſionis Auguſtanæ refutans hæreticos negantes dilectionem caſtam præcedere juſtificationem, *Numquam*, ait, *inimicus reconciliatus, niſi prius diligat eum, quem prius odio proſequebatur: numquam ingratus agnoſcet beneficium in ſe collatum, niſi prius malo affectum animum exuat; id eſt, inimicus, & ingratus non juſtificantur, niſi caritate & gratia intervenientibus. Ideo Catholici tradunt non ſufficere ad peccati remiſſionem, ſi tantum timeat, & peccatorum remiſſionem ſperet, ſed quod oporteat eum ex toto corde dolere, & converti ad Deum, ita, ut non tantum timeat, ſed diligat Deum.* Vide Harmoniam Confeſſ. Auguſtanæ pag. 239.

Addidi ſupra exemplum Magdalenæ. Dicent, opinor, adverſarii hanc ſine virtute Sacramenti fuiſſe juſtificatam. Non tantum id fateor, ſed etiam vehementem illam caritatem in paucis adeſſe credo. Ad rem tamen noſtram exemplum iſtud profertur: primum quia in Tridentino Concilio hoc idem protulerunt Theologi, ut *actus dilectionis* capiti ſexto ſeſſ. VI. insereretur, ut dixi prop. 4. deinde quia Lutherana hæreſi exorta adhibuerunt Catholici idem exemplum, ut evincerent dilectionem noſtram requiri ad gratiam remiſſionis obtinendam, prout conſtat ex Philippica IX. Virveſii, de qua in prop. 2. Ulterius, quia Petrus Soto (de quo plura Lupus in Epiſtola ad Noriſium cap. 2.) in Inſtruct. Sacerdotum Lect. XIV. diſertiſſime docet nec veram, nec ſufficientem eſſe contritionem ſine illa dilectione Dei, de qua dictum eſt, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum*: inſuper quia doctus graviſque auctor ſermonis VII. inter Auguſtinianos de Tempore, nunc Append. 117. numer. 10. ita pœnitentes ſeſe ad ſacramentum diſponentes alloquitur: *Vos modo debetis amare Deum, & de timore jam ad dilectionem tranſire, quia ſic legimus in Evangelio de peccatrice illa, Cui multum dimittitur, multum diligit.*

Commemoravi præterea Apoſtolum in prima ad Corinthios ſcribentem, nec donum linguarum, nec fidem, nec eleemoſynam, nec ipſum martyrium ad vitam æternam abſque caritate prodeſſe. De martyrio, quod tantum valet ad dimittenda peccata, quantum ſi quis abluatur ſacro fonte baptiſmatis, neque ex opere operantis producit gratiam, ſed ex ſe, & quatenus eſt imitatio paſſionis Chriſti, ſicuti demonſtratum eſt lib. XXXI. cap. 23. inquit laudato cap. 13. num. 3. prædicator veritatis: *Et ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Sine caritate igitur non percipitur martyrii fructus: quamvis martyrium ſit ſpecies quædam baptiſmi, atque *ex opere*, ut inquiunt, *operato* conferat gratiam: ergo neque ſine caritate percipi poteſt fructus Pœnitentiæ & ſacramenti, quamvis iſtud vi ſua, & ſupra diſpoſitionem ſuſcipientium, gratiam producat. Quod reſpondere ſolent, loqui Apoſtolum de caritate *habituali*, ſine qua non habetur meritum *de condigno*, non una ratione manifeſto refellitur. Nam egregius Pauli interpres Chryſoſtomus hom. 32. pag. 609. caritatem illam explicat iis, quæ Matth. XX. dicta ſunt a Domino filiis Zebedæi, & quæ Joannis XXI. dicta ſunt Petro; ubi commendantur exercitia caritatis, præſertim vero imitatio Chriſti, qui animam ſuam dedit pro humani generis redemptione; appellatque Chryſoſtomus caritatem illam τὸ κατόρθωμα, nimirum, ut in 1. Officiorum ſcripſit Cicero, *recte factum*. Ac S. P. Auguſtinus, ſerm. XV. de Verbis Apoſtoli nunc 169. num. 14. ad caritatem illam, de qua Paulus, explicandam utitur exemplo latronum, qui effoſſis quoque lateribus, & pene perditis membris nolunt obſtinatione nequiſſima prodere conſcios criminis, nec nomina ſua confiteri; quod utique ſine magno amore non faciunt, amore nempe cupiditatis, quo amant conſcientiam ſcelerum, gloriamque facinorum; hæc ſubjiciens de caritate martyribus neceſſaria: *Nec tu poteris communicare Chriſti paſſionibus ſine amore. Sed quæro, quo amore? Non ſit cupiditas, ſed ſit caritas.* Ubi perſpicuum eſt, Auguſtinum *caritatis* nomine intellexiſſe motum animi ſe convertentis in Deum, quemadmodum nomine cupiditatis intellexit motum animi ſe convertentis ad res creatas. Et revera Sanctus Pater *motum animi* cupiditatem, caritatemque a ſe appellari, teſtatur in tertio libro de Doct. Chriſt. cap. 10. numer. 16. Inſuper Apoſtolus eo loci memorat linguas, fidem, diſtributionem rerum, & caritatem, & quæ priori ordine complectitur, refert ad actum, non ad habitum, dicens, *Si linguis loquar, ſi diſtribuero, ſi montes transferam, &c.* Itaque & caritatem pro dilectione, non pro *forma*, & *habitu* accepit. Hinc Tannerus diſp. 2. de ſpe q. 2. dub. 3. num. 95. ait: *Apoſtolus loquitur de caritate conſiderata quoad actum ſecundum, ut Sancti quoque intellexerunt, & conſtat ex antitheſi linguarum, quæ vel ſolum, vel maxime ad actum ſecundum pertinent*. Tandem ut quis per martyrium conſequatur vitam æternam, neceſſum non eſt, ut exornatus ſit caritate *habituali*, & gratia ſanctificante. Si ergo Apoſtolus ait martyrium abſque caritate nihil prodeſſe, de caritate actuali, non de *habituali*, inſtituit procuIdubio ſermonem. Vide Hieronymum Hatts in libro, quem inſcripſit *Catholica & ſalutaris Attritio*, pag. edit. Antuerp. 11.

Peculiarem denique de Pœnitentia locum legimus in 2. ad Corinth. VII. 10. *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; ſæculi autem triſtitia mortem operatur*. Ex quo loco Florentius De Cocq Præmonſtratenſis de Pœnit. ſect. VIII. aliique poſteriores inferunt attritionem formidoloſam non operari *ſalutem ſtabilem*, cum non ſit triſtitia *ſecundum Deum*, ſed ſecundum nos ipſos. Nec videtur mihi argumentatio iſta imbecillis. Etenim S. Thomas lect. 3. in caput VII. nuper laudatum ſcribit: *Sciendum eſt quod triſtitia, & gaudium, & communiter omnis affectio ex amore cauſatur. Triſtatur enim quis, quia caret eo, quod amat. Qualis autem eſt amor, talis eſt triſtitia ex amore cauſata. Eſt autem duplex amor. Unus, quo diligitur Deus, & ex hoc cauſatur triſtitia ſecundum Deum. Alter quo amatur ſæculum, & ex hoc cauſatur triſtitia ſæculi*. Si ergo triſtitia pœnitentium debet eſſe *ſecundum Deum*, ex amore Dei oriatur neceſſum eſt. Dicent fortaſſe adverſarii, idcirco Lutheranos damnaſſe timorem ſervilem, quod proveniat ex amore noxio. At nihil ad rem præſentem iſtud eſt: oſtendimus enim lib. XXIII. cap. 12. amorem inordinatum nequaquam eſſe de eſſentia timoris, ac *ſervilitatem*, amoremque noxium, ſi timori inſit, vitium eſſe timentis, non timoris. Ac dato inſuper timorem ſervilem derivare ex recto amore ſui, in quo nulla foret perverſitas nec etiam ex parte timentis; non eſſet tamen pœnitentia inde tantum concepta derivata ex amore Dei, ideoque non conſtitueret triſtitiam *ſecundum Deum*. Meminit nunc opportune eorum, quæ ſcribit Tapperus in Explicat. articulorum Lovanienſium pag. 112. edit. Colon. Demonſtrat ibidem falſam eſſe opinionem Scholaſticorum aſſerentium ſufficere in Sacramento attritionem ſervilem valido hoc ratiocinio: *Nam Apoſtolus Paulus in Actis ſolum annuntiat pœnitentiam, quæ ſecundum Deum eſt, & ad Corinthios, Triſtitia (inquit) quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: Ubi Ambroſius in Commentariis* (fateor ego non eſſe Ambroſii) *manifeſtum, inquit, eſt, quia qui triſtis eſt quia peccavit, ſecundum Deum triſtis eſt, dolet enim quia fecit quod odit Deus. Idem Beatus Chryſoſtomus, & Theophylactus. Nam ne homo quidem juſtus placaretur, cum is, qui læſit, nullam ipſius in dolore habet rationem, nec ab eo in amicitiam reciperetur, qui jacturam propriam ſentit, & dolet, non amici offenſionem. Oportet igitur cum attritione, quæ fit ob metum ſupplicii, aliam affectus mutationem conjunctam eſſe, ut ſeniores rationes, ob quas de peccatis dolemus, moveant ad ulteriorem conſiderationem, mentiſque ad Deum etiam affectionem*.

Plura ſunt alia, quæ Theologi noſtri proferunt ex ſacris litteris, ut quod legitur Matth. X. 37. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*: quod ait Apoſtolus prope finem epiſtolæ 1. ad Corinthios, *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema*; & quod habetur 1. Joannis III. 14. *Qui non diligit, manet in morte*, ex quibus legitime inferunt eum, qui non amat Deum ſuper omnia, indignum eſſe gratia & reconciliatione, habere in ſe obicem ad vitam ſpiritalem, atque divinæ execrationi obnoxium eſſe. De quibus Le-Drou cap. 1. diſſ. 3. De-Cocq citato in loco, Juenin quæſt. IV. de Contrit. §. 3. Witaſſe quæſt. 3. ſect. 3. argument. 1. Auctor librorum de Re Sacrament. lib. VI. cap. IV. art. 2. omneſque alii ſententiæ noſtræ defenſores.

Quæ diximus e ſcripturis inferri, eadem traduntur a Patribus. Ut producam aliqua; Tertullianus de Pœnit. cap. 4. *Pœnitens*, inquit, *errorum reperta veritate, pœniteat amiſſe quæ Deus non amat; quando ne nos quidem* [illegible] *ſervulis noſtris ea, quibus offendimur, non odiſſe permittimus. Obſequii enim ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt*. Quomodo autem pœnitere nos poſſit quod amaverimus quæ Deus non amat, niſi etiam amemus quæ amat, ſtudentes animum reformare divini amoris, & odii ſimilitudine, id non adeo facile intellectu percipimus.

Magnus

Google

Magnus Baſilius in Regulis brevioribus, Interrogatione x. ait quidem debere eum, quem pœnitet, *Magiſtram timoris ſibi aſciſcere comminationem æterni judicii, ſuppliciique*; ſed Interrog. ſequenti monet, poſtquam perſuaſum ei ſit quot, & quam gravium malorum peccata ſint cauſa, oportere, *ut ex animo odium adverſus ea concipiat ejuſcemodi, quale is indicavit, qui dixit, Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum*; quod paullo infra explicans docet tale haberi odium, *ſi pœnitens animadverterit affectionem animi in ſe eſſe ei ſimilem, qui dixit, Iniquitatem odio habui &c.* ἐὰν θεωρῇ αὐτὸν ἐν τῇ διαθέσει τοῦ εἰπόντος, ἀδικίαν ἐμίσησα, καὶ ἐβδελυξάμην. Quænam vero fuit affectio Davidis verba hæc proferentis, niſi forte quam ſubjectis verbis ipſe declarat Pſalm. 118. 163. *Legem autem tuam dilexi. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Expectabam ſalutare tuum, Domine, & mandata tua dilexi. Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua; & dilexit ea vehementer?* Pœnitentia itaque juxta Baſilii doctrinam ex timore concipitur, ſed tunc vere includit odium peccati, quando complectitur Davidis *affectionem*. Atque hæc aliqua indigent notatione, ſiquidem adverſariorum noſtrorum nonnulli, atque hos inter domeſticus Riccius, avide nonnulla Baſilii verba arripientes, nec reliqua ponderantes, patronum jactant, quem vereri potius debent ſibimet adverſantem. Sequitur ſanctus Ambroſius: qui lib. 2. de Pœnit. cap. ix. num. 80. docens veniam tanquam ex fide, non tanquam ex debito ſperandam eſſe, *Tanquam ex ſyngrapho* (inquit) *fides impetrat. Prius ſolve quod debitum eſt, ut quod ſperaveris impetrare merearis. Solve boni affectum debitoris, ut verſuram non facias, ſed fidei tuæ cenſu contracti nominis fœnus evacues.* Ac paullo infra producto exemplo viduæ, quæ miſit in gazophylacium duo tantum æra minuta: *Quid enim*, ait, *prodeſt collatio patrimonii ſine gratia caritatis?* de affectu utique verba faciens, quem Deus exigit, ut debitum ſolvat contracti ſceleris. In Epiſtola quoque ad Horontianum 74. nunc 78. num. 7. profert ſententiam illam perſpicuam, *Qui non diligit, peccato obnoxius eſt*: ac ſubinde aliam ſedulo ponderandam, *Caritas peccandi excludit affectum*. Ex Græcorum eloquentiſſimo Joanne Chryſoſtomo ſat eſt producere, quæ Billio interprete leguntur Hom. xv. in Epiſt. 2. ad Corinth. *Cum peccaveris, ingemiſce: non quod pœnas daturus ſis, nihil enim hoc eſt, ſed quod Dominum Deum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique ſaluti tuæ appenſum, ut filium quoque ſuum tui cauſa tradiderit*, quæ Græce extant; στέναζον ὅταν ἁμάρτῃς, μὴ ὅτι κολάζεσθαι μέλλεις, τοῦτο γὰρ οὐδέν, ἀλλ᾽ ὅτι προσέκρουσας σου τῷ δεσπότῃ, τῷ οὕτως ἡμέρῳ, τῷ οὕτως σε φιλοῦντι, τῷ ἐκκρεμαμένῳ τῆς σωτηρίας τῆς σῆς, ὡς καὶ τὸν υἱὸν ἐπιδοῦναι ὑπὲρ σοῦ. Auguſtinus fere totus exſcribendus foret, ſi producenda eſſent loca ejus omnia quæſtionem hanc attingentia. Quædam paullo poſt theologicis rationibus inſeram. Sufficiat modo ea tantum præmittere, quæ ſunt fundamenta ceterorum. Principio S. Pater docet ſine caritatis officio, de quo legitur, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* nil prodeſſe *inter quantacumque tormenta* confiteri Chriſti nomen: ita Conc. xxx. in Pſalm. 118. num. 8. ac Tract. vi. in Joan. num. 23. ut mittam ſermonem 53. de Tempore a noſtris laudatum, rejectum tamen in Appendicem num. 108. Docet præterea *ad caritatem referri omne præceptum*; quod non referens ad caritatem nondum fieri, *quemadmodum fieri oporteret*, quamvis fieri videatur; ſola dilectione & caritate *filios Dei diſcerni a filiis Diaboli*; ante caritatem, qua eligat, & diligat Deum, *hominem impium eſſe, nec veraci corde ſeculo renunciare*: ita cap. ultimo Ench. 32. Tract. v. in Joannis Epiſtolam num. 7. de Patientia cap. 17. num. 14. atque Epiſt. 89. nunc 157. ad Hilarium num. 34. Docet denique neminem poſſe *abſque caritate* cum timore & tremore ſalutem propriam operari: neminem, niſi Dei & proximi amator ſit, *de ſiniſtra ad dexteram poſſe transferri*; atque unumquemque ex ſervo peccati fieri ſervum juſtitiæ, ſi *liberaliter* ſerviat, ideſt, *caritate potius, quam timore*: ita citato libro de Patient. cap. 25. num. 22. lib. xv. de Trinit. cap. 18. num. 32. & epiſt. 144. nunc 145. ad Anaſtaſium num. 4. in hoc poſtremo loco, ut unum ſaltem proferam integrum, ait S. Pater: *Inaniter autem putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideo non facit quia impune non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam, peccata prohibentem atque punientem. Et utique ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit, quod eam ſi poſſet auferret? Ac per hoc quomodo juſtus eſt, juſtitiæ talis inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet: tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.* Hæc Auguſtinus. Quis autem, obſecro, eum ad recipiendam juſtitiam idoneum dixerit, qui illam proſequitur odio, qui nequit victor eſſe peccati, qui ipſi peccato *ſerviliter* ſubjicitur, qui nondum ſalutem propriam operatur, qui veraci corde perverſis operibus non renunciat, qui nec credit, nec ſperat, nec agit pœnitentiam, quemadmodum oporteret, ut juſtificationis gratia illi conferatur? At hujuſcemodi eſſe hominem, qui Deum non diligit ſuper omnia, timetque tantum ardere, res eſt in Auguſtini libris frequentiſſime repetita. Cyrillus Alexandrinus Hom. viii. in feſtis Paſchalibus ſcribit, *plenitudinem omnium, quæ in lege præcipiuntur, effici a ſtudio colendæ caritatis: eam vero qui negligat, vetitis ſe criminibus alligari.* Atque ad hoc comprobandum utitur illius comparatione, qui paratus eſt alienum thorum invadere, hominemque interficere, niſi præ ſtudio caritatis abhorreat a moleſtia cuique inferenda, nec a pudore, & reverentia erga illum, cui necem intentat, traducatur ad facilitatem, animique manſuetudinem, concludens illuſtri hac ſententia; ὁ πρὸς πᾶσαν ἡμᾶς ἀρετὴν ἀπευθύνων νόμος, ἐν ἀγάπῃ τὸ πλήρωμα ἔχει. *Lex igitur ad omnem nos virtutem informans, plenitudinem habet in caritate.* Vide p. 2. tom. 5. edit. Joan. Auberti pag. 95. Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 94. pag. Ven. edit. 115. ad hunc loquitur modum: *Audiſtis quemadmodum cæleſtis creditor totum debitum caritate compenſat, & ad incrementum totius fœnoris amoris ſolius exigit, & requirit uſuram?* Et infra: *Abſolvi vis? Ama: caritas cooperiet multitudinem peccatorum. Negationis crimine quid pejus? & tamen Petrus amore ſolo valuit hoc delere, probante Domino, cum dicit: Petre amas me? Inter omnia præcepta amor obtinet principatum*; & prope finem ſermonis: *Fratres, ſi nos eſſe peccatores novimus, & eſſe nolumus peccatores, pedibus Chriſti demus lacrymas, ſpargamus capillos, figamus oſcula, pietatis oleum tota devotione fundamus, ut dicatur nobis: Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexiſtis multum.* Proximus eſt Sanctus Leo, qui ſermone vii. de jejunio ſeptimi menſis poſt commemorata duo caritatis præcepta inquit: *Chriſto Domino docente cognovimus, quod in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ, tantaque eſt ſub hujus geminæ caritatis edicto utriuſque copula teſtamenti, ut ſine iſtarum connexione virtutum nec lex quemquam inveniatur juſtificaſſe, nec gratia.* Magnus Gregorius in lib. 1. Moralium cap. 26. num. 37. hæc de Sancto Jobo habet: *Bene autem dicit, Timens Deum, & recedens a malo, quia ſancta electorum Eccleſia ſimplicitatis ſuæ, & rectitudinis vias timore inchoat, ſed caritate conſummat: cui tunc eſt funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non receſſit: quia eo ipſo peccat, quo peccare vellet, ſi peccare inulte potuiſſet. Recte ergo cum timere Deum Job dicitur, recedere etiam a malo perhibetur; quia dum metum caritas ſequitur, ea quæ metu relinquitur, etiam per cogitationis propoſitum culpa calcatur.* Scribit conſimilia lib. vi. cap. 55. num. 42. Vide & ſanctum Paterium Gregorii diſcipulum lib. x. in 4. Reg. c. 3. S. Bernardus epiſt. 11. n. 3. de caritate ea verba interpretatur, *Lex Domini immaculata convertens animas*, eo quod ſola caritas ſit, *quæ ab amore ſui, & mundi avertere poſſit animum. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam.* Thomæ Aquinatis Scholaſticorum principis producam nonnulla in proximis ratiocinationibus Theologicis. S. Thomas a Villanova Concione in Dominica Paſſionis docens opus eſſe, ut accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ dolorem *de peccato* concipiat, *Dolendum eſt* (inquit) *de peccato, prout eſt offenſa Dei, ſic ut etiamſi nullum incommodum de peccato proveniret, neque eſſet infernus, aut judicium, etiam diſpliceret peccatum, quia Deus eſt offenſus*: ac paullo poſt id *maxime advertendum eſſe* declarat. S. Bernardinus Senenſis t. 5. ſerm. 12. p. Ven. edit. 78. poſtquam demonſtravit dolorem pœnitentium eſſe *diſplicentiam rationis*, quæ ſcilicet *nullo pacto, nulloque commodo vel incommodo velit conſenſiſſe*, *Ex his*, inquit *aperte eliri poteſt, quod qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non eſt in ſtatu ſalutis; quia non dolet amore Dei, ſed amore ſui, ut ſi ceſſaret damnatio ex perpetrata culpa, ceſſaret & contritio illa. Sed ſecundum Scotum in iv. diſt. 20. licet ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans.* Quod Bernardinus explicat comparatione ex Auguſtino deſumpta, acus, dum calceus conſuitur, filum ſutorium per ſetam introducentis. Eodem loco *ad diſplicentiam rationis* (quæ proculdubio etiam in Sacramento requiritur) ait neceſſum eſſe, *ut homo diligat Deum ſuper omnia, etiam ſupra ſeipſum*, ex quo docet naſci, *ut pro nullo commodo, vel incommodo offendere Deum velit.* In ſerm. etiam de Confeſs. peccatorum tom. 3. pag. 358. exigit in Sacramento amaritudinem illam, de qua Iſaias: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, quod ita declarat, *In pace namque eſt amaritudo, cum mens de ſuis ſceleribus in pace conſcientiæ cruciatur, & in doloroſo gaudio amaricatur; quæ quidem amara eſt ex afflictione æternæ pœnæ, amarior de amiſ-*

amiſſione æternæ gloriæ, ſed amariſſima ex perpetratione divina offenſæ. Iuxtrim quid Scotus ſenſerit, non inquiram; ſed hæc tamen aſſeclis ſuis expendenda relinquo. Nec prætermittam Florentinorum Antiſtitem ſanctum Antoninum, qui in Summa tit. xiv. quartæ partis cap. 5. p. 242. *de timore ſervili* accuratiſſime diſputans docet hunc bonum eſſe & a Spiritu ſancto procedere; perutile eſſe, *quia diſponit ad caritatem*: produci hujuſmodi timorem *ex fide licet informi*: cum hoc timore hominem velle ſibi licere, *quod etſi non facit, tamen faceret*, niſi timeret ſubire pœnam: id expreſſe traditum ab Auguſtino, nec ignoratum a Poeta, qui ait, *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*: atque poſt multa hujus generis admonendos docet pœnitentes, præſertim in gravi conſtitutos infirmitate, ne propter timorem ſervilem principaliter moveantur, *Nam* (inquit) *inutilis eſſet ſibi talis pœnitentia*. In cujus rei confirmationem non ſolum ait hanc eſſe expreſſam Auguſtini ſententiam; verum & refert quemdam Pariſiis vita functum præceptori ſuo poſt obitum apparuiſſe, ac teſtatum ſe addictum eſſe ſempiternis gehennæ ſuppliciis: quod cum præceptor ſummopere miraretur, eo quod ille Eccleſiæ ſacramenta cum multis lacrymis ſuſcepiſſet, *Pœnitentia mea* (inquit miſerrimus animus) *& lacrymæ illæ non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter Dei offenſam; ſed propter timorem inferni, ne ad illum deputarer, & ideo mihi non valuit*. Poſtremo S. Franciſcus Saleſius lib. 2. de Amore Dei cap. 19. concludit: *Pœnitentia, quæ expellit amorem Dei, infernalis eſt, & pœnitentiæ damnatorum conſimilis: pœnitentia vero quæ non excludit Dei amorem, quamvis abſque illo interdum ſit, eſt quidem bona & exoptabilis pœnitentia, imperfecta tamen, & quæ ſalutem conferre nequit, quoadusque ad amorem pertingat, eique ſit conjuncta. Quare ſicuti magnus inquit Apoſtolus, nil ſibi profuturum ſi corpus ſuum igni traderet, omneſque facultates pauperibus diſtribueret, & non haberet caritatem; ita & nos vere poſſumus affirmare Pœnitentiam noſtram, tametſi adeo eſſet vehemens, ut præ dolore oculi in lacrymas erumperent, & cor noſtrum dolore maceraretur, niſi tamen in nobis ſit amor Dei, nullius prorſus adminiculi futuram fore ad vitam æternam conſequendam*. „ La repentance (inquit pag. 192. edit. Lugd.) qui forcloſt l'amour de Dieu, eſt infernale, pareille à celle des damnez: la repentance qui ne rejette pas l'amour de Dieu, quoy qu'elle ſoit encore ſans iceluy, eſt une bonne & deſirable repentance, mais imparfaicte, & qui ne peut nous donner le ſalut, juſques à ce qu'elle ayt attaint à l'amour, & qu'elle ſe ſoit meslé avec iceluy: Si que comme le grand Apoſtre a dit, que s'il donnoit ſon corps a brusler, & tous ces biens aux pauvres, ſans avoir la charité, cela luy ſeroit inutile; auſſi pouvons-nous dire en verité, que quand noſtre penitence ſeroit ſi grande, que ſa douleur fit fondre nos yeux en larmes, & fondre nos cœurs de regret, ſi nous n'avons pas le ſainct amour de Dieu, tout cela ne nous ſerviroit de rien pour la vie eternelle „. Hæc, aliaque ploſima, quæ prætermitto, quamvis non omnia Sacramenti mentionem faciant, demonſtrant nihilominus odium peccati, quatenus offenſa Dei eſt, proficiſci ex aliquo caritatis amore, timorem ſervilem non adverſari, ſub hac ſaltem ratione, perpetratis ſceleribus, & bonum eſſe utique, ſed nunquam ad vitam ſempiternam perducere, ſi divellatur a dilectione; ideoque omni jure etiam tenent de accedentibus ad Sacramentum, ſiquidem & hi debent admiſſam culpam odiſſe prout Deum afficit injuria, atque id agere, quod ſibi ad ſalutem comparandam prodeſſe queat. Quidam etiam ex laudatis Patribus de ipſomet Sacramento pertractant; idque apertiſſimum eſt de Thoma Archiepiſcopo Valentino, de Bernardino Senenſi, & de Antonino Florentinorum Antiſtite. Ad hæc vero elevanda nil roboris habent ea loca quampluríma, in quibus iidem Eccleſiæ Patres timorem commendant, hunc ſtudent incutere, ab hoc repetunt converſionem iniquorum, & huic tribuunt ſæpenumero conſecutionem ſalutis: nam præterquamquod ſolent hæc affirmare de timore filiorum, quem dicimus initialem; nil rectius, & verum magis dici poteſt, quam a timore ſervili concipi ſpiritum dilectionis, & commoda plurima derivare alibi a nobis commemorata. Quare ex his intelligimus opportune Patres prætocaſſe naſcituram hæreſim damnantium ſempiterni ſupplicii formidinem, ſimulque nobis paraſſe præſidia, quibus pro ſancta dilectione pugnemus, & eos, qui pro timore decertant, non timeamus.

His accedunt argumentationes Theologicæ plures, quarum hoc in loco aliquas proferemus. Ac prior ſit, quod tenemur deteſtari peccatum, quatenus eſt Dei offenſa; id vero abſque initiali amore fieri nequaquam poteſt. Amor ergo initialis etiam in Sacramento requiritur. Quod debeamus deteſtari peccatum, *ut offenſa Dei eſt*, quamquam id negant nonnulli, adeo mihi perſpicuum videtur, ut animo quidem meo contraria aſſertio horrorem quemdam incutiat: nam primum Tridentini Patres infructuoſam pœnitentiam dixerunt, quæ propter pœnam tantum eſſet, *non propter Dei offenſam*, prout ſuperius oſtendi. Deinde, etſi Concilium ſeſſ. xiv. cap. 4. in definitione contritionis, quam neceſſariam fuiſſe *quovis tempore* affirmat, verba hæc *propter Dei offenſam* minime apponat, facile tamen illa ſubintelligenda declarat, dum ſemel iterumque requirit commiſſi peccati deteſtationem: cum enim peccatum ſit injuria Deo illata, divinæque legis transgreſſio, non video, quomodo cenſendi ſint odiſſe peccatum, qui injuriam ipſam, Deique offenſam non execrantur; nec percipio, quomodo formidare ſupplicium deteſtatio ſit criminis, & non potius pœnæ, qua plectitur criminoſus. Præterea Lovanienſes Theologi art. iv. declararunt comprehendi in definitione Tridentini hæc illa, *Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus*: in quem articulum Ruardus, *Dolor debet eſſe de peccato, ut peccatum eſt, hoc eſt, quia Dei offenſivum eſt. Eſt enim peccatum hac ratione dolendum, quia eſt receſſus a lege Dei, & per conſequens ab ipſo Deo, a quo avertimur eo ipſo, quod legi ejus non ſubdimur, ſed eam prævaricamus convertendo nos inordinate ad bonum commutabile*. Nec ſilentio prætereundum eſt xxxii. Lovanienſium articulos juſſu Caroli V. fuiſſe editos anno 1544. ejuſque auctoritate vulgatos ad hæreſeon extirpationem cum hoc titulo: *Axiomata ab omnibus ſincere de Catholica fide ſentientibus firmiter credenda*. Demonſtravimus inſuper triſtitiam pœnitentium debere eſſe *ſecundum Deum*. Clerus denique Gallicanus in comitiis generalibus celebratis primo hujus ſæculi anno hanc propoſitionem, *Attritio ex gehennæ metu ſufficit etiam ſine ulla Dei dilectione, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu, quia talis honeſta & ſupernaturalis eſt*; gravi hac cenſura notavit: *Hæc propoſitio, qua a diſpoſitione neceſſaria ad abſolutionem excluditur quilibet ad Deum offenſum reſpectus, temeraria eſt, ſcandaloſa, & in hæreſim inducit*. Ergo quod neceſſaria ſit in Sacramento deteſtatio peccati, in quantum eſt offenſio Dei, res eſt admodum manifeſta. At hujus generis deteſtationem proficiſci a caritatis amore, id quoque apertiſſimum exiſtimamus. Enim vero dederunt operam Patres Tridentini, ut capiti 6. ſeſſ. vi. *aliquis caritatis actus insereretur*, hac duntaxat ex cauſa, ne pœnitentia, ſi tota eſſet ex timore, *& non propter Dei offenſam*, infructuoſa eſſet. Putarunt itaque non eſſe revera dolorem propter offenſam Dei, qui non oritur ex actu aliquo caritatis. Et quidem ſanctus Thomas caritati tribuit, *quod homo doleat de offenſa in amicum commiſſa*, 3. p. q. 84. art. 5. ad 2. Scribit pertinere ad caritatem, quando peccatum homini diſplicet *propter Dei offenſam*, q. 85. art. 5. ad 1. Repetit q. 3. ſupplem. art. 1. ad 4. *Malitia in culpa mortali menſuratur ex eo, in quem peccatur, in quantum eſt ei indigna; & ex eo, qui peccat, in quantum eſt ei nociva. Et quia homo debet magis Deum, quam ſeipſum diligere, ideo plus debet odire culpam in quantum eſt offenſa Dei, quam in quantum eſt nociva ſibi*. Ex his quis non videt illum deteſtari peccatum, *ut Dei offenſa eſt*, qui Deum diligit ſuper omnia? Videmnt id utique Franciſcus Victoria, Petrus Soto, Andreas Vega; quorum teſtimonia exſcripta a Morino p. 117. ideo prætermitto, quia omnium inſtar eſſe poteſt Gabriel Vaſquez hoc, quod contendimus, prolixe demonſtrans in 3. p. q. 85. art. 2. dub. 1. Eo loci num. 40. affirmat deteſtationem peccati, *ut Dei offenſa eſt*, pertinere ad caritatem: numer. 41. hoc demonſtrat ex quo *omnis virtus amat ſuum objectum, & odit oppoſitum*: num. 42. ait eumdem eſſe actum odium peccati, & amorem Dei; *ſicut enim*, inquit, *in actu delectationis de bono Dei, neceſſario eſt amor ipſius Dei; ſic in odio peccati, ut eſt Dei offenſa, intrinſece, & inſeparabiliter includitur amor ipſius Dei*: num. denique 45. concludit: *Sic ergo odium peccati, ut eſt Dei offenſa, & quodammodo malum ejus, eſt amor Dei, ut in ipſo complacentia propter ſuam bonitatem, & fuga peccati, ſeu diſplicentia: nollemus enim Deo, quod eſt ſummum bonum, peccaſſe; unde conſtat, quomodo non imperetur a caritate, ſed ſit caritatis actus, &c.* Ita Vaſquez pag. edit. Lugdun. 41. Itaque hæc eſt noſtra, fortaſſe non contemnenda, ratiocinatio: Accedentes ad Sacramentum debent peccata deteſtari, quatenus ſunt offenſa Dei. Nemo peccata ſub hac ratione deteſtatur ſine actu aliquo caritatis. Ergo accedentibus ad Sacramentum actus aliquis caritatis neceſſarius eſt.

Huic argumento firmitatem addunt alia, quæ, ſi rem penitius inſpiciamus, in eo latent & comprehenduntur: Ac primum illud eſt, non unam eſſe in peccato malitiam, ſive virtuti contrariam perverſitatem, ſed plures in illo, ut Scholaſtici ajunt, inveniri reſpectus, quorum unus eſt, quod afficiat Deum injuria, alter quod ab ipſo Deo ſeparet, tertius quod damnationem ſuppliciumque promereatur, poſtremus quod ſit res turpis, inhoneſta, & humanæ etiam vitæ pernicioſa. Hi autem reſpectus reſpondent variis animorum noſtrorum affectionibus; primus quidem amori, quo Deum diligimus, ut in ſe bonum, alter amori, quo diligimus Deum, ut bonum nobis; tertius incuſſo timori, alii tandem honeſtatis, vitæ, rerumque humanarum dilectioni. Atque hæc a S. Thoma, niſi iiſdem verbis, certo æquivalentibus, traduntur in locis paullo ſupra productis. Is ergo, qui Deum propter ſe,

ſive

Digitized by Google

ſive tanquam in ſe bonum non diligit, nequit ſub ea ratione odio habere peccatum, *quatenus offenſa Dei eſt*. Obverſabatur profecto menti eorum, qui Catechiſmum Romanum, juſſu SS. Pontificis Pii V. exornarunt, ratio hæc apertiſſima, dum p. 2. cap. 5. num. 27. ſcripſerunt: *Sic uti Deus ſummum bonum eſt inter omnia, quæ diligenda ſunt, ita etiam peccatum ſummum eſt malum inter omnia, quæ odiſſe homines debent, illud ſequitur, ut quam ob cauſam Deum ſumme diligendum eſſe confitemur, ob eamdem rurſus peccati ſummum odium capiamus, neceſſe ſit*. Præterea nihil eſt odium, niſi indignatio quædam, averſio animi, & execratio, tam vehemens quantum corda adverſus amor incendit: unde Auguſtinus epiſt. 145. num. 5. ait: *Tantum porro quiſque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, ſed ſpiritu ſanante per gratiam*; & lib. 2. contra adverſarium legis c. 7. num. 27. *Prohibitio enim peccati quod eſt lex, auget profecto deſiderium peccandi, quod non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*. Si ergo quis juſtitiam non diligat, nec deſiderium habeat recte faciendi, non proſequitur odio, nec adverſatur peccatum: &, quoniam facile adverſarii admittent hanc illationem, afferentes diſcrimen inter dilectionem juſtitiæ, & Dei amorem benevolum; adde conſequentiam alteram, Si ergo quis non diligit juſtitiam, ut eſt ordo amoris, quo ſummum & incommutabile bonum præfertur rebus creatis, & bonis omnibus commutabilibus, is non habet odio peccatum, *prout eſt offenſa Dei*, injuria ſcilicet illata ſummo Bono, incommutabili, cæteriſque omnibus præferendo. Hi præterea, qui timore concuſſi aliquid agunt, non odio habent id, quod agunt, *ut eſt in ſe*, licet non coacte, ſed voluntarie illud agant, & agere proponant ut malum vitent. Hinc S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. ad 1. ait: *Id quod per metum agitur, fit voluntarium, ideo, quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter ſeipſum, ſed propter aliud, ſcilicet ad repellendum malum*: & proximo articulo ad 2. inquit, *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia ad id, quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur*; & paullo infra: *Timidus agit contra id, quod etiam nunc ſecundum ſe vult*. Ex hoc loco male, ut reor, Joannes Morinus 2. p. pag. 35. infert ad ſententiam noſtram demonſtrandam, *voluntatem hominis ſolo timore pœnæ a peccato abſtinentis iſto metu non mutari, & ideo involuntarie agere*. Mutatur quidem, & agit voluntarie: at non mutatur deteſtando peccatum *ſecundum ſe*, ſed tantummodo prout eſt cauſa ſupplicii; cum qua deteſtatione ſtat amor, & voluntas peccati conſiderati *ſecundum ſe*, ut paullo poſt explicabo. Quamobrem facilius ac verius ex S. Thoma ad hunc modum ratiocinabor: Quiſquis ſolo timore ſeſe abſtinet a peccato, licet voluntarie ac libere abſtineat, habet tamen peccandi cupidinem, *ſi peccatum conſideretur ſecundum ſe*, nimirum illud deteſtatur, non in quantum peccatum eſt, ſed in quantum eſt cauſa ſempiterni ſupplicii. Quomodo ergo qui ſolo timore ductus a peccato ſe continet, is odit peccatum ut peccatum eſt, ut offenſa Dei eſt, ſi ad peccatum *ſecundum ſe*, non habet in voluntate averſionem, & repugnantiam?

Nuper dicta aditum faciunt argumentationi apud ſcholæ noſtræ Doctores uſitatiſſimæ, dum ajunt attritionem pure ſervilem non excludere voluntatem peccandi, & conſequenter non eſſe in Sacramento ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam. Nam convenit nos inter & adverſarios, hanc dotem proximæ diſpoſitioni eſſe neceſſariam, quandoquidem contritio, quæ pars eſt Sacramenti, definiente Tridentino, continere debet ceſſationem a peccato, vitæ novæ propoſitum & inchoationem, necnon veteris odium. Immo iſtud adverſariis momentum eſt maximum, quod putant ea Tridentini verba, *Si excludat voluntatem peccandi*, convenire attritioni formidoloſæ. Noſtrates ergo in id totis viribus incumbunt, ut demonſtrent non excludi ſolo gehennæ timore voluntatem omnem peccandi. Urgent vero ad hanc rem quæ ſupra produximus ex Auguſtini Epiſtola ad Anaſtaſium, ex Gregorio Magno, ex Bernardo, ex Antonino. Et revera quid innuit ea in Epiſtola S. Pater, dum ait: *Inaniter putat victorem eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis?* Quid eo loci, ſubjiciens, *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere?* Quid contra Adverſarium legis hæc repetens, *Deſiderium peccati non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi?* Quid de natura & gratia cap. 57. ſcribens, *Qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus eſt a voluntate peccandi?* Quid, inquam, hæc innuunt, niſi forte in iis, qui ſolo timore perciti agunt pœnitentiam, latere adhuc in corde malam cupiditatem, & deſiderium atque voluntatem peccandi? Idem docet S. Pater ſexcentis aliis in locis, accurate ab Epiſcopo Porphyrienſi Le-Drou in 2. diſſert. collectis, atque illuſtratis. Auguſtino autem conſentire S. Thomam 1. 2. q. 6 art. 6. & 7. quæſt. 107. art. 1. & 2. 2. q. 19. art. 9. demonſtrat eruditus Thomiſta altero Volum. *de re Sacram.* pag. 65.

Uſurus ego hac eadem argumentatione, præmittam latiſſimum ſententiæ noſtræ diſcrimen ab erroribus Queſnellianis; ex quo veluti ſponte ſua fluet argumentatio ipſa planior, & ab omni animadverſione ſecurior. Novi itaque dogmatiſtæ adeo ſupplicii timorem deprimunt, ut aſſerere audeant, illum, quo magis violentus eſt, eo magis ducere ad deſperationem, manum duntaxat cohibere, cor tamdiu addici peccato, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur, ſcelus committere in corde ſuo, quiſquis ab eo non abſtinet niſi timore pœnæ, & ſub maledicto legis peccari ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando. Continentur aſſerta iſtiuſmodi ſexageſima, & quatuor proximis propoſitionibus, in Conſtitutione *Unigenitus* ſuprema, & immobili Romani Pontificis auctoritate damnatis. Nemo ſane, niſi ſummopere impudens & procax, dicturus eſt legi ſimilia apud Auguſtinum, & Thomam: quorum unus ſerm. 11. in Pſalmum 118. num. 1. ſcribit: *Qui timore pœnæ, non amore juſtitiæ opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet utique non juberi. Ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus eſt voluntate*. Alter vero 2. 2. art. 5. q. 107. inquit: *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinent, non ſimpliciter ejus voluntas a peccato recedit, ſicut recedit voluntas ejus, qui amore juſtitiæ abſtinet a peccato*.

Quæſo primum, ut advertas, ab Auguſtino, & Thoma non dici *abſolute* pœnitentiam, quam animet ſolus timor ſupplicii, violentam, ac multo minus talem, quæ ad deſperationem impellat, ſed extortam, *non ſimpliciter*, conditionate tantum, & *ſi poſſet fieri*, ut a lege ſub tali comminatione non juberetur. Enimvero quæ fiunt ex metu, revera voluntaria ſunt, in quantum movent voluntatem, ut actu agat ad evitandum ſupplicium, ſed ſunt involuntaria ſub conditione, quatenus minime voluntas id ageret, niſi percelleret eam timor, *Illud*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 6. ad 3. *quod per metum agitur, abſque conditione eſt voluntarium, ideſt, ſecundum quod actu agitur; ſed involuntarium eſt ſub conditione, ideſt, ſi talis metus non immineret*. Ex quo aperte ſequitur, voluntarie quidem ſe continere a peccato, qui pœnitentiam agit timore ductus; ſed motum voluntatis non adverſari peccato *propter ſeipſum*, atque ab illo removeri propter pœnam, quam timet, ut docet ibidem Angelicus hiſce verbis: *Id, quod per metum agitur, fit voluntarium ideo, quia motus voluntatis fertur in id, licet non propter ſeipſum, ſed propter aliud, ſcilicet ad repellendum malum, quod timetur*. Hinc etiam conſequitur, quod attigi paullo ſupra, & ſanctus Thomas docet proximo articulo 7. in eo, qui per metum aliquid agit, eſſe quidem motum voluntatis, quatenus id quod agitur liberat a ſupplicio, ſed remanere *repugnantiam voluntatis ad id, quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur*. Atque idem prædocuerat magnus Auguſtinus ſerm. xv. de Verbis Apoſtoli cap. 6. dicens: *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puta quod concupiſcit*, nimirum, non concupiſcit peccatum ut infert æternum exitium, concupiſcit illud tamen quatenus peccatum eſt: quemadmodum leo, dum ingenti terrore revocatur a præda, hanc utique non rapit, ne telo confodiatur, at non deponit malitiam, qua prædam ipſam, ut præda eſt, appetebat. Atque hoc etiam exemplum profert eo in loco Auguſtinus. Hinc vides illud, quod timore agitur, non eſſe extortum & coactum, ſed eſſe liberum & voluntarium, habere tamen, & compati *ſecundum ſe* repugnantiam in voluntate, eo prorſus modo, ne omittam vulgare exemplum, quo mercator, etiamſi velit merces projicere in mare, projiciatque reipſa ut naufragium evadat, merces tamen ipſas in ſe ſpectatas amat adhuc, eaſque ſervare vellet, modo poſſet abſque vitæ diſcrimine.

Neque timor, propterea quod conjunctus ſit cum hac repugnantia voluntatis, aut malus eſt, aut ad deſperationem trahit, aut cor addicit peccato, aut facit, quod ipſum peccatum committatur in corde, quemadmodum novi autumant dogmatiſtæ: ſed plura affert commoda; & quicquid vitii permanet in timente, ab eodem timore non oritur, nec fovetur, ſed frenatur potius atque comprimitur. Enimvero *timor præparat locum caritati*, inquit, S. Pater tract. 9. in Epiſt. Joan. eamque introducit, *ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur*: timor eſt *quidam cuſtos legis, & volentem peccare animum interiorem non ſinit*, ait idem S. Pater ſerm. 161. alias 18. num. 8. timor *homines ſalubriter excutit, ut tanquam de ſomno lethargico emergant*, repetit Ep. 48. nunc 93. nu. 2. ad Vincentium Rogatiſtam: timor frenat *veternoſiſſimam conſuetudinem*, inquit ſerm. 28. de Verbis Apoſtoli cap. 9. nunc 180. num. 10. Vide de multiplici timoris ſervilis utilitate illuſtrem Lupum de Contrit. cap. 13. & quæ nos ſcripſimus lib. 23. cap. 12. Eo ſenſu S. Thomas docet 2. 2. q. 17. art. 8. hominem, qui timore pœnæ ceſſat a peccato, *introduci ad amandum Deum*: & Tridentinum

ſeſſ. VI. cap. 6. peccatores *a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem erigi*. Abeant ergo in malam crucem qui auſi ſunt effutire, timorem peccato addicere, reum conſtituere, & cauſam eſſe deſperationis. Complura a timore bona derivant, & ſi non eradicat repugnantiam illam voluntatis, quam ſupra explicavi, provenit hoc ex prava cupiditate timentis, non ex conditione timoris. Quod etſi expoſui præcitato cap. 12. modo tamen repetam verbis Doctoris Angelici 2. 2. q. 18. art. 4. hæc ſcribentis: *Objectum timoris ſervilis eſt pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus, & per conſequens pœna timeatur tanquam principale malum; quod contingit in non habente caritatem: vel quod ordinetur in Deum, ſicut in finem, & per conſequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente caritatem*. Ex quo infert S. Thomas *timorem ſervilem* ſecundum ſuam ſubſtantiam bonum eſſe, ſed *ſervilitatem* ejus eſſe malam.

Jam vero his præmiſſis, argumentum illud petitum ex quo timor ſervilis non excludat voluntatem peccandi, poteſt hac ratione proponi: Tametſi timor ſervilis bonus ſit, præparat locum caritati, frenet vetuſtam conſuetudinem, cohibeatque etiam interiorem animum ne peccare velit ad gehennam vitandam; attamen non excludit voluntatem peccandi, prout peccatum conſideratur in ſe, ſed cum hujuſcemodi timore ſtare poteſt, quod in voluntate perſeverat concupiſcentia peccati, & repugnantia ad ipſam pœnitentiam, quam ideo amplectitur, ne damnetur; imo quod voluntas timeat pœnam tanquam principale malum, hominem vero, cui pœna infligitur, amet tanquam finem ultimum: igitur ſolus ille timor ad conſequendam gratiam non ſufficit. Requiritur enim, ut attritio excludat voluntatem peccandi per repugnantiam, qua voluntas averſetur efficaciter, & abſolute peccatum. *Concilium Tridentinum* (inquit Franciſcus Suarez nomen adverſariis quoque noſtris gratiſſimum) *expreſſe requirit attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, non negative tantum per ſolam ceſſationem a tali voluntate; hoc enim modo quælibet cogitatio alterius rei voluntatem peccandi excludit: ſed poſitive per formalem aut virtualem repugnantiam, veramque mutationem voluntatis diſſentientis peccato, & conſentientis gratiæ Dei. Hæc autem diſpoſitio non habetur ſine efficaci deteſtatione, & abſoluto propoſito non peccandi: nam cum ſola velleitate, ſeu ſimplici affectu non repugnat ſimul eſſe voluntatem peccandi*. Ita vir doctus in 3. p. diſp. 26. ſect. 2. num. 6. Bene habet. Qui ex ſola pœnæ formidine, non ex Dei amore a peccatis retrahitur, is nec *ſimpliciter* ab his recedit, nec recedere vellet, ſi peccare poſſet impune; ſervatque in animo priſtinam reluctantiam ad pœnitentiam quam agit, & concupiſcentiam ad peccatum quod fuit, & conſequenter non habet veram voluntatis mutationem, neque abſolutum non peccandi propoſitum, ſed ut recte ajebat Auguſtinus, *nondum alienus eſt a voluntate peccandi, nec peccare metuit, ſed ardere*.

Quæ produxi nuper ex Suareſio, qui ait neceſſum eſſe, ut voluntas peccandi excludatur *poſitive*, ideſt, per voluntatis repugnantiam, valide corroborant argumentationem præcedentem. Ut enim *poſitive* aliquid excludatur, opus eſt, ut inter utrumque, excludens ſcilicet & excluſum, pugna ſit & inſociabilis oppoſitio. Ita enim fides infidelitatem excludit, ſpes deſperationem; ſed fides ſeipſa non excludit intemperantiam, injuſtitiam, incontinentiam, propterea quod his non adverſatur: unde & perſæpe contingit, ut quis credat, ſit tamen intemperans, incontinens, & injuſtus. Atque id adeo certum eſt, ut dogma ſit fidei, in impio fidem ipſam perſiſtere; quod & de ſpe eadem ratione affirmatur. Nec inde tamen aut ſpes, aut fides aliquid habent vitii, quia intemperantiam, injuſtitiam, & incontinentiam minime excludunt; ſed veram virtutem redolent, propterea quod ſunt principium credendi, & ſperandi, arcentque ex corde hominum infidelitatem atque deſperationem, cui opponuntur: excludere autem vitia reliqua, animumque his adhærentem, non fidei, aut ſpei munus eſt, ſed temperantiæ, continentiæ, juſtitiæ. Ad hunc ergo modum timor fidei, atque ſpei conjunctus, bonus, rectus, & perutilis eſt; fertur enim in pœnas a rectiſſimo judice ſtatutas, quas Evangelium, omniſque ratio ſuadet ut timeamus; coercet etiam contumaciam animi imperterriti minas ac tormenta ſpernentis; nam huic contumaciæ opponitur ſemetipſo: & præterea adminiculo fidei, & ſpei longe diſtat ab infidelitate, atque a deſperatione, & ad conſiderandam divinam miſericordiam convertit timentem, quæ omnia recta ſunt, pluſimumque proficua. Verum quod timor excludat voluntatem peccandi *ſecundum ſe*, & in quantum eſt *Dei offenſa*, id fieri non poteſt, quoniam peccato ſecundum hanc rationem non opponitur, nec habet cum eo repugnantiam: & nihilominus hoc non eſt vitium timoris, quemadmodum non eſt vitium fidei, vel ſpei; quia excludere ſub hac ratione voluntatem peccandi officium eſt exercendum ab amore ſummi Boni, qui amor directe opponitur ejuſdem ſummi Boni odio, & offenſæ.

Ajebat propterea Auguſtinus lib. 2. contra adverſ. legis cap. 7. num. 27. *Deſiderium peccandi non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*.

Accedit ratiocinatio altera. Nemo ſanæ mentis negabit ad veram pœnitentiam requiri, ut peccator *avertatur a viis ſuis peſſimis, & convertatur ad Dominum*, quod Ezechiel XVIII. 30. Joel. II. 12. aliique ſacrorum librorum auctores afferunt quamfrequenter. Id autem ſine amore initiali fieri nequit. Si enim attendamus naturam timoris, avertit quidem ab eo, quod timetur; ſed non convertit ad illud, quod eſt amandum. Affectio quippe animi *inhians habere quod amatur, cupiditas eſt; id autem habens eoque fruens, lætitia eſt; fugiens quod ei adverſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt. Proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus*. Verba ſunt hæc Auguſtini de Civ. Dei lib. XIV. cap. 7. num. 2. Dum itaque audio *timorem gehennæ*, percipio motum voluntatis fugientis pœnam, non converſionem cordis quærentis Dominum. *Fuga* etenim *animi timor eſt*, inquit idem Auguſtinus tract. 49. in Joan. num. 8. ac ſimilia S. Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 11. Ut ergo convertar ad Dominum, amor facit: ſi amor ſit ſpei, convertor ad Dominum ut eſt bonum mihi; ſi caritatis amor ſit, convertor ad Dominum ut bonum in ſe. Cum itaque converti debeam *in toto corde*, Deum ſuper omnia diligens, (qui enim rem aliquam creatam diligit pluſquam Deum, clamante Evangelio, non eſt dignus Deo) ſequitur ut converti debeam per caritatem. Præclare Petrus Soto ſcribens adverſus articulos Confeſſ. nomine Ducis Wirtembergenſis oblatæ Tridentino Concilio 24. Januar. 1552. *Hic locus* (Ezech. XVIII. 30.) *ſi recte penſitur, & dolorem, & mutationem cordis oppoſitam peccato, & caritatem Dei docet*. Et Joannes Maldonatus Soc. Jeſu Theologus de Pœnit. pag. 4. cap. 2. *Eadem via* (inquit) *neceſſe eſt ad Deum convertamur, qua ab eo diſceſſimus. Diſceſſimus autem ab eo, quia illi antepoſuimus res creatas. Ergo debemus ad illum redire dolendo, quod ipſum offenderimus, pluſquam doleremus propter omnes res creatas*. Nititur hoc argumentum principiis Auguſtinianæ doctrinæ; juxta quam rationalis creatura fit recta, *dum convertitur ad incommutabile bonum*, fit impia *dum avertitur*, ut ſcripſi libro XXI. cap. 4. plura huc pertinentia.

Poſtremo non licet *in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, ex propoſitione 1. ab Innocen. XI. proſcripta 2. Martii anno 1679. Detur autem, quod ſententia adverſariorum noſtrorum ſit probabilis, certe noſtra tutior eſt. Igitur non licet a ſententia noſtra recedere. Hanc tutiorem eſſe demonſtratur primum, quod ſufficere contritionem ex amore conceptam, conſentiant omnes; at ſatis eſſe attritionem ſervilem negent permulti. Demonſtratur ulterius, quod inter adverſarios clariſſimi fateantur ſententiam ſuam non adeo eſſe veterem, nec certam, nec dignam, cui animarum ſalus committatur; illorum præcipui concedant tenendam non eſſe in mortis articulo *ob grave*, ut inquiunt, *damnationis periculum*; nonnulli etiam doceant, prudenter non agere qui illam ſectatur in praxi. Lege ex noſtratibus Nicolaum Gerken in Summa tom. 3. pag. 371. & ex contrariis Franciſcum Hennum de Pœnit. diſp. IV. quæſt. 6. art. 9. Imponamus finem huic quintæ propoſitioni verbis Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus anni 1700. *Placet etiam caveri a Sacramenti pœnitentiæ adminiſtris, ne ſequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore; neve pœnitentes ipſorum fidei animam ſuam committentes admonere ceſſent, ut in pœnitendo inchoata ſaltem dilectionis Dei viam ineant, quæ ſola ſecura eſt; graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine vel eo ſolo quod certis incerta præponant*.

PROP. IV. Sententia, quam propugnamus, Theologorum plurium, ex illorum etiam numero qui ei adverſantur, fulcitur auctoritate.

Ac primo diximus prop. 1. ſententiam oppoſitam fuiſſe ignotam Theologis omnibus, qui præceſſerunt Synodum Tridentinam, idque Morinum aſſerere, fateri Dominicum Soto, & confirmare ſcriptorem hujus ævi Epiſcopum Stabienſem. Primum illius ſententiæ auctorem citatus Morinus lib. VIII. de Pœnit. cap. 4. facit Melchiorem Canum, & ſubobſcure paullo ante traditam ait a Dominico Soto, & a Vega. Suarez in 3. p. q. 90. diſp. 15. ſect. 4. num. 17. ſcribit opinionem illam, præſertim ſi attritio cognita ſit, *nec valde antiquam eſſe, nec multum communem*. Chriſtianus Lupus in Epiſtola ad Noriſium cap. IV. demonſtrat teſtimonio Hugonis Mathoudi viri doctiſſimi, *heſternum eſſe commentum*. Carolus Witaſſius q. 3. art. 6. ſect. 3. arg. 3. enumerat quadraginta novem Theologos, qui ante Tridentinum Concilium floruere, omnes tradentes neceſſitatem amoris, & in ea tantum quæſtione diſcrepantes, an ſufficiat *actualis* caritas, vel requiratur *habitualis*. Hinc Le-Drou pag. 478. infert non ſervari ab adverſariis noſtris præſcriptum illud Deuteronomii XXXII. 7. *Interroga majores tuos, & dicent tibi*, &

Lupus

Digitized by Google

Lupus urget adverſus illos præſcriptionem antiquitatis, qua Tertullianus Praxeam, Hermogenem, ceteroſque hæreticos refellebat, ſcribens *eſſe adulterum quodcunque poſterius*.

Theologi, qui Tridentino interfuerunt Concilio, majori ſaltem ex parte adhæſiſſe ſententiæ noſtræ, conſtat ex quo plurium ſuffragio decretis ſeſſ. VI. *actus caritatis* inferius ſit, ut demonſtravi præcedenti propoſitione. Eamdem ſententiam præ ceteris liquet tradidiſſe Franciſcum Sonnium Tract. IV. de Pœnit. Ruardum Tapperum ad art. IV. Lovanienſis Academiæ, Martinum Rythovium in IV. ſent. diſt. 14. Cornelium Janſenium Gaudenſem Epiſcopum cap. 55. Concordiæ Evangelicæ, Joannem Heſſelium de Sacram. Pœn. cap. 1. & 3. Judocum Raveſteyn p. 1. Apologiæ, quam conſcripſit pro defenſione decretorum Concilii; quorum omnium teſtimonia collegit in Appendice ad Quæſtionem ſuam Quodlibeticam §. 3. eruditus Farvacques. Quibus addere poſſumus Fredericum Nauſeam Viennenſem Epiſcopum, Joannem Medinam, Marianum Victorem, Caſalium noſtrum, Richardotum præſulem Attrebatenſem, alioſque a Lamberto Le-Drou productos diſſert. IV. cap. IV. paragrapho IV. Ex quorum virorum doctrina & celebritate ſaltem excluditur moralis illa certitudo, quam ſententiæ ſuæ patroni attritionis ſervilis confidenter adſcribunt, eademque ſententia ad limites opinionum probabilium redigitur, ſubjecta proinde incommodis omnibus, quibus ſubjacet ſententia altera opinionum probabilium propugnatrix.

Quanti vero poſt Tridentinum ſententiam hanc noſtram amplexi ſint, apparet ex poſtrema diſſertatione ejuſdem Le-Drou, qui omnibus ſigillatim enumeratis, verbiſque eorum exſcriptis demonſtravit auctorem Operis, ſeu Tractatus de Pœnit. Romæ in lucem editi, dum ſcripſit comprobari ſufficientiam attritionis ſervilis *praxi, & ſenſu totius Eccleſiæ*, ſplendide fuiſſe mentitum. Invenies ibidem longe ab hoc auctore recedere Petrum Soto, Ludovicum Granatenſem, Joannem Viguerium, Maldonatum, Theodorum Macherentinum, Gentianum Hervetum, Erneſtum Leodienſem, Joannem Samarinum, alioſque quamplurimos. Inter quos, ne videamur nimium addicti noſtratibus, ſi eorum catalogum conſcribamus, aut recentioribus bene multis, quos ut facilius exſibilent, per fas, aut nefas appellant quidam Bajanos, Janſenianos, Queſnellianos; referam tantummodo, quæ lib. 1. de Pœnit. cap. 3. ſcribit Edmundus Augerius Societatis Jeſu vir celebris, his plane verbis: *Hoc eſt in primis omnino certum, ut veniam conſequamur neceſſe eſſe noſmetipſos condemnare metu enormitatis peccati noſtri ductos, tam quia peccatum adverſatur ſummo bono amiſſo, quod eſt Deus, cujus offenſam debemus metuere, tanquam illius, quem ſupra omnia diligere debemus, tam etiam propter pœnam, quam incurrimus*. Quapropter haud ſatis mirari poſſumus, Joannem Cardinalem de Lugo, virum alioqui doctiſſimum, tacientem verba de Sylvio, qui in Supplem. q. 1. art. 3. ſententiam noſtram diſertiſſime tradit, ad hunc modum imponere imperito lectori diſput. V. de Pœnit. ſect. 9. num. 123. *Hæc tamen ſententia eſt contra omnes Theologos, & contra Tridentinum*. Si ceteros a Theologorum gradu adverſarii noſtri dejiciunt; parcant ſaltem eximiæ doctrinæ, nominique celeberrimo Purpuratorum Patrum, Cardinalis Denhoff, qui ſententiam noſtram tradendam præcipit in Inſtruct. Paſtorali pag. 42. Cardinalis de Laurea, qui illam indubitatam eſſe ſcribit tom. 4. in 3. p. diſput. XI. art. 1. num. 52. Cardinalis Le-Camus, qui docendam juſſit in Theologia Morali edita ad uſum Seminarii Gratianopolitani tract. VI. cap. 5. Cardinalis Aguirre, qui *Probabiliſſima* diem dixit, & de præcepto caritatis tom. 3. Theolog. S. Anſelmi pag. 614. pertractavit egregie, Cardinalis Moniliani, qui de Pœnit. cap. 35. negat ſola attritione ſervili veniam impetrari. Addi poteſt Cardinalis Toletus, qui lib. 3. de Inſtruct. Sacerdotum cap. 4. & 10. apertiſſime nobis adhæret, ſi conſulantur antiquiora exemplaria an. 1599. 1600. 1601. nam quæ poſtea prodierunt turpiter adulterata eſſe conqueruntur viri doctiſſimi, Farvacques, Queraſſius, Witaſſe, Habert, & Auctor adnotationis ad cap. XVI. Operis Joan. Morini de Contritione. Quamquam dato conſentiant autographis in Romano S. J. Collegio ſervatis editiones poſteriores, ſunt adhuc in his aperta veritatis veſtigia, illudque expreſſum, ubi legitur cit. cap. 4. attritionem non ſufficere ad Sacramentum, *ſi talis ſit, ut cognoſcat pœnitens ſe non deteſtari peccatum, ut eſt Dei offenſa*. Subjiciuntur utique nunc ea verba, *Sed tantum ut eſt alicujus mali temporalis cauſa*, ſed deſiderari, *Et pœna inferni* (ut extat in editionibus antiquioribus) inde colligitur, quod Toletus pertractat de attritione, quam paullo ſupra ait deteſtari peccatum, *non quia offenſa Dei, verum aut quia eſt quoddam malum animam fœdans & deturpans, facienſque ſervum diaboli, aut quia ei debetur pœna æterna, aut quia ex eo ſequutum eſt malum aliquod temporale*. Cum utrumque hic ponat, malum temporale, & pœnam æternam, quis non videt utrumque pariter in altera periodo fuiſſe comprehendendum, maxime quod huic conjecturæ accedit priorum editionum auctoritas? De his autem, qui nobis aſſentiuntur, dictum ſatis.

Ad adverſarios quod attinet, principio multi, qui tales videntur, tales non ſunt revera, nam Petrus Binsfeldius in Enchiridio, edito an. 1626. affirmat Theologos complures tradere, *attritionem & contritionem non differre, niſi penes intenſam & remiſſum*, quod & ipſe defendit; & Joannes Molanus tract. 1. cap. 7. Theologiæ practicæ teſtatur, idem aſſerere *Scholaſticos ſaniores*. Plures ergo, qui ajunt, *Sufficit attritio*, loquuntur de attritione, quæ non eſt abſque amore initiali, tametſi concipiatur ex timore pœnarum. Deinde inter adverſarios præcipui fatentur ſententiam propriam incertam eſſe. Canus parte V. Relectionis de Pœnit. inquit: *Quod attritio ſufficiat, quamvis verum ſit, non eſt tamen adeo certum, & indubitatum*. Dominicus Soto in IV. diſt. 19. ait: *Quod attriti per Sacramentum fiant contriti, non eſt expreſſa Evangelica aſſertio, aut Eccleſiaſtica definitio. Immo neque apud Auguſtinum, aliumve illius claſſis auctorem reperitur, ſed eſt Scholaſticorum collectio, quæ quamquam ſit vera, non tamen eſt digna, cui bilances perpetuæ noſtræ aut ſalutis, aut damnationis confidamus*. Paulus Comitolus, ſi velimus hunc adverſariis accenſere, & ipſe lib. 1. Reſponſ. Moralium q. 32. num. 7. ſcribit: *Neque adeo certum eſt attritionem eſſe ſatis*. Suarez in 3. p. q. 90. art. 4. diſp. 15. ſect. 4. num. 17. *Licet* (inquit) *ſit opinio probabilis attritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa. Ergo qui ſciens & videns ita ſe mori permittit, voluntarie ſe exponit periculo æternæ damnationis*. Sanchez in Summa lib. 1. cap. 9. num. 34. docet Sacerdotem mortaliter peccaturum, ſi in articulo mortis pœnitenti cum ſola attritione cognita Sacramentum miniſtret, *propter grave damnationis periculum*. Quod denique in mortis diſcrimine neceſſum ſit, ut pœnitens ad Sacramentum diſponatur per actum aliquem caritatis, fatentur adverſarii fere omnes, ut inquit Tract. VIII. de Sacram. Pœnit. Joannes Dicaſtillus, & aſſentitur Thomiſta Gonet tr. V. diſp. 7. art. 4. §. 3. ea producta ratione, *Cum non ſit omnino certum ac indubitatum, attritionem ſolam cum Sacramento juſtificare, & plures Theologi non contemnendæ auctoritatis non ſolum id eſſe incertum, ſed etiam falſum exiſtiment*. Patiantur ergo viri doctiſſimi, nos, tamquam pro aris focisque, pugnare pro ea ſententia, quæ in Pœnitentiæ Sacramento exigit *initialem amorem*, & quod ipſi damnant in morientibus ob ſempiternæ damnationis periculum, reprobetur a nobis tum ob hanc eamdem cauſam, tum ob vitandam Confeſſionem ſacrilegam atque inutilem, quum non minus cavendum ſit propriæ ſalutis detrimentum, quam profanatio Sacramentorum: quorum unum eſt exitium maximum creaturæ, alterum ſumma in Creatorem injuria. Illi autem, qui minus docti ſunt (ſunt autem ceteris audaciores) deſinant eam ſententiam proſcindere, quam fatentur ſuarum partium ſcriptores, Becanus quoque tract. 1. cap. 4. quæſt. 9. de bonitate & malit. hum. actuum, & Platellius p. 5. ſynopſis cap. 6. §. 5. n. 216. *tutiorem eſſe*, necnon defendi a Theologis pluribus *non contemnendæ auctoritatis*: ſinguli denique, donec accedat Sedis Apoſtolicæ definitio, ſcribant, doceantque quod ſentiunt, atque, ut eſt in proloquio, *Dentem dente ne rodant*.

PROP. VII. Amor neceſſarius ad gratiam in Sacramento obtinendam eſt amor caritatis, non ſpei tantum, quo diligitur Deus, *ut bonus nobis*.

Manifeſtam puto ſextam hanc propoſitionem ex quinta præcedenti, nec in ea confirmanda inſumerem minimum temporis, niſi recentiores quidam conati fuerint demonſtrare neceſſarium quidem eſſe in accedentibus ad Sacramentum amorem Dei inchoatum, & initialem, ſufficere tamen amorem ſpei, quem adeo commendant ſacræ Litteræ, & fruſtra damnant Lutherani, & Quietiſtæ. Præſtat id inter ceteros eruditus Tournely q. 5. de Pœnit. art. 3. concl. 1. & 2. ad ſe pertrahens quæ de neceſſitate amoris Scriptura divina, Auguſtinus, S. Thomas, atque ipſe hiſtoricus Pallavicinus tradiderunt. Sed Tournely adverſæ nobis parti undequaque conſentit, cum adverſariorum nullus ſpem amoveat a pœnitentibus; dum vero loca perſequitur, quæ de caritate intelligenda ſunt, atque ab adverſariis aliis explicantur aut de caritate *habituali*, cui ineſt meritum *de condigno*, aut de actuali, quæ opinione ſua abſque Sacramento confert juſtitiam, cauſam propriam male agit, & adverſus illam intorquet calamum. Nullius eſt operis hoc evincere. Requiri enim *initialem amorem* demonſtrat primo Tournely iis Scripturarum teſtimoniis, quæ commonſtrant Deum *ex tota corde, & ex tota anima diligendum*, ut legitur Matth. XXII. 37. At quis inficias ibit, tradi eo loci caritatis præceptum? Profert deinde illa Auguſtini teſtimonia, quibus præcipitur dilectio juſtitiæ; ſed nimium eſt in Auguſtini doctrina hoſpes, qui ignorat in hoc veram juſtitiam ſitam eſſe, quod rationalis animus convertatur per caritatem ad bonum incommutabile, iſtud exquirat in ſe & propter ſe, teneatque ordinem amoris, ſummum bonum rebus ceteris præferentis. Affert poſtea declarationem Cleri Gallicani, qui anno 1700. ſtatuit non adimpleri neceſſarium Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ propoſitum vitæ novæ inchoandæ, *Si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus tota*

corde diligitur, *nullam curam gerat*; & quid eſt, quæſo, mandatum illud primum ac maximum, niſi præceptum caritatis? Si hoc in dubium vertet Tournelius, cum ea declaratione Cleri Gallicani conferemus nos aliam poſteriorem, de qua vide prop. 1. hujus capitis, qua verbis rotundis aſſeritur amorem juſtitiæ juxta Tridentinum in Sacramento neceſſarium, *ferri in Deum, tum ut in ſe ſumme bonus eſt, tum ut eſt ſummum bonum noſtrum*. Præterea producit Tournelius Hiſtoriam Eminentiſſimi Pallavicini lib. VIII. cap. 13. Verum & ex hac Hiſtoria compertum eſt, a Patribus Tridentinis præter fidem & ſpem inſertum capiti 6. ſeſſ. VI. *actum caritatis*, atque ejuſdem caritatis, *cujus habitus eſt ipſa forma juſtitiæ*. Poſtremo vir doctus demonſtrat ex 3. p. S. Thomæ q. 85. neceſſarium eſſe dolorem de peccato, *in quantum offenſa Dei eſt*. At dolor iſte, prout habetur in eadem quæſtione art. 5. ad 5. *pertinet ad caritatem*. Ex his ergo, quæ propoſitione præcedenti fuſe ſunt pertractata, conſtat in Sacramento requiri actum inchoatæ caritatis; idque ob illa eadem momenta, quibus præſtantiſſimus iſte Theologus neceſſarium demonſtrare nititur amorem ſpei.

Neque tamen nos excludimus amorem ſpei, quaſi nefas ſit ſervire Deo intuitu ſempiternæ mercedis. Vide quæ de ſpe in libro XXVI. cap. 16. conſcripſimus, ubi demonſtravimus ſedulo bonis operibus ſtudendum eſſe, ut conſequamur æternam vitam, & ſummo & incommutabili bono fruamur, cujus deſiderium, ſanctum utique & rectum, *ſpem* appellamus. At ſententia noſtra hujuſmodi deſiderium debet dirigi in finem ultimum, ita ut ſummum bonum, ad quod ſpes tendit, non tam appetatur gratia noſtri, quam propter ſeipſum; illudque gratis amemus, in eo finem ultimum collocantes, & quærentes videre faciem ejus, ut ipſi caſtis inhæreamus amplexibus. Quod ſi fiet, ſpes dirigitur caritate, & gratis amatur Deus, quoniam, etiamſi attenditur merces magna nimis, ea tamen merces eſt ipſemet qui amatur. Atque ita de ſpe loquutos Auguſtinum, Bonaventuram, Franciſcum Saleſium eodem cap. 16. demonſtravimus. Si forte videamur obſcure locuti, explanabimus rem totam verbis Doctoris Angelici 1. 2. q. 62. art. 3. *Voluntas ordinatur ad finem, & quantum ad motum intentionis in ipſum tendentem, ſicut in id, quod eſt poſſibile conſequi, quod pertinet ad ſpem: & quantum ad unionem quamdam ſpiritualem, per quam quodammodo transformamur in illum finem, quod fit per caritatem*. Dolorem ergo, quo deteſtamur peccatum ut eſt offenſa Dei, quatenus eſt objectum noſtræ beatitudinis ſenſu explicato, fatemur eſſe ſufficientem, ſed negamus a ſola ſpe derivare; nam inquit idem S. Thomas proxima quæſt. 65. art. 5. *Caritas eſt amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum*, ſiquidem in tali amore præter motum ſpei tendentis in finem ultimum, eſt affectio cordis optantis unionem ejuſdem finis. Atque hinc apparet nullam vim habere adverſus ſententiam, quam teneo, argumenta, quæ urgere ſolent nonnulli, ut probent efficacem amorem beatitudinis excludere ſe ſolo voluntatem peccandi: nam ſi loquantur de amore beatitudinis nunc explicato, admittam æquo libentique animo quidquid opponent.

Deteguntur pariter hæc omnia Quietiſtarum, qui invenerunt amorem, quem vocant *purum*, dementiam & mentis inſanitatem. Si enim quiſquis caſte Deum amat, exoptat ipſius ſocietatem atque unionem; profecto commentitius eſt ille amor, a quo divulſus ſit motus ſpei, quando nondum rationalis creatura adhæret Deo inſeparabili nexu; nam ſi adhæreat, ſuccedit cupiditati lætitia, & ſpei delectatio. Contingit hoc tantum in patria, ubi ſpe abunde expleta, ſummo Bono conglutinata manet caritas. Diſtant propterea toto cælo a Quietiſtarum inſania caſtiſſimæ illæ animæ, quibus præ ceteris ſummum Bonum in hac vita dulceſcit; hæ ſiquidem, licet Deum diligant *propter ſe*, quia tamen carent perfecta illius unione, ſperant adhuc, & ingemiſcunt. Sed recole quæ adverſus *Quietiſmum* ſcripſimus t. 1. vol. p. 320. Lege etiam epiſtolam XI. S. Bernardi ad Carthuſienſes, in qua n. 7. docet quomodo caritas implet legem ſervi, ordinatque cupiditatem mercenarii, ac n. 8. gradus ſpiritualis amoris ornate, ac diſtribute diſtinguit. Quod enim propoſueram oſtendere, veritatem ſcilicet, & æquitatem ſuſceptæ cauſæ, videor jam numeris melioribus expleviſſe.

CAPUT VI.

Momenta adverſariorum proferuntur, & refutantur.

NULLAM puto, vel nonniſi facillimæ ſolutionis oppoſitionem poſſe illis occurrere, qui ſe accurata præmiſſi capitis lectione præmunierint; quamquam & multa & contentione magna urgeant ex adverſo innumeri, graviſſimique Theologi: quorum luctationes excepturus alacri & prompto animo, tantum abeſt, ut abjecte declinem, quin potius illorum vires diſperſas & paullo ſupra confractas ſimul colligere, atque inſtaurare conabor. In quinque autem claſſibus eas collocabo, ut habeant rectum ordinem, & diſtributionem argumentorum; atque nos undique adoriantur, a fronte, a tergo, a lateribus. Dabo priorem locum iis, quæ innituntur auctoritati ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ: tenebunt proximum, quæ petuntur ex vi & efficientia timoris, plurimum, & quidem jure meritoque a ſacris litteris, & a Patribus commendati: locabuntur in tertio quæ habent robur a caritatis virtute & præſtantia: conſequentur ea, quæ fulciuntur Sacramentorum novæ legis amplitudine atque energia; nec prætermittentur deprompta a ſententiæ oppoſitæ celebritate, & applauſu. Atque rejectis his omnibus, arbitror non eſſe ulterius pro neceſſitate amoris initialis adſtruenda, & vindicanda, in hoc Opere adlaborandum.

Ex Tridentino itaque Concilio poſſunt opponi quæ ſequuntur. Initio ſeſſionis XIV. teſtatur Synodus ſacroſancta traditam a ſe ob publicam utilitatem de iis, quæ ſpectant ad ſacramentum Pœnitentiæ, *exactiorem, & pleniorem definitionem*. At in ea ſeſſione de neceſſitate *initialis amoris* nec verbum quidem. Omiſiſſet ne articulum iſtum attingere, ubi ait ſpectari a ſe fidelium omnium utilitatem, eadique hac de cauſa uberiorem & abſolutam inſtitutionem? Nequaquam. Non agnovit itaque Œcumenica Synodus hujus initialis amoris neceſſitatem. II. Quid vero dicam, non agnovit, quando excluſit aperte? Enimvero quarto ejuſdem ſeſſionis capite declarans primum contritionem, quæ eſt prior pars Sacramenti, eſſe *dolorem animi, & deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero*, ubi ſane nullum dilectionis veſtigium apparet. Deinde hanc contritionem dividit in eam, quæ perficitur caritate, & in eam, quæ *communiter concipitur* ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu. Utraque ergo contritio, perfecta illa caritati conjuncta, & imperfecta hæc ex metu concepta comprehenditur in communi illa contritionis definitione, & utraque eſt *pars Sacramenti*. III. De hac contritione, quæ concipitur ex metu gehennæ, inquit veneranda Synodus: *Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Quibus ſane verbis nil magis expreſſum, magiſque perſpicuum dici poterat. IV. Allucinantur enim, & fucum faciunt qui eadem verba aut de diſpoſitione quadam diſtanti, & remota, aut de attritione initiali amore formata explicant inepte & inſulſe. Accipiendum quippe Concilium de diſpoſitione ſufficiente, & cui nihil deſit ex parte pœnitentium, primum inde conſtat, quod in Sacramento tribuitur attritioni virtus & efficientia, quam extra Sacramentum non habet. At attritio ſervilis etiam extra Sacramentum *remote* diſponit ad gratiam, eo nempe ſenſu, quod ſternit viam dilectioni, utiliter peccatorem concutiendo; ideoque in Sacramento, ſi habet in illo plus aliquid roboris, diſponere debet *ultimo & proxime*, ac tali ratione, ut accedente Sacramenti virtute impius juſtificetur. V. Hæc deinde verba, *Ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponit*, parum, aut nihil diſcrepant ab illis, quæ ante reformationem legebantur, videlicet, *Per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam diſponitur*. Tunc vero de diſpoſitione ſufficienti ſermonem fuiſſe inſtitutum, res manifeſtiſſima eſt. Oportet ergo, ut etiamnum Concilii verba de diſpoſitione ſufficienti ac proxima interpretemur. VI. Atque niſi id fiat, incaute prolabimur in hæreſim Lutheranam. Ajebat enim Lutherus attritionem ex ſolo metu conceptam reddere hominem magis hypocritam & peccatorem. Quid contra Synodus Œcumenica? definit hanc attritionem, *Si voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum*. Attritio autem ſervilis, quamvis omni dilectione Dei ſuper omnia ſit exſpoliata, eſt definiente Concilio donum Dei. Excludit ergo *voluntatem peccandi*, ideoque eſt ad impetrandam gratiam ultima & proxima diſpoſitio. VII. Revera quid eſt *hypocriſis*, niſi vitium illorum, qui ſe externa ſpecie continentes a peccatis, hæc intus fovent in corde, & his voluntate adhæreſcunt? Igitur ſi cum attritione tantum ſervili perſiſteret voluntas peccandi, redderet illa hominem hypocritam, & magis impium, quod eſt damnatum & pernicioſum aſſertum hæreticorum. Eſſet etiam *extorta & coacta, non libera & voluntaria*, quod pariter in Synodo damnatum eſt; timore enim incuſſo vellet adhuc voluntas peccare, & a peccando retraheretur invita. VIII. Cum his aperte demonſtratum ſit loqui Concilium de proxima ad gratiam diſpoſitione, facili negotio evincitur in ea attritione, cui diſpoſitionem ipſam attribuit, nullum caritatis, quantumvis minimæ, actum præſupponi: quod ſuadet primo Concilii ſcopus, & proſcriptio hæreticorum damnantium, tanquam animorum inquinamentum, timorem gehennæ. IX. Idem præterea confirmant verba Concilii hanc attritionem conceptam ex metu opponentis illi quæ proficiſcitur ex caritate, & quæ hominem Deo reconciliat, priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur. X. Hoc idem tandem eruitur ex Hiſtoria ejuſdem Concilii, ex qua conſtat in Decreto, ut prius fuerat delineatum, extitiſſe hæc verba, *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix*

eſſe

Digitized by Google

eſſe queat: quorum verborum abraſio, facta ad inſtantiam Epiſcopi Tudetani, evidentiſſime commonſtrat ſacroſanctum Concilium intelligendum eſſe de timore ſervili exſpoliato qualicunque dilectione Dei ſuper omnia. Atque hæc ſunt, quæ objici poſſunt ex Tridentino Concilio.

Quamvis his omnibus abunde ſatisfactum ſit præmiſſa explicatione Lutheranæ hæreſeos, & examine mentis Patrum Tridentinorum, ad ſingula tamen ad hunc modum reſpondeo. Ad primam objectionem dico, in proœmio ſeſſionis xiv. apposite promitti *exactiorem*, *& pleniorem definitionem*, comparate ad ea, quæ definita fuerant ſeſſ. vi. quoniam præter illic ſtatuta *de Juſtificatione* in genere, & de neceſſariis ad illam diſpoſitionibus, evellendi erant errores, quos ſingillatim de Sacramento Pœnitentiæ evulgarant hæretici negantes Pœnitentiam ſacramentum eſſe a Baptiſmo diverſum, utilem eſſe conceptum ex metu dolorem, parandam contritionem per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, & cetera in eadem ſeſſione ſaluberrime definita. *Plena* itaque *& exacta* Tridentini definitio ſupponit quæ generaliter de Juſtificatione decreta fuerunt ſeſſione ſexta; cui cap. 6. illis verbis, *Illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, inſertus eſt *actus caritatis*, *ne ſi pœnitentia eſſet propter pœnam tantum, & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet;* nec non canone 3. definitum eſt non poſſe hominem abſque præveniente Spiritus ſancti inſpiratione *credere*, *ſperare*, *aut diligere*, *ſicut oportet*, *ut ei juſtificationis gratia conferatur*. Igitur Concilium dum promittit definitionem *exactiorem*, *& pleniorem*, revocat ad memoriam neceſſitatem *initialis amoris* in decreto de Juſtificatione ſtatutam, ubi *multus fuit de Pœnitentiæ ſacramento*, *propter locorum cognationem neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus*. Atque hinc apparet ſententiam noſtram firmari, non everti prima adverſariorum oppoſitione. Deinde conſulto Tridentinum inquit *definitionem*, non autem *inſtitutionem*, aut *declarationem*, ne quis opinaretur velle Concilium de iis pertractare, quæ ſalva fide a Scholaſticis in utramque partem diſcutiuntur; a quibus definiendis alieniſſimum fuit, quippe coactum erat *non ad decidendas opiniones*, *ſed ad errores recidendos*, ut non uno in loco teſtatur Eminentiſſimus Pallavicinus. Quare prætermiſit etiam, Scholarumque concertationibus diſcutiendam reliquit quæſtionem, an in Confeſſione aperiendæ ſint circumſtantiæ aggravantes intra eamdem peccati ſpeciem, necnon aliam, num opus ſit propoſito expreſſo, ſeu, ut inquiunt, *formali*, aliaſque non attingentes ſcopum ipſius Concilii ad extirpandas hæreſes congregati. Quod ſequitur, & iſtud ſententiam confirmat noſtram. Quando enim Concilium in generali Contritionis definitione inquit hanc eſſe *animi dolorem & deteſtationem de peccato commiſſo*, ſubintellexit, *prout eſt offenſa Dei*, quemadmodum demonſtravi capite præcedenti; deteſtari autem ſub hac ratione peccatum *pertinet*, ut ait S. Thomas, *ad caritatem*. Ideo autem has particulas, *prout offenſa Dei eſt*, veneranda Synodus non appoſuit, quia hæretici admittentes duntaxat timores incuſſos & fidem, prorſus inutilem reputabant amaritudinem animi, & peccati deteſtationem, ut apparet ex v. canone ejuſdem ſeſſionis. Hanc ergo hæreſim damnans ſancta Synodus, ac ſupponens deteſtationem peccatorum ſpectare *offenſam Dei*, diſpeſcens poſtea contritionem in perfectam, & imperfectam, demonſtrat quod utraque, *ut pars ſit Sacramenti*, continere debeat deteſtationem illam, quæ in præmiſſa definitione comprehenditur. Quare juxta Concilium in hoc contritio *perfecta* diſtinguitur *ab imperfecta*, quod illa conjuncta eſt vehementi, & flagrantiſſimæ caritati, hæc vero *communiter* ex gehennæ metu concipitur; ſed, ut contigit in Ninivitis, pertranſit ad converſionem cordis, & ad illam deteſtationem & contritionem, quæ ad remiſſionem peccatorum fuit quovis tempore neceſſaria. Præterea, ut gratis concedam Tridentinum Concilium loqui de attritione, quæ non ſolum ex metu concipitur, ſed etiam in metu perſiſtit, nec procedit ad gradum aliquem caritatis; & dato etiam, quod in definitione contritionis minime ſubintelligantur ea verba, *Quatenus eſt offenſa Dei*, quæ tamen duo falſiſſima ſunt, & apertiſſime refutata: his, inquam datis, nihil aliud ex ſecunda objectione deducitur, niſi attritionem illam locum habere inter bonos actus pœnitentis, non vero inutilem eſſe atque perniciosam. Non enim in præmiſſa contritionis definitione inquit Concilium, *Contritio*, *quæ ſufficit ad conſtitutionem Sacramenti*, *eſt animi dolor*, *&c.* ſed ait: *Contritio*, *quæ primum locum inter pœnitentis actus habet*, *&c.* Etiamſi ergo concedamus comprehendi ſub hac definitione attritionem ſervilem, nihil aliud infertur (ex ſophiſtica etiam & ſubtiliori dialectica) niſi hanc eamdem attritionem inter actus pœnitentis eſſe connumerandam. Hinc recte, ſapienterque in reformatione decreti abraſa fuerunt ea verba, *Sufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem;* quamvis nec aperte ſermo ibi eſſet de attritione ab amore divulſa, immo addita eſſent verba illa, *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*. Tertium pariter argumentum aut nihil probat, aut probat ſententiam noſtram. Diſcrepant enim Theologi pro nobis certantes, an ea verba, *Ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*, accipienda ſint de *diſpoſitione proxima* ad juſtificationem, vel *de diſpoſitione remota*. Qui primum tenent, inquiunt Concilium loqui de attritione quidem ex metu gehennæ concepta, ſed quæ procedat ad dilectionem, ſiquidem exigit, ut hæc attritio excludat voluntatem peccandi; eamdemque attritionem proficuam eſſe demonſtret exemplo Ninivitarum, quos procul dubio timor ad converſionem, at non ad juſtitiam ultimo proximeque diſpoſuit; alibi etiam Concilium addit timori & ſpei *initialem amorem*, ne pœnitentia propter pœnam tantum foret infructuoſa. At qui tenent Concilium loqui de diſpoſitione tantum remota, inquiunt mentem Concilii fuiſſe definire tantummodo quod attritio ſervilis eſt bona & perutilis, & non eſt impedimentum ad gratiam, ſed diſpoſitio; primam quia id erat adverſus hæreticos decernendum; deinde quia ex decreto diſpuncta ſunt ea verba, *Sufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem;* præterea quia Pallavicinus teſtatur ideo attritionem ſervilem ad gratiam diſponere, quia *ejus ope adjicitur caritatis affectus;* quod ait clare evinci ex ipſa probatione Concilii, & ex producto exemplo Ninivitarum. Tene ex hac duplici ſententia illam, quæ magis arrideat. Opinio mea eſt, noluiſſe Concilium ferre de præſenti quæſtione judicium, ut affirmat ibidem Hiſtoricus Eminentiſſimus, in ſententiam tamen noſtram, ſi omnia expendantur, Patres conſpiraſſe: quod oſtendi quarta, & proxima præcedentis capitis poſitione. Habeto itaque ad pertenuem tractamque objectationem reſponſum. Si Tridentina Synodus loquitur de attritione concepta ex metu pœnarum, & progrediente ad amorem, pugnat pro nobis argumentatio; ſi de remota duntaxat diſpoſitione, pro nobis partes militat: ſi denique de ſola timoris utilitate, ac diſpoſitione ad gratiam, præſcindendo ab ea quæſtione, num diſponat *proxime*, vel *remote;* eſt ipſamet argumentatio prorſus caſſa, nullaque ratione nos impetit. Ad quartam progredior, ac primo fateor attritionem habere vim in Sacramento proximæ diſpoſitionis, ſi a timore, ex quo communiter concipitur, adſcendat ad amorem initialem, per quem excludat prorſus voluntatem peccandi: hoc autem dato, quid adverſus ſententiam, quam propugnamus? Deinde nego Tridentinam Synodum opponere attritionem in Sacramento attritioni a Sacramento disjunctæ, illique vim adtribuere proximæ diſpoſitionis: neque enim ait, *Quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat*, *in Sacramento tamen per ſe ad juſtificationem peccatorem perducit*, quæ foret objecta ab adverſariis antitheſis. Ait, *Tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*, caute particulas *per ſe*, & verbum *perducit* omiſſis, & pro vocabulo *juſtificationis* gratiæ nomine ſubſtituto; ut nempe quiſque intelligeret, attritionem non eſſe qualem impius hæreſiarcha delineavit, ſed perutilem, & talem, quæ licet *ſe ſola* nequeat juſtificare, hoc tamen afferet commodi, quod diſponat ad caritatem initialem, cujus adminiculo gratia in Sacramento impetratur. Hunc utique Tridentini ſenſum aſſecuti ſunt viri maximi, & præclariſſimi. Alphonſus enim Salmeron Concilii Theologus tom. xi. tract. 22. verſans vulgatum illud proloquium, *Accedens ad Sacramentum ex attrito fit contritus*, ait id non alia ratione evenire, niſi, *quia accedente nova gratia*, *& liberi arbitrii conatu perfectum peccati odium & deteſtatio concipitur*. Franciſcus Sonnius, qui pariter Concilio interfuit, tract. iv. de Pœnit. cap. 6. inquit: *Attritio non efficit veram pœnitentiam*, *ſed tamen ad illam præparat*. *Sicut videmus*, *ait Auguſtinus*, *per ſetam introduci linum*, *ſive filum*, *quando conſuitur corium*, *ſeta prius intrat*, *ſed niſi exeat*, *non ſuccedit linum*. *Sic timor primum occupat mentem*, *non autem ibi manet*, *quia ideo intravit*, *ut introduceret caritatem*. *Concutitur quidem cor timore*, *ſed lenit ſuccedens caritas*: *timor impellit ad contritionem*, *ceterum perficit eam caritas*: *timor medicamentum eſt*, *caritas ſanitas;* *timor exordium pœnitentiæ*, *caritas valor ejuſdem*. Viguerius quoque in Inſtitutionibus approbatis a ſacra Facultate Pariſienſi, de Sacram. Pœnit. verſu 10. docet in Sacramento attritionem non ſufficere per ſe, *ſed propter aliud principium*, *ſive objectum ſuperveniens*, *quod eſt timor filialis*. Legimus pariter in Conſtitutionibus Bononienſibus Gabrielis Cardinalis Palæoti editis anno 1594. parte 2. ſerm. de Sacramento Pœnit. *Rurſus etiam*, *quamvis dolor non potiſſimum ex timore Dei*, *ſed potius ob ſuppliciorum metum excitetur*, *& ita veram rationem contritionis non attingat*, *quo potius attritio dicenda eſſet*, *non tamen ideo peccator a ſpe ſalutis*, *& conſequendæ veniæ excidit*, *ut a Tridentino Concilio declaratum eſt*, *quoniam iſte dolor ad verum Dei timorem & gratiam in Sacramento diſponit*, *&c.* Neque ut alia producam neceſſum eſt, cum teſte Eminentiſſimo Pallavicino id clare liqueat ex ipſa probatione Concilii, & ex adducto exemplo Ninivitarum, in quibus formidoloſa pœnitentia minime ſufficiens fuit ſeipſa ad peccatum delendum, *ſed vim tantummodo habuit ad impetrandam novam gratiam*, *cujus ope adjiceretur caritatis affectus*. Quæris ergo quomodo attritio ſervilis ad impe-

tran-

trandam gratiam diſponit? Reſpondeo breviter, Diſponit quia viam parat ad converſionem cordis, ad caritatis affectum, ad timorem Dei filialem, idque præſtat uberius in Sacramento, ad quod accedenti facilius ob humilitatem, qua ſe clavibus Eccleſiæ ſubjicit, Deus dans gratiam humilibus impertitur ſanctæ dilectionis inſpirationem: atque hac reſponſione expeditur quarta objectio. At quintam breviſſime refutabo; in priori namque decreto legebatur attritionem *ſufficere*, quod poſtea diſpunctum fuit atque eraſum. Breviter etiam ſexta diluenda eſt: nam demonſtravi apertiſſime, Lutherum probaſſe ſolam contritionem proficiſcentem *ex amore juſtificante*, nec aliter ſentire potuit qui putabat ſolam in Chriſtum fiduciam juſtificare impium; hujus vero opera, quæcunque juſtificationem præcedunt, ſive ſit metus, ſive dilectio, ſive peccatorum deteſtatio, eſſe inquinamenta & ſordes, decipi proinde ſcholaſticos aſſerentes exigi ad remiſſionem peccatorum dolorem aliquem, diſcuſſionem peccatorum, & præviam dilectionem. Mens ergo Concilii fuit non ſolam attritionem ſervilem, ſed etiam initialem, necnon motus alios liberi arbitrii ſe diſponentis ad gratiam commendare, atque inter dona Dei recenſere adverſus hæreticam pravitatem. Unum addam: tametſi Lutherus damnaſſet ſolam attritionem ſervilem, & de hac ſola affirmaſſet non ſufficere ad juſtificationem in Sacramento; nihil tamen evincerent adverſarii: quum Tridentinum definierit quidem attritionem eſſe bonam, & diſpoſitionem ad gratiam, non autem eſſe diſpoſitionem ſufficientem, & proſcripſerit primam Lutheri aſſertionem, non alteram. At enim, inquis, definit Concilium attritionem eſſe Spiritus ſancti impulſum & donum Dei, *ſi excludat voluntatem peccandi*. Et hinc apparet (reponunt Doctores noſtri) Concilium loqui de attritione initiali, quæ ſola voluntatem peccandi excludit: hujuſque aſſertionis ſuæ proferunt rationes plurimas, quas non vacat repetere. Inſiſtens tamen ego iis, quæ ſuperiori capite demonſtravi, ineo reſponſionem longe planiorem: & dico excludi voluntatem peccandi, quatenus peccatum eſt cauſa ſupplicii ac ſempiternæ damnationis, per attritionem ſervilem; quæ utilis eſt, & ad gratiam impetrandam diſponit: *Quum enim illi, qui habent timorem*, inquit Auguſtinus in Pſalm. 127. n. 7. *per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ. & incipit quod durum erat amari*. Excluditur autem voluntas peccandi, in quantum peccatum eſt offenſa Dei ſummopere diligendi, per amorem caritatis; qui longe utilior eſt, & ad gratiam obtinendam non diſponit tantum, ſed in Sacramento etiam ſufficit. Ad VII. reſpondeo ſententia noſtra nec attritionem ſervilem reddere hominem hypocritam, neque pœnitentiam ex eadem attritione manantem extortam eſſe, & coactam. Non eſt in attritione ſervili hypocriſis; quoniam qui timet, revera timet; hypocrita autem eſt, qui ſimulat exterius quod non habet in corde, ut de Phariſæis non uno in loco legitur in Evangelio, & docet ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. XII. art. 2. de iis omnibus, *qui videri volunt quod non ſunt*, & veluti in theatro agunt partes Agamemnonis. Quod autem ſub timore lateat voluntas aliqua mala, id non facit, ut timor reddat hominem hypocritam; quoniam talis voluntas non eſt a timore, ſed proficiſcitur a prava cupiditate timentis: alioqui & fides, quæ voluntatem peccandi non excludit ſe ſola, mala eſſet, & magis homines inquinaret; cum tamen ſit virtus Theologica, & donum Dei. Nos ergo nequaquam hypocritas illos appellamus, qui vere timent, ſed eos, qui aut timorem, aut pietatem, aut devotionem, aut virtutem aliam apparenter exercent, ei pares, de quo ſatyra V. Aulus Perſius:

Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Aſtutam vaſro ſervas ſub pectore vulpem.

Sed neque pœnitentia ſolo timore animata dici poteſt extorta & coacta; ſiquidem licet timor, ut eſt concuſſio animi, ſeu *paſſio*, non ſit cum electione liberi arbitrii, dolor tamen ex timore conceptus eſt motus liberrimus voluntatis: non enim quæ fiunt ex metu, involuntaria ſunt, ſed libera & voluntaria, ut docent Scholaſtici omnes cum S. Thoma 1. 2. q. 6. a 6. Verum hinc non infertur excludi omnino a timore ſervili voluntatem peccandi; quoniam ex doctrina ejuſdem S. Thomæ citato, & proximo articulo in iis, quæ aguntur ex metu, *remanet voluntatis repugnantia ad id, quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur*; & motus voluntatis in illud fertur, *non propter ſeipſum, ſed propter aliud, ſcilicet ad repellendum malum, quod timetur*. Scio doctum ſcriptorem de Re Sacrament. to. 2. pag. 69. concedere attritionem ex metu gehennæ conceptam extortam eſſe, non liberam, *vitio timentis*; negare talem eſſe *vitio timoris*. Si velit vitium eſſe timentis, non timoris, quod perſiſtat in voluntate affectus ad peccatum *ſecundum ſe*; verum dicit, idemque a nobis ſupra demonſtratum eſt: ſi autem velit timentem ob metum pœnarum timere coacte; falſum eſt, repugnatque communi *de voluntario, aut involuntario* notioni, ac præſertim S. Thomæ 1. 2. q. 6. art. 6. In tribus autem reliquis objectionibus inaniter loquutus eſſem, ſi fierem prolixior. Nam de ſcopo Concilii, qui objicitur octavo loco, dictum ſatis, ſuperque. Quod proxime ponitur de caritate, quæ juſtificat priuſquam Sacramentum ſuſcipiatur, repetendum eſt paullo infra. Illud denique, quod opponitur de craſſis verbis, *Cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*, nihil aliud evincit, niſi attritionem ſervilem, quæ bona eſt, poſſe aliquando a caritate divelli, non autem a caritate initiali ſejunctam eſſe diſpoſitionem ſufficientem & proximam ad gratiam in Sacramento impetrandam. Poteſt etiam hæc objectio ex propoſitione quarta præcedentis capitis retrorſum flecti in adverſarios, quorum priores impetus non ſuſtinuimus tantum, ſed infregimus quoque, & eluſimus.

Excipiendi ſunt modo, qui timoris laudibus & efficacia decertant. Hi primum objiciunt, quæ de timore æternarum pœnarum tradunt divinæ litteræ. Eccleſiaſticus cap. I. 27. *Timor Domini*, inquit, *expellit peccatum: nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*; & cap. XXI. 7. *Qui timet Dominum, convertetur ad cor ſuum*: & rurſus cap. XXV. 15. *Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei*. In Proverbiis pariter legimus cap. XIV. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis*. Apud Iſaiam XXVI. 18. *A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum*. Chriſtus demum in Evangelio Matt. X. 28. *Timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*. Hæc aliaque nos ipſi produximus tom. II. pag. 316. demonſtrantes timorem ſervilem eſſe donum Dei, & afferre plurimum utilitatis. II. Diſertiſſime Patres tradunt homines perculſos gehennæ timore avocari a peccatu. Ut mittam Baſilium in Pſalmum 33. Ambroſium in Pſalmum 118. ſerm. 15. num. 37. & Hieronymum in cap. I. Malachiæ; ſat eſt unius Auguſtini loca quædam proferre. Ergo S. P. tract. IX. in Epiſt. Joan. num. 4. ait: *Timor Dei ſic vulnerat, quomodo medici ferramentum; putredinem tollit*. Sermone 161. alias 18. de Verbis Apoſt. num. 8. *Timor*, inquit, *quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit*. Item ſerm. 156. cap. 13. num. 14. ſcribit: *Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat timor in corde tuo*. Quid vero ulterioris diſpoſitionis in Sacramento requiritur, quando abſcinditur putredo peccati, interior animus cohibetur, & diabolo janua cordis occluditur? At præſtat hæc omnia juxta Auguſtinum timor ſervilis. Diſponit ergo ad gratiam *ſufficienter*. Decretoria ſunt autem quæ S. P. ait in libro de Catechizandis rudibus cap. 17. ubi diſtinguit tria genera hominum Chriſtianam religionem amplectentium. Locat in primo genere illos, qui propterea volunt eſſe Chriſtiani, *ut aut promereantur homines a quibus temporalia commoda exſpectant, aut offendere nolunt, quos timent*. Hos vero reprobos appellat, & aſſerit portari ab Eccleſia, ſicut area ſuſtinet paleam uſque ad tempus ventilationis, in fine ſeparandos, ſi non ſe correxerint, & Chriſtiani propter futuram ſempiternam requiem eſſe cœperint. Statuit in altero genere illos, qui *meliori quidem ſpe, ſed tamen non minori periculo, jam Deum timent, & non irrident Chriſtianum nomen, nec ſimulato corde intrant Eccleſiam Dei, ſed in iſta vita expectant felicitatem, ut feliciores ſint in rebus terrenis, quam illi, qui non colunt Deum*. Atque illos appellat S. P. infirmos in fide, quandoquidem dum vident impios in ſæculi proſperitate pollere, perturbantur quaſi ſine cauſa Deum colant, & facile deficiunt a fide. In tertia tandem claſſe conſtituit eos, qui ad gehennam vitandam, & beatitudinem conſequendam Chriſtiani fiunt: atque de his num. 27. ita loquitur: *Qui autem propter beatitudinem ſempiternam & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam ſanctis futura promittitur, vult fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, vere ipſe Chriſtianus eſt, cautus in omni tentatione, ne proſperis rebus corrumpatur, & in abundantia bonorum terrenorum modeſtus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens*. Hunc ergo ductum ſpe ſola ac timore juſtificatum fuiſſe in baptiſmo negabimus? Faceſſat ergo, concedatque dura hæc. & oppoſita Auguſtino ſententia. III. Non poteſt hæc effugere intortum in Queſnellum anathema. Aſſeruit Novator iſte hæreticas, erroneaſque propoſitiones illas: *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem: Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur: Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo: Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore: Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando*. Continentur hæc in Bulla *Unigenitus*, num. 60. & ſequentibus. Quiſquis Bullam hanc, uti decet, ſincero animo veneratur, (venerantur autem omnes præter illitos Queſnelli pice) profiteri debet veras eſſe propoſitiones oppoſitas, ac pœnitentiam ſolo timore animatam eſſe motum voluntatis liberum, cohibere interiorem animum, amovere a peccato, & conſequenter ad gratiam *ſufficienter* diſponere. IV. Quod ita res ſe habeat, manifeſta ſuadet ratio: nam certum eſt, timorem ſervilem excludere voluntatem peccandi; pri-

mum

mum quia ſi quis velit malum aliquod evitare, vult etiam evitare quidquid pertrahit ad ipſum malum. Sed qui habet attritionam ſervilem, vult vitare gahennam. Vult igitur atiam evitare peccatum, quod ad gehennam perducit. Et nota, quod argumentum iſtud non ſolum probat attritionem ſervilem retrahare ab externo actu peccati, ſed atiam evincit amovere ab interiori animi voluntate, ſiquidam & hæc voluntas trahit ad ſempiternum exitium. V. Et quidem ſi metus cohibere poteſt pravam cupiditatem, ſi caritati parare locum, ſi avertara ipſius peccati maliriam & pravitatem; quare intimam voluntatem non poteſt penitus immutare? Nonne magis aſt arduum atque præſtantius ad caritatem diſponere, & reluctautem animum coercare, quam ab illo avertere cupiditatam inhiantem peccato? Timor itaque ſi illud efficit, & hoc poteſt facere. VI. Saltem timor ſpei conjunctus debet quamlibet peccandi cupidinem amovere; nam ſpes, ſi afficaa ſit, vult adhibere media ad finem ultimum neceſſaria, omniaque vitara impedimenta, quæ obſtant ejuſdem finis conſecutioni. Hæc auim natura & indoles eſt deſiderii cujuſlibet efficacis, ut media ponat, ec tollat impedimenta, ſtudeatqua potiri bono quod axpetit. VII. Etiam iu Republica homines duplici rationa ercentur a malo, & ad virtutam inflammantur: improbi pœnarum intimatione; boni autem patriæ, & honaſtatis amore: quod & innuit Horatius Epiſtola xvi. ad Quinctium, alloquens malum civem,

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Duplicem hanc viam tenet Deus, impiis indignationem, nobis antem caritatem ſuam manifeſtans; ut illi convertautur timore pœnarum, iſti autem delectationa juſtitiæ. VIII. Quid ratiocinationibus opus eſt, cum ubique perſonet obſoletum illud, atqua vulgare pronuntiatum, *Accedens ad Sacramentum ex attrito fit contritus?*

Reſpondeo primam hujus claſſis argumentationem nullum nobis negotium facere, utpote qui timorem Dei bonum, perutilem, & ad gratiam diſponentem fateamur. Protegant ſe ergo, ſi valent, ab iſtiuſmodi talo, quo & nos ſtrauue illos petimus, aſſeclæ Lutheri, Janſenii, Queſnalli. Præterea dicimus cum Doctore Aquinate 2. 2. q. 19. art. 7. & 8. non alia ratione timorem Domini (ſi *timorem ſervilem* intelligamus) eſſe *initium ſapientiæ*, & peccatum expellare, niſi quatenus dilectionis principium eſt, eamque, *ſicut ſeta linum*, introducit: quam doctrinam lubentius amplectimur, quia traditam novimus eb Auguſtino. Si autam *de timore initiali* ſacras accipias litteras, quatenus per timoram initialem homo Deum reveretur, eiqua ſubjicitur, quod eſt prior veræ ſapientiæ effectus, ut eodem art. 7. docat Angalicus, vides, opinor, argumentationem in auctores caſſam inanemque redire. Cohærent hæc iiſdam, quæ objecta ſunt, locis: Nam in primo capite Eccleſiaſtici verſ. 12. legitur: *Timor Domini delectabit cor*, & 14. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia*; & rurſus 25. *Radix ſapientiæ eſt timere Deum:* item cap. xxv. 16. *Timor Domini initium dilectionis ejus.* Quid argo inaniter ludimus, quando tam aperta Scriptura ipſa teſtatur, ideo timorem aſſa initium ſapientiæ, ideo peccatum expellere, *quia eſt radix & initium amoris?* Id vero nihil aſt aliud, quam ſæpe inculcata doctrina Auguſtini, ſcribentis tract. 9. in Epiſt. Joan. num. 4. *Ergo incipiat timor, quia initium ſapientiæ timor Domini: timor quaſi locum præparat caritati.* Nota obiter aa verba *Timor Domini expellit peccatum*, deſiderari in nonnullis Græcis Verſionibus, etiam in Sixtina lxx. tom. 2. pag. 303. haberi tamen in vetuſtioribus, & apud Clementam Alaxandrinum lib. 1. Pædagogi cap. 8. ſed pro *Expellit*, eſt ibi, ἀπωθεῖται, ſcilicet, *deſpicit*, ſiva, *averſatur*. Hunc præterea locum Tridentina Synodus ſeſſ. vi. cap. 6. producit ad demonſtrandum, quod timor ſit diſpoſitio ed gratiam, ibi tamen exigens ulterius *initialem amorem*: Ideoqua juxta Tridentinum timor expellit peccatum, tamquam diſpoſitio quædam remota, eo pacto, quo ibidem ſacroſancta Synodus inter diſpoſitiones ad juſtificationem neceſſarias damonſtrat connumerandam eſſe fidem, & ſpem ex illo loco Matthæi 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Merito proinde, ut ad poſtremum Scripturæ locum deveniam, præcipitur nobis, ut gehennam timeamus. *Cum Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego ſum, Male times? Iſta non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas. Sed interroga te, ſi non te videret Deus, quando facis, nec quiſquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad omnia verba mea reſpondere, inſpice teipſum. Si faceres, ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas, caritatem nondum habes: ſerviliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, & perducat ad dilectionem.* Agnoſcis, opinor, Auguſtinum in ſerm. 161. n. 8. de timore loquentem. Præterire nolo, ipſum Dei timorem nobis præcipi, ut inde aſſurgamus ad caſtum ipſius amorem. Quare Deut. xxx. 15. legitur: *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum; ut diligas Dominum Deum tuum.* Eapropter, *in ipſa minarum intentatione tacite oſtendit Dominus ſuam in homines benevolentiam*, ut ex verbis Amos cap. iv. 12. demonſtrat citato libro Pædagogi pag. 117. ſanctus Clemens Alexandrinus. Sed de prima objectione dictum ſatis. Non aliud, ut axſuſſemus alteram, docent Patres; in quos conjiciens oculos miraberis complurium allucinationem. Et quamquam eorumdem Patrum proliae ſenſum expoſui, juvat tamen brevi objecta loca diſcutere. Baſilius in Pſalm. xxxiii. timorem, de quo agit, appellat τὸν τέλειον φόβον, *timorem perfectum*, quod ignoro, num de *ſervili* dictum ſit. Sed de quocunque loquatur, plurimum illum commendat, propterea quod *inſtituendæ vitæ noſtræ jaciat fundamenta*, ὑποθέσεις ἡμῶν τὴν ζωήν. Id vero non aſt aliud, quam cum Auguſtino facere timorem *legis pædagogum*. Ambroſius citato loco docens *clavis configi carnes a timore Dei*, ſupponit timorem conjunctum amori; præmiſarat enim: *Qui diligit Domini teſtimonia, configit clavis carnes ſuas*; additqua, num. 39. *Hanc imaginem clavi non ſolum timoris, ſed etiam caritatis affigunt*. Atque id etiam illud idem aſt, quod Auguſtinus in eumdem Pſalmum 118. ſerm. 25. num. 7. ait, configendas carnes *timore caſto, quo peccare timet caritas, etiamſi ſequatur impunitas.* Hieronymus item in primum Malachiæ docet valle Dominum non habere ſervos, ut a malis per ſuppliciorum formidinam recedamus. Sed addit valle primum, *ut filii ſimus, & bonum voluntate faciamus*; ſcilicat, quod & Auguſtinus noſter monnit quæſt. 36. ex lxxxiii. num. 2. *ut caritatis libertas pra ſervitute timoris emineat.* Ita nimirum Auguſtinus aliique Patres conſentiunt ad invicem. At, inquis, Auguſtinus ipſa docet oppoſitum. Ubinam, quæſo? Primo ait, tract. ix. in Joan. num. 4. *Excute aures, intende melodiam*, proſequitur eo loci Auguſtinus: *ſunt homines, qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipſe eſt timor ille, qui introducit caritatem; ſed ſic venit, ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem ſic times. Non bona deſideras, ſed mala caves. Sed ex eo quod mala caves, corrigis te, & incipis bona deſiderare. Cum bona deſiderare cœperis, erit in te amor caſtus.* Hoc ergo præſtat per Auguſtinum timor ſervilis; intrat, pungit, ſtimulat, occupat cor, *ut introducat caritatem*, & ſufficit ad tollendam putredinem, non ad ſanandum. In ſer. 161. poſt verba, quæ objiciuntur, hæc immediate addit; *Eſt enim quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus legis, littera eſt minans, nondum gratia juvans. Cuſtodiat tamen te timor iſte, dum non facis timendo, & veniet caritas; intrat in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres: caritas id agit, ut nolis facere, etiamſi impune poſſis admittere.* Ex quo vides ita per timorem ſervilem cohiberi interiorem animum a peccato, ut niſi ſuperveniat dilectio, manaat conditionata voluntas peccandi, ſi poſſat impune; cum hæc peccatum deteſtetur, ut ſæpe monui, tamquam cauſam ſuppliciorum, *non ſecundum ſe*, & tamquam offanſam Dei. Quod autem opponitur ex ſermone 156. ſolutum aſt, ſi Auguſtini verba a præcedenti periodo repetantur. Ita enim ea ſonant. *Qui adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum eſt inter filios: utinam tamen vel pœnam timeat. Timor ſervus eſt, caritas libera eſt; & ut ſic dicamus, timor eſt ſervus caritatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ. Veniet domina, & ſervus abſcedet, &c.* Ad poſtremum Auguſtini teſtimonium exſcriptum ex libro de Catech. rudibus, manifeſtum eſt appellari eo in loco *vere Chriſtianum* illum, qui ſpe cœleſtis regni & formidine gehennæ profitetur Chriſti religionem, quoniam *motivo* vere ſupernaturali, non timore mundano, aut ſpe inani, (quemadmodum ii, qui locantur in aliis duobus generibus) ad Baptiſmum accedit. Ille namque timor, & ſpes illa nonniſi ſuperna fide excitantur: qua non movetur qui fit Chriſtianus *humana commoda cupiens, vel incommoda fugiens*, ut legitur eodem libro cap. v. n. 9. An vero hac diſpoſitione ad Chriſtum veniens juſtificationem adipiſcatur, non quærit S. Pater hoc in loco, immo requirit, ut ſi ad æternam requiem pervenire velit, *plus amet Deum, quam timeat gehennam, adeo, ut etiamſi dicat illi Deus, utere deliciis carnalibus ſempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, ſed mecum tantummodo non eris, exhorreſcat, & omnino non peccet, non jam ut in illud, quod timebat, non incidat, ſed ne illum, quem ſic amat, offendat.* Reſponderi etiam poteſt, Auguſtinum in illo deſiderio beatitudinis ſupponere motum aliquem caritatis, cum vera beatitudo ſit adhærere Deo ſummo Bono, & *amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum, ſit amor caritatis*, ut ſupra diximus cum S. Thoma 1. 2. q. 65. art. 5. De propoſitionibus Queſnelli actum ſupra. Ad repellendam tamen falſam omnem & iniquam inſimulationem, da tis rurſus dicam. Quantum ſpectat ad ſeaageſimam, falſa illa aſt, atqua hæretica, cum certum ſit eum, quem pœnitet ex timore, pœnitere non coacte,

ſed

Digitized by Google

ſed libere ; & fide tenendum ſit, Deum timorem incutere, ut convertamur ad Dei miſericordiam, & in ſpem erigamur. Quapropter ſi timidi aliquando deſperent, non ideo deſperant quia timent, ſed quia ſunt fide atque ſpe deſtituti. Verum illa voluntas libera, niſi caritas introducatur, nondum odit peccatum ſecundum ſe, ſed tantum ut cauſam ſupplicii, ſervatque ad ipſam pœnitentiam quam agit, talem reluctantiam, ut non pœniteret, ſi poſſet impune. Quemadmodum ergo in timente requiſitur ſpes veniæ ne deſperet, ita requiritur motus ſanctæ dilectionis ut prorſus amoveatur peccati voluntas ; quoniam, ut ſæpe diximus, contraria contrariis pelluntur. Merito pariter damnata eſt proxima Queſnelliana propoſitio, nam timor præter cohibitionem manuum, ſive operis exterioris, cohibet effluentem animum, frangit vetuſtam conſuetudinem, & præparat locum caritati : ac tantum abeſt, ut addicat peccato, quin immo vere ab eo retrahit ; & licet ſeipſo ad juſtificationem non ſufficiat, facit tamen ut pœnitens ſtudeat adhibere ea, quæ ſufficiunt, inter quæ locum obtinet ſententia noſtra motus contritionis & amor. Dicam verbo ; timor ſervilis eſt impulſus Spiritus ſancti, ut definivit Synodus Tridentina, non inutilis & perniciosus ; ut inquit Novator ; ſed utrum ad juſtificationem in Sacramento ſufficiat, neque Synodus Tridentina definivit ſeſſ. XIV. neque Clemens XI. in Conſtitutione *Unigenitus*. Timendo autem perpetrari peccatum, obſervari legem Judaico more, & conſequi ea, quæ a Queſnello ſubjiciuntur, nemo noſtrum aſſeruit unquam ; neque enim aut timorem ſaluberrimum inter animi inquinamenta computamus, aut comminationem temporalium malorum, quam formidabant Judæi, comparandam dicimus timori, inculſo ab Evangelica quoque lege, æternorum ſuppliciorum. Ex quibus omnibus conſtat, quantum ab improbis Dogmatiſtis diſtent Auguſtinenſes Theologi, & quam immerito illi honeſtiſſimo illorum nomine glorientur. Quod opponitur quarto loco, perſpicue ſolutum eſt : ex Auguſtini enim, & S. Thomæ doctrina, necnon ex manifeſta ratione, qui vult malum evitare, effugit ea, quæ ad ipſum malum perducunt, quatenus cauſa illius ſunt, non *ſecundum ſe* conſiderata ; ideoque pœnitentiam agens ex ſolo pœnarum metu non odit peccatum quatenus eſt in ſe deteſtabile, & Deo injurioſum, ſed peccare vellet, ſi poſſet impune, atque, ut inquit Auguſtinus in Pſ. 127. num. 8. *Timore facit quicquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam.*

Gehennæ comminationem non legi in Veteri Teſtamento, advertit Auguſtinus in Pſ. cv. num. 36.

Nego itaque voluntatem timentis adeo eſſe efficacem, ut evitare velit quicquid impedit ſponſi amplexus, & averſetur pœnam damnatorum præcipuam, privationem ſcilicet ſummi Boni, ſi nullatenus inflammetur amore caſto. Atque, ut liberalis ſim, ſi voluntas non peccandi ſolo metu animata vere ſit efficax, nihil aliud conſequetur, niſi voluntatem hanc niti ad ponenda media, quibus gehenna evitatur, ideoque ad ſervanda præcepta, quorum illud eſt primum, maximumque, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Ad quintum reſpondeo ; quod cohibere interiorem animum, & parare locum caritati in Schola Auguſtiniana idem ſunt : *cum enim per timorem homines continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus*, inquit Auguſtinus ſer. nuper laudato n. 7. malitia autem, a qua avertit timor ſervilis, eſt quod peccatum ſit malum nobis, non quod ſit offenſa Dei : atque hoc poſtremum unuſquiſque inquit S. Thomas q. 3. ſupplem. art. 2. *plus debet odire, quia debet magis Deum, quam ſeipſum diligere.* Quod ſequitur de ſpe, diluitur eadem facilitate, ſiquidem ſi ſpes tendat *ad amorem ſpiritualem*, per quam adhæreat ſummo Bono, non eſt abſque caritate initiali, ſi autem habeat intentionem finis non ordinem, non eſt efficax, neque pulcherrimi ſponſi quærit amplexus : atque ut illud etiam large liberaliterque concedam, ſi efficax eſt, adnitetur ea perficere, quibus finem conſequimur, & memor verborum illorum, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, incipiet diligere Deum ſumme bonum, quem timet ſumme juſtum. Ad 7. dicimus rectiſſime Deum uti comminationibus ad convertendos ſceleſtiores : quos enim nondum delectat pulchritudo juſtitiæ, coercet terror ſupplicii. Verum non eſt pœnarum interminatio præcipuum converſionis *motivum* ; ſed occaſio quædam aut inſinuatio converſionis : etenim Deus ſe oſtendit iratum, ut quæramus amantem ; atque ut ajebat ſanctiſſimus æque ac ſapientiſſimus Inſtitutor in primo de Doctrina Chriſtiana cap. XV. 14. *Magnum timorem incutit negligentibus, ut ſe ad diligentiam convertant, eumque magis bene agendo deſiderent, quam male agendo formident.* In republica autem attenditur magis externum officium, quam cordis affectus ; non enim eſt rector civitatis, quemadmodum auctor ſæculi, *ſcrutator cordium*. Ceterum nec in ipſa republica laudantur qui ſervant legem ſola pœnarum formidine, & Horatii ad Quinctium plena ſententia hæc eſt :

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suſpectos laqueos, & opertum milvius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore :
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ ;
Sit ſpes fallendi : miſcebis ſacra profanis.

De proloquio demum Scholaſtico dictum ſupra. In unum conſtringam quæ fuere diſperſa. Non eſſe illud expreſſam Evangelii aſſertionem, aut definitionem Eccleſiaſticam, nec inveniri apud Auguſtinum, vel auctorem alium ejuſdem claſſis, immo dignum non eſſe, *cui bilances perpetuæ noſtræ ſalutis, aut damnationis confidamus*, fatetur in IV. diſt. 18. q. 3. art. 2. & diſt. 19. quæſt. 2. art. 6. Dominicus Soto. Quid ergo, ſi pronunciatum illud rejiceremus ? Deinde veteres Scholaſtici, inter quos S. Thomas quæſt. 28. de veritat. art. 8. attritionem a contritione diſtinguunt *per intenſionem doloris, & per informationem gratiæ*. in quorum proinde ſenſu ex attritis contriti fiunt, qui accedentes ad Sacramentum cum amore *initiali* recipiunt gratiam *habitualem*. Multi præterea, etiam poſt Tridentinum in eo ſenſu interpretantur effatum illud, quod attritioni accedat uberior gratia & motus ſanctæ dilectionis, huic vero per Sacramenti efficientiam remiſſio peccatorum ; ut diximus ſupra de Viguerio, Sonnio, Pallavicino, aliiſque viris doctiſſimis. In illorum ergo, & in antiquiorum illorum ſenſu vulgare pronuntiatum recipimus, & probamus ; in ſenſu autem adverſariorum (quos jam in ſecunda argumentationum congerie propellere, & propulſare ſtuduimus) minime, haudquaquam.

Ventum eſt ad claſſem illam oppoſitionum, quæ petuntur ex caritatis energia atque excellentia. Eo autem collineant, ut demonſtrent omnem amorem Dei benevolum juſtificare *ſe ſolo*, & conſequenter nihil collaturum fore Sacramentum, ſi ad ipſum prærequireretur actus aliquis caritatis. Itaque adverſantes nobis Theologi caritatem, quantumvis minima ſit, non poſſe cum peccato conſiſtere demonſtrant inſequentibus argumentis. Id primum caritati adtribuunt divinæ litteræ, quæ ut homo ſit juſtus & Deo acceptus, ad caritatem ipſam hortantur, non requiſita ejuſdem caritatis magnitudine atque vehementia, neque ullo diſcrimine facto inter caritatem prævalidam & remiſſam. Legitur enim Proverb. VIII. 17. *Ego diligentes me diligo.* Joannis XIV. 21. *Qui diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* In Epiſtola ad Rom. XIII. 10. *Plenitudo legis eſt dilectio.* In 1. Joannis IV. 7. *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt* ; atque in 1. Petri IV. 8. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* II. Tridentina Synodus expreſſe id definivit verbis illis ſeſſ. XIV. cap. 4. *Etſi contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur.* III. Conſpirant hac in re maximi Eccleſiæ Patres : Chryſoſtomus enim Hom. 7. in 2. Epiſtolam ad Timotheum ait, *Sicut ignis, ubi ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit, ita & caritatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit atque perrumpit.* Auguſtinus Tractatu V. in Epiſt. Joan. num. 3. *Non diſcernuntur*, inquit, *filii Dei a filiis diaboli, niſi caritate* : in Evangelium Joannis Tract. IX. de caritate ſcribit, *Quam cum habere cœperit homo, Spiritum ſanctum habebit ; quam ſi non habuerit, ſine Spiritu ſancto erit. Et quomodo corpus tuum ſine ſpiritu, quod eſt anima tua, ſi fuerit, mortuum eſt, ſic anima tua ſine Spiritu ſancto, ideſt, ſine caritate ſi fuerit, mortua deputabitur.* Item de natura & gratia cap. ultimo fatetur caritatem, licet ſit duntaxat inchoata, eſſe juſtitiam, dicens : *Caritas inchoata, inchoata juſtitia eſt ; caritas provecta, provecta juſtitia eſt ; caritas magna, magna juſtitia eſt ; caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* S. Gregorius Magnus in cap. 3. libri primi regum hæc habet : *Ex vi converſionis magnitudo deletur criminis ; vis autem converſionis eſt affectio caritatis cordi infuſa viſitatione ſancti Spiritus. Et ſcriptum eſt de eodem Spiritu, Quia ipſe peccatorum remiſſio eſt.* IV. Qui aſſerit caritatem poſſe conſiſtere cum reatu peccati, aſſentitur propoſitionibus in Bajo proſcriptis. 31. *Caritas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* 32. *Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* 70. *Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram caritatem, & caritas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.* Sunt aliæ apud Bajum hujus farinæ propoſitiones ab Apoſtolica Sede confixæ pariter, ac reprobatæ. V. Sanctus Thomas in 3. p. q. 70. art. 4. ait : *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis ; minima enim caritas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti* : atque in Supplem. q. V. art. 1. & 3. ſcribit peccatum ſolvi *per dolorem ex amore caritatis ordinato cauſatum, quantumcunque parvus ſit dolor, dummodo ad contritionis rationem ſufficiat.* VI. Hoc poſtremo demonſtratur rationibus Theologicis ; quarum prima eſt, quod caritas etiam initialis eſt caritas perfecta, atque, ut docet Bellarminus lib. 2. de Juſtificat. cap. 16. etiamſi actualis ſit, non *habitualis*, contrarie opponitur peccato, ideoque illud efficienter expellit, ſaltem *per modum ultimæ diſpoſitionis*, quam

ex

ex natura rei, & infallibili quodam nexu conſequitur infuſio gratiæ. VI. Sequitur ratio altera: Amor, quo diligitur creatura pluſquam Deus, reddit hominem impium, quamvis amor ille tenuis ſit ac remiſſus: igitur amor quo Deus diligitur ſuper omnia, quantumvis remiſſus ac minimus, reddit hominem juſtum. VII. Accedit proxima ratio: Intenſa & remiſſa caritas actualis ſpecie, ut ajunt Scholæ, non differunt; ſi ergo illa juſtificat, id præſtat & iſta. VIII. Argumentari etiam poſſunt: Si per intenſionem contritio imperfecta diſtinguatur a contritione perfecta, eodemque pacto diſtinguatur caritas a caritate; nemo diſcernere poterit, an contritionem perfectam habeat: ex quo neceſſum eſt oriatur magna animi anxietas ac perturbatio. IX. Urgent & illud: Quod præſtat habitus *habitualiter*, id facit *actualiter* actus. Igitur ſi caritas habitualis juſtificat *habitualiter*, caritas actualis *actualiter* juſtificabit. X. Tandem, ſi ſola actualis & imperfecta caritas natura ſua non traheret formam juſtitiæ, & Dei amicitiam, ii, qui morte proximi eliciunt contritionis actum, etiam cum voto Sacramenti, in æternum perirent: atque ita damnarentur qui Deum diligunt: quod nimis abſurdum eſt, & horrendum.

Priuſquam hæc argumenta diluam, ad memoriam revoco fuiſſe complurium antiquorum opinionem, neceſſariam eſſe in Sacramento pœnitentiæ contritionem caritate perfectam, atque apud Deum hominem juſtificantem, nec tamen opinionem illam fuiſſe expreſſa damnatione proſcriptam. Illam quippe propugnarunt præclari viri, Thomas Illyricus, Alphonſus Toſtatus, Rupertus Abbas, Innocentius Tertius, S. Raymundus, S. Bonaventura, aliique permulti; a quorum teſtimoniis colligendis eximunt nos Joannes Launojus, Morinus, Farvacquius, Le-Drou, Witaſſius, atque poſteriores Theologi accuratiſſimi. Viſum quoque prælaudato Morino pag. 41. prioris partis *de Contrit.* in eamdem ſententiam conſpiraſſe aliquando Doctorem Angelicum, cujus art. 2. q. 2. diſt. 21. in IV. hæc ſunt verba, *Confeſſio operatur præſuppoſita contritione, quæ culpam delet*. Movebat autem Theologos illos, quod Sacerdos neminem debeat ſolvere, quem prius Deus in gratiam ſuam non receperit: idque S. Raymundus in Summa lib. 3. de Pœnit. paragrapho 11. explicavit exemplo Lazari, quem prius ſuſcitavit Dominus, quam a diſcipulis ſolveretur, & eorum, qui lepra contaminati a Chriſto mundati ſunt, priuſquam accederent ad ſacerdotes. Nec tamen, ut dixi, hæc ſententia reprobata eſt ab Eccleſia; ſed illam in Tridentino Concilio a cenſura immunem oſtendit Tudetanus Epiſcopus ea ratione, quod *etſi Sacramentum Pœnitentiæ inveniat remiſſa peccata præeuntis contritionis efficacitate, id tamen præſtat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur*. Atque hanc Tudetani Epiſcopi aſſertionem explicat illuſtri exemplo deprompto a paſſione Chriſti, cujus intuitu juſtificati ſunt ſancti veteris fœderis, Leonardus Vanroy cap. IV. de Pœnit. q. 3. Eſt tamen inter cauſam meritoriam, qualis eſt paſſio Chriſti, & cauſam inſtrumentalem, cujus generis ſunt Sacramenta, diſcrimen aliquod. Verum quicquid ſit de ea Tudetani ratione, & de allati exempli convenientia; poſt Tridentinum Concilium Andreas Vega lib XIII. Comment. ejuſdem Conc. cap. 33. eadem recitata ſententia, quam agnoſcit eſſe Magiſtri ſent. Okami, S. Bonaventuræ, Alenſis, aliorumque, *Neque tamen*, inquit, *quod ita docuerint, cum illis ſenſiſſe exiſtimandi ſunt, qui abſolutionem Sacerdotum inanem crediderunt: nam & ad augmentum gratiæ, & ad remiſſionem debitæ pœnæ pro peccatis, omnibus rite ſua peccata confeſſis utilem eam eſſe tradiderunt, quod quidem ſtare poteſt, etiamſi nunquam prima gratia per eam conferretur; & hac ratione tueri eos poſſumus, ne videantur adverſari citatis ſupra Eccleſiæ definitionibus, quod Sacramenta novæ legis cauſent gratiam*. Ex quibus apparet plurimum illos allucinari, qui cenſent antiquiorum illorum ſententiam rejectam a Tridentino. Eo etiam nomine a cenſuris inuſtis in Bajanas propoſitiones immunis eſt, quod illi veteres remiſſionem peccatorum & gratiam *habitualem* a caritate perfecta minime ſegregabant; eamque, aut ſaltem augmentum illius adſcribebant Sacramento, cujus in perfecta contritione (etiam juxta Tridentini definitiones) votum includitur. Hæc autem ideo commemorata ſunt, ut opinionem illam antiquorum vindicaremus, atque ut percipiant adverſarii, non proinde nos futuros fore devictos, ſi fateremur neceſſariam in Sacramento contritionem & caritatem, quæ juſtificet apud Deum.

Ceterum nos & a ſententia illa recedimus, & negamus contritione, & dilectione Dei *propter ſe*, niſi vehemens ſit atque accenſa, peccata ſemper dimitti. Recedimus ab illa ſententia ob eas rationes, quæ nobis, & nobiſcum pugnantibus communes ſunt. Arbitramur enim conſulimus magis dignitati, & efficientiæ Sacramentorum novæ legis, ſi horum quædam etiam primam gratiam producant; cujus productionis cauſa dici ſolent *Sacramenta mortuorum*. Facilius etiam refutantur hoc pacto propoſitiones Michaelis Baji, & præſertim quinquageſima ſeptima, affirmans *peccatorem pœnitentem non vivificari miniſterio Sacerdotis*. Salvatur quoque melius judiciaria poteſtas collata Sacerdotibus remittendi peccata, quam poteſtatem exercent Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrantes. Expreſſa inſuper eſt doctrina Synodi Tridentinæ ſeſſ. XIV. cap. 4. & Catechiſmi Romani P. 2. cap. V. num. 36. caritate perfecta, & contritione acri & vehementi deleri peccata, *priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur*: nec probabile admodum eſt, in Sacramento talem contritionem requiri, quæ citra ipſum, & cum ſolo ipſius voto juſtificet. Inſuper proximo num. 37. præfati Catechiſmi aſſeritur *ex fidei Catholicæ doctrina* credendum, & conſtanter affirmandum eſſe, remitti vi clavium in Confeſſione ſcelera omnia, *Etiamſi pœnitens hujuſmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam ſatis eſſe poſſit*: quæ tamen verba non ſignificant id eſſe *dogma fidei*, ut interpretantur nonnulli, ſed quod *ex fidei doctrina* inferatur neceſſaria conſecutione; niſi aſſerere velimus Compilatores catechiſmi ignoraſſe, quæ in Tridentino Concilio geſta ſunt, & quæ nos paullo ſupra produximus. Denique etiam Clerus Gallicanus in ſæpe laudata declaratione anni 1700. in qua tamen requirit inchoatam Dei dilectionem, ait putandum non eſſe, ut neceſſaria ſit prævia contritio, *quæ ſit caritate perfecta, hominemque Deo reconciliet, antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur*. In hoc ergo cum adverſariis conſentimus, non eſſe in Confeſſione Sacramentali neceſſariam contritionem caritate perfectam, quæ prius juſtificet, & peccata dimittat.

At negamus hujus generis eſſe contritionem *initiali* duntaxat caritate animatam. Etenim inchoatæ dilectioni Tridentinos Patres adſcribere rationem ſolius diſpoſitionis ad juſtificationem, hanc vero tribuere, tanquam *cauſæ formali*, caritati quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inhabitantem, & quam ſcholæ appellant *habitualem*, dictum ſupra, nec opus eſt, ut iterum demonſtretur. Catechiſmus autem Romanus cit. num. 36. tribuit utique vim juſtificandi contritioni perfectæ, ſed quænam hæc ſit hiſce verbis deſcribit: *Ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, & intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit?* Inſuper Doctores noſtri afferunt exemplum Magdalenæ, quæ etſi ex amore caſto deteſtaretur peccata, priuſquam tamen Salvatoris præſentia, & impenſis amoris operibus augeretur illius caritas, inquinata erat & ſordida, ſcribente Auguſtino Sermone 99. num. 2. olim 23 ex 50. *Acceſſit autem ad Dominum immunda, ut rediret munda: acceſſit ægra, ut rediret ſana*; & Magno Gregorio Hom. 33. in Evangelia, *Nondum lota, ſed lavanda, ad fontem miſericordiæ cucurrit*. Proferunt & exemplum ipſiuſmet Auguſtini, qui libro IX. Confeſſionum cap. 2. ſuam ante Baptiſmum caritatem deſcribit; & nihilominus peccata ſua *horrenda & funerea* dimiſſa fuiſſe ſcribit *in Aqua ſancta*. Addunt Auguſtinum apertiſſime exigere dilectionem Dei a catechumenis, tum de Catechizandis rudibus cap. 4. ubi ait, diligenter curandum, ut catechumenus priuſquam regeneretur ſacro fonte baptiſmatis, *audiendo credat, credendo ſperet, ſperando amet*, & cap. 10. ubi inquit, præceptum illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, *pertinere ad baptizandum*: tum Tract. 13. & 96. in Joannem, ubi affirmat catechumenum, antequam ad baptiſmum veniat, etiamſi credat & diligat, portare adhuc *ſarcinam iniquitatis ſuæ*. Neque hoc poſtremum pronuntiat Auguſtinus de catechumenis baptiſmum dedignantibus (quod audio reſpondere nullos); non enim eſt vera caritas, ubi eſt contemptus Sacramentorum: ſed contra id ſcribit, *ne quis dedignetur baptizari*, baptiſmi contemptum non ſupponens, ſed ne ſubrepat inde admonens, quod catechumeno credenti, ſperanti, & diligenti, peccatum non dimittitur, *niſi cum venerit ad Baptiſmum*. Itaque ſententia noſtra eſt, ad hunc modum ſeſe invicem complecti caritatem, atque juſtitiam; ut ſi caritas ſit *habitualis*, quæ diffunditur per Spiritum ſanctum inhabitantem, habeatur juſtitia *habitualis* & inhærens: ſi caritas ſit adeo flagrans, ut pariat acerbitatem doloris acris atque vehementis, ſit ad juſtitiam inhærentem ultima diſpoſitio, cui ſtatim ſubſequatur *forma* ipſa juſtitiæ; ſi autem ſit caritas initialis, inchoata, & remiſſa, nequeat ad gratiam habitualem perducere, niſi augeatur & flammeſcat, aut ſuppleatur defectus ipſius per efficacitatem Sacramenti: ad eum fere modum, quo ſi ignis lignum pervadat, illudque, ut ajunt, *informet*, lignum fit ignis; ſi lignum ſummo afficiatur calore, confeſtim igneſcit; at ſi paululum caleſiat, ſitque viride aut humidum, nequit vi illius caloris incendi. Quamobrem non ſequitur, Caritas juſtificat, igitur qui habet amorem initialem, eſt juſtus; ſicuti non recte concluditur, ignis inflammat, ergo lignum mediocriter calefactum flammam concepit, & eſt ignitum. Hæc autem pro ampliori explicatione Auguſtinianæ ſententiæ hactenus producta decem illas argumentationes unico ictu ſubvertunt.

Reſpondeamus nihilo tamen minus ad ſingulas. Quod caritas deleat, operiatque multitudinem peccatorum, bene ſacræ litteræ affirmant: nam ſi caritas eſt *habitualis*, confert inhærentem juſtitiam; ſi actualis intenſa,

cum juſtitia ipſa connectitur; ſi initialis & inchoata, ad eamdem juſtitiam diſponit; atque talis eſt juſtitia, qualis eſt caritas; ut in libro de Natura & gratia inquit ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinus. Præterea caritas nos Dei amicos conſtituit, ſi cetera adhibeantur: etenim de timore etiam dictum eſt, *Timor Domini expellit peccatum*, Eccli. I. 27. Inde tamen nihil aliud inferunt adverſarii, niſi timorem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, & juſtificare, modo accedat virtus Sacramenti. Idem nos affirmamus de amore inchoato, ſi de iſto accipiantur loca ſcripturæ: nam ſi dicta velis de caritate diffuſa per Spiritum ſanctum inhabitantem, admittimus totum quantum eſt argumentum. Et quod de timore dixi, affirmo de fide, de qua ait Apoſtolus ad Romanos III. 28. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem*: necnon de ſpe, de qua in eadem Epiſtola VIII. 24. legitur; *Spe ſalvi facti ſumus*. Deinde ex quo Deus diligat diligentes ſe, ad eos veniat, in ipſis permaneat, illis peccata dimittat, qua, peto, illatione deducitur hæc omnia concedi non diligentibus? Si objecta demum teſtimonia inſpicias, cognoſces agi in Proverbiis de ſapientia, ad quam non perveniunt inertes, ſed qui ejus deſiderio inflammantur. Joannis XIV. 21. juſtis in dilectione manentibus promittitur manifeſtatio gloriæ, ut conſtat ex textu, demonſtratque Auguſtinus Tract. LXXV. num. 5. Apoſtolus ad Rom. III. 9. & 10. docet ad caritatem referri omnia legis præcepta. Joannes & Petrus in locis productis hortantur ad caritatem proximi, quoniam caritas eſt filiorum Dei character & nota, & qui diligit, habet in ſe vitam & ſpiritum Dei; moventem quidem, ſi actu diligat, inhabitantem vero, ſi exornatus ſit habitu caritatis. Hæc ad primam objectionem. Quod ſequitur, eſt facillimæ expeditionis: nam Tridentinum appellat *contritionem caritate perfectam*, quæ eſt acris, & vehemens; hac enim tantum remitti abſque Sacramento peccata, tanquam rem omnibus manifeſtam affirmat Catechiſmus Romanus; ac poteſt id erui ex ipſo Concilio, a quo amor initialis requiritur, *ne pœnitentia ſit infructuoſa*, prout docet Hiſtoricus præſtantiſſimus. Eſt inſuper ſententia Suarez 3. p. q. 85. diſput. 4. ſect. 2. non oportere, ut quæ a Tridentino dicuntur de contritione caritate perfectæ conjuncta, intelligantur *de actu*; cum accipi poſſint *de infuſione gratiæ, & caritatis*. Ad teſtimonia Patrum, quæ objecta ſunt tertio loco, primum reſpondeo non ſolum ab his commendari caritatem, verum etiam inculcari caritatis præceptum, quo non obſtringi pœnitentes, dum veniam a Deo petunt, affirmare quidem poſſunt adverſarii, perſuadere non poſſunt. Deinde Chryſoſtomus loquitur de caritate fervida & vehementi, qua juſti adverſa omnia propellunt; quod vel ſatis commonſtrant duo illa verba τὴν ἀγάπης θερμότητα, *fervor caritatis*. At S. Gregorius in caput 3. I. Regum pertractat quæſtionem, an ſalvetur qui pœnitentiam agit morti proximus, & reſpondet ſalvari, ſi viſitetur a Spiritu ſancto, qui *ut ſe menti infuderit, eam protinus in peccatorum & vitiorum odia, & in virtutum amorem ineffabiliter excitat*: immo in ea converſione exigit *tantum amoris ignem, qui conſumere in animo poſſit omnem congeſtam peccati rubiginem*. Vide edit. Vatic. pag. 72. Nihil ergo adverſus nos iſti faciunt, cum Gregorius nec Pœnitentiæ Sacramentum excludat, nec loquatur de quocumque genere converſionis; & ſolum pertractet de exitu mortis: in quo reperiri poteſt, ut dicam infra, ratio aliqua peculiaris. Auguſtini autem verba, tum producta, tum alia plurima, ſunt omnia recte ſapienterque prolata, quippe quæ in caritate agnoſcunt ſpiritalem vitam, ac Spiritum ſanctum, eo modo, quo habetur ipſamet caritas, ideſt inhabitantem, ſi caritas ſit inhærens; moventem ad perfectam contritionem, ſi caritas ſit actualis intenſa; diſponentem ad gratiam, ſi caritas ſit initialis & inchoata. Sunt enim in vita ſpirituali, atque in ipſa juſtitia diſtinguendi motus & actus hominis ſe diſponentis ad gratiam, qui excitantur auxilio gratiæ actualis, a forma juſtitiæ, quæ infunditur per gratiam habitualem: unde in Bajo proſcriptæ fuere propoſitiones 62. & 63. negantes hanc diſtinctionem duplicis juſtitiæ, & duplicis vivificationis, ut dicam modo. Quod ergo ad Bajum ſpectat, cujus propoſitiones 31. 32. & 70. nobis objiciuntur; quis crederet ſententiam noſtram in urbe Roma, magiſtra veritatis, & coram Apoſtolica Sede potuiſſe hactenus propugnari, ſi vel minima Bajanæ labis fuligine foret adſperſa? At propugnatur, atque approbantibus viris doctiſſimis libri illam tenaciſſime defendentes prodeunt in lucem, ſummis quoque Pontificibus conſecrati, ut teſtantur Theologica opera Franciſci Genetti, Friderici Gavardi, Lamberti Le-Drou, Franciſci Mariæ Campioni, ut mittam alios ſexcentos alibi excuſos. Immunis eſt ergo, ut oſtendi prop. I. capitis præced. hæc ſententia ab omni Bajani erroris ſuſpicione. Et revera hujus poſitiones non de caritate *initiali*, ſed de caritate *habituali*, quam Bajus ab actuali non ſecernebat, prolatæ ſunt; ut fatetur Franciſcus Suarez cit. diſput. 4. & ſect. 7. quamquam Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 13. ſcribat loquutum Bajum de caritate flagranti & perfecta; quod pariter nobis non adverſatur. Apparet mens Baii ex prop. 43. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in catechumenis ante baptiſmum eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum*: ex 62. *Illa diſtinctio duplicis juſtitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus ſancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, qua divinæ legis juſtificatio impleatur, ut odioſiſſima & pertinaciſſima rejicitur*: atque ex proxima 63. *Denique & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur, alterius, qua vivificatur qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, commentitia judicatur, & ſcripturis minime congruens*. In hoc ergo ſitus eſt error Baji, quod non ſecernat *habitualem* ab actuali juſtitia; ideoque toto cælo diſtant a Bajo qui docent per caritatem habitualem impium juſtificari, & per actualem diſponi ad juſtificationem, diſcrimen duplicis juſtitiæ, & duplicis vivificationis a Bajo ſublatum apertiſſime tradentes & propugnantes. Plura ſunt alia ad Baji propoſitiones ſpectantia, quæ legi poſſunt apud memoratum Le-Drou diſſert. IV. cap. 1. & in Confut. diſcuſſionis Auguſtini *Micheli*, cap. XI. §. 4. necnon apud Vitaſſium pag. 214. edit. Venetæ, & Le Drouet tom. 2. pag. 103. quæ exſcribere non oportet. Circa doctrinam S. Thomæ reſpondet auctor nuper laudatus, accipiendum eſſe de gratia habituali, & de contritione per eamdem gratiam formata: quod utique perſpicuum erit legenti eumdem ſanctum Thomam, ſeſe manifeſtius, quam faciant ſinguli Commentatores, explanantem. Subjectæ ratiocinationes paucis exſufflamus, ad priorem quippe dicimus, amorem initialem eſſe caritatem *perfectam* comparate ad objectum, non reſpectu converſionis cordis, & motus animi. Inſuper fatemur eumdem amorem oppoſi amori noxio *contrarie*: at etiam contraria ſe invicem patiuntur, niſi intenſa ſint; & præſertim ſimul conſiſtunt diſpoſitio duntaxat inchoata & forma oppoſita, prout explicavi rerum naturalium comparatione. Objectio, quæ ſequitur, ob duplicem cauſam nulla eſt: primum quia datur aliqua ad creaturam converſio, quæ tamen non infert maculam lethalis culpæ, ut contingit in veniali peccato: deinde quia converſio actualis ad Deum non inducit natura ſua gratiam ſanctificantem; ſed ex Dei promiſſione, & miniſterio Sacramentorum; ut diximus diſſerentes de Juſtificatione libro XIX. cap. 6. & 7. Proxima oppoſitio nullius eſt roboris; non enim omnia, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, pollent eadem energia, uti conſtat ex calore remiſſo, atque intenſo. Ad octavam dico, hac de cauſa confugiendum ad Sacramenta, quæ gratiam ſupra diſpoſitionem ſuſcipientium producunt, ut quieſcat anxietas & perturbatio animorum. Si vero Sacramenta nequeant miniſtrari, admittendum ut doloris acerbitas æquari poſſit cum magnitudine ſcelerum: quod ait Catechiſmus Romanus, ac tradiderunt Cyprianus de lapſis, Auguſtinus cap. 65. Enchiridii, aliique Patres: Nona, quæ eſt cavillatio cujuſdam Auguſtiniani a patria inſtitutione degeneris, extruditur hac veteri urbanitate: Igitur caritas actualis juſtificat actualiter *juſtitia actus*, concedo; *juſtitia habitus*, nego. Ad poſtremam reſpondemus cum Chriſtiano Lupo in hac diſſertat. pag. 544. Opuſc. veteris editionis, in *mortis* caſu votum Sacramenti eumdem ac Sacramentum ipſum conferre effectum; tunc enim Sacramenti ſuſceptionem, ut inquit Innocentius III. lib. 3. decret. tit. 43. cap. 2. *non contemptus Religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit*, quæ verba deprompta ſunt ex Auguſtino lib. IV. de Baptiſmo cap. 22. nu. 29. Amplectimur hanc ſententiam, quod videatur conſona Patribus, & Eccleſiæ definitionibus ibidem productis a Lupo; ex quibus apparet commendandam in orationibus atque oblationibus memoriam Catechumenorum, qui morte præventi non potuerunt ſacro lavacro regenerari. Ad memoriam tamen revoco, quæ idem ſapientiſſimus Auctor ſubjicit pag. 548. ex Epiſtola nonageſima prima ſancti Leonis Magni: *Non neceſſe eſt nos eorum, qui ſic obierint, merita actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod ſacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit, ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum autem utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur*. Utiliſſimo hoc monito extrema perſequor.

Adverſus tandem ſententiam noſtram quædam minoris momenti objiciuntur, quorum aliqua petuntur ex efficacia Sacramenti, aliqua vero ex oppoſitæ ſententiæ celebritate. Quorum primum eſt, Pœnitentiam eſſe *ſacramentum mortuorum*, ideoque produci vi illius gratiam ſanctificantem in pœnitentibus, quamvis nullo caritatis actu vivificentur. Cum inſuper Sacramenta novæ legis gratiam conferant efficientia ſua, & *ex opere operato*, dummodo non inveniant obicem in ſubjecto; dicendum eſt efficacitate Pœnitentiæ gratiam tribui accedentibus cum timore ſervili, quoniam idem timor non eſt impedimentum ad gratiam, ſed diſpoſitio. Inſuper ſi amor Dei pro-

pter

Digitized by Google

pter ſe neceſſarius eſſet ad juſtificationem in lege nova, nullam haberet hæc lex dignitatem ſupra legem veterem, in qua non erat reconciliationis Sacramentum, & nihilominus impii ſe ad Deum toto animo convertentes contrahebant priſtinam cum illo amicitiam. Præter hæc autem ſententia, quæ defendit ſufficientiam attritionis ſervilis, habet patronos innumeros cujuſcumque ordinis, doctiſſimos ac celeberrimos: eſt autem in moralibus validum argumentum plurimorum conſenſio. Deinde Alexander VII. in decreto ſuo anni 1667. de ſententia negante neceſſitatem aliqualis dilectionis in attritione ex metu gehennæ concepta, *Quæ hodie* (inquit) *inter Scholaſticos communior videtur*. Conformatur denique eadem ſententia communi praxi, & multum confert ad animarum tranquillitatem, fovendamque ſpem veniæ; cum oppoſita pauciorum ſit, aſperior, & altrix pavoris atque anxitudinis. Atque hæc ſunt argumenta, quæ adverſarii poſtrema incurſione naviter intentant.

Reſpondent ad 1. nonnulli cum Jaenio in Comment. de Sacr. pag. edit. Lugdun. 550. Pœnitentiam dici *Sacramentum mortuorum*, etiamſi adminiſtretur juſtis, aut impiis caritate flagrantibus, affectuſque dolore acerbiſſimo; necnon tali nomine fuiſſe Sacramentum hoc deſignandum, quamvis eſſet vere antiquiorum quorumdam opinio aſſerentium neceſſitatem caritatis *habitualis*: de qua opinione dictum ſupra. Verum hiſce in caſibus Pœnitentia eo nomenclatura poniretur, non quod actu *mortuum* vivificaret, ſed quia vivificare poſſet, aut vivificaſſet reipſa præcedens in voto; nec reſponſio illa locum habet in communiori, & e nobis etiam recepta ſententia, propugnante Sacramentum illud vere nondum juſtificatis vitam ſpiritualem, remiſſionem peccatorum, & gratiam primam conferre. Dicendum ergo Pœnitentiam eſſe Sacramentum mortuorum, quia confertur non habentibus *vivificationem* & gratiam inhærentem, quæ diffunditur per Spiritum ſanctum inhabitantem, licet habeant *vivificationem illam* & gratiam actualem, quæ excitatur per Spiritum ſanctum moventem; qua ſi deſtituti eſſent, non ſolum non poſſent diligere, ut oportet, ad hoc ut juſtificationis gratiam conſequantur, verum etiam nec credere, nec ſperare, nec agere pœnitentiam, ut docet fides Catholica, & definit Synodus Tridentina. In altero autem argumento immorandum non eſt, cum ex dictis appareat timorem ſervilem non eſſe quidem impedimentum ad gratiam, poſſe tamen cum impedimento ad gratiam ſimul conſiſtere ſcilicet cum voluntate peccandi, quatenus peccatum eſt Dei offenſa. Ad tertium abunde ſufficiunt quæ volumine II. pag. 202. ſcripſi de ſuavitate legis Evangelicæ, & quæ ad conſimilem objectionem reſpondi eodem volumine pag. 254. Ibi enim oſtendi nullum eſſe facilius & dulcius præceptum illo, quo nobis præcipitur dilectio Dei; dilectionem ipſam Chriſtianæ legis eſſe notam & characterem; nonniſi iis, qui non diligunt, difficilia eſſe mandata Dei; atque, ut ait Auguſtinus in locis ibidem laudatis, laborem non eſſe ubi eſt caritas, caritate omnia reddi facilia, atque duo caritatis præcepta non eſſe pondus onerari, ſed alas geminas volaturi. Innumera etiam nos ad Dei amorem invitant, atque illud maximum divinæ erga nos caritatis argumentum, quod cum inimici eſſemus, Unigenitum ſuum pro nobis tradidit hominem factum, & crucifixum. Nunc vero cum a nobis veniam petentibus amorem exiget, atque ipſe amore præveniat, amorem inſpiret, ad amorem provocet, grave id, atque aſperum exiſtimabimus? At *jugum ſuave, & onus leve* appellat Dominus amantiſſimus. Hæc cum ita ſint, recens quidam Theologus (Witaſſium dico pag. 217.) recte exiſtimavit objectionem, in qua verſamur, admiratione dignam eſſe, non reſponſione. „ Hoc, inquit, piis auribus intolerandum eſt, quod Theologi reperti fuerint in eo novæ legis ſupra veterem excellentiam collocantes: quod adeo noſtræ religionis decus non eſt, ut etiam hominis opprobrium ſit. Non ita profecto e majoribus inſtituti ſumus. Ita ne vero quanto majoribus a Deo cumulati ſumus beneficiis, tanto minus eum diligere tenebimur? Abſit a nobis tam turpe privilegium; commentitiam illam de non amando Deo prærogativam abdicemus „. At ne videar eludere oppoſitum argumentum oratoria declamatione; reſpondeo inſuper contritionem, quæ ſine Sacramento dimittit peccata, eſſe vehementem, & acrem, atque tam intenſam, ut doloris acerbitas conferri poſſit cum ſcelerum magnitudine, ut docet nos Catechiſmus Romanus de Pœnit. n. 36. Talis ergo contritio neceſſaria erat in lege veteri, in qua pœnitentium unus ajebat, *Rugiebam a gemitu cordis mei, Cinerem tanquam panem manducabam, Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*, atque alia plura vehementiſſime dolentis indicia. At hoc præſtat nobis inſtitutum a Chriſto Sacramentum, ut etiamſi non maceremur tanta acerbitate doloris, juſtificemur tamen, atque de hoc etiam certiores reddamur ſacrorum miniſtrorum abſolutione. Quamobrem Catechiſmus magna illa contritione deſcripta, *At quoniam*, inquit, *pauci admodum ad hunc gradum cum pervenirent, fiebat etiam ut a pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet; quare neceſſe fuit, ut clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret: quod quidem admirabili conſilio effecit, cum claves regni cælorum Eccleſiæ tradidit*. Hoc itaque eſt noſtrum in Lege Evangelica commodum, atque emolumentum.

Auctores ac patroni ſententiæ oppoſitæ, quamquam ſunt innumeri, fatentur ſententiam ſuam non eſſe indubitatam, & nonnulli ſcribunt ignotam fuiſſe majoribus, plurimi tenendam negant in mortis articulo, quidam etiam monent in praxi abjiciendam; ideoque fruſtra nobis illorum auctorum opponitur multitudo. Audiamus unum ex recentioribus, Franciſcum Hennum, qui poſteaquam pro attritione ſervili pugnavit acerrime, diſput. XIV. de Pœnit. art. 9. fatetur, quod non videatur prudenter agere qui ſententiam illam teneat in praxi: „ Primo ob numerum & gravitatem contradicentium. Secundo ob eorum rationes non ſpernendas, tum ex Auguſtino, tum ex aliis Patribus, tum ex antiquis Theologis, tum etiam ex Tridentino deſumptas. Tertio quia authoritati, quam ex Tridentino deſumpſerat ſententia noſtra, non parum detraxit Tridentina Pallavicini Hiſtoria ex Actis originalibus ejuſdem Concilii deſumpta, ubi aſſerit per expulſionem harum particularum, *Verum etiam ſufficere*, nempe attritionem, *ad hujus Sacramenti conſtitutionem*, nihil voluiſſe circa materiam hic agitatam decidere. Quarto quia ante Tridentinum vix, aut ne vix reperiebantur auctores, qui in terminis dicebant ſufficere attritionem ſine aliquo Dei amore benevolo. Quinto quia etiam præcipui ſententiæ noſtræ patroni nolunt eam ſaltem in articulo mortis practicandam, *ob grave*, ut ajunt, *damnationis periculum*: ſi grave periculum; ergo non tanta certitudo „. Hæc ille tom. 2. pag. edit. Venetæ 420. Ita adverſarii ſuamet evertunt machinamenta. Quod addunt ex Alexandro VII. nihil optamus magis, quam ut ejus decretum ſancte ac religioſe ſervetur: ceterum Pontifex dum *communiorem* dixit ſententiam de ſufficientia attritionis ſervilis, conſulto addidit adverbium temporis *Hodie*, ne quis exiſtimaret in illa extitiſſe majores noſtros: appoſite quoque uſus eſt verbo *Videtur*, non enim omnes, qui tenent attritionis ſufficientiam, de *ſervili* loquuntur; ſed plures illam a contritione diſtinguunt ratione graduum: complures alii de *ſervili* pertractantes eo ſenſu ajunt ſufficere, quatenus accedentibus ad Sacramentum ſupervenit timori actus aliquis caritatis. Hi autem *videntur* utique tradere attritionis ſervilis ſufficientiam: ſed non tradunt. Nec aliquid modo aſſerimus, quod non fuerit in hac diſſertatione evidentiſſime comprobatum. Praxim deinde nobis objiciunt: et quam praxim? Pœnitentium ne? Puto neminem eſſe adeo ingratum offerenti Deo veniam, qui non curet excitare in ſe ſcintillulam caritatis; atque ſi hujus generis ſit aliquis, eum juſtificari nimium confidenter aſſeritur. Intelligis vero praxim Confeſſariorum? Et hos arbitror dare operam, ut pœnitentem hortentur ad Deum diligendum: ſiquidem Dominicus Soto, quamvis pugnet pro attritione, in IV. tamen diſt. 18. art. 2. *Revera*, inquit, *eum, qui mihi diceret non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem*. Ceteri ſi audeant, *timendum*, ait Hieronymus Hartt pag. 77. *ne in illis veriſſimum ſit axioma, Sacramentum conferimus, non ſecuritatem*. Quæ demum dicta ſunt de ſententiæ noſtræ aſperitate, ultro fatebimur talem videri non habentibus caritatem; ſiquidem rectiſſime ajebat Auguſtinus Tract. IX. in Epiſt. Joan. num. I. *Ubi caritas non eſt, amarus exactor eſt*. Utrum vero ſententia hæc noſtra pariat animorum anxietatem, an pacem, experiri quiſque poterit, modo, ut ipſius Auguſtini utar phraſi, ambulare ſtudeat *in latitudine amoris, non in timoris anguſtiis*. Vide S. P. ſerm. XI. in Pſalmum 118. num. I. Sed jam ad ampliſſimæ hujus quæſtionis finem perveni: nec aliud addam, niſi quæ dulciſſimus Parens ſcribit Tract. VIII. in Epiſt. Joan. n. II. *Hæc dixi, Fratres, & longiuſcule: tamen quia vehementius commendanda fuit caritati veſtræ caritas ipſa, ideo commendanda ſic erat. Si enim caritas nulla eſt in vobis, nihil diximus. Si autem eſt in vobis, tanquam oleum in flammas adjecimus: & in quo non erat, forte verbis accenſa eſt*.

Digitized by Google

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBRI TRIGESIMI QUARTI PARS ALTERA,

In qua diſcutiuntur complura ad CONFESSIONEM, *atque ad* SATISFACTIONEM *ſpectantia.*

ETSI de Pœnitentiæ Sacramento in prima hujus libri parte plura conſcripſi, præſertim vero multus fui in explicanda & vindicanda ſententia, quæ amoris initialis neceſſitatem propugnat, id, quod Auguſtinianæ Scholæ vetus & conſtans aſſertio, atque adverſariorum numerus & auctoritas magnopere poſtulabat; non omnia tamen expedivi, quæ ſpectant ad eiuſdem Sacramenti perfectionem & amplitudinem: ſed veſtiganda & diſcutienda remanent complura alia, circa peccatorum confeſſionem ac ſatisfactionem, Catholicæ Eccleſiæ dogmata, & placita Theologorum. Fateor equidem, ut de controverſiis ceteris, ita de his, quas aggredior, diſſeruiſſe propemodum innumeros auctores, ob quorum immenſa commentaria, librorumque editorum ingentem copiam Theologicæ lucubrationes minori pretio æſtimantur; quumque idem ſæpiſſime repetant, atque interdum ſophiſticis dialogiſmis, verborumque aſperitate ac barbarie non offendant modo, ſed excrucient, enecentque auribus prurientes; adverſa fortuna non ſtudioſorum teruntur manibus, ſed abroduntur a tineis, & quod longe deterius eſt, fiunt ſalſamentorum involucra, ſive, quod Epigrammatis ſuis pertimeſcebat Valerius Martialis, thuris, piperiſque cuculli. Verum adlaboravi pro mea virili, humaniſſime Candidate, ut ex illa Scriptorum congerie in unum corpus utiliora redigerentur, & vario quodam litterariæ eruditionis apparatu, ſibique conſtanti methodo pulcherrima hæc & nobiliſſima ſcientiarum omnium incederet exornata, atque illi facultates aliæ, ut decet, famularentur, divitiarumque ſuarum aliquod tributum perſolverent; ut ipſam a contumeliis profanorum hominum eriperem, quidquid virium, ingeniique in me eſt, quod probe ſentio quam parum ſit, impendens in ejus obſequium, cultorumque ſuorum utilitatem & commodum. At cum agendum mihi eſſet de Pœnitentia, undequaque ab hæreticis oppugnata, a laxioribus quibuſdam mollius & perniacioſe propoſita, ab aliis contra aſperrime & rigidiſſime, neglecta autem & conculcata ab iis, qui ſibi quærunt patrocinia peccandi, & remedia peccatorum contemnunt; præter diligentiam, quam ſtudui in ceteris diſſertationibus adhibere, curavi utiliſſimas præceptiones inſerere, documenta probatiſſimorum virorum colligere, ac ſibimet blandientium conſcientiarum dolos fraudeſque detegere. Ita futurum ſpero, ut rudis hæc diſſertatio gerentibus bellum adverſus hæreſes, diſceptantibus inter domeſticos, excipientibus fidelium confeſſiones, fidelibus ipſis patrata ſcelera enuntiaturis, necnon a ſuggeſtu Chriſtianam plebem erudientibus magnum conferat emolumentum. Quod ſi fiat, iiſque ſingulis, quibus forte offenſionibus, perditiſque moribus damnum maximum intuli: opera, ſtilo, ac induſtria mea referam boni aliquid, & pro ſua erga me ſumma beneficentia & caritate compenſationem hanc minimam dulciſſimus piiſſimuſque generis noſtri Auctor, Reparator, & Dominus ratam habeat; me percepiſſe fructum hujus laboris uberrimum prædicabo. Interim vero, quoniam nemo noſtrum ignorat ſaluberrimum illud parentis noſtri Auguſtini in Pſalmum viceſimum primum eloquium; *Quando homo detegit, Deus tegit; cum homo celat, Deus nudat; cum homo agnoſcit, Deus ignoſcit*: de iis, quæ de peccatorum enuntiatione & accuſatione tradenda ſunt, dicere inſtituamus.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentalis Confeſſionis neceſſitate, ac præcepto.

ALTERA itaque Sacramenti Pœnitentiæ pars, de qua nobis diſſerendum eſt modo, eſt peccatorum Confeſſio. Triplicis generis confeſſionem Theologi, Patreſque commemorant, fidei nimirum, laudis, & peccatorum; ac de priori confeſſione ait Dominus Matt. x. 32. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, &c.* de confeſſione laudis Matth. xi. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, &c.* de confeſſione denique peccatorum legitur in prima Joannis epiſtola, 1. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra*. Igitur confeſſio fidei ea eſt, qua exterius profitemur Chriſti nomen ac religionem; unde & Apoſtolicum ſymbolum appellatur *confeſſio* ab Auguſtino cap. 24. Enchiridii, & fideles dicuntur *confeſſi* lib. 1. de Civ. Dei cap. 35. Illam quoque templorum partem, in qua requieſcunt Martyrum corpora, & quam Patres frequenter appellant *ſedem, & locum Sanctorum*, juxta vetuſta Acta paſſionis Theodoti Ancyrani apud Ruinartium, juxta Martyrologium Romanum pridie nonas Julias, & Caſſiodorum libro x. epiſt. 11. vulgaris conſuetudo ſermonis, ob fidem a Martyribus affuſo ſanguine confirmatam, appellare ſolet apud Græcos quidem *Martyrium*, apud Latinos autem *Confeſſionem*. At confeſſio laudis illa eſt, qua ſumma Dei bonitas, juſtitia, caritas, & ineffabilis erga homines beneficentia commendantur, & prædicantur; atque de hac confeſſione plura in Pſalm. 117. ſerm. 29. & 67. præclariſſimus Auguſtinus. Poſſunt vero hæ duæ confeſſiones, fidei & laudis, inveniri abſque confeſſione peccatorum; ſed confeſſio peccatorum, ſi fiat ut oportet, nequit eſſe ſine confeſſione laudis & fidei; quandoquidem neceſſum eſt confitentem peccata ſua ſperare, & credere, ideoque intimo ſaltem animo quæ revelata ſunt profiteri, ac Patris, qui nobis propter Chriſtum propitius redditur, laudibus proſequi ſummam, maximamque miſerationem.

Peccatorum confeſſio, quam diximus hoc ipſo Volumine pagina 131. dici etiam Græco vocabulo *Exomologeſim*, eſt peccatorum accuſatio, quæ ad Sacramenti genus pertinet, eo fine ſuſcepta, ut virtute clavium veniam impetremus. Tradit hanc definitionem, illamque perſpicue explicat Catechiſmus Romanus P. 2. cap. 5. n. 39. Docet dici *accuſationem*, quod peccata non ita commemoranda ſint, quaſi ſcelera noſtra oſtentemus, aut rem aliquam geſtam otioſis auditoribus delectandi gratia exponamus, ſed accuſatoris animo, eadem peccata in nobis vindicare cupientes. Addit hanc confeſſionem fieri *veniæ impetrandæ cauſa*, quod longe differat hoc judicium a forenſibus capitalium rerum quæſtionibus, in quibus confeſſioni ſupplicium, non erratorum venia ſtatuitur: quæ adeo manifeſta ſunt, ut nulla alia egeant explicatione.

Confeſſioni peccatorum adſtrictos olim fuiſſe Judæos commonſtrat erudito Commentario Joannes Morinus lib. ix. de Adminiſtr. Pœnit. cap. 33. ac ſequentibus. In feſto quippe Expiationum menſis ſeptimi, ideſt *Tiſcri*, de quo Levit. xvi. 30. *In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris*, conſueviſſe Judæos ſemel iterumque patrata ſcelera confiteri, probat vir doctiſſimus ex libro 3. de Pœnitentia Moſis Cordubenſis, ex Moſe filio Maimonidis, ex Thalmudiſtis in Tract. Joma cap. 8. aliiſque plurimis Hebraicæ eruditionis monimentis. Profert etiam Morinus exemplar confeſſionis, quam Judæi in ipſa Expiationis die ſolent emittere, in varia capita diſtributam, litteriſque Alphabeticis diſpoſitam; perſequitur illius ritum, demonſtratque præter generalem illam Confeſſionem, quam in omnium conventu Chazan (Diaconum dixeris) publice exponit, unumquemque Judæorum muſſando pronuntiare quæ perpetravit, binoſque in peculiarem Scholæ locum recedere, ibique unum alteri quadraginta ictus ſcorteo flagello infligere, dum interim qui cæditur peccata narrat, & pectus plangit. Tradunt ſimilia Buxtorfius in libro, quem inſcripſit *Synagoga Judaica*, & in Quæſtionibus Alnetanis libro ii. cap. 20. num. 4. clariſſimus Daniel Huetius Epiſcopus Abrincenſis.

Idem Huetius nuper laudatus ex profanis ſcriptoribus oſtendit, etiam apud Ethnicos in conſuetudine fuiſſe poſitum, ut in ſe ipſis patratum ſcelus pœnitentia & confeſſione vindicarent. Producit autem ad hoc comprobandum quæ ſcribunt Plato in Phædone, Ariſtoteles in Antonii Meliſſa, Plutarchus de Superſtitione pertractans, & in triceſimum octavum caput Epicteti Simplicius. Narrat quoque vir ille eximius, qua ratione aperiant conſcientiæ labem ſenioribus, quos *Caſios* vocant, Gauri moribus veterum Perſarum addicti, ritumque plane horrendum ac formidandum, quo a ſuis Sacerdotibus ad publicam peccatorum confeſſionem edendam compelluntur Siamenſes ac Japonenſes ex alta rupe ſuſpenſi. Hos accurate imaginibus delineatos exhibet in Ceremoniarum deſcriptione Picardus. Ex his

ergo

ergo conſtat cum Judæis, tum gentibus perſuaſum ac præceptum fuiſſe, ad hoc ut peccatorum venia impetretur, non tantum animo crimina repetenda eſſe, verum etiam proferenda ore, aſſumptiſque vindicationibus expianda.

Mirandum propterea eſt, confeſſionem illam, quam Catholica Eccleſia neceſſariam deprædicat, etſi liberrima eſt, ad aures hominis facta, expers proinde cujuslibet contumeliæ ac dedecoris, & tanti emolumenti, ut ſacrorum miniſtrorum abſolutione accedente, pariat firmiſſimam ſpem reconciliationis, animique tranquillitatem, cenſeri tamen a perditiſſimis hæreticis ritum quemdam prorſus tyrannicum, legem graviſſimam & intolerabilem, trucemque conſcientiarum carnificinam. Inter eos, qui confeſſionem damnarunt, connumerat Bellarminus lib. 3. de Pœnit. cap. 1. Novatianos, ac Montaniſtas; qua in re Bellarminum falli putant plerique ſecentiorum; immerito tamen, ut demonſtravi pag. 133. hujus Voluminis allata illarum hæreſum variatione. Acceſſerunt octavo exeunte ſæculo, ac nono ineunte quidam obſcuri nominis, qui aſſeruerunt ſoli Deo peccata eſſe aperienda, ut conſtat ex canone 33. Concilii II. Cabilonenſis, ex Alcuino Epiſt. 71. & Magiſtro ſententiarum in IV. diſt. 17. ſæculo XIV. Wiclefus, tametſi Pœnitentiæ ſacramentum non omnino rejecit, docuit tamen confeſſionem inſtituti eſſe Eccleſiaſtici, & inutilem ac ſuperfluam, *ſi homo debite fuerit contritus*, prout apparet ex articulo illius ſeptimo, cum aliis proſcripto ſeſſ. VIII. Concilii Conſtantienſis. Impegit in eumdem lapidem Petrus Oxonienſis anno 1478. damnatus a Sixto IV. Lutherus parum ſibi conſtans confeſſionem peccatorum in libro de Captiv. Babylon. commendat ſummopere; at in Aſſertione noni articuli inter damnatos a Leone X. illam appellat *cruentiſſimam carnificinam*, & in libro contra Latomum, aliiſque in locis negat confeſſionem eſſe divino jure præſcriptam, atque in ea omnia cordis peccata, etſi mortifera ſint, eſſe aperienda. Gerunt Luthero morem Joannes Œcolampadius, & Philippus Melanchthon, quamquam ille fateatur confeſſionem manifeſtatum culparum, quam ab Eccleſia exiſtimat fuiſſe inductam, minime cenſendam eſſe oneroſam. Apparet ex variis Lutheranorum confeſſionibus, Auguſtana præſertim, & Witthembergenſi, ab his hæreticis non aboleri prorſus confeſſionem, & confeſſis duntaxat & abſolutis porrigi Euchariſtiam; ſed tamen nefaria hæc dogmata ſtatui, nempe, confeſſionem ſacramentalem ad aures Sacerdotis ſecreto factam non eſſe divinæ inſtitutionis: non confeſſionem iſtam, ſed publicam tantum pœnitentiam commendari ab Eccleſiæ Patribus, qui præceſſerunt Lateranenſe Concilium, ſæculo 13. celebratum, perutilem tamen eſſe eamdem confeſſionem propter abſolutionis beneficium, cum abſolutio ſit vox Dei, & mandato Dei pronuncietur, ideoque valeat plurimum ad excitandam illam fidem, quæ ſola in hæreticorum ſententia juſtificat: at enumerationem delictorum neceſſariam non eſſe, nec onerandas conſcientias cura enumerandi omnia delicta, cum id impoſſibile ſit, ut reſtatur Pſalmus, *Delicta quis intelligit?* & item Jeremias, *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile*: affirmare denique veteres omnes ſcriptores, quod ea delictorum enumeratio minime ſit neceſſaria. Inter Scriptores iſtos recenſentur in Confeſſione Auguſtana Gratianus, aliique Canoniſtæ; addit Grotius in Annotatis ad Conſultationem Caſſandri Scotum, & quoſdam alios Theologos commemoratos ab Acoſta; quos falſo, & imperite ait negaſſe neceſſitatem enumerationis ſingulorum lethalium criminum *in memoriam venientium*. Subſcribit demum Lutheranis Calvinus, qui lib. 3. Inſtitut. cap. 4. fatetur ex confeſſione ſingularem fructum referri, nec negat vetuſtiſſimum eſſe illius uſum: at contendit unicuique eſſe liberum, nec ullum adinveniri de confeſſione præceptum ante Innocentium III. & Synodum Lateranenſem; eſſe propterea hujus præcepti intimationem rem peſtilentem, *multiſque nominibus Eccleſiæ noxiam*. Hujuſmodi ſententiam toto niſu propugnare ſtuduit quatuor libris de hoc argumento conſcriptis recentior Calviniſta Dallæus.

Ut recta methodo prava hæreticorum dogmata refutentur, quinque hac diſſertatione præſtabo. Oſtendam priori loco Sacramentalem Confeſſionem lapſis poſt baptiſmum divino jure præſcribi: deinde ſecretam illam, quæ dicitur Auricularis, eſſe retinendam ex inſtitutione majorum, & quovis Eccleſiæ ſæculo obtinuiſſe: tum convenire cum Eccleſiæ Patribus Gratianum, & Doctores Scholaſticos: ulterius confeſſionem ad ſalutem neceſſariam eſſe; omnium denique mortalium criminum, quæ poſt diligentem diſcuſſionem occurrant memoriæ, faciendam eſſe enumerationem.

PROPOSITIO I. E ſacris litteris demonſtratur divinum Sacramentalis Confeſſionis præceptum.

In veteri Teſtamento plura ſunt, quæ peccatorum confeſſionem commendant, ut quod tranſgreſſorem Adam Deus quæſierit Geneſ. III. 9. illum adigens ad patrati ſceleris accuſationem: quod pariter fratricidam Cain eadem ratione interpellaverit, ut narratur capite quarto: quod inſuper patratum crimen accuſarint Achan coram Joſue, Saul coram Samuel, & David coram Nathan. Fuerunt etiam complura ad confeſſionem faciendam hortamenta ac præcepta, ut Num. V. 6. *Vir, ſive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, confitebuntur peccatum ſuum.* Levit. XXVI. 40. *Affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas.* Pſ. XXXI. 5. *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*; aliaque id genus plurima. Acceſſerunt diverſa pro peccatis ſacrificia, quæ utique offerri abſque peccatorum confeſſione non poterant; ac præceptum impoſitum tam leproſis, ut Sacerdotibus propriam detegerent fœditatem, quam Sacerdotibus ipſis, ut ſedulo inter lepram, ac lepram diſcernerent. Utuntur ſane his, & conſimilibus locis ad comprobandam ſacramentalis confeſſionis neceſſitatem Patrum, atque Theologorum quamplures. Exempla enim Adami & Caini confeſſioni ſacramentali aptant Tertullianus libro 2. adverſus Marcionem, Ambroſius in libro de Paradiſo capite 10. & de Cain & Abel cap. 9. Gregorius libro 27. Moralium cap. 13. aliique laudati in Diſceptationibus Calvinicis a Franciſco Panicarola. Idem de reliquis eſt aſſerendum, præſertim de judicio leproſi: in quo ſacramentalem confeſſionem faciendam Sacerdoti agnoſcunt Gratianus de Pœnit. diſt. 1. cap. *Voluiſſent*, Anſelmus in caput 17. Lucæ, & Petrus Bleſenſis initio libri, quem edidit de Confeſſione. Verum cum inſtitutio confeſſionis ſacramentalis ad novam pertineat legem, non aliud evincunt hæc omnia, niſi ejuſdem confeſſionis plura ſymbola præceſſiſſe, eamque fuiſſe præmonſtratam, haud ſecus, ac in veterum purificationibus baptiſmus, atque in Levitarum initiatione ſacer Ordo præfulſit; prænunciatum nempe fuiſſe humilem hunc pœnitentium actum, qui futurus erat ſacramenti vi ſua juſtificantis *materia*. Atque eam ob rem, quæ ex veteri Teſtamento poſſent depromi, ſat mihi erit indigitaſſe.

Igitur propoſitio ex novo Teſtamento invictiſſima demonſtratur. Enimvero ex capite XVIII. Matthæi, & XX. Joannis conſtat ſacerdotem a Domino conſtitutum fuiſſe in foro Pœnitentiæ judicem, eique collatam poteſtatem ligandi ac ſolvendi, retinendi ac remittendi peccata: ſiquidem de poteſtate hac univerſa Eccleſia Majorum ſuorum documentis formata ſemper interpretata eſt verba illa, *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c.* necnon alia, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Ac ad hanc poteſtatem rite exercendam neceſſaria eſt ſacramentalis confeſſio, quam hæretici primum, ut ludibrio illam exponerent, deinde vero etiam catholicorum nonnulli *Auricularem* dixere. Hujus igitur confeſſionis neceſſitas apertiſſima novi Teſtamenti auctoritate fulcitur. Majorem vero, ut inquiunt, demonſtravi ſecundo præcedentis diſſertationis capite productis Patrum teſtimoniis, & vindicata ſacroſancti Tridentini Concilii doctrina. Ab his proinde repetendis abſtineo. Minor facili ratione ſuadetur; nam ut judex, non præcipiti & imprudenti, ſed juſto, rectiſſimoque judicio proferat ſententiam, opus eſt, ut diſtincte cauſam perſpectam habeat: quod animadvertentes Tridentini Patres ſeſſ. XIV. cap. 5. *Conſtat enim* (inquit) *ſacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Præclare etiam Alcuinus præcitata Epiſtola LXXI. *Quid ſolvit ſacerdotalis poteſtas, ſi vincula non conſiderat ligati? Ceſſabunt opera medici, ſi vulnera non oſtendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus expectant, quanto magis vulnera animæ ſpiritalis medici ſolatia depoſcunt?* Expreſſit id in Paſchali Opere libro IV. C. Sedulius, ubi de muliere peccatrice,

> . . . . . *Magna eſt medicina fateri*
> *Quod nocet abſcondi, quoniam ſua vulnera nutrit*
> *Qui tegit, & palam trepidat nudare medenti.*

Idem Calvinus argumenti hujus vim ſentiens non alia arte illam nititur declinare, niſi negando ſacerdotes fuiſſe a Domino conſtitutos reconciliationis miniſtros & ſcelerum judices: *Nam quod contendunt* (ait ille lib. 3. Inſtit. cap. IV. num. 18.) *non poſſe fieri judicium niſi cauſa cognita, in promptu eſt ſolutio, temere hoc ſibi arrogare qui ſunt a ſeipſis judices creati.* Cum ergo ſacerdotes ſint revera judices a Domino delegati, nequeunt, hæreſiarcha fatente, rectum judicium non perſpecta, nec agnita cauſa proferre.

Accedunt quæ leguntur Act. XIX. 18. *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Eſtius, tametſi diſt. XVII. 5. affirmet hoc loco non valde premi adverſarios, propterea quod a pleriſque in alium ſenſum accipiatur, cenſet tamen magna probabilitate inde colligi faciendam ſacerdoti confeſſionem. Arbitror ego non eſſe infirmam hujuſmodi probationem. Participium enim Græcum τῶν πιστευκότων, *credentium*, cum ſit præteriti temporis, innuit confeſſionem baptizatorum. Ea quoque verba, *annunciantes actus ſuos*, indicant ſingulorum peccatorum enumerationem: quare Lutherus, ac Brentius, ne hinc cogerentur ſacramentalem confeſſionem admittere, *actus* interpretati ſunt *miracula*. Sed inepta eſt hujuſmodi interpretatio: primo quia non recte dixeris mirabilia a Deo patrata τὰς πράξεις αὐτῶν, *ipſorum regeneratorum opera*: deinde quia fideles ad confeſſionem illam adacti dicuntur ingenti timore, incuſſo a dæmone in improbos exorciſtas inſiliente: rurſus quia Syri legunt eo loci, מְחַוֵין בְּסַכְלוּתְהוֹן, meſchthahin ſachelautheun, *annunciabant delicta ſua*, vel, ut in Bibliis Waltonianis tom. V. pag. 594. *offenſas ſuas, confitebanturque quod fecerant*; inſuper quia confeſſionem pecca-

catorum iſtic intellexerunt Chryſoſtomus, Œcumenius, aliique interpretes: præterea quia S. Baſilius in Regulis brevioribus n. 288. producto ea Apoſtolicis actibus exemplo infert *neceſſarium eſſe apud illos exomologeſim peccatorum facere, quibus credita ſunt divina myſteria*, ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα: denique, quia Calvinus ipſe, Kemnitius, atque Centuriatores fatentur egi hoc in loco de confeſſione peccatorum, at generali tantum, qua Epheſii agnoſcebant actiones ſuas ad normam verbi Dei non congruere. Ceterum & hæc poſtrema hæreticorum evaſio ludicra eſt, & commentitia, quandoquidem Syriacum vocabulum, a אשׁוּ, *ſchahà* derivatum, diſtinctam enumerationem ſignificat: & Græcus non tantum ibidem habet ἀναγγέλλειν, quod eſt, *palam denunciare*, verum etiam ἐξομολογεῖν, ſcilicet, *confiteri*: ex quorum verborum diſtinctione colligunt Stapletonius, Bellarminus, aliique viri doctiſſimi, non tantum Epheſios publice traditis libris ſuperſtitionem ejuraſſe, verum & edidiſſe ſingulorum criminum *exomologeſim*, ſeu confeſſionem. Ea quibus fas eſt ad hunc plane modum ratiocinari. Sacramentalis confeſſio eſt ſingulorum lethalium peccatorum enumeratio facta apud Antiſtites divinorum myſteriorum diſpenſatores. Hanc peccatorum enumerationem commendant Acta Apoſtolica. Igitur Acta Apoſtolica commemorant, commendantque confeſſionem ſacramentalem.

Illuſtris eſt etiam locus ille Jacobi v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*: quem locum de confeſſione ſacramentali acceperunt Auctor librorum de Viſitatione infirmorum in Appendice tomi VI. Operum Auguſtini lib. 2. cap. 4. Alcuinus citata Epiſt. 71. Venerabilis Beda in Commentario ejuſdem Epiſtulæ, Hugo Victorinus libro 2. de Sacrem. parte 14. cap. 1. necnon in dialogo de Pœnitentia Simeon Theſſalonicenſium Archiepiſcopus. Ita autem interpretantur adverbium illud, *alterutrum*, quaſi ſit, ut Alcuini utar verbis, *Homo homini, reus judici, ægrotus medico*. Animadvertit Simeon Theſſalonicenſis valere illud plurimum ad verecondiam ſuperandam, ſiquidem cum omnes infirmi ſimus, vibiceſque, ac livores peccatorum geſtantes, invicem humiliari, & ab invicem ſanari debemus. Adeas Morinum in Appendice ad libros de Pœnit. pag. 133. Plana eſt ergo hujus loci intelligentia, quam tradit Calmet, & cum illo nobiliſſimi alii interpretes, ad obtinendam veniam & abſolutionem a Chriſti miniſtris, aperiende eſſe peccata, ſive coram Eccleſia, ſi publica ſint; ſive ſecreto, ſi occulta. Atque hæc interpretatio plurimum Jacobi ſcopo cohæret, cum ibidem ſermo ſit de infirmo laborante, & a presbyteris illi adminiſtrantibus Sacramentum Extremæ Unctionis veniam petente. Aptiſſime igitur duo hæc loca accipiuntur de Sacramentali confeſſione; quamvis primus magis expreſſus ſit, decretorius, atque invictiſſimus.

Levia ſunt, quæ adverſus poſitionem iſtam opponunt hæretici. Primo enim negant poteſtatem clavium Eccleſiæ miniſtris factam aliud eſſe præter munus declarandi quod apud Deum peccata dimiſſa ſint; quæ eſt remiſſio certa, cum nuntii Evangelii poſſint credentibus juſtitiam *per Chriſti fidem* polliceri, & e contra abſolutio a Catholicis propugnata imaginaria ſit, & peccatores anxios, animoque ſuſpenſos relinquat. Ajunt deinde, utut hæc poteſtas concedatur, nulli competere, niſi qui prius donati fuerint *Spiritu ſancto*; ideoque fruſtra eam jactare ſacerdotes noſtros eodem Spiritu deſtitutos. Addunt præterea ſolum Deum peccata dimittere, quemadmodum Iſaias cap. 43. & Marcus Evangeliſta cap. 2. teſtantur. Illud etiam opponunt, poteſtatem clavium exerceri etiam in baptiſmate, de quo nonnulli Patrum explicarunt ea verba, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.* nec tamen baptiſmati præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Ita, inquiunt, haud recte ſtatuitur hujus confeſſionis neceſſitas ex quo Eccleſiæ miniſtris datum ſit ſolvere, aut ligare quæ patrantur a baptizatis. Accedunt quæ Alcuini tempore objiciebant quidam laici nolentes malefacta ſua prodere ſacerdotibus, commendari ſcilicet in ſacris litteris confeſſionem ſoli Deo, non hominibus factam: ait namque Regius Vates pſalmo XXXI. 5. *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*, & pſ. XCI. 1. *Bonum eſt confiteri Domino*.

Obviam hæc omnia ſolutionem habent ea dicendis paullo infra cap. 7. *de poteſtate clavium*. Negatur interim hac poteſtate ſolam declarationem importari, ſiquidem ſacerdotes non annuntiandi tantum, ſed & ligandi, ac ſolvendi donati ſunt munere, eodemque utentes non dicunt, *Declaro te ſolutum eſſe a peccatis*, ſed, *Te abſolvo*: atque hoc magis conſcientiam noſtram exhilerat, quam faciat inanis hæreticorum fiducia. Quod addunt de ſacerdotibus non habentibus *Spiritum ſanctum*, ſi quid evinceret, nihil probaret aliud, niſi improbos in peccato mortali exiſtentes non poſſe quemquam abſolvere, quod fuit Donatiſtarum, aliorumque deliramentum, refutatum cap. XIV. libri tricefimi. Verum neque hic error inde eruitur, ſive *Spiritus ſancti* nomine intelligatur, non gratia ſanctificans, ſed poteſtas; ſive dicatur Spiritum ſanctum etiam per ſceleſtos miniſtros aliis communicari; ſive diſtinguantur ea quæ Chriſtus contulit diſcipulis, ut poſſent ſacramenta conficere, ab iis, quæ ſimul cumulate impertivit, ut illa non tantum valide, ſed etiam ſancte adminiſtrarent. Quæ cum auctoritate & ratione comprobaverim quartodecimo capite nuper citato, addam hoc tantummodo, hæreticos ipſos ſuamet argumentatione refelli, quandoquidem nuntiis Evangelicis ineſſe credunt confictam a ſe clavium poteſtatem, ſeu Spiritu ſancto ſint exornati, ſeu ſceleroſi & improbi, ſeu etiam myſteriorum divinorum ſubſannatores. Inter baptiſmum autem, ac Pœnitentiam diſcrimen eſt maximum: nam in baptiſmo homo regeneratur Chriſto, renaſcitur, adoptatur Eccleſiæ; ideoque nudum ſacramenti miniſterium exercent ii, qui baptizant. At in Pœnitentia abſolvunt, peccatorum cauſas dijudicant, opera ſatiſfactionis imponunt; neque nudum exercent miniſterium, ſed cum miniſterio judicium, & cum judicio ægrotantium animorum ſanationem; quæ duo apta nequeunt fieri, niſi aperiantur occulta crimina, & putrida vulnera detegantur. Scripturæ denique commendant confeſſionem Deo faciendam, ſed non improbant illam, quæ fit hominibus. Ipſe David, cujus ſunt producta ſuperius verba, & qui ſe arguebat coram Domino, teſtem confeſſionis ſuæ voluit habere Prophetam: ac Salomon Proverbiorum XXVIII. 13. ajebat, *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*. Certe Deo, qui omnia ſcrutatur, ſcelera nequeunt abſcondi; & ideo, ne hominibus abſcondantur, hortatur Salomon. Fit præterea confeſſio coram Domino, quæ fit coram miniſtris ab eo conſtitutis, eodemque Pſalmo 31. ait ſanctus David, *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea*, ſcilicet, ut Auguſtinus exponit Enarrat. 1. num. 3. *Quoniam non protuli ore confeſſionem*. Pro verbo quoque illo *Confitebor*, Hieronymus, Auguſtinus, Caſſianus, & Pſalterium Romanum habent, *Pronuntiabo, quo oſtendit* (ut inquit Enarratione allcta num. 15. Sanctus Pater) *quia nondum ore pronuntiaverat*. Poſſet itaque ex hoc etiam loco erui exterior peccatorum confeſſio hominibus facienda. At Pſalmus nonageſimus primus *confeſſionem laudis* proponit, quam diximus etiam in peccatorum confeſſione inveniri, quatenus gloriam dat Deo quiſquis ſibi iniquitatem, & ipſi Deo gratiam & benignitatem adtribuit. Nullum ergo hinc infertur confeſſioni ſacramentali præjudicium: quamquam, ut monui, nos hujus neceſſitatem oſtendimus ex novo, non ex veteri Teſtamento. Profecto ex quo Deus ſolus auctoritate ſuprema, ſibique propria dimittat peccata, inepte infertur ea non dimittere ſacerdotum miniſterio atque officio; quemadmodum ex quo ſolus mirabilia operetur, concludi nequit numquam per ſubjectam ſibi creaturam mirabilia patrare. Sed de hoc argumento dictum ſatis in ſuperiori hujus libri diſſertatione cap. 2. Adeas ergo hujus voluminis pag. 135.

PROPOSITIO II. Eadem ſacramentalis confeſſionis neceſſitas ex Majorum traditione, & ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ uſu habet robur ac firmitatem.

Et quidem traditionem iſtam primo demonſtrare nitar ex Romanis Pontificibus, ut appareat palmare mendacium hæreticorum, autumantium ante Innocentium III. nullum Romanorum Antiſtitum ſacramentalem confeſſionem inculcaſſe, ſed hanc eſſe ejuſdem Innocentii inventum: deinde vero ne illuc ſe vertant, ut damnent Romanæ Eccleſiæ ſtatuta, proferam Conciliorum definitiones; atque ne his etiam inurant notam erroris, teſtimonia adjiciam Patrum illuſtriorum. Quod ergo ſpectat ad Romanos Pontifices; ne miſſum faciam Clementem, qui ſummum Pontificatum adeptus eſt anno Chriſtiani nominis 68. prætereamque ſecundam ejus ad Corinthios epiſtolam, in qua pag. 176. edit. Cotelerii lapſis indicitur peccatorum confeſſio, necnon inſcriptas illi Conſtitutiones Apoſtolicas confeſſionem ipſam præſcribentes lib. 7. cap. 14. pag. 367. ut, inquam, hæc prætermittam, apparet ex Eccleſiaſtica Euſebii Hiſtoria lib. 6. cap. 34. pag. edit. Valeſii 232. ſanctum Fabianum, qui tertio ſæculo Eccleſiam rexit, Philippo Cæſari ad Eccleſiæ conventum accedenti in poſtrema Paſchæ vigilia (verus ne Chriſtianus, an religionis ſimulator fuerit Philippus, nil moror) non permiſiſſe ſacrorum aditum, *priuſquam confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque qui humanitus lapſi fuerant, & in pœnitentium ordine ſtabant, ſeſe adjunxiſſet*; quod libro V. cap. 25. pag. 374. narrans Nicephorus obſervat Philippum aggregatum fuiſſe loco, & ordini eorum pœnitentium, *qui juxta diſciplinam Eccleſiæ præmiſſa ſcelerum ſuorum confeſſione explorabantur*. Vidit hæc illuſtris Baronius ad annum 846. nu. 5. Innocentii primi epiſtola ad Decentium anno 416. conſcripta num. 7. hæc habet: *De pœnitentibus vero, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Ceterum de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc debere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*. Quo in loco, etſi fiat ſermo de ſolemni peccatorum reconciliatione in majori hebdomada facienda, conſtat nihilominus confeſſionem huic reconciliationi fuiſſe præmiſſam,

injun-

injunctamque judiciaria ſacerdotis auctoritate *congruam ſatisfactionem*. Ex iis inſuper, quæ ſubjiciuntur, *eo ante tempus Paſchæ relaxandum, qui deſperata valetudine inciderit in ægritudinem*, apparet ſumma ejuſdem reconciliationis, atque abſolutionis neceſſitas. Extat hoc Innocentii reſcriptum de Conſecrat. diſt. 3. cap. *De pœnitentibus vero*, nec non in ſecundo volumine Conciliorum Coll. Labbeanæ pag. 1247. Exhibet Volumen tertium pag. 1373. epiſtolam Sancti Leonis primi octuageſimam, & in recentioribus editionibus 136. datam Ricimere Conſule, anno ſcilicet 459. in qua de ſecreta confeſſione, adverſus nonnullos publicam requirentes, habetur ineluctabile hoc teſtimonium: *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri (de pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus poſtulatur) ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice recitetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur; tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea quæ Pœnitentiam poſcunt non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis*. Hæc ſane intelligi nequeunt de publica manifeſtorum criminum accuſatione, ideoque ſplendidiſſime mentiuntur hæretici, dum ajunt hanc duntaxat publicam confeſſionem ante Innocentii tertii ætatem obtinuiſſe. Hujus confeſſionis ſecretæ, quam ſufficere hac in Epiſtola docet apertiſſime Leo Magnus, neceſſitatem commonſtret epiſtola alias 91. nunc 82. ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem, ubi ait: *Multum enim utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur*: atque paullo infra, *Unde oportet unumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec ſatisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat, quem periculoſe ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum ſpatium ſe reſervet incertum; cum poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium vel confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis*. Magnus Gregorius permulta ſcripſit de peccatorum Confeſſione libro 3. Moralium in caput 7. Jobi num. 37. ac 38. itemque lib. 29. in caput 38. num. 29. de confeſſione autem Sacramentali exquiſite Hom. 26. in Evangelia num. 6. ubi verſans ea Domini verba, *Quorum remiſeritis*, &c. *Videndum eſt*, ait, *quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat*: ibique proferens quæ a Chriſto in ſuſcitatione Lazari geſta ſunt, hæc ſubjicit: *Lazaro ergo dicitur*, Veni foras, *ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur, Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant diſcipuli; ut Paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de ſolutionis ordine breviter dixerim: ut ſub magno moderamine Paſtores Eccleſiæ vel ſolvere ſtudeant, vel ligare*. Quis negabit Gregorium de confeſſione occultorum criminum, & quidem Eccleſiæ miniſtris facienda, hoc in loco fuiſſe locutum? Prædeceſſorum ergo ſuorum veſtigiis inſiſtens, non arbitratu ſuo, neque ſtudio novitatis inducendæ, Innocentius III. ſæculo tertiodecimo in Lateranenſi Concilio ſacramentalem confeſſionem ſemel ſaltem in anno faciendam præſcripſit, ſeu potius præſcriptæ jam, & a Majoribus traditæ tempus determinavit: quod oſtendunt præcedentium Pontificum acta, confirmat ipſum Lateranenſe decretum cap. *Omnis utriuſque ſexus*, &c. de confeſſione, & communione, non tunc inſtitutis, ſed pro Paſchali tempore præceptis, expreſſe latum; comprobatque univerſus Patrum conſeſſus, eique obtemperans univerſalis Eccleſia, decretum ipſum, utpote ſpectans ad rem pervetuſta conſuetudine roboratam, atque magnopere neceſſariam, ſumma reverentia complectens. Quare impudentiſſime hæretici mentiuntur, dum Innocentium III. faciunt primum Confeſſionis Sacramentalis inſtitutorem.

Neque vero Romani Pontifices eamdem confeſſionem præcipientes aberraſſe dicendi ſunt ab Apoſtolicis diviniſque ſtatutis: nam præterquamquod ſunt illi divinarum inſtitutionum cuſtodes integerrimi, & immunes a labe erroris interpretes; aperte adſtruunt ipſius confeſſionis neceſſitatem vetera, & recentiora Concilia. Inter quæ Laodicenum in Phrygia auctore Nunechio Metropolitano paullo ante Nicæni tempora celebratum canone 4. præcipiens ut pœnitentibus, qui perſeverant in oratione, atque humilitate τῆς ἐξομολογήσεως, *confeſſionis*, ſtatuatur pœnitentiæ tempus & qualitas κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος, *ſecundum proportionem delicti*, ſupponit proculdubio enumerationem peccatorum diſtinctam. Vide primum Conciliorum Volumen prope finem. Cabilonenſis coacti ſedente Martino II. circa annum 650. tom. 2. pag. 389. habetur canon numero octavus: *De pœnitentia vero peccatorum, utilem hominibus eſſe cenſemus: & ut pœnitentibus a ſacerdotibus data confeſſione indicatur pœnitentia, univerſitas ſacerdotum noſcitur conſentire*. Trullanum, ſeu Quiniſextum an. 692. edidit centeſimum ſecundum canonem, *Oportet eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem a Deo accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus, qui peccavit ad converſionem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem afferre medicinam, ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus qui laborat ſalute excidat. Non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinans; ex quibus malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis conſiſtat. Quare qui medicinæ ſcientiam in ſpiritu profitetur, oportet eum primum ejus, qui peccavit, affectionem conſiderare, & ſive vergit ad ſanitatem, ſive contra propriis moribus provocat in ſe morbum, adſpicere; quomodo ejus, quæ intercedit vitæ rationis, converſioniſque curam gerat*: tom. VI. pag. 1185. Obſecro nunc, qua ratione valeant ſacerdotes dijudicare pœnitentium affectionem, diſcernere interioris ſpiritus ægritudines, iiſque præbere congruum, idoneumque medicamentum, ſi penes peccantium arbitrium eſt unum, aut alterum crimen detegere, ac prodere erumpentia duntaxat vulnera, non intus ſerpentia venena? Huic Trullano canoni addit eruditus Scholiaſtes Chriſtianus Lupus caput 34. Vormatienſis Synodi habitæ ſub Adriano II. atque caput viceſimum quintum Londinenſis coactæ ab Huberto Archiepiſcopo Cantuarienſi. Addo Cabilonenſem alteram anni 813. quæ canone 32. eos damnat, *qui dum confitentur peccata ſua ſacerdotibus, non plena id faciunt*, & canone proximo quoſdam alios, *qui dicunt Deo ſolummodo confiteri debere peccata*, illam quoque rationem producens, quod Deus ſalutis ac ſanitatis largitor, hanc non tantum operetur inviſibili adminiſtratione potentiæ ſuæ, verum etiam *medicorum operatione*. Adi volumen Conciliorum ſeptimum. Sapienter itaque Innocentius III. & Lateranenſe Concilium quartum in cap. *Omnis utriuſque*, tom. XI. pag. 173. memorata ſacerdotum poteſtate ſolvendi atque ligandi, *Sacerdos autem* (ſubjicit) *ſi diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum*. Similia Tridentinum Concilium ſeſſ. XIV. cap. 5. & canone 6. ubi definit Sacramentalem confeſſionem *inſtitutam, & ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino*, idque probat, quoniam collatam ſibi poteſtatem judicandi, *incognita cauſa*, ſacerdotes exercere nequaquam poſſent, ut vidimus paullo ſupra. Igitur Concilia docent *exomologeſis* & confeſſionis neceſſitatem, nec docent tantum, demonſtrant etiam ex quo ſacerdotes a Domino animarum noſtrarum medici ac judices ſint conſtituti.

Quum præcitata Synodus Tridentina affirmet canone laudatæ ſeſſionis tertio, Eccleſiam catholicam ab initio ſemper intellexiſſe illis verbis Joann. XX. *Quorum remiſeritis*, &c. collatam ſacerdotibus poteſtatem remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ; non abs re erit, poſt ſanctorum Conciliorum definitiones doctrinam Patrum inveſtigare. Igitur S. Irenæus lib. 1. cap. 6. n. 3. narrat quaſdam mulieres clam a Valentinianis circumventas, ac poſtea ad Eccleſiam converſas, cum reliquis erroribus confeſſas fuiſſe ſecreti ſtupri conſuetudinem, & cap. XIII. nu. 5. refert Marcum præſtigiatorem amatoria & illectantia pharmaca mulieribus propinaſſe, ut illarum corporibus inferret probrum & contumeliam, ſubjicitque: αὗται πολλάκις ἐπιστρέψασαι εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ ἐξωμολογήσαντο, καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἠχρειῶσθαι ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐρωτικῶς πάνυ αὐτὸν πεφιληκέναι, *Hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei id confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus ſe ab eo contaminatas, necnon miro ipſius amore exarſiſſe*. Inter alias feminas a mago ſubactas, hanc labem in *exomologeſi* purgavit pulcherrima quædam uxor Diaconi, ut refert eo loci Irenæus. In quo animadvertas, velim, confeſſionem occultorum criminum; cujus profecto generis ſunt inceſtus clam conſummati, & ferventes in animo cupiditates. Advertas inſuper (quod recte obſervatum a Maſſuetio num. 74. præviarum diſſertationum in Irenæum) non alia de cauſa mulieres, quas præ ceteris efficit verecundia, compulſas ad retegenda occulta crimina, nulli mortalium niſi reis manifeſta, cum magno etiam honoris, ac famæ diſpendio, niſi quia ex fide atque doctrina Eccleſiæ noverant confeſſionem neceſſariam eſſe ad maculam peccati eluendam. Fatetur propterea Joannes Erneſtus Grabe, ex Irenæo, aliiſque Patribus demonſtrari confeſſionem publicam peccatorum, ſed negat inde evinci Sacramentalis confeſſionis neceſſitatem. Verum, ut dixi, quidnam verecundas, pudentiſſimaſque mulieres ad *exomologeſim* impelleret, certe

iſtiuſmo-

ejuſmodi neceſſitatis fide ſublata? Adda quaſdam mulieres a Marco compreſſas, ex eodem Irenæo proximo n. 7. cum revererentur exomologeſim facere, *a vita Dei deſperaſſe*, ideoque putabant nullum aliud adfuturum ſibi remedium, confeſſione neglecta. Quod vero confeſſio fuerit publica, vel privata, nihil omnino attinet ad hanc quæſtionem, in qua de neceſſitate ipſius confeſſionis, non de ejus modo diſſerimus. Utraque enim confeſſio, privata, & publica, cum fieret ſacerdoti, decernenti ſatisfactionis menſuram, Sacramentalis erat, reſpondebatque poteſtati collatæ Eccleſiarum miniſtris ligandi ac ſolvendi. Publicæ enim confeſſioni præibat privata, facta coram legitimo paſtore, vel presbyteris huic numeri præfectis, qui mandabant, ut ea omnibus peccatis ſibi enumeratis, ea evulgarentur, quæ, ſervatis prudentiæ legibus, cenſebant ad repellendos temporum illorum abuſus, terrendoſque perverſos, eſſa manifeſtanda: ac deinde imponebant delinquentibus canonicam pœnitentiam, quam poſtea excipiebat abſolutio, & percipiendæ communionis facultas. Atque hæc obiter dicta ſint, ut appareat hæreticos perperam confugere ad veterem publicæ confeſſionis diſciplinam, quotieſcunque nos Irenæi, aliorumque Patrum auctoritate adſtruimus neceſſitatem confeſſionis ſacramentalis.

Sed quoniam de vario confeſſionis modo dicturus ſum infra; afferam, poſt Irenæum, celebrem ejuſdem ſæculi ſcriptorem Tertullianum, plura de confeſſione diſſerentem in libro de Pœnitentia, a ſe conſcripto, priuſquam deficeret ad Montaniſtas. Qui in libro cap. 4. peccatorum omnium, quamvis cogitatione ſola perpetrata ſint, idcirco confeſſionem ſuadet, quod ſingulis judicio ſacerdotis taxanda ſit pœna, *Omnibus*, inquit, *delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit*. Et cap. nono recenſita exemplo prodigi reſipiſcentia atque deliberatione animi, tranſiens ad confeſſionem, ejuſque neceſſitatem commonſtrans ex quo ſeſe ad ſacerdotum pedes provolventibus juxta accuſationem criminum ſatisfactio ſit imponenda, ad hunc loquitur modum, *Tantum relevat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumacia. Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ & unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt; ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, &c.* En aperte Tertullianus affirmat planam illam peccatorum accuſationem exteriori quoque actu faciendam. Nil vero te moveat, quod confitendum dicat *Domino*: nam paullo poſt ait eos, qui Domino confitentur, *presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari*; addit pleroſque abſtinere ab hoc opere, *pudoris magis memores, quam ſalutis, velut illi faciunt, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*: concludit confeſſionem ac proſternationem fieri Domino, dum fit uni, vel alteri fratrum, quoniam *in uno & altero Eccleſia eſt, Eccleſia vero Chriſtus; ergo cum te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras.* Sunt itaque peſſimi interpretes, qui hæc Tertulliani loca de confeſſione ſoli Deo facta, accipienda eſſe contendunt; nam ad genua presbyterorum provolvi, ſuperata inditum pudorem, medenti occultum ulcus detegere, in fratre Eccleſiæ adminiſtro contrectare Dominum, aliud certe ſonant, præter intimam conſcientiæ redargutionem. Quare & Beatus Rhenanus fatetur Tertullianum agere de confeſſione apud ſacerdotes etiam ſecreto factam, ac Rhenani teſtimonio Pamelius pag. 200. adnotationum ſuarum agitat ceteros Novatores. Videas quoque in *Omniloquio* Tertulliani Carolum Moreau Auguſtinenſem pag. 497.

Sequitur ſanctiſſimus martyr Cyprianus, cujus in Libro de Lapſis pag. 383. edit. noviſſimæ hæc ſunt verba. *Confiteantur ſinguli, quæſo vos, fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud Deum grata eſt.* Enumeratis inſuper proxima pagina nonnullis, qui diſſimulantes occultum conſcientiæ crimen evaſeri ſunt Deum ultorem, *Quanta*, ait, *& fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non deridetur.* Hoc ſane in loco ſecretarum cogitationum confeſſionem ſacerdotibus factam, & quidem ad aures, tradi a Cypriano manifeſtum eſt: ,, nam, ut utar verbis
,, Editoris Benedict. n. VIII. *Præfat.* cum conſtet confeſſio-
,, nem occultorum criminum publice, & omnibus audien-
,, tibus factam, aut ſaltem præſcriptam non fuiſſe; luce
,, clarius eſt, eos, qui cogitationes malas apud ſacerdotes
,, confitebantur, qui *exomologeſim* conſcientiæ faciebant,
,, qui animi ſui pondus exponebant, & medelam vulneri-
,, bus exquirebant, peccata ſua auribus alicujus Sacerdotis
,, depoſuiſſe. ,, Legenda præterea eſt epiſtola ejuſdem Cypriani ad Antonianum num. 52. in qua pag. 158. docet a Sacerdotibus neminem a pœnitentia agenda debere prohiberi, per ipſos pacem concedi, non præcludendum duritia illorum iter doloris, ſed ſuſcipiendos eſſe in Eccleſiam quos ex toto corde pœnituerit, *quia apud inferos confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt*.

Baſilius Magnus in Pſalmum 29. tom. I. pag. edit. Morellianæ 191. *exomologeſim* omnium, quæ non recta nec ſobrie admiſſa ſunt; ad obtinendam propitiationem ac remiſſionem, neceſſariam eſſe teſtatur: ac tomo altero pag. 645. ad interrogationem 288. *Quibus peccata ſint aperienda*, reſpondet, ut ſupra diximus, omnino detegenda illis eſſe, *quibus credita eſt diſpenſatio divinorum myſteriorum*, ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα. Scribens rurſus ad Amphilochium pag. 771. docet ea Patrum diſciplina publicandas non eſſe τὰς μοιχευθείσας γυναῖκας, καὶ ἐξαγορευούσας, δι᾽ εὐλάβειαν, *adulterio pollutas mulieres, & id confitentes remiſſionis & innocentiæ cauſa, ob circumſpectionem*, ſive ut vertit Hervetus, *ob pietatem*. Habes autem ex his paucis neceſſitatem confeſſionis omnium criminum, tum confeſſionem faciendam presbyteris, confeſſionem quoque privatim, & ad ſacerdotis aurem, non coram omnibus exponendam.

Sanctus Ambroſius, quem excipiendis ſecretis fidelium confeſſionibus ſumma caritate ac benignitate operam navaſſe, ſcribit in ejus vita Paulinus ejus notarius num. 39. *Siquidem quotieſcunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret; videbatur enim ſibi cum jacente jacere: cauſas autem criminum, quæ illi confitebatur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum poſteris ſacerdotibus, ut interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines*: Sanctus, inquam, Ambroſius non tantum muneris ſui exercitatione, ſed etiam verbis docuit, firmavitque catholicam hanc veritatem. Etenim in Pſalmum 38. num. 37. judiciariam ſolvendi, ligandique poteſtatem, quam diximus non poſſe ſine confeſſione exerceri, commonſtrat ex clavibus Petro collatis, Matth. XVI. 19. ſubjiciens quæ ſequuntur: *Hoc Novatianus non audivit, ſed Eccleſia Dei audivit; ideo ille in lapſu, nos in remiſſione, ille in impœnitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, Apoſtolis dicitur. Non poteſtatem uſurpamus, ſed ſervimus imperio, ne poſtea cum venerit Dominus, & ligatos invenerit quos oportuit ſolvi, commoveatur adverſus diſpenſatorem, qui ligatos ſervaverit ſervos, quos Dominus juſſerat ſolvi.* Similia in Pſalmum CXVIII. num. 17. lib. V. in Lucam num. 13. & libro I. de Pœnit. cap. 2. num. 6. aliiſque in locis, de quibus hoc ipſo Volumine pag. 134. Quod ſingillatim pertinet ad confeſſionem peccatorum etiam occultorum, illuſtris eſt Ambroſii locus in citato libro de Pœnit. cap. XVI. num. 90. *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit, quomodo iſta recipit, ſi ei communio non refunditur?* Hoc teſtimonio cum plurimum torqueretur Dallæus, nihil habuit aliud quod reponeret, niſi ob elementorum ſimilitudinem librarios pro *multa*, poſuiſſe *occulta*; quam ineptiam neque unius, vel editi, vel manu exarati codicis lectione munitam, belle exagitant limatæ adnotationes PP. S. Mauri tom. 2. pag. 414. Huc ſpectant quæ Ambroſius ait libro 2. cap. X. nu. 4. *Et nos ergo non erubeſcamus fateri Domino peccata noſtra.* Quem enim fidelium pudeat peccata ſua conſiteri ſoli Deo, cui ſcit magis, quam ſibi ipſi nota eſſe? Item quæ leguntur cap. VI. num. 40. *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum: ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum*; aliaque id genus bene multa.

Venio ad Chryſoſtomum, cujus potiſſimum auctoritate hæretici homines abutuntur. Is confeſſionem peccatorum commendat libro 2. de Compunct. ad Stelechium tom. I. pag. 151. edit. noviſſimæ, de incomprehenſibili Dei nat. hom. V. pag. 489. in illud, *Intrate per anguſtam portam* pag. 792. aliiſque in locis paſſim. De confeſſione autem facienda ſacerdoti agit libro 2. de Sacerdotio pag. 374. & ſequenti; ubi pertractans quomodo debeant impii ad meliorem frugem revocari, *Multa quidem*, ait, *arte opus eſt, ut ægri ſacerdotum remediis libenter ſe ſubjicere ſuadeantur*, διὰ τοῦτο πολλῆς χρεία τῆς μηχανῆς, ἵνα πεισθῆναι δυνηθῶσιν ἑαυτοὺς ὑπέχειν ταῖς παρὰ τῶν ἱερέων θεραπείαις οἱ κάμνοντες. Addit, non temere oportere ad peccatorum modum adhibere pœnam, *ſed ulterius peccantium explorandum eſſe propoſitum*, ἀλλὰ καὶ τὰς τῶν ἁμαρτανόντων στοχάζεσθαι προαιρέσεις. Subjicit, *idcirco paſtori multa opus eſſe prudentia, ac ſexcentis oculis, ut undique animæ ſtatum circumſpiciat*, διὰ τοῦτο πολλῆς δεῖ τῆς συνέσεως τῷ ποιμένι, καὶ μυρίων ὀφθαλμῶν, πρὸς τὸ περισκοπεῖν πανταχόθεν τὴν τῆς ψυχῆς ἕξιν. Ait nihil antiſtiti ſine examine relinquendum, ſed proferendam ab eo ſententiam *omnibus congruenter exploratis*, πάντα διερευνησάμενον ἀκριβῶς. Hæc habet illo in libro Chryſoſtomus: quæ demonſtrant cujuſque ſpiritalis ægritudinis, etiam internæ, manifeſtandam eſſe qualitatem paſtoribus animarum. Sunt tamen magis perſpicua, quæ leguntur proximo libro

pag.

pag. 384. ubi poſtquam oſtendit teſtimoniis Evangelicis Matth. XVIII. 18. & Joann. XX. 23. tactam ſacerdotibus poteſtatem remittendi peccata, (de quo loco dictum alibi) illos præfert ſacerdotibus veteris legis, hac diſcriminis ratione producta: *Corporis lepram purgare, immo potius nullatenus purgare, ſed purgatos probare tantum, Judæorum ſacerdotibus licebat. Hi vero non lepram corporis, ſed immunditiam animæ, non purgatam probandi, ſed potius purgandi poteſtatem acceperunt*, Λέπραν σώματος ἀπαλλάττειν, μᾶλλον δὲ ἀπαλλάττειν μὲν οὐδαμῶς, τοὺς δὲ ἀπαλλαγέντας δοκιμάζειν μόνον, εἶχον ἐξουσίαν οἱ τῶν Ἰουδαίων ἱερεῖς .... οὗτοι δὲ οὐ λέπραν σώματος, ἀλλὰ ἀκαθαρσίαν ψυχῆς οὐκ ἀπαλλαγείσας δοκιμάζειν, ἀλλ᾽ ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν. Igitur, auctore Chryſoſtomo, quemadmodum veteribus ſacerdotibus lepra corporis, ita ſacerdotibus Evangelicæ legis manifeſtanda eſt ſpiritus immunditie. Ac nota Chryſoſtomum ibidem loqui de remiſſione criminum, *quæ poſt regenerationem patrantur*. Huc pertinent quæ ſcribit Hom. 2. de Cruce & Latrone, tom. 2. pag. 417. ubi allato ipſius latronis exemplo, *Si latronem*, inquit, *in cruce tanto honore dignatus eſt; multo magis nos ipſius ſua benignitate dignabitur, ſi voluerimus peccatorum confeſſionem inſtituere. Ut igitur & nos benignitate illius perfruamur, peccata propria confiteri ne erubeſcamus. Magna enim confeſſionis vis eſt, & multa ejus potentia*, ἵνα τοίνυν καὶ ἡμεῖς τῆς παρ᾽ αὐτοῦ φιλανθρωπίας ἀπολαύσωμεν, ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἑαυτῶν ἁμαρτήματα μὴ ἐπαισχυνώμεθα. μεγάλη γὰρ τῆς ἐξομολογήσεως ἰσχὺς, καὶ πολλὴ ταύτης ἡ δύναμις. Identidem quippe diximus confeſſionem, de qua erubeſcimus, illam eſſe, quæ publice, aut privatim fit alteri: atque id in hoc maxime loco, ubi producitur exemplum latronis, qui, ut ipſius Chryſoſtomi verbis utar, *aſſumpſit partes accuſatoris, prodidit ſeipſum, atque arcana pectoris ſui expromſit*. His maximum adduut robur quæ habentur in Orat. *de Samaritana* prope finem, *Imitemur & nos hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubeſcamus*, μιμησώμεθα τὴν γυναῖκα ταύτην τὴν Σαμαρεῖτιν καὶ ἡμεῖς, καὶ ἐπὶ τοῖς οἰκείοις ἁμαρτήμασι μὴ αἰσχυνώμεθα. Attende, quæſo, hæc erubeſcentia quo tendat. *Qui enim* (inquit e veſtigio) *homini detegere peccata erubeſcit, Deo vero cernente facere non erubeſcit, neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno, vel duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpectante traducetur*. ὁ γὰρ ἐπαισχυνόμενος ἀνθρώπῳ ἀποκαλύψαι τὰ ἁμαρτήματα, Θεοῦ δὲ ὁρῶντος μὴ αἰσχυνόμενος πρᾶξαι, μηδὲ θέλων ὁμολογῆσαι, καὶ μετανοῆσαι, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ οὐκ ἐνώπιον ἑνὸς, καὶ δύο, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ὁμοίως παραδειγματίζεται. En aperte Chryſoſtomus, dum monet nemini erubeſcendum, adeo, ut peccata non confiteatur cauſa pudoris, loquitur de confeſſione uni, vel alteri hominum facienda. Prætermitto alia plura ex hom. 9. 10. & 19. in Geneſim, necnon ex hom. 3. de Davide & Saule, atque ex nona in Epiſtolam Pauli ad Hebræos, ea tantummodo repetens, quæ egregius Doctor ſcribit Hom. 30. in Geneſim pag. 301. inimicum noſtrum maxime tunc obſiſtere, omniaque moliri, ut nos ſupplantet, quando deliberamus *peccata confiteri, vulnera medico oſtendere, & ſanitatem conſequi*, quando nimirum ſacerdotibus peccata ſunt detegenda. Demonſtrant hæc omnia, ut ſingula comprehendam verbo, ſacerdotes eſſe medicos animarum, earumque curam gerere; datum illis, ut peccata remittant; debere, ut id præſtent, inter lepram & lepram dijudicare; aperienda illis eſſe occulta crimina, ut judicium hoc exequantur; cavendum vero magnopere, ne peccatores tali afficiantur erubeſcentia, ut medentibus ulcus abſcondant; verecundiam hanc expellendam extremi judicii meditatione, atque ita avertenda dæmonis, nos ad tegendas conſcientiæ labes hortantis, exitioſa ac peſtifera machinamenta. At hæc omnia docet eximius Eccleſiæ Doctor Chryſoſtomus: in cujus proinde operibus, aureo ſtilo, & incorrupte doctrinæ conſcriptis, hæretici fruſtra inquirunt perverſorum dogmatum patrocinia.

Quid vero Latinorum præſtantiſſimus Auguſtinus? Facultatem abſolvendi e peccatis datam ſacerdotibus docet ille, explicatque exemplo Lazari in locis a me ſuperiori velitatione productis. Huic autem poteſtati ſubjici manifeſtationem delictorum, expreſſe non uno in loco demonſtrat. Tractatu 49. in Joannem num. 24. eidem exemplo inſiſtens, *Quando contemnis*, inquit, *mortuus jaces; quando confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis veluti exeundo manifeſtari?* Manifeſtari quidem hominibus, non Deo, quemadmodum Lazarus proceſſit e tumulo ad diſcipulorum conſpectum; nam & Deo nihil occultum eſt, & Lazarus a diſcipulis ſolutus, pœnitentium abſolvendorum a ſacerdote typum gerebat. In idem quadrant quæ leguntur ſermone 2. in Pſalmum 101. num. 3. *Cum audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit: cum audis hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulcro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis*, inquit, *in terra, erunt ſoluta & in cælo*. Accurate hic diſtinguuntur interior pœnitentia, ſeu contritio, quæ intus in corde agitur; manifeſtatio ſcelerum, quæ foras prodit, atque huic a ſacerdotibus applicata reconciliatrix abſolutio. Videntur in eumdem ſcopum collimare, & exteriorem criminum accuſationem ſuadere quæ occurrunt Enarrat. in Pſal. 66. num. 7. *Conſcientia tua ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat; adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat; adhibet medicinale ferrum in correptionem tribulationis; tu agnoſce medici manum, confitere, exeat in confeſſione, & defluat omnis ſanies*. Enimvero quemadmodum ille medicus, per quem Deus adhibet fomenta verborum, eſt ſacerdos; ita huic manifeſtari debet conſcientia, quæ peccatorum ſanie & apoſtemate inficitur. Longe clariora ſunt, quæ habentur ſerm. 391. de Pœnit. n. 9. *Implicatus igitur mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in cælo?* Paucisque interjectis, *Veniat ad antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur*, & paullo poſt, *A præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum*. Sermone etiam 392. ad Conjugatos de iis agens, qui deviarunt a vinculo conjugalis continentiæ, n. 3. hæc ſcribit. *Qui poſt uxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, ſi poſt uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis; agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoſcat, quia in corde meo ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium, fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis, quod ille negat?* En aperte docet Auguſtinus peccatum humili confeſſione ſubjiciendum clavibus Eccleſiæ, quamvis occultum ſit, ut eſſe ſolent inceſtuoſi concubitus, atque adulteria. Proximum ſermonem 393. ita Auguſtinus alta incipit voce: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, (ſi tamen eſtis pœnitentes, & non eſtis irridentes,) mutate vitam, reconciliamini Deo. Et vos cum catena paſcitis. Quæ, inquis, catena? Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cælo. Audis ligaturam, & Deo putas facere impoſturam?* & ſub exitum ejuſdem ſermonis admonens impium, ut pœnitentiam agat, dum ſanus eſt, hanc rationem profert, *Quia ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo & ſacerdoti peccata ſua confiteri poterit*. Cedro ſane digna, & refellendis hæreticis, & excutiendis impœnitentibus aptiſſime verba! Paucis enim confeſſionem peccatorum deſignant, & confeſſionem faciendam ſacerdoti, & confeſſionem ad mortis articulum non differendam. Complura alia Auguſtini nomine producit in *Confeſſione Auguſtiniana* lib. 3. cap. 9. Torrenſis, petita ex Opere de falſa & vera Pœnitentia, & ex libris inſcriptis *De viſitatione infirmorum*. Certe clariora illa ſunt meridiana luce: at utrumque opus Auguſtino ſupponitur. Primum tamen haud exiguam habet auctoritatem, quod Auguſtino illud tribuerint Gratianus, Magiſter, Thomas Aquinas, ac pugnaciter etiam adverſus Trithemium Navarrus. Ex quarto hujus libri capite depromtum eſt cap. *Quem pœnitet*, de pœnit. diſt. 5. num. 6. in quo aperte perſcribitur confeſſio ſacerdotibus facienda. Aſſeritur quoque num. 26. confeſſio ſecreta, ſi peccatum occultum ſit, allata comparatione puellæ nondum extra domum elatæ, quam dominus revocavit ad vitam, adſtantibus tantum cum domeſticis Joanne & Jacobo, in quibus deſignatos ait Eccleſiæ miniſtros. In ſecundo pariter libro de Viſit. infirmorum cap. 4. & 7. traduntur plura, quæ non poſſunt tergiverſatione aliqua eludi. Ceterum hæc duo Opuſcula eo tantum conſilio laudavi, ut cum jam ab omnibus probata fuerint, ac ſub tanto nomine celebrata; hinc erues dogma, in quo verſamur, fuiſſe ante novitias hæreſes dilucide traditum, atque a catholicis omnibus abſque ulla hæſitatione receptum. Superſedeo a congerendis aliorum teſtimoniis, quod hæc ſufficere videantur ad *traditionem* firmandam, ac depromta ſint ex viris adeo ſanctitate & doctrina conſpicuis, ut neque hæretici audeant illos tamquam reos violatæ fidei traducere. Ad hæc in exſcribendis fere omnibus inſudarunt controverſiarum ſcriptores, necnon juniores Scholaſtici, Juenin quæſt. quinta de Pœnit. cap. 1. Boucat diſſert. 4. art. 2. Witaſſe quæſt. IV. art. 3. Mitto Dionyſium de S. Martha, Natalem Alexandrum, Jacobum Boileau, auctoreſque alios de hac Polemicæ Theologiæ parte optime meritos.

Jam vero, ut quæ ex Patribus delibavi, compendio & ſcholaſtice methodo proponantur, tradiderunt illi ſacramentalis confeſſionis faciendæ presbyteris conſuetudinem atque neceſſitatem, ſi conſignarunt litteris *exomologeſim* fieri ſolitam ad genua eorum, quibus divinorum myſteriorum credita eſt diſpenſatio prout agerunt corruptæ a præſtigiatoribus mulieres, virique putreſcentis conſcientiæ; ſi frequentiſſime docuerunt, ſacerdotibus tantum datas Eccleſiæ claves, dijudicare eos inter lepram ac lepram, fruſtra aliunde exſpectari ſolutionem ac remiſſionem, & Evangelium fruſtrare quiſquis ipſis occultat ſcelera quæ in corde latent, atque ſoli Deo nota ſunt: ſi demum vehementer ſceleroſos ad confeſſionem, & ad inditam erubeſcentiam vincendam hortati fuerunt, quoniam peccata reticentes decipiuntur ac ſupplantantur a dæmone, inficiuntur ſanie peſtilenti, & exitioſo apoſtemate, atque, ni indito pudori obſiſtant, longe majori, maximoque rubore ſuffundi debebunt, cum venerit ſupremus Judex, pereant tandem neceſſum eſt, ſi forte jamjam morituri ardenti confeſſionis voto, aut ſacerdotis copia deſtituantur. Atqui maximi Eccleſiæ

Patres, ut conſtat ſuperiora legentibus, hæc mandarunt litteris, hæc apertiſſime docuerunt, ad hæc impenſe, ac vehementiſſime hortati ſunt. Ergo ſummi Eccleſiæ Patres ſacramentalem confeſſionem, & hujus neceſſitatem tradiderunt, docuerunt, commendaverunt.

Ut id modo confirmetur uſu vetuſtiſſimo Eccleſiæ, jure petimus ab hæreticis, a quo tempore confeſſionis praxis, & hujus dogmatis perſuaſio invaluerit. Reponere in præſentia nequeunt, id primum cœpiſſe Innocentio III. Pontifice, ſiquidem produximus longe vetuſtiora monumenta; atque prælaudatus Innocentius non præſcripſit aliquid novi, ſed perantiqui præcepti, de quo mortalium nemo ambigebat, nullo penitus reclamante, indixit obſervationem. Quis autem Epiſcoporum ad intimationem mandati, quod adverſarii noſtri graviſſimum putant, & carnificinam conſcientiæ audent appellare, quis, inquam, obmutuiſſet? Ergo Innocentius confeſſionis illiuſmodi non eſt auctor. Utar vero eadem ratiocinatione, ſi inſtitutorem alium poſt tempora Apoſtolorum obtrudant; cumque nullum invenerint, quocumque tandem ſe vertant, ex Regulis alibi ex Tertulliano, & ex Auguſtino ſtatutis ad inveſtigandas veterum traditiones, inferam hanc nos a Patribus accepiſſe, Patres ab Apoſtolis, Apoſtolos e Chriſto Domino. Neque vero affirmabunt vigere quidem traditionis hujus perſuaſionem aliquam, ſed ſeſe continere intra limites Romanæ Eccleſiæ; principio enim ex inviolata hujus Eccleſiæ fide nunquam hæreſibus corrupta, ex continua Paſtorum ſucceſſione a beato Petro ad hæc uſque tempora, atque ex Spiritus ſancti illuſtratione, promiſſoque divino, apparet major hujus quam aliarum Eccleſiarum in ſervandis Apoſtolicis diviniſque inſtitutis fidelitas ac diligentia. Vide libri viceſimi tertii caput quintum. Præterea etiam Eccleſia Orientalis eſt ejuſdem inſtituti cuſtos ac teſtis, prout colligitur ex libro Simeonis Theſſalonicenſis de Sacramentis, ex Cenſura Gabrielis Philadelphienſium antiſtitis, necnon ex poſterioribus ſynodis adverſus apoſtatam Cyrillum Lucarim, non ſemel a me in hoc de Sacramentis Opere laudatis. Servantur etiamnum apud Græcos Pœnitentiale Joannis ſecundi Præſulis Conſtantinopolitani, quem floruiſſe ſerunt circa ætatem Gregorii Magni, Nomocanon editus a Joanne Neſteuta, pluresque Euchologiorum Codices, ſacramentalis confeſſionis formam ritumque tradentes. Nec appello duntaxat in hujus rei teſtimonium aut Arcudium de Pœnit. cap. 2. pag. 345. aut Allatium de Conſenſione Eccleſiarum libro 3. cap. 9. n. 1. aut Joannem Morinum lib. iv. cap. 18. pag. 213. ſed unumquemque, cui ſubeat animus peragrandi Græcorum urbes, adeundi templa, clerum, viros, feminas conſulendi. Nil obſtat quod perraro confiteantur in Græcia ſacerdotes, quoniam id agentes ne arceantur a ſacris juxta canones Baſilianos, confirmant hac ipſa perverſitate, non evertunt majorum ſuorum inſtitutionem ac diſciplinam. De hac propterea pravitate in Florentina ſynodo Eugenius IV. Latinique Patres cum Græcis expoſtularunt. Ipſos Græcorum presbyteros aliquando confeſſione purgari, ſedera autem quotidie excipientes *exomologeſim* laicorum, atque ex his nullum ad ſacram *ſynaxim* inconfeſſum accedere, exploratiſſimum eſt, firmatumque univerſorum conſenſu. Latine itaque Eccleſia retinens, ac præcipiens confeſſionem ſacramentalem, tum propria auctoritate munitur, tum Eccleſiæ Orientalis inſtitutione, & conſenſu.

Quod præter Græcos aliæ quoque nationes confiteantur ſacerdotibus peccata ſua, facillimum eſt demonſtrare. Armenii quippe, tametſi pluribus impliciti erroribus, quos damnat canone 32. 33. 56. & 99. Trullana ſynodus, nullibi violationis hujus dogmatis inſimulantur; de quo tamen dogmate tam diſerte pertractavit Concilium ipſum Trullanum canone ſuperius recitato, ſecundo ſcilicet, ac centeſimo. Copti, atque Æthiopes ad aures ſacerdotum confiteri peccata ex eorum teſtimoniis ita certum ſcribit Renatus, *ut nihil poſſit eſſe exploratius*; quamquam ob confeſſariorum improbitatem & ignorantiam dicatur confeſſionem abrogaſſe Joannes Abumalgedus in Chronico Orientali ad annum 1189. qua de cauſa partim reprehenditur, partim vero excuſatur ab Haſſalio in Capitulis Eccleſiæ Copticæ cap. 51. Falſum eſt quoque Coptos ob rigorem diſciplinæ non frequentare hoc ſacramentum, prout ſcribit in Hiſtoria Eccleſ. Alex. parte 3. cap. 9. Vanslebius, quem redarguit, confutatque vir doctus, J. B. Sollerius. Etſi enim perraro confiteantur viſi negotiis diſtenti, quos appellant Mechebros; frequentiſſime tamen id agunt ceteri, ſexuſque feminei maxime. Sed perlege Sollerii lucubrationes præmiſſas tomo v. Act. SS. menſis Junii, paginam ſaltem 145. Addenda Sollerio celebris fidei confeſſio, quam ſedente Pio IV. Romæ edidit Babyloniorum Patriarcha Hebedjeſu, doctrinæ Apoſtolicæ concordiſſima; de qua Thuanus lib. xvi. Hiſtoriarum, Genebrardus ad annum 1566. (Pius tamen e vivis exceſſit poſtremo menſe præteriti anni.) apud Morinum Præfatione in Ordinationes Syrorum Neſtorianorum pag. 436. Poſſem mutuari, ſi opus eſſet, probationes alias ex ipſorum hæreticorum ſectis; nam præter Waldenſes, atque Huſſitas, e quibus minime denegaram ſacramentalem confeſſionem demonſtrat illuſtris Boſſuetius in Hiſtoria variationum lib. xi. num. 110. & 165. adprobarunt aliquando Lutherani parvum Lutheri Catechiſmum, in quo præſcribitur confeſſio peccatorum omnium, *quæ menti occurrunt*; fuitque eadem ſententia compluriūm apoſtatarum Anglorum, uti Jacobus Boſſuetius oſtendit libro iii. num. 46. & libro vii. num. 37. ejuſdem Operis. Quapropter confeſſionis neceſſitatem, & uſum agnoſcunt Eccleſiæ omnes, Latinorum, Græcorum, Armeniorum, Ægyptiorum, & quod dictum volo ad Novantium exprobrationem, ipſorum hæreticorum quamplures.

Dicam poſtremo quanti fecerint ſacramentalem confeſſionem Monachi, qui Innocentii tertii præceſſerunt ætatem. Ac prætermiſſis, quæ ſupra ex Baſilio exſcripta ſunt, plura de confeſſionis latentium criminum utilitate, & de iniquitate eorum, qui eadem in corde premunt, in Collatione 2. cap. 13. pertractat Joannes Caſſianus. Octavo ſæculo præclare de confeſſione facienda ſacerdotibus ſcripſit Alcuinus epiſtolam 71. alias 26. ad quoſdam provinciæ Gothorum, (male emendavit Caniſius, *Scotorum*) Galliæ ſcilicet Narbonenſis, *qui nolebant confeſſionem ſacerdotibus dare*, demonſtrans peccatori confugiendum ad *confeſſionis beatiſſima medicamenta, in qualicunque mortium genere jaceat*, id eſt, ſive in corde conſenſerit, ſive peccaverit externo opere, ſive etiam peccati conſuetudine fœteat: quod exemplo trium mortuorum, quos dominus ſuſcitavit, filiæ archiſynagogi in domo, adoleſcentis extra portam civitatis, & Lazari quatriduani, ita perſpicue, ita diſtincte explanavit, ut qui Alcuinum de ſolis peccatis publicis interpretantur, aut ſtupidi omnino ſint, aut inſigniter fraudulenti. Repurgaſſe eodem ſæculo prævia confeſſione conſcientiam accedentes ad ſacram Communionem, probat ex libello de Geſtis Bertilæ Abbatiſſæ Præfat. 1. in ſæculum tertium Benedictinum num. 80. percelebris Joannes Mabillon, hoc etiam nomine revincens Calviniſtam Dallæum, quod lib. iv. de Confeſ. cap. 4. præfracte adſeruerit, ne nono quidem ſæculo Patres a communicaturis poſtulaſſe ſecreti criminis confeſſionem. At duodecimo ſæculo agit de confeſſione oris, ejuſque neceſſitate, & conditionibus, atque de confeſſariorum dexteritate ac prudentia S. Bernardus Abbas Claravallenſis ſermone de S. Andrea tom. v. pag. 285. & in Exhortatione ad Milites templi cap. 12. tom. 4. pag. 102. Narrat etiam in vita S. Malachiæ cap. 25. n. 53. in confeſſionis ſacramentalis commendationem miraculum præſtantiſſimum cujuſdam mulieris, ab inſanienti furore per Malachiæ abſolutionem liberatæ. Conſimile miraculum ab ipſo Bernardo patratum, & quidem omnium primum, litteris prodidit Guilielmus Abbas in ejus Vita cap. xi. num. 43. Floruit eadem Bernardi ætate Petrus Cluniacenſis, ut conſtat ex hujus Epitaphio pag. 602. Cluniacenſis Bibliothecæ,

Tempore Bernardi Claravallis floruit olim
Alvernus patria Petrus venerabilis Abbas:

atque is pariter narrat plura miracula comprobantia ſacramentalis confeſſionis neceſſitatem, atque integritatem, lib. 1. de Miraculis cap. 3. & ſequentibus. Vixit eodem ſæculo Adam Abbas Perſeniæ, cujus viceſima Epiſtola ad Antiſtitem Monaſterii de Vernuſia, (Auguſtiniani inſtituti, juxta Martenium in priori Volumine novi Theſauri Anecdotorum pag. 751.) multa continet ſpectantia ad confeſſionis præceptum, conditiones ac formam, necnon ad optimi Confeſſarii munus implendum. Quæ omnia, ut mittam alia quamplurima, etſi cum auctoritate præcedentium Patrum non ſint comparanda, expreſſa ſunt tamen, apertiſſima, communem catholicorum ſui ævi ſenſum enucleant, ſeperantque epocham, quam nativitati hujus dogmatis paſſim novatores affigunt, id eſt, Lateranenſe Concilium, & annum Chriſtianæ æræ milleſimum ducenteſimum quintumdecimum. Aſſerta itaque a nobis ſacramentalis confeſſionis neceſſitas, quod demonſtrandum erat, confirmatur & roboratur traditione majorum, atque vetuſtiſſima, perpetua, & univerſali conſuetudine.

Quæ adverſus hanc poſitionem objiciuntur, ſunt hujuſmodi. Principio ante Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. celebratum, nullum in Eccleſia erat de ſacramentali confeſſione præceptum. Non igitur præceptum illud demonſtrari poteſt perveruſta Eccleſiarum conſuetudine. Adhæc nequit Eccleſia ſibi vindicare judicium criminum occultorum, prout teſtatur Tridentinum Concilium ſeſſ. 24. cap. 5. de Reformat. ideoque ſi exempla ſunt aliqua pœnitentium, qui olim ſeſe judicio presbyterorum ſubjecerint, non evincunt illa vim traditionis inviolabilis, ſed liberrimum ac ſpontaneum exercitium humilitatis. Præterea ex Hiſtoria Eccl. Socratis lib. v. cap. 19. Sozomeni lib. 7. cap. 16. & Nicephori libro 12. cap. 28. conſtat Nectarium Conſtantinopolitanum Epiſcopum propter quoddam ſcandalum ſubortum occaſione mulieris, quæ cum Diacono ſtuprum fecerat, ſuſtuliſſe presbyterum pœnitentiarium, excipiendis fidelium confeſſionibus præfectum. Quod ſane Nectarius vir doctrina & ſanctitate percelebris nunquam attentare auſus fuiſſet, ſi confeſſionis ſacramentalis extitiſſet præceptum divinum, inviolabile, atque majorum traditione corroboratum. Neque enim nodum hunc illi ſolvunt, qui a Nectario ſublatum dicunt uſum publicæ confeſſionis, quæ poſt exortam Novatianam hæreſim frequen-

quentiſſime fieri ſolebat, inhibitumque munus excipiendi manifeſtam hanc *exomologeſim* ſingulari illi presbytero ad hanc rem deputato; ſiquidem tradit eo loci Socrates, poſt abrogationem Nectarii fuiſſe unicuique permiſſum, *ut pro arbitrio, animique ſui conſcientia accederet ad ſacramentorum communionem*, poſtea vero recluſo verecundiæ pudorisque repagulo erupiſſe graviora flagitia; atque ita verſum in animarum perniciem conſilium Nectarii, & Eudæmonis, quem ille in confeſſione eliminanda hortatorem habuit, temerariam ac præcipitem ſuaſionem. Sane hæc accedendi ad ſacra myſteria permiſſio abſque prævia apud ſacerdotem expiatione, & ſine hujus nutu, perfractumque frænum illud honeſtatis & verecundiæ commemoratum a Socrate, oſtendunt confeſſionem quamlibet in regia Conſtantinopolis urbe, Nectario ſedente, in deſuetudinem abiiſſe. Inſuper id eruitur ex Joannis Chryſoſtomi, qui poſt Nectarium præfuit eidem Eccleſiæ, teſtimoniis compluribus, paullo infra, ne ſimul omnia congerantur, diſcutiendis.

Reſp. ad primum, ab Innocentio III. tempus annuæ confeſſionis determinatum fuiſſe, non autem illam tunc inſtitutam; prout ſupra obſervatum eſt, prout conſtat ex ipſo capite, *Omnis utriuſque*, & prout declarat Tridentina Synodus ſeſs. xiv. cap. 5. his verbis: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur*. Quod ſequitur, confirmat, non evertit confeſſionis neceſſitatem: cum enim Eccleſia viſibilis non judicet de occultis, aliunde vero collata ei ſit plena ligandi ſolvendique poteſtas; neceſſum eſt, ut occulta crimina per ſinceram oris confeſſionem Eccleſiaſticis judicibus pateſiant. Ad Nectarii factum, quoniam Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. num. 7. adeo impudenter illud profert, ut de noſtratibus loquens inverecunde ſcribat, *Hic, hic aures aſini iſti arrigant. Si lex Dei erat auricularis confeſſio, qui auſus eſſet Nectarius eam refigere, ac convellere?* nec minori procacitate illud idem producunt ceteri hæreticorum; ad factum, inquam, illud diluendum ſerio ſeſe Theologi omnes applicuerunt. At principio graviter ea in re Nectarium peccaſſe, eique pravum conſilium dediſſe Alexandrinum presbyterum Eudæmonem, ajunt Thomas Valdenſis tom. 2. cap. 141. Melchior Canus de Pœnit. p. 5. *ad ſextum*. Eſtius diſt. 17. §. 7. ad 5. & alii, quorum opinio confirmari poteſt ex ipſo Socrate, qui in fine ejuſdem capitis 19. ait ſe dixiſſe Eudæmoni, a quo factum ipſum acceperat, *Conſilium tuum, o presbyter, utrum Eccleſiæ profuerit, an non, Deus viderit. Ceterum anſam ex eo ſingulis datam eſſe video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant, &c.* Improbant etiam factum illud, tamquam laxitatis motum, noxiæque libertatis fomentum, Nicephorus ac Sozomenus. Neque enim Nectarius vir erat ſanctitate atque eruditione clariſſimus, ut dicitur ab hæreticis, ſed inter laicos ad ſenectam uſque verſatus; tametſi ob canitiem, morumque ſuavitatem, auctore Sozomeno, plebi acceptiſſimus, eamque ob rem ſenax inauguratus Epiſcopus. Commonſtrat etiam, quam fuerit conſilii inops, hæc eadem rei geſtæ narratio; quandoquidem ſi magno præditus fuiſſet ingenio, rerumque gerendarum experimento, vel non diu hæſitaſſet, quid patefacto diaconi ſtupro foret deliberandum; vel ſaltem ſecutus non eſſet unius Eudæmonis conſilium, ipſi quoque Socrati valde ſuſpectum. Atque hæc dicta ſint, ut appateat priorem hanc reſponſionem non eſſe omnino improbabilem: quamquam ſcribente Sozomeno, fere omnes Epiſcopos ſecutos fuiſſe Nectarii exemplum, quantum quidem ad me attinet, induci nequaquam poſſum, ut credam a Nectario confeſſionem ſublatam, inductoſque Antiſtites ceteros in errorem, ſi fides eidem Sozomeno ſit adhibenda.

Eximius Annalium auctor Baronius ad annum 56. num. 26. & ſequentibus uſque ad 32. ac Latinius Viterbienſis in hujus hiſtoriæ confutatione anno 1587. Romæ edita, cenſent hanc de Nectarii facto narrationem eſſe inter aniles fabulas numerandam. Ac Baronius, ut a digniore exordiar, negat præbendum aſſenſum Socrati, cum ſeipſum probet Novatianum. Idem quippe Socrates lib. vi. cap. 19. ſugillat Joannem Chryſoſtomum, quod ſæpenumero pro concione verba illa protulerit, *Si millies lapſus pœnitentiam egeris, in Eccleſiam ingredere*: quorum verborum cauſa in Chryſoſtomum acuit ſtilum, librumque conſcripſit Siſinnius Novatianorum Epiſcopus. Una cum Socrate deliraſſe Sozomenum inde probat Scriptor eminentiſſimus, quod dum ille ait omnes fere Præſules ſecutos exemplum Nectarii, ſplendidiſſime mentiatur; ſiquidem circa eadem tempora Gregorius Nyſſenus edidit canones *Pœnitentiales* in Epiſtola ad Latojum Antiſtitem Mitilenes, inter collectos a Balſamone; & Chryſoſtomus Nectarii ſucceſſor meminit apertiſſime presbyteri confeſſiones excipientis, homilia 10. ac 33. in Matthæum, aliiſque in locis. Ceterum, ſi Socrati, ac Sozomeno præſtetur fides; aſſerendum eſt, inquit Baronius, Nectarium a Novatianis fuiſſe deceptum; utebatur quippe familiariſſima illorum hominum conſuetudine, ac præſertim Agelii Epiſcopi, & Siſinnii Lectoris, quem ipſe Socrates lib. v. cap. 10. appellat inter Novatianos diſertiſſimum, præditumque maximo rerum uſu. Atque is eſt, qui poſtea illius ſectæ renunciatus Epiſcopus auſus eſt magnum Chryſoſtomum inſectari. Nazianzenus etiam, paſtorali ſolutus munere, adverſus Nectarium per epiſtolas expoſtulavit, quod ille in regia Conſtantinopolis urbe Arianos, alioſque hæreticos pateretur. Hæc eorum, quæ a Baronio prolixius afferuntur, ſumma eſt.

Longe plura ad Socratem mendacii redarguendum congeſſit Latinius, quæ ſtilo brevi comprehendam. Vitio primum ei vertit, quod ita narrationem incipiat, *Per idem tempus viſum eſt Eccleſiæ, ut presbyteri, qui in ſingulis Eccleſiis pœnitentiæ præerant, tollerentur*; quibus Socrates doloſe innuit confeſſarium ab univerſa Catholicorum Eccleſia ſublatum, cum conſtet e narrationis progreſſu in Romana, ceteriſque Occidentalibus perſtitiſſe, atque, ut nuper diximus ex Baronio, etiam in Orientalibus. Verum hoc Latinii argumentum nullum eſt, ſi Græca lectio attendatur, quæ *Eccleſiæ* in prima periodi parte, ſuppreſſo nomine, hæc habet tantum, *ἔδοξε τοὺς ἐπὶ τῆς μετανοίας περιελεῖν πρεσβυτέρους τῶν ἐκκλησιῶν*, *Placuit eos, qui pœnitentiis præerant, aboleri presbyteros Eccleſiarum*. Carpit deinde Latinius quod ait Socrates, Presbyterum pœnitentiarium fuiſſe inſtitutum occaſione ſchiſmatis Novatiani, cum manifeſtum ſit presbyterum illum extitiſſe *ab initio*, id fatente Sozomeno lib. vii. cap. 16. Tertullianus etiam, qui Novatianum anteceſſit, eumdem presbyterum haud ſemel commemorat. Conſtat inſuper ex epiſtolis Cornelii Papæ, Cypriani, & Dionyſii Alexandrini, occaſione Novatiani ſchiſmatis nihil aliud circa legitimam pœnitentiam fuiſſe innovatum, hoc excepto, quod ſtatutum fuit, ne pœnitentia nondum peracta lapſis in perſecutione Decii daretur pax & communio, quamvis martyrum, aut confeſſorum libellis ſummopere commendarentur. Ad hæc Novatianum ipſum nondum ab Eccleſia ſeparatum probaſſe pœnitentium reconciliationem, teſtantur Cyprianus in Epiſtola ad Antonianum, & in tertia ad Sympronianum Pacianus: cumque negaverit pacem concedendam lapſis poſt ſui ab Eccleſia diſceſſum; falſum eſt hinc repetendam eſſe pœnitentiariorum inſtitutionem. Præterea Socrates ait rejectum presbyterum pœnitentiæ præfectum æque a Novatianis, & Homouſianis, quorum unanimem dicit in fide conſenſum; ideoque Homouſianos opponit Catholicis, a quibus Novatiani ſeparabantur; id vero & calumnia eſt ſingularis, quia Catholici nunquam abjecerunt *conſubſtantialitatis* fidem; & ulterius demonſtrat, pœnitentiarium, quem rejecerunt Novatiani, perſtitiſſe in Eccleſiis Catholicorum. Cum inſuper Novatiani nunquam receperint, ut paullo poſt ait Socrates, presbyterum illum pœnitentiarium; fieri non potuit, ut hunc rejecerint ob ſcandalum in Eccleſia Conſtantinopolitana ſubortum. Præterea nullus eorum, qui eo temporis floruerunt, meminit rei hujus a Nectario geſtæ; neque Gregorius Nazianzenus alia illi crimina objiciens, illud redarguit. Theodoſius quoque imperator ob cædem Theſſalonicenſium ab Ambroſio publicæ pœnitentiæ addictus, eaque peracta donatus communione inter laicos, cum a Nectario invitaretur, ut ad presbyterium accederet, abuſus alios Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reprehendens, de ſublata confeſſione nullatenus expoſtulavit. Videtur etiam Socrates vaferrime ſe geſſiſſe, dum inſtruens Nectarium, qui nihil prorſus mandavit litteris, atque factum hoc narrans ex Eudæmonis auditu, fabulam tali artificio depinxit, ut de mendacio increpatus haberet, unde facile poſſet evadere. Poſtremo, teſte Sozomeno, Presbyter pœnitentiarius eligebatur *vir gravis, ſapiens, & quod caput eſt, ſecreti inprimis tenax*. Quomodo ergo Diaconi ſacrilegium, & mulieris compreſſio innotuit cum tanto Eccleſiaſtici ordinis dedecore, ſi ad aures ſacerdotis auriculari confeſſione pervenerat? Atque hæc ad facti hujus elevandam fidem Latinius.

Doctiſſimi viri, Bellarminus, Petavius, Morinus, aliique cenſent abrogatam a Nectario aut confeſſionem publicam, aut pœnitentiam publicam criminum occultorum. Ac Bellarminus quidem lib. 3. de Pœnit. cap. xiv. ait occaſione Novatianæ hæreſis inſtitutum presbyterum, qui publicas exciperet confeſſiones; quoniam Caſſiodorus in Hiſt. Tripart. lib. 9. cap. 35. ita reddidit verba Sozomeni, *Propterea viſum eſt antiquis Pontificibus, ut velut in theatro, ſub teſtimonio Eccleſiaſtici populi delicta pandantur: & ad hanc rem presbyterum bonæ converſationis, ſervantemque ſecretum ſtatuerunt, &c.* quæ tamen verba Nicephorus lib. 12. cap. 28. ita retulit, *Grave autem Epiſcopis, qui proxime poſt Chriſtum fuere, viſum eſt in media plebe velut in theatro noxam confiteri, &c.* Contendit autem Bellarminus lectionem Caſſiodori alteri eſſe præferendam, primo quia eam probarunt Joannes Heſſelius, Ruardus Tapperus, aliique viri clariſſimi: deinde quia Caſſiodorus non longe floruit ab ætate Sozomeni, Nicephorus autem poſterior illo eſt annis pluſquam octingentis: rurſus quia Socrates, Sozomenus, & Nicephorus ipſe, dum factum Nectarii reprehendunt, cauſam illam afferunt, quod ritu illo ſublato non poſſimus invicem juxta Apoſtoli monitum arguere peccata, quod certe requirit, ut idem ritus comprehenderet publicam confeſſionem. Si autem petas, cur opor-

Digitized by Google

oporteret presbyterum pœnitentiarium eſſe ſecreti tenaciſſimum, ſi confeſſio publica erat, aut pœnitentia publica indicebatur; reſpondet Cardinalis doctiſsimus, non omnia peccata fuiſſe evulganda, ſed publica tantum: in ceteris neceſſariam fuiſſe presbyteri taciturnitatem atque prudentiam; atque hinc forte poſſe conciliari diverſam Caſſiodori & Nicephori narrationem. Juxta Bellarminum itaque abrogavit Nectarius presbyterum illum publicæ confeſsioni, & pœnitentiæ peragendæ præpoſitum: qua in re etiam Chryſoſtomus Nectarium eſt imitatus, dum ait procedendum non eſſe quaſi in theatrum ad manifeſtanda peccata, neque dicenda conſervis, qui nos redarguant, ut exigebat ſeverior diſciplina, a prædeceſſore ſuo eliminata. Ad hunc plane modum Bellarminus.

Dionyſius autem Petavius in Animadverſionibus ad Epiph. hær. 59. in hoc a Bellarmino diſſentit, quod negat præferendam eſſe lectionem Caſſiodori, in qua certum eſt vocem librariorum vitio excidiſſe, ac reſtituendum eſſe, *Propterea viſum eſt moleſtum antiquis Patribus, &c.* ad eum modum, quo legitur apud Nicephorum; cum lectio oppoſita abhorreat a Græcis Sozomeni codicibus, ejuſque verſionibus accuratioribus, Chriſtophorſoni, Valeſii, Savilii. Qua in re omnino viro doctiſſimo aſſentior. Deinde negat Petavius mulierem a diacono compreſſam pro concione peccatum hoc edixiſſe, aut illius manifeſtationem referendam eſſe ad confeſſionem ſacramentalem. Nam apud Socratem, inquit, legitur, *ἡ δὲ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει*, quod vertit interpres, *Mulier longius in confitendo progreſſa, alterius culpæ ſeipſam inſimulat:* non recte quidem, cum *προβαίνουσα* ad confeſſionem non pertineat, nec publicam, nec privatam, ac tantum ſignificet, mulierem illam, *cum longius procederet* in obeunda pœnitentia, patraſſe interim aliud facinus, quod coram pœnitentiario depoſuit: & quo a ſacerdote, ab antiſtite, paucíſque aliis comperto, diaconus depoſitus eſt, ac fama paullatim percrebeſcente, flagitium ad populi notitiam pervenit. Ita factum, ut Nectarius pœnitentiario amoto ſupprimeret publicam pœnitentiam, luctu, lacrymis, ſtationibus, crebríſque precibus peragendam. Quod probat vir doctus ex quo Sozomenus ſcribat ſtupratam a diacono mulierem, *dum hujus rei cauſa in Eccleſia moraretur*: ex quo idem Sozomenus afferat id abrogatum Conſtantinopoli, quod in Occidente ac potiſſimum Romæ perſeverabat, idque ſubinde explicans narret pœnitentium ſtationes, excluſionem a communione ſacrorum, pronam in terra cum gemitu ſubſtrationem, occurſum collacrymantis Epiſcopi, & commiſerationem totius populi, ritum ſcilicet publicæ pœnitentiæ; ex quo denique ſtatutum ſit a Nectario, ut quilibet ſuapte conſcientia fretus myſteria ſacra capeſſeret, nimirum, ne cogeretur ad publicam illam criminum expiationem, quam ad unguem Eccleſia priſca ante communionem pacemque ſervabat. Hujuſmodi eſt ergo præſtantiſſimi viri ſententia, ceteris, ni fallor, probabilior.

Morinus, ut hujus etiam ratio habeatur, lib. 2. de Pœnit. cap. 9. contendit pœnitentiarium exhortatum fuiſſe mulierem, ut juxta Eccleſiæ morem certa peccata publica palam enuntiaret; at mulierem imprudenter confeſſam quoque ſcelus cum diacono perpetratum, quod coram multitudine enuntiandum nequaquam erat. Putat propterea in verbis Socratis latine reddendis, contra quam ſentiat Petavius, interpretem recta ſuppleſſe quod deſideratur in Græco, dum reddidit, *Mulier vero longius progreſſa confitendo etiam aliud ſuum peccatum accuſavit*, eo quod mulier ſimul ediſſerit quæ vulgari poterant, & quod conſultius erat tacere. Hinc Morinus infert abrogatam a Nectario publicam tantum confeſſionem: quod præterea demonſtrat, quia ex confeſſione privata nullum poterat oriri ſcandalum, & quia hactenus ſecreta confeſſio apud Græcos, omneſque Orientales permanet inviolata. Ceterum Morinus non negat abrogatam fuiſſe a Nectario etiam publicam pœnitentiam, quidquid pag. 176. Venet. edit. ſcribat Tournelius: ſed quintum laudati capitis IX. paragraphum verbis iſtis abſolvit: *Duo ergo ſupereſſe poſſunt, quæ Nectarius abrogaverit, confeſſio certorum peccatorum publica, & publica peccatorum ſecretorum Pœnitentia: utrumque revera ſuſtulit Nectarius, ſed prioris tantum mentionem faciunt hiſtorici, quod ſcandalo occaſionem dederat.*

Henricus tandem Valeſius in ſuis ad Socratem Adnotat. duplicem diſtinguit confeſſionem mulieris, unam, qua ad aures pœnitentiarii expoſuit peccata ſingula, ad quorum expiationem juſſa eſt orationibus, fletibus, jejuniiſque vacare: alteram, qua revelavit illatum ſibi a diacono ſtuprum, quod peperit plebis commotionem, & Eccleſiæ infamiam & dedecus. Utramque confeſſionem privatam fuiſſe putat Valeſius, quod Socrates, Sozomenus, ac Nicephorus factam ſcribant *coram presbytero*, ad hoc conſtituto, ne ſcelera coram omnibus, & quaſi in theatro vulgarentur, idcoque mulierem confeſſam fuiſſe fidelium multitudine non adſtante. Ex ſecunda tamen confeſſione idcirco ſubortum ſcandalum cenſet Valeſius, quod presbyter pœnitentiarius accerſito diacono, eum ad fatendum crimen compulerit, & re ad Nectarium delata, (non tamen manifeſtato mulieris nomine, ne proderetur arcanum,) depoſitus ſit ſtuprator, in quem nunquam animadvertiſſet Epiſcopus, niſi a pœnitentiario criminis certior factus. Hinc vero ſparſo diaconi ſacrilegio, Nectarius ſuſtulit pœnitentiarium presbyterum; at non ideo abrogavit confeſſionem, aut pœnitentiam, quoniam non interdixit fidelibus, ne in poſterum ſe, aut presbyterorum aliquem adirent, neque ademit ſibi poteſtatem arcendi a ſacris myſteriis eos, qui ſcelus aliquod publicum perpetraſſent; ſed fecit poteſtatem ſingulis ad communionem accedendi abſque eo, quod ſe pœnitentiario juxta veterem diſciplinam ſubjicerent, modo ſecreta confeſſione conſcientiam a mortalis peccati labe expiaſſent.

Sunt hæc virorum doctiſſimorum reſponſa, ex quibus doctores Scholaſtici colligentes quæ vero videntur magis ſimilia, ajunt abrogatum a Nectario presbyterum pœnitentiarium; in qua re conſentiunt Socrates, Sozomenus, & Nicephorus: hunc presbyterum non excipiendis tantum confeſſionibus, ſed etiam pœnitentiæ peragendæ fuiſſe præpoſitum: inſtitutum fuiſſe occaſione Decianæ perſecutionis, ne lapſi abſque prævia pœnitentia reciperentur: commiſſum illi, ut exciperet depoſitionem teſtium, argueret reum, & cenſoria auctoritate invigilaret morum probitati: peccatis publicis ſtatutas pœnitentias indixiſſe, & interdum graviora aliqua publicaſſe, pœnitentis tamen conſenſu, ut is majori afficeretur pudore, & vehementius pro illo populus exoraret: patefactum hoc pacto mulieris ſtuprum, ſublatum pœnitentialem presbyterum, ac ita ſtatutum, ut deinceps pœnitentes, ii ſaltem, qui haberent crimina tantum occulta, non tenerentur adire publicum illum presbyterum, ſed reconciliati a quocunque alio juriſdictionem habente, etiam non peracto publicæ pœnitentiæ ſtadio, libere accederent ad myſteria: atque ita certum pœnitentiæ canonem fuiſſe abrogatum, non vero ſublatam confeſſionem ſacramentalem. Vide Eſtium diſt. 17. §. 7. ad 5. Sylvium in ſupplem. q. VI. art. 1. Juenin q. 5. cap. 1. art. 3. Tournely q. VI. art. 2. Witaſſium q. IV. art. 3.

Ut modo ſententiam, quam teneo, perſpicue tradam; dico primum, me non exiſtimare Socratem fuiſſe mentitum, quamquam Novatianis addictus calida fortaſſis uſus ſit oratione; non enim credo adeo fuiſſe frontis perfricatæ, ut id conſcriberet, de quo poterat ab omnibus redargui manifeſtiſsimæ falſitatis. Deinde dico, narratione facti hujus catholicum dogma invictiſſime corroborari. Nam Sozomenus, Valeſio interprete pag. 726. ita illud enarrat: *Ego vero dicam, quæ ſentio. Cum ex nullo penitus peccare, divinioris cujuſdam naturæ ſit, & humana præſtantioris, pœnitentibus vero, etiamſi ſæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit; cumque in petenda venia peccatum neceſſario confiteri oporteat; grave ac moleſtum ab initio jure merito viſum eſt ſacerdotibus, tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate, ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt: ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, abſolvebat confitentes, a ſeipſis pœnas criminis exacturos.* Eadem prorſus Nicephorus pag. 279. tom. 2. Traditur hic aperte neceſſitas confeſſionis: traditur confeſſio ſecreta apud ſacerdotem præditum taciturnitate ac prudentia: traditur inſtitutio hujus ſacerdotis, ideo facta ne peccata palam, & tanquam in theatro evulgarentur, & facta longe ante exortam hæreſim Novatianorum, ἐξ ἀρχῆς, *ab initio*, ut inquit Sozomenus; ſive ἀπὸ τοῖς ἔγγιστα Χριστοῦ ἱερωμένων, *ab Epiſcopis, qui proximo poſt Chriſtum fuere*, ut ſcribit Nicephorus. Affirmo præterea non unum fuiſſe in Eccleſiis presbyterum pro excipiendis ſecretis confeſſionibus; nam Serapion quidam in perſecutione lapſus, morbo correptus exclamavit, *Properate, quæſo, & me quantocius abſolvite: Accerſe mihi unum ex presbyteris*, apud Euſebium lib. VI. cap. 44. pag. 246. & Nicephorum lib. VI. cap. 6. pag. 395. Origenes hom. 2. in Pſal. 3. monet pœnitentes, ut circumſpiciant, cui presbyterorum debeant confiteri peccatum ſuum; & Cyprianus in libro de lapſis ait exomologeſim fieri *apud ſacerdotes*. Aſſero inſuper presbyterum pœnitentiarium, licet & ipſe confeſſionem pœnitentium audiret, poſt hæreſim Novatianam fuiſſe ſpecialiter conſtitutum, ut præeſſet pœnitentiis agendis, ac nemo ad myſteria accederet, priuſquam injunctas pœnas perſolviſſet. quod probo, primum, quia hoc proprie ſonat *πρεσβύτερος ἐπὶ τῆς μετανοίας*, *presbyter, qui præeſt pœnitentiæ*, quo vocabulo utuntur Socrates ac Sozomenus; cum *μετάνοια*, prout ab *exomologeſi* diſtinguitur, ſit executio operis in ſatisfactionem indicti: ulterius quia presbyteri *exomologeſim* excipientes inſtituti fuerant *ab initio*, & ante hæreſim Novatianam, quod & fatetur Sozomenus: rurſus quia idem auctor demonſtrans pœnitentialem presbyterum in Eccleſiis Occidentalibus, ac præcipue in Romana perſeveraſſe poſtquam abrogatus fuerat Conſtantinopoli, deſcribit orationes pœnitentium, publicamque horum reconciliationem, eo ferme pacto, quo feria V. majoris hebdomadæ faciendam præcipit Pontificale Romanum P. 3. tit. 3. inſuper quia revera objicientibus Novatianis, quod in Eccleſia lapſi omnes indiſcriminatim reciperentur, ſtudioſius data eſt opera, ne

lapſi

lapſi levarentur onere pœnitentiæ: qua in re enituit præſertim zelus Cornelii Romani Pontificis, & ſexaginta Epiſcoporum Concilium, ab ipſo coactum an. 251. nec non ſanctiſſimi martyris Cypriani, qui Cornelii, & Coepiſcoporum ſententiam laudat in epiſtola 52. ad Antonianum: ac demum quia ſublato pœnitentiario, etiam in Eccleſia Conſtantinopolitana perſeverarunt qui pœnitentium exciperent confeſſiones; ſcribente Chryſoſtomo hom. 33. in Matthæum pag. 318. omni cura ante communionem a fidelibus recipiendam eſſe reconciliationem & pacem, *atque hujus rei cauſa in Eccleſia ſedere presbyterum*. Adhæc ſentio ſcandalum in Eccleſia Conſtantinopolitana non fuiſſe exortum propter confeſſionem ſacramentalem, ſed propterea quod mulier poſt confeſſionem pœnitentiæ inſiſtens compreſſa fuerit a Diacono; idque aut ipſa imprudenter detexerit, aut pœnitentiarius noverit extra confeſſionem indicio aliquo: quod affirmo ductus hiſce momentis. Narrat ipſemet Socrates nobilem illam mulierem *ad pœnitentiarium presbyterum accedentem delicta poſt baptiſmum a ſe perpetrata ſingillatim depoſuiſſe*, καὶ κατὰ μέρος, inquit, ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας, ἃς ἐπεπράχει μετὰ τὸ βάπτισμα, ac ſtatim recenſet impoſitam ipſi mulieri pœnitentiam. Habemus itaque confeſſionem ſcelerum complurium, non in concione, ſed apud unum presbyterum factam, & quidem nullo suborto ſcandalo. Ait deinde Socrates, hanc mulierem *progreſſu temporis pronuntiaſſe crimen aliud, ac dixiſſe quomodo ſecum Eccleſiæ Diaconus concubuerit*, ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει, ἔλεγε γὰρ, ὡς οἱ συγκαθευδήσειεν αὐτῇ τῆς ἐκκλησίας διάκονος: quo in loco, ut ſupra animadvertit Petavius, bonus interpres appoſuit, *In confeſſione*, quod certe non extat in Socrate; imo idem Hiſtoricus neque hic adhibet verbum ἐξομολογεῖται, *confeſſa eſt*, quo verbo uſus eſt ſupra narrans confeſſionem ſacramentalem; ſed inquit, κατηγόρει *accuſavit*, *teſtificata eſt*, *palam commemoravit*, &, ἔλεγε, *dixit*: neque hic memorat presbyterum pœnitentiarium; ut ſcias non illi ſecreto accuſatum ſcelus, ſed patefactum etiam laicis; ideoque ſtatim de muliere proſequitur Socrates, *Id cum dixiſſet, diaconus quidem Eccleſia ejectus eſt; populus vero graviter commoveri cœpit*. Expreſſius Sozomenus ita rem narrat: *Matrona quædam nobilis ob peccata, quæ confeſſa fuerat, juſſa ab hoc presbytero jejunare, ac Deum ſuppliciter exorare; dum hujus rei cauſa in Eccleſia moraretur, a diacono ſe ſtupratam eſſe prodidit. Quo cognito plebs omnis vehementer ſuccenſuit, eo quod contumelia illata eſſet Eccleſiæ; nec mediocri probro expoſiti erant ſacri ordinis viri*. Ex quibus verbis dilucide apparet, ſtuprum illatum fuiſſe mulieri poſt confeſſionem, & dum in Eccleſia moraretur pœnitentiæ agendæ cauſa, atque ab ipſa, non a presbytero pœnitentiario idem ſtuprum fuiſſe proditum. Id confirmo ex quo amotus quidem fuerit pœnitentiarius, ſed nulla fuerit animadverſione punitus, neque increpatus a præſule, aut ab hiſtoricis iſtis reprehenſus; ſicuti fuiſſet utique, ſi ejus culpa occultum ſcelus innotuiſſet, cum illi potiſſimum demandata fuerit taciturnitas, prudentia, atque integritas. Ex quibus omnibus conſtat, Nectarium ſuadente Eudæmone conſtituiſſe, ne poſt ſacramentalem confeſſionem ageretur publica illa pœnitentia, cui, ut juxta canones perſolveretur, præerat aliquis presbyterorum, ne pœnitentibus ſacra in æde viris feminiſque commorantibus, conſimile aliquod facinus committeretur; & ea de cauſa amotum fuiſſe Pœnitentiarium: atque hoc idem affirmans de Nectario Sozomenus, *Presbyterum*, inquit, *qui agendæ pœnitentiæ præpoſitus erat, abolevit*, ἔπαυσε τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον.

Hanc reſponſionem non infringit quod addunt Socrates & Sozomenus, factam exinde cuique liberam poteſtatem ad ſacra myſteria accedendi, *prout ſibi conſcius eſſet, & fiduciam haberet ſui*: ſiquidem cum amplius non exigeretur forma illa pœnitentiæ, qua tantum in conventu Eccleſiæ abſoluta fas erat pœnitentibus ad communionem accedere, unuſquiſque poterat non expectato certo tempore percipere communionem, modo tamen careret culpa apud Deum, & pro delictorum menſura pœnas a ſemetipſo repeteret. Pari ratione ait Sozomenus antea minora fuiſſe peccata, *ob verecundiam eorum, qui ſua delicta enuntiabant, & ob ſeveritatem judicum, qui ad id erant conſtituti*; quoniam amoto pœnitentiario, & ſeveriori agendæ pœnitentiæ diſciplina ſublata, illi, qui confitebantur peccata ſua, ſubire non debebant publicam afflictationem ac pœnam, quæ conſequebatur accuſationem gravium delictorum, & ex qua oriri videbatur nota quædam infamiæ; atque ita improbi ſentientes ſe non afficiendos in conventu omnium pudore, neque diuturno cruciatu macerandos, majori libertate peccabant. Atque hæc ex paullo ſupra productis plana, dilucida, ac minime dubia ſunt.

Objiciunt præterea hæretici teſtimonia quædam Patrum, præſertim S. Joannis Chryſoſtomi, qui Nectario in Conſtantinopolitana ſede ſucceſſit. Is enim Hom. v. de Incomprehenſibili contra Anomœos num. 7. *Quamobrem*, inquit, *etiam atque etiam hortor, rogo & oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conſervorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conſcientiam tuam expande coram Deo, oſtende ipſi vulnera, & ab eo medicamenta poſtula: oſtende non exprobranti, ſed curanti: licet enim taceas, ipſe novit omnia*. Eadem Chryſoſtomus repetens Catecheſi 2. ad Illuminandos, num. 4. ait: *Nec hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittat, verum quod & ipſa non revelet, non manifeſta faciat, nec accedentes cogat in medio patrata dicere, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubeat, & ſibi confiteri*. Item Concione iv. de Lazaro: *Cur igitur te quæſo, pudet, & erubeſcis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? num conſervo confiteris, ut in publicum proferat?* ac paullo poſt, *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes. Mihi ſoli* (verba ſunt Dei peccatorem alloquentis) *mihi ſoli dic peccatum privatim, ut ſanem ulcus, teque dolore liberem*. Rurſus in Homilia, qua demonſtrat non eſſe ad gratiam concionandum, *Ac verecundaris*, inquit, *& erubeſcis enunciare peccata. Sane quidem, ſi coram hominibus ea dicenda eſſent & evulganda; non tamen ita pudere te oportuit; pudor enim eſt, & ignominia peccare, non quæ peccaveris confiteri: jam vero neque neceſſum eſt teſtibus præſentibus confiteri. Apud conſcientiæ rationes fiat inquiſitio delictorum: ſine teſtibus fiat judicium: Deus te confitentem ſolus audiat, Deus qui peccata non exprobrat, ſed confeſſione peccata delet*; paucisque interjectis, extremoque judicio ad memoriam revocato, *Hic judicium fit ſine teſtibus, ac tu ipſe in te judicium exerces qui peccaſti: at illic in medium orbis terrarum cuncta pandentur*. Hæc Chryſoſtomus juxta editionem noviſſimam; quibus conſimilia habet hom. 52. in Matth. 31. in Epiſtolam ad Hebræos & 2. in Pſalmum 50. inter ſuppoſititias rejecta. Accedunt alii Patres: Baſilius enim in Pſal. 37. ad ea verba, *Rugebam a gemitu cordis mei*, docet Davidem ſoli Deo clauſis oculis gemitus ſuos oſtendiſſe. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola canonica ad Letoium Epiſcopum Mitilenenſem, docet avaritiæ peccata a patribus, qui pœnitentiæ canones ediderunt, fuiſſe prætermiſſa, ideoque per confeſſionem non eſſe hujuſmodi peccata expianda. Ambroſius lib. x. in cap. 22. Lucæ ait: *Lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor eſt confiteri*: ac ſimilia habet Maximus Epiſcopus Taurinenſis Hom. 3. de Pœnit. Petri. Julianus Pomerius lib. 2. de Vita contemplativa peccatoribus *confeſſionem, aut emendationem proponit*, ideoque cenſet alterutram ſatis eſſe. Tandem venerabilis Beda lib. v. in Lucam ad illud, *Ita, oſtendite vos ſacerdotibus*, docet ſacerdotibus detegenda eſſe duntaxat crimina hæreſis, Judaicæ perfidiæ, & ſchiſmatis. *Cetera vero vitia*, inquit, *per ſeipſum interius in conſcientia, & intellectu Dominus ſanat, & corrigit*.

Reſp. Chryſoſtomum in præcitatis locis hoc unum velle, peccata aperienda non eſſe coram populi multitudine, unde oriri poſſit ingens pudor, & maxima verecundia; ſufficere autem ſi manifeſtentur ſoli Deo, ac ſine teſtibus, ſcilicet ſacerdoti Dei miniſtro, ac nemine eorum, qui palam confitentem probro afficiant, ſecretam *exomologeſim* audiente. Hanc reſponſionem omnibus omnino probatam, quamquam apertiſſima eſt, nitar nonnullis adnotationibus illuſtrare. Ac principio Chryſoſtomus nullibi dicit, *Ne confitearis ſacerdoti, ne crimen tuum detegas miniſtro Chriſti*, de quo alibi docet factam illi eſſe poteſtatem ſolvendi, ejuſque munus eſſe animorum purgare immunditiam: ſed ait, confitendum non eſſe *conſervo, qui in publicum proferat*; ideoque *conſervi* nomine non deſignat ſacerdotem ſecreto peccata excipientem, ſed contumelioſos laicos, ac plebem adverſus manifeſta ſcelera obmurmurantem, ut paullo ante contigerat ſedente Nectario. Pari ratione non ait, *Ne accedas ad ſacerdotem in templo ſedentem, ut tibi reconciliationem impertiatur*, ſiquidem oppoſitum docet hom. 33. in Matth. Verum ait, *Ne dicas peccata ei, qui palam enuntiet, & manifeſta faciat*, quemadmodum agit cum latrone judex ſæculi, cogens illum præſentibus teſtibus ad enuntianda flagitia: quo ſane tendunt ea verba, *De incomprehenſibili*, οὐδὲ γὰρ εἰς θέατρόν σε ἄγω τῶν συνδούλων σου, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα, *Neque enim in theatrum te duco conſervorum tuorum, neque vi impello ad hominibus revelanda peccata*: quod repetit hom. iv. de Lazaro, aliiſque productis locis. Rurſus Chryſoſtomus ubique declamatoria oratione curat peccatorem inducere ad ſuperandam illam verecundiam, qua detinetur, ne peccata confiteatur: atque ad id utitur comparatione ſummæ illius confuſionis, qua reprobi afficientur in die judicii. Hæc autem comparatio in eo ſita eſt, quod longe major erit erubeſcentia traduci univerſo terrarum orbe ſpectante, quam ſit uni tantum homini commiſſum ſcelus detegere, prout ſanctus Doctor docet in Homilia de Samaritana: ideoque monens, ne erubeſcamus confiteri peccata uni Domino, opponit privatam confeſſionem factam ſacerdoti, ſolo audiente Deo, manifeſtationi criminum aliquando coram omnibus evulgandorum. Rurſus quod ait fieri nunc inquiſitionem criminum *apud rationes conſcientiæ*, nil ſonat aliud, niſi illum tantum accuſatorem eſſe, & adverſus peccantem poſtulare judicium, qui ſui criminis conſcius eſt, ac ſine teſtibus exerceri judicium iſtud; contra quam fiat in magiſtratu, ut ait Catecheſi 2. ad illuminandos, aut fiet dum in medio orbis terrarum cuncta pandentur, ut repetit hom. v. de Incomprehen-

prehenſibili, & hom. in qua demonſtrat *non eſſe ad gratiam concionandum*. Præterea iiſdem in locis, ac præſertim Conc. IV. de Lazaro, docet non alia ratione Deum velle, ne erubeſcamus confiteri peccata, niſi ut ea nobis relaxet, nobiſque declaret vehementiam amoris ſui, atque ut ſciamus quæ nobis debita dimittantur, exemplum afferens mulieris peccatricis, de qua Lucæ VII. 37. At niſi ſacerdoti ulcus animæ detegamus, nullum nobis exhibetur pignus remiſſionis, nullum datur argumentum amoris, nec percipimus quale nobis debitum relaxetur, immo nec audimus verbum illud conſolationis pleniſſimum, *Vade in pace*; & conſequenter Chryſoſtomus in ipſa complexione orationis demonſtrat nomine confeſſionis factæ *ſoli Deo* deſignari a ſe confeſſionem ſacramentalem. Denique juxta Chryſoſtomum, alioſque Græcorum, quæ per ſacros miniſtros exercentur, ficti dicuntur a ſolo Deo; ait enim ſanctus Doctor hom. 50. in Matth. de Euchariſtia, hanc hominem non operari, atque in ea ſolum Chriſtum manus extendere; quod eatenus dictum eſt, quatenus Regi tribuuntur quæ ipſius nomine efficiuntur a miniſtris; *Sacerdos enim miniſter eſt Chriſti*, ὑπουργὰς γάρ ἐςιν ὁ ἱερεύς. Quamobrem ſacerdos excipiens apud Græcos confeſſionem ſacramentalem, ita pœnitentem alloquitur, Ἀδελφὲ δὲ ὁ ἦλθες πρὸς Θεὸν, καὶ πρὸς ἐμὲ; μὴ αἰσχυνθῇς, οὐ γὰρ ἐμοὶ ἀναγγέλλεις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ, ἐν ᾧ ἵστασαι, videlicet, *Frater, cur acceſſiſti ad Deum, & ad me? Ne, quæſo, erubeſcas; non enim mihi peccata enuntias, ſed Deo, apud quem conſiſtis*. Vide Arcudium lib. IV. Concord. pag. 350. & Goarium in *Orat. ſuper Pœnit*. pag. 679. Euchologii. Ex quibus conſtat dici a Chryſoſtomo confeſſionem factam *ſoli Deo*, quæ fit ad aures miniſtrorum ſacrorum: appellari horum tribunal *inquiſitionem conſcientiæ*; quoniam iſtic exercetur judicium privatim, & ſine teſtibus: opponi judicium iſtud illi, quod fit cum magno dedecore, dum a judicibus ſæculi puniuntur latrones, eo quod huic interſit ſolus ſacerdos ac pœnitens ſui ipſius accuſator: non prodeundum denique *in theatrum*, neque *conſervis* crimina revelanda, quoniam enuntiantur Deo per miniſtrum ſuum illa relaxanti; non autem publice proferuntur, non in Eccleſiæ conventu, non coram hominibus obloquentibus, atque exprobrantibus.

Reliqua ſunt facilioris expeditionis: nam Baſilius docet peccata aperienda eſſe ſacerdotibus in Quæſtionibus brevioribus, & in Epiſtola ad Amphilochium. In Pſalmum itaque 37. de contritione Davidis, non de ſacramento novæ legis pertractat, tametſi gemitus cordis minime oris confeſſionem excludat. At Gregorii Nyſſeni teſtimonio Dallæus, aliique hæretici refelluntur; ſiquidem poſteaquam in laudata Epiſtola canone 6. ait avaritiæ, quæ eſt idololatriæ ſpecies, omniumque malorum radix, in canonibus Pœnitentialibus medelam & curam, certam ſcilicet pœnæ quantitatem non fuiſſe præſcriptam, eo quod inexplebilis ſit affectionis, quam neceſſum ſit omni ſtudio purgare; docet eodem canone, ſi avarus aliqua ratione ſibi alienum uſurpet, præſtari illius morbo medicamentum, *dummodo per enunciationem aperiat peccatum ſuum ſacerdoti*, εἴτα δι' ἐξαγορεύσεως τὸ πλημμέλημα αὐτοῦ τῷ ἱερεῖ φανερώσας, & largiendo pauperibus, quæ habet, evellat pravam ex animo cupiditatem. Ambroſius lib. X. in Lucam nu. 89. docet converſionem ejus, qui grave aliquod crimen perpetravit, initium ducere a lacrymis; ſed minime confeſſionem excludit, quin proximo n. 90. inquit: *Si in aliquo fortaſſe labaris; quia ſecretorum tuorum* (Deus) *adſiſtit teſtis, reſpicit ut recorderis, & fatearis errorem. Imitare Petrum dicentem alibi tertio: Domine, tu ſcis quia diligo te. Etenim quia tertio negaverat, tertio confitetur: ſed negavit in nocte, confitetur in die*. Hæc tamen poſtrema verba potius ſignificant confeſſionem laudis, quam ſceleris. Poteſt ulterius reſponderi, quando Petrus peccavit ac flevit, nondum confeſſionem fuiſſe inſtitutam. Similia, ac eadem prorſus cum Ambroſio ſcribit citata hom. ſanctus Maximus, tom. VI. Bibl. PP. pag. 23. Juliani Pomerii Opus de vita Contemplativa, quod nonnulli Proſpero adtribuerunt, adverſarios noſtros valde perſtringit; libro enim 2. cap. 7. ita legitur: *Porro illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata; ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, habituri ſunt & ultorem*. His traditur aperte neceſſitas confitendi occulta crimina. Nimis vero permovetur Dallæus particula illa disjunctiva, *Aut*; quandoquidem planiſſimus ſenſus eſt, Deum eſſe ultorem illorum, qui *aut* peccata non confitentur, *aut* ſi confiteantur, non ſe emendant, ſed in eodem hærent luto. Dixerat idem Pomerius paullo ſupra eodem in capite, neceſſariam eſſe confeſſionem, quoniam *aliorum animos, quales ſint, ſine ipſorum confeſſione neſcimus*: & rurſus ait, *nobis quoslibet peccata ſua, tanquam medicis vulnera, quibus urgentur, aperire*: quæ excutiat verſutiſſimum Dallæi ingenium, ſi valet. Denique Beda lib. V. in Lucam cap. 69. ſermonem inſtituit de reconciliatione, & receptione eorum, qui ſunt extra Eccleſiam, non de abſolutione ſacramentali; ſcribit enim: *Quiſquis vel hæretica pravitate, vel ſuperſtitione gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam ſchiſmate fraterno, quaſi vario colore per Domini gratiam caruerit, neceſſe eſt ad Eccleſiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, oſtendat*, nimirum palam doctrinam fidei profiteatur. Si vero *lepræ* nomine intelligas peccata eorum, qui ſunt in Eccleſia; audias, obſecro, eumdem Bedam in epiſtolam Jacobi cap. V. ita loquentem: *In hac ſententia* (*Confitemini alterutrum peccata veſtra*) *illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana, leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione ſalvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem ſacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter, & quanto tempore juſſerit, purificari curemus*.

PROPOSITIO III. In dogmate hactenus propugnato conſentiunt Patribus Gratianus collector Canonum, ducesque Scholarum.

Addo hanc theſim, quoniam hæretici nobis Gratianum acerrime opponunt, ac ſimul in nos urgent teſtimonia quædam Scholaſticorum. Gratianus itaque de Pœnit. diſt. 1. num. 37. cap. *Omnis*, expendens verba illa Joannis, *Omnis, qui non diligit, manet in morte*, docet alios aſſerere, quod peccatum remittatur per contritionem, quæ confeſſionem præcedit; alios e contra tenere, *ſine confeſſione oris, & ſatisfactione operis, neminem a peccata poſſe mundari, ſi tempus ſatisfaciendi habuerit*: quam poſtremam ſententiam confirmat verbis Iſaiæ, *Dic tu iniquitates tuas, ut juſtificeris*, & Ambroſii ſcribentis in libro de Paradiſo cap. 14. *Non poteſt quiſquam juſtificari a peccato, niſi ante fuerit peccatum confeſſus*. Supino autem errore, & craſſa ignorantia Theologicarum aſſertionum hallucinantur hæretici, dum nobis priorem illius commentarii partem objiciunt, quaſi Gratianus probabile exiſtimaverit confeſſionem neceſſariam non eſſe ad delendum peccatum: aliud quippe eſt aſſerere efficacitatem contritionis, quæ ſua vi juſtificet impium; aliud eſt negare confeſſionis neceſſitatem. Fatemur etenim extitiſſe quoſdam ſcholaſticos illius contritionis propugnatores, de quibus prolixe egimus pag. 161. hujus voluminis; at illos minime confeſſionem negaſſe, apertiſſime oſtendimus eodem loco. Gratianus itaque horum opinionem recitans, nullum præjudicium affert confeſſioni; quin illa opinione ſuppoſita tamquam probabili, *Fit confeſſio*, inquit, *ad oſtenſionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ*. Ex quibus apparet, quantum aliqui cæcutierint in Decreto pervolutando. Profert deinde Gratianus canones de neceſſitate pœnitentiæ expreſſiſſimos, XLI. quem tribuit Chryſoſtomo, (eſt autem Chromatii Aquilejenſis) *Non poteſt quis gratiam doni cæleſtis accipere, niſi purgatus fuerit ab omni ſorde peccati per Pœnitentiæ confeſſionem*: & XLIV. ex Auguſtiniano ſermone 392. ad Conjugatos num. 3. *Nemo ſibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo: ergo ſine cauſa claves datæ ſunt Eccleſiæ Dei: fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti. Promittimus vobis, quod ille negat*. Vide in eadem diſtinctione canones hujus generis plurimos. Tandem Gratianus, permultis Patrum productis teſtimoniis, quibus videtur affirmari ſola cordis contritione non deleri peccatum, cap. 87. inquit: *His auctoritatibus aſſeritur neminem ſine pœnitentia & confeſſione propriæ vocis a peccatis poſſe mundari: unde, præmiſſæ auctoritates, quibus videbatur probari ſola contritione cordis veniam præſtari, aliter interpretandæ ſunt, quam ab eis exponantur*.

Quantum ad Scholaſticos pertinet, dilucide confeſſionis neceſſitatem tradiderunt Guilelmus Pariſienſis de Pœnit. cap. 10. Magiſter ſent. diſt. XVII. art. 3. Petrus Pictavienſis ſent. p. 3. cap. 12. Alexander Alenſis p. 4. q. 18. S. Thomas in IV. diſtinct. 17. S. Bonaventura, Scotus, aliique, tam veteres, quam recentiores in eamdem diſtinctionem: in quorum verbis producendis, cum apertiſſima ſint, ſatis obvia, ſimulque collecta a pluribus, nil inſumam temporis, ſed ea uberiori proventu dilucidabo, quæ inde adverſarii noſtri depromunt.

Oppones: Gratianus de Pœnit. diſt. 1. num. 87. poſteaquam plura de neceſſitate confeſſionis ad expianda peccata protulit, finemque priori paragrapho *His auctoritatibus*, impoſuit ſententia iſta, *Non ergo præmiſſis auctoritatibus, vel argumentis, ſine confeſſione oris, & ſatisfactione operis aliquis probatur a peccata mundari*, quibus utique adſtruere videtur ſententiam Catholicorum; paragrapho 2. *E contra*, non minori argumentorum copia nititur commonſtrare, quod ſola contritione cordis, *ſine confeſſione oris peccata poſſint deleri*. Ad quod evincendum ait primo, Joannem Chryſoſtomum, Ambroſium, ac Proſperum (intellige, ut monui ſupra, Julianum Pomerium) tenere oppoſitum. Ait deinde illa verba, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, exhortationis eſſe, non juſſionis: & ſi qua alia jubendo dicta ſunt, non ad exteriorem, ſed ad interiorem pœnitentiam eſſe referenda, *ſine qua nullus unquam Deo poterit reconciliari*. Contendit præterea nihil aliud ab Auguſtino doceri, niſi denegandam veniam peccatori, qui prius peccati pœnam non ſolvit: *Sed aliud eſt*, inquit, *peccatum ſacerdoti confiteri, & ejus arbitrio de peccato ſatisfacere; atque aliud Deo corde confiteri, & ſecreta ſatisfactione peccatum in ſe ipſo punire*. Poſt multa vero hujus generis concludit: *Præmiſſis itaque auctoritatibus pro manifeſtis criminibus manifeſta probatur offerenda ſatisfactio, & oris confeſſio: latentia vero peccata non probantur ſacerdoti neceſſario confi-*

ten-

tenda, & ejus arbitrio expianda. Inſuper Gratianus poſt cap. *Quamvis plenitudo*, eadem diſt. num. 89. hæc habet verba. *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis, & confeſſionis innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem harum adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur: utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros*: ex quibus apparet fuiſſe ætate Gratiani, ſæculo nempe XII., qui propugnarent, & qui etiam denegarent neceſſitatem confeſſionis, ac poſſe impune utrumque teneri; ut videtur etiam innuere Magiſter ſent. in IV. diſt. 17. Ad hoc denique confirmandum producit Gratianus ex Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi proximum cap. 90. *Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dixerunt, ut Græci: quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota fere ſancta Eccleſia, &c.* Hoc eſt argumentum, quod hæretici omnes, præſertim vero Dallæus, pugnaciſſime tractant, ac premunt.

Addam in hujus argumenti confirmationem nonnulla. Primo Joannes Theutonicus de Pœnit. diſt. 5. poſtquam multa de confeſſione diſſeruit, *Sed melius dicitur*, inquit, *fuiſſe inſtitutam a quadam univerſalis Eccleſiæ traditione*: atque hinc infert neceſſariam non eſſe Græcis, quos non obſtringit traditio Eccleſiæ Romanæ, *ſicut nec traditio conſecrandi in azymo.* Rurſus S. Bonaventura in IV. diſt. XVII. art. 2. q. 4. docet confeſſionem non requiri ad juſtificationem, *cum ſequatur contritionem, quæ ſine juſtificatione non eſt*; & 2. parte ejuſdem diſtinctionis ait habendum fore ut hæreticum, ſi quiſmodo negaret neceſſitatem confeſſionis, quoniam de ipſa habetur definitio Lateranenſis Concilii ſub Innoc. III. *ſed ante hanc determinationem hoc non erat hæreſis, quia ipſi non negabant poteſtatem clavium, ſed negabant neceſſitatem; & bene concedebant, quod utile erat confiteri, & ſacerdotes poterant abſolvere. Ideo Magiſter, & Gratianus in decretis hoc referunt tanquam opinionem: tamen uterque improbat hoc, & determinat in contrarium.* Ulterius Scotus eadem diſt. XVII. quæſt. unica art. 1. etſi fateatur confeſſionem ſacramentalem eſſe a Chriſto inſtitutam, negat tamen hinc inferri, quod ſit neceſſaria, aut poſſit ille aperte revinci, qui affirmarit eſſe eamdem confeſſionem de jure Eccleſiaſtico, non autem divino. Durandus quoque, ut de illo refert Eſtius in eamdem diſtinctionem §. 7. *eo propendet, ut putet confeſſionem non eſſe præcepti, ſed conſilii.* Poſſunt itaque hæretici ex Decreto Gratiani, & ex Commentariis illuſtrium Scholaſticorum nos plurimum exagitare.

Reſpondent ad Gratiani verba Eſtius loco nuperrime laudato, Sylvius in Supplem. q. 6. art. 1. & alii quidam, ſcriptorem illum *de hac re non habuiſſe fixam ſententiam.* S. Bonaventura, S. Thomas, aliique Scholaſtici in IV. diſt. 17. ajunt mentem fuiſſe Gratiani, quod confeſſio ſit utique a Chriſto inſtituta, ſed ejus neceſſitas definita ſolius Eccleſiæ decreto, quo nondum lato, fas erat ſine crimine hæreſis de ipſa neceſſitate hæſitare. Quidam, ut Gregorius de Valentia, cenſent Gratianum turpiter allucinatum nonnulli cum Antonio Auguſtino J. C. clariſſimo putant totum id fuiſſe Gratiano ſuppoſitum. Permulti denique cum Witaſſio, Tournelio, & juniorum pleriſque, ajunt locutum Gratianum de efficacia, non de neceſſitate confeſſionis, ne præjudicium afferret ullum pervulgatæ opinioni, quod ſola contritione deleatur peccatum, neceſſariam tamen eſſe confeſſionem, ſeu quod hujus votum includatur in contritione, cujus vi impius juſtificatur, ſeu quod abſolutio ſacerdotalis neceſſaria ſit ad remiſſionem pœnæ, prout diximus ſuperiori diſſert. cap. 5. & 6. Reſponſio autem noſtra eſt hujuſmodi. Gratianus in tota illa quæſtione 3. cauſæ XXXIII. ac diſt. 1. de Pœnit. quærit, *An aliquis poſſit promereri veniam criminis abſque ſacerdotali judicio*, ut conſtat ex illius quæſtionis titulo pag. 1553. Rom. edit. Profert primo canones ſexaginta, quorum aliqui tradunt mundari impium a culpa, lacrymis & contritione, aliqui vero judicium quoque ſacerdotis commemorant: ac poſt cap. *Voluiſſent iniqui*, ordine lx. expreſſe docet, *quod ſine confeſſione oris, & ſatisfactione operis peccatum non dimittitur.* Producit etiam ad hoc demonſtrandum argumenta permulta, inter quæ exemplum eorum, quos Dominus mundavit a lepra, inde inferens, *quod ille, quem gravioris culpæ macula inficit, niſi confeſſione proprii oris, vel Eccleſiæ interceſſione ſuffragante, ſanari non poterit.* Habes haſtenus Gratianum catholici dogmatis aſſertorem. Profert deinde alios canones uſque ad octuageſimum ſeptimum, *Quis aliquando*: quo producto canone, ſcribit quæ ſupra commemoravi, *His auctoritatibus aſſeritur neminem ſine pœnitentia, & confeſſione propriæ vocis a peccatis poſſe mundari*, ac rurſus ſententiam hanc validiſſimis argumentis propugnat ad finem uſque illius §. Sequitur §. 2. *E contra auctoritas illa Joan. Chryſoſtomi, &c.* unde ſuperius argumentum fabricatum eſt; & ubi ſane demonſtrat poſſe impium mundari per interiorem pœnitentiam, *modo in ſe ipſa puniat peccatum, contritione cordis, & ſecreta ſatisfactione.* Vides hic, opinor, quam librata ſit reſponſio Eſtii; ſiquidem nonne in his apparet opinionum inconſtantia, atque manifeſta oppoſitio? Vides quoque probabilem eſſe reſponſionem alteram Antonii Auguſtini, quam vix credi poſſit pugnantia hæc erupiſſe ab homine ſanæ mentis. At ſiſtendo tamen in reſponſione poſtrema, dico Gratianum hinc inde diſſerere de vi peccatorum expiatrice; quæ num inſit contritioni cordis, num ſacerdotali judicio, num utrique, erat eo temporis quæſtio adiaphora. Ceterum poſt hanc ancipitem excurſionem Gratianus quæſtionem dirimens agnoſcit confeſſionis neceſſitatem: quare in dijudicandis Gratiani & Magiſtri verbis S. Bonaventura fuit ceteris oculatior. Etenim Gratianus ſubjicit tertium §. 3. *E contra eo*, ubi ait: *Quæ in aſſertione hujus ſententiæ dicta ſunt, partim veritate nituntur, partim pondere carent. Sine contritione etenim cordis nullum peccatum poſſe dimitti, occulta vero peccata ſecreta ſatisfactione, publica quoque manifeſta pœnitentia expiari debere, firmiſſima conſtat ratione ſubnixum. Porro ſine confeſſione oris, ſi facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari, auctoritati penitus probatur adverſum*: atque id multiplici ratione rurſus commonſtrat. Ex qua accurata, ut arbitramur, analyſi diluitur objectio, & vindicatur Gratianus, ut ut in aliis ſe geſſerit, in hac quidem parte prudens ac temperatus. Tenuit eumdem plane modum Magiſter, qui diſt. 17. libri quarti de expiatione peccati per contritionem cordis, & per confeſſionem oris, duobus articulis utrimque egit; ac in tertio concludit, *oportere Deo primum, & deinde ſacerdoti offerri confeſſionem, nec aliter poſſe perveniri ad ingreſſum Paradiſi, ſi adſit facultas.* Ad poſtremum canonem, *Quidam Deo*, primo dicimus adjecta eſſe illa verba, *ut Græci*, nec non particulam illam *fere*, nam apud Burchardum lib. 19. cap. 145. & Ivonem cap. 155. ita legitur: *Quidam Deo ſolummodo confiteri deberi dicunt peccata: quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent.* Et quidem, ut adnotatum eſt in edit. Gregoriana, τὸ *ut Græci*, & τὸ *fere* deſiderantur in Pœnit. Theodori, & in Concilio II. Cabilonenſi, unde capitulum illud exſcriptum fuit. Admiſſa deinde Gratiani lectione, affirmamus inde probari, non everti dogma catholicum; quandoquidem ſententia in Eccleſia communior præferenda eſt opinioni *quorumdam Græcorum* a vero aberrantium, cum tamen Græci alii, & Eccleſia orthodoxa nobis conſentiant. Adhæc aſſerimus varietatem illam opinionum verſari tantummodo circa vim peccatorum expiatricem, ut ſupra explicavi: ac tandem reponimus, ea ſententiarum diverſitate præmiſſa, in eodem canone hæc ſubjici: *Quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam*, pluribus aliis ſubjectis, quibus innuitur, per confeſſionem, *quæ fit ſoli Deo*, in perfectis juſtiſque deleri venialia peccata inviſibili gratiæ adminiſtratione, ac per confeſſionem, *quæ fit ſacerdoti*, purgari ſcelera omnia *medicorum operatione.*

Parvi momenti ſunt quæ ſequuntur. S. Thomas in IV. diſt. 17. quæſt. 3. pertractans de confeſſionis neceſſitate inquit, *Ad tertiam quæſtionem dicendum, quod ad confeſſionem dupliciter obligamur: uno modo ex jure divino, ex hoc ipſo, quod eſt medicina, & ſecundum hoc non omnes tenentur ad confeſſionem, ſed illi tantum qui peccatum mortale incurrerint poſt baptiſmum. Alio modo ex præcepto juris poſitivi, & ſic tenentur omnes ex inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio Generali ſub Innoc. III. &c.* Igitur Joannes Theutonicus loquitur de poſtrema hac *inſtitutione*, quam tamen melius dixeris *temporis definitionem*. Scio Durandum, & Eſtium acriter *Gloſſam* Joannis Theutonici reprehendere, fortaſſe ob *inſtitutionis* vocabulum; quo cum etiam utatur Doctor Angelicus ad deſignandam determinationem temporis, non arbitror hac tantum de cauſſa vellicandum eſſe infortunatum illum ſcriptorem. At S. Bonaventura cit. quæſt. 4. neceſſitatem confeſſionis propugnat, non quidem ad habendam juſtitiam, ſed ne violetur præceptum divinum, & ne per ſacramenti neglectum cadat quis a juſtificatione. Putabat quippe ſanctus Doctor requiri in pœnitente contritionem caritate *habituali* formatam, ut conſtat ex q. 4. præcedentis articuli pag. 246. editionis, quam exornavit noſter Angelus Roccha. Altera autem diſtinctionis parte pag. 252. quamvis eo nomine, quod nondum celebratum fuerit Concilium Lateranenſe, excuſet Magiſtrum & Gratianum, (quos tamen alia via ducimus eſſe excuſandos, nempe quod egerint de vi juſtificandi indita cordis contritioni, probantes opinionem quorumdem, quam poſtea tenuit Doctor idem Seraphicus;) nihilominus bene, ſapienterque ſcribit utrumque, Gratianum ſcilicet ac Magiſtrum, improbaſſe opinionem negantium neceſſitatem confeſſionis; eamdemque neceſſitatem agnoſcit, probatque primo, & ſecundo ejuſdem partis articulo. Quapropter ex S. Bonaventuræ doctrina in hæreticos duplici telo pugnamus, & quia S. Doctor ait ad confeſſionem teneri univerſos, & quia teſtatur idem docuiſſe Magiſtrum & Gratianum. Ad Scotum denique ac Durandum quod attinet, reſpondet in fine hujus quæſtionis doctiſſimus Eſtius, *minus conſiderate* locutos eſſe, neque ex eorum verbis præjudicandum judicio totius Eccleſiæ, omniumque Doctorum. Sed nec Scotus, nec Durandus patrocinantur hæreticis. Scoti enim ſententia eſt in IV. diſt. 17. qu. un. art. 1. confeſſionem inſtitutam eſſe a Chriſto Domino, atque id colligi ex illis verbis, *Quorum remiſeritis, &c.* Ceterum ex hac inſtitutione negat Scotus, invicte probari confeſſionis neceſſitatem, propterea quod non ſequitur, *Eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ergo ad ſalutem neceſſarium eſt*: quum & extrema Unctio & Confirmatio,

matio, inquit ille, a Domino ſint inſtitutæ, non tamen omnino ſint neceſſariæ: quare Scotus neceſſitatem confeſſionis aliunde repetit, videlicet, ex quo teneamur *ex caritatis præcepto* uti remedio peccatorum faciliſſimo, cujuſmodi eſt eadem confeſſio. Aperta ſunt verba Scoti tom. IV. pag. 690. editionis, quam curavit vir inſtituti, & agnominis mei accuratiſſimus, Paulinus Berti Lucenſis. An vero Scoti ratiocinatio infirma ſit, quod ſententia complurium non teneamur ex præcepto caritatis adhibere præſentius faciliuſque remedium; id nihil moror. Certe Scotus efficaciſsimam arbitratur, ac talem cenſet quæſt. 16. de Pœnit. art. 1. vindex ejus acerrimus Maſtrius. Durandus pariter diſt. XVII. q. 8. n. 6. ſcribit inſtitutam eſſe confeſſionem jure divino, & proxima quæſt. IX. neceſſariam illam eſſe demonſtrat, *quia omne remedium ordinatum contra culpam, sine quo non ſtat gratia, eſt de neceſsitate ſalutis*. Atque hæc de mente Gratiani, & illuſtrium quorumdam Scholaſticorum, quos nobis objiciunt hæretici, dicta ſint hactenus.

PROP. IV. Sacramentalis confeſsio non eſt medium ad ſalutem conſequendam tantum perutile, ſed neceſſarium neceſsitate illa, quam dicunt *medii*, iis, qui poſt baptiſmum inquinantur mortali culpa.

Demonſtratur argumentis præcedentium propoſitionum: nam oſtendimus prop. 1. ex Evangelicis verbis, *Quorum remiſeritis*, &c. ſacerdotes ligandi ac ſolvendi poteſtate præditos eſſe; atque hanc poteſtatem exerceri nequaquam poſſe abſque confeſsione ſacramentali: qua veritate præſuppoſita hæc theſis certa illatione conſequitur. Extra controverſiam enim poſitum eſt, neminem ſalvari, niſi ſolutus ſit a peccatis: At impius a peccatis ſolvi ſine confeſſione ſacramentali non poteſt: Ergo nec poteſt abſque ſacramentali confeſsione ſalvari. Nec dicas poſſe impium a peccatis abſolvi alia via, ſcilicet vehementi contritione, aut caritate fragranti; primo enim hæc duo, caritas, & contritio, minime juſtificant abſque Sacramenti voto, quod in ipſis includitur: deinde etſi contritio juſtitiam conferret efficacitate propria; tamen quum Chriſtus juſſerit, ut pœnitentes ſubjiciantur ſacerdotibus; niſi id præſtarent, ob violatum Dei præceptum a juſtificatione deciderent, eo ferme pacto, quo leproſi a Chriſto mundati gravi animadverſione fuerunt digni, quod ſacerdotibus ſe probandos, num, & qua ratione fuerint mundati, non exhibuerint: præterea cum idem Chriſtus conſtituerit certos abſolutionis miniſtros: ſummæ arrogantiæ, non pœnitentis animi, indicium foret, velle alia via reconciliationem, ac pacem; quemadmodum demens omnino eſſet, qui vellet evadere ſupplicium ſibi civili lege infligendum, nec abſolutionem impetrare a judice, cui ipſius cauſam ſupremus rex demandaſſet.

In altera propoſitione demonſtravi perantiquum confeſſionis uſum ex decretis Pontificum, ex Conciliis, ex Patribus. Inde vero confirmatur neceſſitas, de qua loquimur. Ex Romanis Pontificibus S. Leo in epiſtola ad Theodorum, non utile tantum, verum & neceſſarium eſſe declarat, ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur; & magnus Gregorius hom. 26. in Evangelia, ſcribit jacere cum Lazaro mortuum in culpa quiſquis foras non egreditur per confeſſionem. Ex Conciliis produximus Lateranenſe IV. declarens ſacerdotem eſſe medicum, qui ad inſtar Samaritani, ſauciati vulneribus ſuperinfundere debet vinum, oleumque, ligatum ſolvere, ſemivivum erigere, & infirmo adhibere remedium. Laudavimus etiam ſextum canonem ſeſſ. XIV. Tridentini Concilii; cujus capite 2. hæc ſunt alia verba: *Eſt autem hoc ſacramentum pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus*. Ex Patribus audivimus Irenæum, ſcribentem inceſtuoſas mulieres ideo compulſas ad flagitii ſui turpitudinem retegendam, quia noverant nullum alium adeſſe ſalutis aditum: Ambroſium de Pœnitentia, affirmantem ſolvi verecunda confeſſione criminum nexus: Auguſtinum parentem noſtrum, docentem fruſtrare Evangelium & verba Chriſti illum, qui ait deleri peccatum ſine Eccleſiæ clavibus, & occulta apud Deum expiatione. Quæ, & alia plura ita hanc poſitionem confirmant: Ambigi nequit de aſſerta a nobis neceſſitate confeſſionis ſacramentalis, ſi peccatorum nexus a ſacerdotibus ſolvi debeant; ſi ab ipſis præſtandum ſit neceſſarium remedium vulneribus animorum; ſi ut baptiſmus originale peccatum, ita Pœnitentiæ ſacramentum, cujus confeſſio pars eſt, abluat deleatque actualia; ſi plurimum decipiatur, qui agit pœnitentiam occulte, ſemetipſum Eccleſiæ clavibus non ſubjiciens. Atqui hæc omnia docent Romani Pontifices, docent Concilia Epiſcoporum, docent Eccleſiæ Patres. Igitur nefas eſt ambigere de ea, quam aſſerimus, confeſſionis neceſſitate.

In tertia demum propoſitione explicans Theologorum placita circa neceſſitatem hujuſmodi, animadverti ex S. Thoma, Scoto, Durando, aliiſque confeſſionem eſſe inſtitutam a Deo in remedium peccatorum, ab Eccleſia autem præceptam ſemel in anno, ut Chriſtifideles agnoſcant Paſtorem ſuum, & digne accedant ad Euchariſtiam. Igitur ſi loquamur de confeſſione, quatenus inſtituta eſt in medicinam peccatorum, hac inſtitutione ſuppoſita, neceſſaria erit lapſis in re, aut in voto, tamquam medium, ſine quo obtineri æterna ſalus non poteſt; & ſi de ipſa confeſſione inſtituatur ſermo, tamquam Paſchalibus feriis repetenda, erit neceſſaria neceſſitate præcepti, in quo adimplendo explorat Eccleſia, quænam ſint oves propriæ, voci Paſtoris obtemperantes.

Oppones primo: Ex quo ſacerdotes conſtituti ſint a Chriſto judices illis verbis, *Quorum remiſeritis*, &c. non conſequitur neceſſariam eſſe confeſſionem, ſed tantum poſſe ſacerdotes iis abſolutionem impendere, qui ultro ac ſponte velint ſeipſos talibus judicibus ſubjicere. Igitur ex Evangelicis verbis non demonſtratur confeſſionis neceſſitas. Deinde his verbis, ut paſſim ajunt hæretici, aſſeritur ſola poteſtas annuntiandi Evangelium, ac baptizandi, non autem facultas dimittendi crimen, hominibus confeſsione oris aperiendum. Rurſus audio eo in loco poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, *confeſſionem* autem non audio: quumque poſſit quis a patratis ſceleribus ſolvi abſque confeſsione peccati, prout abſolvitur in baptiſmo; fruſtra inde colligas oris confeſsionem, de qua diſſerimus. Quid inſuper vetat, ne eadem verba, *Quorum remiſeritis*, &c. accipiantur de condonatione, qua illatas ſibi injurias frater fratri dimittit, eo ferme pacto, quo ab Auguſtino ſerm. 82. explicantur conſimilia Evangelii verba, *Quæcumque ligaveritis*, &c.? Ad hæc, ut ratiocinatur lib. IV. Hiſt. Trid. Conc. Petrus Suavis, num. 50. liquido apparet in verbis Chriſti non diſtingui duo genera criminum, quorum unum oporteat remittere, & alterum quod retinere, ideoque ſacerdoti ſciendum, cujus peccati delinquens reus ſit, ſed diſtingui duo genera peccantium, his pronominibus, *Quorum*, & *quorum*, ideſt, unum *pœnitentium*, quibus conceditur peccatorum remiſſio, alterum *impœnitentium*, quibus remiſſio denegatur: ideoque ſacerdoti cognoſcendum ſtatum delinquentis, non autem peccatorum naturam, numerum, gravitatem. His quidem cavillatis hæretici argumenta ſuperius producta eludere, & labefactare nituntur.

At nonnulla ſunt alia, quæ advocant in patrocinium erroris ſui: inter quæ primum illa tenent locum, quibus aſſeritur peccata per ſolam fidem, & contritionem fuiſſe dimiſſa. Chriſtus enim mulierem peccatricem Lucæ VII. 48. & mulierem adulteram Joannis VIII. 11. abſque confeſſione ſacramentali recepit in gratiam: Paralytico etiam, cujus fidem intuebatur, inquit Lucæ II. 5. *Fili, dimittuntur tibi peccata tua*. Petrus item ſequutus exemplum Domini, Simonem baptiſmate tinctum, reumque graviſſimi ſceleris ad pœnitentiam agendam, non vero ad confeſſionem hortatus eſt Act. VIII. 22. Sufficit ergo abſque confeſſione ſacramentali pœnitentia, ſive cordis contritio.

Tenent proximum locum teſtimonia illa divinarum Scripturarum, in quibus tribuitur peccatorum remiſsio mediis aliis efficaciſsimis, a confeſſione ſejunctis. Tribuitur autem converſioni cordis Ezech. XVIII. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*, cujus generis extant in Scripturis ſexcenta. Tribuitur deinde eleemoſynæ, de qua Tobias IV. 11. *Eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*: Eccleſ. III. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*, & Prov. XV. 27. *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata*. Atque tanta eſt hujus eleemoſynæ virtus, ut iniquiſsimo Babyloniorum regi dederit Daniel, IV. 24. conſilium illud, *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum*; & Phariſæis ſimilibus ſepulcro dealbato, hypocritis ſcilicet, & in corde plenis iniquitate ac rapina, Dominus iterum dixerit, Lucæ XI. 41. *Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis*. Tribuitur præterea remiſsio condonationi injuriarum, Matthæi VI. 14. ſtudio in convertendis impiis adhibito, Matth. XVIII. 15. & Jacobi V. 19. fidei tandem & orationi, qua poſtulans in fide, & nihil hæſitans accipit a Deo quidquid petit. Cum itaque tot nobis ad ſalutem ſuppetant media; cur his præferendum eſt arduum illud, pudoris, laboriſque plenum, ideſt, prolatio criminum occultorum ſacerdotibus facienda?

Poteſt quoque rationibus oppugnari deprædicata a nobis neceſsitas. Enimvero ſi abſque confeſsionis ope ſalvari non poſſet impius, Deus omnia nobis ad ſalutem media ſuppeditans, non ſacerdotibus tantum, ſed hominibus ſingulis, imo & feminis, abſolvendi poteſtatem, ſaltem imminente vitæ periculo, largitus eſſet; quemadmodum omnibus indulſit, ut neceſsitate urgente conferant regenerationis ſacramentum, ſine quo nullus filiorum Adam poteſt in regnum cælorum intrare. Inſuper talem neceſsitatem minime agnoverunt naſcentis Eccleſiæ fideles, quos legimus quotidie ad Euchariſtiam acceſsiſſe; non legimus tamen quotidie peccata fuiſſe confeſſos: immo Patres de diſpoſitionibus ad communionem pertractantes nullam, ſi conſulamus antiquiores, mentionem faciunt confeſsionis; quando vero neceſſaria hæc erit, niſi neceſſaria ſit percipientibus Euchariſtiam? Tandem in lege veteri non erat ad ſalutem neceſſaria peccatorum confeſsio; ideoque multo minus neceſſaria hæc erit in lege gratiæ, in qua amplior eſt ad vitam aditus, & facilior ad remiſsionem acceſſus.

Reſp. ea, quæ primum allata ſunt ad infringendam vim primis argumentationis, refelli apertiſsime ex prima hujus capitis poſitione, necnon ex ſecundo diſſertationis præcedentis;

Digitized by Google

dentis; ubi & ratione, & auctoritate demonſtratum eſt, collatam illis verbis, *Quorum remiſeritis, &c.* ſacerdotibus judiciariam poteſtatem, quam exercere abſque confeſſione oris nequaquam poſſunt. Ad primam itaque cavillationem reſpondeo, ex quo ſacerdotes ſint judices a Domino conſtituti, non ſolum poſſe abſolvere pœnitentes ipſorum judicio ſponte, & ultro ſubjectos; verum etiam oportere, ut ſi pœnitentes abſolvi velint, ſeſe ſubjiciant tali judicio; propterea quod cauſa hominis cum Deo non alia ratione tractari ac finiri debeat, quam methodo, ac ratione ab ipſo inſtituta. Quemadmodum enim in lege veteri, quando pro diverſis criminibus varia ſacrificia præſcripta erant, fruſtra præſumpſiſſet aliquis conſecuturum ſe purgationem atque munditiam, non mactatis hoſtiis, nec peractis oblationibus ſtatutis a Deo: ita, cum in lege gratiæ inſtituerit Dominus remedium hoc ſaluberrimum, ſcilicet, ut peccator adeat ſacerdotem, ab eoque ſolvatur; perperam impius reconciliationem ſperaret, remedio illo neglecto. Etſi autem valeat ſummus Deus, cujus miſericordiæ theſaurus eſt infinitus, peccata abſque Sacramenti adminiculo relaxare, & relaxet aliquando contritis corde, priuſquam ſacramentum actu ſuſcipiant; nemo tamen contemnere debet *ordinarium* reconciliationis modum: ſicut in temporali politia terminari debent cauſæ fori, judiciſque diſcuſſione, quamvis rex, & ſupremus moderator reipublicæ valeat ratione alia condonare patratum ſcelus, & lites, cauſaſque componere. Quod ſequitur, propoſitione prima ſolutum eſt. Proximum quoque habet facilem expeditionem; nam judicium ſine manifeſtatione criminum, non poteſt eſſe rectum, ac prudens; ideoque ubi audis poteſtatem ſolvendi & ligandi, intelligas neceſſum eſt accuſationem pariter peccatorum. Illud quod additur de mutua injuriarum condonatione, expeditum eſt ſupra pag. 135. ubi oſtendimus, quomodo verba illa, *Quæcunque ligaveritis, &c.* alia ratione ſpectent ad omnes Chriſtifideles, qui illatas ſibi contumelias remittunt *commiſeratione caritatis*; alia autem ratione pertineant ad ſacerdotes, qui aliena peccata ſolvunt *poteſtate judicii*. Diximus etiam paullo ſupra, necnon pag. 135. & 136. utrumque teſtimonium, *Quæcunque ligaveritis, &c.* &, *Quorum remiſeritis, &c.*, etſi aliquando a nonnullis productum fuerit ad gratiam regenerationis, quæ eſt effectus baptiſmi, ſignificandam, proprie tamen accipiendum eſſe de facultate ſacerdotibus tradita, neque facultatem iſtam ab aliis interpretationibus excludi poſſe, ſive attendatur univerſæ Eccleſiæ conſenſio, ſive etiam animadvertatur, poteſtatem ligandi ac ſolvendi eſſe poteſtatem judiciariam; miniſterium autem baptiſmi eſſe regenerare Chriſto, & renatos in Eccleſiam inſerere: in qua re nullum exercetur judicium; *cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus*, ut declarat ſeſſ. xiv. cap. 2. ſacroſancta Synodus Tridentina. Ad futilem vero, leviſſimamque interpretationem Suavis, primum dico pronomine illo relativo non ſolum diſtingui claſſes hominum, ſed etiam varia genere delictorum; nam ſi pronomen, *Quorum*, & *quorum*, Joannis xx. ad perſonas refertur, pronomen, *Quæcunque*, & *quæcumque*, Matth. xviii. ad opera, & delicta referri debet. Hinc Pallavicinus lib. xii. Hiſtor. Conc. cap. 14. num. 6. admiratus inſulſam illam Suavis objectionem, *Qui fieri poterat*, inquit, *ut e Suavis memoria fugerent Chriſti verba in eo S. Matthæi loco toties adducto, Quæcunque ligaveritis, &c.?* Quanquam etſi in Evangelio fieret ſola diſtinctio *pœnitentium, & non pœnitentium*; neceſſaria tamen foret diſtincta peccatorum notitia; quum dignoſci nequeat, num illum, qui ſe accuſat, vere pœniteat, niſi ſimul cognoſcatur, an velit debitas ſubire pœnas, proximas evitare occaſiones, & compenſare damna alteri illata: quod cognoſci non poteſt ſine debita enumeratione peccatorum; immo ſine tali enumeratione præſcribi non valeant a ſacerdotibus opere juſtæ ſatisfactionis, nec opportuna peccatorum remedia; ut dixi propoſitione prima, repetamque paullo infra. Atque his oppoſitiones priori loco propoſitæ refutantur, & diluuntur.

Quæ ſecundo loco fuerunt producta, nullius ſunt momenti; nam quod ſpectat ad paralyticum, ad mulierem adulteram, & ad peccatricem; abſolutionem receperunt *immediate* a Chriſto, in quo eſt pleniſſima poteſtas, & cognitio ſecretorum omnium perfecta, qua carent præpoſiti Eccleſiæ, gerentes vicem ipſius: deinde tum temporis nondum inſtitutum erat ſacramentum pœnitentiæ; ac poſtremo mulier in adulterio deprehenſa, *in medio* conſiſtens, manifeſti criminis arguebatur; & peccatrix altera ad Chriſti pedes profecta, hortabatur nos, quomodo peccati magnitudine & fœditate minime detineri debeamus, quin confiteamur quæ admiſimus miniſtris Chriſti; *Qui*, ut homilia 33. in Evangelia, num. 8. inquit Gregorius, *confeſſioni peccatorum non pœnam, ſed vitam promittit: & mulierem ſua vulnera confitentem ſuſcipit, & ſanam dimittit.* Hujus generis eſt exhortatio a principe Apoſtolorum facta Simoni: non enim pœnitentia eorum, qui poſt baptiſmum labuntur, excludit confeſſionem; ſicuti pœnitentia illorum, qui Chriſto regenerantur, non excludit baptiſmum: quare idem valet, *Pœnitentiam age*, ac, *Contere, confitere, vindica in te enormem, exſecrandamque nequitiam.* Præterea

eundum non eſt, urgeri plurimum hoc loco adverſarios, quandoquidem ex verbis Petri, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua; & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*, infertur deleri peccata pœnitentiæ amaritudine, non ſola fide, aut ſola reminiſcentia baptiſmatis, atque inſuper incertam eſſe juſtificationis gratiam, non inamiſſibilem, ac firmiſſimam.

Ea, quæ ſubjiciuntur tertio loco, obviam habent reſponſionem ex dictis libro xix. cap. 4. & 5. ubi oſtendimus, quomodo ad juſtificationem diſponantur adulti, & quomodo ipſa juſtitia nunc tribuatur fidei, nunc ſpei, nunc operibus, nunc regenerationis lavacro, ceteriſque Sacramentis. Ergo fides dicitur peccata remittere, quatenus eſt primum gratiæ donum, & inde incipiunt bona merita; ſpes pariter, & cordis converſio, in quantum animum erigunt, ac illum avertentes a bonis commutabilibus diſponunt ad gratiam: oratio item hanc obtinet per modum impetrationis, ſicut & opera miſericordiæ ad illam aditum aperiunt, tanquam media, quibus Deus ad commiſerationem flectitur, & quibus etiam exhibetur pro commiſſis criminibus ſatisfactio. Ex quo autem aut fides, aut ſpes, aut caritas, aut cetera quæ commemorata ſunt, perfecta ſint in ſuo genere, atque remiſſionem peccatorum ratione ſibi propria operentur, non ſequitur negligenda eſſe alia ſalutis remedia. Alioqui ſi fides, ex. gr. peccata ſe ſola dimittit; neque baptiſmus, neque caritas, neque eleemoſyna neceſſaria ſunt ad vitam æternam: quod valet de rebus aliis paullo ante recenſitis. Vide vol. ii. pag. 159. necnon hoc ipſum vol. pag. 135. De eleemoſyna, cujus in ſacris litteris ampliſſima eſt commendatio, addam quæ ſcribit Auguſtinus in Enchiridio cap. lxx. num. 19. *Sane cavendum eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus; non ad hoc emendus quodam modo, ut ea ſemper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi; quamvis miſerando deleat jam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.* Vide & ſermonem 388. num. 2.

Ad poſtremas ratiocinationes hæc ſit reſponſio. Baptiſmi neceſſitas ad omnes prorſus extenditur, cum neceſſe ſit omnes regenerari: confeſſio autem peccatorum neceſſaria tantum eſt lapſis poſt baptiſmum. His præterea merito aditus ad reconciliationem debet eſſe difficilior, quam ſit regenerandis baptiſmate; cum peccaverint, poſtquam ſe obſtrinxerunt Chriſtianæ vitæ præceptis. Cavendum ulterius erat, ne ob nimiam miniſtrorum copiam, (quemadmodum ſæpe ob iſtorum facilitatem contingit,) ſtudium reconciliationis torpeſceret. Quod proxime ſequitur, tota hac diſſertatione revincitur, in qua oſtendimus confeſſionis neceſſitatem ex Patrum conſtantiſſima traditione. Si ergo in primitiva Eccleſia accedentes ad Euchariſtiam non expiabantur frequentiſſima confeſſione, id erat, quoniam juſte, ac ſobrie vivebant. Arcebantur tamen improbi omnes; quorum ſi nota erant crimina, diu illis gemendum erat in Eccleſiarum veſtibulo, & in ſtationibus pœnitentium; ſi occulta, nemo ignorabat ſententiam illam Apoſtolicam 1. ad Corinth. xi. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quare Patres ubi permittunt, ut quiſque *pro ſua conſcientia* accedat ad communionem, non facta mentione confeſſionis, prætерquamquod nihil infertur ex tali argumento negante, exponendi ſunt, prout ſupra explicavimus factum Nectarii, & loca quædam Chryſoſtomi; præſertim quum nequeat præſumere de rectitudine conſcientiæ ſuæ, qui ſpernit Eccleſiæ judicium, & ſacramentorum remedia. Hoc item pacto accipienda ſunt quæ leguntur in ſermone de dedicatione Eccleſiæ inter Auguſtinianos de Temp. 252. num. 2. *Quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe cognoverit, prius orationibus, jejuniis, vel eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere*: quamquam ſermo ille Auguſtinianus non eſt, meritoque rejectus in appendicem tomi v. num. 229. Tandem quod objicitur de lege veteri, in qua neceſſaria non erat confeſſio criminum occultorum, ſolutum eſt ſupra pag. 135. & pag. 163. ubi demonſtravimus quarum inſtitutio ſacramentalis confeſſionis faciliorem reddat remiſſionem peccati, & quomodo cum ſacramento, quod *ex opere operato* gratiam confert, non requiratur vehemens illa doloris acerbitas, quæ neceſſaria foret ſacramenti efficacitate ſecluſa; quibus accedunt conſcientiæ tranquillitas, & moralis illa certitudo ſalutis, quam media confeſſione, & abſolutione acquirimus; ſacrificiorum, oblationumque diſpendia, quibus olim gravabantur iniqui; nec non mutua ſcelerum accuſatio etiam a Judæis facta in Feſto *Expiationis*, licet ſine ſacerdotalis abſolutionis beneficio: de quibus omnibus ſatis, ſuperque dictum ſupra.

PROP. V. Neceſſum eſt, ut pœnitentes enumerent in confeſſione omnia peccata lethalia, quorum reminiſcuntur.

Hæc propoſitio, quæ eſt conſectaria præcedentium, addenda eſt propter art. xi. Confeſſionis Auguſtanæ, & communem allucinationem hæreticorum, affirmantium non aboleri a ſe confeſſionem, ſed cenſeri perutilem, ut pronunciata juxta Dei mandatum abſolutione excitetur fides, &

 arti-

arripiatur juſtitia: in ipſa tamen confeſſione neceſſariam non eſſe integram delictorum enumerationem, cum nullatenus ab ipſa pendeat peccatorum remiſſio. At in primis confutantur hæretici ex quo divina inſtitutione, omniumque Patrum conſenſu, polleant ſacerdotes poteſtate ſolvendi, & ligandi, atque *lepram a lepra* dijudicare debeant; non poſſint autem, ut verba Tridentinæ Synodi repetamus, judicium incognita cauſa exercere, neque in pœnis injungendis ſervare æquitatem, ſi in genere tantum, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ipſis patrata ſcelera declarentur. Idcirco addidit ipſa Tridentina Synodus ſeſſ. XIV. hunc canonem ſeptimum: *Si quis dixerit, in ſacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ ſunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant: ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum: aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit*: huic conſonat proximus canon octavus. Idem tradunt canones præcedentium conciliorum, Patreſque univerſi, prout conſtat ex propoſitione ſecunda.

Quoniam vero Philippus Melanchthon in Apologia Confeſſ. Auguſtanæ art. XI. ſcribit, *nunquam conſcientias fore tranquillas, ſi exiſtiment ſe non poſſe conſequi remiſſionem peccatorum, niſi facta illorum enumeratione*; nos e contra aſſerimus, nunquam conſcientiam pace aliqua fruituram, niſi peccata omnia lethalia, quæ occurrant memoriæ, prodat judicibus Eccleſiaſticis. Ut enim ajebat Joannes Cochlæus in diſcuſſione præcit. art. XI. *Si dividimus confeſſionem quædam peccata dicentes, quædam obticentes data opera, non poterit plena eſſe per abſolutionem in conſcientia pacatio, quies, & tranquillitas: remordebitur enim homo in conſcientia ſua adhuc ab iis peccatis, quæ ſponte, vel per hypocriſim, vel ex erubeſcentia omiſit; & arguet, imo maledicet illum ſacra Scriptura, quod fraudulenter egerit in confeſſione cum Deo, qui falli neque vult, neque poteſt. Ideo dicetur ei illud Hieremiæ, Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: fraudulentia nimirum eſt, ſponte ſubticere quædam, & data opera confeſſionem dimidiare, ſacerdotemque vice Dei fungentem decipere, averſari publicam, & tot ſæculis receptam conſuetudinem, relinquere legem ſanctæ matris Eccleſiæ, ſpernere denique eos, ad quos ipſe Dominus ait, Qui vos ſpernit, me ſpernit, & eum qui me miſit*. Præterea idem Melanchthon ait probare ſe nihilominus *confeſſionem, atque examinationem, ut inſtitui homines melius poſſint, tametſi moderanda res eſt, ne conſcientiis injiciantur laquei*. At quomodo homines inſtitui poterunt, niſi peccata ſua, quoad fieri poteſt, enumerent ſacerdoti? Profecto medicus hominem vulneribus ſaucium, affectumque variis morborum generibus, niſi ulcus aperiat, denudetque malas corporis affectiones, non poteſt revocare ad priſtinam valetudinem: nec ſacerdos animabus mederi, niſi peccatorum gravitatem, proximas cauſas, multitudinem, varietatemque dignoſcat. Enimvero, ut verbis utar inſignis Theologi in Harmonia Confeſſ. Auguſtanæ pag. 244. *Si dicat tibi quiſpiam ſecreta, ſe inanibus delectari munuſculis, taceat autem ad libidinum pronitatem, taceat invidiam, taceat alia animæ vitia, quomodo conjectura ea aſſequi poteris, ut continentiam, ut caritatem, ac alia ei virtutum dogmata inſtilles?* Igitur neceſſaria foret peccatorum enumeratio, quamquam ad ſolam animæ tranquillitatem, & hominum imperitorum inſtitutionem probanda & retinenda eſſet, ut placuit Melanchthoni. Quanto magis itaque exiſtimandum eſt neceſſariam illam eſſe, cum munus ſacerdotis non ſit tantum fidem excitare concione, & pronunciatione mandati, verum etiam conficere ſacramentum conferens gratiam *efficienter*, exercere poteſtatem judiciariam, ſolvere peccatorum nexus, & ſatisfactionis opera injungere, quod oſtendimus pertractantes, cum de Sacramentis univerſim, tum de ampliſſima hac controverſia, cujus jamjam finem attingimus?

Opponebant auctores, & apologiſtæ Confeſſionis Auguſtanæ artic. XI. Impoſſibilis eſt enumeratio omnium delictorum, juxta illud, *Delicta quis intelligit?* Urgebant & illud Jeremiæ, *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile*. Addebant, nunquam conſcientias poſſe acquieſcere, ſi nulla peccata, niſi quæ enunciantur, remitterentur, quia peccata plurima nec vident, nec poſſunt illorum meminiſſe; ſubjiciebant teſtimonia quædam Chryſoſtomi, Gratiani, ac veterum Theologorum: poſtremo ajebant, neminem aſſerere neceſſitatem enumerandi omnia peccata venialia, tametſi hæc quoque ſolvi poſſint a ſacerdotibus.

Verum ad primum, & ſecundum reſponderunt Tridentini Patres ſeſſ. XIV. cap. 5. *Nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam, ut poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe dominum Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur*. Addo priora verba ita ab Auguſtino explicari Enarrat. 2. in Pſalm. XVIII. 13. *Delicta quis intelligit, quæ ipſum oculum claudunt, cui ſuavis eſt veritas, cui deſiderabilia & dulcia ſunt judicia Dei, & ſicut tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt, nec lucem ſinunt videre, nec ſe?* Alia etiam verba ex Jeremiæ XVII. 9. ſolum demonſtrant, cor hominis doloſum eſſe ac verſipelle, cui propterea confidere non debeamus; quamvis Auguſtinus uſus lectione, quæ habet, *Grave cor per omnia, & homo eſt, & quis agnoſcet eum?* in libro XIII. contra Fauſtum cap. 7. ingenioſe hæc eadem verba accommodet Dei Filio, qui pro nobis aſſumpſit formam ſervi. Ad tertium reſponſum eſt paulo ſupra; & inſuper falſum eſt, remitti a ſacerdotibus ſola peccata, quæ enunciantur, cum in confeſſione intelligantur incluſa illa etiam, quæ non occurrunt memoriæ; immo unum peccatum nequeat remitti ſine altero, quia non poteſt homo ſimul eſſe juſtus & impius, hæres regni & reus gehennæ, Dei amicus & inimicus. Ad quartum, cum plura dixerim propoſitione ſecunda, ac tertia, nihil repetendum eſt modo. Ad ultimum dico, peccata venialia cum caritate *habituali* perſiſtere, ac mediis plurimis expiari; poſſe tamen etiam deleri per ſacramentum pœnitentiæ, ideoque eſſe ejuſdem ſacramenti *materiam* ſufficientem quidem, ſed minime neceſſariam.

CAPUT II.

De variis Confeſſionum generibus.

In ſecunda præcedentis capitis poſitione dixi, parum ad noſtra cum hæreticis componenda diſſidia conferre, an priſcis Eccleſiæ ſæculis confeſſio in uſum recepta, fuerit publica, vel ſecreta; dummodo fuerit ſacramentalis, facta Eccleſiæ miniſtris, & ad peccatorum remiſſionem neceſſaria. Idem docuerunt complures Theologi, Guilelmus Eſtius in IV. diſt. 17. §. 8. Suarez diſput. 21. de confeſſ. ſect. 2. ubi plurimos in ſententiam ſuam auctores allegat, Ægidius Coninck diſput. 6. de qualit. confeſſ. Joannes Morinus lib. 2. de Pœnit. cap. X. n. 14. quorum teſtimonia accumulare, eſſet, uti ibidem inquit Morinus, ad mare aquam, & in ſylvam ligna deferre. Tridentina Synodus ſeſſ. XIV. cap. 5. docet nequaquam Dominum prohibuiſſe, *quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ ædificationem delicta ſua publice confiteri poſſit*: at declarat nullo præcepto divino publicam illam confeſſionem fuiſſe indictam, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præcipiendum fuiſſe, *ut delicta præſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda*. Ex quibus verbis inferunt memorati Theologi, non pertinere ad *eſſentiam* confeſſionis ſacramentalis, ut ſecreto fiat, cum declaret Concilium, poſſe aliquando laudabiliter fieri publice, neque confeſſionem publicam neceſſariam eſſe jure divino, aut humano; ſed pertinere ad confeſſionis *eſſentiam*, ut peccata ſacerdoti enuntientur, qualicumque tandem modo iſtud perficiatur. Id, ut percipias quid ſit diſciplinæ, quid præcepti, ſubjectis theſibus explicabo.

THESIS I.

Nonnulli interdum priſcis Eccleſiæ ſæculis, ob doloris vehementiam, atque fidelium ædificationem, enuntiabant publice peccata ſua. Probatur ex Irenæo, qui libro I. cap. 13. n. 7. de mulieribus a Marco præſtigiatore corruptis, inquit: *Quædam etiam in manifeſto exomologeſim faciunt; quædam autem reverentes hoc ipſum, in ſilentio ſenſim ſemetipſas retrahunt*: ex quo loco demonſtrari confeſſionem publicam quandoque factam teſtatur Grabius, affirmant Billius & Feuardentius, obſervatque Maſſuetus in Diſſertat. præviis ad Irenæum diſſert. 3. art. 7. n. 75. Confirmatur ex Origene ſcribente hom. 2. in Pſalmum 37. *Si intellexerit* (confeſſarius) *& prævideris talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis, & ceteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilius ſanari; multa hoc deliberatione, & periti illius medici conſilio procurandum eſt*. Præterea S. Cyprianus in epiſtola ad Pomponium 62. pag. 220. jubet, ut virgines, quæ cum viris dormire conſueverunt, ab obſtetricibus inſpiciantur, & *ſi aliqua corrupta deprehenſa fuerit*, ad pœnitentiam & *exomologeſim* publicam compellatur. Inſuper Joannes Climacus in Scala Paradiſi gradu 4. pag. 44. ſcribit: *Sed primum omnium optimo judici noſtro præteritæ vitæ peccata aperiamus, idque vel ſoli, vel ſi imperet ille, omnibus: oſtenſa quippe, & in publicum prolata vulnera facile curabuntur, neque recrudeſcent amplius*. Ac refert ibidem Climacus confeſſionem cujuſdam latronis, qui Alexandriæ ad Cœnobium accedens, accuſavit omnia facinora a ſe patrata, *verecundiæ pudore*, ut inquit Climacus, *projecto*, & affirmans ſe proclamaturum, ſi opus foret, peccata ſua *in media Alexandria foro*. Tandem omiſſis exemplis plurimis, quæ legi poterunt apud Morinum lib. 2. cap. 9. & 10., celebertimo etiam illo mulieris compreſſæ a diacono, de quo ſupra, ubi egimus de Nectario, ſanctus pater Auguſtinus ſermone 351. nu. 9. hortatur lapſos poſt baptiſmum, & implicatos mortiferorum vinculis peccatorum, ut ad claves Eccleſiæ confugiant, atque, *ſi peccatum ejus non ſolum in*

gravi

gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet. Hæc tamen, & his conſimilia ad illam pœnitentiam referri poſſunt, quæ poſt ſecretam confeſſionem, id gravi aliqua cauſa exigente, vel injuncta, vel ſponte ſuſcepta fuerit.

T H E S I S II.

Probabilis eſt illorum opinio, qui cenſent aliquando Eccleſiarum Antiſtites præcepiſſe pœnitentibus, ut publicorum peccatorum publicam ederent confeſſionem. Principio enim hoc inferri poteſt ex producto exemplo virginum, de quibus ſcribit ad Pomponium Cyprianus, & ex altero latronis, de quo S. Joannes Climacus: nam latro ille publica confeſſione ſe purgavit, jubente cœnobii præſide. Deinde Euſebius lib. v. H. E. cap. 196. narrat Natalem quemdam ſeductum ab Aſclepiodoto ac Theodoto argentario, ab angelis flagris cæſum, & graviſſime verberatum, ad pedes Zephyrini Epiſcopi, univerſi Cleri, necnon ſæcularium provolutum, ſceleribus ſuis pronuntiatis, oſtenſiſque plagarum vibicibus, omnium animos concuſſiſſe, & in communionem fuiſſe receptum. Idem Euſebius proximo libro vii. cap. 7. pag. 253. profert regulam ab Heracla traditam S. Dionyſio Alexandrino, ut hæretici, & qui delati eſſent adiviſſe perverſæ doctrinæ magiſtros, ab Eccleſia ejecti non prius admitterentur, quam crimen ſuum, & quæcunque ab adverſariis audierant, palam expoſuiſſent. Verum num iſtæ & conſimiles confeſſiones fuerint *ſacramentales*, poteſt merito dubitari.

T H E S I S III.

Nunquam lege aliqua divina, vel Eccleſiaſtica ſtatutum eſt, ut peccata occulta in confeſſione publice proferantur. Demonſtratur primo, quoniam ab initio Eccleſiæ grave ſemper, ac moleſtum, atque præter divinam inſtitutionem, ſingulis viſum eſt, *tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare*, prout ajunt Sozomenus, & Nicephorus ſupra laudati. Confirmatur ex Baſilio, cujus in Regulis brevioribus n. 229. hæc ſunt verba: *Omnino in peccatorum confeſſione eadem ratio eſt, quæ etiam in aperitione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibuſvis homines temere aperiunt, ſed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda ſint, teneant: eodem modo etiam peccatorum confeſſio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea poſſint curare*. Ita pag. 614. edit. Moralli. Docet infra Baſilius pag. 645. hoc curandi munus ſolis ſacerdotibus demandari. Comprobatur theſis luculentiſſimo Leonis Magni teſtimonio ex Epiſtola 80. producto poſitione 2. capitis præcedentis. Idem evincunt Chryſoſtomi, aliorumque Patrum expreſſa loca, ex quibus accipimus neceſſum non eſſe, ut prodeamus in publicum, & quaſi *in theatro* conſervis noſtris efferamus quæ occulte geſſimus. Accedit præcitatum Tridentini decretum ſeſſ. xiv. cap. 5. ubi, poſtquam docuit publicam confeſſionem nullo divino præcepto mandatam eſſe, ſtatim ſubjicit: *Nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda*. Denique non videtur conforme Evangelicæ legi, quæ *jugum ſuave, & leve* appellatur, præceptum evulgandi ea crimina, quæ in vulgus ſparſa non flagitioſis tantum, verum etiam Eccleſiaſtico ordini, & Eccleſiæ univerſæ afferrent maximum dedecus, & infamiam. Si enim, narrante Socrate, ad unius ſacrilegi inceſtus revelationem commota eſt plebs Conſtantinopolitana, Eccleſiæ illata eſt contumelia, & probro affecti ſunt ſacri ordinis viri; quid futurum putas, ſi omnia nefaria, & atrocia ſcelera panderentur? Etiam ethnicus poeta propriæ, communiſque exiſtimationis rationem habens, lib. 3. Triſtium Elegia 6. canebat:

Et quæcunque adeo poſſint afferre pudorem,
Illa tegi cæca condita nocte decet.

Vide plura ad theſim hanc pertinentia apud Morinum loco citato, Petavium in animadverſionibus ad Epiphanium pag. 246. Eſtium in diſtinctionem 17. §. 8. Tournely pag. 224. &c.

T H E S I S IV.

Confeſſioni, & pœnitentiæ publicæ præmittebatur ſecreta peccatorum confeſſio, qua audita ſacerdos pœnitentiam imponebat, & hortabatur confeſſum, ut pœnitentiæ inſiſtens aliquod peccatum palam enuntiaret; in quo ſumma adhibebatur prudentia, ut ex tali enuntiatione oriretur fidelium ædificatio, non ſcandalum; ideoque ſacramentalis confeſſio non ex publica pœnitentia, aut ex publica aliquorum peccatorum confeſſione duxit exordium: ſed e contra publica pœnitentia, & publica aliquorum delictorum accuſatio ea præmiſſa ſacramentali, & ea quidem ſecreta, confeſſione derivavit. Perutilis eſt hæc theſis, ac ſummopere neceſſaria ad obtundenda ora impiorum hæreticorum, qui cum negare non poſſint confeſſionis perantiquam & probatiſſimam conſuetudinem, hanc arceſſendam autumant a publice pœnitentium moribus ac diſciplina. Verum exploratiſſimum eſt, omnibuſque perſpectum, publicæ pœnitentiæ præiviſſe confeſſionem ſecretam, qua enumeratis peccatis omnibus tam publicis, quam occultis legitimo, atque huic muneri præfecto presbytero, ea poſtea ſcelera palam enuntiabantur, quæ ſacerdos cenſebat poſſe abſque ullo famæ diſpendio, & abſque ullo ſcandalo Chriſtianæ plebis evulgari: atque ita confeſſionem illam cum privatam, tum publicam excipiebat pœnitentia canonica, hanc vero abſolutio, & facultas accedendi ad Euchariſtiam, prout docti viri demonſtrant, Jacobus Pamelius in Notis ad librum S. Cypriani de lapſis n. 98. & Tertulliani de Pœnitentia n. 2. Petavius in præcitatis Animadverſionibus pag. 248. Morinus in loco prælaudato, Sirmondus in Hiſt. Pœnitentiæ publicæ cap. 4. Maſſuet diſſert. præviis in Iranæi libros pag. 39. aliique veterum traditionum exploratores. Principio id probatur præcitata Hom. Origenis in Pſalmum xxxvii. ubi impium ad ſui accuſationem, & confeſſionem exhortans ait: *Circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit diſciplinam, ut ita demum quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt*. Ex quo loco, ut Petavius recte animadvertit, non infertur neceſſitas aliqua publicæ confeſſionis, qua ſi opus eſſet, non affirmaret Origenes conſilium, deliberationem, & inſpectionem peculiarem eſſe adhibenda; ſed infertur generalis agnitio ſcelerum, & improbitatis deteſtatio, atque non ſingulorum criminum publica pronunciatio, ſed illius duntaxat, quod prudens ſacerdos exiſtimet enuntiandum. Videntur idem tradere Tertullianus de Pœnit. cap. 9. & S. Cyprianus epiſt. xii. xiii. & in libro de lapſis, ubi diſtinguunt pœnitentiam & peccatorum confeſſionem ab *Exomologeſi*, quam Tertullianus etiam appellat *proſternendi, & humilificandi hominis diſciplinam*: unde viri docti conjiciunt *exomologeſim* præter confeſſionem ſignificare publicam pœnitentiam, in qua poſt ſecretam ſingulorum peccatorum enarrationem factam ſacerdoti, pœnitentes, juxta ipſius ſacerdotis monitum, in conventu Eccleſiæ humilitatis gratia aliquod crimen profiterent; quod proinde, ſi nullus presbyterorum adeſſet, ut inquit cit. epiſt. 12. Cyprianus, apud diaconum fieri poſſet. Verum de *exomologeſis* ſignificatione dixi tom. iv. pag. 131. addamque nonnulla, ubi ad quæſtionem illam pervenero, cuinam facienda ſit peccatorum confeſſio. Quod huc ſpectat, eadem, quæ Origenes, ſcribit Auguſtinus ſermone 351. ſive homilia poſtrema inter quinquaginta, ut conſtat ex prima theſi. Haud ſecus loquuntur Pacianus, Ambroſius, Theodoretus; de quibus legendus Pamelius in ſuis ad Cyprianum adnotationibus pag. 251. & Morinus de Adminiſtrat. ſacram. Pœnit. pag. 93. Quæ autem docent Patres, confirmantur illuſtri teſtimonio Sozomeni, hæc de presbytero Pœnitentiario narrantis lib. vii. H. E. cap. 16. *Itaque ex presbyteris aliquem, qui vita integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio* (excipiendi ſcilicet ſecretas confeſſiones) *præfecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur; illis vero pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, abſolvebat confitentes, a ſeipſis pœnas criminum exacturos*. Similia lib. xii. cap. 28. Nicephorus. Habemus itaque ex Patribus, & Hiſtoricis probatiſſimis ſecretam peccatorum confeſſionem olim publicæ pœnitentiæ fuiſſe præmiſſam.

Hoc demum evincitur ex quo non ſemel publica pœnitentia etiam occulta crimina expiata fuerint; ideoque crimina illa nonniſi per ſecretam confeſſionem ſacerdotibus fuerint aperta. Ubi enim de pœnitentia pertractabo, rurſus oſtendam facta ſacerdoti confeſſione ſecreta, non ſolum pro publicis & gravioribus ſceleribus publicam pœnitentiam fuiſſe impoſitam, verum etiam nonnullos pro peccatis occultis pœnitentiam illam publicam ſubiiſſe, ſive præcepta fuerit a ſacerdote, ut cenſent plerique Theologi cum Morino libro v. cap. octavo & ſequentibus, ſive ultro a pœnitentibus ſuſcepta, ut cap. v. Hiſtoriæ Pœnitentiæ publicæ tenet Sirmondus. Qualicunque ex cauſa (quod modo definiendum non eſt) occulta crimina publice expiarentur; extat in 3. Concilio Carthaginenſi canon 32. quo præcipitur, *Ut presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem manus ei imponatur*. Ex quo canone colligitur, præter peccata publica, fuiſſe alia, quæ pœnitentia publica coercerentur; ſi enim, ut Petavii utar verbis, jam omnia manifeſtata eſſent in frequenti Eccleſiæ conventu, cur tantum in manifeſtiſſimis, certiſque criminibus manus ante abſidem imponeretur? Idem confirmatur ex epiſtola S. Baſilii ad Amphilochium cap. 34. ubi legitur communione privatas, donec pœnitentiæ tempus implerent, mulieres adulterio pollutas; tametſi earum ſcelus privata tantum confeſſione ſit enuntiandum, ne damnentur

capitali pœna, pro adulteris conſtituta. Pari ratione ad pœnitentiam, quæ publice egebatur, S. P. Auguſtinus homilia XLIX. & L. nunc 392. cap. 3. hortatur illos, qui poſt uxores ſuas ſeſe illicito concubitu maculaverint, *ut pro ipſis eret Eccleſia*. Loqui autem Auguſtinum de publica pœnitentia conſtat ex producta ratione, *ut eret Eccleſia*, necnon ee addito Jobi loco, *Si erubui in conſpectu populi conſiteri peccata mea*; & ex Theodoſii imperatoris facto, quo propoſito inquit: *Fortaſſis, immo quod non dubitatur, propterea Deus voluit, ut Theodoſius imperator ageret pœnitentiam publicam in conſpectu populi, maxime quia peccatum ejus celari non potuit, & erubeſcit ſenator, quod non erubuit imperator? Erubeſcit nec ſenator, ſed tantum curialis, quod non erubuit imperator? Erubeſcit plebejus, ſive negotiator, quod non erubuit imperator? Quæ iſta ſuperbia eſt? Nonne ſola ſufficeret gehenna, etiam ſi adulterium nullum eſſet?* Quibus utique verbis Auguſtinus præſcribit adulteris, quorum crimen occultiſſimum eſſe ſolet, pœnitentiam publicam, ſacerdotum judicio definiendam, certe ſine manifeſta peccati accuſatione propter cauſam a Magno Baſilio productam. Denique S. Innocentius I. epiſt. 2. n. 2. Victricio Epiſcopo Rothomagenſi hæc ſcripſit, relate in cap. *Quæ Chriſto*, XXVII. q. 1. *Item, quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari a ſacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit*; idem omnino ſtatuens de nota, & de occulta ſacratarum Virginum ſtupratione. Igitur tranſactis Eccleſiæ ſæculis, ut Patres tradunt, ut narrant Hiſtorici, ut docent canones publicæ pœnitentiæ, ſacramentalis confeſſio legitimo miniſtro privatim facta, erat norma, juxta quam ipſe criminum gravitate, & perſonarum conditione ſpectatis, pœnas decernebat; quas pœnitens a ſeipſo exigens, ſi occulte deliquerat, interdum ſe addicebat pœnitentium claſſibus, & palam quoque enuntiabat aliquod occultum crimen; quod prudenti deliberatione faciendum erat, ne oriretur ſcandalum, quale exortum diximus Conſtantinopoli ſedente Nectario; & conſequenter non publica *exomologeſis* ſecretam peccatorum confeſſionem, ſed e contra ſecreta peccatorum confeſſio publicam *exomologeſim* præivit.

T H E S I S V.

Præter confeſſionem factam certis anni temporibus, de quibus infra ubi demonſtravero, Quando confitendum ſit, conſuetum aliquando fuit facere generalem confeſſionem omnium anteactæ vitæ peccatorum. Generalem hanc confeſſionem demonſtrant exempla bene multa, mulieris, de qua Socrates & Sozomenus affirmant, *ſigillatim enuntiaſſe delicta omnia poſt baptiſmum a ſe perpetrata*; S. Aredii, de quo Gregorius Turonenſis in ejus Vita ſcribit, confeſſum *omnia adoleſcentiæ ſuæ* acta coram beatiſſimo Epiſcopo Nicetio: ſancti Eligii Noviomenſis Antiſtitis, de quo idem narrat in primo Vitæ illius libro cap. 7. Audoenus: Clotarii regis, quem enuntiaſſe *cunctas actiones ſuas* in templo S. Martini, ſcribit lib. IV. Hiſtor. prælaudatus Gregorius Turonenſis: S. Tillonis monachi, quem *omnia adoleſcentiæ ſuæ acta* ſacerdoti enuntiaſſe refert in ejus Vita ſcriptor Anonymus apud Bollandum die 7. Januarii: Agnetis Auguſtæ, quam *a quinquenni infantia* confeſſam peccata omnia Petro Damiani, litteris ipſemet prodidit Opuſculo 56. Atque hæc exempla, quibus addi poſſent innumera temporum poſteriorum, legi poterunt apud Mabillonium tom. IV. Analect. & Præfat. 1. in ſæculum 3. Benedict. Sirmondum in Analectis ad Capitularia Caroli Calvi, Martenium de Antiquis Ritibus lib. 1. cap. 6. art. 2. n. 9. & Vitaſſium de Pœnit. quæſt. IV. art. 4. His accedunt ad generalem hanc confeſſionem edendam, illuſtrium virorum hortamenta & conſilia; ac præſertim Hincmari Remenſis Archiepiſcopi ad Pipinum juniorem, S. Anſelmi in Epiſtola 66. lib. 3. ad fratrem ſuum Jeroſolymam profecturum, Conſtitutionum Cluniacenſium, Ciſtercienſium, Carthuſianorum, aliorumque Religioſorum Ordinum ad generalem confeſſionem exhortantium amplectentes monaſticum inſtitutum: de quibus Mabillon in ſæculum V. & laudato in loco Martenius. Hoc tamen, me judice, minime ſpectent confeſſiones illæ generales, in quibus omnia peccata commemorantur verbis generatim concepta; cujuſmodi eſt *Confeſſio S. Fulgentii*, ſive Aſſigitanus ſit ille, ſive Ruſpenſis, *Confeſſio Iſidori* Hiſpalenſis, Hildeboldi, Roberti, Hugonis Altiſſiodorenſis, & ſi quæ ſunt aliæ, commemoratæ ab eodem Mabillonio in ſæculum 3. n. 85. atque a Menardo Annot. 665. in Sacramentarium Gregorii, necnon collectæ in Appendice Morini; his enim generalibus confeſſionibus omnia peccatorum genera comprehenduntur, ut ad memoriam pœnitentium revocentur ſingula, quæ perpetraverint; at ulterius neceſſaria eſt diſtincta enumeratio delictorum memoriæ occurrentium. Quare in Ordine Romano, (ut ibidem advertit Menardus) præcipitur ſacerdoti, ut jubeat pœnitentem ſedere contra ſe, & cum eo de vitiis loquatur, *ne forte præ verecundia, aut ignavia, ſive oblivione, aliquid putridum in corde remaneat*. Similia leguntur apud Buſchardum lib. XIX. decretorum cap. 5. necnon in Euchologio Græcorum pag. 679.

Hinc generali confeſſione poſteriori loco deſcripta, juxta Magiſtrum in IV. diſt. 21. S. Thomam in eandem diſt. q. 2. art. 2. ceteroſque Theologos, delentur ea tantum peccata, quæ poſt diligentem diſcuſſionem in memoriam non veniunt, dummodo ſacramentalis ſit, & ſubſequatur Eccleſiaſtici Judicis abſolutio; alias enim confeſſio generalis, pute quam Miſſæ & Completorio præmittimus, nullam *ex opere operato* vim habet, atque id præſtat ſolum, quod valet pietas & exercitium humilitatis; ideoque tom. 3. pag. 242. inter *ſacramentalia* confeſſionem illam connumeravimus.

T H E S I S VI.

Quidam etiam per litteras, quidam per nutus commiſſa ſcelera confeſſi ſunt. Confeſſionis per litteras factæ profertur inſigne exemplum tom. 3. Conciliorum Galliæ pag. 405. in Epiſtola, quam Robertus Epiſcopus Cenomanenſis gravi infirmitate decumbens conſcripſit ad Epiſcopos extra muros Andegavis commorantes cum principe Carolo obſidente Normannos; in qua Epiſtola petiit delictorum ſuorum abſolutionem; eamdemque abſolutionem iidem Epiſcopi Roberto conceſſerunt per epiſtolam alteram, e loco obſidionis datam. Alcuinus etiam in Epiſtola 63. ad Hadrianum Papam eum rogavit, *ut juberet ſalutifero pietatis verbo a peccatorum vinculis eſſe ſolutum*; ſed cum ibi nullius criminis fiat mentio, dicendum eſt petiiſſe Alcuinum illud peccatorum relaxamentum, quod ſolet concedi auctoritate, atque indulgentia Pontificum. Haud aliter cenſendum eſt de litteris abſolutionis ad Hugonem Epiſcopum Antiſſiodorenſem, conſcriptis a Joanne Papa XIX. Alterum exemplum confeſſionis & abſolutionis per litteras, eſt Hildeboldi Epiſcopi Sueſſionenſis, quem abſolvit Hincmarus, ut notat Sirmondus in notis ad tertium volumen Conciliorum Galliæ, & conſtat ex epiſtola ipſius Hincmari quadrageſima, tom. 2. pag. 686. Addit Morinus lib. VIII. cap. 25. exempla hujus generis pluſima, Potamii Epiſcopi Bracarenſis, qui per epiſtolas abſolutionem impetravit a Patribus Concilii 10. Toletani: Gregorii Septimi, qui non ſemel per litteras eamdem abſolutionem largitus eſt, ut apparet ex Epiſtola 34. libri primi, & 61. libri 2. denique Alexandri Tertii, qui pariter S. Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi Apoſtolicis literis abſolutionem impendit, uti narrant ad annum 1164. Cæſar Cardinalis Baronius, & Matthæus Paris. Atque hiſce exemplis Morinus eo loci contendit, valuiſſe olim abſolutionem datam abſentibus, producens ulterius ad ſententiam ſuam confirmandam magnum numerum Scholaſticorum. De ipſius autem confeſſionis valore dicam infra.

Ad nutus quod attinet, hos illis ſufficere, qui carent facultate loquendi, neutiquam dubitandum; nam ad plenam animi ſignificationem nutus ſufficere *in ſubito obmuteſcentibus* definiit canone 12. loquens de baptizandis prima Synodus Arauſicana, celebrata anno 441. De confeſſione autem pœnitentium duntaxat in vitæ exitu hæc ad Theodorum Forojulienſem epiſcopum ſcripſit magnus Leo: *Etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo ab eis vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere comprobentur*. Eadem verba habentur cap. *Multiplex*, De Pœnit. diſt. 1. Atque id multo magis de iis, qui etiam ſurdi carent officio linguæ, affirmandum erit. In Vita S. Franciſci ſcripta a S. Bonaventura legitur quemdam fratrem adeo ſilentio fuiſſe addictum, ut non verbis, ſed nutibus confiteretur; fuiſſe id tamen a Seraphico Patre improbatum: recte quidem, propter neceſſitatem confeſſionis oris, ſi loquendi non adſit impedimentum.

T H E S I S VII.

Confeſſio per litteras facta ſacerdoti abſenti non eſt confeſſio ſacramentalis licita, nec valida, cui proinde abſolutio poſſit impendi. Probatur primo ex Conſtitutione Clementis VIII. edita anno 1602. die 20. Julii, in qua præmiſſis votis Theologorum, & re cum S. R. E. Cardinalibus mature ac diligenter conſiderata, præcipitur ne publicis, privatiſque lectionibus, concionibus, congreſſibus doceatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur hæc propoſitio, *Licet per litteras, ſeu per internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*: quam propoſitionem in eadem Conſtitutione declaravit ſummus Pontifex *falſam, temerariam, & ſcandaloſam*. Vide Bullarium Cherubini tom. 3. pag. 132. Probatur 2. ex cap. *Quem pœnitet*, de Pœnit. diſt. 1. ubi hæc leguntur: *Præcepit Dominus mundandis, ut oſtenderent ora ſacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcripturam manifeſtanda*. Probatur tertio ex Catechiſmo Romano eadem tradente in parte ſecunda, capite quinto, nn. 52. Demum probatur ratione, tum quia confeſſio talis debet eſſe, per quam ſacerdos certior reddatur, pœnitentem revera peccata, quæ accuſat, patraſſe, atque dum abſolvitur, illorum pœnitere, ac perſiſtere in emendationis propoſito: id vero in confeſſione per litteras nequit haberi,

quo-

Digitized by Google

quoniam litteræ illæ poſſunt eſſe confictæ, & ſi veræ ſunt, poteſt pœnitens negare a ſe fuiſſe conſcriptas; ac ſi id fateatur, in illo temporis intervallo, quo litteræ mittuntur, poteſt a propoſito vitæ melioris recedere; quam rationem affert Soto diſt. 18. q. 2. art. 6. tum quia confeſſio eſt perſonalis quædam actio, per quam peccator tanquam reus ſiſtitur ante Eccleſiæ tribunal, prout ſeſſ. XIV. cap. 2. declarat Synodus Tridentina; necnon abſolutionis verba commonſtrant perſonam ſolvendam, eamque præſentem innuunt; quam rationem quæſt. 12. Supplem. art. 3. producit, illuſtratque Franciſcus Sylvius. Mitto rationem illam, quam nonnulli addunt cum Scoto in IV. diſt. 17. ex quod litteræ a tabellario, vel aliis aperiri poſſint ac legi, ideoque deſtruant naturam confeſſionis *ſecretæ*; ſiquidem conditio illa, nempe quod confeſſio ſecreta ſit, licet jure optimo ſit appoſita, non pertinet tamen ad confeſſionis *ſacramentalis* eſſentiam.

THESIS VIII.

Eadem confeſsio per litteras, etiam ante Clementis VIII. definitionem, divino jure irrita erat, ac nulla. Sunt quidem Theologorum permulti, exiſtimantes non *per ſe*, ſed prælaudata duntaxat conſtitutione Clementis, confeſsionem, de qua loquimur, nullam eſſe, adeo, ut ſpectata ratione ſola ſacramenti pœnitentiæ, poſſet accuſationi hujus generis impendi ſacerdotalis abſolutio, abſente quoque pœnitente. Commemorantur hi Theologi a Suarez diſp. XIX. de forma Pœnit. ſect. 3. quibus acceſſerunt Morinus lib. VIII. cap. 25. Witaſſe q. IV. art. 4. ac Tournely, qui tamen affirmat rem eſſe valde incertam, nec ſatis auctoritate veterum exemplorum comprobatam, an olim confeſſio facta per litteras licita fuerit. Sed oppoſitum tenent S. Thomas, Scotus, Cajetanus, Victoria, Cano, Soto, Toletus, aliique laudati ibidem a Suareſio, necnon Sylvius citato art. 3. Juenin q. 12. cap. 4. art. 1. aliique recentiores. Atque ſententiam iſtam ob momenta, quæ ſubſequuntur, ego item amplector. Primum univerſa traditio Patrum docet confeſsionem peccatorum ſignificari in leproſis, quibus Chriſtus mandavit, ut oſtenderent ſe ſacerdotibus, atque in Lazaro, quem ante diſcipulos ſtatuit inſtitis, ſeu limbis colligatum; nullum autem exemplum legi, quo id executioni mandatum ſit per litterarum officia. Quare in cap. *Quem pœnitet*, paullo ſupra producto, decernitur confeſsionem faciendam eſſe *corporali præſentia*, quoniam Dominus præcepit mandandis, ut ſacerdotibus ora propria detegerent. Reſpondet Tournelius, Gratianum in illo canone producendo fuiſſe deceptum, cum non legantur hæc verba apud Auguſtinum, ſed excerpta ſint ex libro *De vera, & falſa religione*, qui non eſt genuinus ſancti Doctoris fœtus. At non canonis auctoritas, ſed ratio canoni inſerta nos movet; & præterea liber *De vera & falſa Pœnit.* (quem puto voluiſſe Tournelium nominare, quoniam in hoc libro n. 25. continetur caput, *Quem pœnitet*, & alias liber *De vera religione* Auguſtino non debet abjudicari) ſummo loco, & tanquam Auguſtino dignus habitus fuit a S. Thoma Aquinate, a Magiſtro ſententiarum, a Petro Bleſenſi, a Vincentio Bellovacenſi, aliiſque viris doctiſsimis, ut dictum eſt alibi. Addo rationem alteram ex erubeſcentia petitam, quæ ibidem inſeritur, & de qua poſtmodum. Ducor deinde auctoritate Synodi Tridentinæ, cujus ſeſſ. XIV. cap. 2. hæc ſunt verba: *Chriſtus Dominus eos, qui ſe poſt baptiſmum crimine aliquo contaminaverint, ante hoc Tribunal tanquam reos ſiſti voluit*. Siſti enim judicio, non eſt litteris deferri, ſed ante tribunal præſentari, conſentientibus JCC. apud Briſſonium de verborum ſignificat. pag. 597. Grammaticis in Theſauro L. L. tom. IV. pag. 100. necnon ſacris litteris, Lucæ II. 22. Jure ergo huic argumento magnam vim adeſſe cenſuit Iſambertus diſput. 18. ar. 6. neque illud ſolvit memoratus Tournely, dicendo non eſſe attendendam phraſim civilis fori; cum phraſim ipſam omnes prorſus uſurpent ad ſignificandam corporalem præſentiam. Tertio nitor auctoritate eximiorum Theologorum, qui affirmaverunt, urgente neceſſitate utilius eſſe ore confiteri laico præſenti, quam ſacerdoti abſenti per litteras; quæ utique fuit ſententia ſancti Thomæ in IV. diſt. 17. q. 3. art. 4. non quod confeſsio facta laicis *ſacramentalis* ſit; ſed quoniam ob peccati erubeſcentiam adauget contritionem, commonſtratque vehemens ſacramenti deſiderium, ſufficiens in caſu neceſsitatis ad ſalutem. At falſum eſſet, utiliorem eſſe confeſsionem factam præſenti laico, quam ſacerdoti abſenti, ſi poſſet is peccatis atramento conſcriptis abſolutionem largiri. Præterea contemnendam non puto interpretationem inſertam Operi prælaudato de vera & falſa pœnit., cujus auctor præcitato in loco illa Domini verba, *Ite oſtendite vos ſacerdotibus*, Lucæ XVII. 14. hac explicatione exornavit: *Ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus. Non aliam ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyſe ſtatutum: ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſsionis, &c.* Enimvero interpretationem illam approbat Synodus Nemauſenſis, celebrata anno 1284. quæ prope finem tomi XI. Collect. Lab. inter cetera Confeſsionis præcepta. *Item*, inquit, *non debes confiteri per nuncium, nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio, & præſentialiter, ut qui per ſe peccavit, per ſeipſum confiteatur & erubeſcat*. Me denique permovet aperta ratio, quod ſacramentalis confeſsio debeat eſſe actualis contritionis argumentum, judiciumque propoſiti in animo perſeverantis: quod, ut dixi, nequit convenire narrationi criminum per epiſtolam; niſi forte pœnitens ſit præſens, ac nutu ſignificet peccata ſcripto exhibita eſſe ſua, ac de illis petere abſolutionem: cujus tamen generis confeſſio, tametſi plurimi licitam eſſe pronuntient, ſi pœnitens loqui valeat, permittenda non eſt a Confeſſario, qui aut nulla, aut levi, pura ſolius verecundiæ urgente cauſa, non habet auctoritatem diſpenſandi in confeſſionis ritu, recepto probatoque univerſalis Eccleſiæ conſuetudine.

At plura adverſus aſſertionem iſtam objiciuntur. Primum locum tenent confeſſionis factæ per litteras exempla plurima, quorum præcipua præmiſſa ſunt in præcedenti ſexta theſi. Deinde opponitur exemplum matrimonii, quod valide per procuratores contrahitur inter abſentes: unde apparet non eſſe de natura ſacramentorum novæ legis, ut ſolis præſentibus conferantur. Rurſus pœnitentiæ ſacramentum exigit delictorum confeſſionem, propterea quod adminiſtratur per modum judicii, & abſolutio ſacramentalis eſt actus quidam judicialis: at judicium poteſt etiam exerceri inter abſentes, prout fieri ſolet in cauſis forenſibus ſæcularis reipublicæ; ut igitur ſacramentum iſtud perficiatur, non opus eſt præſentia illius, de quo peccatorum cauſa agitatur. Inſuper idem conſtat in abſolutione excommunicationis, aliarumque cenſurarum, ad quam non requiritur præſentia eorum, qui abſolvuntur. Idem pariter evincitur ex capite *Qualis*, XXX. q. 5. ubi præcipitur confeſſionem adulteræ per ſcripturam eſſe recipiendam. Poſtremo levia nimium ſunt argumenta in contrarium producta, ac præſertim præcipua duo, quorum primum petitur ex definitione Clementis VIII. alterum depromitur ex quo incertum ſit, an confeſſus in recta animi deliberatione conſiſtat. Nam quod ad primum attinet, dici poteſt Pontificem *materiæ proximæ* ſacramenti pœnitentiæ, ſcilicet, confeſſioni appoſuiſſe certam conditionem, ut fiat ore, & ſacerdoti præſenti, qua conditione neglecta, confeſſio ipſa ſit irrita; eo ferme pacto, quo Tridentina Synodus aſſenſui contrahentium addendam cenſuit præſentiam parochi: ideoque confeſſionem per litteras nullam eſſe Eccleſiaſtica definitione, non autem ſpectata *in ſe* Sacramenti ſubſtantia: atque ita rem ſe habere contendit adverſus Nicolaum Iſambertum citato cap. XXV. n. 18. Joannes Morinus. Non defuerunt præterea, qui definitionem Pontificis de abſolutione, non autem de confeſſione, accipiendam eſſe crediderint: cum revera fas ſit confeſſario illum abſolvere, qui in ejus præſentia non poteſt confiteri peccata, dummodo ſuperveniens ſacerdos ſciat vel ex acceptis litteris, vel ex teſtimonio adſtantium, præſentem, a quo nullum ſignum exhibetur, demonſtraſſe paullo antea deſiderium confitendi: ideoque videtur Clemens illam propoſitionem damnaſſe *complexe*, non autem *diviſim*; declaraſſe nimirum, quod nequeat abſolutio abſentibus dari; non vero quod *ſacramentalis* non ſit confeſſio facta abſenti, ſi poſtea a ſacerdote præſente pœnitens abſolvatur. Hinc Franciſcus Suarez in 3. parte de pœnit. diſput. XXI. n. 9. ſectionis quartæ pertractans quæſtionem illam, *An ſit neceſſarium ut ſacerdos in præſentia pœnitentis confeſſionem audiat*, ac tenens id quidem *neceſſarium* eſſe, at non *eſſentiale* Sacramento, allata Clementis VIII. definitione, inquit: *Exiſtimo non fuiſſe mentem Sanctiſſimi de hac opinione tractare, ſed tantum de illa, quæ dicit ſacramentum pœnitentiæ poſſe perfici ac conſummari inter abſentes: atque ita illam particulam* Et *non eſſe diviſive, ſed complexive ſumendam, &c.* Quantum vero attinet ad rationem petitam ex quo in confeſſione per litteras non habeatur certitudo præſentis diſpoſitionis, quæ requiritur in pœnitente, facillime hæc refutatur; tum quia ſi poteſt abſolvi pœnitens repentino linguæ impedimento detentus, ob aliorum teſtimonium, jam præſens confeſſio *eſſentialis* non eſt ſacramento perficiendo: tum quia non poſſumus habere de pœnitentis propoſito certitudinem aliam, quam *moralem*; & hæc habetur quoque in confeſſione per epiſtolam facta; tum demum quia præſentia ſubjecti neceſſaria ſolum eſt in iis ſacramentis, quorum *materia* eſt phyſicum elementum, ut aqua, chriſma, panis; at non in ſacramentis, quæ *materiam* habent poſitam in re morali; cujuſmodi ſunt Matrimonium, & Pœnitentia. Atque hæc ſunt argumenta in veterum, & recentiorum libris diſperſa.

Quibus eodem ordine reſpondentes, dicimus primo nil evinci ea productis exemplis. Ipſe enim Morinus lib. X. cap. XI. n. 6. docet litteris Pontificum ad abſentes eatenus concedi abſolutionem, quatenus *per indulgentiam expungitur pœnitentia canonica*, eaque prætermiſſa poteſt pœnitens illarum litterarum vi abſolvi a ſacerdote, cui tamen præſenti debet confiteri. Addo abſolutiones hujuſmodi eſſe a cenſuris, & adinſtar illius, quæ in ſolemnitatibus Ordinis nobis a ſuperiore impenditur cum facultate, qua ſolvi poſſimus a miniſtro legitimo, poſita quidem confeſſione ſacramentali, non autem neglecta. Id evidenter demonſtro ex ipſa Epiſtola Hincmari ad Hildeboldum, in qua prope finem illi confeſſionem injungens, *Specialiter*, inquit, *ac ſingillatim Deo, & ſacerdoti ſatage confiteri*, ſignificans

mini-

minime ad ejus ſalutem ſatis fore confeſſionem illam expreſſam ſcripto. Alexander item Tertius in Apoſtolicis litteris, quibus abſolutionem largitus eſt ſancto Thomæ ait: *Si aliquid te recolis commiſiſſe, de quo propria te debeat conſcientia remordere; quidquid ſit, ſacerdoti, qui diſcretus & providus habeatur, tibi conſulimus per Pœnitentiam confiteri*. Vide Baronium ad annum 1164. nu. 6. & Chriſtianum Lupum tom. 1. Epiſt. S. Thomæ pag. 41. Ea enim Epiſtolaris abſolutio erat a cenſura, quam piiſſimus Thomas ſe incurriſſe timebat, quod aliquando a ſummis viris deceptus adhæſiſſet Henrico II. Anglorum regi; quamobrem vehementer ingemiſcens a ſacris ſibimet interdixerat, donec a Romano Pontifice abſolutionem impetraſſet. Vide Surium ad diem 29. Decembris, & Stapletonum in librum, quem inſcripſit, *Tres Thomæ*. Quod ſequitur de matrimonio, facilius expeditur; nam in ſententia eorum, qui tenent hujus ſacramenti miniſtrum eſſe Parochum, non conficitur quando per procuratores initur contractus, ſed quando ſponſi ſacerdote adſtante conſenſum innovant; ut docent Guilelmus Pariſienſis, Canus, Eſtius, Sylvius, Vanroy, aliique complures. In ſententia pariter eorum, qui cenſent miniſtros hujus ſacramenti eſſe contrahentes, tunc ſacramentum conficitur, quando ſponſi aſſenſum per alios præſtitum confirmantes ſibimet tradunt mutuam in corpus ſuum poteſtatem. Proximum ſic diluitur: Abſolutio ſacramentalis non eſt actio tantum reconcilians hominem in foro externo, ſed effectrix, interius mundans, exigenſque affectionem pœnitentium manifeſtatam ſacerdoti, qui ante ſe conſiſtentes ſolvat a nexibus culparum: quare judicium illud longe eſt diverſum ab illo, quod exercetur in foro ſæculi, cum quo ſi haberet judicium hoc omnimodam ſimilitudinem, poſſet ſolvi unum peccatum ſine alio, poſſet concedi abſolutio non confitenti, poſſet etiam remitti culpa ſine ullo propoſito emendationis. Conſtat ex his reſponſio ad inſequentem objectionem; nam excommunicatio, licet feratur ob peccatum & contumaciam, eſt tamen Eccleſiaſtica cenſura ſeparans a communione, & a participatione ſacramentorum, nec peccatum, ſed pœna peccati; ideoque ad abſolutionem ab hac, aliiſque cenſuris non requiritur quidquid neceſſarium eſt ad abſolutionem a culpa; & impendi poteſt non tantum abſentibus, verum etiam defunctis: quod nullus dixerit de ſacramentali abſolutione a peccatis. Infirmiſſima eſt oppoſitio proxima, quum τὸ *per ſcripturam* in cap. *Qualis*, non ſignificet confeſſionem ſcripto factam, ſed condonationem criminis a Chriſto adulteræ dimiſſi, ut *Scriptura* teſtatur, ideſt, Joannes cap. VIII. verſu undecimo: ac præterea in Concilio Rhemenſi, & in lib. VIII. Capitular. n. 279. unde depromptum eſt caput, *Qualis*, ea verba *per ſcripturam* deſiderantur. Ad ea, quæ attingunt conſtitutionem Clementis, principio dicendum eſt, hunc Pontificem non apponere conditionem in poſterum obſervandam, ſed declarare confeſſionem per litteram, & abſolutionem abſentis *ex ſe* nullas; tum quia declarat propoſitionem illam antea prolatam, eſſe *falſam, temerariam & ſcandaloſam*; ideoque talis erat, priuſquam Clementina ipſa conſtitutio emanaret: tum quia Franciſcus Suarez in 3. parte diſput. 21. ſect. 4. docuit, *juxta communem ſententiam per ſe loquendo neceſſarium eſſe, ut ſacerdos in præſentia pœnitentis confeſſionem audiat, immo & immediate ab ipſo ſi fieri poteſt*; ſed quia docuit, *hoc non eſſe eſſentiale ſacramento*, & definitionem Clementis accipiendam eſſe *non diviſive, ſed complexive*, quatenus non poſſit abſolutio dari abſentibus, poſſit tamen dari iis, qui confeſſi ſunt in ſacerdotis abſentia: & licet Suarez tam perſpicue, & accurate ſeſe explicaverit, nihilominus ſectio illa quarta abraſa eſt decreto Pauli V. lato anno 1605. die 14. Julii, tanquam adverſa Clementis VIII. definitioni; ideoque mens Romanorum Pontificum eſt, non tantum quod neceſſum ſit confiteri ſacerdoti præſenti, ſed etiam quod hoc ſit *eſſentiale ſacramento*. Vide editionem Suareſii Lugdunenſem an. 1604. tom. 4. in 3. p. pag. 329. Secundo loco affirmandum eſt definitionem, de qua diſſerimus, accipiendam eſſe *complexe*, primo quia id apparet ex ſyntaxi verborum; deinde quia id confirmatur expunctione interpretationis Suareſianæ; turſus quia ob eamdem cauſam expurgati fuerunt Aphoriſmi Emmanuelis Sa; ad hæc quia Clemens VIII. declaravit Eminentiſſimo Bellarmino damnatam a ſe utramque propoſitionis partem; quæ omnia apertiſſime demonſtrat Sylvius præcitata quæſt. 9. art. 4. Tandem ad ea, quæ militant adverſus argumentationem Soti, affirmamus caſum infirmi in extremis conſtituti excipi in generali Clementina definitione, idque idem Pontifex declaravit, ut teſtatur apud eumdem Sylvium Petrus Lombardus Archiepiſcopus Armacanus: ac præterea eo in caſu præſentem eſſe pœnitentem abſolvendum, necnon præſentem eſſe manifeſtationem peccatorum, eo modo, quo fieri poteſt, teſtimonio ſcilicet adſtantium, a quibus enuntiatur confeſſario præſenti hominis in extremo laborantis pœnitentia & recta animi diſpoſitio. De hac utique non habet ſacerdos niſi certitudinem moralem, ſed negamus hanc haberi per confeſſionem epiſtolis factam, ſaltem quoad rectæ diſpoſitionis perſeverantiam, ſicuti negamus neceſſariam non eſſe *materiæ*, & ſubjecti præſentiam in omnibus ſacramentis, quæ efficienter gratiam producunt per phyſicam applicationem; ſenſu explicato volumine III. pag. 235.

THESIS IX.

Nonnunquam moniales per Antiſtitam confitebantur presbytero. S. enim Baſilius in Regulis Brevioribus n. CX. tom. 2. pag. 567. inquit: *Honeſtius cautiuſque per antiſtitam ſeniori confeſſio fiet, qui multa experientia adeſſe poſſit & pœnitentiæ, & correctionis modum ſuggerere*. Plura etiam exempla confeſſionis per Abbatiſſam factæ recenſent Mabillon Præf. 1. in ſæc. 3. n. 90. & Martenius de Antiquis Rit. tom. 2. pag. 39. Nonnullæ quoque Regulæ præcipiunt, ut ſanctimoniales feminis, quibus ſubjiciuntur, frequentiſſime confiteantur, uti Regula S. Donati cap. 23. Idem ſeniori, ac præpoſito ſuo faciendum præſcribunt fratribus S. Iſidorus in Regula cap. 15. S. Fructuoſus cap. 13. Caſſianus cap. 29. Regula Magiſtri cap. 15. aliæque collectæ in *Concordia Regularum* e S. Benedicto Anianæ Abbate cap. XV. ubi agit de quinto gradu humilitatis. At conſtat ex præcedenti poſitione, confeſſiones hujuſmodi nunquam fuiſſe ſacramentales, niſi forte antiſtitibus peccata fratrum aut ſororum enuntiantibus, fratres ipſi ac ſorores ſacerdoti præſenti peccata ipſa retexerint. Spectabant itaque confeſſiones illæ ad ſervandam monaſticam diſciplinam, ad averruncanda ſcandala, & ad exercendam humilitatem: cujus rei gratia etiam nos ſextis feriis, & comitiorum tempore publicas tranſgreſſiones confitemur præſidi, juxta Conſtitut. Ordinis p. VI. cap. 1. Hæc autem de variis confeſſionum generibus: nam de confeſſione facta laicis, & de *Exomologeſi* excepta a diaconis agendum proximo quarto capite.

CAPUT III.

In quo pertractatur de conditionibus confeſſionis ſacramentalis.

EXTANT in veterum, atque recentiorum Theologorum libris quidam verſus complectentes neceſſariam omnem, congruamque confeſſionis proprietatem: quos verſus, quamquam pervulgati ſunt ac notiſſimi, & ego exſcribam. Sunt igitur hi,

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
*Fortis & accuſans, & ſit * parere parata.* * Pænæ.

Agunt de his Thomiſtæ omnes in Suppl. q. IX. art. 4. Auctor lib. de Re ſacram. lib. 6. cap. 2. Franciſcus Henno diſput. V. de Pœnit. q. 6. Tournely q. VI. art. 4. & cum omnibus tractatoribus moralis Theologiæ lib. 3. Inſtruct. ſacerdotum cap. 7. Franciſcus Card. Toletus. S. autem Bernardinus Senenſis in ſerm. de confeſſ. tom. 3. pag. 356. ſexdecim illas conditiones productis verſibus comprehenſas coarctavit ad ſeptem, enumeratas, ut idem cenſet, in quinto verſiculo triceſimi primi Pſalmi; *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi: Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Ibi enim contineri putat in prima periodi parte, ut confeſſio ſit integra, nullumque abſcondatur delictum. 2. In verbo, *Dixi*, ut ſit præmeditata atque libera. 3. In verbo altero, *Confitebor*, ut verax & ingenua ſit. 4. In proximis particulis, *Adverſum me*, ut pœnitens accuſator ſit ſui. 5. In proxime ſubſequentibus, *Injuſtitiam meam*, ut enuntiet propria, non aliena peccata. 6. In vocabulo altero, *Domino*, ut ſecreta ſit, ac tantum Dei miniſtris aperta. 7. In reliquis tandem, *Et tu remiſiſti, &c.* ut annexam habeat fidem, deteſtationem peccati, & ſpem veniæ. Docet ſimilia S. Bonaventura *in Dieta Sal.* tit. 2. cap. 3. ſive tomo VI. edit. Vatic. pag. 296. S. Petrus Damiani ſerm. 2. de S. Andrea tom. 2. pag. 168. ac S. Thomas a Villanova conc. in Dom. IV. Quadrag. pag. edit. Col. 148. Sequar ego partitionem hanc, quod ſit brevior, percommoda, atque adnotationibus virorum ſanctiſſimorum comprobata.

CONDITIO I.

Prior ergo ſacramentalis confeſſionis conditio eſt, *ut nulla abſcondatur iniquitas*. Quantum ad dogma ſpectat, demonſtravi cap. 1. prop. 5. neceſſariam eſſe enuntiationem peccatorum omnium mortalium, quæ poſt diligentem diſcuſſionem occurrant memoriæ. Facile id catholicis perſuadetur definitionibus Conciliorum, adductiſque eo loci momentis. Rudioribus alia proponi poſſunt: ex parte Dei, quoniam munificentiſſimus & liberaliſſimus eſt, atque ut fert proloquium,

Aut totum, aut nihil propitiando donat;

præterea quia verax & omniſcius eſt, neque decipi poteſt alicujus ſceleris occultatione; turſus quia ſanctus, nec poteſt communicare ſanctificantem gratiam animæ ſubdolæ & coinquinatæ. Adde ex parte noſtri rationes alias, quod nec ſanari, nec inſtrui poſſimus vulnus celantes, vel interius habentes ignotam ægritudinis cauſam; quemadmodum,

modum, inquiunt, non obducitur ferro adhuc infixo cicatrix, nec ſinuoſa fiſtula non extracto oſſe putrido.

Cum hæc ex ſuperioribus diſſertationibus nota ſint; diſcutienda remanent quæ in Morali Theologia inquiri ſolent, num ad confeſſionis integritatem neceſſum ſit confiteri venialia peccata; num graviorum numerum atque ſpeciem; num horum circumſtantias & adjuncta, num etiam peccata dubia; num fas ſit detegere ſocium, ſive complicem ſceleris; num turpe aliquod peccatum nuntiare alteri confeſſario ab illo, qui alia excipit auditu; num demum cauſæ ſint aliquæ confitentem ab integra peccatorum enumeratione excuſantes: quæ omnia ſubjectis articulis, ſeu poſitionibus, uſitata methodo expediam.

I.

Igitur quod ſpectat ad venialia peccata, poſſunt ea quidem confeſſione enuntiari *recte, & utiliter citraque omnem præſumptionem*, prout definit ſeſſ. XIV. cap. 5. Synodus Tridentina, cum eadem peccata ſolvi poſſint vi clavium. Congruum etiam eſt, *maxime viris perfectis*, ea confiteri, inquit in IV. diſt. 17. p. 2. art. 2. q. 1. S. Bonaventura: immo & Synodus prælaudata ſubjiciens, *Quod piorum hominum uſus demonſtrat*: nec aliter Catechiſmus num. 47. Confeſſi præterea ſunt venialia S. Columbanus, qui & ceteros, ut hæc in confeſſione aperiant, hortatur in ſuo Pœnitentiali apud Cointium in Annalibus Francorum tom. 4. Theodorus Studita, piiſſima Virgo Segolena apud Mabillonium in ſæculum III. Bened. num. 95. Angela de Fulginio, Margharita Corthonenſis jam ad perfectionis faſtigia tendens, atque, ut omittam exempla reliqua, Veronica de Binaſco, inſtituti noſtri ſanctimonialis illuſtris, *ab ipſo Salvatore edocta, quotiens & quomodo defeciſſet*, apud Bollandum tom. 1. pag. 9x7. Eſt ergo res perutilis venialium confeſſio.

Numquid autem & neceſſaria? Minime. Deus enim cognoſcens figmentum noſtrum quotidianis defectibus paravit quotidiana remedia: & idcirco proſequuntur Tridentini Patres, *Taceri citra culpam multiſque aliis remediis expiari poſſunt*. Sunt autem hæc remedia connumerata ab Auguſtino ſermone 351. alias poſtrema inter 50. homilias, orationis Dominicæ, ſacrificiorum, eleemoſynarum, jejuniorum, ſupplicationum. Conſueverunt ulterius religioſi viri ſeſe a venialibus expiare, confeſſione facta coæqualibus extra Pœnitentiæ ſacramentum: de qua re legendi ſunt Jonas Aurelianenſis lib. 1. de Inſtit. laicali cap. 16. & Venerabilis Beda in cap. V. Apoſtolicæ Jacobi epiſtolæ, ubi ſcribit ea verba, *Confitemini alterutrum*, eſſe cum tali diſcretione accipienda, ut peccata lethalia ſacerdotibus, *quotidiana autem & levia alterutrum coæqualibus confiteamur*.

Cum autem plura ſint leviorum culparum remedia; quærunt nonnulli, poſſit ne Eccleſia horum peccatorum præſcribere confeſſionem certis temporibus faciendam? Negat magni nominis Theologus Eſtius in IV. diſt. 17. §. 9. eo quod ſacramentum pœnitentiæ inſtitutum ſit pro iis peccatis, quæ a regno cælorum excludunt, & reliqua, ut dictum eſt modo, poſſint non una ratione aboleri. Hinc Eſtius infert, illum, qui totius anni decurſu vitaret noxam omnem mortalem, non teneri, ſcandalo tamen præciſo, ad confitendum in Paſchate, quoniam cap. *Omnis utriuſque*, non aliud eſt, quam determinatio temporis circa jus divinum, quod non exigit confeſſionem, niſi de mortalibus. Adde in gratiam hujus ſententiæ, non poſſe Eccleſiam facere, ut ſit *materia ſacramenti neceſſaria*, quæ ſuapte natura, & ex jure divino eſt tantum *ſufficiens*. Sed trahor ego in ſententiam oppoſitam, quam veram eſſe ſupponunt Scholaſtici antiquiores, maxime S. Bonaventura, qui ſcribit laudato in loco: *Propter Eccleſiaſticum ſtatutum tenetur, quia omnis fidelis ſemel in anno tenetur confiteri; & ideo ſi non habet niſi venialia, ſaltem illa ſemel in anno tenetur confiteri*; necnon S. Thomas, cujus in Supplemento, concinnato ex ejus commentariis in IV. Sent. quæſt. VI. art. 3. ad 3. hæc ſunt verba: *Ex vi ſacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur*. Ac præter horum auctoritatem movet me etiam ratio, propterea quod non deeſt Eccleſiæ poteſtas præcipiendi venialium confeſſionem, ſicuti non deeſt illi facultas a venialibus abſolvendi: tum vero, quia Eccleſia præcipit etiam Euchariſtiam ſumendam eo tempore, quo jus divinum non obligat: rurſus quia in Clementina, *Ne in agro*, de ſtatu monach. habetur: *Sane ſingulis menſibus tam in monaſteriis, quam extra, ſublata occaſione quacunque, ad confeſſionem ſaltem ſemel accedant omnes & ſinguli monachi*; ideoque confiteri debent, etiamſi venialia tantum patraverint; & quamvis non appareat hoc in loco rigoroſum præceptum, ideoque Tridentina Synodus agens de ſanctimonialibus, idemque præſcribens, ſeſſ. XXVI. cap. 10. caute & appoſite utatur verbo, *Admoneantur*; cur tamen Clemens V. & Viennenſis Synodus non poterant id præſcribere ſub onere mortalis culpæ? Poterant utique; ſicut Eccleſia indicit ſæpenumero jejunia, & obſervationem feſtorum, aliaque bene multa, propter temporum opportunitatem, cauſaſque conſimiles utiliſſima, quamquam non ſint divino jure præſcripta. Huic ego adhærens ſententiæ, reſpondeo argumentis oppoſitis, non excluſa fore in caſu, quo præciperetur confeſſio venialium, remedia alia, quoniam prodeſſent ad augmentum gratiæ, ad meritum, & ad ſatisfactionem pœnarum; quemadmodum ipſum ſacramentum pœnitentiæ, etſi accedenti in gratia, & rurſus confitenti peccata jam præcedenti confeſſione dimiſſa, non tribuit peccatorum remiſſionem, quæ eſt ejuſdem confeſſionis effectus princeps, confert nihilominus majorem animi tranquillitatem, virtutum incrementa, divinorumque beneficiorum amplitudinem. Venialia autem, quæ non ſunt *materia neceſſaria* ſpectato divino jure, talia fierent ex Eccleſiæ præcepto; atque de priori quæſtiuncula dictum ſatis.

II.

Expeditior eſt altera de aperiendis in confeſſione ſingulis peccatis mortalibus, memoriæ occurrentibus, variiſque eorum ſpeciebus. Hæc enim omnia aperienda eſſe definit Tridentina Synodus ſeſſ. XIV. cap. 5. & canone 7. cui præivere Concilium Carthaginenſe III. canone 31. Laodicenum can. 2. Cabilonenſe I. can. 8. Moguntinum can. 26. Conſtantienſe ſeſſ. VIII. & Florentinum in Inſtructione Armenorum. Tridentini verba producta ſunt ſupra cap. I. prop. 5. ubi etiam inſerta ſunt argumenta, inde petita, quod alias ſacerdos non poſſet rectum exercere judicium, neque peccantibus ſtatuere æquam ſatisfactionem, aut exhibere congruum, idoneumque remedium. Alia quædam præſenti capiti ſunt innexa. Oportet autem hic duplicem confeſſionis integritatem diſtinguere; unam, quando aperiuntur omnia prorſus peccata, quæ patrata ſunt; alteram, quando enuntiantur omnia, quæ præmiſſo diligenti examine ſuccurrunt memoriæ: quarum primam appellant Theologi integritatem *materialem*, alteram *formalem* dicunt: iſtam tantum neceſſariam aſſerimus: quis enim poteſt ea prodere, quorum non reminiſcitur? Hinc recte Tridentinum Concilium, *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine*.

Forte dices, Plura huic poſitioni opponuntur. Primum quidem, quod poſſit in judiciis externis abſolvi reus a ſolo crimine, de quo accuſatur, etiamſi patraverit alia plura occulta & ignota: cur idem nequit contingere in confeſſione ſacramentali? Alterum, quod etiam in foro Eccleſiaſtico duplici innodatus cenſura poteſt ſolvi ab una, licet non ſolvatur ab altera. Proximum, quod multa ſunt peccata confeſſariis jam manifeſta; ideoque non oportet, ut oris confeſſione prodantur. Ultimum, quia ſi in confeſſione *formaliter* duntaxat integra, peccata oblita intelligerentur incluſa, ſolverentur a ſacerdote, nec eſſent aperienda, dum abſolutione percepta veniunt in mentem.

At hæc eadem facilitate, qua propoſita ſunt, diluuntur. Quod principio poſitum eſt, nil evincit; nam judicium forenſe ſpectat politiam, civiumque conſortium, cui ſat eſt, ſi tollantur quæ perturbant rempublicam: ſed judicium, quod in ſacramento exercetur, attinet ad animæ curationem, quæ nequit haberi, niſi peccatis omnibus foras ejectis; ac præterea judicium illud exterioris fori ordinatur ad punitionem malorum, iſtud vero ad juſtificationem & gratiam: puniturque unum ſine alio ſcelere, ſed unum ſine alio apud Deum minime condonatur. Diluitur eadem ratione quod ſequitur; nam abſolutio ſacramentalis ad ſanctificandam animam, & abſolutio a cenſuris ad producendum effectum alium, puta participationem ſacramentorum, aut fidelium communionem, eſt ordinata. Ad aliud obvia eſt reſponſio, requiri criminum etiam notiſſimorum confeſſionem, ut habeatur *materia* ſacramenti ſita in actibus pœnitentis, percipiatque confeſſarius conſcientiæ ſtatum, emendationis ſtudium, & remedii exhibendi qualitatem. Ultimæ oppoſitionis ſolutio eſt illa, quod cum integritas *formalis* ſit de confeſſionis eſſentia, extenditur abſolutio ad ea tantum peccata, quæ *inculpate* ignorantur; ideoque ſi in memoriam redeant, in ſequenti confeſſione ſunt exprimenda, ut docent S. Thomas q. IX. Supplem. art. 3. Catechiſmus Romanus num. 50. & Alexander VII. Pontifex O. M. a quo anno 1665. confixa eſt hæc propoſitio n. XI. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere*. Immo ſi oblita fuerint ob culpabilem negligentiam, & neceſſario examine non præmiſſo, omnino oportet confeſſionem iterare, cum nulla fuerit & ſacrilega, propter defectum *formalis* integritatis: de qua hactenus.

III.

Quid autem dicendum de peccatorum circumſtantiis? Comprehenduntur iſtæ pervulgato verſu,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando;

quo verſu admonemur, in crimine dijudicando attendendum eſſe quænam ſit perſona peccatrix; quid, quantumve perpetraverit; quo in loco deliquerit; quibus uſa ſit adminiculis; qua impellente cauſa, ignorantia ne, vel mali-

malitia, illud egerit; qua ratione, & quo tempore turpem ac ſceleratam rem attentaverit. Atque hæ quidem univerſis peccatorum generibus ſunt communes. Connumerari ſolent circumſtantiæ aliæ, quæ crimen adaugent, tribus aliis verſibus expreſſæ:

Aggravat Ordo, locus, perſona, ſcientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, cauſa,
Et modus in culpa, ſtatus altus, lucta puſilla.

Significantur his primo Eccleſiaſticorum ſtatus: deinde habenda ſacris locis reverentia; tertio perſonarum, ut virginum, ſeu conjugatorum conditio: inſuper plena rei agendæ, aut fugiendi vitii notitia: ad hæc temporis, ut ſolemnis feſti, publicique jejunii, circumſtantia: inſuper annorum gravitas, & qualitas perſonarum, veluti ſi inhoneſta admittat ſenex, aut dives furtum: ulterius multitudo culparum, ideſt, iteratum flagitium, & inolita conſuetudo: rurſus quantitas, vel copia rei, nimirum in damno alteri illato: tum finis vel cauſa, ut in jejunio fracto gula, ſive nimius appetitus delicatiorum ciborum: modus etiam ac ratio agendi, nempe cum ſcandalo, & in aliorum conſpectu: ſtatus quoque amplitudo, ſcilicet, antiſtitis, judicis, principis; & exiguum denique incitamentum, ut ſi labaris minima ductus illecebra, aut dejeres, cædaſque injuria leviſſima laceſſitus. Comprehenduntur etiam hæ circumſtantiæ in cap. *Conſideret*, de Pœnit. diſt. 5. & apud Magiſtrum in IV. Sent. diſt. 16.

Conſentiunt omnes, illas peccatorum circumſtantias eſſe in confeſſione aperiendas, quæ *ſpeciem* mutant, verbi gratia eum, qui furatur in templo, aut ibidem effundit ſanguinem, debere loci circumſtantiam exprimere, eo quod de ſimplici furto, vel homicidio, fiat tunc ſacrilega domus Dei profanatio: eum, qui fornicatur, teneri ad enunciandum, an conjugatæ, an virgini, an propinquæ, an ſolemnibus votis obſtrictæ ſe commiſcuerit, quod inter ſe diſcrepent plurimum adulterium, ſtuprum, inceſtus, ſacrilegium, aliæque turpitudinis *ſpecies*; eum denique, qui unum ſcelus committit cauſa alterius, ut ſi mentiatur, intendens animo alicujus mortem, aut ſubripiat rem alienam, edatque cupedias & bellaria, vel in merum ſe ingurgitet, ad vehementius explendas cupiditates, obſtringi ad manifeſtandam finis hujus pravitatem, quæ peccato conſummati operis addit alteram noxiæ cogitationis: quas, aliaſque circumſtantias accurate exponunt Moralis Theologiæ tractatores, Toletus etiam lib. 3. Inſtruct. ſacerdot. cap. 7. Suarez diſput. 22. de Pœnit. Sylvius in Supplem. Q. IX. art. 2. q. 3. aliique permulti. Extat autem de hac re expreſſa definitio Tridentini Concilii ſeſſ. XIV. cap. 5. *Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa nec a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.* Atque ex his verbis etiam aperta ratio depromitur.

Magis implicata videtur quæſtio, an manifeſtandæ ſint circumſtantiæ, quæ plurimum peccatum adaugent, *ſpecie* non variata, neque ſcelere propter finem, vel aliam cauſam multiplicato. Enimvero antiquiorum, & recentiorum plurimi negant circumſtantias hujus generis neceſſario aperiendas eſſe: ac inter antiquiores (juniorum quippe numerum recenſere non vacat) id ſenſere Scholarum lumina, S. Thomas in IV. ſent. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. q. 5. S. Bonaventura diſt. 17. p. 2. art. 2. q. 3. Scotus eadem diſt. n. 20. ut mittam Durandum, Paludanum, Angelum, Sylveſtrum, & alios mille. Ab his tamen ob hæc momenta recedo. Primo hi omnes, aliique fatentur, rem dubiam eſſe, in magna controverſia poſitam, & conſulte ſe geſturos, qui circumſtantias ipſas expreſſerint: immo S. Thomas, ſi fides habenda eſt Soto & Cano, exponit aliorum, non propriam opinionem; ſi audiendus Gonet, loquitur de ſolis circumſtantiis, *quæ ſunt intra lineam peccati venialis*. S. Bonaventura, præmiſſa contraria ſententia, eam amplectitur quæ tenet, hujuſmodi circumſtantias aperiendas eſſe *de bono & æquo, & quanto ſunt magis ſapientes & perfecti, tanto magis debere diſtinctius eas explicare: ſed non teneri ad hoc niſi forte ex propria conſcientia obligentur*; & Scotus ad hunc loquitur modum, *Non eſt ita certum, quod oporteat illas confiteri; tamen tutum, & utile eſt id fieri*. E contra hujus generis circumſtantias abſque ulla ambiguitate docent aperiendas, ex antiquioribus Marſilius, Gabriel, Major, Alexander Alenſis, Dominicus Soto, in diſtinctionem 17. aut in proximam libri IV. miſſiſque ſenioribus, viri ex unoquoque ordine præſtantiſſimi. Id enim tradunt Thomiſtæ omnes, auctore Goneto diſput. X. de Pœnit. art. 3. acceſſitque majoribus ſuis Cardinalis Gotti q. VI. dub. 3. & auctor Anonymus librorum de re ſacrament. lib. VI. q. 5. cap. 2. In eamdem ſententiam conſpirant Scotiſtæ, ut conſtat ex Promptuario Scotico v. *Confeſſio*, Claudio Fraſſenio to. 2. edit. Rom. pag. 635. & Franciſco Henno diſput. V. q. 6. concl. 3. tametſi Maſtrius diſput. item V. q. 18. art. 1. oppoſitæ ſententiæ adhæreſcat. Accedunt ex inclyta ſocietate Jeſu, Martinonus, Amicus, Coninckius, Sa, aliique complures cum illuſtri Suareſio tom. IV. in 3. p. diſput. 22. ſect. 3. Ex noſtratibus idem proculdubio tradunt Vanroy cap. IX. q. 5. Tombeur in praxi Pœnit. pag. 45. Guerrcrius Tract. VII. n. 185. Gibbon diſput. 4. dub. 5. Gavardi q. 1. de Pœnit. art. 5. §. 3. Poſtremo ut eos mittam, qui tanquam rigidiores audiunt, ideſt, Merbeſium p. 4. Summæ q. 25. Florentium de Cocq cap. 8. ſect. 4. Natalem Alexandrum art. 6. §. 1. Juueninum q. 5. art. 3. & Genettum tract. VI. cap. 6. q. 3. adoptarunt ſententiam illam Eſtius diſt. 17. §. 9. Sylvius q. IX. Supplem. art. 2. Tournely q. VI. art. 4. Witaſſe quæſt. IV. art. 5. Du-Hamel diſſert. 3. cap. 4. Boucat diſſert. 4. de Pœnit. inſtit. art. 5. ſect. 1. Ergo cum in hac re alii hæſitent, tot vero, tantique viri partem affirmantem propugnent, omneſque fateantur hanc tutiorem eſſe, & valde probabilem, agatur autem de re maxima; cogit nos ad ſubſcribendum huic ſententiæ cum pondus auctoritatis, tum propriæ ſalutis ſolicitudo. Accedunt momenta rationis. Ac primum, quia Tridentina Synodus, etſi noluit de quæſtione Scholaſtica pronuntiare ſententiam, ſuppeditavit tamen nobis rationes prorſus invictas, dum citato cap. 4. ait neceſſariam eſſe omnium peccatorum confeſſionem, ut ſacerdotes *de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere*. At niſi explicentur circumſtantiæ plurimum aggravantes, nequit recte cognoſci peccati natura: quis enim dixerit, ejuſdem eſſe curationis antiquas vomicas, & carcinomata, ac ſint nunc erumpentia, licet ejuſdem ſint *ſpeciei*, peccatum ſcilicet pervetuſta conſuetudine commiſſum, & nunc primo humana lubricitate perpetratum? Æquitas ergo judicii, & imponendæ pœnæ menſura, quæ poſtulant ſingulorum peccatorum accuſationem, requirunt etiam manifeſtationem illarum circumſtantiarum, quæ ſcelus aggravant, & adaugent. Deinde neminem arbitror futurum fore, qui neget hujuſmodi circumſtantias aperiendas eſſe in multis caſibus, in quibus *ſpecies* minime variatur, & quorum pleroſque paullo poſt recenſebo. Accedunt denique magnæ auctoritatis præſidia, nam Catechiſmus Romanus de Confeſſ. n. 48. ait: *Neque vero ſolum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem valde augent, vel minuunt*. Innocent. III. ſerm. 2. de Martyribus, *Debet peccator*, inquit, *omnem omnino peccati circumſtantiam confiteri ſecundum quod magis peccavit, in loco, in tempore, in numero, in perſona; ſecundum ætatem, ſecundum ſcientiam, ſecundum ordinem; ſi facile, ſi frequenter, ſi manifeſte, ſi perſeveranter*. Similia Auctor operis de vera & falſa pœnitentia cap. 14. & 15. cujus verba extant præcit. cap. *Conſideret*, ſive, *In Pœnitentia*, de Pœnit. diſt. V. n. 1. S. Bernardinus Senenſis ſermone 15. primæ partis pag. 201. edit. Junt. & ſerm. 27. p. 3. pag. 356. Petrus Bleſenſis Tract. VI. ſive de Confeſſ. volumine XXIV. Bibliothecæ Patrum, Concilia, Vormacienſe canone 5. & Londinenſe canone 4. producta a Witaſſio, necnon ſynodi Farfenſis & Sublacenſis Caroli Cardinalis Barberini & Ariminenſis Cardinalis Curſii, de quibus præcitato in loco Genettus. Quæ omnia idcirco prætermitto, quod videatur unus ſufficere S. Carolus Borromæus, qui in Inſtructionibus Confeſſariorum, juſſu Innocentii XII. iterum anno 1700. in lucem editis, ut habentur in Actis Eccleſiæ Mediolan. pag. 232. a piiſſimo auctore vernacula lingua conſcriptæ, ita plane loquitur: *Il Confeſſore deve eſſere inſtrutto quali ſono le circonſtanze, che mutano le ſpecie del peccato, e che grandemente l'aggravano, perocchè queſte due ſorte di circoſtanze neceſſariamente ſi devono eſplicare nella confeſſione; ſopra di che ricorrerà alle Somme, dove dichiarano quel verſo*. *Quis, quid, &c.* Ut enumerem nunc iſtarum circumſtantiarum nonnullas, quas omnino aperiendas cenſeo cum Theologis præſtantiſſimis, tenet primum locum conſuetudo peccandi, quæ utique in eadem *ſpecie* peccatum valde aggravat; quoniam confeſſarius tenetur hanc explorare, nec pœnitens occultare illam poteſt, cum Innocentius XI. proſcripſerit hanc propoſitionem n. 98. *Non tenemur confeſſario interroganti fateri alicujus peccati conſuetudinem*. 2. Nullum præterea dubium eſt, quin manifeſtari debeat quantitas, & qualitas criminis, quando confeſſario providendum eſt de modo reſtitutionis faciendæ tertiæ alicui perſonæ, ut in furto minori, vel graviori, prout citato cap. 7. fatetur Toletus. 3. Aperienda eſt inſuper circumſtantia loci ſacri, non tantum ſi peccatum adverſetur illius ſanctitati, vel immunitati, verum etiam ſi adſit intentio locum illum dehoneſtandi, quod redolet ſingularem malitiam, ut recte Sylvius cit. art. 2. q. 3. concl. 1. additque religioſiſſimus ſcriptor Ludovicus a Ponte tract. 3. cap. 6. ſi turpis res fiat coram SS. Sacramento, vel dum Sacrum peragitur. 4. Manifeſtanda eſt perſonæ conditio, ſi plurimum adaugeat crimen: in rapina, ſi raptor ſit Prætor, ad quem attinet rapinas coercere: in prætermiſſa correptione, ſi reus ſit ſuperior & rector, etiam in caſu, quo ad correptionem teneatur duntaxat ex caritate; & in ſcandalo, ſi veniat a viro in dignitate conſtituto, ut 1. 2. q. 63. art. 10. docet Angelicus: nam & Juvenalis ſatyra 8. ajebat,

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat, habetur:

ac rurſus, ut ait memorato in loco Ludovicus a Ponte, in illata injuria, & ingrati animi vitio, ſi offenſori collatum ſit recens ac maximum beneficium. 5. In eadem luxuriæ ſpecie

opus

opus eſt exprimere conditionem perſonæ: in inceſtu, ſi committatur cum matre vel filia, ob malitiæ exceſſum, ut ſcribit Navarrus in Enchiridio cap. 7. num. 4. in adulterio, ſi uterque, mas & femina ſint conjugati, ex eodem auctore cap. 6. in ſtupro, ſi virgo per ſponſalia viro obligata ſit, ex Nicolaö Lyrano in cap. 22. Deuteronomii; nec ſufficit exprimere in priori caſu inceſtum, in altero adulterium, in tertio ſtuprum, licet non varietur *ſpecies* peccati. 6. Nefandum denique crimen, juxta canones ac præſertim 17. Ancyranum exigit pro varia peccantium ætate diverſas pœnas; ideoque explicandum eſt, num patratum ſit ab impubere, num ab ephebo, num a viro. Ex quibus, aliiſque exemplis magis magiſque præcedens aſſertio corroboratur.

Tria ex adverſo poſſunt opponi. Primum, Tridentinos Patres declaraſſe explicandas eſſe in confeſſione circumſtantias, *quæ ſpeciem peccati mutant*, & nihil de circumſtantiis aggravantibus definiviſſe. Alterum, oppoſitam ſententiam teneri ab innumeris graviſſimiſque theologis, etiam a ſcholarum principe S. Thoma. Tertium, exprimendas non eſſe circumſtantias, quæ imminuunt peccatum, ideoque neque illud aggravantes, & augentes.

Reſpondemus ad 1. hanc quæſtionem non pertinere ad fidem, & conſulto Tridentinos PP. abſtinuiſſe, ut ſæpiſſime dictum eſt, a definiendis ſcholarum opinionibus; rationem tamen, quam attulerunt de circumſtantiis, *quæ mutant peccati ſpeciem*, valere etiam de circumſtantiis culpam plurimum aggravantibus; & fortaſſe nomen *ſpeciei* uſurpatum fuiſſe a patribus, non *metaphyſica* ſignificatione, ſed generatim ad ſignificanda peccata graviora, & leviora; quo ſenſu latine dicimus diverſas eſſe ſpecies tritici, olei, argenti, &c. Ad alterum ex dictis aperta eſt reſponſio; ne reponamus cum Natali Alex. tom. IV. pag. 321. edit. Pariſ. S. Thomam, ceteroſque in aliam opinionem ituros, *ſi poſt Tridentinam ſynodum, & ejus Catechiſmum ab Eccleſia approbatum, & Paſtoribus traditum, ſcripſiſſent.* Vide etiam, quam recte S. Thomas de circumſtantiis, quæ aggravant peccatum, pertractet 1. 2. q. 73. art. 7. ac tribus ſequentibus, necnon quæ docet de inceſtu in primo gradu, Opuſculo 12. q. 6. Ad ultimum reſpondet Franc. Suarez cit. ſect. 3. num. 16. latiſſimum eſſe diſcrimen, quia circumſtantiæ, quæ peccatum imminuunt, *non deſerviunt ad accuſationem, ſed ad excuſationem, quæ non incumbit ipſi reo.* Sed alii permulti ajunt, etiam circumſtantias, ſi notabiliter imminuant, eſſe manifeſtandas, ut ſalvetur in ſacerdote judicii æquitas; cum non ſit ſubjicienda, E. G. eidem pœnæ mulier ob grave metum conſentiens viro improbo, & quæ ſponte ultroque ſe turpitudinibus implicat: quamquam, ſi arrideat reſponſio Suareſii, dici poteſt nullum hinc ſequi incommodum, quoniam ſubjicitur graviori pœnæ confeſſus, cedens juri ſuo. Suareſio accedo, ſi pœnitens id faciat humilitatis cauſa, non hypocriſis, aut ſcrupuloſæ moleſtiæ.

IV.

Peccata dubia, quæ appareant talia prudenti ac rationabili cauſa, non levi atque inani, aperienda eſſe in confeſſione docent fere omnes cum S. Th. q. VI. Supplem. art. 4. idque præ ceteris accurate & impenſe adverſus Caramuelem demonſtrarunt ex inſtituto noſtri Franciſcus Farvacques in *diſquiſitione Theologica* de hoc argumento conſcripta, Nicolaus Gircken tract. V. q. 4. dub. 2. Leonardus Vanroy cap. IX. q. 6. & Aurelius Pierre q. 7. His accedo primum quia olim in lege veteri ad ſacerdotes non tantum leproſi adducendi erant, verum etiam ii, in quorum cute candor apparuiſſet, ac ſuborta eſſet lepræ ſuſpicio, ut conſtat ex cap. 13. Levit. verſ. 2. & 38. quod erat ſymbolum confeſſionis ex cap. *Quem pœnitet*, de Pœnit. diſt. 1. n. 88. & Angelico Doctore cit. art. 4. ad 3. Præterea a Leone X. damnati ſunt anno 1520. articuli Lutherani XLI. quorum octavus erat: *Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas: unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.* Lutherum *manifeſta peccata* intellexiſſe, non publica, ſed quæ certo mortalia ſunt, premuntque conſcientiam, teſtantur Eraſmus Roterodamus in Epiſtola ad Albertum Cardinalem Moguntinum, Lutherus ipſe in Aſſert. articulorum ſuorum, & auctores Colloquii Germanici a Jacobo Gretſero latinitate donati: quæ cum monimentis aliis legi poterunt in laudata Farvacqueſii diſquiſitione. Ii præterea, qui confutarunt articulum illum Lutheranum, profligarunt ſimul fluxam Caramuelis opinionem. Nam Joannes Roffenſis ita pag. 121. Lutherum alloquebatur: *Si velis articulum intelligi de mortalibus, quæ fugerint animum confitentis, nec adhibita congrua diligentia redeunt in mentem, nihil ab Eccleſia diſſides. Sin de iis intellexeris, quæ confeſſus novit, vel dubitat eſſe mortalia, tum profecto articulus meritiſſime damnatur; cum nullam horum in confeſſione tegi poſſit abſque manifeſta fictione: neque Bulla, quæ te jure damnat, ullis ob id conviciis meretur lacerari.* Joannes Eckius lib. 3. de Pœnit. cap. 11. pag. 184. admiſſa præcitata Eraſmi interpretatione, *Sit ita*, inquit, *quod Ludder Manifeſtum hic poſuerit non contra Occultum, ſed contra Dubium, quia peccata manifeſta, ideſt, quæ nota ſunt eſſe peccata, illa ſunt confitenda: aſſero adhuc Ludderum errare, & peccaſſe in veritatem catholicam.* Jacobus Latomus in articulum 3. Lutheri damnatum a Theologis Lovanienſibus pag. 31. ait: *Quid dubitas an peccaverit mortaliter, an non, & an conſenſus ad illicitum ſit mortalis, vel perfectus & plenus, an non? nonne tutius erit confiteri? & quis ſecundum Martinum* (ideſt, Lutherum) *ſecurum reddat pœnitentem de remiſſione? nonne in tali caſu non confitens amat periculum contra illud Eccleſiaſtici tertio, Qui amat periculum, peribit in illo?* Et Cardinalis Bellarminus lib. III. de Pœnit. cap. 1. num. 10. ita librata ratiocinatione concludit: *Dubitari ſolet, quid per manifeſta peccata, quæ ſola ad confeſſionem pertinere voluit, Lutherus intellexerit: non enim defuerunt olim, qui eum excuſare vellent. Aut igitur manifeſta peccata occultis oppoſuit, aut dubiis, aut omnino incognitis etiam ipſi peccatori. De omnino incognitis non poteſt eſſe locutus: ea ſiquidem ne Catholici quidem volunt eſſe confitenda; neque carnificinam Lutherus appellaſſet ſententiam Catholicorum, ſi in eadem ſententia etiam ipſe fuiſſet. De occultis non ſe etiam locutum, teſtatur ipſe in aſſertione articuli VIII. Quare id ſolum reſtat, ut de dubiis intellexerit: qui certe non parvus eſt error.* Igitur qui negant accuſanda eſſe peccata, de quibus dubitatur, num patrata ſint, ſive num ſint venialia, an mortalia, videntur conſentire Luthero; eoſque cum Luthero damnant Martyr Roffenſis, Eckius, Latomus, ac Bellarminus. Præter hæc laxa illa opinio refellitur ex Tridentino Concilio, quod ſeſſ. XIV. cap. 5. præcipit, ut a pœnitentibus recenſeantur *omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent*, & infra declarat ea crimina intelligi incluſa, *quæ diligenter cogitanti non occurrunt.* Igitur peccata dubia, quæ comprehenduntur in ampliſſimo illo vocabulo *Omnia*, dum occurrunt memoriæ, ſunt a pœnitentibus enuntianda. Huc ſpectat quod etiam in dubiis tenetur ſacerdos conſilia præbere, & remedia præſcribere. Clamant denique omnia jura, *in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam*; quod præſertim in ſacramentis ſervandum eſſe conſtat ex prima propoſitione damnata ab Innoc. XI. quam frequentiſſime commemoravimus: unde in nova editione Sylvii, volumine IV. pag. 392. ad ea verba art. 4. quæſtionis VI. *Qui ſic hæſitaret, ut tamen probabiliter opinaretur vel ſe non commiſiſſe id, de quo agitur, vel non eſſe mortale, vel ſe alias fuiſſe confeſſum, non peccaret mortaliter illud non confitendo*; hæc nota eſt appoſita, *Cave ab hac ſententia, poſtquam legeris propoſitionem num. 1. ab Innocentio XI. damnatam.* Confirmat hoc argumentum Eckius comparatione ægroti, qui in ancipiti valetudine, niſi arceſſeret medicum, ad quem ſpectat judicare de morbi qualitate, non amaret corpoream vitam: addit Farvacquez pag. 72. neceſſitatem ſuſcipiendi baptiſmum, ſi prudenter hæſitetur non fuiſſe collatum, de quo & nos diximus lib. XXXI. cap. 14. quod multo magis eſt aſſerendum de confeſſione, cum nullum crimen ſit eam repetere: proferunt denique alii cum Florentio de Cocq cap. 8. ſect. 5. canones Conciliorum, ſtatuentes ut iterum conſecrentur templa, ſi de eorum conſecratione dubitetur; quod multo magis ſervandum eſt in templis animatis, ne ob ſacramentorum neglectum priventur gratia, & unctione Spiritus ſancti: at hoc poſtremum congruenter, cetera inconcuſſe videntur aſſerta.

Opponebat Caramuel: Definit Tridentinum Concilium, debere pœnitentem confiteri *omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet*; de peccatis autem dubiis non habetur *conſcientia*, ſcilicet, aperta notitia, certumque judicium: non ergo tenetur pœnitens enuntiare peccata dubia. Inſuper ex eodem Tridentino requiritur confeſſio, *quia ſacerdotes judicium incognita cauſa exercere non poſſunt*; cauſa autem dubia quomodo poteſt dici *cauſa cognita*? Rurſum in judicio forenſi nulla profertur ſententia de dubio incertoque facinore; ideoque nec eſt pronuntianda a judice Eccleſiaſtico. Ulterius ſi impendatur abſolutio peccatis dubiis, ſacramentum exponitur periculo nullitatis; quod utique nefarium eſt, & ſacrilegum. Præterea obligatio, quæ oritur ex fundamento dubio, & ipſa dubia eſt: obligatio autem confitendi oritur ex admiſſione peccati; ergo ſi dubium ſit admiſſum eſſe peccatum, non erit certa & indubia obligatio illud confitendi. Tandem, ut omittam argumenta petita ex regulis juris, & quæ diſcuſſa ſunt volumine II. libro XXI. cap. 14. & 15. ſi in confeſſione oportet recenſere peccata, de quibus ſit ſermo; cur id non permittitur nimium anxiis, & ſcrupuloſis?

Reſp. ad 1. *conſcientiæ* nomine intelligi a Tridentino interius judicium, ſive certum ſit, ſive dubium; nam ait conſcientiam eſſe eorum, quæ poſt diſcuſſionem in memoriam veniunt: immo cum dicat exigi a pœnitente, ut ſe excutiat, exploretque *conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras*, apparet appellare *conſcientiam* intimum ſenſum, qui facta approbat, vel aliquo modo redarguit: quamquam & de peccatis dubiis poteſt haberi certa perſuaſio (ſi hanc velis ſignificari *conſcientiæ* nomine) illa revera eſſe dubia. Ex his diluitur objectio altera; nam pœnitens poteſt, ac debet animadvertere manifeſtanda eſſe peccata dubia, quemadmodum infirmus detegendum eſſe vulnus, quod timet eſſe mortiferum; & ſacerdos, qui judicis pariter ac medici perſonam ſuſtinet, poteſt ac debet deprehendere, cujus generis ſit culpa, de qua

pœnitens hæſitat; & quid conſilii, quidve remedii ſit opus. Ad tertium dicendum primo, etiam in judicio forenſi de incertis dubiiſque, ſi haud levem ingerant ſuſpicionem, frequentiſſime diſceptari: deinde magnum verſari diſcrimen inter forenſe, & ſacramentale judicium, cum in illo confeſſioni ſupplicium, in iſto ſubſequatur venia ac remiſſio. Proximum ſic diluitur; aut dubium in confeſſione exprimendum, eſt de *qualitate* peccati, ſcilicet, an ſit veniale, an mortale; aut de peccati *exiſtentia*, nempe an ſit, vel non ſit perpetratum: ſi occurrat dubium primi generis, nullum eſt periculum nullitatis, quia peccatum, tametſi veniale, eſt ſufficiens ſacramenti materia; & ſi adſit hæſitatio ſecundi generis, evitatur illud periculum, ſi confeſſus addat peccatum aliquod veniale, aut mortale certum; aut ſi nullum habeat, (quod foret privilegium maximum gratiæ) impertiendo abſolutionem *ſub conditione*; quem ipſe Caramuel approbet pag. 659. Addo eſſe ſententiam Vaſquesii 3. p. q. 19. art. 2. num 39. & Joannis Gerſonis in ſerm. de Pœnit. quod peccato dubio poſſit impendi abſolutio ſine conditione; de qua ſententia plura ſcripſimus tom. II. pag. 202. Ad objectionem ſequentem dico, poſſe ex dubio certam obligationem oriri, ſi eidem dubio aliquod ſit annexum periculum, ſicuti tenetur ad medicinam adhibendam qui dubitat de ſumpto veneno; tunc enim oritur obligatio potius e periculi evidentia, quam a rei dubietate. Poſtrema oppoſitio nimium fracta eſt; cum dubia eorum, qui ſcrupulis exagitantur, leviſſimis ſint innixa momentis.

V.

Nunc de complice, ſceleriſque participe. Principio certum puto, complicem non eſſe manifeſtandum, ſi id neceſſum non ſit ad exprimendam criminis qualitatem. Nam S. Bernardus, aut quiſquis eſt auctor Opuſculi, cui titulus, Formula vitæ honeſtæ, *De nullo prorſus*, inquit, *ſiniſtre loquaris, quantumcunque ſit verum, vel manifeſtum, niſi in confeſſione, & hoc ubi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum*. Pariter S. Thomas Opuſc. XII. ad Lect. Biſuntinum q. 6. *De expreſſione perſonæ cum qua aliquis peccavit, videtur mihi quod non ſit in confeſſione facienda quando poteſt vitari. Si vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi perſonam exprimendo, cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo peccati ſpeciem exprimat perſonam, ſed ſi fieri poteſt, debet quærere talem confeſſarium, qui ſororis perſonam penitus non cognoſcat*. Similia alii omnes. Cujus illa ratio evidens eſt, quod famæ proximi conſulere debeamus, neque abſque gravi cauſa ipſam lædere.

Affirmo deinde olim in conſuetudine fuiſſe poſitum, in confeſſione ſocios criminum revelare. Conſtat enim ex præced. cap. mulieres a Marco hæreſiarcha compreſſas prodidiſſe eumdem ſceleris auctorem, ut refert Irenæus; & ſanctimoniales, quæ cum viris cubaverant, unum inter corrupiores diaconum nominaſſe, patet ex epiſtolis Cyprianicis: atque accuſavit item virum, qui eam vitiaverat, virgo lapſa, ad quam librum conſcripſit Ambroſius. Quæ exempla cum aliis compluribus vide apud Morinum lib. 2. de adminiſt. Pœnit. cap. 13. pag. 104. Idem evincitur ex vetuſtis Pœnit. & canonum collectionibus; ſiquidem S. Baſilius in Epiſt. ad Amphiloch. pœnitentiam trium annorum can. 67. præſcribit ei, *qui cum propria ex patre, vel ex matre ſorore pollutus eſt*: eidemque pœnæ canone 79. eos ſubjicit, *qui in ſuas novercas inſaniunt*. Burchardus etiam libro XIX. cap. 5. imponit *catinam* (ſcilicet pœnam ad obtinendam remiſſionem) *in pane & aqua* ad certum tempus, occidenti *ſervum ſenioris, aut conſervum ſuum juſſu domini*: qui utique canones ſupponunt manifeſtationem conſciorum. Mitto canones Concilii Triburienſis, & Wormacienſis, alioſque plures ibidem a Morino collectos.

Cenſeo præterea, complicem eſſe manifeſtandum, quando id exigit integritas confeſſionis: quod primum demonſtro prælaudatis teſtimoniis, necnon Theologorum omnium, quos pag. 114. laudat idem Morinus, & quibus acceſſerunt poſteriores, quotquot perlegerim. Id præterea infero ex integritate confeſſionis, quam abſque neceſſitate nefas eſt violare. At nulla eſt neceſſitas complicem occultandi: nam ſi foret neceſſitas aliqua, eſſet hæc una, ne ſocium proderem, aut famam ipſius denigrarem. Hæc vero nullius ponderis ratio eſt; enim vero *non eſt dicendus proditor, qui non dicit ut alium prodat vel gravet, ſed ut ſe liberet, quod alias facere non poſſet*, inquit lib. 3. cap. de Pœnit. & remiſſ. §. 24. S. Raymundus. Inſuper non minus juris habet homo ad ſervandam proprii nominis exiſtimationem, quam nominis alieni, immo unuſquiſque ſe ceteris præferre debet, ſi ergo teneor confiteri crimen occultum accuſando meipſum, cur non poſſum accuſare alterum, ſi id poſtulet confeſſionis integritas? Exigit deinde eadem lex naturalis, quæ me ad occultandum proximorum dedecus obligat, ut hac in re habeam majoris boni rationem: quis enim occulta flagitia non declararet, ſi ei innoteſceret hominem nefarium moliri patriæ perniciem? quis non detegeret amico inſidias, quibus illum hoſtis eſt aggreſſurus? quis patri ignaro non revelaret meretriciam filiæ conſuetudinem? quis ſuperiori fratres ſuos, quos indicando corrigere poteſt, ſi nil aliud proficeret, non accuſaret? Nullus quidem æqui bonique amator hæc non ageret, ad quæ nos compellunt ordo caritatis, Evangelii præcepta, necnon Regula, quam profitemur. Revelare igitur debeo facinoris mei complicem, ſi alias nequeam explicare delicti magnitudinem; aut ſi hac revelatione poſſim plurimum illi prodeſſe, ipſum monitis ſacerdotum, quantum patimur confeſſionis inviolabile ſigillum, ad meliorem frugem revocando. Eſt enim bonum longe præſtantius ſalus animæ, pravorumque morum emendatio, quam ſit ſalutaris erubeſcentia, & probroſi diffamatio hominis. Quid? nec diffamare dicendus eſt, qui apud rectum judicem, apud prudentem medicum, apud virum miſericordem revelat crimen alterius, non conviciandi exprobrandique animo, ſed conſulendi propriæ, aliorumque ſaluti. Hic vero abunde refellitur eorum objectio, qui ajunt revelare conſcium criminis eſſe famam alterius lædere, & jus invadere; quod ex dictis falſum eſſe deprehenditur; præſertim quod ille, qui ſe implicuit ſceleri, eo ipſo ceſſerit juri ſuo, ne tamquam criminoſus traduceretur.

Advertendum tantummodo, quando detegendus eſt conſcius, faciendam eſſe confeſſionem apud eum, qui minime illum noverit, ſi id fieri poſſit, nec aliud ſuadeat ejuſdem utilitas: tunc enim nulla adeſt ratio derogandi ejus exiſtimationi apud perſonam notam. Quapropter memoria retinendum eſt monitum Angelici Doctoris initio poſitum; cui ſubſcribens ſanctiſſimus Archiepiſcopus Valentinus Thomas a Villanova Conc. in Dominica IV. Quadrageſimæ pag. edit. Colon. 149. inquit: *Neminem in confeſſione prodas, neminem accuſas, niſi peccati tui circumſtantia neceſſario confitenda requirat: & hoc quantum ſat eſt, & apud eum, qui perſonam non noverit quam revelas, ſi poſſibile eſt*.

VI.

Non debet dividi peccatorum confeſſio, adeo, ut quædam uni, quædam alteri ſacerdoti enuntientur. Caput enim, *Conſideret*, de Pœnit. diſt. v. num. I. exſcriptum, et diximus, ex Auctore libri de vera, & falſa pœnit. cap. XV. n. 31. de pœnitente ait: *Cautus ſit, ne verecundia ductus dividat apud ſe confeſſionem, ut diverſa diverſis velit ſacerdotibus manifeſtare. Quidam enim uni celant, quæ alteri manifeſtanda reſervant: quod eſt ſe laudare & ad hypocriſim tendere, & ſemper venia carere, ad quam per fruſta putant totam pervenire*. Atque hujus canonis multiplex ratio poteſt aſſignari: prior, quia ſacerdos fungitur vice Dei, ejuſque myſteria diſpenſat; & per conſequens crimina ſunt ſacerdoti enuntianda, quemadmodum Deo innoteſcunt: altera, quia plura ſimul peccata commonſtrent majorem animi perverſitatem, ac ſtatum conſcientiæ deteriorem; gravius eſt enim morbi vitium, cui alter morbus accedit: poſtrema autem ratio hæc eſt, quod ſi lethalia ſint crimina, neutrius ſacerdotis valeat abſolutio; quia peccatum unum non dimittitur ſine alio.

Quid vero, ſi quiſpiam in grave ſcelus prolapſus, ne apud conſuetum conſcientiæ ſuæ directorem ſuam exiſtimationem deperdat, peccatum illud enuntiet alteri, ipſi autem directori detegat leviora? Damnat hunc Natalis Alexander art. VII. Regula 2. hypocriſis, de qua præcitatum cap. *Conſideret*, inanis gloriæ, & imprudentiæ, qua exponit ſeſe periculo iterum patrandi peccatum illud mortale. Alii tamen viri doctiſſimi cenſent hoc eſſe licitum, modo vera habeatur contritio, & emendationis propoſitum: ita nimirum ſentiunt Navarrus cap. XXI. num. 40. Suarez diſput. XXII. ſect. 1. Sylvius q. IX. ſuppl. art. 2. q. 4. & alii quamplurimi. Qua in re nil dicam aliud, niſi cavendum magnopere, ne decipiat nos fallax erubeſcentia, inanis cupiditas, & amari medicamenti faſtidium, memoriæ repetens quæ S. Proſper edidit in Carmine de Providentia Tom. VIII. Bibl. PP. pag. 104.

Dulcia ſunt etenim guſtu, ſpecieque decora
Quæ morbos, mortemque animæ generantque foventque,
Cancri & ritu languentia viſcera carpunt.
Cumque Deus medicam cælo demittere curam
Dignatur, penituſque putres abſcindere fibras,
Incuſamus opem teneri, & tabeſcere morbo
Malumus, antidoti quam vim tolerare ſeveri.

VII.

A confeſſionis integritate conſenſu omnium ſequentes caſus excuſant. Primus eſt, dum quis commiſſi ſceleris obliviſcitur, poſt accuratam tamen, ac diligentem diſcuſſionem, ut dixi num. 2. Caſus alter eſt, cum imminet mortis periculum, E. G. in incendio, naufragio, apoplexi, hoſtili incurſione, aut eventu alio conſimili. Tertius eſt caſus, quando ex alicujus circumſtantiæ manifeſtatione, (ſit in exemplo accuſatio complicis) timet confeſſus ſibi, aut alteri maximum graviſſimumque detrimentum. Pertractant de his accurate S. Thomas in IV. diſt. 17. q. 3. Dominicus Soto diſt. XVIII. q. 2. art. 5. Suarez diſput. 23. de Pœnit. ſect. 3. Cardinalis de Lugo diſput. XVI. ſect. 13. aliique permulti. In hoc tamen tertio caſu aliqua ſunt diligenter ſervanda: ac primo ſat non eſſe inanem trepidationem, dubiumque

Digitized by Google

biumque futuri damni leviſſimum; ſed requiri grave, conſtans, firmiſſimumque momentum. Deinde adeundum confeſſarios alios, ſi fieri poſſit, & confeſſionem, niſi maximum ſequatur incommodum, differendam eſſe. Tertio ſi taceatur aliquid neceſſario explicandum, cum primum dabitur opportunitas, alteri confeſſario eſſe manifeſtandum. Poſtremo, niſi confeſſio differri poſſit, puta ob communionem Paſchalem, aut ingruens periculum, reliqua omnia peccata integre eſſe enuntianda. Cavendum ſummopere, ne his aliquis abutatur; nec enim deſunt viri præſtantiſſimi, qui cenſent plurimum expedire, ne de iis laici inſtruantur. Vide Theologiam Moralem Epiſcopi Petrocoenſis tom. IV. pag. 62.

Quidam dixerunt excuſari ab hac integritate eos, qui in magna ſolemnitate, populorumque concurſu integre non confiteantur, non ob erubeſcentiam, averſumque animum, ſed ob inopiam Confeſſariorum, & anguſtias temporis. Movit eos, ut quiſque poſſit indulgentias lucrari, & majori cultu celebrare feſtivitates. Sed infirmiſſima hæc ſunt; quoniam non adeſt hoc in caſu illa neceſſitas, aut maximum detrimentum, quorum duntaxat cauſa ab integritate excuſamur; ac Deo tunc acceptum eſt vehemens deſiderium, animique propoſitum. Adde ſacrilegii periculum, atque ex parte ſacerdotis imprudentiam proferendo *incognita cauſa* judicium. Confixit propterea Innoc. XI. propoſitionem illam num. 59. *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ*. De qua propoſitione vide Hennum diſp. V. q. IX. concl. 7. Milantium Exercit. 34. ſecundi voluminis, & Riccium diſput. 53.

CONDITIO II.

Oportet deinde, ut ſacramentalis confeſſio ſit *libera & præmeditata*, ideſt, non coacta, qualis eſt confeſſio latronum, ac deſperantium; ſed libens & ſpontanea, nec cæco modo peracta, ſed poſt exactum examen, & diſcuſſionem conſcientiæ. Sunt quædam voluntatis vincula: *pudor*, in pueris maxime, ſexuque muliebri; *ſpes longioris vitæ*; nimius juſtitiæ *timor*, atque de ſumma Dei pietate *præſumptio*. Sed ad *pudorem* vincendum, præſtat plurimum in mentem revocare, quod nihil ſupremum Judicem lateat, quod longe major verecundiæ cauſa futurum ſit impœnitentium crimina vulgari in theatro univerſi orbis terrarum, quam ſi nunc enuntientur conſervo, infirmitate circumdato, fraterna prædito caritate, ac religioſe ſervaturo plenum altiſſimumque ſilentium. Arguit vero confeſſionis *dilationem*, noxiumque torporem incertus vitæ exitus, & quæ facile poteſt contingere, ſupervenientis impotentiæ multiplex cauſa; tum erga pervicaces Numinis indignatio, hujuſque exempla teterrima: infelix etiam degentium in culpa conditio, ingratus erga Deum animus, & ſceleroſæ conſcientiæ ſtimulus, horror, ac turpitudo. *Timentem* erigunt Dei pietas immenſis erga humanum genus beneficiis confirmata, ſincera ſalvandi omnes voluntas, maximum Redemptionis beneficium, effuſio pretiumque ſanguinis Chriſti, inſtituta ſacramentorum remedia horumque efficacitas, venia ſceleſtiſſimis quoque promiſſa, & conceſſa latroni, mulieri peccatrici, Eccleſiæ perſecutoribus, atque in eos ipſos, qui frigent timore, benefacta complura, quotidiana invitamenta, ac pœnitentiæ ſumma æquitas, celebris commendatio, merces eximia. Amovetur denique *præſumptio*, ſive nimia ſpes ac temeritas propoſitis ſacrarum literarum comminationibus, incommutabilis juſtitiæ æquitate, ac doloſa amoris proprii ſuaſione, de qua ſerm. 6. in Cantica S. Bernardus: *Miſericordia fallax aſſentatio peſſimum generat ſecuritatem*. At de his plura Auguſtinus ſerm. 393. alias homilia 41. ex quinquaginta. S. Fulgentius epiſt. 7. ad Venantiam, & Salvianus lib. 1. ad Eccl. cath. pag. edit. Pariſ. 335. & ſeqq.

Conſcientiæ diſcuſſionem, & accuratum examen præmittendum eſſe confeſſioni inde conſtat, quod prima medela peccatoris ſit, *ut incipiat noſſe quod langueat*, ait S. Proſper ad Capitul. Gallorum cap. 6. Hinc S. P. Auguſtinus narrans lib. VIII. Confeſſ. cap. 7. num. 1. quo pacto ad converſionem excitaretur, *Conſtituebas me*, inquit, *ante faciem meam, ut viderem quam turpis eſſem, quam diſtortus & ſordidus, maculoſus & ulceroſus. Et videbam & horrebam, & quo a me fugerem non erat: & ſi conabar a me avertere aſpectum ..... tu me rurſus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, ut invenirem iniquitatem meam, & odiſſem*. Quare conſcientiæ ſcrutatio confert ad dolorem excitandum, & omnino neceſſaria eſt ad confeſſionis integritatem; proinde facienda *non diſſolute & remiſſe*, ſed omni adhibita diligentia, ne confeſſio ſit nulla, & omnino iteranda, ut docet Catechiſmus Romanus de Pœnit. num. 50.

De præmittendo examine plura non dicam: *ſi enim ſtatim ac e cubili ſurreximus, antequam pedem in forum inferamus, aut aliquod privatum publicumque negotium aggrediamur, vocato ſervo rationem ab eo exigimus expenſarum, ut videamus quid perperam, quid in legitimos uſus inſumptum fuerit, quantumque ſit reliquum; quod ſi perexiguum eſſe viderimus id quod reſtat, omnes vias augendorum redituum excogitamus, ne forte incauti fame conficiamur; quanta magis id in actionibus noſtris facimus, & advocata conſcientia noſtra rationes exigimus ab ea verborum, actionum, cogitationum?* Ita loquitur in Hom. qua oſtendit *non eſſe ad gratiam concionandum*, tom. 3. pag. 665. ed. noviſſimæ, magnum Græciæ ornamentum Chryſoſtomus. In eadem Homilia docet majorem curam eſſe iis adhibendam, quæ peccant quotidie. Admonemur etiam ibidem verbis Pſalmi IV. 5. *In cubilibus veſtris compungimini*, mentem excitare, *cum ſoli fuerimus veſperi, & frui licuerit tranquillitate*, ne ſcelera lavanda lacrymis mandentur oblivioni. Mirum vero nullam de his ſolicitudinem gerere illos, qui norunt agendæ pœnitentiæ neceſſitatem; cum in id toto pectore incubuerint propter ſolam humanæ vitæ honeſtatem, morumque compoſitionem philoſophi, ſupernæ fidei lumine deſtituti; quorum unus, ideſt, Pythagoras in aureis carminibus, Curterio interprete, ajebat:

Mollia nec prius admittant tibi lumina ſomnum,
Exacta quam ter reputaris cuncta diei:
Qua prætergreſſus? qua geſſi? qua male omiſi?
Singula percurrens a prima facta, quibus tu
Vel prave doleas, capias vel gaudia juſtis.
Hæc facito: hæc ſatage: iſtorum tibi cura geratur.

Nil autem dicam de conſcientiæ diſcutiendæ modo, de quo ſingulorum manibus libri teruntur. Præſtant ceteris, omniaque peccatorum genera ſingillatim enumerant, juxta decalogi, & Eccleſiæ præcepta, variaſque hominum conditiones, *Confeſſionalia* S. Antonini, & Joannis Nider, Gerſon de Arte audiendi confeſſiones, Bartholomæus Medina lib. 1. Inſtruct. Confeſſ. cap. 14. & ſeq. Ludovicus a Ponte tract. 3. cap. 6. Nicolaus Tombeur in Praxi adminiſtrandi ſacramenti Pœnitentiæ. Monita autem, ac præcepta univerſim tradunt Toletus lib. 3. Inſtruct. ſacerdot. cap. 17. Paulus Segneri in Confeſſarii Inſtitutione cap. 2. & ne ſingulos commemorem, præceptores ſanctiſſimi ceterorum, Carolus Borromæus in Act. Mediol. pag. 232. & Franciſcus Saleſius Inſtruct. Confeſſar. cap. 3.

CONDITIO III. IV. ET V.

De tribus proximis conditionibus breviter eſt agendum, cum ex præcedentibus conſequantur. Itaque confeſſio debet eſſe *vera*, ſcilicet, *clara, nuda, aperta, non velata, non aliquo fuco colorata, ſicut nudum ſi poſſet cor ſuum ſacerdoti monſtraret, ut animæ ſua vulnera, ſicut ipſe novit, agnoſcat*, inquit S. Thomas de Villanova conc. in Dom. IV. Quadr. Et quidem cum ſemper mentiri iniquum ſit; perniciosiſſimum eſſe debet mendacium in ſacramento, cujus materia eſt ſincera criminum manifeſtatio: nec perniciosiſſimum duntaxat ob mortem animæ ſpiritalem, verum etiam maximum ſacrilegium propter ejuſdem ſacramenti contemptum. A nemine idcirco revocatur in dubium, quin mentiri circa peccata mortalia ſit *mortale peccatum*, cum reddat ſacramentum nullum, & confeſſionem ſacrilegam. Idem dicendum eſt de mendacio circa venialia, ſi hæc tantum enuntientur ut ſint ſacramenti materies, ob eamdem rationem, quoniam ſcilicet tunc mendacium, etſi in re parva, reddit caſſum, nullumque ſacramentum.

Ulterius pœnitens debet eſſe accuſator ſui: *Cave, cave ne declines cor tuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis: ne culpam tuam in mulierem, vel in ſerpentem rejicias, ut Adam, hoc eſt, in carnem, vel diaboli ſuggeſtum. Nunquid non accuſaturus veniſti? ut quid excuſas? quid palliás? Ne ergo dixeris, Diabolus me decepit, circumventus ſum a Satana, graviſſima fuit tentatio, intolerabilis impulſus, carnis meæ paſſio, ſenſualitatis impetus me decepit; ſed accuſationis cuſpidem verte in te, dicendo: Peccavi ut malus & iniquus, ut ingratus & impius, quia Dei amorem & timorem non habeo, & non ſum dignus levare oculos meos in cælum præ multitudine peccatorum meorum, & ſimilia*: ita in prælaudata concione Valentinus Archiepiſcopus. Neque vitandæ tantum ſunt peccatorum excuſationes; ſed etiam hypocriſis, & meritorum ſuorum faſtidioſa oſtentatio, quæ tendit ad imminuendam ſcelerum magnitudinem. Non ſit ergo pœnitens phariſæi imitator, ſed publicani, de quibus Lucæ XVIII. 10. ſive, ut phraſi utar Nazianzeni carmine 58. non ſit hypocrita,

minio nec tincta carina,
Atque notho ſplendore nitens, falſoque decore.

Enimvero, ut præclare Auguſtinus ſerm. 301. num. 2. *Ad juſtos pertinet confeſſio peccatorum, ad ſuperbos pertinet defenſio meritorum.*

Hinc ſequitur conditio altera, ne aperiantur in confeſſione aliena ſcelera, niſi id exigat integritas inviolabilis. Superborum quippe eſt aliorum depreſſione ſeipſos extollere; quod conſtat ex præcitato capite Lucæ, verſu 11. Proſequitur idcirco in prælaudata concione S. Thomas: *Quidam dum ſe juſtificare prætendunt, fiunt proximi detractores, & ubi quærebant remedia delictorum, peccata accumulant, & diſcedunt a confeſſione deteriores. Dicunt enim, Odi hominem & merita, quia pravus eſt & iniquus, nullus eum poteſt tolerare, hæc mala mihi fecit, & ſimilia. Injuſtitiam meam* (inquit Pſalm.) *non alienam,*

non virtutes, non gratias, non eleemoſynas. Accuſare te venis, quare te commendas? Injuſtitiam meam, non longas hiſtorias, non fabulas. Hactenus S. Thomas.

CONDITIO VI.

Præterea neceſſum eſt confeſſionem eſſe *ſecretam*, & ab iis, qui auribus illam excipiunt, alto ſilentio ſepeliri. Demonſtravi enim ſecundo capite eos, qui aliquando in conventu enuntiabant crimen aliquod, ad hoc nulla divina, aut Eccleſiaſtica lege fuiſſe compulſos, ſumma id cautione factum a pœnitentibus, cum cauſa graviſſima poſtularet; confeſſarios autem ab initio præditos maxima taciturnitate ac prudentia, ut narrat Sozomenus. Addendum igitur hoc in loco quod docent Theologi *de Confeſſionis ſigillo*, nempe qua lege teneamur ad cuſtodiendum confeſſionis arcanum, quid inſuper lex ipſa comprehendat, & quo modo poſſit violari, & infringi.

I.

Ad primam itaque quæſtionem dicimus eos, qui audiunt confeſſiones, *ad ſigillum* teneri naturali, divino, & Eccleſiaſtico jure. Tenentur jure naturali, quia revelare crimen alterius eſt illum diffamare, & facere adverſus proximum, quod ſibimet nemo vellet. Illud etiam mutuæ benevolentiæ ordo poſtulat, ut ſervetur ſecretum, præſertim ſponte, & fidenter creditum; unde Prov. xi. 13. legitur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis eſt animi, celat amici commiſſum*. Norunt id etiam ethnici, quorum Alexander Macedo Hephæſtioni legenti epiſtolam, quæ continebat quaſdam adverſus Antipatrum criminationes, anulo manui ſuæ detracto, ori ſigillum impoſuit, uti narrant Plutarchi Apophthegmata. Quum vero hoc ſervandum ſit in humanis officiis; quanto magis cuſtodiendum in confeſſione, quam hæretici tanquam odioſam traducunt, & exprobrant? Accedit, ut dixi, juris divini præceptum, quod nonnulli cum Sylvio in q. xi. Supplem. putant peculiariter Apoſtolis a Chriſto intimatum. Vetus Eccleſiæ conſuetudo, cujus initia inveniri non poſſunt poſt ætatem Apoſtolorum, opinionem Sylvii magna probabilitate confirmat. At S. Thomas eadem quæſt. art. 1. planiori incedens via, idem probat ex ipſa Pœnitentiæ inſtitutione, quæ poſtulat, ut pœnitens ſacerdoti ſemetipſum ſubjiciat, in ſignum interioris humilitatis, qua ſubjicitur Deo. Sicut ergo Deus tegit peccata eorum, qui ſibi ſubjiciuntur per pœnitentiam; ſic illa tegere debet & occultare ſacerdos; *aliter peccat tanquam violator ſacramenti*, ad quod ſpectat, *ut quæ exterius geruntur, ſint ſigna rerum quæ interius contingunt*. Atque ita qui arcanum confeſſionis revelat, lædit divinum jus, ipſamque inſtitutionem, ac ſymbolum ſacramenti. Appoſite in prælaudata concione S. Epiſcopus Valentinus: *Domino confiteris, non homini; & ſi homini, non quaſi homini, ſed quaſi Deo: & qui audit, non quaſi homo: unde nulla ratione, nulla violentia, nullo caſu ſacerdoti licet confeſſionem revelare*. Conſonat jus Eccleſiaſticum; enimvero cap. *Sacerdos*, de Pœnit. diſt. 6. Gregorius, ut vulgo creditur, VII. inquit: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet: non propinquis, non extraneis, neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat*. Eundem canonem continent MSS. Anſelmi Lucenſis lib. xi. cap. 25. In cap. *Omnis utriuſque* ſimilia leguntur, commutata tantummodo pœna peregrinationis in arctam alicujus monaſterii cuſtodiam, his verbis, *Qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum*.

At oppones: Non deſunt viri clariſſimi, qui tenent poſſe *ſigillum* confeſſionis impune frangi. Gabriel enim, ut affirmat Vaſquez in 3. p. diſp. 93. art. 4. dub. 9. docuit diſt. 2. confeſſionem revelari poſſe, ſi confeſſario grave damnum immineat. Guilelmus Altiſſiodorenſis in Summa lib. 4. tract. 6. q. 4. affirmat a confeſſario manifeſtari poſſe Epiſcopo impedimentum criminis ad matrimonium contrahendum, & irregularitatem ad ſacros ordines accedentium, tametſi per ſecretam confeſſionem ea noverit; & Innocentius III. reprehendit Abbatem quamdam, qui non revelaverat confeſſionem ſibi factam monachi ad presbyteratum non promoti, & quotidie tamen ſacrum celebrantis, ut in Hiſtoriis rerum memorabilium narrat Cæſarius Monachus Heiſterbacenſis. Deinde obtinuerunt aliquando confeſſio publica, & publica pœnitentia; quæ utique ſine manifeſtatione peccatorum peragi non potuerunt. Præterea niſi liceat revelare confeſſionis arcanum, neceſſum erit confeſſario mentiri, ſi de alicujus apud ſe confeſſi crimine interrogetur; immo non mentiri tantum, ſed etiam pejerare, ſi compellatur a judice juramentum exigente. Rurſus etiam integritas confeſſionis præſcribitur divino jure, nihilo tamen minus ab illa non una excuſat ratio: ideoque frangi poterit etiam confeſſionis ſigillum, quamvis divino jure præſcriptum ſit. Tandem ſi quis in confeſſione ſciat moliri aliquem everſionem civitatis, proditionem regni, perniciemque reipublicæ, niſi id revelet, privatam unius hominis famam præferet univerſorum exitio, adverſus communem juris naturalis præceptionem: ipſum ergo jus naturæ exigit aliquando *ſigilli* hujus fractionem.

Reſp. Vaſquezium, niſi Gabrielis commentaria lectitans accepit pro aſſertionibus objecta, ſolemnem illi impegiſſe calumniam: Guilelmum Altiſſiodorenſem ſcribere, fuiſſe opinionem illam quorumdam Pariſienſium, quam ob ſupinum errorem amplecti non poſſumus; Innocentium autem III. mentem ſuam aperuiſſe in Lateranenſi Concilio; & Abbatem prædictum in hoc reprehenſionem promeruiſſe, quod ſubjecti ſibi monachi conditionem potuerit alia via inveſtigare. Ad alterum dico, nullum crimen ex publica pœnitentia potuiſſe dignoſci, quoniam & multi viri pii decurrendo pœnitentiæ ſtadio ſeſe addicebant, ac præterea permulta ſcelera ſubjiciebantur eidem pœnæ, omneſque ſubſtrati, cujuſcunque criminis rei, in eodem ſqualore veſtis degebant mœrentes ac ſordidati; quæ res omnibus ædificationi, nemini erat ſcandalo. Hujus generis erat confeſſio publica, aut publicorum ſcelerum, aut ſaltem ſponte a pœnitentibus facta, & conſilio, prudentia, plenoque judicii pondere indicta. Tertium ſic diluitur: interrogatio facta alteri, ſemper accipienda eſt in eo ſenſu, ut revelet quæ ſcit *tanquam homo*: quemadmodum docet S. Thomas q. xi. Supplem. art. 1. ad 2. in iis quippe, quæ novit aliquis tanquam Dei miniſter, ſoli Deo, & nulli mortalium ſubjicitur. Si ergo imprudens aliquis interroget confeſſarium de crimine ipſi in confeſſione detecto, non mentitur, ſi ait illud a ſe neſciri: & ſi ab ipſo confeſſario judex exigat juſjurandum, jurare poteſt quod neſciat, quoniam, ut ait eodem art. ad 3. ſanctus Thomas: *Homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo; & ideo ſine læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſcire, quod ſcit tantum ut Deus*. Afferri poteſt exemplum Chriſti, qui Matth. xxiv. 95. ait, neſcire ſe diem judicii, ſenſu explicato libro vii. cap. 12. Si autem eo procederet temeritas judicis, ut ita ſacerdotem coarctaret, *Jura hæc a te neſciri, etiam tanquam Dei miniſtro, & adepta per confeſſionem notitia*, non deberet mentiri, aut jurare, numquam enim id licitum eſt; ſed jus Eccleſiaſticum & muneris ſui dignitatem defendens reſpondere, interrogationem illam eſſe audacem, ſacrilegam, iniquiſſimam, nulli hominum hac in re ſubjici Dei miniſtros, nec poſſe aliquid, modo ſola confeſſione exceptum ſit, affirmari a ſe, vel negari. Vide Maldonatum de Pœnit. cap. 3. tom. 2. edit. Lugd. pag. 64. Tournelium q. 6. art. 5. pag. 238. Vanroy cap. xi. pag. 287. Eſtium in diſt. 17. §. 14. pag. edit. Pariſ. 234. Proponendum igitur Confeſſariis exemplum beatiſſimi martyris Joannis Nepomuceni, qui omnem artem Vinceslao Cæſare adhibente ut revelaret confeſſionem Joannæ conjugis ſuæ, ut narrat Auctor vitæ ejus apud Henſchenium tom. 3. Maji pag. 671. cœpit *excelſo animo honores ac minas contemnere, Confeſſarii munus explicare, ſilentii ſacroſanctam legem extollere, pœnas temporales, & ſempiternas iis, qui ſecretum non tenuerint, paratas exaggerare, denique regem monere, abſtineret captandis quæ uni Deo cognoſcenda ſervantur, ſine ſacrilegio talia tentari non poſſe, in ceteris omnibus regis imperio adorare ſe, unum hoc deprecari, quod ſi mille mortes ſubeundæ eſſent, non faceret*. Atque id Joannes opere confirmavit, in Moldavam fluvium, qui alluit Pragenſem urbem, anno 1383. Vinceslai juſſu dejectus. Objectio proxima nullius eſt momenti; nam illa tantum integritas confeſſionis eſt de jure divino, quæ poſſibilis eſt hominum facultati; unde ex quo teneatur omne peccatum enuntiare qui mente pollet, & proſpera utitur valetudine, non ſequitur obſtringi eadem lege inculpata ignorantia, extremaque virium defectione laborantes. Ad ultimum hæc ſit reſponſio; qui frangit confeſſionis *ſigillum*, non tantum lædit famam proximi, ſed etiam ſacramento maximam irrogat injuriam, exoſam reddit confeſſionem, Deum, cujus miniſterium exercet, afficit contumelia, peſſumque dejicit maximum Eccleſiæ commodum. Quæ omnia cum præſtantioris ſint ordinis, quam ſalus & felicitas reipublicæ; apparet *ſigillum*, de quo loquimur, frangi non poſſe, quamvis mundus rueret univerſus; ſed magis eſſe inviolabile, quam ſit arcanum ad jura naturæ ſpectans, & ab amico fidei alterius concreditum, puta occultæ in rempublicam conſpirationis; quam utique, niſi aliter vitari queat publicum detrimentum, & ſi extra confeſſionem noveris, opus eſt ut reveles, quoniam commune bonum damno privati hominis eſt præferendum. At de priori quæſtione dictum ſatis.

II.

Sequitur expeditior altera, quænam comprehendantur in ſacroſancta *ſigilli* lege. Certiſſimum eſt comprehendi peccata omnia, peccatorumque circumſtantias, quæ ſacerdoti confeſſione innoteſcunt; etiamſi confeſſio talis ſit generis, ut a Sacerdote abſolutio non impendatur. Ratio eſt, quia ſacerdos tanquam Dei miniſter ea peccata excipit, quæ ipſi *ſacramentaliter* enuntiantur, juxta cap. *Quod quidam*, Extra, de pœnitentiis, & remiſſ. Hinc ſequitur laicum, cui alter committat ſecretum aliquod (ut interdum fieri

ſolet)

ſolet) cum illa expreſſione verborum, *ſub ſigillo confeſſionis*, ſi ſecretum prodat, proprie loquendo non eſſe hujus *ſacramentalis ſigilli* fractorem, quia non committitur illi arcanum confeſſione ſacramentali, ideſt, tamquam ſacramenti miniſtro. Quamquam tenetur eo in caſu ſecretum illud cuſtodire arctiori quodam vinculo, quam cuſtodiatur arcanum aliud naturale, propterea quod expreſſione prædicta, *ſub confeſſionis ſigillo*, manifeſtatur res occulta ea lege, ac pactione, ut ita lateat in corde, ac ſi proditum eſſet legittimo confeſſario. E contra liquet, reum fore violati *ſigilli*, qui ſimulans ſe ſacerdotem exciperet confeſſionem ad ipſum recta intentione accedentium; quod hi intenderent conſcientiam propriam detegere vero Chriſti miniſtro. Illud denique ex dictis conſequitur, ad ſolos ſacerdotes, ſervata proprietate verborum, ſpectare ſacramenti *ſigillum*, cum ii tantum fungantur Dei miniſterio; ceteros tamen, qui ſacramentalis confeſſionis occaſione, aut ejus gratia in agnitionem veniunt alieni peccati, eos ſcilicet, qui e proximo loco audiunt pœnitentes dum voce paullulum elata confitentur peccata ſua, aut inveniunt ſchedas habentes inſcripta crimina confeſſario aperienda, aut ſunt alienæ confeſſionis interpretes, obſtringi ſilentii lege titulo peculiari; quandoquidem præter obligationem ortam ex jure naturæ, adeſt alia, qua tenemur ſacrorum myſteriorum dignitatem, & decus nullatenus violare.

III.

Ad tertiam quæſtionem facillima eſt ex dictis reſponſio. Violat enim primo *ſigillum confeſſionis* quiſquis aperte revelat aliquid ſpectans ad ejuſdem confeſſionis materiam. 2. Ejuſdem criminis, ſaltem *indirecte*, reus eſt, qui excepta aliquot virorum, aut feminarum confeſſione, ait, *Vir iſte nullius lethalis culpæ ſibimet conſcius erat*, *Ea mulier adhuc eſt incorrupta*: ex qua loquendi ratione conjici poteſt, virorum reliquos fuiſſe peccato mortali inquinatos, feminaſque viro ſubactas. 3. Infringit item *ſigillum* qui audita publici peccatoris, E. G. latronis, aut pellicis confeſſione, *Ille*, ait, *perpetravit homicidium*, *hæc adulterium*; quia licet pervulgata ſint aliis hæc ſcelera, attamen revelata ſunt confeſſario ſecreta, & ad ſacramentum ſpectante notitia. Quod ſi alia via ante, vel poſt confeſſionem alicujus crimen didicerit, non erit ſigilli fractor; dummodo illud revelet innixus illi tantum cognitioni, quam extra confeſſionem adeptus eſt. 4. *Sigilli* pariter violator cenſendus eſſet Antiſtes, qui evulgaret conceſſam a ſe tali Confeſſario facultatem abſolvendi ab aliquo reſervato caſu, ſi poſſet illinc inferri, cujus gratia eamdem facultatem largitus eſſet. 5. Non ſola peccati revelatione, verum etiam quolibet ſigno, ex quo peccatum poſſit deprehendi, *ſigilli* hujus violatio contingit: unde 21. canone Concilii Lateranenſis additur: *Caveat autem omnino ſacerdos, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiorum conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat*. 6. Tanta inſuper hujus *ſigilli* vis eſt, ut juxta Clementis VIII. decretum, latum die 26. Maji an. 1594. *tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti*, cavere debeant *diligentiſſime, ne ex notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur*. 7. Pari ratione illicitum eſt uti ſcientia ex confeſſione acquiſita *cum gravamine pœnitentis*, prout definitum eſt die 5. Decembris anno 1682. decreto Romanæ & univerſalis Inquiſitionis. 8. Uno tantum in caſu ſacerdos, ſi revelet peccatum, immunis erit a culpa, nimirum ſi id faciat expreſſa, ac liberrima pœnitentis licentia; quia etſi hoc ſigillum inductum eſt in honorem ſacramenti, id tamen cauſa præſertim pœnitentis factum eſt, ne ipſum ſacramentum videretur illi odioſa res, graviſſima, ac formidanda: quod ſane non evenit, dum pœnitens cedens juri ſuo licentiam illam ſponte & ultro concedit. Ea tamen ſacerdos uti non poteſt, niſi in pœnitentis utilitatem & commodum, ut docent Theologi omnes; quorum ſenſum compreſſe, ſtrictimque explanavimus.

CONDITIO VII.

De conditione poſtrema, ideſt, de firma ſpe remiſſionis, cum plura dixerim libro XXIII. cap. 11. & nonnulla etiam in præcedenti Tractatu de Contritione cap. 5. nil aliud modo reperam, præter verba S. Fulgentii epiſt. 7. cap. 5. ubi ait: *Salubris autem converſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitentem: ac per hoc, ſi ex toto corde quiſquam renunciet peccato ſuo, & toto corde ſpem ponat remiſſionis in Deo. Etenim nonnunquam aut ſpem pœnitenti homini diabolus adimit, aut ſperanti pœnitentiam tollit: unum dum onerat, comprimit; alterum dum elevat, dejicit. Judas, qui Chriſtum tradidit, peccati ſui pœnitentiam geſſit, ſed ſalutem perdidit, quia indulgentiam non ſperavit*. Et paullo poſt narrato miſerabili Judæ ipſius exitu, *Digne quidem pœnitentiam geſſit, quia peccavit, tradens ſanguinem juſtum; ſed ideo ſibi fructum pœnitentiæ denegavit, quia peccatum traditionis ſuæ, ipſo, quem tradidit, diluendum ſanguine non ſperavit*. Atque hæc de conditionibus Confeſſionis Sacramentalis.

APPENDIX.

Scholaſticorum quamplurimi pertractantes de conditionibus confeſſionis ſacramentalis quæſtionem inſtituere ſolent, Poſſit ne confeſſio eſſe *valida atque informis*. *Validam* confeſſionem dicunt, cui nihil deeſt ad ſacramentum conſtituendum; *informem* autem, quam non ſequitur gratia. Quidam ergo cenſent poſſe dari confeſſionem ſacramentalem *validam & informem*, quando aliquis integre peccata omnia confitetur, ſed cum fictione, & abſque ſufficienti deteſtatione peccati; quam ſententiam omnes fere Thomiſtæ amplectuntur: horumque momenta ſunt: primum, quia Doctor Angelicus diſt. 17. qu. 3. art. 4. ait: *Confeſſio poteſt eſſe etiam in eo, qui non eſt contritus; quia poteſt peccata ſua pandere ſacerdoti, & clavibus Eccleſiæ ſe ſubjicere: & quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione recipere incipiet; ſicut etiam in aliis ſacramentis eſt. Unde non tenetur iterare confeſſionem qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri*. Hinc argumentationem promit, verbiſque dilatat Gonet diſput. X. §. 2. Alterum, quia ſacramenta recedente fictione conſequuntur effectum ſuum, non ſolum baptiſma, ut diximus libro XXXI. cap. 21. ſed etiam Pœnitentia, ut contendit Melchior Canus in Relect. de Pœnit. p. 6. immo & Sacramenta omnia, ut in Addit. 3. p. q. 5. ſcribit Cajetanus. Nonnulli alii aſſerunt poſſe confeſſionem eſſe *informem ac validam*, quando aliquis habet quidem dolorem de peccatis a ſe commiſſis, ſed minime ſufficientem ad conſequendam gratiam, ſive quod ſit naturalis, ſive quod non excludat voluntatem peccandi, ſive demum quod non ſe extendat ad peccata omnia commiſſa, ſed tantum ad aliqua memoriæ occurrentia: quod poſtremum præſertim tenent Suarez, De Lugo, Averſa, aliique bene multi, de quibus Fridericus Gavardi tom. VI. Scholæ Ægidianæ pag. 436. Atque illorum rationes hæ ſunt: Prima, alia eſt contritio neceſſaria ad conſecutionem gratiæ, de qua Tridentinum Concilium; alia, quæ eſt ſacramenti materies: ideoque ſufficere poteſt ad ſacramenti ſubſtantiam dolor ille, qui non eſt diſpoſitio ſufficiens ad gratiam. Altera autem; ſi peccator furtum, E. G. & blaſphemiam commiſerit, & unius recordetur, alterius poſt diligentem diſcuſſionem oblitus ſit, atque de eo tantum conteratur, cujus habet conſcientiam; is quidem non habebit contritionem *univerſalem*, nec gratiam conſequi poterit, & nihilominus valida erit illius confeſſio, ſuiſque partibus conſtans. Tertia ratio eſt illa: Apparet ex dictis ſufficere ad integritatem confeſſionis, ſi enumerentur omnia peccata, quæ memoriæ poſt diligens examen occurrunt; cetera, ut ait Tridentinum, in illa confeſſione intelliguntur incluſa: pari ergo ratione ſat erit de iis tantum peccatis conteri, quæ in mentem venerint, abſque univerſali omnium deteſtatione, ut habeatur confeſſio valida, & integrum ſacramentum. Adde in ſententia, quam & nos propugnavimus, ſi quis ad ſacramentum accedat cum ſola attritione formidoloſa, is non conſequetur gratiam; & nihilominus ſacramentum omnibus ſuis partibus conſtabit, eritque proinde *validum*, *atque informe*. Poſtremo aliqui eidem ſententiæ adhærent, eamque nituntur probare, quod poſſit eſſe *valida* confeſſio, & tamen ſine gratia, defectu examinis, & enumerationis peccatorum; primo, quoniam ſi quis ad ſacramentum accedat conſcientia non diligenter diſcuſſa, bona tamen fide, & exiſtimans ſe neceſſariam adhibuiſſe diligentiam, non facit confeſſionem ſacrilegam; non enim ſacramentum contemnit, aut irridet: nec juſtificatur tamen, quia non habetur in eo caſu confeſſionis integritas: tunc ergo erit *valida & informis* confeſſio. Deinde, ſi confiteatur peccata poſt baptiſmum commiſſa aliquis, qui cum fictione ſit baptizatus, & non enunciet in confeſſione peccata ante baptiſmum patrata; confitetur is quæ ſpectant ad ſacramentum pœnitentiæ, & nihilominus talis confeſſio effectu caret: ſiquidem peccata ipſa ad confeſſionem ſpectantia remitti nequeunt, niſi remittantur & alia ante baptiſmum perpetrata. Atque hæc ſunt, quæ dialectice nectunt, congerunt, torquent peracuti diſputatores.

At huic ſententiæ ſubſcribere nequaquam poſſum: eſt enim illa vera, & longe probabilior, quam propugnarunt Major, Adrianus, Gabriel, aliique veteres laudati a Vaſquefio q. 92. in 3. p. n. 13. Poncius, Brancatus, & Scotiſtæ univerſi *melioris nota*, ut inquit Maſtrius q. XIV. de Pœnit. num. 383. ac noſtrates fere omnes, commemorati præcitato in loco a Friderico Gavardi, videlicet, nullam dari confeſſionem *validam* in ſubſtantia ſacramenti, quæ non ſit cum effectu. Et ratio, quam apertiſſimam puto, illa eſt, quod juxta Tridentinum ſeſſione XIV. cap. 3. ſunt quaſi *materia* hujus ſacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, & contritio quidem, quæ ſit *deteſtatio de peccato commiſſo*, *cum propoſito non peccandi de cetero*, ut Concilium definit capite 4. itemque confeſſio, qua in ſpecie ac ſigillatim declarentur omnia peccata, *quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem pœnitentes conſcientiam habent*, prout a Tridentino proximo capite definitur. Jam vero aut hujuſmodi contritio, & hujuſmodi confeſſio in pœnitentibus inveniuntur, aut

non

non. Si id affirmes, deerunt ſacramenti partes præcipuæ, nimirum quæ locum tenent *materiæ*, nec ſacramentum erit *validum*: ſi autem adſint talis contritio, ac talis confeſſio, nullum eſſe poteſt ad gratiam obtinendam impedimentum. Hinc omnia adverſariorum momenta evertuntur: ac primo illud, quod petitur a fictione, ſive a veræ, ac neceſſariæ contritionis defectu; quippe deficiente contritione, deeſt pars neceſſaria ad conſtituendum ſacramentum, ideoque hujus *ſubſtantia* nulla eſt. Videtur idem tradere S. Thomas, qui 3. p. q. 90. art. 1. ait aſſignari partes pœnitentiæ, *in quantum eſt ſacramentum, ad quod actus humani comparantur, ut materia*. In Supplemento etiam q. 8. art. 2. ad 1. docet in ſacramento pœnitentiæ requiri *aliquid ex parte ipſius qui ſuſcipit ſacramentum, quod eſt etiam de eſſentia Sacramenti, ſicut contritio, & confeſſio*. Similia habentur q. 29. art. 8. unde Sylvius infert tom. iv. pag. 314. edit. Antuerpiæ, ſanctum Thomam tacite retractaſſe quæ ſcripſerat in iv. diſt. 17. Idem obſervatur a Vaſquesio tom. iv. in 3. p. edit. Lugdun. pag. 219. Corruit eadem facilitate momentum, quod petunt adverſarii ex parte doloris, quoniam commentitia eſt illa diſtinctio inter contritionem, quæ eſt pars ſacramenti, & contritionem, quæ diſponit ad gratiam; primo, quia Florentinum Concilium in Inſtruct. Armen. non ait eſſe *materiam* ſacramenti pœnitentiæ qualemcunque contritionem, ſed *contritionem cordis*. Videſis volum. xiii. Conc. pag. 538. ac Tridentinum cap. 4. ſeſſ. xiv. contritioni, *quæ primum locum inter pœnitentis actus habet*, id tribuit, ut ad juſtificationem in ſacramento obtinendam perducat. Deinde idem S. Thomas in iv. diſt. 23. q. 1. art. 4. ubi agit de forma ſacramenti extremæ Unctionis, & unde exſcriptus eſt articulus octavus quæſtionis xxix. Supplementi, ſcribit ſemper conſequi remiſſionem peccati in ſacramento pœnitentiæ, *exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia ejuſdem ſacramenti*, eo prorſus modo, quo ſequitur *character in baptiſmo & confirmatione, & tranſubſtantiatio in Euchariſtia*. Quare, ſi non conſequatur remiſſio (conſentiente etiam Doctore Angelico) non erit contritio illa, quæ ad hujus ſacramenti ſpectat *eſſentiam*. Denique etiam ii revincuntur, qui cenſent dari confeſſionem *validam atque informem* ratione examinis, & enumerationis peccatorum: enimvero aut in diſcutiendis conſcientiæ latebris pœnitens talem adhibet diligentiam, ut ſi peccatum omittat aliquod, excuſetur inculpabili oblivione; aut in re tanti momenti gerit ſeſe negligenter: ſi hoc poſtremum eveniat, non eſt confeſſio integra, & ſacramentum parte hac deſtituitur; ſi vero ſufficienti diligentia conſcientiam introſpiciat, rimetur, diſcutiat, definiente Synodo Tridentina, in ceterorum peccatorum enumeratione etiam oblita intelliguntur *incluſa*. Ex nullo itaque capite dari poteſt ſacramentalis confeſſio *valida*, ut Schola loquitur, & *informis*.

Neque enim ſummo ſtudio adnitendum eſt ad oppoſitiones ſuperius poſitas infringendas. Nam ad primam Vaſquez ac Sylvius ajunt ſanctum Thomam a priori ſententia receſſiſſe, ut nuper animadvertimus: quamquam dici poteſt in diſt. 17. q. 3. art. 4. Doctorem Angelicum velle hoc unum, quod ſi pœnitens eumdem confeſſarium, cui paullo ante fecit confeſſionem ſacrilegam, rurſus adeat, & ſacrilegium exponat, abſolvi valeat non repetita confeſſione; non quod prior confeſſio ſatis fuerit ad ſacramenti ſubſtantiam, ſed quia tum ſacramentum perficitur, quando accuſata fictione impenditur abſolutio: & idcirco, inquiunt, ſcite ſanctus Thomas *confeſſionem validam* dixit, non *validum ſacramentum*. Ceterum ſi pœnitens confeſſarium adeat alium, aut multum interſit temporis, ita, ut in accuſatione ſimulationis, & ſacrilegii, menti ſacerdotis non occurrant peccata jam enuntiata; conſtanter affirmo, repetendam eſſe integram confeſſionem ob eamdem cauſam, propter quam eadem confeſſio eſt neceſſaria, nempe quia ſacerdos non debet quemquam abſolvere *cauſa incognita*. Ad alterum dico, diſparem eſſe rationem de ſacramento Pœnitentiæ, ac de ſacramentis aliis; quæ poſſunt exſpoliari effectu gratiæ, quoniam actus pœnitentis, quibus ad gratiam diſponitur, non ſunt in illis de ſacramenti *ſubſtantia*, quemadmodum ſunt in ſacramento pœnitentiæ. Proxima argumenta de contritione pertractantia, diluuntur ſingula uno verbo: enimvero, ſi contritio non ſit ſupernaturalis, ſi peccata non deteſtetur, quatenus ſunt offenſa Dei, & ſub univerſali ratione, quæ ſaltem, ut inquiunt, *virtualiter* extendatur ad peccata omnia commiſſa, atque juxta ſententiam noſtram ſi amore initiali ſit deſtituta; non eſt ea contritio, quæ eſt pars ſacramenti, ipſumque conſtituit. Vide libri hujus priorem partem cap. 4. & 5. Facillimæ ſunt ſolutionis etiam objecta, quæ attinent ad peccatorum examen & recenſionem: nam ex Catech. Romano p. ii. cap. 5. num. 50. & ex diſcuſſis in præcedenti capite, qui negligenter ſtuduerit peccata admiſſa memoria repetere, ſi alicujus peccati obliviſcatur, debet omnino confeſſionem iterare, ac revera prior confeſſio ejus fuit nulla, & ſacrilega. Qui vero ficte baptizatus foret, non faceret confeſſionem integram, niſi confeſſario exponeret ipſam quoque ſimulationem: hæc ſiquidem perſeverans in ipſa ſuſceptione baptiſmatis connumeranda eſt inter peccata a regeneratis admiſſa: quod pariter eſt affirmandum de quolibet ſcelere, cujus cupiditatem atque affectionem detinuerit accedens ad ipſum regenerationis lavacrum, prout ſcripſimus libro xxxi. cap. 21. n. 4. Atque hæc de quæſtione Scholaſtica: de qua prolixe Vaſquez diſput. xci. in 3. p. art. 2. & 3. Sylvius in q. 1. Supplem. art. 1. Maſtrius diſput. v. de Pœnit. q. 14. art. 1. & 2. Gavardi quæſt. 1. art. 5. §. 4. aliique permulti.

CAPUT IV.

Inquiritur, cui facienda ſit ſacramentalis confeſſio.

AGENDUM nunc de Miniſtro confeſſionis ſacramentalis, de illo nempe, cui a pœnitentibus patrata crimina ſunt enuntianda. Principio autem refellendum eſt hæreticum dogma affirmans poteſtatem ligandi ac ſolvendi omnibus fidelibus fuiſſe collatam, laicis etiam, præſertim ſi illis a communitate miniſterium iſtud commiſſum ſit. Dicendum poſtea de *Exomologeſi* olim, neceſſitate urgente, facta diaconis: tum de iis, qui putarunt laicis confitendum, ſaltem ſi nullus adſit ſacerdos: ac de iis tandem, qui peccata ſua pluribus ſimul confeſſariis enuntiaverunt. Et quantum pertinet ad dogma hæreticum; dixi lib. xxx. cap. 13. Lutherum abſolutionis munus iis omnibus conceſſiſſe, qui aſſumpſerint officium paſtoris, diabolo etiam, ſi *ſpecie hominis* irrepſerit in Eccleſiam; Calvinum tamen ſacramentorum omnium poteſtatem tribuiſſe illis, quibus committitur miniſterium, laicis, feminiſque ſecluſis. Cum autem novatores conveniant in deneganda poteſtate abſolvendi ſolis ſacerdotibus a Deo facta; docent ea verba, *Quæcunque ſolveritis, &c.* ad omnes fideles pertinere, neque iiſdem verbis inſinuari aliud, præterquam mutuam condonationem injuriarum. In qua re quantum hæretici decipiantur, oſtendimus hoc ipſo in libro, ſecundo capite primæ partis; ac primo ſecundæ, in qua verſamur, poſitione prima, & quarta. Etiam Valdenſes laicis ſancte viventibus tribuunt poteſtatem ſolvendi, quam cum Albigenſibus, Huſſitis, aliiſque pluribus denegaſſe ſacerdotibus improbis diximus capite 34. libri triceſimi, ubi oſtendimus efficacitatem ſacramentorum non pendere a ſanctitate miniſtrantium. His, quos quilibet ſcriptor enumerat, addam *Flagellantes*, de quibus in priori volumine Miſcellan. Baluzii lib. 3. Geſtorum Baldevini cap. ix. pag. 156. hæc narrantur: *Flagelliferi nudo corpore, capite capucio & pileo, & pudibundis lineo velamine tectis, cruce & vexillis & candelis ardentibus prælatis carmina hæreſi mixta decantando, ſe dririſſime aculeis flagellis intextis verberando, ſæpius proſtrando, ſub quodam ſpecie pœnitendi inceſſerunt; quam pœnitentiam non a ſacerdotibus, ſed a laicis ſuſceperunt, quos magiſtros præfecerunt: quibus etiam confitebantur, & ab eis abſolvebantur*. Horum igitur error evellendus nunc eſt, brevi tamen: cum abunde refellatur præmiſſis duabus diſſertationibus, de Pœnitentia ſacramentis adnumeranda, & de Confeſſionis neceſſitate.

Quod diaconos ſpectat, olim apud Latinos confeſſiones in extremo vitæ periculo excepiſſe, lapſiſque dediſſe reconciliationem, atque abſolutionem a peccatis in abſentia preſbyterorum, probare nititur lib. viii. de Pœnit. cap. 23. Joannes Morinus, maxime ob teſtimonium Cypriani ſcribentis in Epiſt. 12. ad Clerum de Lapſis pag. novæ edit. 55. *Si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud presbyterum quemcumque præſentem, vel ſi præſens non fuerit, apud diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis deſideraverunt*. Nec Morinus tantum id facultatis adſcripſit diaconis; ſed videtur mihi idem ſenſiſſe Nicolaus Rigaltius, qui adnotationibus in prælaudatam Epiſtolam, pagina Cyprianicæ editionis a ſe exornatæ 31. *Eſt enim*, inquit, *in diaconatu ſacerdotium*. *Sic epiſtola* xiv. Item presbyteris & diaconis non defuit ſacerdotii vigor. *At diaconis pœnitentibus manum imponere ſola neceſſitatis ratio admittit, nempe ſi urgeat exitus, & presbyter repertus non fuerit*. Atque dubitatio hæc de *exomologeſi* facta diaconis, iſtorumque reconciliatione, ſecundo loco eſt excutienda & explananda.

Laicis autem, cum ſacerdotis copia non datur, urgetque neceſſitas, aperienda eſſe peccata lethalia, tradidiſſe videntur Præpoſitivus, Petrus Cantor, S. Thomas, S. Bonaventura, Gratianus, aliique a Joanne Morino laudati capite 32. libri v. & cap. 24. libri viii. de Adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ. Quod confirmari poteſt exemplis piiſſimorum virorum innumeris; quorum illuſtriora collegit Edmundus Martenius lib. 1. de Antiq. Eccl. Rit. cap. vi. art. 6. n. 8. paullo poſt recenſenda. Quare de hac etiam confeſſione laicis facta, nonnulla dicenda ſunt. Demum in vitæ extremis viros religioſiſſimos a pluribus ſimul ſacerdotibus fuiſſe ſolutos tradunt hiſtorica monumenta, non prætermiſſa a Morino lib. ii. cap. 11. num. 15. a Martenio in art. 6. nuper citato, num. 10. atque a Mabillonio Præfat. 1. in Sæculum 3. Benedict. n. 78. Eapropter & de his temperanter eſt diſſerendum.

PROPOSITIO I. Epiſcopi duntaxat, ac presbyteri ſacramentum Pœnitentiæ poſſunt adminiſtrare.

Demonſtratur primo: ſiquidem poteſtas ſolvendi a peccatis, & adminiſtrandi Pœnitentiæ Sacramentum exprimitur illis

Digitized by Google

illis Chriſti verbis, Matth. xviii. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c.* & Joannis xx. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Atqui ea verba non quibuſvis, ſed ſolis Apoſtolis, ac Sacerdotibus ad laicorum excluſionem dicta fuere. Igitur Apoſtoli tantum, ac Sacerdotes poteſtatem acceperunt ſolvendi a peccatis, & ſacramentum illud adminiſtrandi. Prob. min. & quantum ſpectat ad cap. xviii. Matth. conſtat tunc Dominum cum ſolis diſcipulis habuiſſe ſermonem: & quamvis paulo ante, quintodecimo nempe verſu, locutus ſit de fratribus corripiendis, ad quos etiam ſpectat injurias dimittere *commiſeratione caritatis*; nihilominus ſubjacit ea verba, *Quæcunque alligaveritis, &c.* verſu duodevicaſimo, poſtquam dixerat eos, qui fraternam ſpreverint correptionem, deferendos eſſe ad judicium Eccleſiæ, cujus rectoribus commiſſa eſt ſolvendi, ligandique poteſtas. Quapropter Tridentini Patres ſeſſ. xiv. cap. 6. ita rectiſſime ſtatuerunt: *Circa miniſtrum autem hujus Sacramenti, declarat ſancta Synodus falſas eſſe, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes clavium miniſterium pernicioſe extendunt, putantes verba illa Domini, Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo: &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcue, contra inſtitutionem hujus ſacramenti, ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem cuicunque factam.* Similia leguntur canone x. ejuſdem ſeſſionis. Pari ratione locus alter Joann. xx. continet verba ad diſcipulos, in quos Dominus inſufflavit, directa, ut conſtat ex viceſimo ſecundo verſu, ideoque producto capiti vi. & laudato canoni x. Tridentino utraque ſunt incluſa.

Præterea demonſtratur propoſitio conſenſu Patrum univerſorum, qui docent poteſtatem remittendi & retinendi peccata, & reconciliandi fideles poſt baptiſmum lapſos, communicatam fuiſſe ſolis Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus, prout itidem docet in priori ejuſdem ſeſſionis capite Tridentinum. Aliqua Patrum teſtimonia repetam ex plurimis ſupra productis. S. Cyprianus de lapſis docet remiſſionem fieri *per ſacerdotes*; horum eſſe dare lapſis *dolentibus ac deprecantibus pacem & ſpei ſalutaris ſubſidium*, inquit in Epiſtola Synodica ad Cornelium: ut in lapſos *ſententiam dicat, & judicium Dei referas*, hortatur Epiſtola 69. Florentium Popinianum. S. Baſilius in Regulis brevioribus num. 228. ait peccata ſacerdotibus aperienda eſſe, quoniam iis *credita eſt diſpenſatio divinorum myſteriorum*. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 11. num. 8. docet alligare & relaxare peccata eſſe *officium ſacerdotis*: addit hujuſmodi jus non poſſe libimet vindicare illam hæreſim, *quæ ſacerdotes non habet*: repetit cap. 111. num. 10. Deum conceſſiſſe peccate omnia *relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis*. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. inde demonſtrat Sacerdotii noſtri præſtantiam, quod ſacerdotibus tantum novæ legis dictum ſit, *Quæcumque alligaveritis, &c.* utque, *Quorum remiſeritis, &c.* ideoque ſacerdotes ipſi *non lepram corporis, ſed immunditiam animæ purgandi acceperint poteſtatem*. S. P. Auguſtinus ſerm. 351. num. 9. inquit, ut ſolvantur peccata, veniendum *ad Antiſtites, per quos in Eccleſia claves miniſtrantur*; quod in Joannem, & in Pſalmos non uno in loco commonſtrat ex reſurrectione Lazari, de quo Chriſtus diſcipulis, *Solvite illum, & ſinite abire*. Denique Innocentius I. in Epiſt. ad Decentium (non enim opus eſt, ut ſingula iterum, iterumque repetamus) *Ceterum*, ſcribit, *de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pænitentis, &c.* Solos itaque ſacerdotes eſſe ſacramenti Pœnitentiæ miniſtros affirmant Eccleſiæ Patres.

Idem theologicis rationibus confirmatur. Maximum quippe detrimentum eſſe pœnitentium, ſi decedant abſque reconciliatione ſacerdotum, infertur ex veterum omnium expoſtulationibus; ex prælaudata Cypriani ad Cornelium epiſtola, ex Auguſtiniana 228. alias 180. ad Honoratum Epiſcopum, ubi ſacerdotes deterret, ne deſerant Chriſti gregem, quod magnum ſequatur exitium, ſi aliqui de hoc ſæculo exeant *ligati*; ex gemitibus fidelium in perſecutione Vandalica, de quibus dixi hujus Volum. pag. 134. Cur enim, quæſo, tot querimoniæ, ſi a vinculis peccatorum ſolvere, & reconciliationem concedere poſſet unuſquiſque fidelis? Neque dicas, querimonias illas apud Auguſtinum, & Victorem Vitenſem factas etiam, quod multi exirent abſque ſacramento regenerationis, quod tamen neceſſitate ab omnibus conferri poteſt. Vere enim Paſtorum & Sacerdotum abſentia foret cauſa neglectus rerum omnium ad ſalutem ſpectantium, multaque afferret incommoda; ſed non omnia hæc ejuſdem ſunt rationis: quædam enim ut ſacrificium offerre, & a peccatis abſolvere, talia ſunt, ut nullatenus præſtari poſſent a non ſacerdote; id, quod fideles illi in perſecutione Vandalica ingemiſcentes hiſce verbis ſignificarunt: *Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt, Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Præterea cum cauſa, quæ pertractatur in Sacramento Pœnitentiæ, verſetur inter Deum, & homines, non cuique committenda erat, ſed iis tantum, qui Dei legatione ac miniſterio funguntur; prout comparatione judicum & magiſtratuum a ſupremo principe conſtitutorum explicavi poſitione 4. primi capitis. Hinc Paulus ad Hebræos v. 1. docet ſacerdotes *conſtituti in iis, quæ ſunt ad Deum*, ex hominibus aſſumi, & neminem debere hunc honorem ſibimet arrogare, niſi vocetus a Deo *tanquam Aaron*: ex quo loco S. Thomas q. xix. Suppl. art. 3. demonſtrat poteſtatem clavium, quæ ad cælum uſque pertingit, ſacerdotibus tantummodo convenire. Denique idem S. Thomas q. viii. art. 1. utitur hac ratione, *Gratia, quæ in ſacramentis datur, a capite in membra deſcendit: & ideo ſolus ille miniſter eſt ſacramentorum, qui habet miniſterium ſuper corpus Chriſti verum, quod ſolius ſacerdotis eſt, qui conſecrare Euchariſtiam poteſt; & ideo cum in Sacramento pœnitentiæ gratia conferatur, ſolus ſacerdos miniſter eſt hujus Sacramenti.* Videtur tamen hæc ratio concludere tantum de miniſtro *ordinario*, ut fatetur Commentario in eundem articulum Franciſcus Sylvius, idque demonſtrari poteſt comparatione baptiſmatis, quod utique gratiam confert, & nihilominus, ſi urgeat neceſſitas, a non ſacerdote poteſt adminiſtrari.

PROP. II. *Exomologeſis*, de qua in Epiſt. 12. S. Cyprianus, & reconciliatio in vitæ diſcrimine data per diaconum, non erant confeſſio & abſolutio ſacramentalis.

Hoc utique *Exomologeſis* vocabulum frequentiſſime apud veteres ſignificat confeſſionem ſacramentalem, ut diximus hoc volumine pag. 131. ſed uſurpatur etiam ad ſignificandam pœnitentiæ partem, ac præſertim *ſubſtrationem*, in qua pœnitentes proſtrati ſubjiciebantur impoſitioni manuum Epiſcopi, & cleri. Hoc ſenſu accipitur a Tertulliano, qui de Pœnit. cap. 9. inquit: *Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare.* Ipſemet Cyprianus eadem ſignificatione accepit *exomologeſim* ſuperiori Epiſtola 9. pag. 49. ubi ait: *Nam cum in minoribus peccatis* (minora peccata dixit comparate ad cultum idolorum, fideique abnegationem) *agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ pace ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Igitur *exomologeſis* dicitur etiam pœnitentiæ exercitium, & maxime tertius gradus ὑπόπτωσις, *ſubſtratio*, ſic appellatus, quod pœnitentiam agentes imponentibus ſibi manum ὑπέπιπτον, ſubſternerentur. Id obſervarunt Pamelius in Tertulliano pag. edit. ſuæ 200. & in Cyprianum de Lapſis not. 99. Baluzius in Epiſtolam Cyprianicam 13. & Petavius in Diatriba de Pœnit. & reconcil. vet. Eccl. cap. 2. necnon Adnotationibus in Epiphanium ad hær. Novat. pag. 250. His addo Concilium Moguntinum anno 813. can. 31. aſſerens agi *exomologeſes pro peccatorum confeſſione*. Accedit & ratio, quandoquidem is, qui in luctuoſa ſorde, gemitu, ſubſtratione peragit pœnitentiam, ſe peccatorem eſſe fatetur.

Quæ cum ita ſint facile propoſitio demonſtratur. *Exomologeſis* enim, de qua Cyprianus in Epiſt. 12., eſt miniſterium pœnitentiæ, & *ſubſtrationis*, qua lapſi proſternebantur impoſitioni manuum, non ſacerdotum tantum, ſed etiam cleri; atque hoc pœnitentiæ miniſterium ſubſequebatur confeſſionem ſacramentalem, publicæ pœnitentiæ præmiſſam, prout demonſtravi cap. 11. theſi 4. Et de hac *exomologeſi* accipiendum Cyprianum, commonſtrant ipſius verba, *Apud diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace.* Atqui, ut dictum eſt modo, hæc *exomologeſis*, & hæc manuum impoſitio non eſt confeſſio ſacramentalis, nec abſolutio conceſſa lapſis; ergo *exomologeſis*, de qua in Ep. 12. Cyprianus, non erat confeſſio, neque abſolutio ſacramentalis.

At enim, Morinus inquit, *manus in pœnitentiam imponere* nil ſonat aliud, quam abſolvere pœnitentem. Deinde pacem illam eo in caſu diaconus dabat, quam dediſſet Epiſcopus, aut presbyter, ſi adfuiſſent, qui utique lapſis ſacramentalem abſolutionem largiti eſſent. Rurſus dici nequit impoſitam a diacono manum, ut abſolveret lapſos morti proximos ſolum ab excommunicatione, cum nec fuerint excommunicati, nec proxime morituro minus ſuccurrendum ſit abſolutione a peccatis, quam a cenſuris. Hæc admodum valida videntur Albaſpinæo lib. 2. Obſervat. Eccleſ. obſerv. 27. pag. novæ edit. 92. Ut ergo ſolutionem traderet expeditiſſimam, ait, lapſos, de quibus eo loci Cyprianus, jam ab aliquo martyre Epiſcopo, vel ſacerdote in carcere fuiſſe abſolutos, ac deinde ad Eccleſiam miſſos, ut ritus pœnitentiæ, quos in carcere complere non poterant, ſervata illius temporis diſciplina perficerent, aliqua etiam pœnitentiæ parte iiſdem lapſis ob interceſſionem martyrum relaxata. Quod vir doctus putat ſignificari ab ipſo Cypria-

no

no ſcribente, *Veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis deſideraverunt*. Itaque, ait, manus lepſis a diacono imponi jubetur, non ut addantur ſocietati fidelium, aut jus communionis recipient, ſed ut ritus & ceremonia in carcere prætarmiſſa perficiatur: quæ ceremonia in hoc ſite erat, ut expiatis ab Epiſcopo etiam clerus manum imponerat. Ceterum, quia dici non poteſt, ætate Cypriani omnes lapſos ante pœnitentiam exactem fuiſſe abſolutos, neque conſtat e diacono manum non abſolutis in eetrema neceſſitate non fuiſſe imponendam, adeo, ut ſina ullo pacis ſigno decederent; probabilius exiſtimo quod communitas reſpondere ſolent noſtri ævi Theologi, impoſitionem illam manuum diaconorum fuiſſe *ceremonialem*, & dediſſe reconcilietionem ac pacem, uti dabatur impoſitione menus presbyteri; quoniam etſi addebat presbyter impoſitioni manuum formulam ebſolutionis, quam nec diaconi proferre poterant, nac potuiſſe ab illis proferri aſſerit Cyprianus; etramen eo in caſu abſolutionis & ſacramenti deſactum ſupplere poterat votum ſacramenti, & contritio, ut dixi ſupra pag. 162. ideoqua reconciliatio illa diaconi non erat *ſacramentalis*; in qua re viri præſtantiſſimi ſuperius commemorati, ideſt, Pamelius, Baluzius, Petavius, necnon idem doctiſſimus Albeſpina, ſine ulla diſcrepantia conveniunt.

PROP. III. Permulti in vitæ axitu, cum non haberent ſacerdotis copiam, conſaſſionem fecerunt laicis, & ad confeſſionem eo in caſu laicis faciendam hortati ſunt viri graviſſimi; at confeſſio hujuſmodi nec ſacramentalis dici poteſt, neque neceſſaria ad ſalutem.

Quatuor ſunt hujus poſitionis partes, omneſque epertiſſimæ. Prima, quæ hiſtorica aſt, damonſtratur; nam in cap. *Sanctum*, de Conſecr. diſt. 4. habetur quamdam imminente naufragio baptizaſſe catechumenum, *& ne periculoſe vitam finiret non reconciliatus, petiiſſe ab ipſo, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret*; quæ verba Gratianus in Decreto, & Morinus lib. VIII. de Pœnit. cap. 24. n. 3. ajunt eſſe Auguſtini ſcribentis ad Fortunetum; ſed neque in libro adveſſus Fortunatum Manichæum, neque in epiſtola ed Fortunatum Ciſrenſam Epiſcopum inveniuntur. Sodalibus laicis confeſſos fuiſſa peccata quoſdam in Palæſtinam navigantes, euctor eſt in Dialog. diſt. 3. cap. 21. Cæſarius monachus: idem faciſſa commilitonibus ſuis Richerium Aquilenſam, reſtatus ad an. 1085. Oudericus Vitalis: ſimilia leguntur de Guidona magiſtro equitum adverſus Saracenos pugnante in Hiſtoria Gallica Joannis Jonvillii cap. 45. item de militibus Hiſpanis prælium inituris contra Mauros, apud Bollandum die 30. Maji, atqua de aliis permultis.

Pars altera mentem illuſtrium Scriptorum attingens probatur eadem facilitata. Auctor enim libri de vera & falſa pœnit. Auguſtino ſuppoſiti, cap. 10. inquit: *Si deeſt ſacerdos, confiteatur proximo*. Magiſter in IV. diſt. 17. eadem ſententia producta ait, perſpicuum eſſe, *peccata primum Deo, deinde ſacerdoti eſſe confitenda, & ſi ipſe defuerit, etiam ſocio*. S. Thomas q. VIII. Supplementi art. 2. *Miniſter pœnitentia*, inquit, *cui confeſſio eſt facienda, ex officio eſt ſacerdos; ſed in neceſſitate etiam laicus vicem ſacerdotis ſupplet, ut ei confeſsio fieri poſsit*. Similie S. Bonaventura in IV. diſt. 17. parte 2. S. Raymundus lib. 3. de Pœnit. §. 20. aliique permulti epud Morinum loco cit. pag. edit. Pariſ. 593.

Confeſſionem iſtam non eſſa *ſacramentalem* (quod eſt hujus poſitionis pars tertia) conſtar ee prima propoſitione: nam ea confeſſio *ſacramentalis* eſt, quæ fit legitimo miniſtro, ut inde percipiatur abſolutio a peccatis. At demonſtratum eſt, hunc miniſtrum legitimum eſſe duntaxat ſacerdotem. Ego illa tantum confeſſio, quæ fit ſacerdoti, *ſacramentalis* dicenda eſt. Nec aliud tradiderunt prælaudati aliique viri, qui confeſsionem laicis ſactam commendaverunt; eam quippe, quod contritionis ac propoſiti ad ſacramentum accedendi indicium ſit, non eutem quod ſacramenti rationem habeet, commendarunt etque epprobarunt. Auctor enim libri de pœnit. primo loco laudatus hæc ſubjicit. *Sape contingit, quod pœnitens non poteſt confiteri coram ſacerdote, quem deſideranti nec locus, nec tempus offert: & ſi ille, cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio ſacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis*. Eadem prorſus verba repetit diſt. 17. Magiſter ſententiarum collector. Itam S. Thomas in 2. illo articulo ſcribit, quod in confaſsione facta laicis *non eſt aliquid ex parte miniſtri, ſcilicet, abſolutio, & ſatisfactionis injunctio*, ſed eſt tantum quod ad ſacramentum requiritur ex parte pœnitantis, nimirum *contritio & confeſsio*. Similitar S. Boneventura eo loci, *Non fit ſocio, ut ſuppleatur locus ſacerdotis, vel ut confeſsio ſacramentum ex hoc habeatur: ſed ut voluntas confitentis probetur, & innoteſcat; ut totum quod in ſe eſt faciat*. Haud ſecus alii. Atque hinc ſequitur, eos, qui ſacerdotio non initiati auderent confaſsiones eccipere, & proferre ſententiam abſolutionis, graviſsimi ſacrilegii crimine ſeſe implicaturos, necnon futuros eſſa *irregulares*; certiſsime quidem, ſi eſſent clerici, ee cap. *Si quis*, de clerico non ordinato miniſtrante, de quo canone plura in Tomo III. pag. 281. & 283. & juxta ſententiam complurium, quibus adhæreo, *irregulares* itidem futuros fore laicos confaſſarii munus ſibi quodammodo vindicantes. Vide lib. XXXI. cap. 12. num. 6.

Ultima poſitionis pars demonſtratur, primum quia confaſsio lacte homini neceſſaria eſt tantum ob beneficium abſolutionis, ut oſtendimus prop. 4. capitis primi: deinde quia Chryſoſtomus, aliique Patres affirmant, non oportere, ut confiteamur *conſervis*: rurſus quia contritio & confeſſio dabent exterius innoteſcere, ut ſint ſacramenti *materia*; nam quantum ad Deum ettinet, aum non latet interior gemitus pœnitentium: demum licet confeſſio facta laicis, ut nuper diximus, in extrema neceſſitate commendetur e plurimis; ea tamen non elia ratione axpedit, niſi quando a laico injuria effacto petenda aſt reconciliatio, aut publici criminis ſcandalum ſatisfactione aliqua compenſandum eſt, eut morti proximus indiget conſilio, quod poſtulet criminis revelationem. Cui enim bono peccata occulta, præſertim gravia, ei qui nullam habet facultatem ſolvendi, elias manifeſtare? Ego itaqua, tamerſi aum commendarem, qui morti proximus adſtanti laico propria crimina ravelaret ad vehementiorem contritionem in ſe excitandam, modo id omni circumſpectione fierer, & non abſolutionis cauſe, quod ſacrilegum eſſet, & valde impium; aut ſaltem non damnarem confeſsionem hujuſmodi, ob graviſsimorum doctorum euctoritatem; univerſim tamen loquendo affirmo nullum hujuſcamodi confeſsionis latum eſſe præceptum, nullam haberi neceſsitatem, nullum etiam commodum, aut certe minimum. Ita atiam tradidit Scotus in IV. diſt. 17. art. 3. Dominicus Soto diſt. 18. q. 4. art. 1. concl. 3. Suarez diſput. 24. ſect. 1. n. 12. Sylvius in Supplem. q. 8. art. 2. concl. 3. Da Lugo diſput. 18. ſect. 1. n. 4. Qui vel docent nunquam laico peccata illa eſſa enuntianda, quæ creare poſsint infamiam aliquam confitentium; vel monent rariſsime id conſulendum, & nunquam mandandum executioni, niſi pœnitens auxilio, conſilioque laici ſumma prudentia præditi indigeat.

PROP. IV. Fuerunt etiam, qui pluribus ſimul ſacerdotibus peccata enuntiarunt, ſed neque id aſt alicujus neceſsitatis, ſive præcepti.

Demonſtratur pars 1. exemplo Guilelmi Normanniæ ducis, & Michaelis Palæologi, de quibus Morinus: Theodardi Epiſcopi Narbonenſis, Vitalis Abbatis Siculi, Annonis Archiepiſcopi Colonienſis, & Ludovici Pii Imperatoris, da quibus Martene: Ebbonis Remenſium Antiſtis, Goffridi Antiſsiodorenſis Epiſcopi, & Tagmonis Epiſcopi Magdeburgenſis, de quibus Mabillonius. Loca vero paullo ſupra allegata & adducta ſunt. Addit idem Mabillon in vet. Analectis pag. 329. eeemplum Guilelmi Epiſcopi Cenomanenſis, qui poſtquam octogenarius, & quaſi in agone ludens protulit hunc verſum,

Nec defunctus habet, nec qui loca mutat, amicos,

plures in eetrema confeſsiona ſacerdotes adhibuit. Pars altera evidens eſt, tum quia unus ſacerdos ſufficit ad abſolvandum; tum quia nulle lee divina, vel Eccleſiaſtica ſtatuit, ut peccata manifeſtentur pluribus, prout demonſtratum eſt ſupra cap. 2. theſi 3.

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

Hæc autem militant adverſus tres primas propoſitiones. Principio confeſsionem unicuique ſaciendam colligitur ex illis verbis Jacobi, *Confitemini alteratrum peccata veſtra*. Idam eruitur ee compaeratione baptiſmatis. Ruſſus idem evincitur ex quo in lege nova omnas ſint ſacardotes. Atqua hæc, quoniam eliis in locis producta ſunt, ſatis modo aſt innuiſſa.

Raſp. atiam Jacobi verba eeplicanda eſſe de confeſſione facta presbytaris, quos ad infirmum inductos ſupponit, ut demonſtravi prop. 1. cap. 1. Quod ſi Jacobum locutum contendas de injuriis invicem condonandis, mala hinc inſeres ſacramentalem abſolutionem. Quod additur de baptiſmo, ſolutum eſt propoſitione quarta ejuſdem capitis. Si eutam dixeris, Et tamen ſolis Apoſtolis dictum eſt, *Docete, baptizate*; redi ad caput undecimum libri eeet. Adda probari miniſterium ſolis ſacerdotibus commiſſum, non præciſe ex quo Dominus allocutus fuerit Apoſtolos, ſed ee quo hos alloquando iis peculiarem poteſtatem tribuerit, ut dictum eſt paullo ſupra; & prolixius libro XXE. cap. 13. prop. 3. necnon libro eeeIII. cap. 13. prop. 1. Utroque in loco illud etiam explicavimus, quo ſenſu fideles omnes in lege Evangelica appellentur *Sacerdotes*.

Deinde opponitur. In Concilio Conſtantienſi Martinus V. præcepit, ut ſuſpecti de erroribus Wicleſi interrogatentur, *Utrum credant, quod Chriſtianus ultra contritionem cordis, habita copia ſacerdotis idonei, ſoli ſacerdoti ex neceſsitate ſalutis confiteri teneatur, & non laico, ſeu laicis, quantumcumque bonis & devotis?* Quando igitur Sacerdotis non aſt copia, inquit Morinus præcit. cap. 24. num. 15., non improbat Pontifex confeſſionem Laico faciendam, & alitar ſenſit, quam Scotus, qui ante centum annos talem confeſſionem reprahenderat.

Reſp. planiſſimum verborum illorum ſenſum hunc eſſe: Confitendum aſt ſacardoti, ſi hujus copia habeatur, & non eſt confitendum laico, cui Wicleſus poteſtatam clavium adtribuit, ſi fuerit vir frugi. Hinc vero non inſertur

tur confitendum eſſe laico, non habita copia ſacerdotis: veluti ſi dixeris dandam eſſe eleemoſynam, ſi pauperes habeantur, non autem dandam eſſe divitibus; inſulſe admodum, & inſcite concluderes, Igitur eleemoſyna danda eſt divitibus, non habita copia pauperum. Conſulto etiam ait Pontifex, *ex neceſſitate ſalutis*, ut commonſtret laicum non eſſe miniſtrum ſacramenti Pœnitentiæ, neque confeſſionem a nonnullis factam laico *ſacramentalem* fuiſſe, vel neceſſariam; an vero perutilis hæc fuerit ob humilitatis & contritionis exercitium, ut quidam exiſtimarunt, aut inutilis, & aliquando etiam imprudens, ut viſum aliis, id neque Martinus V. affirmat, neque attingendum erat in damnatione Wiclefi: quandoquidem nemo catholicorum aſſeruit unquam, in confeſſione facta laicis perfici ſacramentum, aut convenire laicis ligandi, ſolvendique poteſtatem, ut Wiclefus ajebat. Allata itaque Martini verba perperam a Morino proferuntur adverſus Scotum, inter Scholaſticos acutiſſimum.

Præterea objicitur: Juxta Cyprianum diaconi in extrema neceſſitate excipiebant *exomologeſim* pœnitentium, iiſque largiebantur reconciliationem & pacem. Erant ergo diaconi olim miniſtri hujus ſacramenti, *extraordinarii* ſaltem, atque in abſentia presbyterorum. Et quod epiſt. 12. ſcripſit Cyprianus, confirmatur Conciliorum definitionibus: nam Eliberitanum canone 32. Toletanum 1. canone 2. & Londonienſe cap. 3. concedunt diaconis facultatem imponendi manus *ſupra pœnitentes*, & ſi mors immineat, dandi illis *communionem*. Hæc eludi, & labefactari nequeunt, quaſi agant de impoſitione manuum, & reconciliatione *ceremoniali*; ſiquidem, ut adnotavit præcitatus Rigaltius, per Cyprianum habetur in diaconatu honor Sacerdotii. Decretorium deinde eſt, quod legitur cap. *Fures*, tit. de Furtis, in v. Decretalium, *Si comprehenſi, aut vulnerati Presbytero, vel diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus*.

Reſp. reconciliationem diaconorum, de qua Cyprianus, fuiſſe revera *ceremonialem*, ut conſtat ex 2. propoſit. Eodem ſenſu excipiendi ſunt laudati canones. Eliberitanum præterea loquitur de communione Euchariſtica, non deneganda a diaconis, niſi id expreſſe presbyter inhibuerit, agenti pœnitentiam publicam, & mortis anguſtiis occupato, ut conſtat ex tom. 1. Concil. Hiſp. pag. 515. Toletanum Concilium I. pertractat 2. canone de diaconis illegitime ordinatis, quibus inhibet, *ne manus imponant, nec ſacra contingant*, ſcilicet, ne exerceant altaris miniſterium, & cum aliis de clero, ſubſtratis imponant manum, uti apparet ex 2. volum. ejuſdem operis pag. 131. Londonienſe agit de excipienda pœnitentium ſatisfactione, ut ad capiendum indulgentiæ fructum reddantur idonei, prout liquet ex tom. xi. Collect. Lab. pag. 14. Rigaltii autem adnotatio circa ſacerdotium diaconi inepta eſt admodum, ac miſerrima: cum enim *ſacerdotium* dicatur eorum, qui tractant res ſacras; veteres tria ſacerdotii genera diſtinguebant: primum Epiſcoporum, qui appellabantur *ſacerdotes primi*, aut abſolute *ſacerdotes*; unde *ſacerdotium* uſurpatur pro Epiſcopatu in Cod. Theod. de Epiſc. l. 3. de Fide Cath. l. 1. & Pelagius II. in Epiſt. ad Sepaudum Arelat. ipſum appellavit *primum ſacerdotem in partibus Galliarum*, ideſt, Primatem. Alter ſacerdotii ordo eſt presbyterorum, de quibus Rhabanus lib. 1. Inſtit. Clericorum cap. 6. ait, *Secundi vero ordinis viri, presbyteri ſunt*; & Fridegodus in Vita ſancti Wilfridi cap. 8.

Tandem colla juga ſubdens delectu petita,
Ordinis aptatur cælebs in honore ſecundi:

ac tertius gradus erat diaconorum ſacrum calicem adminiſtrantium; unde Optatus lib. 1. num. 13. ſcribit: *Quid diacones in tertio, quid presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos?* Igitur ex quo diaconis quidam dederint aliquem ſacerdotii honorem, male infertur collatam illis fuiſſe parem cum presbyteris auctoritatem. Etiam quæ leguntur in cap. *Fures*, explicari poſſunt de reconciliatione ceremoniali, cum Baſilio Poncio de impedim. Matrim. can. 35. rurſus accipi poſſunt de communione in orationibus & ſuffragiis Eccleſiæ; de quibus proculdubio agitur in eo capite, ut aperte demonſtrat Em. Gonzales in Decretal. tom. v. pag. 309. Ceterum Tribunienſe Concilium anno 895. ex cujus can. 32. depromptum eſt caput *Fures*, non habet *diacono*, ſed, *Deoque*, qua lectione reſtituta, prout reſtituendam eſſe ſcripſerunt Antonius Auguſtinus in notis ad 1. Collect. decreti, Van-Eſpen in Brevi commentario ad 2. partem Gratiani, atque ex Scholaſticis Sylvius in q. viii. Suppl. art. 2. evitatur omnino præſens difficultas de reconciliatione diaconorum.

Denique opponuntur teſtimonia illorum, qui magnopere commendarunt confeſſionem in mortis periculo factam laicis: ſed omnia ex dictis prop. 3. facile diluuntur, atque explanantur.

C A P U T V.

De iis, quæ requiruntur in Sacerdote ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtraturo.

ETSI plura hoc in capite proponenda & dilucidanda veniunt; quoniam tamen perſpicua ſunt, com-

Berti Theol. Tom. IV.

munia, & diffuſe ab omnibus moralium præceptionum tractatoribus enucleata, expedientur breviſſime ita tamen, ut in his neque ordo, neque rationis vel auctoritatis pondus deſideretur. Agendum autem priori loco de Confeſſariorum approbatione, deinde de reſervatione caſuum, ac tandem de prudentia in excipiendis confeſſionibus adhibenda.

I.

Primum itaque affirmo, ſacerdoti, ut aliquem valide abſolvat, excepto mortis articulo, neceſſariam eſſe poteſtatem juriſdictionis, & approbationem Epiſcopi. Probatur 1. canonum auctoritate; in cap. enim, *Quod autem*, v. Decretal. tit. 38. num. 4. *A non ſuo judice* (inquit Alexander III.) *ligari nullus valet, vel abſolvi*. Cap. *Presbyteri* xxvi. q. 6. n. 4. hæc habentur, *Presbyteri de occultis peccatis juſſione Epiſcopi pœnitentes reconcilient*. Et 12. q. 2. num. 2. *Placuit, ut deinceps nulli ſacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti recipere ad pœnitentiam*. Concilium Tridentinum ſeſſ. xxiii. cap. 15. in decreto de Reformat. *Quamvis presbyteri*, inquit *in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſancta ſynodus, nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*. Deinde probatur ratione: ſiquidem *abſolutio* Sacerdotis *eſt actus judicialis, quo ab ipſo, velut a judice, ſententia pronunciatur*, prout definit eadem Tridentina Synodus ſeſſ. xiv. cap. 6. canone 9. Atqui actus judicialis expoſcit, *ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur*, uti manifeſtum eſt, eademque ſeſſione cap. 7. declarat Synodus Œcumenica; ergo ſacerdos, niſi obtinuerit ab Epiſcopo approbationem, & poteſtatem juriſdictionis, non valet a peccatis quemquam ipſi Epiſcopo ſubjectum abſolvere.

Si ergo dixeris, An non presbyteris in eorum *ordinatione*, quemadmodum a Domino Apoſtolis, dicitur, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, &c.?* Sunt itaque iidem presbyteri judiciaria præditi poteſtate, eamque, non minus ac Apoſtoli poſſunt ubique exercere: ſi, inquam, hoc dixeris; obvia eſt ex dictis reſponſio, conferri quidem ad ſacerdotium adſcitis poteſtatem *Ordinis* per verba nuper commemorata; ſed exercitium poteſtatis ejuſdem, cum fiat ad inſtar actus judicialis, non eſſe ratum ac legitimum, niſi ſententia pronuntietur in ſubjectos; ideoque ſacerdoti, jam ſuffulto *characteris* auctoritate, delegandos & determinandos eſſe illos, in quos judicialem ſententiam valeat proferre: quod fit aut ejus promotione ad animarum curam, cui annectitur juriſdictio *ordinaria*; aut Epiſcoporum approbatione ac mandato, unde manat juriſdictio *ſubdelegata*. Quapropter etiam Apoſtolis, ut quemlibet ligarent, vel ſolverent, præter facultatem expreſſam verbis paullo ſupra productis, neceſſum fuit, ut a Domino in univerſum orbem, tamquam conditores fidei, Eccleſiarum paſtores, & populorum Judices mitterentur. Atque hinc ſequitur, nec veniale peccatum, nec mortale, quamvis alias remiſſum, poſſe a ſacerdote *ſacramentaliter* abſolvi, ſine ordinaria, aut delegata juriſdictione; eos vero, qui oppoſitam ſententiam tradiderunt, aperte refelli hac ipſa ratione, videlicet, quod hæc quoque abſolutio ſit actus judicialis, & a ſacerdote, velut a judice pronuntietur.

Tria inſuper, ut quælibet alia difficultas eliminetur, ſunt hoc in loco diligenter, ac ſtudioſe notanda. Primo Concilium Tridentinum præcit. cap. 15. etiam comprehendit *Regulares*; qui proinde nequeunt confeſſiones ſæcularium excipere, niſi Epiſcopus illis hanc det facultatem; nam ut audiant confeſſionem aliorum fratrum, ſat eſt ſi a ſuis ſuperioribus approbentur. Iidem Regulares, cum in excipiendis confeſſionibus habeant juriſdictionem tantummodo delegatam per approbationem Epiſcopi, ex qua facultatem habeant adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ in una diœceſi, vel civitate, nequeunt ſibi idem jus arrogare in diœceſibus, & civitatibus aliis. Id non tantum ſtatuerunt in generalibus comitiis anno 1656. Antiſtites Gallicani, proſcribentes hanc propoſitionem num. 3. *Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur pro approbatis in aliis diœceſibus, nec novu Epiſcoporum indigent approbatione*; verum etiam Summus Pontifex Alexander VII. in ſuo decreto ad Henricum Andegavenſem eamdem propoſitionem reprobavit, tamquam *falſam, & ſaluti animarum perniciaſam*. Neque fas eſt obtendere antiqua privilegia Regularibus conceſſa, poſteaquam illa Tridentinum Concilium, atque Romani Pontifices Pius IV. & V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & Alexander VII. abrogaverunt. Iidem præterea Regulares, ex quo approbati ſint ad audiendas confeſſiones ſæcularium, non cenſentur idcirco approbati etiam ad confeſſiones monialium excipiendas. Quamquam enim diſtinguebant olim Theologi inter moniales immediate Epiſcopis ſubjectas, & inter eas, quæ ipſorum Regularium juriſdictioni ſubjiciuntur, eadem tamen ratio de omnibus monialibus habenda eſt, poſt Conſtitutionem Gregorii XV.

quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia*, edita an. 1621. ubi num. 5. legitur: *Confeſſores vero ſive regulares, ſive ſæculares, quomodocunque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confeſſiones monialium, etiam regularibus ſubjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Cum autem occaſione hujus Conſtitutionis quædam exortæ eſſent difficultates; ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit, Confeſſores *ordinarios*, & Prælatos Regulares ante Gregorianam illam Conſtitutionem electos, non indigere approbatione Epiſcopi, niſi forte tranſacto præfixo tempore in officio confirmarentur, indigere tamen illa confeſſores *extraordinarios*, necnon *ordinarios* poſt publicationem ejuſdem Conſtitutionis deputatos; atque regulares approbatos pro audiendis confeſſionibus unius tantum monaſterii, minime poſſe confeſſiones audire monialium in altero monaſterio degentium; toties denique ab Epiſcopis eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Quæ declarationes habentur poſt conſtitutionem Gregorii tom. 3. Bullar. Rom. pag. 297.

Secundo adnotandum eſt, idoneos eſſe ad ſacramentum hoc miniſtrandum qui habent *Parochiale beneficium*: cujus ratio eſt, quoniam commiſſa illis animarum cura non poteſt abſque poteſtate juriſdictionis exerceri. Hinc permulti inferunt Parochum non poſſe extra parœciæ ſuæ limites confeſſiones audire, ſi hoc exercere tantum valeat ratione beneficii Parochialis; quæ illatio videtur aperta, ſiquidem per collationem beneficii duntaxat ſupra fideles ſuius territorii nanciſcitur juriſdictionem. Atque id etiam a S. Congregatione definitum eſſe demonſtrant Piaſecius p. a. Praxis Epiſcopalis, & Van-Eſpen p. 2. tit. 6. cap. 6. Sane ſi Epiſcopus alicui curam animarum demandans ejus facultatem coarctet ad gregem illi commiſſum; nullum dubium eſt, quod nequeat reconciliare pœnitentes extra fines parochiæ ſuæ: ſecus, ſi Epiſcopus nulla utitur limitatione, aut alias beneficium potitus abſolute ad confeſſarii munus pro amplitudine diœceſeos ſit approbatus. Si autem Parochus aut dimiſſione beneficii, aut quovis alio titulo deſinat animarum curam habere, certum eſt privari illum etiam auctoritate, de qua loquimur, niſi ipſam alia approbatione obtinuerit.

Tertio in Tridentini decretis expendenda ſunt ea verba, *Per examen, ſi illis videbitur neceſſarium*: unde apparet etiam regularibus ſubeundum examen Epiſcoporum, ſi his videatur expediens & opportunum. Id etiam ſtatuit Urbanus VIII. in Conſtit. *De Venerabilium*, emanata anno 1628. die a. Febr. Cumque Tridentina Synodus, & præcitatus Urbanus VIII. loquantur de approbatione, & examine Epiſcoporum, atque hæc requirantur ob poteſtatem juriſdictionis; conſequitur non ideo aliquem cenſendum eſſe approbatum, quod in hominum exiſtimatione ſcientia plurima polleat, aut in aliqua Academia decoratus ſit laurea, aut publici Doctoris fungatur munere; quoniam hæc omnia nullam inferunt *judicialem* Epiſcopi approbationem. Quia tamen Concilium disjunctive loquitur ſubjiciens, *Aut alias idoneus judicetur*, atque ſuus debetur cuique honor; conſuevit vir doctrina & auctoritate ſummus BENEDICTUS XIV. antequam conſcenderet ſupremam cathedram, dum Epiſcopalis muneris partes impleret, viros doctrinæ laude commendatos, illum illius approbationis cauſa adeuntes, hortari, & adigere, ut coram ſe ceteros inferioris ordinis examine diligenter explorarent: quo utique optimo, ſapientiſſimoque conſilio jura Epiſcopalia tuebatur, omnium in confeſſarios eligendorum expenebatur doctrinam, probabat idoneos, ſimulque gradu aliquo, vel ſapientia conſpicuos tentabat, & afficiebat honore. Ceterum ſi quis, *etiam injuſte*, reprobetur, nulla ratione poteſt ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare: ſiquidem damnata eſt ab Alexandro VII. propoſitio illa num. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.* Fruſtra laudarentur modo privilegia Regularium ampliſſima, ut Conſtitutio *Super cathedram* Bonifacii VIII. Clementis V. *Dudum*, De ſepulturis, & S. Pii V. *Etſi mendicantes*; cum fuerint a Tridentina Synodo, necnon ab ipſo Pio V. in Conſt. *Romani Pontificis* revocata, expreſſis etiam S. Theol. Magiſtris Ordinum Mendicantium. Demum Epiſcopus confeſſariis approbatis, etiam Regularibus, facultatem, de qua diſſeruimus, coarctare poteſt, revocare, ac ſuſpendere, *ex cauſa ad confeſſiones pertinente*: quæ cauſa *an ſubſit*, *necne*, *non tenetur ipſis regularibus indicere, ſed tantum Sedi Apoſtolicæ, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit*. Ita nimirum ſtatuit in Brevi ad Epiſcopum Cordubenſem Urbanus VIII. idem confirmavit in Cauſa Angelopolitana Innocentius X. necnon ſacra Congregatio die 3. Auguſti an. 1630. Atque hæc de Confeſſariorum approbatione, & examine. Legat autem, qui plura deſiderat, Suarezium diſput. 28. Vaſquez q. 93. Merbeſium diſſert. IV. Valerium Reginaldum lib. 1. num. 178. De Lugo diſput. 21. & Rotarium in Theol. Regul. de Pœnit. cap. 1. puncto 7.

II.

Agendum deinde eſt *de caſuum reſervatione*. De hac primum Tridentina Synodus decernit ſeſſ. XIV. cap. 7. ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſſe ad diſciplinam magnopere neceſſarium, *Ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur.* Ratio hujus rei manifeſta conſequitur ex ſupradictis: enimvero ſi poteſtas juriſdictionis confertur ab Antiſtite, aut curam animarum, aut ſubdelegatam, ac ſingularem facultatem ſolvendi a peccatis, cui ipſi libuerit largiente: certe idem Antiſtes poteſt juriſdictionem illam definitis limitibus coarctare. Quare ſicuti abſolutio nulla & irrita eſt abſque poteſtate juriſdictionis; ita eſt inanis & caſſa, ſi abſque Præſulum licentia impendatur atrocioribus illis ſceleribus, quæ ſibimet reſervaverint: ideoque ipſorum reſtrictio non ſpectat ad *externam* tantummodo *politiam*, verum etiam ad validam peccatorum abſolutionem, ut recte ſtatuerunt Tridentini Patres canone ejuſdem ſeſſionis undecimo. Hinc ſequitur poſſe illos peccata reſervare, qui aliis conferunt poteſtatem juriſdictionis: primo Romanus Pontifex, qui cum habeat plenitudinem poteſtatis, nullius alterius Epiſcopi ſubjicitur auctoritati, ſed ipſe e contra poteſt caſus quorumcunque Epiſcoporum ſibimet reſervare: deinde iidem Epiſcopi reſpectu inferiorum presbyterorum; ac præterea ſuperiores regularium comparate ad eos, qui ſubjiciuntur ipſorum juriſdictioni. Sequitur etiam peccata *venialia* ex praxi Eccleſiæ a Tridentino laudata, non eſſe reſervanda, præſertim cum abſque ſacramento pœnitentiæ remitti poſſint. Quamquam ſi poteſtas juriſdictionis attendatur, cum hæc proculdubio neceſſaria ſit, ut eadem venialia peccata ſolvantur abſolutione *ſacramentali*, quemadmodum dixi ſuperiori paragrapho, & extra omnem controverſiam poſitum eſt; poſſent etiam *venialia* hoc ſenſu ab Epiſcopis reſervari, ut a tali, vel tali miniſtro, non autem ab omnibus *ſacramentaliter* abſolverentur. Atque ita docent Theologi præſtantiſſimi, Dom. Soto diſt. 18. q. 2. art. 5. Suarez diſput. 29. ſect. 3. Sylvius in q. 20. Supplem. art. 3. aliique permulti. Vaſquez quidem q. 91. art. 3. dub. 2. docet oppoſitum; propterea quod reſervatio non ſolum limitat juriſdictionem, ſed etiam obligat pœnitentem, *ut confiteatur peccata reſervanti*: quod utique fieri nequit, cum peccata venialia non ſint *materia neceſſaria* ſacramentalis confeſſionis. Sed hinc non infertur, venialia peccata non poſſe reſervari ſenſu explicato, nimirum, ſi Eccleſiæ clavibus ſubjiciantur, & *ſacramentaliter* ſint abſolvenda: ideoque Vaſquii opinio eſt verborum luſus, uti animadvertit etiam De Lugo diſput. 20. ſect. 2. Ipſa itaque actus judicialis, & poteſtatis juriſdictionis communis notio, necnon virorum illuſtrium conſenſus demonſtrat poſſe Epiſcopum ei ſaltem, qui delegatam habet juriſdictionem, præſcribere, ne ſacramentali abſolutione relaxet hoc, vel illud veniale peccatum, quod ſibi reſervandum eſſe cenſuerit. Tametſi hæc reſervatio inutilis videatur cum peccatum veniale poſſit abſque ſacramento deleri, ut dictum eſt nuper.

Idem affirmo de peccatis mortalibus *internis*, quæ poſſe reſervari ab Epiſcopo demonſtrat ipſamet notio juriſdictionis, confirmatque conſenſio Theologorum, quos laudavi, Soto, Vaſquii, Sylvii, Suarezii, De Lugo, aliorumque complurium. Nec obſtat, quod peccata interna non poſſunt puniri Eccleſiaſticis cenſuris: hæ enim pertinent ad forum Eccleſiæ externum: ſed peccata etiam interna, & quidem jure divino, in interiori foro enuntiantur, & judiciali ſententia ſolvuntur, & conſequenter ſicuti Eccleſiaſticæ juriſdictioni, ita reſervationi revera ſubjici poſſunt. Sed non expedit, ut peccata duntaxat interna reſerventur; graviſſimum quippe jugum eſſet iis, qui ſæpe jactantur anxitudine animi, num internis cogitationibus præbuerint, aut non præbuerint aſſenſum. Revera nec Romanus Pontifex, nec ullus Epiſcoporum hactenus ſibi reſervavit peccatum aliquod ſola cogitatione patratum; unde eſt communis doctrina, poſſe quoslibet confeſſarios abſolvere E. G. ab hæreſi, ut inquiunt, *mentali*, & a deliberata, ſed ad rem non perducta occiſione; quamvis hæreſis, & homicidium in reſervatis connumerentur.

Ex hiſce principiis, quod reſervari non ſoleant peccata venialia, & mortalia tantum interna, hoc eodem anno 1744. quidam in diſſert. *in caſus reſervatos Venetæ diœceſis*, quorum octavus eſt, *Quælibet impudicitia cum monialibus peracta, vel quocumque modo attentata*, inferebat eo in caſu non comprehendi *actus ſubimpudicos de ſe veniales*, cujuſmodi eſſe ajebat, *genas vellicare & mamillas tangere*, ſolum *ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales*, hac producta ratione, *Quia nonniſi peccata per externam malitiam mortalia*, juxta regulam ab ipſo quoque auctore traditam, *reſerventur*. Sed poſt multa hinc inde acerbiori ſtilo conſcripta, auctor aſſertionem ſuam retractavit, eamque Romana & Univerſalis Inquiſitio proſcripſit die 16. Aprilis hujus anni 1744. & quidem jure meritoque. Prædicti enim actus non *veniales* dicendi ſunt, ſed mortales. Etſi enim S. Thomas q. 154. ſecundæ ſecundæ, art. 4. ſcribat, oſcula, amplexus, tactus, *poſſe quandoque fieri abſque peccato*; loquitur tamen de iis actibus inſpectis *ſecundum ſpeciem*, ut expreſſe declarat in reſp. ad 3. & in corpore illius articuli. At iidem actus peracti cum tali fœmina, nec urgente neceſſitate, (qualis in chirurgo eſſe poteſt) non

Digitized by Google

non *ſecundum ſpeciem*, ſed in *individuo*, ut loquitur ſchola, debent attendi. Immo auctor dum *ſubimpudicos* appellavit, ſermonemque inſtituit de iiſdem actibus cum moniali peractis, vel attentatis, eos utique in individuo, non *ſecundum ſpeciem* conſiderabat. Imperite ergo ad laxam illam doctrinam vindicandam productus eſt præcitatus articulus quartus ſancti Thomæ. Quod ſi Doctor Angelicus legatur q. XVIII. primæ ſecundæ, ubi tradit quomodo exterior actio fiat mala ex fine, ex objecto, ex circumſtantiis, & quæſtione viceſima, ubi per varios articulos docet pravitatem externarum actionum non pendere in hujuſmodi actibus duntaxat ex pravo affectu, ſed in his aliam eſſe malitiam *ſecundum ordinem ad finem*, aliam vero *ſecundum materiam & circumſtantias*: ſi, inquam, hæc legantur, apparebit quam imbecilli, fractaque ratione præcitatus auctor inniteretur, dum ajebat *actus ſubimpudicos* non comprehendi in reſervationis caſus illius, *Quælibet impudicitia cum monialibus peracta, vel quocunque modo attentata*. Atque hæc eſt, ut arbitror, dirimendi, ac refutandi heſternam illam commentationem via planior, & expeditior.

Caſus Romano Pontifici reſervati ſunt primum ii, qui continentur in Bulla *Cœnæ Domini*, edita a Sixto V. anno 1586. juxta vetuſtos canones, & proceſſus Gregorii XI. anno 1370. ad Petri ſedem evecti. Atque hos caſus, quoniam ob oculos omnium Confeſſariorum verſantur, ſuperfluum eſt recenſere. His addendi, quos ex ſpeciali mandato Clementis VIII. Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium anno 1602. die 26. Novembris recenſuit, nimirum, *Violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis fel. rec. Greg. XIV. quæ incipit*, Cum alias nonnulli. *Violationis clauſuræ monialium ad malum finem. Provocantium & pugnantium in duello juxta decretum ſacri Concilii Tridentini, & Conſtitutionem fel. recordationis Gregorii Papæ XIII. incipientem*, Ad tollendum. *Injicientium violentas manus in clericos, juxta canonem*, Si quis ſuadente, XVII. *q.* 4. *ac ejus diſpoſitionem. Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis*. Juxta Clement. *Religioſi*, de Privil. incurrunt etiam excommunicationem ſedi Apoſtolicæ reſervatam regulares, qui *ſine licentia parochialis presbyteri* clericis, aut laicis ſacramentum Extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ adminiſtrant, aut ſolemnizant matrimonia. De hac tamen excommunicatione nulla fit mentio in prædicto Clementis VIII. decreto, quicquid ſcribat Franciſcus Henno diſp. VIII. q. 8. artic. 2. Excommunicationem pariter reſervatam ſummo Pontifici incurrit, qui audet excipere ſacramentalem confeſſionem complicis *in peccato aliquo turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo*, cujus inſuper abſolvendi omni juriſdictione ac facultate privatur, ex Conſtitutione BENEDICTI XIV. quæ incipit, *Sacramentum Pœnitentiæ*, edita Cal. Junii, anno 1741. Quam autem ſancte ac provide Conſtitutio iſta prodierit, apparet ex cap. *Non debet*, & ex cap. *Omnes, quos in pœnitentia*, XXX. q. I. num. 8. & 10.

In iſtiuſmodi caſibus, quibus annexum eſt excommunicationis vinculum, quiſquis a culpa indulto Apoſtolicæ Sedis abſolvitur, cenſendus eſt etiam ab excommunicatione ſolutus. Rurſus in quibuſcunque conceſſionibus & facultatibus, etiam Jubilæi, aut quavis alia occaſione factis, caſus Sedi Apoſtolicæ reſervati (niſi aliud expreſſe ſignificetur) intelliguntur excepti, ut conſtat ex cap. *Etſi Dominici*, in Extravagant. Commun. lib. V. de pœnit. cap. 5. idemque decrevit de abſolvente complicem in conſtitutione paullo ante laudata ſummus Eccleſiæ Pontifex BENEDICTUS. Si ceteri caſus Papæ reſervati ſint *occulti*, ex definitione Tridentini Concilii ſeſſ. XXIV. cap. 6. poteſt Epiſcopus in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſibi ſubditos, *vel per ſe, vel per vicarium ad id ſpecialiter deputandum*, excepta tamen irregularitate, *quæ oritur ex homicidio voluntario*; necnon ex Bulla in Cœna Domini, & ex declaratione Gregorii XIII. etiam occulta hæreſi, de qua Concilium indulſerat, ut ab Epiſcopo, non tamen ab ejus Vicario poſſet abſolvi.

Illud præterea notandum eſt juxta Romanorum Pontificum Conſtitutiones confirmatas atque explicatas hoc anno 1744. in Bulla prælaudati BENEDICTI XIV. quæ incipit, *Apoſtolica Indulta*, publicata die XI. Auguſti, in unoquoque indulto Apoſtolicæ ſedis, cujuſcunque generis illud ſit, in quo concedatur alicui facultas eligendi ſibi confeſſarium *ex approbatis ab Ordinario*, a quo abſolvi poſſit a criminibus, vel cenſuris alioqui reſervatis, neceſſum eſſe, ut idem confeſſarius approbatus ſit ab Epiſcopo diœceſano, & ab Ordinario illius loci, in quo excipitur ſacramentalis confeſſio; nec ſufficere quamlibet aliam approbationem, quamquam foret Epiſcopi, qui olim fuit, ſed jam non eſt, ejuſdem loci Ordinarius: hoc de confeſſariis omnibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus abſque ulla dubitatione tenendum eſſe: confeſſionem factam ſacerdoti, quiſquis demum ille ſit, non habente ab Ordinario loci approbationem poteſtatemque juriſdictionis, nullam omnino fore, irritam, & invalidam: hac lege obſtringi perſonas omnes, adeo, ut nec Regulares Apoſtolico indulto uti & gaudere poſſint, ſi confeſſario a proprio Superiore, & non ab Ordinario loci electo, atque approbato confiteantur; cum æquum ſit, & rationi conſentaneum, ut quiſquis frui induiti beneficio voluerit, omnino ſervet conditiones in ipſo indulto præſcriptas, inter quas connumeratur ipſamet approbatio confeſſarii per loci Ordinarium facienda. At lege Benedictinam Conſtitutionem dilucide omnia explicantem.

De caſibus ab Epiſcopis reſervandis nulla æquior regula tradi poteſt, quam ut animadvertant enormiora illa delicta, quæ laudabili conſuetudine conſueverunt alii ejuſdem diœceſeos Paſtores hoc reſervationis repagulo cohibere; ſtudeantque ea tantum crimina a confeſſariorum juriſdictione ſecludere, quibus plurimum diſciplina Eccleſiæ ſuæ labefiat: quorum primum habetur cap. *Inter cunctas*, Extr. Com. de Privileg. alterum in decreto Clem. VIII. & S. Congregationis anno 1602. de quo ſupra. Reſervari autem ſolent rerum Eccleſiaſticarum rapinæ, homicidia, divinationes, incantationes, & invocationes dæmonum, crimen falſariorum in judicio, gravis, & levis etiam percuſſio parentum, inceſtus graviores, turpioreſque luxuriæ ſpecies, abortus procuratio, incendium malitia excitatum, oppreſſio tenellorum infantium, violatio ſanctimonialium, & quævis alia crimina atrociora. Quæ autem reſervari ſibi valeant ſuperiores Regularium, connumerantur in decreto Clem. VIII. an. 1593. die 26. Maji, & Urbani VIII. an. 1624. die 21. Septembris; ac legi poſſunt in notis ad caput 8. primæ partis noſtrarum Conſtitutionum pag. 34.

Non poſſe regulares quemquam Epiſcopo ſubjectum abſolvere a caſibus eidem Epiſcopo reſervatis, infertur ex natura poteſtatis juriſdictionis, de qua ſupra. Idem præterea ſtatutum eſt cap. *Dudum*, in Clement. lib. 3. de ſepult. cap. *Religioſi*, ibidem lib. V. tit. 7. cap. *Inter cunctas*, in Extrav. de Privil. Acceſſerunt conſtitutiones Romanorum Pontificum, Gregorii XIII. die 10. Sept. 1577. Clem. VIII. die 9. Jan. 1601. Pauli V. die 7. Jan. 1617. Innoc. X. die 9. Decemb. 1647. atque, ut mittam alios, Alex. VII. a quo die 24. Sept. anno 1666. proſcripta fuit propoſitio 4. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa*; ac propoſitio 12. amplior, *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate*. Idem præterea fatentur eximii Theologi cujuſcunque Inſtituti, ut Soto in IV. Sent. diſt. 18. Miranda in Man. Prælat. tom. 1. q. 46. Suarez diſput. 30. ſect. 3. Iſambertus de Pœnit. art. 4. Nat. Alex. cap. 5. art. 9. regula 27. Vantoy cap. 11. q. 1. Rotarius cap. 1. puncto 9. num. 9. omnes denique probi, ſanique ſcriptores.

Hoc unum in hoc paragrapho addendum eſt, in mortis articulo nullam haberi reſervationem; ideoque omnes ſacerdotes poſſunt eo in caſu abſolvere *quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris*, prout ſeſſ. XIV. cap. 7. tradidit Tridentinum; ita tamen, ut ſi adeſt ſacerdos juriſdictione pollens, non debeat alius in ſacramenti adminiſtrationem ſeſe intrudere, prout habetur etiam in Rituali Romano Pauli V. in 1. prænotatione tituli, *De ſacramento Pœnitentiæ*.

III.

De prudentia tandem Confeſſarii dicturus, *prudentiæ* nomine intelligo ſcientiam recte agendi, peritiam, atque ſagacitatem. Et quantum ad ſcientiam pertinet; neceſſum eſt, ut probe noverit quæ poſtulat ipſius officium, ac miniſterium. *Caveat ſpiritualis judex* (inquit cap. *Qui vult confiteri*, de Pœnit. diſt. 6.) *ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet enim ut ſciat cognoſcere quidquid debet judicare: judiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, ut quod debet judicare diſcernat*. Tenere itaque debet quæ de hoc ſacramento litteris mandarunt accurati probatique Moralis Theologiæ tractatores, eaque maxime, quæ nos huic diſſertationi, præter quæſtiones Scholaſticas & Polemicas, inſeruimus. Præterea quæ peccata ſint genere ſuo mortalia, quæ venialia: quæ itidem reſtitutioni famæ, pecuniæ, & damni annexa ſunt: qui contractus uſurarii ſint, qui ſimoniaci, aut quavis alia ratione illiciti: quænam excommunicationes & graviora ſcelera, quorum ſolvendorum caret auctoritate: propoſitiones inſuper ab Apoſtolica ſede damnatas, & vitorum, quos recenſui capite 3. in explicatione 2. *conditionis*, monita ſaluberrima. Accedunt quæ adverſus confeſſarios ad turpia & inhoneſta ſolicitantes, decreverunt Romani Pontifices, Gregorius XV. die 30. Auguſti an. 1622. Alexander VII. die 24. Sept. 1665. & BENEDICTUS XIV. die 1. Junii anno 1741. Quorum conſtitutionibus denunciandi ſunt hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum ſacerdotes, quicunque ii ſint, qui pœnitentem, ſive in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive ante vel immediate poſt confeſſionem, ſive occaſione aut prætextu confeſſionis, ſive etiam extra occaſionem confeſſionis in confeſſionali, aut alio in loco ad audiendas confeſſiones deſtinato, cum ſimulatione ibidem confeſſionem audiendi, ad inhoneſta & turpia ſolicitare, vel provocare, aut verbis, aut ſignis, aut nutibus, aut tactu, aut per ſcriptum, vel tum, vel poſt legendum tentaverint, vel illicitos & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint: ab hoc autem onere denunciandi ſollicitatum nequaquam eximi, ſi ſollicitanti

Digitized by Google

confitentur; immo confeſſionem hanc fore nullam, atque ſacrilegam, & confeſſarium, qui confeſſionem hujuſmodi a complice factam exciperet, innodatum iri vinculo majoris excommunicationis ſummo Pontifici reſervatæ; ut dictum eſt paullo ſupra. At de ſcientia Confeſſarii hæc tantum.

Sagacitas vero debet potiſſimum eniteſcere in dignoſcenda pœnitentium affectione, in rudibus interrogandis, in danda, vel ſuſpendenda abſolutione, atque in ſatisfactione injungenda. At quoniam infra de Abſolutione, ac ſatisfactione prolixius eſt differendum; hoc in præſentia adverto, decem potiora eſſe indicia pravi animi, adhærentis peccato, & ſedulo corrigendi. Quorum indiciorum primum eſt, ſi pœnitens ad confeſſarium accedat non præmiſſa diſcuſſione conſcientiæ, ut conc. in 4. Dom. Quadrag. docet S. Thomas a Villanova. Alterum, ſi affirmet libenter ſe confiteri peccata, ſed ab his ſe non poſſe abſtinere, ex cap. *Quod quidem*, v. decr. tit. 38. n. 5. Tertium, *ſi ſcelera alia deploret, aliis anhelat*, juxta cap. *Pœnitentiam*, de Pœnit. diſt. 3. Proximum indicium eſt, ſi confeſſionem dividat *ad hypocriſim tendens*, ut habetur in cap. *Conſideret*, ibidem diſt. 5. Quintum, ſi nolit deſerere negocium, quod nequeat exerceri ſine peccato, ex cap. *Falſas*, eadem diſt. Sextum vero ſi odium ſervet in corde, nec ſtudeat ſatisfacere offenſo, aut offendenti indulgere; uti conſtat ex cap. *Fratres*, ipſamet diſt. Proximum, ſi rem alienam, propter quam peccavit, cum reddere poſſit, non reddat; quod pariter de fama, & damno illato dicendum eſt juxta cap. *Si res*, xiv. q. 6. Octavum pravi animi indicium erit, ſi proximam peccandi occaſionem nolit deſerere, eamque vitare negligat, prout liquet ex propoſitionibus 61. & 62. damnatis die 2. Martii an. 1679. ab Innocentio XI. de quibus infra. Conſequens ſignum eſt, cum pœnitentiam agere detrectat, aut de uno crimine illam peragit, *ſpretis aliis*, ex præcitato cap. *Fratres*, de Pœnit. diſt. 5. Decimum ac poſtremum, ſi frequenti, ac noxia mutatione confeſſarios deſerat, nec velit ſe prudentibus & religioſis viris committere, ut monet S. Carolus p. 2. Inſtit. cap. 6. & Concilium Romanum S. Gregorii VII. canone 8.

Pro interrogandis rudioribus tradam pariter notationes quaſdam breviſſimas, atque auctoritate firmatas. Inquirat ergo primum, quandiu ſit ex quo non eſt confeſſus, num præmiſerit congruum examen, quo dolore deteſtatur peccata, num ſit ſolutus, vel conjugatus, & cetera, de quibus Toletus Inſtruct. Sacerdot. lib. 3. cap. 17. Deinde, an articulos fidei, & præcepta Domini, ac S. M. E. memoria teneat, ac præſertim myſteria Trinitatis, & Incarnationis; quæ *vincibiliter* ignorans eſt incapax abſolutionis, ex prop. 64. inter proſcriptas ab Innoc. XI. Quærat inſuper numerum, ac ſpeciem peccatorum ſervato recto ordine, E. G. initium ducens a præceptis decalogi, deinde S. M. Eccleſiæ, tum a vitiis capitalibus, ſecundum methodum traditam a S. Carolo p. 2. Inſt. cap. 10. diſcurrat adhæc per ea, quæ admitti ſolent in variis ſtatuum generibus, animadvertens quæ patrare ſoleant patresfamilias, quæ filii, quæ mercatores, quæ alii, ut Borromæus docet proximo cap. 12. & 13. Caveat ne inquirat peccati complicem, niſi ob integritatem confeſſionis ſit omnino revelandus, ut diximus ſupra cap. 111. condit. 1. nn. 5. cum Thoma Aquinate, Raymundo, & Archiepiſcopo Valentino. Multo minus quærat pœnitentiom nomen, domicilium, ætatem, & alia quælibet, quæ ad confeſſionem non pertinent; inquit productis ſynodorum ſtatutis praxi 6. Nicolaus Tombeur. In inveſtigandis iis, quæ ſpectant ad ſextum decalogi præceptum, gerat ſeſe cautiſſime, atque ut ait Gerſon in Arte Confeſſ. conſiderat. 14. *procedat pedetentim a generalibus, & quæ nullam, aut parvam videntur includere culpam*, non ea inquirens, quibus poſſit innocentior ætas apprehendere turpitudinem. Si confeſſionis initio, aut decurſu audiat peccata, quæ non poteſt abſolvere, a reliquis audiendis prorſus abſtineat, ut recta monet cit. p. 2. cap. 10. Gemma Præſulum Borromæus. In his demum vitandi ſunt proximi abuſus. Prior eſt eorum, qui confeſſionis initio videntur, ut inquit Gerſon conſid. 9. auſteri, rigidi, ac difficiles. Alter, quam reprehendit S. Carolus laudato in loco cap. 12. illorum, qui audientes graviora peccata, aut pœnitentem perterrefaciunt, aut continere nequeunt geſtum aliquem corporis, vel nutum capitis. Tertius agentium, præſertim cum feminis, prolixiora colloquia, de quibus legendus S. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 19. Quartus ægre ferentium, aut reprehendentium eos, qui conſilii petendi gratia alios adeunt; quod S. Joannes a Cruce in Flam. am. cantu 3. verſu 3. n. 12. appellat noxiam zelotypiam, animorumque tyrannicam oppreſſionem. Abuſus denique ſignificantium ſe munuſculo aliquo delectari, adverſus Conciliorum canones laudatos lib. xxxi. cap. 12. n. 8. Atque hæc eſt noſtra de confeſſariorum dotibus ſcriptio brevis, ac tripertita.

APPENDIX AD SECUNDAM HUJUS CAPITIS SECTIONEM.

Laudavi paullo ſupra, nimirum pagina 195. beatiſſimi ac ſapientiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. conſtitutionem, quæ incipit, *Sacramentum Pœnitentiæ*, editam anno 1741. qua innodatur excommunicatione Summo Pontifici reſervata quiſquis excipere audet confeſſionem ſacramentalem complicis in peccato aliquo inhoneſto, ac turpi, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, atque inſuper privatur omnino juriſdictione & facultate ejuſdem peccati abſolvendi, adeo, ut hujuſmodi confeſſio, & abſolutio nulla prorſus ſit ac ſacrilega, prout rurſus affirmavi initio hujus pag. Cum autem hæ lucubrationes typis committerentur, anno nempe 1745. die octava Februarii, edita eſt Conſtitutio altera ejuſdem Pontificis, quæ incipit, *Apoſtolici muneris partes*, qua præcedens communitur, & roboratur, atque præcipitur, ut integre, penitus, omnino, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervetur: cumque dubitatio exorta fuerit, quid agendum ſit in mortis articulo, quando nullus alius confeſſarius adeſt, qui perſonam in prædicto turpi peccato complicem audire poſſit, illamque rite diſpoſitam, & contritam abſolvere; definitum eſt hac recenti conſtitutione, tali in caſu ſacerdotibus interdictum non eſſe confitentem complicem audire, & abſolvere, dummodo tamen non defuerit aliquis alius ſacerdos: qui ſi adſit, quamvis ſimplex, & alias ad confeſſiones audiendas non approbatus, ille quidem, non autem conſcius criminis, debeat perſonæ in periculo poſitæ confeſſionem excipere, eique abſolutionem impendere: & ſi caſus urgentis qualitas, & circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, fuerint ejuſmodi, ut alius Sacerdos ad audiendam confeſſionem perſonæ in dicto periculo conſtitutæ, vocari, aut accedere nequeat ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo; tunc alium ſacerdotem perinde haberi, & cenſeri poſſe, ac ſi revera abeſſet, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſacerdoti ſocio criminis impertiri pœnitenti ab eodem quoque crimine abſolutionem. Ceterum ejuſmodi ſacerdoti complici ſedulo animadvertendum, fore ſe re ipſa reum apud Deum, qui irrideri non poteſt, gravis inobedientiæ adverſus prædictam conſtitutionem, & latis in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: immo teneri pericula ipſa antevertere, mediſque opportunis adhibitis, quantum in ſe erit, removere, ut alteri ſacerdoti confeſſionis abſque ullius infamia vel ſcandalo audiendæ aditus pateat: ac tandem ſi ſacerdos criminis ſocius nulla gravi neceſſitate compulſus, nec de induſtria congruis mediis adhibitis, complicis in periculo conſtituti ſacramentalem confeſſionem excipere, & illi abſolutionem largiri præſumpſerit, validam quidem futuram abſolutionem, ſi ex parte pœnitentis requiſitæ diſpoſitiones non defuerint; ſed ſacerdotem auſu hoc temerario latam in prædicta conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, incurſurum. Hanc ergo recentiſſimam ſanctiſſimi Patris declarationem, cum opportune prodierit, dum poſtremum hoc Volumen ſub prælo ſudaret, huic capiti ſubjiciendam eſſe putavi.

CAPUT VI.

Agitur de tempore ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ.

DISPUTARI ſolet in Scholis, an ſtatim poſt lapſum in grave aliquod crimen, illud peccatores confiteri teneantur; an vero uſque ad tempus Paſchatis poſſint confeſſionem differre, jure divino non violato. Quæritur etiam, num præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis impleatur ab iis, qui Regularibus, & non Parocho confitentur. Rurſus, an tali præcepto ſatisfiat confeſſione ſacrilega. His tribus, ſi addantur duo, unum ſcilicet pertinens ad diſciplinam, ac alterum ad conſuetudinem eorum, qui ſemel in vita faciunt confeſſionem peccatorum ſuorum generalem; erit poſitionibus quinque diſſertatio hæc circumſcripta.

PROP. I. Danda eſt opera in grave ſcelus prolapſis, ut quamprimum confiteantur.

Nihil hac theſi definio, quod non ſit probis omnibus perſuaſum, nec variis Theologorum placitis confirmetur. Communior quidem opinio eſt, non teneri hominem *ad ſtatim confitendum, quamvis periculoſum ſit differre*, ut q. 6. Supplem. art. 5. ait S. Thomas; ac poſſe laicum *rationabiliter expectare tempus Quadrageſimæ, quod eſt tempus pœnitentiæ*, ut inquit in iv. diſt. 17. p. 1. art. 2. q. 2. S. Bonaventura. Excipiunt tamen omnes mortis periculum, necnon ſi conſcientia dictet confitendum eſſe; ſi ex confeſſionis dilatione evenire ſoleat, ut peccator ſcelerum ſuorum obliviſcatur, aut ea frequentius committat; ac ſi obeundum ſit illi munus, quod non poteſt in peccato exerceri, cujuſmodi eſſe adminiſtrationem ſacramentorum diximus volumine 111. pag. 209. Itemque hoc ipſo pag. 109. Dominici corporis communionem: de qua Vida in quodam hymno in Euchariſtiam,

Eſte procul, quibus eſt fœdi mens conſcia facti:
Vita piis erit, atque eadem mors ſontibus eſca;
Uno eodemque ſalus fluet, atque e fonte venenum.

Hiſce autem momentis communior illa opinio fulcitur. Primum, quia *præcepta affirmativa non obligant ad ſtatim, ſed ad tempus determinatum;* quo momento utitur eo loci S. Thomas. Alterum ibidem productum, quod non eſt major neceſſitas confeſſionis, quam baptiſmi: hunc autem

Digitized by Google

diu fuiſſe dilatum, & aliquando etiam ad mortem uſque, conſtat ex noſtra diſſertatione de dilatione baptiſmi, & de catechumenorum claſſibus lib. XXXI. cap. 20. Tertium, quia nec præceptum contritionis obligat ſtatim ac peccatum commiſſum eſt, ut fatetur etiam Juenin diſſert. VI. de Sacram. q. 4. art. 6. §. 1. Poſtremum, quoniam Eccleſia præcepit duntaxat fidelibus, ut ſemel in anno confiteantur.

Quidam e contra tenent ſtatim a commiſſo peccato mortali, debere peccatorem illud deteſtari ac retractare, præſertim ſi occurrat memoriæ prout eſt offenſa illata Deo; ac proinde differendum non eſſe confeſſionis propoſitum, atque iſtud implendum, cum primum fieri poſſit. Tenent hanc ſententiam præter Alexandrum Alenſem in IV. p. q. 77. membro 4. art. 1. & Guilelmum Pariſienſem in tract. de Pœnit. Joannes Maldonatus tom. 2. de Sacram. cap. 3. Leonardus Vanroy de Pœnit. cap. IV. quæſt. II. & cap. IX. q. I. & Aurelius Piette q. 2. Quorum momenta iſta ſunt. Principio præceptum contritionis obligat ſtatim poſt commiſſum peccatum: ſed inter præceptum contritionis, & præceptum confeſſionis hoc unum diſcrimen intereſt, quod contritio, quia conſiſtit in ſolo animo, concipi poteſt quolibet temporis momento, & confeſſio, quoniam pendet etiam a miniſterio, requirit ulterius temporis commoditatem; utraque autem, confeſſio & contritio, jure divino, ut demonſtravimus prop. 4. capitis primi, neceſſaria eſt ad ſalutem. Igitur præceptum confeſſionis obligat poſt commiſſum peccatum, cum primum confeſſarius commode haberi poſſit. Ac teneri peccatorem ſtatim ad contritionem, demonſtrant auctoritate Scripturarum, ac Patrum, ut Eccli. v. 8. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem:* & Auguſtini cap. 76. Enchiridii, *Non dixeris, cras, cras convertar. Ipſa res eſt, quæ multos occidit.* Profert Piette pag. 147. tomi 6. etiam S. Thomam quæſt. 6. Supplem. art. V. & 22. quæſt. 62. art. ult. Catech. Rom. p. II. cap. 5. num. 30. ac S. Thomæ de Villanova concionem in Dominicam paſſionis. Accedit multiplex ratio; prior quidem, quoniam ſtatim corpori tenemur adhibere medicinam: quanto magis animæ? Altera, quia tenemur ſtatim reconciliari proximo, hunc errantem corripere, ipſi rem ablatam reſtituere: & conſequenter debemus potiori jure idem agere cum Deo, quem errando ad iracundiam provocavimus, & affecimus dedecore, atque injuria. Præterea intueri non poſſumus peccatum indifferenti mentis oculo. Igitur dum memoriæ obverſabitur, aut placeat, aut diſpliceat neceſſum erit: quorum primum eſt peccato peccatum addere, alterum vero peccatum odio proſequi ac deteſtari. Addit Maldonatus, ſatagendum nobis eſſe, ut corpori Eccleſiæ tanquam membra ſana adhæreamus: ac Vanroy profert ulterius exemplum Regis, cujus gratiam is utique flocci habere diceretur, qui poſt regiam majeſtatem graviſſime læſam, negligeret veniam petere ab eodem rege ad priſtinam amicitiam invitante. Atque hæc ſunt hujus ſecundæ opinionis momenta.

Mediam autem viam incedunt Theologi quidem graviſſimi, docentes divinum confeſſionis præceptum obligare etiam extra vitæ periculum, cum ſcilicet conſcientia peccati horrore concutitur, & habetur loci, temporis, ac ſacerdotis opportunitas; quæ niſi habeatur, ſaltem eliciendum eſſe actum contritionis: ſed neceſſarium non eſſe, ut peccator ſtatim, & quam citius poteſt, confiteatur. Tenent id Dominicus Soto diſt. 18. q. 1. art. 4. Victoria q. 132. Melchior Canus Relect. de Pœnit. p. 6. Eſtius in diſt. XVII. §. 10. Sylvius in q. 6. Supplem. artic. 5. Ac primum hi Theologi ſapienter advertunt, eos, qui cum Sancto Thoma ajunt, urgere divinum confeſſionis præceptum *in periculo mortis*, hujus *periculi* nomine non intelligere mortis articulum, ſed omnes caſus, unde mors ſolet frequenter accidere, *ut* (inquit Canus) *in bello, in mari vehementer turbato, in partu feminæ: quod certe viri prudentis arbitrio magis, quam diſputatione Theologica definiendum eſt.* Deinde aſſerunt præcepta affirmativa non ſolum obligare in extrema neceſſitate, verum etiam, quando illorum præceptorum actus rationabili aliqua cauſa exiſtimantur neceſſarii; quemadmodum de actibus Theologalium virtutum diximus lib. XXIII. cap. 7. & 15. Docent rurſus, in longum tempus confeſſionem differendam non eſſe; quod demonſtrant momenta ſecundæ ſententiæ, ac ipſa in primis lex naturæ, quæ docet reconciliationem cum eo, quem offendimus, non eſſe negligendam: quibus addam monitum Urbani VIII. ad Alexandrum fratrem,

Si culpæ ſtimulos ſentit mens excita, noſcet
Quam grave diſcrimen ſubeat qui vivere pergit
Exuta ratione, futuri non memor ævi:
Quæ nocuere ſequi caveas, conſtanſque repelle.

Lubenter vero hanc ſententiam amplector, tum quia æque vitat auſteritatem, laxitatemque doctrinæ, tum etiam quia non omnia argumenta præcedentium videntur mihi bene librata, & invicta. Quod enim prioris opinionis patroni indefinite pronuntiant de præceptis affirmativis, refutatur ex his, quæ diximus de actibus fidei, ſpei, & caritatis. Illud etiam, quod opponunt ex paritate baptiſmi, videtur infirmum: ſiquidem in catechumenis differebatur, ut diſponerentur, & inſtruerentur in fide, & in quibuſdam ob cauſas alias, enumeratas citato cap. 20. trigeſimi primi libri: paratis autem ac diſpoſitis quamprimum conferendum eſſe ipſum baptiſmum commonſtrant rationes eodem loco productæ. Tertium de neceſſitate contritionis oppugnatur ex dictis; nec mihi videntur aliorum ſaluti conſulere, qui tenent contritionis præceptum obligare tantummodo vel in periculo mortis, vel ſemel in anno. Poſtremum de præcepto Eccleſiæ optime ſolvitur a Maldonato, dum ait, Eccleſiam non habuiſſe in animo exponere præceptum divinum, ſed cohibere duntaxat immodicam libertatem hominum, qui jus divinum interpretabantur pro libitu, & peccata confitebantur quando volebant. Ideo autem Eccleſia ſtatuit ſemel in anno ſingulis fidelibus confitendum eſſe, quoniam pauci ſunt mortalium, qui unius anni decurſu non admittant gravem aliquam culpam; pauciores etiam, qui non obliviſcantur rerum a ſe geſtarum, quæ integri anni ſuperant intervallum. Argumenta pariter ſecundæ opinionis facilem habent ſolutionem. Scripturæ enim & Patres ſuadent quod melius & tutius eſt, damnantque procraſtinationem, propterea quod interdum ſupervenit corporis, animique interitus; interdum friget & extinguitur pœnitendi ſtudium; interdum pœnitentia & occaſio cum Auſonio Epigram. XII. inquiunt,

Tu quoque dum cogitas, dum percontando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

In morbis etiam corporeis, inquit S. Thomas cit. art. 5. ad 2. *non eſt de neceſſitate ſalutis, ut ſtatim medicus quæratur, niſi quando neceſſitas curationis incumbat.* In corripiendis itidem, & ad concordiam revocandis fratribus, attendenda eſt opportunitas, ac noſtra, & aliena neceſſitas. Rurſus niſi reſtituatur ablatum, privatur Dominus uſu rei ſuæ, & rei, cujus raptor nullum dominium habet; quod non contingit in dilatione confeſſionis vel pœnitentiæ. Poſſumus denique a peccato in memoriam veniente cogitationem diſtrahere, & mentem avertere, ita, ut nec placeat, nec diſpliceat. Duabus itaque opinionibus refutatis, tertiæ eſt adhærendum, ac data priori opportunitate in gratiam atque amicitiam Dei redeundum.

PROP. II. Satisfit præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis per confeſſionem factam cuique Confeſſario approbato, tametſi non ſit Parochus.

Hanc propoſitionem brevi demonſtravimus lib. XXXIII. cap. 14. diſſerentes de cap. *Omnis utriuſque ſexus*: in quo a Concilio Lateranenſi IV. ſub Innoc. III. anno 1215. decretum fuit, ut quilibet utriuſque ſexus fidelis, *omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum.* Quibus tamen poſt latam in tranſgreſſores excommunicationis ſententiam, paullo poſt de confeſſione additur: *Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit, juſta de cauſa, ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio ſacerdote, cum aliter ille ipſum non poſſit ſolvere, vel ligare.* Cum ergo Epiſcopi abſolute, & abſque exceptione Paſchalis temporis, aliis præter Parochum largiantur licentiam excipiendi confeſſiones, & poteſtatem juriſdictionis, quam tamen licentiam minime dant circa communionem Paſchalem in Parœcia omnino percipiendam, quemadmodum nec de tali licentia facit mentionem aliquam Synodus Lateranenſis; conſequitur eos, qui confeſſariis tali ratione approbatis confitentur peccata ſua, modo in Parœcia communicent, canonem *Omnis utriuſque* adimplere. De hac autem quæſtione rurſus agendum eſt; propterea quod non deſunt qui contendant Lateranenſe concilium nomine *Proprii ſacerdotis* ita intellexiſſe Parochum, ut huic tantum, non autem alteri, licet ſuffulto prædicta Epiſcopi approbatione, fas ſit Paſchali tempore confiteri: quod diſſertatione prolixa conatus eſt demonſtrare Joannes Launojus, opere inſcripto, Traditio Eccleſiæ explicata circa canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, vol. I. editionis poſtremæ pag. 244. ac ſequentibus: cui acceſſere Gaſpar Juenin quæſt. V. de Pœnit. cap. 4. Carolus Witaſſe quæſt. VII. art. 2. atque poſt ſcriptores alios, præſertim Gallos, Zegerus Van-Eſpen Belga p. 2. in Jus Eccleſiaſticum tit. 6. cap. 5. etiamſi num. 24. affirmet in pluribus Belgii diœceſibus ab obligatione confitendi Parocho ſolutos eſſe fideles *per tacitum Prælatorum, & Paſtorum conſenſum.* Quod utique præmiſſam ab hoc auctore argumentorum copiam uno verbo diſſolvit; nam ſi ab illa obligatione eximit Prælatorum Paſtorumque conſenſus tacitus, multo magis eximere dicenda eſt horum approbatio, & juriſdictio ab iiſdem collata: ideoque ſtatuta, ac monimenta omnia, quæ in contrarium afferri poſſunt, vim habent duntaxat, ubi non adeſt delegatio juriſdictionis.

Noſtram itaque poſitionem probamus I. definitione Joannis XXII. qui anno 1321. conſtitutione, quæ incipit, *Vas electionis*, inſerta libro V. Extr. com. damnavit hanc propoſitionem Joannis de Poliaco, *Confeſſi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio ſacerdoti;* nec non alteram, *Stante, Omnis utriuſque ſexus edicto in Concilio generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri, quem conſtat eſſe Parochialem curatum.* Qui igitur affirmant eos, qui Paſchali tempore confitentur Regularibus, quibus Romani

Pon.

Pontifices, ſi ab Epiſcopis approbati ſint, innumeris, ampliſſimiſque conſtitutionibus declararunt ineſſe poteſtatem juriſdictionis, tranſgredi canonem præcitatum; ii inſtaurant errorem Joannis a Poliaco, ut Notificatione edita anno 1733. die 21. Martii ajebat Vir ſummus, nunc ſupremus Chriſtianæ Reipublicæ Moderator. Neque enim argumentum diluunt qui cum Launojo reponunt, Joannem de Poliaco damnatum, quod affirmaret iterum Parocho aperienda eſſe omnia peccata jam a regularibus abſoluta, & tantæ neceſſitatis eſſe confeſſionem faciendam Parocho, ut ab hac neceſſitate nec Pontifex poſſit eximere: non, inquam, hæc reponentes argumentum infringunt; nam ſi non omnia peccata ſunt parochis enuntianda; cur, obſecro, enuntianda ſunt aliqua, dum *omnia* commemorat in ſuo canone Synodus Lateranenſis? Inſuper ſi regulares pollent juriſdictione; cur nequeunt pœnitentes abſolvere? aut, ſi non pollent, cur non ſunt enuntianda Parocho etiam peccata ab illis ſoluta? Poſtremo ſi Pontifex eximere poteſt a neceſſitate confitendi Parochis; quare cum Romani Pontifices a ſe fideles exemptos iterum iterumque affirmaverint, pugnaciter quidam ipſorum Pontificum decretis obſiſtunt? II. Idem vero quod Joannes XXII. ſtatuit in Concilio Lateranenſi V. anno 1516. Leo X. Conſtitutione, *Dudum intra mentis arcana*, ab ipſo Concilio approbata in ſeſſ. XI. ubi de Regularibus ita legitur: *Poſſint illis per Epiſcopos & Prælatos ſuper ſufficienti litteratura, & aliqua ſaltem ejuſdem ſacramenti peritia duntaxat examinari; talibuſque præſentatis, admiſſis, vel etiam indebite recuſatis confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit*, Omnis utriuſque ſexus, *quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſeantur*. Hujus vero conſtitutionis ea tantum pars abrogata invenitur, quæ ſpectat ad ea verba, *Vel etiam indebite recuſatis*. III. Idem decreverunt Paulus III. anno 1549. Paulus IV. anno 1555. aliique, quorum ſtatuta collegit diſſert. IV. ſæc. XIII. Natalis Alexander, protulit Honoratus Tournely q. VI. art. 3. laudavitque Antonius Boucat diſſert. 1. de Pœnit. Inſtit. art. 6. ſect. 3. tres Galliarum Theologi, eruditionis copia, verborumque ubertate clariſſimi. Ceteris tamen miſſis, producam definitionem Clem. VIII. qui magna inter Regulares, & Parochos Cameracenſis, & Atrebatenſis diœceſeos contentione fervente, anno 1592. in gratiam PP. S. J. aliorumque Regularium edidit hoc decretum, *Sancimus dictis fratribus, & presbyteris dictæ Societatis, aliiſque privilegiatis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua etiam Quadrageſimali & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licite poſſe, dummodo tamen iidem ſæculares chriſtifideles ſacramentum Euchariſtiæ in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant*. Ac demum Clemens X. in Conſtit. *Superna* anno 1670. pariter declaravit, *Eos qui religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit*, Omnis utriuſque ſexus, *quoad confeſſiones duntaxat omnes ſatisfeciſſe cenſendos*. Hiſce autem decretis nihil habent quod reſpondeant adverſarii, niſi frigidum illud, *Aut ſubreptitia ſunt, aut nunquam a Gallis recepta*. At ſubreptitia non eſſe, commonſtrant Romani archivi autographa, repetita Apoſtolicæ Sedis oracula, collectioneſque Bullarum; cur vero ea non receperint Galli, ipſi viderint. Interim prætermiſſa graviori ea quæſtione, an ab eorum acceptatione pendeant leges Eccleſiaſticæ, de qua plura ſcripſimus libro XX. cap. 13. negari non poterunt ab aliis Chriſtiani orbis partibus acceptari, ideoque poſſe pari obſequio excipi ab omnibus. Quod ſi fieri poteſt, profecto poſſunt omnes Epiſcopi conferre regularibus poteſtatem, ut confeſſiones audiant etiam in Paſchate; ideoque ii, qui confitentur regularibus *ſimpliciter* approbatis, canonem *Omnis utriuſque* minime tranſgrediuntur.

Et quoniam audacter negarunt nonnulli, *proprii ſacerdotis* nomine hoc in canone poſſe intelligi alium a parocho, id etiam auctoritate & ratione apertiſſime refutabimus. Enimvero Alexander Alenſis, qui obiit anno 1245. p. 4. q. 12. art. 2. docuit *proprium ſacerdotem* multipliciter dici, ideſt, Epiſcopum qui in diœceſi gerit propria auctoritate curam animarum, Parochum qui ſacramenta ordinario jure adminiſtrat, & quiſquis delegata juriſdictione poteſt excipere confeſſiones, his verbis concludens, *Ad hoc igitur quod objicitur, quod tenetur confiteri ſacerdoti proprio, dicendum quod verum eſt, ſumendo ſacerdotem proprium, ſecundum quod* Proprius *complectitur modos omnes antedictos*. Idem paullo poſt tradiderunt S. Bonaventura diſt. 17. q. 2. S. Thomas q. VIII. Supplem. art. 5. ac proximo ſæculo Henricus Gandavenſis quodlib. 8. & Durandus, qui dum expenderentur errores Joannis e Poliaco, Magiſtri Palatii Apoſtolici munere fungebatur, in IV. ſententiarum diſt. 17. poſteriorum vero temporum fere innumeri, non tantum a Natali Alexandro, verum etiam ab ipſo Launojo diſtincte commemorati. A quibus recenſendis gratia brevitatis ſuperſedens illud tantum adverto, eamdem doctrinam fuiſſe amplexos anno 1452. menſe Januario Theologos omnes Pariſienſes; anno 1450. Guileſmum Caſtrofortium, quem *Pariſienſem* vulgo appellant, anno 1509. Gregorium Gemingenum Præpoſitum Spirenſem; anno 1530. Joannem Aurelianenſem (quem Launojus memoria lapſus *Ludovicum* dixit) in Synodo Toloſana; anno 1550. Ludovicum Carnotenſem in Conſtitutionibus Synodicis; anno 1561. Carolum Epiſcopum Sueſſionenſem; anno 1587. Germanum Aurelianenſem Epiſcopum; anno 1650. aut paullo poſt Philippum Gamachæum, & Nicolaum Iſambertum, Theologos Pariſienſes, in diſſert. de Pœnit. anno 1683. Franciſcum Harleum, eodemque anno Natalem Alexandrum; Tournelium tandem, Boucatium, & Doctorem Sorbonicum, qui de Re Sacram. anno 1737. edidit decem libros. Qui omnes ajunt Lateranenſem ſynodum nomine *proprii ſacerdotis* in canone *Omnis utriuſque* intellexiſſe Pontificem Maximum, Epiſcopum, ipſius Vicarium, Parochialem presbyterum, & generaliter omnes ab Epiſcopo legitime deputatos: aut, ſi *proprii ſacerdotis* nomine ſolum Parochum interpretantur, docent tamen canonem eſſe explicandum *ſalvo jure Epiſcoporum*, qui poſſunt etiam pro audienda confeſſione Paſchali tempore ſacerdotes quoslibet deputare. De his vero, quos laudavi uſque ad Iſambertum, non alium appello teſtem, quam ipſummet Launojum: ceteri teruntur manibus ſingulorum; atque ſunt hi omnes, poſt Durandum laudati, ſcriptores florentiſſimi Galliarum.

Rationes autem, quibus utimur, ſunt hujuſmodi. Prima quidem deprompta ex S. Thoma Opuſc. XIX. cap. 4. Epiſcopi in Parochiis ſuæ diœceſis plenam habent auctoritatem, & quidem ampliorem, quam habeant Parochi; atque ad Epiſcoporum nutum omnia in Eccleſiis gerenda ſunt, ex cap. *Sic quidam*, X. 1. & ex cap. *Cunctis fidelibus*, XVI. 1. Si igitur juxta Lateranenſem canonem in Paſchate poſſumus confiteri alieno ſacerdoti, id permittente *ſacerdote proprio*, nempe, ut adverſarii contendunt, *Parocho*; hoc multo magis fieri poteſt permiſſu Epiſcopi. Deinde in eodem canone ille dicitur *proprius ſacerdos*, ſine cujus licentia confeſſarius non poteſt aliquem ſolvere vel ligare. Atqui Epiſcopi in ſua diœceſi non debent petere licentiam a Parocho: quis enim dixerit Apoſtolum a diſcipulo, & ſuperiorem hierarcham ab inferiori pendere? Igitur Epiſcopi ſunt *proprii ſacerdotes*, qui poſſunt in Parœciis confeſſiones audire, aliiſque largiri illas audiendi facultatem. Rurſus conſequitur ex adverſariorum ſententia, ut recte animadvertit præcit. Notiſ. Pontifex ſapientiſſimus, Epiſcopum eſſe *ſacerdotem proprium* relate tantum ad ſacramenta Confirmationis, & Ordinis, atque ad reſervationem caſuum; immo & hoc poſtremum eſſe Epiſcopo denegandum, quoniam caſuum reſervatio deſcendit ex poteſtate ligandi ac ſolvendi, ut diximus cap. præcedenti. Hoc autem ſi affirmetur, jus Epiſcopale violatur ac læditur, atque ex uno abſurdo ſequitur alterum, videlicet, nec ſatisfactum iri canoni *Omnis utriuſque*, etiamſi quis Epiſcopo diœceſano confiteretur. Plura alia argumenta hoc ſpectantia vide in commentario, quod ex Bibliotheca Vaticana produxit, & Eccleſiaſticis Annalibus ad annum 1321. num. 20. inſeruit Odoricus Raynaldus.

Opponunt adverſarii: Lateranenſe Concilium *proprium ſacerdotem* illum eſſe declarat, a quo in Paſchate percipi debet Euchariſtia, atque huic ſacerdoti ſemel in anno confitendum eſſe definit. At Euchariſtia percipi debet a Parocho. Igitur & Parocho confitendum omnino eſt. Præterea idem Concilium prox. cap. 32. vetat, *ut penſiones conferantur de proventibus Eccleſiæ, quæ curam proprii ſacerdotis debet habere*, parochum proculdubio nomine *proprii ſacerdotis* appellans. Rurſus ait Concilium eos, qui *alieno ſacerdoti* voluerint juſta de cauſa confiteri, debere *a proprio ſacerdote* licentiam obtinere. Atqui licentia peti non debet ab iis, qui curam animarum non gerunt. Hi ergo, quibus non incumbit animarum cura, nomine *proprii ſacerdotis* nequeunt comprehendi. Ad hæc Martinus IV. in Conſtit. quæ incipit, *Ad fructus uberes*, anno 1281. mandavit, ut qui fratribus confitebantur, *ſuis presbyteris Parochialibus confiteri ſemel ſaltem in anno, prout Concilium generale ſtatuit, teneantur*. Idem ſtatuerunt provinciales Synodi plurimæ, non Galliarum tantum, ſed etiam Mediolani ſub ſancto Carolo anno 1565. p. 2. titulo 6. quas Synodos profert poſt Launojum Nat. Alexander cap. V. art. 7. prop. 4. Rurſus Facultas Pariſienſis anno 1516. damnavit aſſerta quædam Claudii Cuſii, affirmantis impleri Decretalem *Omnis utriuſque* ab iis, *qui Fratribus confitentur*. Tandem etiam ratio militat pro adverſariis; tum quia privilegia Regularium a Tridentina Synodo, Romaniſque Pontificibus revocata fuere; tum quia Parochi proprio jure exſpoliari non debent; tum demum quia Epiſcopi ſuam circa animarum regimen auctoritatem ipſis Parochis commiſerunt.

Reſp. His omnibus facile occurri, ſi dicatur Lateranenſis Synodi, aliorumque decreta ſpectare quidem ad Parochum, ſed minime ſuperiorum Antiſtitum, quibus & Parochi ſubjiciuntur, auctoritate ſublata. Sunt adnotanda tamen quædam alia. Mens Lateranenſis Synodi fuit primum damnare pullulantem errorem aſſerentium cuilibet Sacerdoti adeſſe *poteſtatem clavium*, ita, ut peccator a quocunque Sacerdote abſolvi poſſit, etiamſi ei non conferatur juriſdictio ab Epiſcopo: deinde cohibere licentiam illorum, qui perraro ad ſacramenta accedebant, eoſque coarctare, ut communicent ſaltem in Paſchate. Vide præcitatum commentarium apud Raynaldum n. 25. Mandans ergo Concilium, ut quilibet confiteatur *omnia peccata proprio ſacerdoti*,

nec

nec confiteatur *alieno*, niſi de licentia *proprii*, ſine qua non poſſet abſolvi, declarat in Confeſſario neceſſariam eſſe poteſtatem juriſdictionis: præcipiens vero, ut ad minus in Paſcha communicet unuſquiſque, cohibet Synodus torporem quorumdam, contemptumque ſacrorum myſteriorum. Igitur quantum ad confeſſionem attinet, *proprius ſacerdos* eſt, qui habet poteſtatem juriſdictionis, aut ordinariam, aut delegatam. Nec inde ſequitur poſſe aliquem implere extra Parœciam præceptum annuæ communionis; quoniam hac in re nunquam Regularibus tale privilegium conceſſum legimus, immo ſtatutum, decretumque eſt, ut Euchariſtia ſumatur a proprio Parocho; ut ex dictis abunde conſtat. Atque hinc propria argumenta canoni *Omnis utriuſque* ſubnixa, non contrita ſunt tantum, verum etiam in adverſarios intorta. Primum quidem; nam ſi Pontifex, aut Epiſcopus permitteret alicui, ut extra Parœciam communicaret; is profecto non teneretur ſumere Euchariſtiam a Parocho. Alterum itidem, quoniam canon de penſionibus conferendis æque ſpectat Parœcias, ac nobiliores Eccleſias. Item tertium, quia cura animarum non ſolis parochis, ſed etiam Epiſcopis, quorum parochi ſunt coadjutores, incumbit. Ad Bullam Martini IV. communiter reſpondent Theologi cum Sylvio in q. 8. Suppl. art. 4. q. 3. revocatam fuiſſe per aliorum Pontificum conſtitutiones. At Martinus in ea Bulla conceſſit Fratribus Minoribus, ut confeſſiones audirent, modo *examinati & approbati eſſent a Generali, vel Provinciali cum Definitoribus*, nulla facta mentione approbationis *Ordinarii*: atque *eiſdem Fratribus* in annua Paſchatis confeſſione præferri voluit ſacerdotem *proprium* ac Parochum ab Ordinario approbatum. Quod ergo in Conſtit. *Ad uberes* revocatum eſt, non aſt aliud, quam privilegium illud Regularium excipiendi confeſſiones ſine approbatione Epiſcoporum; nec aliud ex eadem conſtitutione inferes, quam id, quod ſequitur ex prop. 13. ex proſcriptis ab Alex. VII. cum de Fratribus approbatis ab Ordinario nequaquam Martinus IV. loquatur. Aſſerendum idem eſt de Conſtit. edita anno 1254. ab Innoc. IV. adverſus eos, qui non accepta poteſtate juriſdictionis ſeſe Præſulibus efferebant, ut recta Raynaldus advertit ad an. prædictum n. 70. unde apparet falli eos, qui cenſent Innocentium erga Religioſos viros iniquo fuiſſe animo. At omnia provincialium Synodorum ſtatuta, quotquot produxit Launoius, & ſi hujus generis ſunt alia, eo ſenſu ſunt explicanda, quo interpretati ſumus, præeuntibus viris clariſſimis, Synodiſque aliis compluribus, canonem Lateranenſem. Claudii autem Cuſil propoſitio, prout ab ipſo Launojo profertur pag. 322. erat *de Regularibus ab Epiſcopo reprobatis*, de quibus Claudius dixerat e ſuggeſtu: *Quand aucun paroiſſien ſe confeſſe aux dits Freres preſentez à l'Eveſque, il ſatisfait à la decretale, Omnis utriuſque*. Hac ergo in re æquiſſima fuit cenſura S. Facultatis Pariſienſis, ſemel iterumque confirmata, necnon definita Apoſtolicæ Sedis judicio. Nil denique evincunt poſtremæ rationes; Tridentinum quippe Concilium revocavit duntaxat privilegia Regularium quantum ad examen & approbationem Epiſcoporum, ut præcedenti capite dictum eſt. Neque ſententia noſtra Parochi proprio expoliantur jure; cum nemo affirmet, noſtri muneris eſſe animarum curam gerere, & ſacramenta juriſdictione ordinaria miniſtrare, immo magnopere optamus, ut nullus Regularium fideles a Parœcia avertat, nec fruatur collata ſibi facultate ad aliorum ſcandalum ac detrimentum, ſed potius meminerit ſibi grave aliorum onus ſublevandum eſſe, demandatumque munus miniſtrantis, non præſulis. Ceterum dum annuunt Pontifices atque Epiſcopi, Regulares ipſos jura Parochorum invadere, & a veritate alienum eſt, & ipſis quoque Pontificibus, ac Epiſcopis, ut hactenus oſtendimus, injurioſum.

PROP. III. Non adimpletur Eccleſiaſticum confeſſionis præceptum per confeſſionem ſacrilegam.

Demonſtravi hanc propoſitionem lib. xxxiii. cap. 14. pertractans de præcepto annuæ Communionis, ibidem ſimul producta theſi 14. ab Alex. VII. confixa die 24. Sept. anno 1665. *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfecit præcepto Eccleſiæ*. Adeas ergo paginam hujus vol. 100.

PROP. IV. Veteres dabant operam, ne certis anni temporibus confeſſionem ſacramentalem omitterent.

Ac in primis laudabilis olim viguit conſuetudo, ut in capite Quadrageſimæ, præſertim vero feria quarta præcedente primam dominicam, fideles peccata confiterentur. Hinc habet vetus canon apud Burchardum lib. xix. num. 2. *Presbyteri admonere debent plebem ſubjectam, ut omnis qui ſe ſentit mortifero peccati vulnere ſauciatum, feria iv. ante Quadrageſimam cum omni feſtinatione recurrat ad vivificatricem Matrem Eccleſiam: ubi quod male commiſit, cum omni humilitate & contritione cordis ſimpliciter confeſſus, ſuſcipiat remedia pœnitentiæ ſecundum modum canonis auctoritatibus præfixum*. Cujus generis ſunt canones alii plurimi, quos proferunt not. 661. in Sacram. Gregorii Menardus, ac lib. 1. de Antiquis Eccl. rit. cap. vi. art. 1. num. 6. Martenius. Eam ob rem ea die fidelium capita cineribus adſpergebantur, quoniam inibant poſt confeſſionem pœnitentiæ ſtadium, ut reconciliarentur feria quinta, aut ſexta Majoris hebdomadæ: de qua te dicam poſtea. II. Præterea nonnulli Epiſcopi plebem adſtringebant ſuam, ut confiteretur ter in anno, ut conſtat ex Conc. Tolatano anno 1228. cap. 3. Vigornienſi anno 1240. cap. 16. & Albienſi anno 1254. cap. 9. Nonnulli alii præter feſtum Paſchale, quinque aliis feſtivitatibus confeſſionem alligarunt, ideſt, Nativitatis, & Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. M. V. & omnium Sanctorum, ut in Synodo an. 1485. monuit Triſtandus Archiepiſcopus Senonenſis. De Nativitate autem Domini præclarum eſt, & etiam ad hæreticos refellendos aptiſſimum teſtimonium Egberti Epiſcopi Eboracenſis in fine Dialogi hæc ſcribentis: *A temporibus Vitaliani Papæ, & Theodori Dorobornenſis Archiepiſcopi inolevit in Eccleſia Anglorum conſuetudo, & quaſi legitima tenebatur, ut non ſolum clerici in Monaſteriis, ſed etiam laici, cum conjugibus & familiis ſuis ad Confeſſores pervenirent, & ſe fletibus a carnalis concupiſcentiæ conſortio his duodecim diebus cum eleemoſynarum largitione mundarent; quatenus puriores Dominicæ communionis perceptionem in Natali Domini perciperent*. Cum autem Vitalianus ſederit ab anno 657. uſque ad an. 672. hinc etiam refellitur impoſtura Dallæi audacter negantis majores noſtros præmiſiſſe peccatorum confeſſionem Euchariſtiæ communioni. III. Ante hanc vero, necnon ante Epiſcopi conſignationem, ſuſcipiendum eſſe ſacramentum Pœnitentiæ, volumine præcedenti, ideſt, lib. xxxi. cap. 8. num. 5. & lib. xxxiii. cap. 17. num. 4. demonſtratum eſt auctoritate & ratione: nec aliud nunc addam præter S. Fulgentii confeſſionem laudatam alibi, atque a præcitato Menardo productam altera parte ejuſdem Notat. 661. in qua pœnitens pronuntians graviora quælibet ſcelera, *Ego*, inquit, *corpus Domini, & ſanguinem ejus polluto corde, & corpore ſine confeſſione, & pœnitentia ſciens indignus ſuſcepi*. IV. Monachi autem, antiquiorum quoque inſtitutorum, ante vitæ monaſticæ tyrocinium confeſſionem edebant; unde Joannes Climacus in iv. Scalæ gradu, pag. edit. Cramoiſy 44. ſcribit, πρὸ πάντων ἐξομολογησώμεθα τῷ καλῷ ἡμῶν δικαστῇ, καὶ μόνῳ, εἰ δὲ κελεύοι καὶ πᾶσι, *Primum omnium confiteamur bono judici noſtro, vel ſoli; vel ſi imperet ille, omnibus*. Ut id lubentius exequantur qui noſtrum amplectuntur inſtitutum, Romani Pontifices iiſdem plenariam Indulgentiam largiti ſunt. De frequentandis in quolibet Monaſtico ordine confeſſionibus, legenda Clementina, *Ne in agro Dominico*, cum ceteris quæ adnotavi agens ſupra pag. 109. de frequenti communione. Immo ut fratres noſtri ſemel ad minus in hebdomada confiteantur, præſcribunt Conſtitutiones Ordinis p. 1. cap. 8. n. ſeptimo. V. Quanta diligentia ſeſe purgare debeat unuſquiſque *in periculo mortis*, conſtat ex 1. propoſitione, necnon ex his, quæ diximus de Confeſſionis neceſſitate cap. 1. prop. 4. Idem confirmant majorum exempla, quorum pleraque præf. 1. in ſæc. 53. Benedict. n. 98. collegit Joannes Mabillon. Huc item ſpectant Conſtitutiones Romanorum Pontificum diſtricte præcipientium Medicis, ut omnino infirmos moneant de confeſſione juxta ritum S. R. Eccleſiæ idoneo Confeſſario facienda: quod tam ſtudioſe mandant, ut tranſgreſſoribus perpetuæ infamiæ notam inurant, eoſque a doctorali gradu dejiciendos, pœniſque ad arbitrium Ordinarii mulctandos eſſe declarent; ac ne id prætermittatur, juſſerunt quoque, ne ægrotantibus fidelibus adſint medici a religione noſtra alieni. Videſis cap. *Cum infirmitas*, de Pœnit. & remiſſ. in v. decret. tit. 38. comprehendens definitionem Innoc. III. & Generalis Concilii Lateranenſis conſtitutionem, *Super gregem Dominicum*, editam a S. Pio V. anno 1566. & alteram Gregorii XIII. quæ incipit, *Alias piæ memoriæ*, anno 1581. emanatam. VI. More ſuo, ſcilicet, copia maxima eruditionis de his pertractans in Notificatione vulgata Bononiæ die 20. Auguſti an. 1733. ovium Chriſti Paſtor eximius, ex S. Antonino, compluribuſque Theologis demonſtrat, medicos, qui ægrotos ad confeſſionem edendam hortantur morbo duntaxat plurimum ingraveſcente, fractores eſſe harum conſtitutionum; propterea quod citato in cap. *Cum infirmitas*, cauſa hæc illius edicti effertur, *Quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidant, unde facilius mortis periculum incurrunt*: Antequam ergo periculum iſtud emergat, decumbentes hortandi ſunt, *ut medicos advocent animarum*. Ac firmiſſimam eſſe ſententiam hanc Pontificis ſapientiſſimi nullus dubito, ob ſummam ejus auctoritatem doctrinæque præſtantiam, ob productæ rationis pondus, atque ob plurimorum Theologorum conſenſionem. Me inſuper movet, quod Innocentius ait procedendum eſſe ad corporalis medicinæ remedium, *poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum*: item quod addit, nonnunquam corporalem infirmitatem provenire ex peccato, ideoque cauſam eſſe amovendam, ut ceſſet effectus, præmiſſis verbis a Domino dictis languido, quem ſanaverat, *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*; ac poſtremo, quod Innocentius his utatur verbis, *Cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, &c.* & S. Pius pariter, & Gregorius, *Cum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, &c.* Statim ergo, ac infirmum cum tali morbo jacentem, ex quo mors poſſit probabiliter conſequi, inviſunt medici; debent hiſce conſtituti-

tionibus obtemperaſe, nec *tertio die* ad ægrotantem accedere, ſi confeſſionem facere detractaverit. VII. Denique præmittenda aſt confeſſio, ſi non ex præcepto, ex optimo, ſanctiſſimoque conſilio, aggredientibus longum iter, præſertim ſi religionis cauſa ſuſcipiatur; prout ad fratrem Jeroſolymam profecturum ſcripſit Anſelmus laudatus cap. 2. theſi v. & ad Flavium Damœtam epiſt. 93. alias 47. Alcuinus his verbis: *Iter tuum confeſſione confirmare, eleemoſynis roborare, orationibus ſervorum Dei undique munire memento*.

PROP. V. Admodum laudabilis eſt illorum conſuetudo, qui ſemel in vita edere ſtudent generalem peccatorum ſuorum confeſſionem.

Hoc primum oſtenditur exemplis ſanctiſſimorum virorum, quæ recenſui cap. 11. theſi 5. Confirmatur monitis S. Caroli, aſſerentis p. 2. Inſt. cap. 11. confeſſionem generalem omnibus ſuadendam ſaltem ſemel in vita, ac eo præſertim tempore, quo ex animo quiſquam ſtatuit vitam in melius commutare, atque ſalutis iter arripere. Prætarea ſanctus Thomas a Villanova conc. in Dom. iv. Quadrag. ſaluberrimam aſſa ait, *ad reſarciendas juventutis ignorantias, & plurimos defectus, qui in confeſſione fiunt a juvenibus*. Plures etiam hujus confeſſionis utilitates recenſet in Praxi ſpirit. S. Franciſcus Saleſius; quorum præcipui ſunt præteritæ vitæ dijudicatio, maximæ Dei miſericordiæ tamdiu impios tolerantis inſpectio, animi recreatio, & major conſcientiæ tranquillitas. Demum non perutilis tantum, verum etiam neceſſaria iis aſſe poteſt, qui ob verecundiam, vel cauſam aliam aliquando fecerint confeſſionem voluntarie ſacrilegam, nimirum, quando atiam ſubſequentes nullæ cenſari poſſunt, nec bona fida fuerunt peractæ.

C A P U T VII.

In quo pertractatur de efficacitate, ac de forma Abſolutionis ſacramentalis.

ABſolutionem a ſacerdote impendendam eſſe hac verborum formula, *Ego te abſolvo, &c.* ac preces, quæ his verbis adjunguntur, *ad formæ eſſentiam* nequaquam ſpectare, neque neceſſarias eſſe ad ſacramenti adminiſtrationem definierunt Florentinum Concilium in Inſtruct. Armenorum, ac Tridentinum capite tertio ſeſſionis xiv. De hac forma tres quæſtiones inſtitui poſſunt, prima ad Eccleſiaſticam hiſtoriam ſpectans, altera ad fidei dogmata, tertia ad moralis Theologiæ præceptiones. Quæſtio hiſtorica aſt, an obtinuarit, & ſacramento conſtituendo idonea ſit *forma deprecativa*. Hanc autem in Latina Eccleſia uſque ad medietatem ſæculi xiii. obtinuiſſa, & atiamnum in uſu eſſe apud Græcos, tam conſtanter aſſerunt viri clariſſimi, ut penitus ajecta & eliminata videatur vulgaris pridem & communis ſententia, propugnans eamdem formam ineptam aſſe, atque invalidam. Erudite autam, & copia argumentorum uberrima pro forma illa deprecativa diſputavit Joannes Morinus lib. viii. de Adminiſtrat. ſacr. Pœnit. cap. 8. & ſequentibus; cui adhæſerunt Gaſpar Juenin diſſert. 6. cap. 2. art. 1. Du-Hamelius diſſert. iii. cap. 2. Tournely q. 9. art. 1. Witaſſe q. vi. art. itidam primo, Cardinalis Gotti q. 8. dub. 1. Edmundus Martene lib. 1. da Antiq. rit. cap. 6. art. 5. & ne pretaream noſtrates, Vanroy cap. 3. q. 3. & Piatta q. 9. Nonnulli tamen ex junioribus pugnarunt pro forma, ut inquiunt, indicativa, quam ſuperiores Theologi prorſus neceſſariam exiſtimarunt, uti fecerunt Fraſſen, Henno, Boucat. Ac mirum eſt, eminentis noſtri Theologum, Cardinalem Vincentium Gotti tom. xiv. pag. 335. mendaſſa litteris; *certum omnibus* eſſe quod Græca Eccleſia expreſſerit olim, & etiam modo exprimat abſolutionam ſacramentalem verbis deprecativis; cum Launojum ac Morinum refutare ſtuduerint Vincentius Baronius, Nicolai, Gonet, tres ajuſdem ampliſſimæ familiæ ſcriptores euique noti, ut liquet ex diſp. xii. ipſiuſmet Goneti: necnon Natalis Alex. lib. 2. Th. moralis cap. 7. art. 1. & quod caput eſt, nec ignoravit Eminentiſſimus Auctor, Doctor Aquinas, Opuſculo xxii. ſcribat, *Si illa tantum dicuntur eſſe ſoluta, quæ habens claves ſolverit, qui autem petit aliquid aſſe ſolvendum non ſolvit, miror qua temeritate aliquis aſſerat eſſe ſolutum, quem habens claves non ſignificat, ſe ſolvere, ſed ſolum rogat eſſe ſolvendum*. Ego tamen ita in hac quæſtiona me geram, ut propoſitis momentis, quibus adducor ad improbandam recentiorum ſententiam, hac nullis innuſta notis, ac relicta patronis ſuis, hoc unum definite pronunciem, formam *indicativam* longa eſſe *deprecativa* congruentiorem, prout non pauci adverſariorum fatentur.

Quod ad aliaram quæſtionem attinet; hæretici omnes, cum affirment ſola fide, non efficacitata alicujus ſacramenti, nec ſacerdotum poteſtate dimitti peccata, teneantque omnia verba, quæ adhibentur in ſacramentis, ad inſtar concionis dirigi ad fidem illam excitandam, quem errorem aliis in locis perſtrinximus ac refutavimus, tradunt conſequenter abſolutionem ſacerdotis polliceri duntaxat peccatorum remiſſionem, atqua declarare & enunciare peccata amplius non imputari: unda in Confeſſ. Auguſtana art. 12. contritione peſſime in terroribus incuſſis locata, *Altera pars*, inquiunt, *eſt fides, quæ concipitur ex Evangelio, ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum certa remitti peccata, & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat*. Certa itaque fide adverſus hæreticos tenendum eſt, abſolutionem ſacramentalem eſſe *actum judicialem*, non autem *nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſa peccata confitenti*, prout canone 9. præcitatæ ſeſſionis xiv. definivit Œcumenica Synodus Tridentina. Brevi autem de hac Polemica controverſia dicturus (ſiquidem ex dictis cap. 1. apertiſſima illationa conſequitur) lectorem præmoneo longa ab hæreticorum dogmate receſſiſſe antiquiores illos ſcholaſticos, qui propugnabant neceſſitatem contritionis vi ſua peccatum delentis, priuſquam ſacerdos proferat abſolutionem. Hi enim, ut oſtendi ſupra pag. 147. & 161. ac rurſus pag. 175. minime negabant a ſacerdota *judicialem actum exerceri*, minime ajebant abſolutionem eſſa *nudum pronunciandi, & declarandi miniſterium*, ſed vel affirmabant contritionem delere culpas vi ſubſequentis abſolutionis, ajuſque voto, ut ajebat Joannes Æmilianus; val exiſtimabant abſolutione ipſa conferri gratiæ incrementum, remiſſionemque pœnarum. Quod iden commemoravi, ut in hac quoqua valitationa ariperem adverſariis miſerrimum illud effugium, quo ajunt etiam Scholaſticos verbum illud *ſolvere* ita fuiſſe interpratatos, quaſi idem ſit, ac *declarare aliquem prius fuiſſe ſolutum*, quemadmodum in hiſt. Concilii Tridentini lib. 4. pag. 407. & 417. perperam ratiocinatur Suavis.

Tertia quæſtio, *formæ*, qua utuntur Latini, congruentia & ſignificatione ſuppoſitis, faciliimæ ſolutionis eſt, & verſatur circa ſingula illius verba: nam prætar duo pronomina *Ego*, & *Te*, verbumque *Abſolvo*, Joannes Major, ac Paludanus cenſent ſpectare *ad formæ eſſentiam* proxima illa vocabula, *A peccatis tuis*, ac perpauci atiam cum Durando in iv. diſt. 22. cenſent ajuſdem generis eſſe quæ ſequuntur, exprimuntque ſacroſanctæ Trinitatis perſonas, videlicet, *In nomine Patris, &c.* Hæc argo omnia ſubjicientes notationem aliquam attingemus in poſtrema poſitionum illarum, quarum priorem bonis, ut inquiunt, avibus auſpicamus.

PROP. I. Aperte non evincitur viguiſſe olim, *ſive* apud Latinos, ſiva apud Græcos *formam* ſacramentalis abſolutionis deprecativam; qua, etſi detur obtinuiſſe, longa congruentior aſt, & ad poteſtatem clavium ſignificandam illa aptior, quam adhibet, approbatque Romana Eccleſia.

Viguiſſe *deprecativam formam* apud Latinos nituntur primo recentiores demonſtrare perantiquis Pontificalibus, libriſque Liturgicis; quorum vetuſtiores cenſentur Pontificale Egberti Eboracenſis Epiſcopi, Anglicanum, Romanſe, aliaque a Martenio producta art. 7. & a Morino nono ac decimo cap. librorum præcitatorum, liber itidem Sacram. Gregorii, antiquus Ordo Romanus, aliique id genus permulti. Sed hoc primum argumentum infirmiſſimum eſt: primum, quia in his libris pertractari videtur de Reconciliationa pœnitentium, non *ſacramentali*, ſed *canonica*, qualis fieri conſuevit feria v. majoris hebdomadæ: compluras anim hunc ipſum titulum, *De Reconciliatione Pœnitentium f. v. majoris hebd.* præſeferunt, ut apparet ex ipſis *Ordinibus* editis a Martenio. Deinde cum hi libri deſcribant ritum valda prolixum, pſalmis, pluribuſqua orationibus conſtantem, &, quod caput eſt, deprecationes illas frequentiſſime repetant; *ritum* potius ſonant, quam *formam* ſacramentalem; quæ brevis eſſa ſolet, definita, & repeti nequaquam debet, niſi repetita ſacramenti materia: quod confirmat Pontificale Romanum Clem. VIII. & Urbani VIII. auctoritata recognitum, & quod p. 3. tit. 3. hujuſmodi *Reconciliationis* exhibet ritum deprecatoriis tantum verbis conflatum: cum tamen ambigere nemo queat horum Pontificum ætata in abſolutiona ſacramentali ſolam *formam indicativam* fuiſſe adhibitam. Ergo ſi dixero in libris illis ritualibus contineri modum duntaxat reconciliationis canonicæ, non procul fortaſſe a veritata aberrabo. Quid autem, quod recentiores iſti Pontificalia, quæ laudant, non videntur attentis oculis inſpexiſſe? In Pontificali ſiquidem Egberti apud eumdem Marteniom tom. 2. edit. Pariſ. pag. 42. hæc abſolutio prope finem habetur; *Abſolvimus * vobis vice beati Petri Apoſtolorum principis, cui Dominus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi dedit, &c.* In Pontificali autem Anglicano pag. 50. deprecatoriis verbis hæc adduntur, *Ego immeritus, & peccator Epiſcopus hanc abſolutionem manu, ore, corde confirmans, omnipotentis Dei clementiam ſupplex imploro, &c.* ubi participium illud, *confirmans*, vim abſolutionis indicativæ complectitur. Similia habentur in codica Ebroicenſi, quem Martenius putat ſuperare ætatem annorum octingentorum. In Ordine itidem Eccleſiæ Aquenſis pag. 91. hæc leguntur, *Abſolvimus te vice beati Petri Apoſtoli, cui poteſtas ligandi atque ſolvendi a Deo conceſſa eſt, cujus vicem, quamvis indigni, non tamen merito gerimus.* In quadam præterea vetuſtiſſima plumbea cruce, effoſſa ex antiquo ſepulcro Abbatiæ S. Frontonis, apud Joannem Du Puy in libro de Statu Eccleſiæ Petrocoricenſis, & Hugonem Menardum not. 667. in Sacram. Gregorii, hæc abſolutionis formula inſculpta legitur, *Dominus Deus omnipotens, qui poteſtatem dedit*

* Tu.

ſanctis

ſanctis Apoſtolis ſuis ligandi, atque ſolvendi, ipſe te dignetur abſolvere F. Elia, a cunctis peccatis tuis, & quantum mea fragilitati permittitur, ſis abſolutus ante faciem illius. Quæ formula, etſi indicativa non eſt, comprehendit tamen actum judicialem ad inſtar indicativæ. Ipſi denique adverſarii fatentur indicativam formam præſcribi a Concilio Londinenſi anni 1268. & Neumacenſi anni 1284. S. Thomam cit. Opuſc. 22. aſſerere communi Pariſienſium Theologorum ſententia abſolutionem fieri non poſſe *per ſolam deprecativam orationem*, & Franciſcum Mayronem in IV. diſt. 18. affirmare formam hanc, *Abſolvat te Deus*, a nonnullis uſurpatam in provincia Provinciæ, fuiſſe ab omnibus improbatam. Indicativam autem a Florentino, & a Tridentino Concilio præſcriptam nemo unus ignorat. Unde vero, niſi ex traditione majorum, hanc Theologi, Synodique acceperunt? Mitto quod nonnulli obſervarunt in vetuſtis Ritualibus bene multis faciliores formas ſacramentorum omitti, quando præſertim ex præmiſſa oratione poſſunt venire in mentem miniſtrantium; ut dixi ſupra pag. 20. Ex quibus omnibus judicium ferat lector, num argumenta petita pro *forma deprecativa* ex vetuſtiſſimis Ritualibus, tanti, quanti æſtimantur, ſint ponderis.

Muventur autem recentiores etiam Patrum auctoritate. Nam Tertullianus in lib. de Pudicit. cap. 19. ait veniam dari *per exoratorem Patris Chriſtum*. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 8. demonſtrans homines in remiſſione peccatorum exhibere *miniſterium ſuum, non jus alicujus poteſtatis exercere*, inquit: *Iſti rogant, divinitas donat*. Sanctus Hieronymus in Pſalm. 28. docet ceſſare in nobis flammam libidinis *per orationem ſacerdotis*. S. P. Auguſtinus lib. XV. de Trinit. cap. 26. demonſtrat a nobis Deum *invocari*, ut ſuper alios Spiritum ſanctum effundat, non autem a nobis Spiritum ſanctum conferri; lib. 3. de Baptiſmo cap. 6. de expiatione facta per ſacerdotes, *Quid eſt aliud*, inquit, *niſi oratio ſuper hominem?* atque hom. 23. inter 50. nunc ſerm. 99. redarguit Donatiſtas, qui ſibi remiſſionem peccatorum confidenter arrogabant, dicebantque, *Ego peccata dimitto*. Ac demum S. Leo epiſt. 136. alias 80. de ſacerdote ait; *Pro delictis pœnitentium precator accedit*, tametſi lectiones aliæ, ut ultima Veneta pag. 150. habeant, *A quo pro delictis pœnitentiam peccator accipit*: atque epiſt. 82. alias 91. ad Theodorum Forojulienſem affirmat dimitti peccata *ſupplicationibus ſacerdotum*. Patribus vero accedunt Theologi, Anonymus ſcriptor de Pœnit. apud Morinum lib. VIII. cap. 9. num. 23. Petrus Cantor, Guilelmus Pariſienſis, Alexander, & alii. Verum neque hæc urgent admodum. Quod enim ad Patres attinet, illuſtris Sylvius in 3. p. q. 84. art. 3. uno verbo omnia dirimit, dicens ſacramentalem abſolutionem eatenus appellari *ſupplicationem*, quatenus verba illius proferuntur a legitimo miniſtro cum intentione conferendi ſacramentum a Chriſto inſtitutum, ac ſunt tacita quædam divinæ potentiæ invocatio. Quid deinde frequentius apud Patres, quam etiam Euchariſtiam precibus conſecrari? Nonne id & Juſtinus, & Irenæus, & Hieronymus, & Auguſtinus, & alii plures affirmant? Affirmant utique. & nihilominus unanimi ſenſu Theologi, juniores etiam illi, Juenin, Tournelius, & alii, reſpondent Euchariſtiam conſecrari precibus *concomitanter, & diſpoſitive*, non *formaliter*, ſed in quantum ſcilicet ſine orationibus ſacra myſteria minime peraguntur. Recole dicta libro XXXIII. cap. 7. Peto nunc, quare eadem ratione explicari non debeant Patres de remiſſione peccatorum agentes? Ita quidem explicandi eſſe videntur; cum unanimiter tradant, ſacerdotes habere clavium poteſtatem, exercere judicium, ſolvere, peccata dimittere: quæ poſſe fieri *ſola prece* negant Theologi cordatiſſimi. Patrum quoque oculis obverſabatur hæreticorum impietas & arrogantia, eorum maxime, qui negabant divinitatem Spiritus ſancti, ac tribuebant fidei & probitati ſuæ remiſſionem peccati; ideoque recte hujus farinæ homines refellendo negabant hominibus poteſtatem dimittendi peccata, & aſſerebant eſſe nobis miniſterium, non *jus*: nimirum miniſtros Chriſti nos eſſe, & liberali munere decoratos, non propria, indita, ac naturali præditos poteſtate. Quod ſi viſum foret Patribus ſacerdotes invocare tantum, orare, precari; qua ratione ſibi conſtarent, dum iis poteſtatem judiciariam adſcribunt? Demum cum ipſorum Patrum ſententia fuerit, vulganda non eſſe arcana fidei, ac præſertim formam ſacramentorum, ut docet prælaudatus Innocentius in ſua ad Decentium epiſtola; illud etiam negare poſſumus, in teſtimoniis antiquorum Patrum pertractari *de forma ſacramentali*, non autem de precibus ſuper ſubſtratos cum impoſitione manuum effuſis. At de Patribus hactenus.

Quæ ex nonnullis Scholaſticis proferuntur, ſunt præcedentibus longe imbecilliora. Singula namque evertens S. Thomas cit. Opuſ. 22. *Si ita ſenſerunt*, inquit, *nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro*, Quodcunque ſolveris, &c.? *Nunquid etiam, ſi nunc viverent, præjudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis degentium, qui contrarium ſentiunt, decernentes abſque his verbis*, Ego te abſolvo, *abſolutionem non fieri*? Ad hæc laudati Scholaſtici, cum tenerent hominem per contritionem reconciliari Deo, per abſolutionem autem reconciliari Eccleſiæ, & per hanc non juſtificari, ſed augeri gratia, & a debito pœnæ enodari; dum formam abſolutionis *deprecatoriam* dixere, hoc affirmarunt reſpectu remiſſionis culpæ: unde S. Bonaventura in IV. diſt. 18. p. 1. art. 2. q. 1. ait: *In forma abſolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per modum indicativum; & deprecatio gratiam impetrat, ſed abſolutio præſupponit tantum: numquam enim ſacerdos abſolveret quemquam, de quo non præſumeret, quod eſſet abſolutus a Deo*. Mirum vero id non adverti a recentioribus illis; qui alibi hæreticis vetera Scholaſticorum placita objicientibus reſpondent nullam eſſe affinitatem inter doctrinam eorum, qui in ſacramento pœnitentiæ neceſſariam dixere contritionem gratia & caritate formatam, & inter nefarium dogma denegantium abſolutionem; quod & a nobis paullo ſupra in memoriam revocabatur.

Dixi ſatis, ut opinor, de Latinis: ad Græcos convertar modo. Ab his uſurpatam olim, & ſervatam etiamnum *formam deprecatoriam*, probant primo exſcribendo varias preces Euchologii, editi anno 1647. a Jacobo Goario. At initio demonſtranda eſt incorrupta Euchologiorum fides; quam poſt tanta Græcorum ſchiſmata in dubium poſſet aliquis revocare, in tanta præſertim codicum varietate. Probandum quoque contineri ibidem formam reconciliationis ſacramentalis, & non canonicæ, ut diximus de Ritualibus Latinorum; cum etiam in Græcis deprecationes, precesque, in quibus adverſarii conſtituunt ſacramenti formam, iterum ſæpiuſque recitentur. Præter hæc Menardus in Sacram. Gregorii teſtatur Græcos, poſt illas deprecationes verba iſta proferre, Ἔχω σε συγκεχωρημένον, *Habeo te venia donatum*; formamque indicativam probaſſe Gabrielem Philadelphienſem, & nunc quoque retinere Ruſſos, Ruthenos, alioſque Græcorum, apparebit ex refutatione argumenti mox ſubjiciendi. Rurſus nec Goarium, ejuſque Euchologium accurate recentiores legerunt. ibi enim pag. 678. poſt precationes legitur, ἔτι ἀπολύω σε ἀπὸ πάντων ἁμαρτιῶν σου, ὅσα ἐξωμολογήσω ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς ἐμῆς ἀναξιότητος, ideſt, *Inſuper ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcunque confeſſus es coram Deo, & coram indignitate mea*, & paullo infra, eademque pagina; Ἐγὼ δὲ συγχωρῶ σοι πάσας τὰς ἁμαρτίας σου, nempe, *Ego vero condono tibi omnia peccata tua*. Qualis autem erit *forma indicativa*, ſi hæc non eſt?

Producunt deinde teſtimonium Arcudii lib. 4. Concordiæ cap. 3. ſed qua commoditate, nunc prodam. Principio Arcudius eo loci, pag. 350. *formam* abſolutionis *deprecativam* acriter inſectatur, commonſtrans nullum eſſe inter Sacramenta, quod minus talis formæ ſit capax, quam pœnitentia, cum hujus forma exprimere debeat ſententiam judicialem. Contendit præterea aliquam ex deprecationibus Euchologio inſertis æquipollere formulæ Latinorum, cum in iis prius ſacerdotes mentionem faciant traditæ ſibi poteſtatis per ea verba, *Quæcunque ligaveritis, &c.* ac ſubinde orationem inſtituant particulis illativis ad hunc modum δεόμεθα δὲ οὖν, καὶ νῦν, *Obſecramus itaque, & nunc*, quod variis ratiocinationibus proſequitur ad paginam uſque 366. Advertit inſuper eadem verba, quæ deprecationem ſonant, ſi dirigantur ad Deum, dirigi in quibuſdam MSS. ad ipſum pœnitentem hoc modo, συγχωρήσαι σοι, *Remittat tibi*; nunc vero & ipſe docet pag. 368. admittere ſenſum imperativum. Profert ulterius pag. 374. ex Gabriele Philadelphienſi formulam hanc abſolutionis, ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος διὰ τῆς ἐμῆς ταπεινότητος ἔχει σε συγκεχωρημένον, *Gratia SS. Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum, & abſolutum*. Addit accepiſſe, cum in Ruſſia degeret, ibidem cum ſimili forma abſolutiones impendi, *Divina gratia SS. Spiritus per me peccatorem & minimum ſervum ſuum habet condonata quæcunque peccaſti, &c.* Teſtatur ſe legiſſe in Rituali Metropolitæ Chiovienſis formulam *deprecatoriam* quidem, ſed ideo validam, quod hæc in ejus fine adderentur, *Ego quoque pater tuus ſpiritualis poteſtate mihi a Deo, & a ſuperioribus meis conceſſa, te abſolvo ab omnibus peccatis tuis*. Concludit a nonnullis quidem Græcorum adhiberi tantum ſupplicationes, ſed hos degeneres eſſe ab inſtitutis Majorum, nequaquam abſolvere, & omnino curandum eſſe, ut precibus addant verba, quæ omnino exprimant ſententiam judicialem, ut exprimitur in forma qua utuntur Latini. Hæc Arcudius. Attente ne legerunt illum Theologi juniores? Addam Arcudio Ritus Eccleſiæ Græcæ, Latine redditos a Georgio Fhelavio, ubi cap. 22. pag. edit. Franc. 37. hæc abſolutionis habetur formula: *Ex ea poteſtate, quam Chriſtus Apoſtolis ſuis conceſſit, dicens, Quæcunque ſolveritis in terra, & in cælis ſoluta erunt, & quam ab Apoſtolis Epiſcopi acceperunt, quamque ego ab Epiſcopo meo mihi traditam nactus ſum auctoritatem, abſolveris, & criminum purus pronunciaris a Patre, Filio, & Spiritu ſancto*.

Depromunt argumentum poſtremum ex Inſtruct. Clem. VIII. anno 1595. ſuper Græcorum Ritibus, ubi hæc habentur: *Utantur forma abſolutionis in Generali Concilio Florentino præſcripta, & poſtea ſi voluerint dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt*. Ex quibus verbis colligitur ante hanc Inſtructionem nunquam apud Græcos obtinuiſſe formulam indicativam. At reſpondent Cardinalis de Lugo diſput. XIII. ſeſſ. 4. & Franciſcus Henno Q. 7.

diſput. 2. ideo Græcis, pro quibus edita eſt Inſtructio illa, fuiſſe præſcriptam formam Florentini Concilii, quoniam deprecativa, quam adhibebant, minime valida cenſebatur. Nam ſi valida erat, cur Romanus Pontifex Latinam indixit, & cum Latina permiſit etiam antea uſitatam? Non eſt autem conſequens, Hi Græci, quos Clemens inſtruit, ſola deprecatione utebantur; idem ergo faciebant Græci omnes: ſicuti non conſequitur, Græcorum aliquis arbitrabatur Euchariſtiam precibus conſecrari; igitur hæc eſt, fuitque ſemper ſententia Græcorum omnium. In quibuſdam enim Græcanicis formulis cum precationibus haberi prolationem ſententiæ judicialis expreſſam modo indicativo, aut imperativo, ex dictis apertum eſt. His ergo quibus argumenta *pro formæ deprecativæ* exagitavi, dijudicare quiſque poterit, num apud Latinos, Græcoſque univerſos ſola obtinuerit, idque omnino perſpicuum ſit, uti affirmant recentiorum pleri que.

Ceterum ſive obtinuerit, ſive non obtinuerit, forma abſolutionis *deprecativa*; magis congruam, & idoneam eſſe illam, quæ in Latina Eccleſia uſurpatur, demonſtratur primo ex quo hanc unam recenſuerint, probaverint, ac præſcripſerint Generalia Concilia, eamque addendam deprecativæ orationi mandaverint Græco-Latinis Pontifices Maximi. Demonſtratur ſecundo ex quo ſacramentalis abſolutio, definiente ſacroſancta Synodo Tridentina, ſit *actus judicialis*; deprecari autem & orare non ſit exercere judicis auctoritatem, ſed potius impetrantis & ſupplicantis officium. Tertio corroboratur ea eo quod ille, qui orat, ut aliquis ſolvatur, hunc revera non ſolvat: quod non ſolum docet præcitatus S. Thomas, verum etiam confirmat communis Eccleſiæ praxis, qua ſacerdos præmittens abſolutioni ea verba, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat*, minime abſolvit; alioqui fruſtra formam adderet indicativam, *Ego te abſolvo*; nec recte Concilium Tridentinum ſtatuiſſet priora verba nequaquam *ad formæ eſſentiam* ſpectare. Quarta ſententia eſt plurimorum Theologorum formam deprecativam eſſe invalidam; de validitate autem formæ indicativæ nullus dubitat: æquum eſt autem, maxime cum agitur de ſacramentis, ut certa præponantur incertis. Quinto forma indicativa videtur etiam magis apta ad refutandos hæreticos, nec non ad oppugnandam opinionem ſolorum Scholaſticorum, qui cenſebant peccata abſolutione non relaxari, ſiquidem Theologi præſtantiſſimi demonſtrant *ſolvere* non eſſe idem, *ac ſolutum oſtendere*, ex quo ſacerdos abſolvens dicat, *Ego te abſolvo*. Vide Eſtium, in iv. diſt. 18. § 3. Denique in ceteris ſacramentis (ſi excipias Unctionem extremam) uſurpatur forma indicativa; hæc autem præ ceteris congruit ſacramento, quod adminiſtratur adinſtar actus judicialis; cum judicis, ut ſupra diximus, ſit pronunciare ſententiam. In extrema autem Unctione idcirco deprecativa forma uſurpatur, quoniam hæc colligi poteſt ex illis verbis Jacobi cap. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum*; ac præterea in ſacramento Unctionis extremæ expectatur ſalus ac valetudo corporis, ideoque etiam ſanitas ſpiritualis, quæ per illam ſignificatur, a Deo petitur deprecatione. Ex abſolutione autem nil expectatur futurum, tanquam effectus Sacramenti, quod ad corpus pertineat; & inſuper in ſcripturis legitur, *Quæcunque ſolveris*, non autem *Quæcunque petieris, ut ſolvantur*; nec dictum eſt diſcipulis, *Orate ut ſolvatur iſte*, ſed *Solvite eum*; & conſequenter abſolutio nequaquam in oratione ac prece conſiſtit.

Notandum hic eſt ita permoveri hiſce argumentis quamplurimos, ut omnino doceant abſolutionem nullam eſſe, quæ indicativo, vel imperativo modo non pronuntietur. At qui cenſent adhibitam olim fuiſſe formam *deprecativam*, reſpondent potuiſſe hanc quoque ex Chriſti inſtitutione efficacitatem habere; adeo, ut ad illius prolationem, non per modum impetrationis communem ceteris precibus, ſed ex *opere operato* peccata remitterentur; atque ita formam deprecativam fuiſſe actum judicialem. Potuiſſe Dominum hujuſmodi abſolutionem inſtituere, non inficias ibo; inſtituiſſe, ex pervetuſtis monumentis non colligo. Itaque hoc unum affirmo, Romanam Eccleſiam præſcribere formam abſolutionis indicativam, & hanc proinde eſſe optimam, atque inviolate ſervandam: num ab Apoſtolicis ad hæc noſtra tempora talem mutationem ſubierit, ut ex deprecatoria evaſerit qualis eſt hodie, non arbitror adeo eſſe exploratum, quemadmodum plurimi exiſtimarunt: ſed hac de re penes doctiores judicium eſto.

PROP. II. Sacerdos abſolutionis formam pronuntians non declarat peccata a Deo jam eſſe dimiſſa, ſed ipſe auctoritate a Chriſto accepta eadem peccata relaxat.

Id contra hæreticos ſtatuit Tridentinum Concilium ſeſſ. xiv. can. 9. *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, ... anathema ſit*. Ac probatur primo ex Evangelica auctoritate, & omnium Patrum conſenſu: Chriſtus enim dicens Apoſtolis, *Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* inſigni facto, verbiſque perſpicuis contulit illis poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ſicuti etiam univerſi Patres tradiderunt. Ita docet ipſum Generale Concilium ſeſſ. xiv. cap. 1. idemque hoc ipſo volumine prolixa diſſertatione fuit demonſtratum. Atqui exercere poteſtatem & peccata dimittere, niſi velimus verbis apertiſſimis vim inferre, & fucum inducere, eſt aliquid præter veniæ, ac remiſſionis enunciationem. Igitur ex Evangelii, & Patrum auctoritate, peccata abſolutione ſolvuntur, non autem annunciatur duntaxat, aut declaratur eadem eſſe ſoluta. Deinde quantum ſpectat ad Evangelica verba, antequam Dominus ea proferret, Joannis xx. 21. inquit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, commonſtrans a ſe diſcipulos mitti cum ea poteſtate, quam ipſe accepit a Patre. Ipſe autem Chriſtus vere peccata dimiſit, dum paralytico, & peccatrici mulieri dixit, *Remittuntur tibi peccata*, quemadmodum, inquit Eſtius diſt. 18. §. 3. contextus Evangelicus, ac murmur ſcribarum & phariſæorum ſatis luculente probant. Igitur & Apoſtoli, necnon legitimi eorum ſucceſſores, peccata vere proprieque remittunt. Rurſus in Evangelio adumbratam fuiſſe abſolutionem in reſurrectione Lazari, quando ait Jeſus diſcipulis, *Solvite eum, & ſinite abire*, teſtantur Patres, Auguſtinus maxime tract. 49. in Joannem, ſerm. 2. in pſalmum 101. atque aliis in locis. At Apoſtoli non pronuntiarunt Lazarum ſolutum eſſe, ſed vere ſolverunt illum. Quantum etiam ad Patres pertinet, Chryſoſtomus in hoc præfert Leviticis ſacerdotes novæ legis, quod illi explorabant duntaxat lepram corporis, hi vero non dijudicant ſolum, ſed & purgant, dimittunt, diluunt, atque, ut illius utar verbo, ἀπελαύνουσι, *procul arcent, & abire faciunt* immunditiam animæ; quod ineptiſſime diceretur, niſi a ſacerdotibus noſtris peccata vere dimitterentur. Item Auguſtinus, Magnus Leo, ceterique omnes docent *claves datas Eccleſiæ*, & eos, qui putant ſola interiori reſipiſcentia deleri culpam, *fruſtrare Evangelium, fruſtrare verba Chriſti*; comprobari in cælis, *quod a ſacerdotibus judicatur in terra*; ratum haberi a Domino quicquid *Petri decernit arbitrium*; atque, ut ait in ſermone de natali Apoſt. S. Bernardus, illius ſententiam præcedere *ſententiam cæli*. Hæc autem omnia dicerentur falſo & luſorie, ſi ſacerdos quid jam in cælis peractum eſſet, ad conſcientiam ſedandam tantummodo pronuntiaret. Atque his, quæ manifeſta erunt pervolutanti caput ſecundæ partis hujus libri primum, accedit multiplex ratio. Depromitur prior ex hujus ſacramenti forma, de qua paullo ſupra. Sacerdos enim abſolvens non ait, *Ego declaro te abſolutum*, ſed, *Abſolvo te*. Sequitur altera, quæ petitur ex natura ſacramentorum novæ legis, quæ efficacitate ſua gratiam conferunt, ut demonſtravimus libro xxx. cap. 19. Proxima eſt, quæ deducitur ex poteſtate *clavium* ſolis ſacerdotibus data, ut conſtat ex præcedenti capite quarto: nil enim prohibet quin declaratio & annunciatio fieri poſſit per virum aliquem laicum, nulla præditum juriſdictione. Hæretici denique, dum ajunt abſolutionem eſſe nudum miniſterium pronunciandi peccata eſſe remiſſa, non innituntur tantum principiis ſigillatim alibi refutatis, videlicet, quod ſola fides juſtificet; quod ſacramenta ſint gratiæ oppignoratio, non cauſa effectrix; quod ſacramenti miniſtrator fungatur munere concionatoris, & conſimilibus errorum portentis; verum etiam *poteſtatem clavium* ita deprimunt, ut affirment nihil illam valere apud Deum. Immo cum ſolemne eis ſit clamoſe perſpicuitatem ſcripturarum extollere; nunc *clavis* vocabulum, inſtitutum ad id ſignificandum, quo oſtia clauduntur & aperiuntur, & per analogiam tranſlatum ad poteſtatem, quæ aperit clauditque cælum, impie detorquent adverſus ſignificationem obviam atque planiſſimam; juxta quam Chriſtus ait Petro Matth. xvi. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum*: neque hoc ait tantum; ſed ulterius ſenſum expreſſit ſubjiciens, *Quodcunque ligaveris ſuper terram, &c.* utrumque ſimul conjungens, claves, & auctoritatem ſolvendi & ligandi, prout lib. 3. Hiſtoriæ Evangelicæ ajebat Juvencus Presbyter:

Cæleſtiſque tibi claves promittere Regni
Eſt animus; terriſque tuo quæ nexa relinques
Arbitrio, cælo pariter nodata manebunt:
Solverit & rurſus tua quæ ſententia terris,
Haud aliter venient cæli ſub ſede ſoluta.

Argumenta quæ faciunt adverſus hanc poſitionem ſunt, ſolum Deum remittere peccata: animam contritione & caritate vivificari: Chriſtum prius mundaſſe leproſos, quam illos mitteret ad ſacerdotes, ac prius ſuſcitaſſe Lazarum quam juberet ut a ſacerdotibus ſolveretur. Quæ omnia in præcedentibus diſputationibus ſunt producta: atque reſponſum eſt, Deum peccata dimittere jure poteſtatis, ſacerdotes autem miniſterio & munere Spiritus ſancti, vivificationem ac ſuſcitationem animarum aliquando fieri per Spiritum ſanctum moventem, & aliquando per ſpiritum ſanctum cohabitantem; ſacerdotes novæ legis non tantum lepram dignoſcere, ſed ulterius illam ex anima expellere, multoque præſtantiora eſſe ſacramenta Chriſtiana typis ſignifque Moſaicis. Neceſſum ergo non eſt, ut his diluendis iterum incumbamus.

Duo tamen addi poſſunt. Primum ſacerdos, dum ligat & peccata retinat, ſolummodo declarantis officium agit; non enim ipſa peccatorem damnat, aut conſtringit peccati vinculo. Pari ergo ratione dum a peccatis abſolvit, annuntiat impium apud Deum juſtum haberi; ſed non dimittit

pecca-

peccata, neque horum nexus diſſolvit. Alterum argumentum eſt, quod ſi peccator a ſacerdote ſolvendus ſit, nunquam ſcire poterit ſe revera eſſe abſolutum; unde anxietate maxima exagitabitur.

Reſp. ad I. dici ſacerdotem *ligare* impios, dum retinet illos divino obſtrictos judicio abſolutionem negando; & dum iis, quos abſolvit, ſatisfactiones imponit: qua in re exercere *poteſtatem clavium* declarat ſeſſ. XIV. cap. 8. ſynodus Tridentina. Falſum eſt ergo poteſtatem ligandi eſſe nudum declarantis officium: ideoque negandum eſt antecedens. Recte inſuper animadvertit in Philippica nona Virveſius, Chriſtum nequaquam dixiſſe diſcipulis, *Quos abſolveritis, erunt abſoluti; & quos damnaveritis, erunt damnati:* ſed dixiſſe, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Retentio autem, inquit ille, non eſt damnatio, ſed eſt judicium, quo peccator pronuntiatur indignus abſolutione. Itaque per abſolutionem vere peccata remittuntur; & per denegationem abſolutionis vere permanet nexus & demeritum peccatorum: quod recte Nonnus expreſſit in ſua Paraphraſi, *Quorum autem mortalium retinueritis ſceleris noxam, opera prioris inquinamenti, ſeu vitæ errabundæ, manent ligata vincula*,

Ὧν δ' ἄλλων κρατέοιτε βροτῶν ἀλιτήριον ἄτην,
Ἔργα βίου σφαλεροῖο μένει πεπεδημένα δεσμῷ.

Quod ſequitur, ineptiſſimum eſt, cum nemo noſtrum approbet jactatam ab heterodoxis fiduciam, illamque certiſſimam firmiſſimamque juſtitiæ perſuaſionem, quæ appellanda potius foret temeritas & audacia; quamvis commendemus eam ſpem, quæ innititur Reparatoris noſtri ſummis meritis, eamdemque ſpem ſummopere neceſſariam exiſtimemus. Hæc autem ſpes non flaceſcit, ſed magis magiſque roboratur, dum confugimus ad ſacramenta, quibus fructus paſſionis Dominicæ a nobis percipitur, & dum ab iis, quibus commiſſa eſt ſolvendi poteſtas, ſoluti in pace dimittimur. Vellem hæretici præberent nunc aures Auguſtino his verbis ſermonem 351. de Pœnitentia, ſive 50. homiliarum poſtremam abſolventi: *Quis certus eſt quod etiam imperator ignoſcat? Et tamen pecunia funditur, maria tranſmeantur, procellarum incerta ſubeuntur, & pene ut mors evitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per homines homini: ſine dubitatione fiunt iſta, cum ſit dubium quo fine proveniant. Et tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ, quam corda regum: quibus clavibus quodcunque in terra ſolvitur, etiam in cælo ſolutum promittitur. Et multo eſt honeſtior humilitas, qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ Dei: & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur*.

PROPOSITIO III. Videntur ea tantum verba, *Abſolvo te*, ad formæ eſſentiam pertinere.

Quod enim attinet ad pronomen *Ego*, iſtud in verbo *Abſolvo* comprehenditur; ut de forma baptiſmi dictum eſt lib. XXXI. cap. 9. Deſideratur quoque idem pronomen in forma Confirmationis, de qua lib. XXXII. cap. 6. E contra pronomen *Te*, aut ipſi æquivalens neceſſario pronuntiandum exiſtimo, quoniam pronomine illo ſublato, oratio non eſt, ut inquiunt, demonſtrativa: omneſque fere Theologi in hoc conveniunt, prout conſtat legentibus Navarrum cap. 26. n. 11. Petrum Soto lect. 4. de Pœnit. Suarez diſput. XIX. ſect. 1. de Lugo diſput. XIII. n. 26. Sylvium in q. LXXXIV. art. 3. Bonacinam diſput. V. q. 4. Nec enim ſufficit, ſi hujus formæ ſenſus ambiguus determinetur vel a circumſtantiis, vel a proferentis intentione; cum talis forma ſit pronuntiatio ſententiæ, debeatque exprimere actum judicialem, qui ut de verborum ſignificatione obſervat ex antiquis Gloſſariis Briſſonius, nihil eſt aliud, quam *perfecta & minime dubia ſecretio*, αὐτοτελὴς καὶ ἀναμφίβολος ἀπόκρισις. Putat nihilominus de Lugo proximo n. 26. ſufficere ſi dicat ſacerdos, *Abſolvo a peccatis tuis*, cum hæc verba videantur æquivalere iſtis, *Remitto peccata tua*. At hanc ſententiam non probo, cum eadem peccata poſſint eſſe alterius complicis, nec tali forma ſignificetur cui dimittantur. Quæ ſequuntur pronomen *Te*, nimirum, *A peccatis tuis*, juxta communiorem ſententiam non ſunt *eſſentialia*; quoniam præmiſſa confeſſione ſatis intelligitur pœnitentem abſolvi ab iis criminibus, quorum cauſa peragitur; quemadmodum ſi judex pronunciet aliquem a culpa, vel pœna immunem eſſe, ſtatim percipitur non eſſe reum facinoris, de quo accuſabatur, neque ſupplicio ſtatuto a legibus afficiendum. Vaſqueſius quidem & Henriquez putant ea verba, *A peccatis tuis*, ſi apponantur, pertinere ad formæ ſubſtantiam, propterea quod explicite & expreſſe ſignificent id, quod continetur in verbo *Abſolvo*: at videtur nobis ex hac ratione concludi oppoſitum; ſi enim eadem verba explicant, atque exprimunt vim præcedentis *Abſolvo*, iſtud priuſquam illa enuntiarentur vim & ſignificationem propriam habebat. Vaſqueſium propterea confutarunt Ledeſma de Sacr. Pœnit. cap. 3. & laudatis in locis Sylvius, de Lugo, Suarez. Durandus denique ideo putabat pertinere ad ſubſtantiam formæ poſtrema verba, *In nomine Patris, &c.* eo quod ſanctiſſimæ Trinitatis invocatio ſit eſſentialis formæ baptiſmatis. Sed non eſt par ratio Baptiſmatis ac Pœnitentiæ; cum baptiſma ſit quædam fidei profeſſio, & ſacramentum, quo inſerimur Eccleſiæ Chriſti; Pœnitentia autem ſit peccatorum judicialis remiſſio, & ſacramentum, quo fideles poſt baptiſmum lapſi reconciliantur & abſolvuntur. Univerſa demum traditio, quæ in his quæſtionibus cuilibet conjecturæ præferenda eſt, quod conſtantiſſime docet de forma baptiſmi, id minime tradit de formula abſolutionis.

ADNOTATIO, AC PRÆCEPTIO.

Sæpe monui, iterumque moneo, in ſacramentorum adminiſtratione ritus ab Eccleſia Catholica præſcriptos non poſſe ſine peccato omitti, contemni, vel commutari, prout ſeſſ. VII. canone 24. definivit ſynodus Tridentina. Etſi ergo preces, quæ formæ abſolutionis præmittuntur, ſcilicet, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, &c.* ad ritum ſpectent, non ad formæ ſubſtantiam; nequeunt tamen prætermitti, niſi urgeat gravis neceſſitas ac mortis periculum; in quo ſat eſt formam tantummodo pronuntiare. Præcedentia tamen verba, *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, & quæ formam ſubſequuntur, videlicet, *Paſſio Domini, &c.* ex Rituali Romano omitti quoque poſſunt in confeſſionibus frequentioribus & brevioribus, propterea quod Dei invocatio, & applicatio paſſionis Chriſti etiam in verbis ceteris comprehendatur. II. Potiori jure cavendum eſt, ne pro libito immutentur verba, quæ ipſam formam conſtituunt. Irrepſit utique in quædam Ritualia commemorata a Natali Alex. lib. 2. Th. dogm. & moralis cap. VII. Reg. 2. formula illa, *Abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, contritis, confeſſis, & oblitis:* ſed cum ex dictis cap. 3. in confeſſione peccatorum, quæ poſt accuratam conſcientiæ diſcuſſionem occurrunt memoriæ, etiam reliqua intelligantur incluſa; ea autem, quorum pœnitens voluntaria negligentia obliviſcitur, aut odium ac deteſtationem non habet, dimitti non poſſint; evidentiſſime apparet, tria illa vocabula, *omnibus contritis, confeſſis, & oblitis*, eſſe ſuperflua, ac jure, meritoque in caſtigatis Ritualibus eſſe diſpuncta. Nec deſunt qui cum Card. Toleto lib. 3. Inſtruct. cap. IX. dixerint illos eſſe ridendos, quibus prædicta forma probatur. III. Nonnunquam adhibetur *forma conditionalis*, de qua plura libro XXX. cap. 52. Fatentur autem omnes, quod ſi apponatur conditio *de præſenti, aut de præterito*, E. G. *Si capax es, Si nondum es abſolutus*, non evertatur Sacramenti valor; propterea quod conditione poſita, vel ſubſiſtente, conditionalis formula æquivalet abſolutæ. Secus dicendum de conditione futura: ſit in exemplo, *Si reſtitues ablatum*, aut dum caſus reſervatus eſt, *Si conſenſerit Epiſcopus*, quam conditionem vocabulo ex leguleiis accepto *cathabitiam* appellant. Lovanienſes quidam noſtrates docent conditionem de futuro enervare vim abſolutionis, ſi miniſter intendat ſacramentum tunc duntaxat confectum iri, quando appoſita conditio implebitur; validam tamen abſolutionem eſſe, ſi miniſter intendat in præſentia *ſacramentum perficere, & gratiam conferre ſuppoſita futuritione conditionis, ideſt, ſi vera ſit hac propoſitio, Reſtitutio fiet*: ita loquitur Vanroy cap. III. q. 4. & Aurelius Piette q. 11. Ex his autem, quæ diximus lib. XXX. cap. 16. de intentione miniſtri, apertiſſima illatione conſequitur, non eſſe in poteſtate ipſius ſuſpendere, nullumque reddere ſacramentum, vel ejus effectum, ſi materiam, formam, atque intentionem adhibeat. Igitur ſi hic, & nunc intendat ille ſacramentum conficere & abſolutionem impendere, ac ſit in pœnitente propoſitum, & voluntas efficax reſtitutionis; etſi poſtmodum ab hac voluntate reſiliret, nec adimpleret conditionem, in præſentia tamen vere ſacerdos adminiſtraret ſacramentum, & vere pœnitentem ipſum abſolveret. At ſi non eſſet in confitente propoſitum illud, & implendæ conditionis voluntas; jam non defectu intentionis, ſed defectu materiæ ſacramentum nullum eſſet, & fruſtratoria redderetur abſolutio. Intentionem vero conferendi gratiam non requiri ad ſacramenti valorem, certiſſimum eſt ex eodem cap. ſextodecimo. Sacerdos igitur vere abſolvit, ſive intendat gratiam futuro tempore conferendam, ſive hanc etiam nullo pacto excogitet, immo impie opinetur eandem gratiam ſacramenti efficacitate non poſſe conferri; dummodo tamen abſolutionem illam ſtatuat impendere, quæ *Sacramentalis* habetur a Chriſti Eccleſia. Id autem, quod eſt ejuſdem capitis XVI. manifeſtiſſimum conſectarium, omnium conſenſione probatur; ut inquiunt Cajetanus v. *Abſolutio*, Toletus lib. III. Inſtruct. cap. IX. Sylvius q. LXXXIV. art. 4. Alexander Natalis citato cap. 7. Regula tertia, & Antonius noſter Guerrero n. 439. Atque is etiam Leonardum Vanroy revocare ſtudet ad communem noſtramque ſententiam. IV. Hinc ſequitur, quod ſacerdos, dum a pœnitente conditio aliqua eſt adimplenda, (E. G. Si Epiſcopus facultatem largiatur abſolvendi ab excommunicatione, eo pacto, ut poſtea pœnitens ipſum Epiſcopum adeat) non debet conditionem hanc *in forma abſolutionis* exprimere, ſed illam tantum injungere ac præcipere; & modo pœnitens promittat ſe obtemperaturum, ſine conditione illum abſolvere; ut ſcite ibidem docet Franciſcus Cardinalis Toletus. V. Memoria tandem repetenda ſunt quæ de Sacramentorum forma univerſim libro XXX. diſſeruimus; ex quibus quiſque intelliget, abſolutionem non eſſe dandam puerulis illis, qui ut paullatim Chriſtianorum moribus aſſueſcant, a piis parentibus ante rationis uſum mittuntur ad confeſſarios, juxta monitum S. Caroli p. XXII. cap. 9. neque

ſis, in quibus non apparent contritionis ſigna enumerata præcedenti cap. v. num. 3. atque intelliget etiam, abſolutionem nunquam in eadem confeſſione eſſe repetendam, iiſdemque ſceleribus iterum applicandam, cum in ſacramentis nihil debeat eſſe caſſum, nil ludicrum, nil denique, quantum in nobis eſt, ſalutari effectu exſpoliatum. Sed vide prælaudati libri xxx. cap. 12. num. 5.

CAPUT VIII.

De iis, quibus danda, vel deneganda eſt Abſolutio,

ABſolutionem itaque iis denegandam eſſe, qui aut laborant *vincibili* ignorantia myſteriorum Chriſtianæ fidei, aut pravi, & adbuc malo inhærentis animi præbent indicia, aut juſtæ pœnitentiæ incommoda, debitæque reſtitutionis onera ſubire nolunt, ex quinto præcedenti capite clare & evidenter apparet. Verum ſi ad peculiares quæſtiones a principiis illis generalibus deſcendamus; haud inutiliter quæritur, an abſolvi debeant noxiis conſuetudinibus implicati, & qui in proxima occaſione verſantur, quidve cum eiſdem prudenti confeſſario agendum ſit, an ſingulis proximo morituris, quantumvis perditiſſimis ac ſceleſtiſſimis, danda, vel ſubtrahenda ſit abſolutio; ſive peccata confiteantur, ſive arceſsito ſacerdote nullum pœnitentiæ ſignum exhibeant, ſive etiam nec ſacerdotem quæſierint, nec pœnitentiæ præbuerint aliquod argumentum: quæ omnia diſtinctis ſectionibus curabimus methodice, ac definite explicare,

I.

Inolita peccandi conſuetudine implicati, extra imminentis mortis pericula, abſolutionis privandi ſunt beneficio. Id aperte docet in aurea de hoc ſacramento tractatione Carolus Borromæus, qui in §. *Quando abſolutio ſit differenda*, commemoratis adoleſcentibus, qui vitam agunt in otio, qui luxui dediti ſequuntur crapulam & inhoneſtos amores, libidinibus paſcuntur, proferunt obſcena verba, quotidie in detractionibus, odiiſque verſantur, atque confeſſionem differunt in ultimos Quadrageſimæ dies, *Idem faciendum eſt*, inquit, *cum iis, qui cum multos annos in peccatis ſuis perdurant, nulla interim adhibita opera in emendationem vitæ, in eadem peccata iterum, atque iterum labuntur*. Saleſius item in Inſtruct. pro Confeſſariis cap. 6. enumerans indignos abſolutione ait: *Concubinarii, adulteri, ebrioſi abſolvi non debent, niſi ſummum concipiant & faciant propoſitum non ſolum peccata ſua relinquendi, verum etiam occaſiones eorumdem: concubinarii quidem ac adulteri ſuas focarias & pellices, quas a ſe removere & ablegare debent; ebrioſi vero caupones, blaſphemi luſum: quod intellige de iis, qui quamdam horum peccatorum admittendorum conſuetudinem ac uſum jam aſſumpſere; itaque ſæpius in illa recidunt*. Expreſſius quoque Ven. Innocentius XI. in cenſura propoſitionis ſexageſimæ inter damnatas anno 1679. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, & Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem*. Profecto iſtiuſmodi definitiones non ſolum ſanctorum Patrum, verum etiam profanorum Scriptorum, necnon inditæ cuique rationis innixæ ſunt monimentis. Nam S. Ambroſius in Pſalmum 118. ſerm. 4. num. 23. de vulnere veteri, diuque ſerpente ait, illud *aut ſectione, aut aduſtione curari*, quod proximo numero ſacerdotibus inculcans, *Conſideremus*, inquit, *ne & ipſum deteriorem faciamus, cujus miſeremur injuſte*. Auguſtinus, qui in vi. Confeſ. 12. & vii. 15. voluntatem diu pravis delectationibus irretitam, recte ſapienterque *catenam* dixit, in vi. de Civit. Dei cap. 12 aſſirmavit *veternoſæ conſuetudinis vim nimis in alto radices habere*; atque tract. 49. in Joann. deprehendens in quatriduano impium tali catena devinctum, in hæc prorupit verba. *Quam difficile ſurgit, quem moles malæ conſuetudinis premit!* Fulgentius item lib. 1. de Remiſſ. peccat. cap. 12. ait, *Nunquam diluunt gemendo peccatum, qui non deſinunt peccare poſt gemitum*: ac ſimili voce tonant Gregorius Magnus, Iſidorus Hiſpalenſis, & alii. Cum talem ergo pœnitentiam difficilem, incertam atque infructuoſam Patres ore uno deprædicent; dicendum eſt parum eſſe in horum lectione verſatos, qui illam optimo propoſito munitam, & abſolutione ſacramentali dignam exiſtimant. Hos vero ethnicis etiam ſcriptoribus exiſtimo deteriores; cum maximam vim conſuetudinis agnoverint, non philoſophi tantum, quorum una fuit ſententia cum Ariſtot. in 5. Eth. conſuetudinem vim habere naturæ; ſed Poetæ etiam; ut Horatius epiſtola 2. libri primi, Juvenalis ſat. vii. Martialis Epigrammate 77. libri quinti, & Ovidii, qui in 2. Artis amatoriæ conſuetudinem comparans flumini eo turbulentiori, ac profundiori, quo longius progreditur, inquit,

Fac tibi conſueſcat: nihil aſſuetudine majus.

Et ne colligendis quiſquiliis dem operam, nulla ſpes emendationis ex peccatorum frequentatione poteſt concipi; ideoque dolor eorum, qui ſæpe in eadem ſcelera prolabuntur, inefficax, & fictitius cenſeri debet, atque ex ore, non ex intimo corde promanans. Atque hæc eſt ratio communi hominum perſuaſioni, documentis Patrum, & Eccleſiæ definitionibus concordiſſima. Unum addo: ſupino errore eos detineri, qui ſcriptitant in pravorum habituum conſuetudine poſſe aliquem a gravitate ſceleris excuſari, dum is, qui ex conſuetudine male agit, non advertit ejuſdem ſceleris turpitudinem. Perniciosiſſima quidem eſt hæc opinio: & quamfacillime refutatur ex dictis lib. xxi. cap. 1. 9. & 11. ubi oſtendimus non requiri ad peccandum actualem advertentiam, animique extimulationem, dummodo quod committitur, adverti poſſit, ac debeat. Immo cum ea, quæ ex conſuetudine fiunt, majori fiant propenſione, & quaſi in *naturam* commutata cupidine; non habent excuſationem ex inadvertentia, quæ cum ſit voluntaria, nequit eſſe immunis a culpa; aliunde habent majorem ex prava concupiſcentia malitiam. Ita enim vitia trahunt ad ſempiternum exitium: principio non ſine animi horrore intuentibus objiciuntur: voluptate deinde animum ipſum alliciunt; ea tandem cæco quodam impetu inhiantem cupiditatibus vulnerant, & occidunt: quod belle Urbanus VIII. dum junior cum muſis verſaretur, ita carmine expreſſit:

Senſibus irrepit paulatim quod placet, & ſe
Inſinuat: mox aſſidua ſubit altius uſu;
Inſertumque animo, tanquam foret ingenitum, hæret,
Et late ſerpens carioſum erumpit in ulcus.

Finem his imponam Apoſtolica illa ſententia ad Rom. 11. 5. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ*: qua ſententia utitur quoque magnum Græciæ decus Chryſoſtomus redarguens hom. 12. ad populum Antiochenum eos, qui idoneam dejerandi excuſationem putabant, *ſi prætenderent conſuetudinem*.

II.

Idem judicium eſto de his, qui nolunt proximas peccandi *occaſiones* deſerere. Audivimus paullo ſupra Saleſium eoſdem ſimul cum recidivis perſtringentem. Etiam ſanctus Carolus de ipſis hæc ſubjicit: *Deinde nec eos abſolvat, qui cum peccatis mortalibus ſimul etiam eorum occaſiones vitare non proponunt*. Innocentius pariter XI. proſcripſit propoſitionem illam ſexageſimam primam, *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimo directe & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*; damnatis etiam duabus aliis, quibus aſſeritur proximam peccandi *occaſionem* non eſſe fugiendam, immo licitum eſſe illam quærere, ſi adſit cauſa aliqua utilis, vel honeſta. Atque id etiam majores noſtri prædamnarunt, animadvertentes Chriſtum juſſiſſe in Lazari reſurrectione, ut lapis ſepulcri amoveretur; in quo Ambroſius agnovit peccatorum incitamenta, quæ lib. 2. de Pœnit. cap. vii. num. 56. appellavit *onera, & moles quaſdam reorum*. Ratio itidem eſt apertiſſima, quoniam ii, qui vitare nolunt irritamenta vitiorum, non habent propoſitum emendationis, ut homilia 15. ad populum Antiochenum demonſtrat eloquentiſſima oratione Chryſoſtomus. At plura de his auctores omnes de Morali Theologia pertractantes, ac præſertim Merbeſius diſſert. iv. q. 48. Vanroy de Pœnit. cap. 5. Natalis Alexander cap. vii. Reg. 10. & 12. Thomas Milante, & Bartholomæus Riccius in propoſit. 60. & 61. damnatas ab Innoc. XI. Joannes Pontas in diction. v. *Abſolutio*, caſu 13. & Daniel Concina in Animadverſionibus Pontaſianis num. 3. necnon in epiſtola 2. ſine auctoris nomine conſcripta adverſus *Diſſertat. in caſus reſervatos Venetæ diœceſis*; quos hac in re nec moroſos, nec palpones inveni.

III.

Dum vero hujus farinæ homines accedunt ad confeſſarium, huic magnopere cavendum eſt, ne nimia illos facilitate ſolutos dimittat, ſeu contra acerbitate atque auſteritate perterrefaciat; itemque ne judicium de ipſis ferat non ſpectata relapſus, & irritamentorum diverſitate. De ſacerdotibus enim qui omnes indiſcriminatim abſolvunt, ajebat S. Thomas de Villan. Conc. f. 6. poſt Domin. iv. Quadrageſ. *Quid Eccleſiam Domini hodie perdit, niſi confeſſariorum & paſtorum blandiens adulatio, deliniens demulcenſque aſſentatio?* aliaque plura, quæ vellem confeſſarii univerſi perlegerent. Adeant & Bellarmini octavam in Adventu concionem; ac ne credant contineri his in locis exclamationem quamdam rhetoricam, audiant beatiſſimum Ambroſium hæc ſcribentem eo in loco, ubi non abſolventes, ſed Novatianos veniam denegantes redarguit, ideſt, lib. 1. de Pœnit. cap. xvi. num. 90. *Volo reus veniam ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret; & cum ſecundo, & tertio fuerit dilata ejus communio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, fletus augeat, miſerabilior poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipſo dicat Dominus Jeſus, Remiſſa ſunt peccata ejus multa, quia dilexit multum*. Et hæc quidem Ambroſius profert de peccatis *occultis*, prout conſtat ipſum legenti, & prout adnotarunt tom. 11. pag. 413. adverſus Dallæum Maurini Editores. In agenres

publicam

Digitized by Google

publicam pœnitentiam poſt lapſum ſeveriorem fuiſſe diſciplinam dicam infra: modo hæc tantum adverſus peccatorum aſſentatores.

Minime tamen commendandi ſunt difficiles & aſperrimi. Enimvero præclarus S. Thomas in eadem concione ita iſtos alloquitur: *Indulgentiores erimus in beſtias, quam in fratres? Scriptum eſt in lege, Deut. 25. Si videris aſinum fratris tui, aut bovem cecidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſublevabis cum eo. Aſinum ergo fratris, & bovem ſub onere cadentem ſublevabimus, & ipſum fratrem mole peccatorum preſſum impii negligemus? Vera caritas onuſtis peccatoribus non indignatur, ſed miſeretur potius, non irritatur adverſus eos, non detrectat, non exardeſcit, non lingua verbera lapſis ſub onere addit; ſed infirmitati & miſeriæ condolens, prout poteſt, fratris neceſſitati ſuccurrit.* Ambroſius pariter poſt præcedentia verba cap. XVII. num. 92. hæc ſubjicit: *Quid expectamus ut mortui mereantur veniam, qui mortem ſibi entalerant dum viverent?* & poſt pauca producto exemplo Pauli, de quo II. ad Corinth. 2. 7. *Moralis Magiſter*, inquit, *& noſtræ fragilitatis conſcius, & pietatis divinæ interpres vult donari peccatum, vult conſolationem adhiberi, ne triſtitia pœnitentem tædio longæ dilationis abſorbeat.* Cavenda itaque pari ſolicitudine facilitas & auſteritas, *Ne pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec veræ pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.* Ita Romanus Clerus in Epiſtola inter Cyprianicas XXXI. pag. 102.

Juxta hæc ſanctorum documenta, denegandam arbitror abſolutionem iis, qui in eadem ſcelera frequenter lapſi negligunt præſtituta remedia adhibere, & avertere nolunt peccandi ſtimulos, eos maxime qui ſuapte natura trahunt in peccati conſenſum, cujuſmodi ſunt concubinam alere, tenere domum paratam ad malum aliquem finem, & iniquas artes exercere, quæ nequeunt ſine peccato tractari, aliaque id genus, quæ *occaſiones proximæ* nuncupantur. *Si pœnitentem ergo*, inquit Borromæus, *iis aut ſimilibus impedimentis irretitum eſſe perſpexerit, ipſaque occaſio talis ſit, quæ tum etiam re ipſa exiſtat, confeſſarius eum abſolvere non debet, niſi prius illam ipſam occaſionem prorſus abſcindat.* In aliis vero occaſionibus, quæ non per ſe in peccatum inducunt, ſed tantum ex perverſo peccantium habitu, ut in venereis adſpectibus, in frequenti feminarum colloquio, in choreis, ceteriſque tripodiis, ei, qui frequenter cadit, abſolutio differenda eſt, uſque dum argumenta emendationis appareant. Ceterum ſi pœnitens adhibeat opportuna remedia, ſi conetur vitiorum radices evellere, atque extirpare, ſi non adeo frequenter ut antea, ingruentibus etiam incitamentis ceciderit, præſeferatque dolorem acrem, atque vehementem; non puto dimittendum eſſe abſque expetitæ abſolutionis remedio. Idem faciendum cenſeo, ſi ille, qui pravis habitibus implicabatur peccati gravitatem ignorans, dum ea manifeſtatur a confeſſario, exhorreſcit, maceratur animi amaritudine, ac firmiſſime pollicetur, ſe nunquam in poſterum malitioſe patraturum quæ hactenus ignoranter admiſit. Excipiendi rurſus humaniſſime qui ſunt *in occaſione proxima*, quam nulla ratione poſſunt a ſe amovere; & commonendi ſunt de miſerrima ipſorum conditione, de cauſis ruinæ, de validioribus remediis impenſe adhibendis: ſed privandi tamen abſolutione, ſi magna animi promptitudine monitis non obtemperaverint, juſſa non fecerint, nec reſipuerint. Quotieſcunque demum abſolutio differri neceſſum ſit, præſcribenda eſt repetita contritio, & caritatis actuum exercitatio; ut ſi forte ſuperveniat repentinus carnis interitus, anima ſacerdotum incuria, & immanitate non pereat: ſed præſtet Sacramenti votum caritati conjunctum remiſſionem illam peccati, quam efficeret Abſolutio Sacramentalis.

IV.

Certiſſimum deinde eſt nemini baptizatorum, quamvis perditiſſimo, in exitu mortis petenti reconciliationem atque abſolutionem poſſe illam negari. Quod demonſtro canonum auctoritate, Romanorum Pontificum teſtimoniis, & manifeſta ratione. Primo Nicæna Synodus can. 13. inquit: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur de corpore, ultimo & neceſſario viatico minime privetur.* Et infra, *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* In prioribus verbis *neceſſarii viatici* nomine intelligi ſacramentalem abſolutionem demonſtrat aperte Lupus pag. 71. primæ edit. Quæ ſequuntur, de communione ſunt accipienda. Verum ſi Euchariſtia *cuilibet peccatori*, ſi videbitur Epiſcopo, tribui poteſt; quanto magis concedi debet abſolutio, & ſacramentum, quod prorſus neceſſarium eſt ad ſalutem? Adverte ipſo in canone *omnes* peccatores comprehendi, ideoque explicandum non eſſe de ſolis pœnitentibus, qui dum fruerentur ſanitate, reconciliationem petierint. Cauſa item XXVI. q. 6. n. 12. habetur canon, quod a Gratiano tribuitur Julio Papæ, *Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit: Quacunque die converſus fuerit peccator, vita vivet, & non morietur. Vera enim confeſſio in ultimo tempore eſſe poteſt, quia Dominus non ſolum temporis, ſed etiam cordis inſpector eſt; ſicut latro unius momenti pœnitentia meruit eſſe in paradiſo in hora ultima confeſſionis.* Rurſus Tridentinum Concilium ſeſſ. XIV. cap. 7. pertractans de caſuum reſervatione, *Veruntamen*, inquit, *pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* In quibus verbis quemadmodum nullum genus peccatorum, ita nullus pœnitentium in mortis exitu a beneficio abſolutionis excluditur. II. Idem tradiderunt Romani Pontifices, Cæleſtinus præſertim, Leo Magnus, & Clemens V. Cæleſtinus in epiſtola ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis num. 2. ait: *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet: quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere?* Additque Cæleſtinus verba Ezechielis XVIII. 21. & XXXIII. 11. exemplum pii latronis, aliaque plura, inſerta etiam cap. *Agnovimus*, XXVI. q. 6. num. 13. Leo Magnus epiſt. ſæpe laudata ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem, *His autem*, inquit, *qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio*; addens & ipſe plura, relata cap. *His qui tempore*, eadem q. 6. num. 10. Clemens V. in Concilio Viennenſi damnat abuſum in quibuſdam partibus introductum denegandi ultimo deputandis ſupplicio, etiamſi peterent, Pœnitentiæ ſacramentum, declarans eumdem abuſum eſſe damnabilem, contrarium ſtatutis canonicis, omnino abolendum, & ſtatim a locorum Ordinariis Eccleſiaſticis cenſuris, ſi neceſſe fuerit, eliminandum; ut habetur lib. V. Clementinarum, tit. 9. de pœnit. & remiſſ. cap. 1. Ex quibus conſtat, non poſſe in contrarium adduci ſeveriorem alicujus Eccleſiæ diſciplinam, quam tam aperte ſemper Romana Eccleſia aliarum omnium magiſtra tanquam divinæ miſericordiæ contumelioſam, & animabus pernicioſiſſimam reprobavit; quemadmodum productis Eccleſiaſticis monumentis, & illuſtrium Theologorum ſuffragiis Notificat. edita die 20. Auguſti anni 1733. aſſeruit ſæpe quidem, at nunquam ſatis commendatus BENEDICTUS XIV. Ex dictis vero etiam Theologica ratio depromitur; ſiquidem Pœnitentiæ ſacramentum omnino neceſſarium eſt ad ſalutem, ejuſque præceptum urget quammaxime in vitæ periculis, ut oſtendimus cap. 1. & 6. hujuſce tractatus, ne repetam, quæ verbis Romanorum Pontificum nuperrime dicta ſunt, ſcilicet, execrabilis eſſe temeritatis velle divinæ miſericordiæ menſuram ponere, ac ſummæ impietatis nolle opem ferre periclitantibus ſub onere peccatorum. Addam aliqua proximo cap. theſi 9.

V.

Haud ſecus de illis dicendum eſt, qui poſteaquam confeſſarium petierunt, dederuntque pœnitentiæ ſigna, ſacerdote adveniente, loquendi facultate atque exteriori ſenſu deſtituuntur. Hos enim abſolvendos eſſe definiunt canones Conciliorum. In 12. enim canone Concilii Africani apud Ivonem legitur: *Ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, & voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum.* In Bracarenſi Concilio anno 572. habetur: *Si quis de corpore exiens noviſſimum, & neceſſarium communionis viaticum expetit, non denegetur.* Idem extat, XXVI. q. 6. num. 6. In Concilio pariter Toletano XI. anni 675. cap. 12. eademque q. 6. num. 7. hæc adſunt: *Subito obmuteſcens pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* In Excerpto item Gregorii III. cap. 31. occurrunt hæc verba: *Si caſu dum ad eum ſacerdos invitatus venit oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſi inventus fuerit, dent teſtimonium hi, qui eum audierunt, & ſic accipiat pœnitentiam.* Leguntur eadem verba in capite, *Is, qui pœnitentiam*, XXVI. q. 6. num. 8. ac deprompta ſunt ex cap. 76. Concilii IV. Carthaginenſis. Habentur ſimilia in cap. 26. Concilii Moguntini anno 857. Prætermittenda non ſunt, quæ præcitata epiſtola ad Theodorum longe antea, anno ſcilicet 452. ſcripſerat S. Leo I. *Si ita aliqua ægritudine aggravati ſint, ut quod paulo ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium & circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur*: quæ pariter ſunt inſerta decreto cap. *Multiplex*, de Pœnit. diſt. 1. num. 49.

VI.

Gravior eſt, ac difficilior quæſtio, an abſolvendus ſit moribundus ille, qui cum probus ſit, & interdum ſacramenta fre-

frequenter, circumvenitur repentinæ mortis anguſtiis, atque animam, nullo dato pœnitentiæ ſigno, & nullo deſiderio confeſſionis expreſſo; nam ſi ſcelerate vixerit, & peccato dans operam, ſeu morbus contaminatus tali miſerando exitu moriatur; abſque abſolutione relinquendum eſſe divino judicio, Theologi omnes affirmant. Huic itaque (etſi probo, integro ac frugi) denegandam abſolutionem definit fatente Morino lib. x. cap. 10. pag. 741. Theologorum *pars magna*; ac præter enumeratos a viro illo clariſſimo, Cardinalis de Lugo diſp. xvi t. ſectione 3. recenſet alios permultos, atque ex una Societate Jeſu Suareſium, Vaſquium, Henriquez, Turtianum, alioſque; redarguens Dianam, quod in tract. de Abſolut. Moribundi Reſol. 8. falſo ſcripſerit, aliquos ejuſdem Societatis Patres tenere oppoſitum. De hujus ſententiæ veritate nullatenus dubitandum eſſe teſtantur Dominicus Soto in iv. diſt. 18. q. 2. art. 5. Sylvius in q. 9. Supplem. art. 2. q. 5. & Auctor Theologiæ Moralis pro Seminario Petrocorenſi de Pœnit. cap. vii. q. 10. iis omnibus miſſis, quos eo loci Antoninus Diana recenſet. Hujus ſententiæ præcipuum momentum eſt, quod in tali caſu nulla habeatur *materia* ſufficiens ad ſacramenti conſtitutionem: neque hoc argumentum videntur diluere, qui cum Morino reponunt, in Pœnitentiæ ſacramento, uti in Matrimonio, deſiderari tantum *materiam analogicam*, qualis in unaquaque re morali concipi & efformari poteſt ſolo animo, idemque Tridentinum ſeſſ. xiv. cap. 3. non appellaſſe actus pœnitentis *materiam*, ſed *quaſi materiam*: aut inquiunt, non deeſſe Scholaſticos, qui cum Scoto in iv. diſt. 14. negent actus pœnitentis eſſe *materiam hujus ſacramenti eſſentialem*, & hanc in ſola abſolutione reponant: aut demum ajunt, ſi ad percipiendam abſolutionem ſufficiat aliorum teſtimonium, qui afferant moribundum dediſſe pœnitentiæ ſigna, quod ſatis eſſe conſtat ex præcedenti ſectione; ampliorem teſtificationem fore illam, quam exhibet præcedens vita catholice acta, & longe adſpectabilior, quam ſint aliorum hominum nutus. Non, inquam, hæc videntur argumentum diluere; nam etſi actus pœnitentis dicantur *quaſi materia*, & *analogiam* habeant ad materiam phyſicam, qualis ſunt aquæ elementum, panis, vinum, & oleum; neceſſum tamen eſt, ut re ipſa vel voce, vel ſigno, vel nutu reddantur *ſenſibiles*; quod confirmatur ipſo Matrimonii exemplo; non enim aliquis iniitum hoc diceret, niſi aſſenſum conjuges expreſſiſſent. Inepte quoque confugiunt ad Scotiſtarum opinionem: enimvero hæc ab iiſdem Theologis, qui moribundum illum cenſent eſſe abſolvendum, refutatur tanquam contraria Florentino, & Tridentino Conciliis, a quibus *actus pœnitentis* dicuntur *quaſi materia* Pœnitentiæ: atque mirum eſt eximios Theologos in conficiendis ſacramentis amplecti ſententiam, quam putant falſam; cum doceant non eſſe rectam agendi regulam, propriæ perſuaſioni ſenſum aliorum præferre. Scotus tamen nequaquam negat ad ſacramentum requiri pœnitentis actus; ſed ei placet appellandos illos eſſe *materiam, circa quam, non vero materiam eſſentialem*, & intrinſecam ſacramento: unde ejus ſententia defendi poteſt, non rejecta Conciliorum definitione, & valet etiam ad placitum, de quo agitur, confirmandum, cum abſolutio impendi nequeat, niſi adſit materia, cui eſt applicanda. Rurſus chriſtiana probi hominis vita (licet dicatur nota, ſenſibilis, adſpectabilis) vaga, & indifferens eſt, non definita ſacramenti materies, nec *ad claves Eccleſiæ* ordinata, ideoque niſi conſtet moribundum elicuiſſe contritionis actus, & confeſſarium petiiſſe, non videtur ejus vita ſufficere ad impetrandam abſolutionem. Atque hæc ego reſpondeo pro antiquioribus Scholaſticis, adverſus eos, qui horum argumenta irrident, & parvifaciunt. Accedit, quod canones univerſi pertractantes de reconciliatione moribundi, hanc conditionem apponunt, *ſi neceſſarium viaticum deſideravit*; *ſi voluntatis præteritæ teſtimonium habeat*: *ſi qui audierunt, ipſius deſiderium ſignificant*, ut vidimus paullo ſupra. Proferatur, quæſo, ex adverſo unus tantum, præter viceſimum primum Synodi Lemovicenſis an. 1620. Nullus utique proferri poteſt. Nam ſecundus Concilii Toletani xii. anno 681. quem addendum cenſet illuſtris Tournelius pag. Venetæ edit. 330. loquitur de iis, *qui ultimum deſiderantes pœnitentiæ fructum nimietate ægritudinis loquendi & ſentiendi perdiderunt officium*; immo paulo poſt verba a Tournely laudata, hæc leguntur in illo canone, *Sacerdos tamen, qui non ſentienti, neque petenti auſu temerario pœnitentiam dederit, neque ſe ex hortatu ejus, qui pœnitentiam accipit, manuum indiciis, vel quibuslibat aliis ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit, unius anni excommunicationis ſententiæ ſubjacebit*. Videſis volum. ii. Concil. Hiſpan. pag. 684. Igitur vir doctus nec canonem Toletanum attente legit. Ex præcitatis autem ſtatutis canonicis, quæ ad omnes prorſus moribundos attinent, conſtat ſententiam, de qua loquimur, confirmari etiam perantiqua Eccleſiæ praxi, nec poſſe canones eludi hac exceptione, quod agant de iis, qui ſceleſtiſſimam vitam duxerunt; præſertim cum non ſolum Concilium Trevirenſe, de quo Martenius Volum. 2. Anecd. pag. 271. indiſcriminatim ſtatuerit nullum morti proximum eſſe abſolvendum, *niſi ſacerdotem petierit, & aliqua ſigna oſtenderit pœnitentiæ*, idque evidens ſit *ad nutum inſerni, vel ad teſtimonium circumſtantium*; verum etiam id præſcripſerit in Rituali Romano ſummus Pontifex Paulus V. Prætereundum non eſt, a ſacra Facultate Pariſienſi die 3. Februarii anno 1665. fuiſſe damnatam hanc propoſitionem Amadæi Guimenii, *Talis infirmus, qui amiſit loquelam, vel uſum rationis, ſi bene vivebat ut bonus & fidelis, & frequentabat confeſſionem & communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus, & faciente aliquo confeſſionem generalem pro ea, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia, & peccata*. Scio viros doctos reſpondere, ideo propoſitionem illam fuiſſe damnatam, quia Guimenius aſſertionis ſuæ fundamentum in eo ſtatuit, *Quia ex inſperato talia acciderunt*; ac præterea cenſuram his verbis conceptam, *Doctrina hujus propoſitionis univerſim, & abſolute ſumpta eſt in praxi periculoſa*, eos ferire, qui neceſſitatem abſolvendi hujuſmodi homines morti proximos indiſcriminatim imponunt. Juxta quam reſponſionem datam a Merbeſio, a Tournelio, a Witaſſio, Daniel Concina in Adnotationibus Pontaſianis appellavit ſententiam hanc paullo acerbiorem, & a Doctoribus Sorbonicis poſterioris ævi, qui optime ſenſum ſacræ facultatis callebant, necnon ab Auctore Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ, aliiſque plurimis refutatam. Hæc autem levia ſunt admodum: aperte ſiquidem Guimenius de ſolis viris probis ipſam protulit aſſertionem: eaque verba, *Quia ex inſperato talia acciderunt*, referuntur ad amiſſum uſum *loquelæ & rationis*; ut apparet legentibus, ideoque nihil ſolidi eſt, quod prædictæ cenſuræ opponatur, niſi forte, quod ait Morinus, male libratam fuiſſe, ac præpoſteram. Etſi autem mihi animus non eſt exornandi Pontaſianas vindicias; dico tamen non poſſe opinionem Joannis Pontaſii, in hac ſaltem controverſia, nimiæ acerbitatis redargui, niſi eadem cenſura notetur Theologorum pars magna, Gratianopolitanæ Theologiæ oppono Petrocorenſem, & Sorbonicos etiam Doctores poſtremæ ætatis ſententiam prudenti conſilio ſuſpendere. Nam Juenin recitata opinione eorum, qui arbitrantur infirmis, de quibus eſt quæſtio, abſolutionem *practice* eſſe concedendam, q. vii. cap. 4. art. 4. in fine teſtatur a ſe illam argumentis non confirmari, quod eam ſuo chirographo munire detrectaverit Commentarii ſui Cenſor periIluſtris D. Pirotius, ne labes aliqua inferretur prædictæ Cenſuræ Pariſienſi: quod hactenus dicta confirmat. Tournelius præcitato in loco proponit tantum utriuſque partis momenta; & Witaſſius, poſteaquam idem præſtitit, q. vi. art. 2. hujus difficultatis enodationem relinquit *peritiorum judicio*. At videmur pro hac parte ſatis ſuperque dixiſſe.

Expendam nunc quæ militant pro contraria. Principio hæc non deſtituitur virorum doctiſſimorum ſuffragiis. Etſi enim pro illa paullo ante vix laudabantur Molſeſius, Hombonus, & Antoninus de Litteratis, poſtquam tamen prodierunt Commentaria Morini, qui citato cap. 10. eam lacertis viribuſque firmare ſtuduit, ac Summa Merbeſii, qui diſſert. iv. cap. 85. eamdem ampliori etiam argumentorum copia locupletavit, extorſit illa aſſenſum a viris in republica Litteraria clariſſimis, cujus generis ſunt Gummarus Huygens Methodi tract. 3. Natalis Alexander lib. ii. p. 3. cap. 7. Reg. 3. Franciſcus Genettus de Pœnit. cap. xii. q. 5. Leonardus Vanroy tom. v. cap. 3. q. 5. Daniel Concina in Adnot. ad caſum 4. Dictionarii Pontaſiani v. *Abſolutio*, aliique nonnulli. Hi tamen comparatione eorum, quos pro ſententia oppoſita laudavi, longe inferiores ſunt numero, atque ætate: ac præterea horum quidam, ut Merbeſius fatetur, immerito pro ſe advocant Coninkium, & Suareſium: quorum ille præcedenti ſententiæ adhæret diſput. v. num. 20. & diſp. vii. n. 96. ille autem, ideſt, Suarez diſp. xxiii. ſect. 1. non adhæret tantum, ſed etiam contendit infirmum abſolvi non debere, etiamſi paullo ante ſe contritum oſtenderit, & nullam fecerit mentionem confeſſionis; quoniam, inquit, ſigna contritionis non ſunt hujus ſacramenti materia, *niſi in ordine ad claves*. Genettus quoque plurimum ab aliis diſcrepat: nam cum ceteri in caſu, de quo diſſeritur, adhibendam cenſeant formam conditionalem; ille proxima quæſtione 6. ſcribit in nullo prorſus caſu abſolutionem poſſe dari *ſub conditione*. Quis autem *abſolute* in re tam dubia, ac perplexa formam ſacramentalem proferret? Veruntamen quicquid ſit de horum Theologorum numero, auctoritate, & conſenſu; nituntur primum iis, quæ leguntur in *Sacerdotali Romano*, ubi apertiſſime eorum ſententia traditur, necnon capiti 21. ſtatutorum ſynodi Lemovicenſis, atque abſolutioni, quam Clemens VIII. impertivit operario ruenti ex ſuperioribus Vaticani Templi ædificiis; de qua & nos diximus tom. iii. pag. 202. Addunt *Memoriale Bononienſe* typis editum anno 1623. ac præcedentibus annis exaratum juſſu Alexandri Cardinalis Ludoviſii, qui anno 1621. ad ſummum Pontificatum evectus nomen ſibi adſcivit Gregorii XV. Sed hæc æquiparari non poſſunt numero, & ponderi canonum, & monitis Ritualis Romani, unde opinio præcedens potius corroboratur; maxime quod *Sacerdotale Romanum* non ſemel lima & emendatione purgatum eſt; & licet habeat in titulo *Summorum Pontificum auctoritate approbatum*, quo plurimum Merbeſius exultat; conſtat nihilominus approbationem hanc ſacris ritibus convenire, non adnotationibus Alberti de Caſtello, qui eumdem librum ferrur con-

ſarci-

farcinaſſe. Quod vero narratur de Clemente VIII. non eſt Apoſtolica definitio, immo fabulam eſſe, ex teſtimonio complurium, qui Clementis tempore in hac urbe Roma commorabantur, affirmat Joannes Cardinalis de Lugo cit. ſect. III. n. 34. In *Memoriali Bononienſi* præcipitur ut abſolvatur moribundus, *etiamſi nullum pœnitentiæ ſignum det, ſi tamen aliquis teſtetur eum oſtendiſſe confitendi deſiderium*; unde commemoratur quidem ibi ſententia *Sacerdotalis Romani*, ſed illa tenenda præcipitur, quam tradit Rituale Pauli V. & quæ unice commendatur in *Rituali* ejuſdem Eccleſiæ Bononienſis poſterius edito pag. 36. Magnum deinde præſidium petunt hujus ſententiæ aſſertores ex Auguſtino, qui lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap. xxvi. n. 33. docet Catechumenos morbo oppreſſos baptizandos eſſe, etiamſi petere baptiſmum, & ad interrogata reſpondere non poſſint, *quia ipſorum in fide chriſtiana voluntas jam nota eſt*; addit ſatius eſſe nolenti dare, quam volenti negare, *etiamſi voluntas ejus incerta ſit*: ſubjicit n. 35. etiam illos catechumenos baptizandos, *qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia*; ac demum concludit, *Quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit*. At quis non videt Auguſtinum loqui de catechumenis, ac de pœnitentibus, de iis ſcilicet, qui jam inſtruebantur in fide, ac de iis, qui reconciliationem petentes conſiſtebant *in ſubſtratione*, & quorum proinde *ſi incerta erat*, nec manifeſtari poterat actualis *voluntas*, hujus tamen ſigna præceſſerant, cum illi inter catechumenos, iſti inter pœnitentes adſcriberentur? Alioqui abſolvi poterunt illi etiam, qui nullo dato pœnitentiæ ſigno *retinent adulterina conſortia*: quod nemo unus ſanæ mentis affirmat. Producit præterea Merbeſius quæ leguntur apud S. Fulgentium in quadam Epiſtola ad Ferrandum de Catechumeno Æthiope, unde baptiſmatis regenerato, quamquam ſine *voce, ſine motu, ſine ſenſu nihil valeret interrogationibus reſpondere*. Sed in primis hujus, ac præcedentis argumenti eadem eſt ratio. Deinde Ferrandus Diaconus Fulgentio narraverat, Æthiopem illum jam Apoſtolicum ſymbolum pronunciaſſe, Dominicæ orationis regulam accepiſſe, ac ſubito violentis febribus fuiſſe invaſum, *dum quid crederet, & quid oraret intelligens futuro baptiſmati parabatur*. Vide ipſum Merbeſium quæſtionem a Ferrando propoſitam explicantem diſſert. IV. pag. 235. Omiſerunt propterea ſollertiores viri ſententiæ ejuſdem patroni argumentationem hanc fractam, & nimis debilem. Tandem auctores illi moventur ratione, quoniam ſi ad abſolutionem obtinendam ſufficiunt nutus, ac teſtimonia aliorum; debet multo magis ſatis eſſe ſpectata ac laudabilis vita, quam agens ſi ad Sacramenta accedebat nulla coactus neceſſitate, credendum profecto eſt acceſſurum fore, idque valde, intimoque animo meditari in graviſſimo præſentiſſimoque periculo. Ceterum quid roboris habeat hæc ratiocinatio, conjici facile poteſt ex dictis. Itaque ut finem quæſtioni imponam, ingenue fatendum eſt priorem ſententiam, ſi diſcuſſione ſcholaſtica eſſet definienda, fortaſſis alteri præponderaturam: ſed quoniam hæc etiam probatur viris doctiſſimis, nec omnino caret pondere auctoritatis atque rationis; & ulterius ſacramentum Pœnitentiæ pro animarum ſalute inſtitutum, præſertim in mortis articulo eſt ſummopere neceſſarium: & ex alia parte ſi adhibeatur *forma conditionalis*, evitatur periculum aliud de nullitate ſacramenti; hæc autem forma ab octavo ſæculo quibuſdam in locis obtinuit, ſæculo XII. probata eſt ab Alexandro III. ſedente Gregorio IX. inſerta Juri Canonico, & a Clem. VIII. præſcripta etiam Epiſcopis Latinis confirmantibus baptizatos a presbyteris Græcis ſibimet ſubjectis, ut oſtendimus lib. xxx. cap. 12. & lib. xxxII. cap. 6. ideoque non eſt temere introducta, quemadmodum aſſeruit Epiſcopus Vaſionenſis Genettus, propterea dico, moribundo, de quo diſputatum eſt, impendendam abſolutionem hac conditione præmiſſa, *Si es capax*; quod præmonui pertractans de Sacramentis in genere, citato cap. 12. libri triceſimi, quæſtione IV.

C A P U T IX.

In quo continentur theſes aliquæ ſpectantes ad veterem diſciplinam.

QUænam fuerit antiquior in Eccleſiis diſciplina circa abſolutionem lapſis concedendam, vel denegandam, non una eſt virorum eruditorum ſententia. Dionyſius enim Patavius in notis ad hæreſ. 69. Epiph. pag. 231. ait tria diſtinguenda eſſe tempora, primum ab Apoſtolis uſque ad ætatem Tertulliani, in quo gravioribus criminibus, apoſtaſiæ, homicidio, & fornicationi venia denegabatur: quæ ſeverior diſciplina, quantum ad mœchiam ſpectat, a Zephyrino Pontifice fuerit relaxata: ſecundum tempus, quo nulli ſceleri denegabatur pax, ſi lapſi dum ſani viverent pœnitentiam petiiſſent, nam ſi ad mortem uſque diſtuliſſent converſionem, penitus intercludebantur; tertium denique, cum impetrata Eccleſiæ libertate, & priſtinæ diſciplinæ ſeveritate remiſſa, lapſis omnibus, iis etiam, qui tantum in exitu reſipiſcerent, conceſſa eſt reconciliatio, & communio. Idem tenet Gabriel Albaſpinæus, qui lib. 2. Obſervat. maxime 8. 9. 12. & 15. contendit lapſos ante Cornelii & Cypriani ætatem neque in morte impetraſſe abſolutionem, apoſtatas præſertim, ac homicidas. Noſter Lupus in canonem 13. Nicænum tom. I. pag. 68. primæ edit. ſubſcribit Albaſpinæo & Petavio; ſed ſeveriorem illam diſciplinam, juxta quam negabatur abſolutio mœchis, homicidis, & apoſtatis, inductam credit poſt tempora Apoſtolorum; quantum ad mœchiam latum fuiſſe a Zephyrino decretum ut poſſet remitti; a Cornelio deinde ac Cypriano datam pacem etiam idololatris & homicidis, exacta tamen pœnitentia, ac prædicta exceptione, dummodo pacem deprecarentur antequam ſubirent mortis pericula. Hoc poſtremum de communione ac pace ſolis pœnitentia functis conceſſa tradunt alii viri clariſſimi, Menardus in Sacram. Gregorii not. 663. Martene lib. 1. de antiquis Ritib. cap. 6. art. 5. Tournely q. 7. art. 3. concl. 2. Witaſſe q. 6. art. 3. aſſert. 1. &c. Afficiendis ſupplicio denegatam fuiſſe aliquando abſolutionem tradit Morinus lib. 10. de Pœnit. cap. 1. nec diſſentit Honoratus Tournelius de Euch. q. 5. art. 3. ut diximus ſupra pag. 106. Idem Morinus lib. 9. cap. 20. putat præcipuas Eccleſias, Romanam, Carthaginenſem, & Orientales omnes, etiam ante Cyprianum & Tertullianum, cuilibet crimini, tribus etiam paullo ſupra commemoratis, veniam indulſiſſe; Tertullianum quidem aſſerere oppoſitum, ſed putidi mendacii, & calumniæ ex propriis ſcriptis revinci: quod & affirmat in Eccleſiaſtica Hiſtoria 3. ſeculi diſſert. 7. Natalis Alexander. De abſolutione ab Eccleſiis illuſtrioribus nunquam denegata idololatriæ, homicidii, & mœchiæ reis, etſi contraria conſuetudo viguerit in nonnullis aliis Eccleſiis, conſentit Witaſſius citata q. 6. art. 2. ac perantiquam Eccleſiæ diſciplinam nunquam revera fuiſſe adeo duram, ut ſineret aliquem ſine reconciliatione perire demonſtravit ornata, & expolita diſſertatione de hoc argumento edita an. 1730. vir doctiſſimus, atque honeſtiſſimus Joſ. Auguſtinus Orſi ſacri Ordinis Prædicatorum. Sunt vero, qui etiam negant Tertullianum mentitum eſſe, aſſerentes in hoc Morinum, alioſque deceptos, quod acceperint de Eccleſiis catholicis quæ idem Tertullianus affirmavit de Montaniſtis: atque ita ſentit J. B. Du-Hamelius lib. 3. de Pœnit. diſſert. 2. ac ſapientiſſimus Auctor Congregat. S. Mauri, qui Opera Cypriani nitidiſſime edidit, & exquiſita Præfatione illuſtravit, ejuſdem præfat. num. IX. Quid in tam diſcrepantibus illuſtrium virorum lucubrationibus mihi viſum eſt probabilius, proximis hiſtoricis, criticiſque theſibus commonſtrabo.

T H E S I S I.

Ab Apoſtolorum tempore uſque ad ætatem Tertulliani, omnibus peccatis remiſſio & venia conceſſa eſt. Demonſtratur primo: Apoſtolus in 2. ad Corinth. 2. 7. hortatur capita Eccleſiæ Corinthiacæ, ut inceſtuoſum fidelium communione privatum conſolentur, *ne abundantiori triſtitia abſorbeatur*, eique pacem & communionem donent, prout explicant Patres atque interpretes omnes; & Joannes pariter in Apocalypſi cap. 2. Thyatirenos ſtupris, & fornicationibus inquinatos ad pœnitentiam hortatur, oſtendens graviſſimum hoc crimen a Deo per ſacerdotum miniſteria dimitti, ut obſervarunt S. Pacianus in ſuis ad Sempronianum Epiſtolis, S. Hieronymus adverſus Luciferianos prope finem, aliique laudati lib. præcedenti cap. 3. in noſtra diſſertatione adverſus Novatianos, pag. 137. & 138. Deinde Euſebius lib. III. H. E. cap. 23. pag. edit. Valeſii 93. narrat S. Joannem Apoſtolum conſcenſo equo concitoque curſu ſequutum latronem, qui violentia, cædibus, atque atrocitate cunctos ſuperabat, eique non ſolum veniam dediſſe, verum etiam ipſius facinoroſi hominis dexteram exoſculatum, illum reconciliatum Eccleſiæ reſtituiſſe. Neque hoc unum exemplum extat temporum illorum antiquiorum, ſed etiam pœnitentiæ non denegatæ mulieribus a Marco præſtigiatore compreſſis, de quibus cap. 1. produximus verba Irenæi; ut mittam quæ ex Clemente Alexandrino, ex libro Paſtoris, atque ex Epiſtola Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi ad Amaſtrianos proferunt citatis in locis Morinus, Martenius, Witaſſe, Tournelius, alii. Præterea inviciſſimum hac in re debet eſſe teſtimonium Tertulliani, cujus auctoritate permoti quidam oppoſitum tradiderunt. Nam Tertullianus de Pœnit. cap. 7. ait: *Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes, Habes cui ſatisfacias, & quidem volentem, Id ſi dubites, evolve quæ Spiritus Eccleſiis dicat. Deſertam dilectionem Epheſiis imputat: ſtuprum & idolothytorum eſum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incuſat: Pergamenos docentes perverſa reprehendit: Laodicenos fidentes divitiis objurgat; & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, ſub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti*: & paullo ſupra cap. 4. ſcripſerat, *omnibus* omnino *delictis* veniam concedi. In libro etiam de Pudicitia, ſcripto poſtquam defecerat ad Montaniſtas, & quando opinabatur mœchis tribuendam non eſſe veniam, citat ipſe Tertullianus contrarium opinioni ſuæ Zephyrini decretum, de quo infra, nec denegat 2. capita permultos eſſe, qui dicerent

Deum

Digitized by Google

Deum bonum, optimum & miſericordem velle ut peccata ſingula dimittantur; tametſi inſectetur idem Tertullianus opinionem iſtam, tamquam hominum *adulantium*, *ſibique lenocinantium*. Conſtat tandem ex præced. cap. n. IV. fuiſſe legem antiquam & regularem, ne ulli in exitu negaretur pax & neceſſarium viaticum, prout loquitur 13. Nicænus canon, Romanoſque Pontifices Julium, Cæleſtinum, Leonem, alioſque declaraſſe ſententiam eorum, qui lapſis occludunt miſericordiæ januam, eſſe ſacris litteris repugnantem, duram, immitem, fontemque horroris, impietatis, deſperationis.

THESIS II.

Circa Tertulliani tempora nonnulli mœchis negabant abſolutionem: at non erat hæc Eccleſiarum Catholicarum communis conſuetudo; neque hanc communem conſuetudinem Tertullianus receaſet, ideoque immerito putidi mendacii a doctis viris arguitur. Demonſtratur prima pars: nam Tertullianus de Pudicitia cap. I. vellicans Zephyrini decretum, *Audio*, inquit, *edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum edicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit, Bonum factum!* Et ergo, quibus Tertullianus adhærebat, negabant reconciliationem concedendam eſſe fornicariis. Cyprianus etiam in Epiſtola 52. ad Antonianum, inquit: *Apud anteceſſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſtic in provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt; non tamen a coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut catholicæ Eccleſiæ unitatem vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat ab Eccleſia ſepararetur.* Altera theſis pars, ſcilicet, quod hæc conſuetudo negandi reconciliationem mœchis non fuerit univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, conſtat ex eodem libro Tertulliani, qui citato cap. I. fatetur Zephyrini edictum legi in Eccleſia, qua de re cum opinionem contrariam adoptaſſet, ita miratur: *Sed hoc in Eccleſia legitur, & in Eccleſia pronuntiatur, & virgo eſt. Abſit, abſit a ſponſa Christi tale præconium.* Capite 2. ut dixi ſupra, nititur refellere ſententiam affirmantium condonanda eſſe omnia delicta, quoniam Deus bonus, optimus, & miſericors, omniumque hominum, & maxime fidelium ſalvator, *non tanti ducit peccatoris mortem, quam pœnitentiam*: & cap. 3. conatur etiam diluere ratiocinationem alteram, *Nihil agendum eſt fruſtra; porro fruſtra agetur pœnitentia, ſi caret venia: omnis autem pœnitentia agenda eſt; ergo omnis veniam conſequatur, ne fruſtra agatur.* Cyprianus quoque in præcitatis verbis diſerte affirmat, in eadem provincia ætate anteceſſorum ſuorum plures extitiſſe, qui pacem dabant adulteris; immo illos, qui pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, duritiei, cenſuræ, & obſtinationis redarguit, eorumque opinionem plurimis argumentis refellit, commendans tamen in illis concordiæ vinculum, communionem, atque unitatem. Pars tertia, quod Tertullianus non ſit mentitus ſcribens ſuo tempore in quibuſdam Eccleſiis viguiſſe ſeveriorem diſciplinam, quam ipſa amplectitur, evidens eſt ex eadem epiſtola, & ex prodictis Cypriani verbis: quare etſi Tertullianus erravit inſectando diſciplinam, quæ mœchis pacem largiebatur; non tamen calumniæ, aut mendacii, cujus paſſim inſimulatur, reus eſt. Movet autem Morinum, alioſque, quod idem Tertullianus cap. 12. de Pudicitia ſcribat, *Hinc eſt, quod neque idololatriæ, neque ſanguinis pax ab Eccleſiis redditur*; unde probare nititur neque reddendam eſſe mœchiæ. At *Eccleſiarum* nomine non intelligit Catholicos, ſed Montaniſtas, in quorum caſtris tunc militabat, & quibus proximo cap. 21. *vere & ſpiritualis* Eccleſiæ tribuit honorem. Quamquam ſi de mœchia loquamur, etiam nonnullos Catholicorum in Africa illam exiſtimaſſe ſcelus nunquam condonandum, perſpicuum eſt ex prælaudata Epiſtola ſancti Martyris Cypriani.

THESIS III.

Decreto Zephyrini non relaxatus eſt circa mœchiam rigor antiquioris diſciplinæ, ſed repreſſa potius eſt diſciplina illa durior circa Tertulliani ætatem invecta, quæ adverſus perantiquam inſtitutionem mœchis pœnitentiam agentibus negabat reconciliationem, & pacem. Demonſtratur primo: antiqua enim Catholicæ Eccleſiæ diſciplina fuit, ut omnibus vere pœnitentibus, etiam fornicariis, & inceſtuoſis venia daretur; ut conſtat ex theſi prima: ſed Zephyrinus ex ipſo Tertulliano nihil aliud edixit, niſi ut *pœnitentia functis* dimitterentur etiam mœchiæ & fornicationis delicta: igitur Zephyrinus non relaxavit edicto ſuo rigorem prioris diſciplinæ, ſed potius emendavit ſeveritatem diſciplinæ temporibus Tertulliani contra primam Eccleſiæ inſtitutionem intruſæ. Præterea non debebat Tertullianus in Zephyrino damnare, quod etiam in Africa complures Epiſcopi ſervabant: atqui plures Africæ Epiſcopi ætate anteceſſorum Cypriani, & circa Tertulliani tempora, pacem mœchis largiebantur, cuſtodientes unitatem cum aliis, qui pacem mœchis non dabant: non debebat ergo Tertullianus in Zephyrino reprehendere edictum, quo aſſeruit pacem non eſſe negandam mœchis *pœnitentiæ functis*. Inſuper non tantum Cyprianus, verum etiam ipſius anteceſſores nimis durum, ſeverumque putabant reconciliationem hujuſmodi pœnitentibus denegare, ut conſtat ex theſi præcedenti. Decretum igitur Zephyrini relaxavit duritiem ac ſeveritatem aliquorum, non autem Apoſtolicæ Eccleſiæ priorem, antiquam, & æquiſſimam diſciplinam. Tandem cum ſedente Zephyrino Cajus presbyter inſignem diſputationem habuerit Romæ cum Proclo, ſeu Proculo, ſectatore Montani, prout litteris mandarunt Euſebius lib. 2. H. E. cap. 25. pag. 67. & S. Hieronymus de Script. Eccleſiaſticis n. 59. ac Zephyrinus damnaverit Montanum, Proclum, alioſque Cataphrygas inſectantes bigamiam, ſecundum Apoſtolica inſtituta toleratam: quid mirum, ſi Tertullianus Cataphrygis addictus, & qui horum gratia de Monogamia librum edidit, & Catholicos Pſychicos, ideſt, *animales*, appellavit, æquiſſimum, rectiſſimumque S. Pontificis Zephyrini edictum ſibi, cæteriſque Montaniſtis odioſum canino dente momordit, & laceravit? Vide Cardinalem Baronium ad an. Chriſti 215. & 216. & notas in poſtremam editionem Anaſtaſii Bibliothecarii to. 1. pag. 173. Hinc obiter animadverte, quam immerito aliqui heterodoxi auſi ſint ſanctum Zephyrinum Donatiſtis adnumerare; cum ipſe Proclum, Montanum, Cataphrygas omnes, ideoque etiam Tertullianum damnaverit, & inſuper remittens fornicationis delicta, necnon recipiens in Eccleſiæ communionem Natalium quemdam, qui Theodoti Coriarii hæreſim abdicavit, ut refert Euſebius lib. V. cap. 27. fuerit apertiſſimus hoſtis eorum, a quibus Eccleſiæ fores lapſis obſerabantur, eorumdem ſcilicet Montaniſtarum.

THESIS IV.

S. Cyprianus lapſis omnibus poſt actam pœnitentiam indulgens veniam recte ſe geſſit, nec priſtinam Eccleſiæ diſciplinam violavit. Nulli poſt pœnitentiam a Cypriano denegatam fuiſſe pacem conſtat ex præcitata Epiſtola ad Antonianum, ubi pag. 155. ait: *Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam.* In eadem Epiſtola teſtatur a ſe *etiam mœchis* concedi *pœnitentiam, & pacem*: commendat Sanctum Cornelium, quod Trophimum & ingentem *thurificatorum* numerum redeuntem ad Eccleſiam, ſatisfacientem, & confitentem errorem priſtinum ad communionem admiſerit, refellens de ſe, ac de ipſo Cornelio jactatum rumorem, quod paſſim communicarent *ſacrificatis*; & affirmans longe aliud eſſe ſubvenire periclitantibus pace data, aliud cum apoſtatis communicare. Quod autem recte Cyprianus ſe geſſerit, conſtat ex quo ibidem locupletiſſimis Scripturarum teſtimoniis demonſtret Deum, qui neminem vult perire, indulgentiam ſingulis pœnitentibus polliceri: debere Epiſcopos largam æternamque Dei pietatem imitari: obſtinationem & duritiam eſſe comminari pœnam, indicere pœnitentiam, & nolle pacem concedere; & idcirco a ſe iis tantum denegari ſpem communicationis & pacis, qui pœnitentiam non agunt, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantur, & quos ad veniam rogandam *non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit*. Secutus eſt etiam Martyr ſanctiſſimus ſententiam Concilii Africani, in quo ſtatutum fuerat, ut *libellaticis* pax, *ſacrificatis* pœnitentia daretur, ut conſtat ex Epiſtola 54. ad Cornelium. Rectiſſime propterea ſe geſſit, qui Scripturarum auctoritatem, Cornelii Romani Pontificis exemplum, & Coepiſcoporum ſententiam ſequutus eſt. Cyprianum denique non relaxaſſe priſtinæ diſciplinæ rigorem conſtat ex dictis; primum, quia Apoſtolorum ætate nulli pœnitentium pax negabatur; deinde, quia dum conceſſit pœnitentiam & pacem mœchis, fecit quod ſtatuerat Zephyrinus; inſuper, quia etiam in Africa Anteceſſorum ſuorum ætate idem ſervabatur a multis: demum, quia illud omnino præſtitit, quod ex Epiſtola Cleri Romani inter Cyprianicas triceſima prima, acceperat cuſtodiri in Eccleſia Romana aliarum omnium magiſtra.

THESIS V.

Neque ſanctus Cyprianus, neque Africanum Concilium ſuperius commemoratum lapſis & ſacrificatis pœnitentiam agentibus negarunt in exitu mortis reconciliationem, & pacem. Quamquam enim Albaſpinæus, & poſt eum Gothofredus lib. X. Cod. Theodoſiani pag. 210. aliique ſcripſerint a Cypriano priſtinam ſeveritatem interdum fuiſſe cuſtoditam in deneganda reconciliatione apoſtatis & deſertoribus, (quæ ſeveritas, ut liquet ex præmiſſis theſibus, prorſus eſt commentitia;) apparet nihilominus ex nuper dictis ſanctiſſimum Martyrem in ſæpe laudata ad Antonianum Epiſtola, commendare ſanctum Cornelium, qui Trophimum, & partem maximam populi, qui a fide defecerat, rurſus in Eccleſiam admiſerat, demonſtrans quomodo non

com-

Digitized by Google

communicet apoſtatis, qui ipſis periclitantibus ſuccurrit, nec ſit in ſacerdotibus criminandum, ſi pace data, qui deſertores fuerunt, non *effecentur*, nec repellantur: diſcrimen tamen eſſe inter *libellaticos*, & *ſacrificatos*, eos ſcilicet, qui conſenſerant, ut ſacrificaſſe dicerentur, ut ſe, uxorem, liberos, dumumqua tutam a perſecutione ſubtraherent, atque juxta S. P. Auguſtinum lib. IV. de Bapt. n. 6. etiam *libellis* ſe thurificaturos profitebantur, & inter eos, qui ad ſacrificium nefandum acceſſerant; atque *libellaticis* dandam eſſe pacem, *ſacrificatis* vero interim pœnitentiam, & in exitu reconciliationem quoque donandam. Idem decreviſſe Africanum Concilium conſtat ex Epiſtola 54. pag. 171. ubi legitur: *Statueramus quidem jam pridem, frater cariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſariis & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent*. Ajunt vero, *ſtatueramus*, quoniam excitata iterum perſecutione ſtatim lapſis omnibus pacem dare ſatius exiſtimarunt, ut ad prælium, quod imminebat, inſtruerentur & armarentur, ut legitur eadem Epiſtola 54. itemque in 52. ad Antonianum. Igitur tantum abeſt, quod in hac Epiſtola S. Cyprianus in apoſtatas ſeverior fuerit, quin, cum diu iiſdem apoſtatis pœnitentiæ eſſet incumbendum, perſecutione fervente veniam accelerandam eſſe crediderit. Atque id adeo verum eſt, ut cum Antonianus nonnihil commoveretur, quia a Cornelio & Cypriano lapſis deſertoribus ante pœnitentiam exactam pax data eſſet, Cyprianus conſcripſit Epiſtolam illam quinquageſimam ſecundam, ut propoſiti ſui Antoniano rationem redderet, ſimulque excuſaret Cornelium; unde paullo poſt illius Epiſtolæ initium inquit: *Et primo quidem quoniam de meo quoque actu motus videris, mea apud te & perſona, & cauſa purganda eſt, ne me aliquis exiſtimet a propoſito meo leviter receſſiſſe, & cum Evangelicum vigorem primum & inter initia defenderim, poſtmodum videar animum meum a diſciplina, & cenſura priore flexiſſe, ut his qui libellis conſcientiam ſuam maculaverint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, laxandam pacem putaverim. Quod utrumque non ſine librata diu, & ponderata ratione a me factum eſt. Nam cum acies adhuc inter manus eſſet, & impetu militum vires fuerant excitandæ, & maxime lapſorum mentes claſſico quodam noſtræ vocis fortiter animandæ*, &c. Non debuit ergo a viris doctiſſimis Cypriano opponi ſeveritas diſciplinæ in ea epiſtola, in qua potius diſciplinæ rigorem, juſtiſſima tamen de cauſa, remittit. Moverunt Albaſpinæum, & Gothofredum quæ leguntur circa finem illius Epiſtolæ pag. 158. *Apoſtata vero, & deſertores, vel adverſarii, & hoſtes Chriſti Eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint, admitti ſecundum Apoſtolum poſſunt ad Eccleſiæ pacem, quando nec ſpiritus, nec Eccleſiæ tenuerunt unitatem.* Sed ex præmiſſis conſtat hæc dici de iis, qui in ſchiſmate Feliciſſimi & ſeparati ab Eccleſiæ unitate trucidabantur: quibus utique martyrium prodeſſe nequit, ut idem Cyprianus docet in libro de Unitate Eccleſiæ pag. 404. conſentientibus aliis Patribus, quemadmodum diximus libro XXXI. cap. 24. n. 3. & 4. agentes de martyrio. Ceterum quod hactenus dicta confirmat, in Epiſt. 55. ad Cornelium pag. 183. affirmat Cyprianus multos quotidie a factione Feliciſſimi remeantes pulſare ad Eccleſiam, & a ſe anxie, & ſolicite examinari, *qui recipi, & admitti debeant*; nonnullos tamen admiſſos evaſiſſe pejores, nec fidem pœnitentiæ ſervaſſe: quod in cauſa fuit, ut Epiſtola 38. ad Caldonium, & 40. ad plebem, ſe nunquam hujuſmodi hominibus communicaturum profeſſus fuerit. Sed vide novæ editionis Præfationem pag. XXXV.

THESIS VI.

Quod S. Cyprianus laudata Epiſtola 55. ſcripſerit deſertores ſua facilitate ſuſceptos, argumento non eſt diſciplinæ ſeveritatem fuiſſe ab eodem Cypriano laxatam. Probatur primo, quoniam ut ex præcedenti manifeſtum eſt, dum eo loci pag. 184. ait S. Martyr, *vix plebi perſuadeo, immo extorqueo, ut tales patiantur admitti*, verba non facit de ſacrificatis, & deſertoribus, quos participato Coepiſcoporum conſilio ſtatuerat ad pœnitentiam admittere, prout affirmat ſuperiori Epiſtola 54. ad Cornelium, ſed loquitur de revertentibus a ſchiſmate Feliciſſimi cum animi pravitate & contumacia, inquit enim: *O ſi poſſes, frater cariſſime, iſtic intereſſe nobiſcum cum pravi iſti & perverſi de ſchiſmate revertantur, videres quis mihi labor ſit perſuadere patientiam Fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito recipiendis malis, curandiſque conſentiant. Namque ut gaudent, & lætantur cum tolerabiles & minus culpabiles redeunt, ita contra fremunt & reluctantur, quoties inemendabiles & protervi, & vel adulteriis, vel ſacrificiis contaminati, & poſthac adhuc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo, immo extorqueo, ut tales patiantur admitti. Et juſtior factus eſt fraternitatis dolor eo quod unus atque alius, obnitente plebe, & contradicente, mea tamen facilitate ſuſcepti, pejores extiterunt, quam prius fuerant, nec fidem pœnitentiæ ſervare potuerunt, quia nec cum vera pœnitentia venerant*. In recipiendis itaque deſertoribus vere pœnitentibus nec Cyprianus facilitate uſus eſt, nec ab aliorum Epiſcoporum ſententia diſceſſit, nec habuit plebem obnitentem & reluctantem; & duntaxat in admittendis gregariis Feliciſſimi, non quidem ſemper, ſed una & altera vice, faciliorem ſe fuiſſe fatetur, cum experimento conſtaret genus illud hominum perraro ad Eccleſiam bona intentione redire. Probatur ſecundo, quoniam Martyr ſanctiſſimus admittens deſertores antiquam Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, Coepiſcoporum mentem, & anteceſſorum ſecutus eſt inſtituta, prout apparet ex theſibus præcedentibus.

THESIS VII.

Nullus in lapſis recipiendis pro diſciplinæ æquitate magis pugnavit, quam beatiſſimus Cyprianus. Principio enim nonniſi pœnitentia functis abſolutionem conceſſit, excepto mortis periculo, & fervente ſub Valeriano & Gallieno perſecutione, ut reconciliatione accepta, non inermes & nudi, ſed protectione Corporis & ſanguinis Chriſti muniti fideles martyrium ſubirent, ut conſtat ex præcitata Epiſtola Synodica 54. ad Cornelium pag. 172. Deinde cum *libellatici* æquari non deberent *ſacrificatis*, quoniam illi, etſi conſcientia polluti, manus tamen ab immolatione nefanda, & os a contagio feralis cibi continuerant; cenſuit Cyprianus iiſdem *libellaticis* deteſtantibus ſcelus, flentibus & lamentantibus, ac paratis de cetero vitare errorem, quo fuerant decepti, dare pacem, ne ob duritiam & inhumanitatem cum uxore & liberis in hæreſim aut ſchiſma invitante diabolo raperentur; *ſacrificatis* vero ad Eccleſiam redeuntibus pœnitentiam dare, & ſi infirmitate occupati fuiſſent, etiam pacem, ut diximus theſi V. & conſtat ex Epiſtola Cyprianica 52. pag. 153. Deinde S. Martyr lapſis, qui remeabant cum libellis Martyrum pro ipſorum pace ſupplicantium, etſi eos humaniſſime recipiebat, eiſque in gratiam illorum, a quibus commendabantur, relaxabat partem aliquam canonicæ pœnitentiæ, noluit tamen pacem largiri, niſi ſtuduiſſent Deum ſatisfactione placare, affirmans plurimum quidem apud judicem poſſe Martyrum merita, & juſtorum opera; ſed tamen dandam non eſſe cunctis *præpropera feſtinatione* remiſſionem peccati, quoniam *facilitas veniæ non concedit pacem, ſed tollit*, & etiam Noe, Moyſes, aliique viri Deo acceptiſſimi orantes pro peccatis populi, veniam aliquando non impetrarunt. Legendus liber de lapſis pag. 379. ubi nequaquam conſentit Novatianis aſſerentibus non remitti pœnitentium peccata, ſed mandat, ut lapſi antequam reconcilientur juxta illius temporis diſciplinam in ſe puniant patrata delicta, ſicut præmonui hujus vol. pag. 141. Præterea cum Cyprianus accepiſſet nonnullos idolorum ſacrificiis pollutos *impudenter* litteras Martyrum quærere, ne congruentem pœnitentiam ſubirent, datis Epiſtolis ad Martyres & Confeſſores, illos graviter hortatus eſt, *ut ſollicite & caute lapſorum deſideria ponderarent*, necnon delictorum genera expenderent, ut colligitur ex Epiſt. 10. pag. 52. & ex Epiſtola 14. pag. 59. In Epiſtola etiam ad Fidum 59. pag. 211. objurgandum cenſuit Terapium Epiſcopum Bullenſem in provincia Proconſulari, quoniam *immaturo tempore*, & nimia feſtinatione pacem dederat cuidam Victori dejecto e gradu presbyteri, *antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Deo in quem deliquerat ſatisfeciſſet*. Hæc itaque ratio agendi evidenter demonſtrat nullatenus fuiſſe relaxatam, ſed inviolabiliter cuſtoditam veterem diſciplinam a glorioſiſſimo Martyre Cypriano, de quo jure meritoque Prudentius περὶ ϛεφ.

Ipſe modeſta loqui, ſpem quærere, regulam tenere,
Vivere juſtitia Chriſti, & penetrare dogma noſtrum;

THESIS VIII.

Quod S. Cyprianus ordinaria lege pacem daret poſt pœnitentiam exactam, aliorum quoque praxi & conſuetudine comprobatur; quamquam non ſit de Sacramenti ſubſtantia, ut ſatisfactio præcedat abſolutionem. Voluiſſe Cyprianum, ut qui deliquerant, antequam reconciliarentur ab Eccleſia, Deum ſatisfactione placarent, conſtat ex Epiſtola ad Fidum, atque ex libro de lapſis, ut nuperrime dictum eſt. Non ſolius Cypriani, ſed & aliorum hanc fuiſſe ſententiam, probatur ex decreto Zephyrini de quo th. 2. *Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Confirmatur aliorum Pontificum reſcriptis; nam Innocentius I. Epiſt. ad Decentium cap. 7. ait, *Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*: atque S. Leo in epiſtola ſæpe laudata ad Theodorum Forojulienſem, affirmat ſacerdotibus a Chriſto fuiſſe conceſſum, *ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Idem demonſtratur ex Patribus, inter quos S. Pacianus in Epiſtola 1. ad Sempronianum ſcribit veniam dandam *magno pondere*,

dore, magnaque libramine, poſt multos gemitus effuſionemque lacrymarum, & poſt totius Eccleſiæ preces: ac S. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 9. docet prius agendam pœnitentiam, deinde tribuendam veniam, prius ſolvandum quod debitum eſt, ut quod ſperamus, mereamur impetrare, eos autem, qui ſtatim ſolvi cupiunt, velle potius Sacerdotes ligare, quam culpa propriam conſcientiam exuere. Demum fuiſſe hanc univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem (etiam apud Orientales, ſaltem ante ſublatam a Nectario actionem publicæ pœnitentiæ) demonſtratur ex *Sozomeno* lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. 16. ex canone XI. Concilii III. Toletani, ex libro Gennadii de Dogmatibus Eccleſiaſticis cap. 53. ex antiquo Ordine Romano in Codd. Tiliano, Remenſi, & Ratoldi, necnon ex monimentis aliis compluribus, quæ legi poſſunt apud Natalem Alexandrum diſſert. 9. ſæculi 3. Hugonem Menardum not. 677. in Sacram. Gregorii, Tournely q. VII. art. 3. Concl. 2. ac præſertim Edmundum Martene de Antiq. Eccleſ. ritibus lib. 1. p. 2. cap. 6. art. 5. ubi pertractat de reconciliatione Pœnitentium.

Verum ad Sacramenti *eſſentiam* non pertinere, ut abſolutioni præcedat ſatisfactio, eruitur primum ex dictis; ſiquidem præced. capite demonſtratum eſt num. V. egredientibus de corpore abſolutionem eſſe impendendam, quamvis nondum pœnitentiam impleverint, immo præſidium pœnitentiæ, & reconciliationem petentibus in periculi urgentis inſtantia imponendam non eſſe laborioſam ſatisfactionem, quam implere non valeant, rectiſſime monent Præſules ſanctiſſimi S. Antoninus p. 3. tit. 17. cap. 20. ac S. Thomas de Villanova conc. 6. ſ. 6. poſt Dom. IV. Quadr., necnon in Rituali Romano Summus Pontifex Paulus V. Conſtat etiam ex præcitatis Epiſtolis Cyprianicis ante pœnitentiam exactam reconciliatos fuiſſe lapſos, ut perſecutione ferveſcente, Eccleſiæ pace, & Sacramentis muniti inirent certamen fidei animo alacriori. Diximus etiam datam pacem *libellaticis* Eccleſiam pulſantibus, ne invitante diabolo, ut Epiſt. 52. ait Cyprianus, in hæreſim, vel ſchiſma raperentur: quod approbat etiam SS. Pater Auguſtinus lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani, ubi num. 15. docet, quomodo adhibenda ſit tolerantia, ne improbi ſeparentur ab unitate, neque, ut Evangelium monet, cum zizania ſimul eradicetur & triticum, ſaluberrima hac monitione concludens, *Hæc qui diligenter cogitat, nec in conſervatione unitatis negligit diſciplinæ ſeveritatem, nec immoderatione coercitionis diſrumpit vinculum ſocietatis*. Aliquando etiam accelerata eſt lapſis venia, propterea quod gloria Dominicæ confeſſionis extorres facti, & bonis omnibus expoliati maculam priſtinam potiore virtute deleverint: quo nomine Caldonius ſtatim pacem dedit Felici Decimi adminiſtro, Victoriæ illius conjugi, & Lucio, qui poſteaquam ſacrificaverant, iterum tentati, Chriſtum confeſſi in exilium pulſi ſunt, quod a Caldonio conſulte geſtum laudat epiſt. 19. pag. 69. ipſemet Cyprianus. Humanitatem quoque maximam experti ſunt illi, qui ad Eccleſiam redeuntes etiam alios reducere ſtuduerunt, ut diximus theſi IV. de Trophimo ad pacem ante mortis pericula admiſſo. Jam vero ſi neceſſario pœnitentia debuiſſet præcedere abſolutionem; neque ægritudine occupatis, neque poſitis in perſecutionum, & ſchiſmatum infeſtatione, neque *libellaticis*, neque ceteris, de quibus hactenus dictum eſt, reconciliatio fuiſſet conceſſa. II. Eadem veritas demonſtratur cenſuris in ſententiam oppoſitam latis. Cum enim anno 1478. Petrus Oxomenſis ſcripſiſſet pœnitentes non eſſe abſolvendos niſi peracta prius pœnitentia, poſt accuratum examen illum *juſſu* Sixti IV. damnavit Alphonſus Carillus Archiepiſcopus Toletanus, & Petri ſcripta igni fuere tradita ut narrat in 2. 2. q. 1. art. 10. Bannefius, tametſi in libro Petri Oxomenſis alius quoque error, & quidem deterior comprehendebatur, quo affirmabat confeſſionem Sacramentalem non a Chriſto, ſed ab hominibus fuiſſe inductam. Eumdem errorem, ſcilicet, quod *ex invariabili natura, atque ex Chriſti inſtitutione* executio ſatisfactionis impoſitæ præmittenda ſit abſolutioni, proſcripſit ann. 1644. S. Facultas Pariſienſis. Cum idem error circa annum 1672. erupiſſet in Belgio, male penes omnes audiit, illumque anno 1690. confixit Summus Pontifex Alexander VIII. in proſcriptione prop. XVI. XVII. & XVIII. Queſnelliana quoque propoſitio 87. qua Novator aſſerit modum plenum lumine, & caritate eſſe, *ſi animabus detur tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei antequam reconcilientur*; hæc, inquam, propoſitio in Bulla *Unigenitus* an. 1713. a Clemente XI. damnata fuit. III. Idem exemplis plurimis oſtendi poteſt, inter quæ principem tenent locum mulieris peccatricis, alterius mulieris adulteræ, Zachæi, latronis, aliorumque a Chriſto ſtatim poſt converſionem in gratiam receptorum: unde colligimus, olim ab Eccleſia pœnitentes in longa gemituum & afflictationum exercitatione fuiſſe detentos ad explorandam potius illorum converſionem, de qua non immerito in tanto rerum diſcrimine dubitabatur, quam ad expetendum definitum aliquod tempus abſolutionis. Deinde in Orientali Eccleſia, ex quo Nectarius ſuſtulit presbyterum pœnitentiarium, continuo pœnitentes e culpis abſolvebantur, & pro ſua conſcientia ad communionem accedebant, ut conſtat ex Hiſtoria Sozomeni, permultiſque S. Joannis Chryſoſtomi teſtimoniis cap. 1. productis. Simeon quoque Stylita, qui floruit ſæculo 6. accedentem ad ſe hominem ſceleſtiſſimum, qui præter alia flagitia dæmoni immolaverat ſacrificium, cum in eo deprehendiſſet vehementis contritionis indicia, nulla interpoſita mora abſolutione donavit, ut legitur apud Bollandum die 24. Maji. Idem ſæculo VII. probaſſe S. Eligium Noviomenſem Epiſcopum colligitur ex ejus homilia 13. VIII. ſæculo non differendam abſolutionem ad pœnitentiam peractam decrevit in Statutis ſuis cap. 31. S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus. Sæculo IX. in Galliis pœnitentes ſtatim poſt confeſſionem abſolvebantur, ex Jona Aurelianenſi lib. 1. de Inſtit. laicali cap. 10. His ergo, aliiſque exemplis, quæ legi poſſunt apud Martenem cit. cap. 6. art. 4. Thomam Milante in propoſitiones damnatas ab Alex. VIII. & Fulgentium noſtrum Bellelli in Confutatione theſium Queſnelli, iis additis, quæ ex Cypriano produximus, apertiſſime refellitur quidquid in contrarium ex veteri diſciplina, aut ex Patrum auctoritate poteſt exponi. IV. Certiſſimum denique eſt; ſatisfactionem non *ad eſſentiam*, ſed *ad integritatem Sacramenti* pertinere, atque ideo ipſam ſatisfactionem neceſſariam eſſe, quoniam etſi culpa a Domino dimittatur, diluenda tamen remanet temporalis pœna, ut docet cap. 8. ſeſſ. XIV. Synodus Tridentina. Quare non eadem eſt ratio de contritione & confeſſione, ac ſit de ſatisfactione; quamquam cap. 3. ejuſdem ſeſſionis hi tres pœnitentis actus dicantur *quaſi materia* ſacramenti: contritio enim præmittenda eſt, quia eſt diſpoſitio neceſſaria ad gratiam obtinendam; confeſſio item debet præmitti, quoniam prærequiritur ad actum judicialem. Sed quantum ad ſatisfactionem attinet, dummodo pœnitens illam implere velit, ac promittat, neceſſum non eſt, ut abſolutionem illa præcedat; ſed ſufficit ſi injungatur, atque acceptetur; ideoque juxta diverſam Eccleſiæ praxim nunc abſolutio poſt ſatisfactionem data eſt, ut vera ad Deum converſio digno[ſ]ceretur; nunc autem ſatisfactioni præmiſſa, ne contritis & humiliatis, quos Deus non deſpicit, pacem negaret Eccleſia.

THESIS IX.

Quæ apud Cyprianum, alioſque nonnullos leguntur de pace aliquando lapſis in exitu mortis non concedenda, non evertunt quæ ſuperiori capite q. 4. diximus de abſolutione in caſu nemini deneganda, ſive accipiantur illorum teſtimonia de reconciliatione canonica, ſive etiam de abſolutione ſacramentali. Quibuſdam pœnitentiam petentibus denegatam aliquando fuiſſe abſolutionem Joannes Morinus lib. X. cap. 1. Natalis Alex. diſſert. 7. ſæculi 3. Chriſtianus Lupus in canonem 13. Nicænum, aliique initio hujus capitis commemorati haud obſcuris momentis demonſtrant. Primum eſt, quod S. Cyprianus epiſt. 52. inquit: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*. II. Concilium Illiberitanum, quod celebratum dicitur anno 305. ſtatuit canone 1. eum, qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum *idololatraturus* acceſſerit, & fecerit quod eſt crimen capitale, quia eſt ſummum ſcelus, *nec in fine communionem accipere*. Idem canone 2. ſtatuit de Flaminibus, ideſt, ſacerdotibus idolorum, *qui geminaverint ſcelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia*. Haud aliter ſtatuit canone 6. de illo, *qui veneficio alterum interfecerit*: canone 7. de fideli, *ſi poſt lapſum mœchiæ, accepta pœnitentia denuo fuerit fornicatus*: canone 8. de feminis, *quæ nulla præcedente cauſa reliquerint viros ſuos, & ſe copulaverint alteris*: canone 12. de parentibus, & fidelibus aliis, *ſi lenocinium exercuerint, vel proprium, aut alienum corpus vendiderint*: canone 65. de uxore clerici, *quæ aut mœchata fuerit, aut maritum ſuum mœchum a ſe non projecerit*, canone 66. de viro, *qui privignam ſuam duxerit in uxorem*: canone 70. de femina, quæ *conſcio marito ſeſe* alteri ſubjecerit: canone 71. *de ſtupratoribus puerorum*. Videſis tom. 1. Concil. Collect. Labb. pag. 969. & ſequentibus. III. Concilium Arelatenſe an. 314. canone 22. idem definit, quod epiſt. 55. tradiderat Cyprianus: *De his qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ*. IV. Innocentius I. Epiſtola ad Exuperium cap. 2. interrogatus quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & communionis reconciliationem expoſcunt, reſpondit: *De his obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt, Nam conſuetudo prior*

tenuit,

tenuit, ut concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam terrore depulſo communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam aſperitatem, & duritiam ſequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Salvatore noſtro, a perpetuo exitio vindicentur. His ergo momentis prælaudati viri clariſſimi demonſtrant denegatam olim abſolutionem iis qui nunquam ſani poſtulaverant pœnitentiam, ut conſtat ex Epiſtola Cypriani, ex canone 22. & ultimo Arelatenſi, atque ex Innocentii I. Reſcripto ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum; eodemque abſolutionis beneficio privatos fuiſſe, in quibuſdam ſaltem Eccleſiis, reos ſcelerum atrociorum, prout conſtat ex præcitatis canonibus Illiberitanis.

Nequaquam ſolvi videntur hæc argumenta reſpondendo Cyprianum, Innocentium, & canones præcitatos accipiendos eſſe aut de communione Euchariſtica, aut de reconciliatione canonica, per quam in fletu & pœnitentium cœtu commorantibus reſtitutum ſit jus in ſocietatem, congregationemque fidelium, non autem de abſolutione ſacramentali, & remiſſione ſecreta. Permulti enim Theologi adverſus talia reſponſa validis his ratiocinationibus inſurgunt. Principio, inquiunt, hoſpes omnino eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria, qui ignorat abſolutionem ſacramentalem datam fuiſſe ſolummodo poſt pœnitentiam peractam, atque ſtatim poſt abſolutionem conceſſam fuiſſe communionem corporis Chriſti, prout Morinus, Albaſpinæus, Menardus, Martene, aliique plurimi demonſtrarunt, de quibus adiſis Carolum Witaſſe pag. 425. Venetæ edit. Deinde graviora momenta eruunt ex præcitatis verbis ſanctorum Cypriani atque Innocentii. Nam ille negandam pacem cenſuit iis, qui in ſola infirmitate eam expoſtulant, propterea quod non teſtentur toto corde *dolorem delictorum ſuorum*, nec permoveantur *delicti pœnitentia, ſed mortis admonitione*. At ubi deeſt dolor, & pœnitentia delicti, non tantum communio Euchariſtica, verum etiam ſacramentalis abſolutio negari debet. Ad hæc Cyprianus illius furfuris homines indignos appellat, qui in morte accipiant *ſolatium*, ideoque cenſet divino judicio eſſe relinquendos ſine abſolutione, quæ utique non parvum ſolamen afferre poterat morituris. Præterea Innocentius primus duriorem antiquiorum temporum obſervationem deſcribens, ait datam hominibus, de quibus eſt ſermo, *pœnitentiam*, ſed negatam *communionem*; communionem vero paullo poſt *remiſſionem* appellat; ideoque *pœnitentiæ* nomine non intelligit abſolutionem, ut quidam contendunt, ſed *actionem pœnitentiæ*, quam ſi explevíſſent, neque occupati fuiſſent morte, ipſam quoque abſolutionem proculdubio impetraſſent. Neque id redolet hæreſim Novatianorum, qui, ut diximus ſupra pag. 138. pœnitentiam indicebant, & peccata non relaxabant; nam a Cypriano, aliiſque PP. abſolutio nulli *poſt actam pœnitentiam* denegabatur. Immo ex quo Innocentius affirmat conceſſam poſterioribus temporibus *communionem*, quam denegabat ſeverior diſciplina ſuperioris ætatis, ne Eccleſia ſequi videretur *aſperitatem & duritiam Novatianorum*, colligitur illam communionem nihil eſſe aliud, quam abſolutionem ſacerdotalem impognatam a Novatianis. Tollunt denique ambiguitatem omnem poſtrema verba Innocentii affirmantis jam cum pœnitentia tribui *communionem, ut pœnitentes a perpetuo exitio vindicentur*. Non enim cum abſolutione ſacramentali migrantes e corpore ſubiiſſent exitium, atque interitum ſempiternum.

Etſi tamen validiſſime hæc ſunt, judicioque maximorum virorum probatiſſima; nil impedit, quin affirmemus ordinaria quidem lege abſolutionem ſacramentalem olim datam poſt pœnitentiam completam, ut diximus præcedenti theſi 8. atque ita abſolutis conceſſam ſtatim communionem corporis Chriſti; ſed nihilominus aliquando neceſſitate urgente datam fuiſſe abſolutionem ſacramentalem ante communionem, necnon ante reconciliationem canonicam, ideoque duplicem abſolutionem non eſſe commentitiam, quinimo priſcis etiam ſeculis obtinuiſſe: quod potest momentis ſequentibus commonſtrari. Primum *reconciliatio pœnitentium*, cujus formula in vetuſtiſſimis Ritualibus Latinis Græciſque continetur, unde eruditi Theologi nituntur eruere formam abſolutionis *deprecativam*, non videtur reconciliatio & abſolutio ſacramentalis, ut pluribus momentis conjectabam cap. 7. prop. 1. ideoque obtinuit olim reconciliatio aliqua, & abſolutio canonica diſtincta a reconciliatione, & abſolutione ſacramentali. Secundo præcitati canones Illiberitani, dum ajunt ſceleſtiſſimis quibuſdam peccatoribus, *neque in fine* dandam eſſe *communionem*, explicandi ſunt ſeu de communione Euchariſtica, ſeu de ſocietate fidelium, & participatione orationum, atque oblationum Eccleſiæ, ut demonſtrat Ferdinandus Mendoza tom. 2. Concil. Hiſp. pag. 339. & ſeq.

plurimorum aliorum canonum collectione. Atque niſi id diceretur, neceſſum eſt affirmare Illiberitanos Patres fuiſſe revera Novatianos, cum nec poſt pœnitentiam gravioribus criminibus conceſſerint *communionem*. Quamquam vero Annalium Parens Baronius ad annum 57. n. 119. & Bellarminus lib. 2. de Imaginibus cap. 9. ut ſolvant argumentum, quod adverſus cultum ſacrarum Imaginum petunt hæretici ex Illiberitano canone 37. affirmaverint plura in eo concilio reperiri, quæ prope attingant fines Novatiani erroris; ad vindicandum tamen cultum illum non opus eſt ſiniſtro hoc de fide PP. Illiberitanorum judicio; cum 37. canon loquatur de imaginibus Dei, & Trinitatis, quæ olim œconomiæ cauſa ob catechumenos, & Gentiles palam pingi non conſueverunt, ſive ob diſciplinam arcani, ut cenſet cap. 6. Schelestratenus, ſive ne rudes crederent adorari a nobis corporeum aliquod numen, ut eo loci non diffitetur Cl. Bellarminus; ac præterea eodem canone prohibeantur tantum Imagines *in parietibus depictæ*, quod fieri potuit, ne exponerentur ethnicorum ludibrio. Baronius inſuper ad annum 305. num. 41. judicium priſtinum retractavit, ſcribens de illis Patribus loqui Innocentium in Epiſt. ad Exuperium, nec aliquem debere ſanctiſſimis illis viris notam erroris impingere. Si ergo Eliberini Patres non fuerunt Novatiani, quod & conſtat ex illorum canone XXII. in quo lapſis in hæreſim, redeuntibus ad Eccleſiam *pœnitentiam & communionem* concedunt; neceſſum eſt, ut nomine *communionis*, quam multis atrociorum ſcelerum generibus nunquam, *nec in fine*, dandam eſſe decernunt, aliquam aliam reconciliationem intelligant præter abſolutionem ſacramentalem. Tertio ipſe Morinus, qui lib. x. cap. 5. contendit primis Eccleſiæ ſæculis in Occidente denegatam fuiſſe abſolutionem, ſi morbo occupati eam primum poſtulaſſent, libro VI. cap. 24. & 25. luculentiſſimis teſtimoniis demonſtrat, apud Græcos a mille ſaltem ducentis annis poſt confeſſionem & abſolutionem peccatorum diu communionem Euchariſticam retardari, impoſita interim longa & multiplici pœnitentia, eaque completa alteram rurſus abſolutionem impendi, qua ab Epiſcopo percepta pœnitentes liberum ad ſacra myſteria habeant acceſſum. Nec video cur idem dici non poſſit de Eccleſiæ Occidentalis, & de illa ſolemni Reconciliatione, quam commemorat Sozomenus lib. VII. cap. 16. & cujus ritum etiamnum exhibet p. 3. tit. 3. Pontificale Romanum. Quarto abſolutionem canonicam datam ſolemni ritu, & manuum impoſitione, diſtinctam ab abſolutione ſacramentali commonſtrat apertiſſime canon 78. Concilii IV. Carthaginenſis celebrati an. 398. in quo legitur: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupravixerint*. Hoc enim in canone abſolutio per *manus impoſitionem* collata non eſt ſacramentalis, & quæ proculdubio præcedere debet viaticum Euchariſticum. Eadem duplicis abſolutionis diſtinctio traditur in tertio canone primi Concilii Arauſicani celebrati an. 441. Vide Tournelium q. 9. art. 2. Quinto in cap. *Presbyter, ſi fornicationem*, diſt. 82. n. 5. ſtatuitur *ex auctoritate Sylveſtri* (quam tamen neſcio ubi expreſſam invenire poſſimus) ut ſacerdos in fornicationis crimen lapſus *decem annis* pœnitentiæ inſiſtat; & nihilominus ei permittitur, ut *finito primo anno, & dimidio corporis & ſanguinis Domini, ne indureſcat, particeps fiat*. Sacerdos ergo ille nondum pœnitentiæ curſu peracto, pacem & reconciliationem obtinuit, alioqui non fuiſſet particeps Euchariſtiæ. Sexto in cap. *De viro nefando*, XII. q. 2. quod a Gratiano tribuitur Nicolao I. ſed conſtat ex veteri collectione canonum eſſe vetuſtius, iis, quibus indicitur pœnitentia *ſeptem annorum*, permittitur ut quarto anno communioni reſtituantur, ſuſcipiantque *corpus & ſanguinem Domini*. Similia occurrunt in 5. 6. & 8. canone Concilii Ancyrani celebrati an. 314. ſub Sylveſtro: unde Sylvius q. XVIII. 3. p. art. 3. colligit, *quod licet non impenderetur pœnitentibus, de quibus ibi ſermo eſt, plena & publica abſolutio, qua publice reciperentur ad communionem, oblationem, & converſationem fidelium, dabatur tamen ſacramentalis abſolutio, ut poſſent communicare*. Atque hac ſententia utitur vir doctiſſimus ad oppugnandum errorem Petri Oxomenſis, a nobis itidem refutatum ſuperiori theſi VIII.

Si quis ergo ad explicanda teſtimonia initio producta, quibus aſſeritur denegatam fuiſſe communionem non petentibus pœnitentiam priuſquam gravi morbo occuparentur, uti voluerit præſidio duplicis communionis hactenus explicatæ; affirmare poterit antiquos Eccleſiæ Patres revera negaſſe illis eam reconciliationem, qua jus tribuitur in ſocietatem fidelium, atque ad aliorum terrorem illos hoc pacis ſolatio privaſſe; tametſi reſtituta Eccleſiæ pace data fuerit, ut inquit Innocentius, *cum pœnitentia communio*. Quamquam autem ſacramentalem abſolutionem nemini Patres illi in exitu denegarent; jure tamen de eorum ſalute timebant, qui nunquam ſani pœnitentiam egiſſent, quoniam pœnitentia tam ſera ſolet eſſe ut plurimum infructuoſa. Ajebat propterea Auguſtinus ſerm. 393. alias hom. 41. ex L. *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quia bene hinc* exit.

exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo. Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit: baptizatus ad horam ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam & reconciliatus cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam ad ultimam & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Unde ſecurus ſum dico, & do ſecuritatem; unde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum.

Ut redeat modo unde diſceſſit oratio: Cyprianus, Innocentius, & quotquot aſſerunt negatam olim reconciliationem iis, qui tantum in extremo vitæ pœnitentiam expoſcunt, aut non loquuntur de abſolutione ſacramentali; aut loquuntur de ſeveritate diſciplinæ, quam tranſactis perſecutionum procellis relaxare opus erat; inde ergo inferri non poteſt, quod hujuſmodi pœnitentes nequeant abſolvi, prout definivimus præced. cap. n. iv.

CAPUT X.

Impugnantur quæ hæretici tradunt de poſtrema Pœnitentiæ parte, nimirum, ſatisfactione.

QUoniam nonnulla ad ſatisfactionem ſpectantia capite præcedenti attigimus; congruum eſt, ut perſequamur reliqua, ſtylumque ad oppugnanda hæretica dogmata convertamus. Itaque *ſatisfactionis* nomine intelligimus compenſationem illam, qua homo pro peccatis commiſſis Deo aliquid perſolvit, ſive ſolutionem pœnæ temporalis indictæ a judice ſpirituali ad ſatisfaciendum exercitatione bonorum operum, & corporis, animique afflictationibus injuriæ Deo per peccatum illatæ. Hanc ſatisfactionem poſt Audianos, de quibus Theodoretus lib. iv. hæreticarum fabularum, & Manichæos quoſdam, qui amplectentibus ſectam ſuam cujuslibet criminis quoad culpam, & quoad pœnam relaxationem pollicebantur, negaverunt poſteriorum temporum hæretici, Lutherus art. 5. & ſerm. de Pœnitentia, Melanchthon in locis commun. & in Apologia Confeſſ. Auguſtanæ art. 12. Kemnitius 2. p. Examinis, Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. n. 25. Dallæus in Opere de hac materia conſcripto, aliique paſſim. Cum enim Novatores ſentiant firmiſſima in Chriſtum fiducia noxam omnem, & omne pœnæ debitum remitti, propterea quod Chriſtus pro omnibus cumulate, & pleniſſime ſatisfecerit, negentque in ſacerdote omnem aliam poteſtatem, præter eam, quæ ſita eſt in miniſterio annuntiationis atque concionis, ex alio autem capite negare non poſſint certum pœnitentiæ ſpatium conſtitutum fuiſſe veterum canonum auctoritate, divinamque ſcripturam præſcribere impiis jejunia, eleemoſynas, fructuſque dignos pœnitentiæ; coguntur neceſſaria conſecutione affirmare, juſtificatis per Chriſtum nullam pœnam diluendam eſſe, & nullam a ſacerdote eſſe imponendam, ſatisfactiones autem canonicas, olim præſcriptas, non fuiſſe ordinatas ad compenſationem aliquam Deo reddendam, ſed ad publicum emendationis teſtimonium exhibendum Eccleſiæ, atque bona opera pœnitentium prodeſſe tantummodo ad mitigandas præſentis vitæ calamitates, & ideo legi Iſaiæ 58. *Frange eſurienti, &c. & requiem tibi dabit Dominus ſempiternam.* Quare ut appareat quantum a veritate Novatores exorbitent, primo demonſtrandum eſt remanere, dimiſſa etiam culpa, pœnam aliquam eluendam; tum poſſe ac debere ſacerdotem pro hac pœna congruam aliquam ſatisfactionem imponere pœnitenti; deinde potius reſpectu Dei, quam reſpectu Eccleſiæ ſatisfactionem ipſam injungi: ac demum implendam non eſſe eo tantum fine ut alleviemur ab hujus vitæ incommodis & ærumnis, verum etiam, ac principaliter ut pro injuriis, quas Deo intulimus, ei aliquid rependamus.

PROP. I. Plerumque dimiſſa culpa temporales pœnæ remanent luendæ.

Demonſtratur primo ex ſacris litteris. Protoparenti enim Adamo remiſſum fuit primæ tranſgreſſionis peccatum, ut ex libro Sapientiæ cap. 10. atque ex traditione Patrum oſtendimus lib. xii. cap. 14. & nihilominus cum tota poſteritate ærumnis, miſeriiſque in pœnam ſceleris, non ad exercitium tantum virtutis, ut inquiunt hæretici, ſubjectus fuit, prout conſtat ex cap. 3. Geneſ. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, &c.* Exodi item xxxii. 14. legimus Dominum intercedente Moyſe placatum fuiſſe ſuper populum Iſrael, qui vitulum aureum in deſerto conflaverat, & nihilominus verſu 34. ait Dominus ipſe: *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* In libro etiam Num. cap. xii. Maria ſoror Moyſis pro qua frater deprecatus eſt Deum, juſſa eſt verſ. 15. abeſſe *ſeptem diebus extra caſtra*, ut rubore ſuffunderetur quod eidem Moyſi detraxiſſet propter uxorem ejus Æthiopiſſam. Et cap. xiv. ejuſdem libri teſtatur Deus ſe dimiſiſſe culpam populo obmurmuranti, & tamen ait, neminem eorum qui Deum tentaverunt, Palæſtinæ terram viſurum fore, omniumque cadavera in ſolitudine terræ mandanda, Caleb tantum & Joſue exceptis. In eodem libro Numerorum cap. xx. 24. etiam Aaron, quem licet humani aliquid paſſum, ſcimus tamen fuiſſe Deo acceptiſſimum, mortuus dicitur in ſupercilio montis Hor, *eo quod incredulus fuerit ad aquas contradictionis*: quod Moyſi pariter accidiſſe demortuo, jubente Domino, in terra Moab, conſtat ex cap. ult. Deuter. verſu 4. Davidi quoque peccatum ſuum confitenti inquit Nathan 2. Regum xii. 13. 14. *Dominus tranſtulit peccatum tuum; non morieris. Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Quod utique magnam pœnam fuiſſe Davidi filiorum ſuorum amantiſſimo inferetur ex iis, quæ ibidem leguntur, necnon ex acerbitate doloris, quem in morte Abſalonis, & Adoniæ expertus fuit. Sed adeat, qui plura Scripturarum teſtimonia deſiderat, Bellarminum lib. iv. de Pœnit. cap. 2. Eſtium in iv. diſt. 17. §. 7. Le-Droint q. 6. cap. 1.

Secundo probatur auctoritate Patrum, ac præſertim S. P. Auguſtini, qui in Pſalmum 50. n. 15. inquit: *Aliquando Deus cui ignoſcit in futuro ſæculo, corripit eum de peccato in iſto ſæculo. Nam & ipſi David, cui dictum jam fuerat per Prophetam, Dimiſſum eſt peccatum tuum, evenerunt quædam quæ minatus erat Deus propter ipſum peccatum.* Tract. 124. in Joannem n. 5. *Cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamvis ut in eam veniret miſeriam primum fuerit cauſa peccatum: productior eſt enim pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.* Idem S. Pater lib. xxii. contra Fauſtum cap. 67. hæc de Davide ſcripſit: *Quid enim aliud quam cordis ejus profunda cernebat Spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit, Peccavi; continuoque ad hoc unum verbum audire meruit, quod acceperit veniam? Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem? Neque enim prætermiſſa eſt in illo ſecundum Dei comminationem flagelli paterni diſciplina, ut & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur.* Paullo infra: *Cum temporalibus emendationibus verberaretur, videbat erga ſe & manere veniam, & non negligi diſciplinam.* Similia invenies apud Ambroſium in Pſal. 37. Chryſoſtomum hom. 4. in Epiſt. 2. ad Corinth. Fulgentium lib. 1. de Remiſſ. peccat. cap. 12. Gregorium Magnum lib. ix. Moralium 17. num. 34. &c. Ex quibus conſtat ſapientiſſime Tridentinum Patres ſeſſ. xiv. cap. 8. declaraſſe *falſum omnino eſſe, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur*; & veriſſime eoſdem Patres affirmaſſe, quod *perſpicua & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quammanifeſtiſſime revincitur.*

Prob. 3. ratione: Certiſſimum eſt in Deo ſummam eſſe clementiam a rectiſſima juſtitia indiſtinctam, propter quam amandus ſimul eſt, ac timendus. At quemadmodum ſumma clementia poſtulat, ut quiſquis peccatum intimo corde deteſtatur, veniam obtineat, quia alias non miſericors pater, ſed judex inexorabilis eſſet Deus; ita exigit juſtitia, ut qui peccarunt, ſeveritate aliqua puniantur, ne facilitas veniæ tribuat ipſis delinquentibus incentivum; quia alias impii nullo metu perculſi, & nulla ſubeundæ pœnæ neceſſitate coacti; fierent in ſcelera procliviores. Inſinuant hanc rationem præclaro loco Tridentini Patres his verbis: *Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii & contumelioſi Spiritui ſancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.*

Opponunt hæretici: Duo in ſacris litteris commemorantur genera ſuppliciorum; unum, quod infligitur impiis & Dei inimicis, de quo pœnarum genere ait David, *Domine, ne in furore tuo arguas me:* & alibi, *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*: aliud ſuppliciorum genus eſt, quo Deus exercet amicos ſuos, non ut de illis ulciſcatur ſemetipſum, ſed ut eos tanquam piiſſimus pater admoneat, juxta illud, *Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me*, & alio in loco, *Deus quos diligit, caſtigat.* Ad primum genus ſpectant ſupplicia vindictæ, & ad contumaces, non ad pœnitentes hæc attinent: ad genus autem alterum pertinent admonitiones paternæ, quæ etiam innocentes, & nullo peccato inquinatos reſpiciunt. Scripturæ igitur, quæcunque afferri poſſunt, aut de ſuppliciis primi generis, aut de ſuppliciis ulterius generis loquuntur. Si de illis; ſupponunt peccandi pervicaciam, non remiſſionem delicti: ſi de his autem, non ſunt punitiones alicujus peccati; ideoque nullum ſcripturarum divinarum exemplum demonſtrat remiſſa culpa manere pœnam. II. Affirmant ſcripturæ, poſt converſionem impiorum omnium iniquitatum illorum Deum oblivisci, peccatum lapſis ulterius non imputari, nihil in iis remanere damnationis. Ezechielis enim xviii. 21. hæc habentur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, vita vivet & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt,*

Digitized by Google

eſt, non recordabor. In Pſ. XXXI. 2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Et ad Rom. VIII. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Si autem deleta culpa maneret pœna luenda, Deus nequaquam oblitus ſuret præteritorum ſcelerum, ſed hæc imputaret ad punitionem atque vindictam, atque ii, qui in Chriſto Jeſu reconciliati ſunt, condemnatione aliqua premerentur. Remiſſis itaque culpis nulla pœna remanet eluenda. III. S. P. Auguſtinus lib. II. de Peccatorum meritis cap. 34. num. 54. ſermonem inſtituens de pœnis, quibus afficimur propter originale peccatum: *Reſpondemus*, inquit, *ante remiſſionem eſſe illa ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem autem certamina, exercitationeſque juſtorum*: & proximo num. 56. idem affirmans de Davide ait, *remiſſionem illam peccati factum, ne homo a percipienda vita impediretur æterna; ſubſecutum vero illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur, atque probaretur*. Conſentiunt Auguſtino alii Patres, ac præſertim Chryſoſtomus, qui hom. 28. in Epiſt. 1. ad Corinth. exponens ea verba, *Quod ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*, inquit: *Non dixit, ſi caſtigaremus nos ipſos, ſi puniremus, ſed ſolum ſi vellemus agnoſcere peccata, ſi nos ipſos condemnare, ſi de delictis ferre ſententiam, liberaremur ab eo, quod & hic, & illic eſt, ſupplicio*. IV. Sublata cauſa removeri debet effectus; at pœna culpæ conſectarium eſt: igitur culpa remiſſa debet quælibet pœna amoveri.

Reſp. ad 1. exactam non eſſe diviſionem ſuppliciorum a Calvino excogitatam, nam præter ea, quibus afficiuntur homines ſceleſtiſſimi, & ea, quibus etiam probi, honeſtique erudiuntur, (quæ tamen aut ſupplicia non ſunt appellanda, aut quotidianis culpis, quibus etiam boni obnoxii ſunt, rependuntur) dantur ſupplicia, quæ propter peccata jam dimiſſa perferri debent *ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, & ad emendationem labilis vitæ*, ut loquitur Auguſtinus. Hujus generis fuiſſe ſupplicia, quæ paullo ſupra ex ſcripturis commemoravimus, aperte conſtat, cum illata dicantur propter peccatum, eoque dimiſſo aliquando perſeveraverint. Id recte intellexit ſanctus David, qui ſentiens præteritorum criminum pondus, cinere, jejunio, lacrymis volebat Deo ſatisfacere, ut alias pœnas peccatis debitas niteretur avertere, quod in Panegyrico de Celſo puero S. Paulinus animadvertens belle cecinit:

Peccatum lugere juvat, contractaque culpis
Vulnera profuſis fletibus abluere.
Qualibus ille ſuum ſtratum omni nocte rigabat
Multa gemens David, corde potens humili.
Si cinerem Rex ille Deo dilectus edebat,
Et ſua miſcebat pocula tum lacrymis;
Quid facere heu miſero mihi competit? unde piabor?
Unde ſatisfaciam? quanam ope ſalvus ero?

Hæc Paulinus pag. 528. edit. Plantinianæ.

Ad 2. hæc ſit reſponſio: Principio Ezechiel haud obſcure pœnitentiam atque ſatisfactionem eo loci commendat; inquit enim, *Si autem impius egerit pœnitentiam, & cuſtodierit univerſa præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur*; ſcilicet, ut interpretatur Hieronymus tom. 3. pag. 826. *Si poſtea egerit pœnitentiam, & ad meliora converſus priſtina peccata deleverit, non judicetur vetuſtate peccati, ſed in novum ſuſcipiatur gregem innovatione virtutis, &c.* Deinde ea verba, *Si fecerit judicium & juſtitiam*, hunc reddunt ſenſum, ſi in ſe punierit admiſſa, & Deo ſatisfecerit operibus miſericordiæ; unde Græci legunt: *ἐὰν ποιήσῃ δικαιοσύνην, καὶ ἔλεος, ſi fecerit æquitatem & miſericordiam*. Ac tandem quemadmodum verba illa, *Vita vivet, & non morietur*, ſignificant vitam ſpiritalem, & liberationem a morte perpetua; ita poſtrema, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*, commonſtrant peccata poſt condonationem non poſſe impium in ſempiternam mortem dejicere, & temporarias pœnas, quibus multatur, modo in juſtitia perſeveret, nullum ei nocumentum, ſed maximam potius utilitatem fore allaturas. Quod objicitur ex Pſ. 31. nullius eſt momenti, quoniam non eſt parvum divinæ largitatis beneficium ſi peccatum ita dimittatur, ut ulterius dignum non reputetur æterna pœna, etiamſi luenda ſit pœna aliqua temporalis. Verba item Apoſt. ad Rom. VIII. nihil urgent: nam ſignificant in renatis per ſacramentum baptiſmatis nullum remanere culpæ reatum; concupiſcentiam autem vel fomitem, quæ manent in baptizatis, relinqui ad agonem, nec poſſe nocere non conſentientibus; ut docet ſeſſione V. Synodus Tridentina, tradidit Auguſtinus lib. 1. ad Bonifac. cap. 10. & nos pariter ſtuduimus explicare lib. VI. cap. 18. & libro XIII. cap. 5. Ceterum ſi poſt peccatum originale remiſſum etiam baptizati hujus vitæ miſeriis, & morti corporis ſubjiciuntur, quæ utique ex prima tranſgreſſione venerunt; quanto magis pœnæ exigendæ ſunt ab iis, qui, ut ait Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. 8. *ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint?* Igitur Apoſtolus *damnationis* nomine intelligit debitum æternæ mortis, a qua liberat *lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu*, quemadmodum mortem æternam proculdubio intellexit cap. III. ejuſdem Epiſtolæ verſu 8. ubi ait, *Quorum damnatio juſta eſt*, nec non cap. XIII. 2. ubi de iis, qui reſiſtunt Dei ordinationi, inquit, *Ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Quare autem ſatisfactiones non imponantur pro peccato originali, ſicut imponuntur pro actualibus, dicam infra.

Tertium ſic diluitur: Auguſtinus eatenus affirmat mortem & calamitates, quæ inflictæ ſunt propter peccatum, & retinuerunt habent ſupplicii, poſt culpæ remiſſionem fieri certamina & exercitamenta virtutis, quatenus etiam quæ merito patimur, deſervire poſſunt ad exercendam humilitatem, ad præteritorum ſcelerum caſtigationem, ad gratiæ incrementum, atque ad novæ vitæ cuſtodiam. Chryſoſtomus autem citato in loco ſcribit homines ſpontanea caſtigatione poſſe evadere temporales ac ſempiternas puniriones, quæ ipſis inferuntur invitis; pœnas tamen hujus ſæculi *magis eſſe admonitionis quam condemnationis, & magis curationis quam punitionis*, quia Deus *hic pœnas exigens, ubi ſupplicium eſt temporale*, vult nos a ſempiternis pœnis emere. Vide edit. Commel. pag. 570. Hæc utique, ac ſimilia Patrum documenta probant, non evertunt pœnas temporales, & ſatisfactiones præteritarum culparum: quod idem Calvinus citato cap. 4. §. 38. confeſſus eſt, audacter & inverecunde pronuntians, Veteres *hac in parte lapſos eſſe, aut nimie aſpere & dure locutos*. Ad ultimum dico ſublata cauſa removeri effectum cum illa neceſſario connexum, at non effectum quemcumque; ſicuti deleto per ſacramentum regenerationis originali peccato, deletur etiam chirographum damnationis; remanent tamen mors corporis, & miſeriarum humanarum illuvies.

PROP. II. Poteſt, ac debet Sacerdos confeſſis pœnas *ſatisfactorias* injungere.

Chriſtus enim, quemadmodum in hac diſſertatione non ſemel ex cap. 18. Matthæi, & 20. Joannis demonſtratum eſt, ſacerdotibus non ſolum *ad ſolvendum*, verum etiam *ad ligandum* conceſſit claves, ſeu poteſtatem judiciariam. Sicut ergo utuntur poteſtate *ſolvendi* dum abſolutionem impendunt, ita æquum eſt utantur poteſtate *ligandi* pœnarum vincula injiciendo. Tradunt hoc argumentum Tridentini Theologi ac Patres prælaudato cap. 8. dum ajunt: *Claves ſacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres & credunt & docent, &c.* Hæc Patrum fides ac doctrina demonſtratur primo auctoritate canonum: nam in Concilio Carthaginenſi III. an. 424. cap. 3. legitur, *Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur*; & in Synodo Laodicenſi an. 363. *His, qui diverſorum peccatorum lapſus incurrunt, & oratione, confeſſione, ac pœnitentia malorum ſuorum perfectam converſionem demonſtrant, pro qualitate peccati pœnitentiæ tempus attribuendum eſt, &c.* Hos aliosque canones vide apud Gratianum, XXVI. q. 7. Rurſus demonſtratur ſententiis præſtantiſſimorum Eccleſiæ Patrum; nam S. Baſilius in Regulis brevioribus interrogat. 106. & 194. ait: *Pro qualitate delicti tempus pœnitentiæ impenditur; hoc ſit in judicio poſitum eorum, qui præſunt, vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt*. Tribuuntur eadem q. 7. hæc duo capita, *Pro qualitate*, &, *Hoc ſit*, a Collectore canonum octavæ Synodo. Ex ejuſdem S. Baſilii epiſtola ad Amphilochium cap. 7. & ex Alcuino de Divinis Officiis cap. 13. compactum eſt C. *Menſuram*, de Pœnit. diſt. 1. a Gratiano adſcriptum S. Hieronymo, ubi legitur: *Menſuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non ſatis aperte præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant qualiter unumquodque emendandum ſit, ſed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt*. S. P. Auguſtinus Ench. cap. 65. num. 17. ſcribit: *Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia ſigna procedit; cum ſit coram illo, cui dicitur, Gemitus meus a te non eſt abſconditus: recte conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata*. Sermone etiam 39. De Sanctis (qui tamen ſuppoſititius videtur, & fetus potius Cæſarii, rejectus proinde in Appendicem tom. V. num. 25.) hæc habentur: *Confeſſionem quæramus puro corde, & pœnitentiam datam a Sacerdotibus perficiamus*. Vide etiam Gennadii librum de Eccl. dogm. olim Auguſtino adtributum, cap. 53. Item S. Leo I. in Epiſt. ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum 79. nunc 129. cap. 6. ait: *Tempora pœnitudinis, habita moderatione, conſtituenda ſunt tuo judicio, prout converſorum animos proſpexeris eſſe devotos*, Extat cap. *Tempora*, XXVI. q. 7. num. 2. Demonſtratur poſtremo loco ratione: ac primum, quoniam non omnis pœna, nec omnis dolor vere pœnitentia appellatur; *pœnitentia enim eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe*, prout inquit Auctor libri de vera & falſa pœnit. inter Auguſtini Opera. Vindictæ autem ac punitiones peccatorum, etſi ſponte, & æquo animo tolerandæ, ab iis ſtatuendæ ſunt, quibus demandata eſt exercendi judicii poteſtas. Deinde Sacerdos non temere debet lapſis veniam,

Digitized by Google

veniam, & remiſſionem a Deo polliceri. At temere ſalus promittitur, quando abſque ſatisfactione impenditur abſolutio; unde Cyprianus de Lapſis pag. 384. ajebat: *Qui pœnitentiam criminis tollunt, ſatisfactionis viam claudunt. Ita fit, ut dum temeritate quorumdam vel promittitur ſalus falſa, vel creditur, ſpes veræ ſalutis adimatur.* Poſtremo Sacerdos etiam curare debet, ut qui deliquerunt, habeant propriæ infirmitatis medicamentum, & novæ vitæ cuſtodiam; quæ duo præſtari pœnis ſatisfactoriis docet præcitato in loco Synodus Tridentina.

Opponunt hæretici: Chriſtus, quando paralytico, mulieri peccatrici, aliiſque dimiſit peccata, nullam iis pœnitentiam injunxit. Oportet ergo, ut Sacerdotes eadem ratione ſe gerant. Præterea neque Apoſtoli conſueverunt pœnitentiam imponere, ſed tantum ceſſationem a peccatis, ſcribente Apoſtolo ad Epheſios IV. 28. *Qui furabatur, jam non furetur*, in quem locum Theophylactus, inquit: *Non dixit Apoſtolus. Puniatur qui furtum committit, ſed a malo deficiat. Punire namque eſt fori judiciarii, dehortari a vitiis Chriſti doctrinæ eſt.* Rurſus ſi Sacerdotes præditi ſunt poteſtate & auctoritate ſolvendi, illamque exercent ſolvendo a reatu culpæ & a debito æternæ mortis, cur etiam non utuntur ea poteſtate ſolvendo debitum pœnæ cujuslibet temporalis? Poſtremo (nam cetera hæreticorum objecta afferentur proxima poſitione) non ſolum per ſacramentum pœnitentiæ, ſed etiam per ſacramentum baptiſmi remittuntur peccata: ſed in remiſſione collata per baptiſmum Sacerdos nullam pœnam præſcribit: nullam ergo pœnam præſcribere debet, dum peccata per ſacramentum pœnitentiæ dimittit ac ſolvit.

Reſpond. ad 1. Chriſtum uſum fuiſſe poteſtate *excellentia*, ac inſuper perfectiſſimam caritatem, & vehementiſſimam contritionem mulieri peccatrici, pio latroni, aliiſque inſpiraſſe, necnon intimum eorum animum inſpexiſſe: Sacerdotes vero nec ſupremam illam poteſtatem habere, nec poſſe inſpirare flagrantiſſimam dilectionem, neque introſpicere pœnitentium corda; ideoque debere illos commiſſo munere fungi, cum ponderatione judicii, cum legis æquitate, & juxta documenta majorum. Communem hanc reſponſionem confirmo verbis Cypriani de Lapſis pag. 378. hæc ſcribentis: *Solus Dominus miſereri poteſt; veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe non poteſt major: nec remittere aut donare indulgentia ſua ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt, ne adhuc lapſo & hoc accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædictum, Maledictus homo qui ſpem habet in homine. Dominus orandus eſt, Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt, qui negantem negare ſe dixit, qui omne judicium de Patre ſolus accepit.* Poteſt etiam reſponderi, Chriſtum Dominum miraculis, rebuſque a ſe geſtis voluiſſe oſtendere divinitatem ſuam, ac ſupremam & pleniſſimam poteſtatem; ideoque dum peccata dimitteret, nec oris confeſſionem exegit, ne videretur ignorare quæ ſunt in homine; nec ſatisfactionem indixit, ne crederetur habere auctoritatem delegatam & circumſcriptam; ſed ut ejus opera eſſent undequaque perfecta, & exhiberent divinitatis ejus invictiſſimum argumentum, cum remiſſione peccatorum contulit ſimul corporis ſanitatem. Hac de cauſa Matthæi IX. 6. *Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Itaque exemplo Chriſti, ſicuti non impugnatur peccatorum confeſſio, ita non reſellitur neceſſitas ſatisfactionis: Sacerdotibus namque non omnem poteſtatem ſuam Dominus communicavit, ſed eam ſolam, quæ neceſſaria erat ad Eccleſiæ regimen; ut ſcilicet peccata dimitterent, non quibuſvis, ſed contritis, confeſſis, ac pœnitentiam agentibus.

Quod additur de Apoſtolis, falſum omnino eſt; Paulus enim Corinthium illum inceſtuoſum *tradidit ſatanæ in interitum carnis*, ut idem Apoſtolus inquit Epiſt. 1. ad Corinth. cap. V. 5. ſive autem *tradi ſatanæ* ſignificet dæmonis obſeſſionem, & ægritudinem atque moleſtiam ab eo illatam, ut cenſent Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique Græcorum; ſive *anathema*, divulſionemque a communione fidelium, ut viſum interpretibus bene multis; ſive *non conſummatam abſumptionem carnis, ſed caſtigationem*, ut loquitur S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 17. num. 95. vel, ut S. P. Auguſtinus ait lib. 3. contra Epiſtolam Parm. cap. 1. num. 3. *pœnam, pœnitentiam, emendationem*; aperte conſtat Apoſtolos in ſcelera animadvertiſſe. Quod illuſtris Eſtius in IV. diſt. 15. §. 12. ad. 3. confirmat locis aliis valde perſpicuis. Porro ex cap. 4. Epiſt. ad Epheſios non infertur oppoſitum; eo ſiquidem loci præcipitur utique converſio a peccatis, ſed non excluditur neceſſitas pœnitentiæ: immo hanc inſinuant quæ proxime ſequuntur. *Magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*: quæ verba ita exponit Chryſoſtomus Hom. 14. *Furati ſunt, hoc eſt peccatum. Non furati ſunt, hoc non eſt peccatum ſolvere. Sed quomodo? Laborarunt, & aliis impertierunt. Sic ſolverunt peccatum*: ἔκλεψαν. τοῦτο ἐστὶ τὸ ἁμάρτημα. οὐκ ἔκλεψαν. τοῦτο οὐκ ἐστὶ τὸ ἁμάρτημα λῦσαι. ἀλλὰ πῶς; ἐκοπίασαν, καὶ ἑτέροις μετέδωκαν. οὕτως ἔλυσαν τὸ ἁμάρτημα. Œcumenius item Comment. in Paulum tom. 2. pag. 43. *Neque enim*, inquit, *ſatis eſt a peccatis ceſſaſſe eum, qui reſipiſcit, ſed & priori contraria incedendum eſt ipſi via. Dicens autem, Laboret, operis difficultatem ſignificavit.* Theophylactus item, qui cum Œcumenio Chryſoſtomi premere ſolet veſtigia, pag. edit. Lond. 545. poſt objecta verba ſubjicit: *Non enim ſatis eſt a peccato quieſcere, ſed contraria via eſt adeunda, diverſum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum? jam nunc operetur bonum: neque id ſimpliciter, verum cum labore, partim quidem ut conterat corpus, quod antea ex torpore mala deduxerat: partim vero ut largiores habeat vitæ mores, & facultates.* Præcedentibus ergo verbis hoc unum ſignificat Theophylactus, ad Chriſtianam diſciplinam non ſpectare illa ſatisfactionum genera, quæ cum dedecore, atque interitu, jure civili ſunt conſtituta, prout indicant ipſa verba, *Punire enim eſt fori judiciarii*, ſive ut legunt Græci, ἐκεῖνο μετὰ γὰρ τῶν ἔξω δικαστηρίων. *Illud enim eſt externi fori, ſeu magiſtratuum.* Utitur etiam Theophylactus ibidem verbo κολάζειν, quod non eſt *punire* tantum, ſed etiam *ſubigere*, vi *exprimere*, & *pœnis afficere*.

Ultima objectio (nam tertia ex ſolutione prioris abunde eſt ſoluta) obviam habet reſponſionem ex cap. 1. prop. 1. & 4. ubi oſtendimus diſcrimen, quod intercedit inter ſacramentum regenerationis, & ſacramentum Pœnitentiæ: illud enim exercetur *per modum judicii*, ad cujus rationem pertinet delictorum punitio. Accedit æquum eſſe, ut aliter in gratiam recipiantur qui ante baptiſmum deliquerunt, aliter vero qui accepto Spiritus ſancti dono Templum Dei violare non formidarunt, ut diximus præcedenti prop. cum Patribus Tridentinis. Maldonatus tom. 2. de ſacram. pag. 93. reſpondet, etiam Catechumenos ante tempus baptiſmi pœnitentiæ legibus fuiſſe ſubjectos; quod probat ex libro Tertulliani de Pœnit. & ex canone 85. Concilii IV. Carthaginenſis: unde infert differentias a ſcholaſticis traditas inter pœnitentiam atque baptiſmum abhorrere a Veterum opinione. At Maldonatus non advertit in Catechumenis adultis requiri pœnitentiam tamquam præviam diſpoſitionem ad gratiam, ut docet Tridentina Synodus ſeſſ. VI. cap. 6. & 14. in ſacramento autem Pœnitentiæ ſatisfactionem eſſe partem integralem, *& quaſi materiam* ejuſdem ſacramenti, juxta idem Concilium ſeſſ. XIV. cap. 3.

PROP. III. Satisfactionis opera non imponuntur tantum ad aliorum exemplum & ædificationem Eccleſiæ, verum etiam ad redimenda peccata, ad ſatisfaciendum Deo, & ad compenſandas illatas ipſi injurias.

Probatur primo ex ſcripturis. Proverbiorum enim XVI. 6. legitur: *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Danielis IV. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* III. 7. 8. *Quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* In 1. ad Corinth. XI. 32. *Dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Ex quibus conſtat, operibus juſtitiæ, eleemoſynis, correptionibus, pœniſque voluntarie aſſumptis placari Dei indignationem, vitari pœnas alias peccatis debitas, ſuppliciaque, & damnationem averti. Hæc autem quis non videt ad pœnitentium commodum, atque ad ſatisfactionis exhibitionem, non ad ſolam Eccleſiæ diſciplinam ſpectare? Probatur 2. canonum auctoritate, & Eccleſiaſticis definitionibus. De Pœnit. enim diſt. 1. cap. 23. habetur: *Nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcunque etſi longe minorem quam debeat, ſolverit pœnam. Ita enim impertitur a Deo largitas miſericordiæ, ut non relinquatur etiam juſtitiæ diſciplina.* Deſumptum eſt ex libro Auguſtini de Contin. cap. 6. num. 15. Cap. item *Porro illi*, ex Proſpero, ſeu potius ex Juliano Pomerio lib. 2. de vita Contempl. cap. 7. hæc extant: *Si ſui ipſius judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores hic in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia.* Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 14. *Docendum eſt Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe a baptiſmali, eaque contineri non modo ceſſationem a peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum; verum etiam eorumdem ſacramentalem confeſſionem ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem, itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento, vel ſacramenti voto una cum culpa remittitur; ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum ſanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti.* Et ſeſſ. XIV. cap. 9. & canone 15. declarat *ſublata pœna æterna*, plerumque remanere exſolvendam pœnam temporalem, pœniſque ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, necnon temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis apud Deum

Patrem

Digitized by Google

Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfieri. Damnata denique eſt a Romanis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. prop. inter Bajanas 76. *Satisfactiones laborioſa juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam*. Probatur tertio teſtimoniis ſanctorum Patrum: inter quos Cyprianus paullo ſupra productus, *Dominus*, inquit, *veſtra ſatisfactione placandus eſt*. Ambroſius ad Virginem lapſam num. 37. *Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem*. Hieronymus in Joelem: *Qui autem peccator eſt, & quem remordet propria conſcientia, cilicio accingatur & plangat vel propria delicta, vel populi: & ingrediatur Eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus: & cubet vel dormiat in ſacco; ut præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vita auſteritate compenſet*. Auguſtinus denique, ut alios brevitatis gratia prætermittamus, ſerm. 351. num. 12. *Non enim* (inquit) *ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere; niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis*. Probatur denique ratione: ſi enim ſatisfactiones eo tantum fine injungerentur, ut impius converſionem ſuam teſtatam faceret Eccleſiæ; nulla ſatisfactio imponenda eſſet pro peccatis occultis, nullum jejunium ſervandum, nulla impertienda eleemoſyna, nullum opus bonum exercendum foret ea intentione, ut Deum peccator placatum redderet, & averteret iracundiæ ejus flagella. Hoc autem ex prælaudatis ſcripturarum teſtibus, ex omnium ſanctorum monitis, ex communi Eccleſiæ praxi, atque ex univerſorum pœnitentium gemitibus, votis, precibuſque apertiſſime refutatur. Ergo ſatisfactiones reſpectu tantum Eccleſiæ, & ad ſolam ædificationem proximorum minime præſcribuntur.

Opponet: Sicut aſſeritur in productis Scripturarum ac Patrum teſtimoniis, opera pœnitentiæ non ſolum valent ad avertenda temporalia ſupplicia, ſed etiam ad redimenda peccata, ad veniam obtinendam, ad evitandam damnationem, iramque venturam: quo nomine venit proculdubio pœna æterna. Atqui pro pœna æterna, ut docet ſeſſ. VI. cap. 14. ipſa Tridentina Synodus, nulla injungitur ſatisfactio. Igitur nec injungenda eſt pro pœna temporali. Præterea ad Rom. III. 24. docet Apoſtolus juſtificationem, remiſſionemque peccati omnino eſſe gratuitam, *Juſtificati* (inquit) *gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Nil ergo pro ipſa Juſtificatione, ac quidem quantum ad pœnam, ſolvandum remanet. Rurſus Chriſtus morte ſua pro nobis cumulatiſſime ſatisfecit, nec ſatisfecit tantum quoad culpam, verum etiam quantum ad pœnam: nequeunt ergo exigi a pœnitentibus opera ſatisfactoria, abſque gravi injuria pleniſſimæ ſatisfactionis Chriſti. Ad hæc qui putat poſſe operibus ſuis illatas Deo injurias quomodolibet compenſare, ſibimet gloriam Redemptoris attribuit, ſibi confidit, atque Reparatori humani generis ingratiſſimus arceſſit adverſum ſemetipſum illam maledictionem, de qua Hieremias XVII. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine*, & quam Cyprianus, præcedenti poſitione laudatus, ait in eos quadrare, qui cenſent veniam poſſe impetrari meritis martyrum, fletibuſque juſtorum. Tandem ſolius juſtitiæ Dei eſt punire peccata. At certe punit in contritione, qua per terrores incuſſos conſcientiam impiorum excruciat & torquet. Non debent ergo homines punitiones alias indicere reſipiſcentibus.

Reſp. ad. 1. videri Theologos diverſam opinionem tenere in ea quæſtione, an ſatisfactione opus ſit ad evitandam pœnam æternam; cum tamen judicio noſtro omnes in re adamuſſim conveniant. Communior ſententia eſt, nullam pro pœna æterna injungi ſatisfactionem, quoniam qui ſatisfacit, ei, cui ſatisfacit, gratus eſſe debet, nec poteſt peccator gratiam & remiſſionem promereri: unde Tridentinum Concilium aperte docet, æternam pœnam vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remitti. Nec aliter poteſt contingere; cum juſtificati per Chriſti gratiam, ſint filii Dei, cohæredes ipſius Chriſti, & nulla ratione ſempiternæ damnationi addicti ſint. At Eſtius diſt. XV. §. 10. Maldonatus de ſatisf. cap. 2. & quidam alii docent opera pœnitentium, reſpectu etiam pœnæ æternæ, habere rationem ſatisfactionis, propterea quod Scriptura & Patres pœnitentiam neceſſariam deprædicent ad obtinendam veniam delictorum: quod adeo perſpicuum eſt, ut nulla opus ſit probatione. Has ergo opiniones ita conciliandas exiſtimo. Opera, quæ reconciliationem præcedunt, nullum habent meritum *de condigno*, ut demonſtravi lib. XIX. cap. 6. itemque cum peccati gravitate & cum pœna æterna, quarum utraque eſt infinita, non poſſunt æquiparari. Quæ vero conſequuntur remiſſionem peccati, habent proprii meriti rationem, & pœnæ ſaltem temporalis poſſunt magnitudinem coæquare. Pœnitentiæ itaque opera *reſpectu pœnæ æternæ* habent quamdam rationem ſatisfactionis improprie dictam, in quantum ante ſuſceptionem ſacramenti præparant ad gratiam, eamque promerentur *de congruo*; & in ipſo ſacramenti actu, dum imponuntur a ſacerdote, & a pœnitente acceptantur, evadunt pars integralis ejuſdem ſacramenti, cujus efficacitate ſolvitur culpæ nexus, atque gehennæ reatus. Dum vero fiunt poſt gratiam remiſſionis acceptam, habent quidem rationem ſatisfactionis proprie dictam *reſpectu pœnarum temporalium*; ſed comparate ad æterna ſupplicia non ſunt ſatisfactoria, niſi quatenus per ſacerdotalem abſolutionem æterni cruciatus commutantur in temporarias afflictationes, necnon quatenus abſolutio ipſa impenditur intuitu actuum pœnitentis, inter quos commemoratur eadem ſatisfactio aut facienda, aut jam facta. Hac autem oppoſitarum ſententiarum conciliatione prior objectio frangitur, & eliditur.

Nam ad ſecundam reſponſum eſt lib. XIX. cap. 5. ubi oſtendimus impios juſtificari per gratiam Chriſti, non quia nullum opus ex parte noſtri ad juſtificationem ſit neceſſarium; ſed quia ſine præveniente gratia, quæ nobis confertur per Chriſti merita, nemo poteſt credere, ſperare, diligere, & pœnitere, ut oportet, ad hoc ut juſtificationis gratiam conſequatur; prout definit etiam Tridentina Synodus ſeſs. VI. can. 3. Cum itaque quicquid recti a nobis geritur, proveniat ex gratiæ munere, gratia autem ex Chriſti redemptione; rectiſſime inquit Apoſtolus, *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Rectiſſime item Eccleſiæ egregius Doctor Ambroſius animadvertens merita quæque noſtra ex paſſione Domini proficiſci, ſimulque commendans ſatisfactiones noſtras & gratiam Reparatoris, lib. 2 de Abel & Cain cap. 3. n. 11. ait: *Crimina bonis operibus, fideique pretio, & miſeratione redimamus. Pretium meum ſanguis eſt Chriſti*.

Tertia objectio ex principiis noſtris diluitur quamfacillime. Diximus enim tom. II. pag. 96. & tom. III. pag. 117. Chriſtum ſanguinem ſuum fudiſſe pro omnibus, & univerſum genus humanum redemiſſe, *aſſumendo communem cauſam, & inſtituendo pro omnium ſalute remedia*. Diſputantes autem de Chriſti ſatisfactione adverſus Socinum eodem Volum. III. pag. 113. atque in prolixa illa diſputatione frequenter diximus hominem, qui proprio arbitrio degit ſub dæmonis captivitate, non inde invitum coactumque erui, ſed ſponte, libere, & proprio conatu; qui eo vehementior eſſe debet, quo illicitis voluptatibus hæret tenaciori conſuetudine. In peccatorum denique converſione, in fructibus pœnitentiæ, atque in conſecutione ſalutis non tantum communis cauſæ patrocinium, & remediorum præparationem, ſed peculiarem quoque dilectionem Dei adinveniri, & actualem participationem fructuum paſſionis Chriſti. Quibus ad memoriam revocatis, nego ſatisfactionibus noſtris injuriam aliquam irrogari paſſioni, atque ſatisfactioni Dominicæ: non enim ita pro nobis Dominus ſatisfecit, ut nollet nos eſſe illius paſſionis imitatores, neque ſatisfactiones noſtræ habent meritum aliquod independenter a Chriſti morte; ſed voluit ipſe Dominus ut ejus veſtigia ſequentes mortificati ſimus carni, vivificati ſpiritu, dans nobis hujus rei gratia inſpirationem caritatis, virtutum ſemina, & copiam ſacramentorum. Appoſite Tridentini Patres ſeſs. XIV. cap. 8. *Accedit ad hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus*. Adeas volumen hujus Operis III. pag. 118.

Corruit eadem reſponſione inſequens objectio, quippe in nullo mortalium, ſed in Chriſto ſpem locat, quiſquis firmiſſime tenet per gratiam ipſius meritis comparatam, non autem propriis viribus poſſe ſe pœnitentiam agere, placare Deum, veniam promereri, ſalutem conſequi. Ideo Cyprianus, dum protulit verba illa Jeremiæ, *Maledictus homo, qui ſpem habet in homine*, ad opera pœnitentiæ, & ad ſatisfaciendum Domino, non ad ſterilem & inanem fiduciam, hortabatur lapſos; ut aperte conſtat ex dictis. In poſtrema denique objectione hæretici duplici nomine peccant; primum, quia ſtatuunt contritionem in incuſſis terroribus: deinceps, quia intimationem ſupplicii, unde terror incutitur, imperite cum pœnitentia, & ſatisfactione confundunt. At vide hujus vol. pag. 142. Cetera, quæ opponi poſſunt, facile diluuntur ex præcitata diſputatione adverſus Socinianos.

CAPUT XI.

Documenta quædam ſervanda a Confeſſariis in ſatisfactionibus injungendis.

QUoniam ſacerdos, ut dictum eſt cap. præcedenti, debet ſatisfactionem imponere pœnitentibus, in id primum toto ſtudio eſt illi incumbendum, ut injuncta opera qualitati criminum, viribuſque pœnitentium reſpondeant. Hinc peſſime ſe gerere dicendi ſunt, qui pro graviſſimis culpis opera leviſſima imponunt. *Debent ſacerdotes Domini* (ait præcit. cap. 8. Synodus Tridentina) *quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfa-*

Digitized by Google

ſatisfactiones injungere, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Idem conſtat ex capp. *His qui diverſorum*, *Pro qualitate*, *Pœnitentibus*, c. xxvi. qu. 7. Nec aliud eruitur ex Patribus. Cyprianus enim de Lapſis pag. 385. *Alto vulneri*, inquit, *diligens & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne tu Dominum cito poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cujus templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facile eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius, & rogare, diem luctu tranſigere, vigilias noctibus ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere, in cinere, & cilicio, & ſordibus volutari, &c.* Similia docent Clerus Romanus Ep. xxxi. inter Cyprianicas pag. 98. S. Ambroſius de lapſu Virginis cap. 8. num. 35. & de Pœnit. lib. 1. cap. 3. num. 10. Gregorius Magnus lib. iv. Moralium cap. xviii. num. 33. & ſeqq. Joannes Climacus in Scala Paradiſi Gradu v. pag. 114. aliique Patres. Recte itaque S. Carolus in Inſtit. Confeſſariorum latine redditis a Poſſevino: *In ſatisfactionibus, vel pœnitentiis Confeſſarius circumſpectus eſſe debet, ne adeo leves illæ ſint & faciles, ut poteſtas clavium in contemptum veniat, ipſeque particeps fiat & conſors aliorum peccatorum; neque nimis graves, aut longa jubeantur, ut vel recuſent eas exequi, vel etiamſi acceptas habeant, poſtea tamen plene non perficiant.* Id vero, quod ſpectat ad æquitatem pœnarum, nec fugit profanos ſcriptores, qui de animadverſionibus, ſuppliciiſque tractarunt: inter quos Quinctus Horatius ſatyra 3. lib. 1. adverſus Stoicos, ADSIT, inquit,

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

II.

Oportet idcirco, ut Confeſſarius Eccleſiæ diſciplinam, & præſcriptiones canonum non ignoret. *Confeſſarius* (ita proſequitur S. Carolus) *canones pœnitentiales ad unguem ſcire oportet: nam quamvis illi poſſint ſecundum prudentis & morati Confeſſarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, perſonarum qualitas, diverſaque conditio, aliæque circumſtantiæ oſtendent; utiliſſimum tamen eſt ſemper ipſos canones præ oculis habere, atque eos tamquam ad amuſſim reſpicere, quantum conveniens erit: & quidem Confeſſarius, etſi pro modo antiquo canonum pœnitentiam non habet ſequi; tamen pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, ut ſic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviuſculam, quam ipſi dedit, alacrius exequatur.* Idem docet Concilium Pariſienſe iv. an. 829. canone 21. Cabilonenſe 2. an. 813. canone 38. Moguntinum ſub Rabano canone 31. & Synodi aliæ complures apud Merbeſium diſſert. iv. q. 64. & Natalem Alexandrum cap. vi. art. 6. Regula ſeptima. Quare ſingulos pœnitentiæ canones diſſertationibus ſuis inſerunt eruditi Theologi, uti faciunt idem Alexander proximo articulo 7. pag. edit. Pariſienſis 674. Genettus tom. iv. pag. 147. Le Droint tom. 2. pag. 139. ubi cum percommode legi poſſint, non opus eſt hunc librum nimis jam excreſcentem illorum canonum exſcriptione prolixiorem facere atque ampliorem. Illud tantum iis, qui leviſſimas ſatisfactiones injungunt, in mentem revoco, juxta eorum canonum præſcripta gravioribus culpis trium, ſeptem, & aliquando decem annorum pœnitentiam taxari, addita comminatione Ezechiel. xiii. 18. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis*; verbiſque Jeremiæ vi. 14. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax; & non erat pax.*

III.

Neque hoc affirmo, quaſi neceſſariam exiſtimem ſeveriorem antiquiorum temporum diſciplinam, aut oblitus ſim eorum, quæ ſcripſi præcedenti cap. viii. num. 3. adverſus quorumdam Confeſſariorum aſperitatem. Fateor prudentia ſacerdotum, non canonum rigore imponendam eſſe ſatisfactionem; atque in hoc indulgentiam deſidero, ac lenitatem. Et quidem pœnitentiam determinandam eſſe arbitrio, judicioque Confeſſariorum demonſtrant Capitula *Pœnitentibus*, *Hoc fit in judicio*, *Tempora pœnitudinis*, xxvi. q. 7. & cap. *Menſuram*, de Pœnit. diſt. 1. quæ produxi prop. 2. capitis præcedentis, indigitans fontes ex quibus deprompta fuerunt, haud recte a Gratiano allegatos. Cur autem indulgentiam potius, quam ſeveritatem duritiamque approbem, non unam rationem trado. Prima ſit, quod ſacramentum Pœnitentiæ *non eſt forum iræ vel pœnarum*, ut ſeſs. xiv. cap. 8. inquit Tridentinum. Altera, quod *in lege ſacrificium, in Evangelio miſericordia commendatur*, ut habetur cap. *Libenter ignoſco*, de Pœnit. diſt. 1. exſcripto ex lib. 1. Ambroſii de Pœn. cap. 11. nu. 54. Tertia, quoniam cap. *Alligant*, xxvi. q. 7. hæc leguntur: *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes; nonne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim pater familias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, ut quid ſacerdos ejus auſterus? Vis apparere ſanctus? circa vitam tuam eſto auſterus, circa alienam benignus*: quæ verba leguntur hom. 43. Operis imperfecti in Matthæum, quod nomine Chryſoſtomi circumfertur. Poſtrema, quoniam etiam S. Thomas a Villanova ſer. 6. poſt iv. Dominicam Quadrageſimæ ita Confeſſarios alloquitur: *Non pœnitentia eos gravetis, non auſteritate terreatis: nam in actione pœnitentiæ non tam attenditur quantitas rigoris aut temporis, quam doloris*; ac paullo infra: *Satius judico cum modica pœnitentia animas ad purgatorium remittere, quam propter pœnitentiæ rigorem damnationis periculo eas exponere: nam pœnitentia pro mortali ſi acceptatur, obligat ad effectum. Sic itaque rigorem pœnitentiæ temperato, ut neque levitas delicti contemptum, nec gravitas omittendi periculum creet. Hoc judicio meo ita perficies, ſi faciliem unam injunxeris, acriorem alteram peccatori conſulueris.* Hactenus S. Thomas.

IV.

Quoniam vero nimia ſacerdotum facilitas & conniventia, ut paullo ſupra diximus cum S. Carolo, & cum Patribus Tridentinis, poteſt illos participes reddere alieni peccati; neceſſum eſt, ut ſacerdos juſta de cauſa, non commiſeratione perniciosa & fallaci, humaniorem faciliоremque ſe præbeat. Juſtam cauſam appello primum vehementiam & acerbitatem contritionis, non falſis indiciis, ſed præcedentibus operibus comprobatam; quoniam, ut habetur præcit. cap. *Menſuram*, Apud Deum *non tam valet menſura temporis, quam doloris, nec abſtinentia tantum ciborum, quam mortificatio vitiorum: propter quod ipſa tempora pœnitentiæ pro fide & converſatione pœnitentium abbrevianda ſunt, & pro negligentia protelanda extant*: & cap. *De Pœnitentibus*, de Conſecrat. diſt. 3. *Ceterum de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis.* Accedit S. Thomas q. xiv. Supplem. art. 3. ad 1. ſcribens: *Quanto eſt major contritio, tanto magis diminuit de pœna; & quanto aliquis plura bona facit in peccato exiſtens, magis ſe ad gratiam contritionis diſponit, & ideo probabile eſt quod minoris pœnæ ſit debitor; & propter hoc deberent a ſacerdote diſcrete computari, ut ei minorem pœnam injungat, in quantum invenit eum melius diſpoſitum.* II. Cauſa altera eſt pœnitentium ægritudo, in qua ea tantum ſatisfactio debet injungi, quam ſacerdos putat infirmum *veriſimiliter impleturum*, ut inquit S. Antoninus p. 3. tit. 17. cap. 20. In Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis Epiſcopi cap. 48. pariter legitur: *Ab infirmis in periculo mortis poſitis, per presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda, & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis pondus pœnitentiæ ſublevandum, &c.* Extat quoque apud Gratianum, xxvi. quæſt. 7. num. 1. In Rituali item Romano: *Meminerit porro ſacerdos, ægris non eſſe injungendam gravem aut laborioſam pœnitentiam; ſed indicendam tantum illam, quam ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi ſatisfactione impoſita, & acceptata, abſolvantur prout opus fuerit.* III. Tertia cauſa, ut S. Carolus monet, petitur ex conditione, & qualitate perſonarum; qua in re animadverto leviorem pœnam eſſe imponendam, ubi minus eſt malitiæ & deliberatæ voluntatis, ex cap. *Si quis inſaniens*, xx. q. 1. Habendus itidem eſt ætatis ſenilis intuitus, juxta cap. *Tempora*, xxvi. q. 7. necnon eorum, qui immiſſa a Deo flagella patienter tolerant, quum etiam temporales pœnæ a Deo inflictæ, ſi æquo libenterque animo ferantur, habeant rationem aliquam ſatisfactionis, ut aſſeritur a Tridentino ſeſs. xiv. cap. 9. & a Gregorio Magno Moral. ix. cap. 27. necnon cap. *Si peccatum David*, de Pœnit. diſt. 1. num. 82. Attendi quoque debent delinquentium ſcientia, ſexus, & ætas, ut ſingillatim explicat Alexander III. cap. *Sicut dignum*, in v. Decretalium tit. 12.

V.

At quænam opera pro ſatisfactione debent præſcribi? Aſſentiendum omnino S. Thomæ q. xv. Supplementi art. 1. ubi docet imponenda eſſe opera pœnalia. Scripturæ enim ac Patres, dum ad pœnitentiam hortantur, memorant jejunia, ſqualorem veſtium, fletus, eleemoſynas, aliaſque corporis animique afflictationes. Ita Danielis iv. 24. Joelis ii. 12. Jonæ iii. 7. 8. ac Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, aliorumque Patrum teſtimonia partim hoc ipſo, partim capite præcedenti producta. Idem docet Concilium Tridentinum, cujus hæc ſunt verba: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* II. Inter hæc opera principem tenent locum *eleemoſyna*, *jejunium*, & *oratio* quibus Tridentina Synodus ſeſs. xiv. canone 13. addit *alia pietatis opera*.

Omnia

Omnia tamen ad tria illa reduci poſſunt, ſcilicet ad jejunium afflictationes quælibet corporis, ad orationem opera omnia ſpiritualia, & ad eleemoſynam univerſa officia miſericordiæ. Ad hæc autem tria genere operum, ideſt, afflictionum corporis, exercitationum ſpiritualium, & miſericordiarum, ideo ſatisfactiones ſingulæ reducuntur, quoniam quidquid in nobis eſt, aut ad bona corporis, aut ad bona animi, aut ad bona fortunæ pertinent; atque punientes in nobis peccata, neceſſum eſt, ut nobis ſubtrahamus aliquid rerum, quibus utimur, & delectamur. Patretur etiam quodlibet crimen aut carnalium ſenſuum oblectamentis, aut pravitata & ambitione ſpiritus, aut fratrum deſpectu, rerumque exteriorum ebuſu. Cum itaque ſatiſfactio debeat eſſe ſimul vindicta peccati, & medicamentum infirmitatis, & contraria contrariis curentur; carnis illecebris jejunia, contumaciæ animi orationes, atque rerum exteriorum abuſui opera miſericordiæ debent opponi. III. Hinc apparet quam imperiti ſint medici, qui perditiſſimo homini ſcortationi, ebrietati, noxiiſque aliis voluptatibus dedito præſcribunt pſalmos duntaxat, & *Roſaria* (ſi hæc etiam, & non minora injungunt) non autem cibi abſtinentiam, non jejuniorum inedias, non ſaccum ciliciumque, & alia, quibus reprimitur lacertoſa cupiditas: ob quam ineptam, & incongruentem medendi artem, experimur quod Poetarum unus eſt, de Ponto III. 7.

Cavendo fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

VI.

Æquum tandem eſt, ut pro peccatis publicis publica etiam pœnitentia indicatur. Hoc enim præſcribitur apud Gratianum cap. *Canonica inſtituta*, XI. q. 3. capp. *Ea vero*, & *Id tamen*, de Pœnit. diſt. 1. Item in V. Decretal. tit. 38. cap. *Manifeſta*. Rurſus in Concilio Tridentino ſeſſ. XXIV. de Reform. cap. 8. & in Catechiſmo Romano p. 2. cap. 5. num. ultimo. Ratio eruitur ex Auguſtino, qui cap. 65. Enchiridii num. 17. ſcribit ſatisfaciendum eſſe *etiam Eccleſiæ*, nempe emendationis teſtimonium ad rectam vitam illos revocandos eſſe, quos peccator *exemplo ſuo ad malos mores provocavit*, prout citato in loco inquit Tridentinum. Multi quidem Theologi docent pœnitentiam publicam non poſſe imponi *ex vi tribunalis pœnitentiæ*, propterea quod ex inſtitutione divina hoc tribunal debet eſſe ſecretum: fatentur tamen debere Confeſſarium publicam ſatisfactionem imponere, ſi id ad tollendum ſcandalum, & ad fidelium ædificationem ſit neceſſarium: quod, inquiunt, non eſt ſatisfactionem injungere, ſed declarare ad quid pœnitens propter manifeſta crimina teneatur. Sed logus eſt, & verborum contentio; in qua non opus eſt tempus terere. Interim ex hoc capite, & ex quinto, ubi diſſerui de Confeſſariorum dotibus, apparet quam recte Præmonſtratenſis Theologus in Principiis Theologiæ Moralis & Speculativæ tom. 3. pag. 379. ita miniſtrum hujus ſacramenti alloquatur:

Periculoſa plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo:

quod exſcripſit ex Horatio Flacco lib. 2. Odarum num. 1.

CAPUT XII.

Quid ex parte pœnitentium circa ſatisfactionem debeat attendi.

PRo Confeſſariis igitur monita quædam præmiſſa ſunt: nunc alia ad pœnitentes ſpectantia ſubjiciuntur. Principio indubitatum eſt, a pœnitente injunctam ſatisfactionem acceptandam atque implendam eſſe; quicquid in contrarium ſcripſerint Navarrus, Medina, Armilla, aliique pauci; quibus adnumerari ſolent etiam Scotus, & Gabriel Biel. Id eruitur primo, ex quo juxta Tridentinum Concilium ſeſſ. XIV. cap. 8. debent ſacerdotes ſatisfactionem imponere, quoniam ipſis *claves non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſæ ſunt*. Sicut ergo abſolventes revera peccata dimittunt; ita ligantes vero præcepto ſatisfactionem implendi pœnitentes devinciunt & illigant. Quare poſt Tridentinum Concilium non poſſe hoc negari abſque nota temeritatis, Victoria, Suarez, Neeſſen, aliique plurimi aſſeruerunt. Ante Concilium tamen Tridentinum, injunctam pœnitentiam implendam declaraverat Lateranenſis Synodus cap. *Omnis utriuſque*, ut demonſtrant Sylvius in q. XVIII. Supplem. art. 3. quæſt. 3. Probatur deinde auctoritate ſummorum Theologorum, qui floruerunt doctrina ſimul, & ſanctitate: nam teneri pœnitentes ad ſatisfactionem implendam, in quantum injungitur *poteſtate clavium*, docuerunt S. Thomas, & S. Bonaventura in IV. diſt. 16. S. Antoninus p. 3. tit. 14. cap. 18. ac S. Raymundus ibidem ab Antonino laudatus: de quibus legi poteſt Nat. Alex. lib. 2. de Pœnit. cap. 5. art. 6. §. 8. Tertio demonſtratur traditione Patrum, & auctoritate canonum, quibus præcipitur, ut judicio Sacerdotum ſatisfactio imponatur; ac non ſatisfacientibus denegetur *communio*, prout apparet ex præcedentibus diſputationibus. Tandem probatur Theologica ratione, petita tum ex judiciaria poteſtate Sacerdotis, tum ex ipſa ſatisfactionis natura: ſi enim Sacerdos judex eſt, & judici congruam ſatisfactionem injungenti æquum eſt obtemperare; nulla cauſa poteſt eximere pœnitentem a ſatisfactione adimplenda, dummodo legitime, & ad juris regulas ſit impoſita. Cum inſuper ſatiſfactio ſit ſacramenti pars integralis; ſi quis eam implere negligat, ipſum ſacramentum mutilat, & efficit ignominia. Ex quo capita plurimi, quibus aſſentitur Vanroy tom. v. p. 150. inferunt grave crimen eſſe, etiamſi ſatisfactio levis omittatur; quoniam etſi nullus legislator intendat in re levi gravem obligationem injicere, (quod in oppoſitam ſententiam trahit quoſdam alios) nihilominus ſatisfactio, quæ *in ſe* levis eſt, *quatenus eſt pars ſacramenti* debet gravis admodum æſtimari. Objecta autem, quibus nonnulli conati ſunt ſuadere, pœnitentem non teneri ad ſatisfactionem implendam, propterea quod ſacerdos ſit judex duntaxat arbitrarius, & de ſatisfactione nullum exter divinum præceptum; facile diluuntur, dicendo eſſe quidem in arbitrio pœnitentium hunc, vel alium Confeſſarium adire, at illum, quem adit, verum judicem eſſe, delegatum ab Eccleſia, præditumque legitima poteſtate ſolvendi, & ligandi; & ex hac etiam poteſtate conſequi ſatisfactionis præceptum: quod paullo ſupra non una ratione demonſtratum eſt.

II.

Communis præterea opinio tradit, illum, cui a ſacerdote levis aliqua injungitur ſatisfactio, debere pœnitentiam aliam ſponte agere, præſertim ſi certo aut probabiliter ei conſtet, ad expianda peccata pœnitentiam illam, quæ ſibi injuncta eſt, non ſufficere. Petitur hujus ratio ex dictis cap. præcedenti num. I. ubi oſtendimus dandam eſſe operam, ut quantum fieri poteſt, ſatisfactio reſpondeat criminum qualitati, quod Magiſter ſent. in IV. diſt. 16. confirmat Evangelicis verbis Matt. III. 8. *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, & ſacrorum canonum ſtudioſi corroborant auctoritate Gregorii VII. ac Synodi Romanæ, relata capitulo *Falſas*, de Pœnit. diſt. v. num. 6. eoque collineat caput *Conſideret*, diſtinctionis ejuſdem primum. Addo verba Petri Damiani ſermone 2. de S. Andrea: *Ne ſibi blandiaris, ſi graviter peccanti levior pœnitentia, vel a neſciente, vel a diſſimulante dictatur, cum purgatoriis ignibus perficiendum ſit quicquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altiſſimus*. Quidam rationem altam addunt ex S. Thoma quodl. III. q. 13. art. 1. ubi docet, peccatorem *dupliciter eſſe debitorem ſatisfactionis, uno modo ex injunctione Sacerdotis, altero modo ex peccato commiſſo*; unde Angelicus Doctor infert præter ſatisfactionem, cui alligantur virtute clavium, illam pœnitentibus perſolvendam eſſe, quam poſtulat atrocitas culpæ. Accedit, quod ignoramus quo ſtudio, qua diligentia, qua animi affectione ſatisfactionem impoſitam impleverimus. Atque hinc deducitur, maxima tolerantia perferenda eſſe flagella, quæ nobis in hac vita infliguntur, impenſe bonis operibus inſudandum, atque ut indulgentias lucremur magnopere adlaborandum & incumbendum; quibus præſertim adminiculis peccatorum pœnæ luuntur, aut compenſantur.

Stultiſſimi autem ii cenſendi ſunt, qui plene ſatisfacturos ſe eſſe ajunt in vita altera, & in Purgatorii cruciatibus. Hi enim primo præceptum hoc ſatisfactionis tranſgrediuntur, & alio ſeſe crimine innectunt, exſpoliantque ſe multiplici utilitate ſatisfactionum hujus vitæ, quæ præter vindictam & punitionem peccati, habent etiam rationem medicinæ, meritum amplioris gratiæ, imitationem paſſionis Chriſti, & certiorem ſalutis arrham, ut ſupra diximus cum Tridentino, & fuſius demonſtrat Eſtius in IV. diſt. 15. §. 10. Deinde, quis niſi inſipiens, cum poſſet a morbo liberari ſectione venæ, tempus expectaret, quo nonniſi atrociſſima combuſtione poſſet ſanari? Atque hoc exemplo non poſſe pœnitentes inculpate reſervare ſibi pœnas in Purgatorio luendas, probat de ſatisfact. Regula XVIII. doctiſſimus Alexander. Memoria denique repetenda ſunt verba S. P. Auguſtini Enarrat. in Pſalmum XXXVII. num. 3. hæc de igne purgatorio ſcribentis: *Dicitur enim, Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem: & quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.*

III.

Vertunt inſuper in quæſtionem Theologi, an quis ſatisfactionem implere poſſit peccato lethali obſtrictus: & in hac quæſtione omnes fere recentiores ſubſcribunt Eſtio, qui diſt. 15. §. 16. ait, non poſſe quidem ſatisfieri in actu, vel in affectu peccati mortalis, poſſe tamen ſatisfieri in reatu peccati, dummodo hujus abjiciatur affectus. Ita nimirum docent Juenin c. 5. art. 3. Merbeſius q. 59. Tournely q. VII. art. 2. q. 6. Le Droint q. VI. cap. 1. §. 3. aliique paſſim. Quod autem ſatisfactio fieri nequeat in actu, vel affectu peccati evidentiſſimum eſt, eo quod ſatisfactio ſit actus pœnitentiæ neceſſario conjunctus odio vitæ præteritæ, emen-

emendationis propoſito, ac ſtudio placandi Deum: ac impoſſibile ſit hujuſmodi odium, propoſitum, ſtudiumque in iis inveniri, qui actu Deum irritant & provocant, atque enutriunt voluntatem ipſi Deo adverſam & refractariam. Neque dicas, poſſe aliquem cum voluntate peccandi elargiri eleemoſynam, jejunare, aliaque opera a Sacerdote injuncta complere; nunquam enim hæc, ſi animus peccato adhæreat, habere poſſunt rationem ſatisfactionis, Deum placare, & compenſare irrogatas illi injurias. Eos vero, qui peccatum deteſtantur, quamvis careant juſtificationis gratia, poſſe ſatisfacere, injunctam pœnitentiam implere, demonſtrant prælaudati Theologi, ex quo antiquis Eccleſiæ temporibus pœnitentia præceſſerit abſolutionem; ex quo ſcripturæ & Patres doceant ſatisfactionem pertinere etiam ad pœnam æternam, quæ tamen ſimul cum culpa dimittitur; ex quo denique opus bonum cum auxiliante gratia ab impio patratum Deo placeat, & ſaltem *de congruo* divinam reconciliationem promereatur, atque ad juſtificationem diſponat.

At apud antiquiores Theologos communior fuit, & fere univerſalis ſententia, neminem in peccato mortali exiſtentem poſſe Deo ſatisfacere: id nempe docuerant S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Hadrianus, Soto, Ledeſme, & alii plurimi, quos laudat & ſequitur Suarez diſp. 36. ſect. 2. necnon Cardinalis de Lugo diſput. 24. ſect. item 2. Toletus lib. III. cap. II. Barboſa in Collectaneis ad Concilium Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. 8. num. 6. & Auctor Theologiæ Moralis Petrocorenſis de Pœnit. cap. 6. q. 4. Hæc vero ſententia ſequentibus momentis innititur. Principio cum nulla inter nos ac Deum juſtitiæ ratio intercedat, niſi dependenter ab ejus acceptatione; hæc vero proprie locum non habeat in operibus, quæ fiunt ab inimico Dei, & quæ ex S. Thoma Q. XIV. ſuppl. art. 4. meritum non habent, ac valent tantum congruitate quadam ad diſpoſitionem ad gratiam, & ad conſecutionem bonorum temporalium; conſequitur non poſſe iiſdem operibus ab impio patratis impleri ſatisfactionem. Deinde, quod in ſacramento pœnitentiæ pœna æterna commutetur in temporalem, evenit ex Dei reconciliatione & amicitia; in eadem ergo amicitiæ ſtatu & firmari debet ejuſdem pœnæ ſolutio, & æquitas ſatisfactionis. Præterea docet Tridentina Synodus ſeſſ. XIV. cap. 8. ſatisfactiones noſtras ex Chriſto vim habere, ab illo offerri Patri, & per illum a Patre acceptari, quatenus *in ipſo Chriſto vivimus, meremur, ac ſatisfacimus*. Si ergo in Chriſto non vivemus, nec per eum mereamur, exhibita a nobis ſatisfactio vi, atque meriti dignitate carebit. Catechiſmus item Romanus p. 2. cap. 5. num. 74. hanc rationem confirmans, *Duo*, inquit, *præcipue in ſatisfactione requiruntur; primum eſt, ut is qui ſatisfacit, juſtus ſit ac Dei amicus, &c.* Tandem opera, quæ fiunt in peccati reatu, quamvis ſint bona ſupernaturalia, & peracta auxilio gratiæ actualis, omnium tamen conſenſu non habent aliquod meritum *de condigno*, ad quod requiritur caritas *habitualis*, immo juxta Suareſium, aliosque nec habent meritum *de congruo* in ordine ad ſatisfactionem. Atqui ſatisfactio exigit dignitatem aliquam, æqualitatem, & compenſationem, ut commonſtrat ejuſdem ſatisfactionis nomen, etymon, ac definitio. Igitur illa opera in peccato, & ſine caritate *habituali* nequeunt eſſe ſatisfactoria.

Conciliari facile poſſunt hæ duæ ſententiæ, ſi præceptum ſatisfactionis ab ipſius merito diſtinguatur. Argumenta itaque prioris id unum evincunt, præceptum ſacerdotis imponentis ſatisfactionem poſſe etiam in ſtatu peccati adimpleri, adeo, ut qui in culpa injunctum opus exequitur, *non incurrat reatum omiſſionis ex ſatisfactione neglecta*, nec teneatur confiteri quod pœnitentiam impleverit in peccato, quod fatentur quoque auctores alterius, ut S. Thomas cit. q. XIV. art. 2. ad 2. & Dominicus Soto in IV. diſt. 19. q. I. art. 4. Argumenta autem ſententiæ oppoſitæ hoc tantum probant, opera in peccato facta non habere meritum ſatisfactionis, & tantum *de congruo* ad juſtificationem diſponere, ita, ut ſi quis poſt reconciliationem ſaltem injunctum opus perficiat, minime cenſendus ſit immunis a luenda pœna temporali peccatis debita, cum idem opus ſit meriti expers ac mortuum; quamquam reviviſcat, & effectum ſuum conſequatur, quando iterum pœnitens vi contritionis & ſacramenti redit in priſtinum gratiæ ſtatum, ut dicam proximo capite quartodecimo.

IV.

Ad hæc inquiritur, num unus pro alio poſſit ſatisfactionem implere. Qua in re ad omnem ambiguitatem tollendam tria diſtinguenda eſſe arbitror. Primum nemo propria auctoritate poteſt alteri committere, ut pro ſe injunctum ſatisfactionis opus exequatur: nam damnata eſt ab Alexandro VII. hæc prop. num. 14. *Pœnitens propria auctoritate poteſt ſibi ſubſtituere alium, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat*. Et quidem jure, meritoque; cum ſatisfactio non ſolum pro ſolutione debiti ſit imponenda, verum etiam ad vindicationem peccati, & ad infirmitatis medicamentum, prout definit Synodus Tridentina. Alterum, quod hinc conſequitur, eſt, ſatisfactionem ab altero exhibitam non eſſe ejuſdem efficacitatis cum ſatisfactione ab ipſo pœnitente peracta; quoniam nec illius infirmitati affert medicinam, nec illi imputatur ad meritum. Tertium eſt, quod juxta catholicam certiſſimamque doctrinam poteſt unus luere pœnam alterius, atque etiam promereri *de congruo* gratiam, ut dixi libro XIX. cap. 8. quod probatur ex communione Sanctorum, & ex Scripturarum auctoritate, maxime Mat. X. 41. Lucæ XVI. 9. atque ex 2. ad Corinth. VIII. 14. quibus S. P. Auguſtinus lib. XXI. de Civit. Dei cap. 2. demonſtrat quædam eſſe peccata, quæ Sanctorum amicorum Dei meritis impetrant indulgentiam. Vide Eſtium in IV. ſent. diſt. 15. §. 22. Maldonatum de ſatisfact. cap. 8. ac Sylvium in Q. XIII. ſuppl. art. 2.

V.

Ulterius quærimr, an poſſit homo de uno peccato ſatisfacere ſine alio. At dirimitur omnis dubitatio, ſi accurate quæſtionis ſenſum exponas. Vel enim ſenſus eſt, an qui habet plura peccata lethalia, poſſit pœnitentiam agere de uno, nullam de altero habens ſolicitudinem; vel ſenſus eſt de peccatis venialibus, vel denique de ſola pœna temporali peccatis debita, quod propriæ videtur hoc in loco ſpectandum eſſe. Juxta priorem ſenſum omnino ſubſcribendum eſt ſancto Thomæ q. XIV. ſupplem. art. I. aſſerenti non poſſe uni peccato abſque altero ſatisfieri, quia non poteſt tolli offenſa *niſi per inſtaurationem amicitiæ*, quam peccatum quodlibet lædit ac frangit. Hoc ſenſu pertractat quæſtionem Gulielmus Eſtius cit. diſt. 15. §. 18. ubi eamdem S. Thomæ ſententiam propugnat, eo quod nequit eſſe ſtudium placandi Deum in iis, qui pergunt inimicitias exercere cum ipſo Deo, *& impietas eſt dimidiam ſperare veniam ab illo, qui juſtus eſt, & juſtitia*. Quare qui Eſtium aliter acceperunt, videntur eum legiſſe oſcitanter & perfunctorie, nec Magiſtrum, Thomam, Bonaventuram, aliosque Veteres perluſtraſſe. Iſtorum tamen ratiocinationes non tenent circa venialia peccata; quoniam hæc Dei amicitiam non infringunt, & idcirco poteſt unum ſine alio expiari. Item quantum ad pœnam temporalem attinet, quum diverſis peccatis diverſæ pœnæ reſpondeant, non video mehercule, cur una ſine alia nequeat ſatisfactoriis operibus compenſari, maxime quod Eccleſia in Indulgentiarum largitate plenarias modo, modo autem limitatas concedens, demonſtrat pœnam temporalem aut injunctam, aut injungendam per canones, aliquando totam, aliquando ex parte tantummodo relaxari. Sublata igitur ſenſus perplexitate, etiam quæſtio diſſolvitur & complanatur.

VI.

Poſtremo quærunt aliqui, an poſſit pœnitens petere a Confeſſario commutationem ſatisfactionis ſibi ab alio Confeſſario injunctæ. Arbitror autem, eſſe pravi animi indicium permutationem hanc quærere, quando impoſitum opus non excedit criminis gravitatem, nec vires pœnitentis; eſt enim tunc ſatisfactio æquiſſima, & ad regulam Tridentinæ Synodi impoſita. Cavendum præterea, ne in curandis animorum ægritudinibus eveniat quod Verinus ajebat de morbis corporis,

Impediunt certam medicamina crebra ſalutem.

Ceterum fere omnes docent poſſe Confeſſarium pœnitentiam injunctam ab altero commutare, dummodo etiam illi fiat eorumdem peccatorum confeſſio; cum quilibet Confeſſarius polleat ligandi & ſolvendi poteſtate, nec alterius ſit miniſter, ſed Chriſti. Neque oppoſitum evincit proloquium illud, quod Soto & Sanchez objiciunt, *Par in parem non habet juriſdictionem*; quoniam Confeſſarius in tali permutatione non exercet juriſdictionem in alterum Confeſſarium habentem parem auctoritatem, ſed in pœnitentem ſibimet ſubjectum. Dixi autem, *dummodo illi fiat eorumdem peccatorum confeſſio*; quia licet Marchantius, Diana, Bonacina, & quidam alii negent ad commutandam pœnitentiam neceſſarium eſſe iterum confiteri peccata, & aſſerant ſatis eſſe ſi exponatur pœnitentis infirmitas & difficultas; nihilominus apertiſſimum eſt, nullum judicii actum poſſe rite exerceri incognita cauſa, prædictamque difficultatem ſeu infirmitatem eſſe quidem cauſam immutandi priorem ſatisfactionem, at non regulam & menſuram imponendi ſatisfactionem aliam, quæ itidem debet eſſe in peccatorum caſtigationem & vindictam, atque in pœnitentis remedium ac medicinam. Atque his explicatis, reliqua omnia ad hanc materiam ſpectantia perſpicua ſunt, nec egent alia diſquiſitione.

CAPUT XIII.

Elucidantur quædam pertinentia ad hiſtoriam, & ad ritus publicæ Pœnitentiæ.

Non eſt hujus libri ſcopus ea omnia, quæ de publica pœnitentia doctiſſimi & eruditiſſimi viri litteris conſi- Quid ſit publica Pœnitentia?

conſignarunt, accurata lucubratione diſcutere, aut pertractare diſſertatione numeris omnibus abſoluta. Id enim præſtiterunt celeberrimi Auctores, quorum laboribus quidquid in hac Epitome tradam, refero acceptum, Morinus, Sirmondus, Patavius, Petitus, Albaſpina, Menardus, Martene, aliique, quorum opera & loca ſingillatim commemorabo, ut qui amplioris eruditionis accenditur cupiditate, ſciat ubi hanc abunde poſſit explere. Ex iiſdem enim fontibus quæcunque promunt hauſiſſe deprehendi Theologos omnes, qui genere iſto diſſertationum tractatus a ſe editos locupletarunt, inter quos aliorum diligentiam in hoc argumento ſuperaſſe videntur Merbeſius diſſert. IV. a quæſtione 71. ad 79. Juenin q. 8. cap. 4. Tournely quæſtione item 8. Witaſſe q. v. art. 3. ut mittam eos, qui compendio materiam hanc attigerunt, Du-Hamelium, Le-Droint, Ludovicum Habert, Cardinalem Vincentium Gotti. Ut igitur a nomine exordiar, Du-Cangius in Gloſſario tom. 3. pag. 323. Pœnitentiam publicam illam dicit, *quæ pro expiandis criminibus & delictis publicis imponitur*. Et quidem Jacobus Sirmondus in Hiſtoria Pœnit. Publicæ cap. 2. & 3. Jacobus Petitus in Notis ad Pœnitent. Theodori, aliique permulti propugnant, pœnitentiam in conſpectu populi agendam iis tantummodo fuiſſe injunctam, qui publici alicujus criminis convicti eſſent. Sed quoniam viri alii æque docti, præeuntibus Joanne Morino libro v. cap. 9. Gabriele Albaſpinæo in canonem 32. Concilii 3. Carthaginienſis, aliiſque bene multis apud Carolum Witaſſe pag. 353. tenent, aliquando etiam peccata occulta publicæ pœnitentiæ fuiſſe obnoxia, immo qui hoc negant, fatentur tamen pœnitentes aliquos, aut ſponte, aut ſuadente Confeſſario, ſeſe palam canonicis ſatisfactionibus ſubjeciſſe; idcirco definitione illa rejecta, dico publicæ pœnitentiæ nomine eam deſignari, *quæ agitur in conſpectu populi, & in Eccleſiæ conventu*, pro qualicunque crimina agenda ſit, quod minime ſpectat ad publicæ pœnitentiæ naturam, ſed ad cauſam potius judiciique rationem. Pœnitentes pariter ii dicebantur, qui canonicis pœnis addicti percurrebant ſtadium pœnitentiæ paullo poſt deſcribendum, & qui proprie appellabantur aut abſolute *Pœnitentes*, ut inquit Auguſtinus in Epiſt. 265. ad Seleucianam num. 7. & ſerm. 392. num. 2. aut *In Pœnitentiam miſſi*, ſive *In pœnitentiam poſiti*, ut legitur in Conciliis antiquioribus.

II.

Quonam publicæ Pœnitentiæ fuerit origo?

Dixi quid ſit publica Pœnitentia; nunc agendum breviter de illius origine. Quoniam rationi conſentaneum eſt, ut qui publice delinquendo alios provocavit ad culpam, eoſdem vitæ emendatione revocet ad morum probitatem, ut diximus cap. XI. num. 6. certiſſime tenendum eſt, publicam pœnitentiam Apoſtolicis quoque, & proxime ſubſecutis temporibus obtinuiſſe; quamquam principio non extiterint certi canones illam implendi, quos poſtea conſtituit Eccleſiaſtica diſciplina. De publica enim pœnitentia habemus in primo Chriſtiani nominis ſæculo exemplum Corinthii hominis inceſtuoſi, cujus mentio eſt in Paulinis Epiſtolis: in altero mulierum, quas Marcus præſtigiator vitiavit: in tertio eorum, quos commemorant Tertullianus & Cyprianus. Quæ omnia manifeſta ſunt ex diſputationibus præcedentibus. Ante hæreſim vero Montani, qui cœpit vexare Eccleſiam imperante Antonino, & circa annum V. Æ. 157. prudentia & conſilio Presbyterorum, non certis præſcriptionibus canonum pœnitentias fuiſſe injunctas, probat Morinus lib. IV. Operis de Adminiſt. Pœnit. cap. I. primum ex Conſtit. Apoſtol. lib. I. cap. 16. & ex libro Hermæ ſeu Paſtoris lib. 3. ſimilit. 7. unde apparet nullum pœnitentiæ tempus præfixum fuiſſe iis, quos vehementer patratorum ſcelerum pœnituiſſet; & etiam mulieres adulteras poſt criminis deteſtationem ſtatim a viris ſuis fuiſſe receptas, non autem, ut factum eſt poſtea, tranſacto plurimorum annorum curriculo: cujus indulgentiæ gratia Tertullianus ad Montaniſtas deficiens Hermatem *mœchorum Paſtorem* auſus eſt appellare. Hoc deinde Morinus demonſtrat ex Eccleſiaſtica Hiſtoria, tum facto illius prædonis, quem Joannes Apoſtolus levi pœnitentia injuncta reconciliavit Eccleſiæ, tum Natalis, qui poſt geſtum apud hæreticos Epiſcopatum conſperſus cinere, & ad pedes Zephyrini Pontificis provolutus commiſerationem ſimul, & reconciliationem obtinuit, ut narrat lib. v. H. E. cap. ultimo Euſebius. Nec adverſus hanc Morini ſententiam quicquam efficit viceſimus quartus canon inter Apoſtolicos, quo canone juxta interpretationem Dionyſii Exigui *laicus ſemetipſum abſcindens annis tribus communione privatur*; ſiquidem, ut oſtendimus libro XX. cap. 19. canones, qui Apoſtolici dicuntur, etſi perantiqui ſunt, atque ex priorum ſæculorum ſtatutis compacti, non ſunt tamen ſinguli æque vetuſti, neque habent omnes auctoritatem prorſus ineluctabilem. Exorta autem hæreſi Montaniſtarum, qui ut ſcribit S. Hieronymus ep. 37. ad Marcellam, obſerabant *ad omne pene delictum Eccleſiæ fores*, atque ut colligimus ex libro Tertulliani de Pudicitia, increpabant catholicos quod veniam darent idololatris, homicidis, & mœchis, conſtat irrepſiſſe diſciplinam paullo ſeveriorem, adeo, ut in quibuſdam Eccleſiis pœnitentiæ aditus fornicatiis omnino præcluderetur, & lapſis ac ſacrificatis in exitu tantum mortis daretur venia, immo aliquorum ſententia prorſus denegaretur, coactis iis, qui deliquerant, diu lamentabilibus fletibus Eccleſiæ januam pulſare: quo tempore, præſertim Cypriani ætate, quænam ratio diſciplinæ viguerit, per varias theſes nono capite diſtributas ſtudui pro mea virili indagare. Vivente autem Cypriano Novatus, homo adeo impius, ut parentem ſuum fame necatum ſepultura privaverit, & percuſſo uxoris utero immaturum illius partum effuderit, ut Pacianus in 2. ad Sempronianum Epiſtola, & Cyprianus in 49. ad Cornelium enarrant, in Africa primum diſcordiæ & ſchiſmatis excitavit incendia, lapſis pœnitentiam denegando; ac deinde Romam ad evertendam Eccleſiam navigans, artes omnes, ingeniumque ſuum dicavit Novatiano, qui adverſus ſanctum Cornelium evectum ad Petri ſedem an. 251. ſeu potius 250. perniciosiſſimum ſchiſma conflavit. Atque horum opera erupit Novatiana hæreſis, cujus initia an. 251. conſignarunt Valeſius & Pearſonius, poſt ordinationem vero Cornelii Tillemontius & alii conſtituerunt. Verum quia etiam Fabianus Novatianum ſeparavit de Eccleſia, ut legimus in Catalogo Liberiano, ac Fabianus martyrio coronatus eſt die 20. Januarii Decio II. & Grato Coſſ. an. ſc. 250. ut Eminentiſſimus Noriſius ſcripſit prope finem diſſert. 3. de Epochis Syromacedonum, confirmavitque Franciſcus Blanchinus in Notis Chronologicis ad Anaſtaſium tom. 2. pag. 188. non ſolum ante ordinationem Cornelii, verumetiam paullo ante annum 251. ſtatuendum puto nefariæ hæreſeos initium. Quod ergo S. Pacianus in præcitata Epiſt. ſcripſerit, Novatianum in ſchiſma impulſum fuiſſe *ex concepta in Cornelii epiſcopatum invidia*, id non de hæreſis primordio, & de occulta Novati, aut Novatiani machinatione, ſed de aperta ſciſſione Eccleſiæ, & de ſchiſmate intruſo, accipiendum eſſe arbitramur. Eo itaque temporis cum Novatiani ac Montaniſtæ, ut majorem ad ſe fidelium partem affectato diſciplinæ zelo pertraherent, in vulgus ſpargerent Eccleſias adeo eſſe contaminatas, ut cunctis etiam ſacrilego idolorum cultu pollutis, necnon atrocioribus criminibus inquinatis pax redderetur; ſaluberrime inſtitutum eſt, ut nec ſpes communionis & pacis lapſis denegaretur, nec abſque certa, & ab Eccleſiis perſpecta ac probata emendatione reciperentur, ut ſupra ex Epiſtolis Romani Cleri, & Cypriani demonſtratum eſt: quorum primum ſpectans ad ſpem communionis neceſſarium erat ad Novatianum dogma revellendum atque extirpandum; alterum vero attinens ad pœnitentiam diuturniorem, erat ad hæreticorum accuſationes repellendas, necnon ad continendos catholicos, ne furente Deciana perſecutione prætextu facilioris indulgentiæ fidem deſererent, congruum maxime, atque opportunum.

III.

Gradus Pœnitentiæ quando inſtituti fuerint, & obſoleverint?

Graſſante itaque Novatiana hæreſi inſtitutas fuiſſe quatuor pœnitentium ſtationes inde facile demonſtratur, quod nullum iſtarum apud præcedentium temporum ſcriptores extet veſtigium, & apud eos, qui floruerunt ævo proximiori, habeantur de illis teſtimonia ſplendida & luculenta. Gregorius enim Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus cognomento Thaumaturgus, auditor Origenis, & qui interfuit Antiocheno Concilio contra Paulum Samoſatenum an. 264. & cælum petiit anno proximo Gallieni 13. in Epiſtola Canonica tom. I. Concil. pag. 842. canone XI. & ultimo deſcribit quatuor Pœnitentium Gradus, ut a nobis commemorati ſunt hujus voluminis pag. 2. & paullo poſt iterum recenſebuntur, *Fletum*, nempe, *Audientiam*, *Subſtrationem & Conſiſtentiam*; tametſi non deſint, qui Gregorio Epiſtolam illam abjudicent. Eoſdem Pœnitentiæ gradus enumerat apud Morinum lib. VI. cap. I. num. 4. Joannes Antiſtes Cœnobii Raytheni in Scholiis ad Scalam S. Joannis Climaci, cujus verba producam infra. Fuit autem uterque Joannes ætate ſynchronus, ut conſtat ex unius ad alterum Epiſtolis, quæ operibus Climaci præmittuntur in Iſagoge Raderiana. Joannes vero Sinaita, ſeu Climacus, floruit juxta Trithemium circa tempora Conſtantini: quamquam vereor, ne Trithemius lapſus ſit plurium annorum intervallo, & Climacus nonniſi ſexto ſæculo, aut ſeptimo vixerit, ut de Script. Eccl. ad annum 560. ſuſpicatus eſt Bellarminus. Synodus etiam Ancyrana, quæ celebrata dicitur an. 314. ſæpe laudat pœnitentiæ ὡρισμέναις βαθμοῖς *definitos gradus*, ac ſingillatim canone 4. & 5. *Fletum*, *Audientiam*, *& ſubſtrationem*: canone etiam 24. dantibus operam vaticiniis præſcribit τρία ἔτη ὑποπτώσεως, *annos tres ſubſtrationis*: quod utique argumento eſt, gradus illos fuiſſe antea in Eccleſia inſtitutos. Ac denique S. Baſilius, qui ad Superos evolavit Kalendis Januarii an. 378. non ſemel in Epiſtola ad Amphilochium per quatuor hos gradus Peccatores traducendos eſſe decernit, canone præſertim 75. tom. 2. pag. 777. ubi inquit, ei, qui ſororem compreſſerit, triennio *flendum eſſe ante oratorii fores*, poſtea alio triennio *accedendum ad audientiam*, ac dandam deinde tribus aliis annis *ſubſtrationem*, & denique poſtquam dignos pœnitentiæ fructus oſtenderit, decimo anno ad fidelium orationes admiſſo illic ei duobus annis *ſubſiſtendum*:

quibus verbis recenſiti quatuor gradus apertiſſime diſtinguuntur. Habes ergo ante Baſilii tempora eorumdem graduum inſtitutionem. Quando autem in Eccleſia Orientali deſierint, incertum omnino eſt. Quidam enim ſublatos putent quarto ſæculo ob celebre Nectarii factum, a quo amotum presbyterum pœnitentiarium diximus cap. 1. Verum, ut ibi animadvertimus, inde nequit inferri canonicam pœnitentiam pro omnibus omnino, etiam ſceleſtiſſimis & publicis peccatoribus fuiſſe abrogatam, aut Epiſcopos ſibimet jus abſtuliſſe illam quandoque imponendi. Et revera Synodus Trullana an. 692. canone 87. de maritis uxorem legitimam repudiantibus, & ducentibus aliam, inquit: *A Patribus enim noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt ejuſmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur*. Præcitatus quoque Joannes Abbas Raytu, cujus Scholia in S. Joannis Climacem extant volum. x. Bibl. Patrum, pag. 513. ait: *Sunt vero Pœnitentium quinque loci: Locus plorantium, cum pœnitens ſtat extra umbitum Eccleſiæ, & procidens cum fletu ab impedientibus poſtulat orationem, ante ipſorum pedes proſtratus: Locus qui dicitur Audientium ante portas quæ Baſilicæ dicuntur, ad audiendum officium: Subſequeſtratio, quæ eſt ſtatio Eccleſiæ intra ambitum Eccleſiæ, in poſteriore parte Ambonis; unde & qui ibi eſt in Exclamatione, quæ fit ad egreſſus, & ipſe cum eis egreditur Conſiſtorium, ibique ſtatuitur: Statio vero cum fidelibus fit participatio vivifici Panis, & communicatio & libatio Calicis Domini*. Quare errant, qui cum Tournelio pag. 276. Prælect. de Pœnit. putant a tempore Nectarii in Orientalium Eccleſiis ceſſaſſe *Fletum*, *Audientiam*, & *Subſtrationem*, perſeverante tantummodo *Conſiſtentia*. Immo ἀκροώμενοι, καὶ προσκλαίοντες, ideſt, *Audientes*, & *Adlacrymantes*, memorantur quoque ab altero Climaci Scholiaſte ad Gradum XII. num. 1. quem Raderus credidit Eliam Cretenſem, qui vixit ſub Chriſti annum 787. & ſeptimæ Generali Synodo interfuit. In occidentali autem Eccleſia aliquanto ſerius pœnitentiæ gradus cœperunt antiquari, ita ut tertius gradus, ideſt, *ſubſtratio*, vix deinceps in Epiſtolis Romanorum Pontificum, & decretis Conciliorum commemoretur, propterea quod cum pauciſſimi eſſent Catechumeni, cœperunt prætermitti preces, & cæremoniæ, quæ ſuper *ſubſtratos* perficiebantur: ac ſubinde inducta paullatim conſuetudine, ut loco pœnitentiæ canonicæ imponerentur peregrinationes, monaſteriorum cuſtodiæ, certus jejuniorum numerus, & eleemoſynarum diſtributiones, aliaque pietatis opera, de quibus agunt Pœnitentiale Theodori, Decreta Ivonis, & Burchardi, ceterique hujus generis libri; publicæ pœnitentiæ regula in deſuetudinem abiit, & quaſi extincta eſt: quamvis ſine quatuor illorum graduum ſolemnitate etiamnum in Pontificali Romano cum ritu canonicæ reconciliationis inveniatur deſcripta, atque, ſi id exigat fidelium ædificatio, ſit adhuc pœnitentibus injungenda.

IV.

A quo, & quomodo Pœnitentia publica imponeretur? Ab Epiſcopis tempus publicæ pœnitentiæ fuiſſe definitum liquet ex canone 10. Concilii Africani an. 424. ex Regulis brevioribus Baſilii editis anno 371. atque ex epiſtola S. Leonis I. ad Nicetam conſcripta an. 458. quæ habentur in Decreto, XXVI. q. 7. capp. *Pœnitentibus*, *Hoc ſit in judicio*, & *Tempore pœnitudinis*, productis ſupra. Ne vero Antiſtitum alicui livore odii excæcarentur, in publicis criminibus dijudicendis, taxandiſque pœnis, Coepiſcoporum conſilio utebantur, & interdum pronuntiabant judicium adſtante fidelium plebe, quemadmodum ſe geſſiſſe S. Cornelium Romanum Pontificem, & ſanctum Cyprianum Carthaginenſium Epiſcopum, conſtat ex hujus epiſtolis 14. & 52. Eamdem conſuetudinem viguiſſe poſterioribus ſæculis demonſtrat doctus Morinus lib. v. cap. 15. ex undecimo canone Concilii Toletani XI. an. 675. & libro VII. cap. 3. ex capitulis Hincmari Remenſis, & Herardi Turonenſis Archiepiſcopi. Cum itaque juxta Epiſcopale judicium aliquis publicam pœnitentiam accipiebat, conſperſus cinere & ſacco indutus ſiſtebat ſeſe ante Eccleſiæ Præſulem ſpectante Clero, & univerſo populo adſtante, quod communiori conſuetudine fiebat in capite Jejunii, ideſt feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ. Hinc in libris Liturgicis habetur ea die: *Ordo ad dandam pœnitentiam*; aut, *Expulſio publice pœnitentium*, ut legitur in Sacramentario Gregorii, & in Pontificali Romano. De ciliciis pœnitentium habetur canon 15. Concilii Agathenſis an. 506. *Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur*, & in antiquis Pontificalibus, atque in Pœnitentiali Theodori cap. XI. *In capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demiſſis, reos ſe eſſe ipſo habitu, & vultu proteſtantes*. Atque hi duo canones laudantur etiam diſtinctione quinquageſima a Gratiano. Spectant inſuper ad habitum pœnitentium quæ Edmundus Martene lib. 1. de Antiq. rit. cap. 6. art. 4. profert ex libro Tertulliani de Pudicitia, ex altero Cypriani de lapſis, atque ex Homilia 1. Cæſarii ex editis a Baluzio, quibus in locis legitur pœnitentes *in ſacco & cinere inhorreſcere, in cilicio & ſordibus volutari, & coopertos cilicio foras ejici*. Addi poterant quæ in Parænesi ad pœnitentes ait S. Pacianus, prope finem 2. libri adverſus Parmenianum Optatus, Ambroſius de Lapſu Virginis cap. 8. atque in caput 3. Jonæ & in Epitaphio Fabiolæ S. Hieronymus: qui aſſerunt pœnitentes *ſordida veſte lugere, ſacco corpus involvere, cilicium induere, cinere adſperſos, & opertos cilicio perhorreſcere*. Cilicii ergo nomine lugubrem ac ſordidatam veſtem intelligo; quamvis eo vocabulo deſignari præſertim ſoleat ſubucula caprarum pilis contexta, de qua lib. 2. vitæ S. Martini,

Quin & contexto ſetis coopertus amictu
Exeſa aſſiduo compunxit acumine membra,
Ut tereret tenuem veſtis nimis aſpera pellem.

Cilicio accedebat conſperſio cinerum, quibus capiti pœnitentium impoſitis, hi extra Eccleſiam ejiciebantur iiſdem verbis, quibus primus homo tranſgreſſor a paradiſo voluptatis expulſus fuit, ideſt, *In ſudore vultus tui*, &c. Plura de hoc Ritu Hugo Menardus in Sacrament. Gregorii notat. 661. & quædam etiam nos lib. XXX. cap. 23. num. 7. ubi ulterius advertimus ex illa pœnitentium conſuetudine deriveſſe ceremoniam, quæ etiamnum in *Capite jejunii* ſervatur. Idem legimus poſtea apud Thomaſſinum lib. 2. cap. 14. de dierum feſtorum celebratione. Ab eo tempore pœnitentes barbam capilloſque promittebant, ut in eadem adnotatione productis verbis Iſidori, Orderici Vitalis, & ſancti Columbani tradit eruditus Menardus. Reliqua pertinentia ad Pœnitentium exercitationes proxime attingam.

V.

De 1. Gradu publicæ Pœnitentiæ. Primus ergo Pœnitentiæ Gradus erat πρόσκλαυσις, *Fletus*, quem gradum ita deſcribit S. Gregorius Thaumaturgus, Ἡ πρόσκλαυσις, ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐστίν, ἔνθα ἑστῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα χρὴ τῶν εἰσιόντων δεῖσθαι, πιστῶν, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι, *Fletus extra portam Oratorii eſt, ubi ſtantem peccatorem oportet fideles, qui ingrediuntur, orare, ut pro ſe deprecentur*. Gabriel Albaſpinæus libro 2. Obſervat. obſ. 22. pervetuſtam conſuetudinem, que pœnitentes extra Eccleſiam ejecti ſe ingredientium precibus commendabant, demonſtrat verbis Tertulliani de Pœnit. cap. 9. ubi ait eos, qui peccarunt, *plerumque jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum, presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*. Adde Sozomenum, qui in Hiſt. Eccleſ. lib. VII. cap. 16. pag. edit. Valeſianæ 727. ritum publicæ pœnitentiæ deſcribens, *In propatulo*, inquit, *eſt pœnitentium locus, in quo illi ſtant mœſti, ac veluti lugentes*. Hieronymus item in Epiſt. 84. ad Oceanum pertractans de pœnitentia Fabiolæ, tom. IV. pag. 659. ait: *Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi conſedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret*. In hac lugentium ſtatione quidam alii ſceleſtiores, extra tectum commorantes, ſub dio, imbribus, nivibuſque expoſiti, vehementius aliorum commiſerationem expoſtulabant. Sunt qui huc referunt verba Tertulliani de Pudicitia cap. IV. *Reliquas libidinum furias impias & in corpora, & in ſexus ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra*, atque Ancyranum canonem 17. *Eos, qui rationis expertia animantia inierunt; & qui leproſi ſunt, vel fuerunt, juſſit ſancta Synodus inter hiemantes orare*. His, qui ita ſentiunt, videtur favere Græcus canon, qui *inter hiemantes* exprimit εἰς τοὺς χειμαζομένους; ſunt enim χειμαζόμενοι, qui aeris intemperie, hieme, & tempeſtate jactantur. In interpretatione tamen Dionyſii additur, *Qui a nobis Energumeni appellantur*, & in Collectione Iſidori Mercatoris, *Qui ſpiritu periclitantur immundo*. Videſis Conciliorum Harduini tom. 1. pag. 277. Conciliari omnia poſſunt, ſi dicamus etiam arreptitios extra atrium ac primam pœnitentium ſtationem fuiſſe expoſitos. Etenim in eos, qui *erratico ſpiritu* agitabantur, maxime ſi id in pœnam alicujus ſceleris eveniret, ſeveriorem, eamdemque ac in excommunicatos, viguiſſe diſciplinam colligitur ex canone viceſimo nono Illiberitanæ Synodi, & ex notis in ipſum canonem Binii, Albaſpinæi, & Mendozæ.

VI.

De Gradu Pœnitentiæ ſecundo. Alter Pœnitentiæ Gradus ita a Gregorio deſcribitur: Ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης, ἐν τῷ νάρθηκι, ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἁμαρτήσαντα ἕως τῶν κατηχουμένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι. *Auditio eſt intra portam in Narthece, ubi oportet eum qui peccavit ſtare proximum catechumenis, & illinc egredi*. Ex Narthecis vocabulo, quod uſurpatum non inveniunt ante finem quinti ſæculi, quidam, ut diximus n. 3. epiſtolam

Gre-

Gregorii cenſent ſuppoſititiam, idemque opinantur Morinus lib. VI. cap. I. pag. 357. ac noſter Lupus in canonem XI. Nicænum pag. I. edit. 59. Genuinam tamen Gregorii Epiſtolam putavit, ut ibi fatetur Morinus, Balſamon, necnon in libro *de Narthece* Allatius. Quidam etiam negant vocabulum illud eſſe Gregorio poſterius; quidam inſuper in codices irrepſiſſe contendunt; atque ita in ambiguo pendet de canone Gregoriano judicium. Ceterum, ut recte Lupus, *quicquid ſit, res eſt antiqua*. Etiam de loco *Narthecis* viri docti diſſentiunt. Theologi enim utentes bonis, ac malis verſionibus *porticum* intellexerunt, ut habetur in Operibus Gregorii pag. 41. & tom. I. Conciliorum pag. 842. Doctiſſimus tamen Allatius citato in Opere pag. 13. ait: *Ignorant eruditi, quiſnam ſit νάρθηξ, qui eum porticum eſſe fatentur*. Certiſſimum puto *Narthecem* fuiſſe intra Eccleſiæ ambitum, primo quia in canone, qui tribuitur Gregorio, ponitur *intra portam*: deinde quia idem docet in Nomocanone Matthæus Blaſtares; rurſus quia extra fores audiri non poterant conciones, ad quas admittebantur catechumeni & pœnitentes. Si ergo *Narthex* dicendus ſit porticus, erat porticus quædam interior æquans totam Eccleſiæ frontem, ut ea Allatio, aliiſque tradit Witaſſius. Ceterum Allatius potius affirmat Narthecem fuiſſe locum, quem poſtea dixere *Gynæceum*, ſeparatum ſcilicet receptaculum feminarum, quale modo viſitur in ſacris ædibus monialium: & ego, priuſquam Allatium legerem, tom. III. pag. 315. Κατηχούμενον, ſive *Auditorium*, locavi aut in *navi*, aut in tabulatis porticibuſque ſupernis Eccleſiarum; uterque enim locus eſt ad audiendum aptiſſimus; & νάρθηξ Græce nihil aliud latine ſonat, quam locum ad inſtar *ferulæ* oblongum, aut circumactum. Iſtic itaque erat ἀκρόασις, *auditio*, ideſt, gradus pœnitentiæ ſecundus; in quo, ut dixi libro XXXI. cap. 20. catechumeni, ac pœnitentes uſque ad offertorium commorabantur, tunc vero monente Diacono diſcedebant.

VII.

De tertio Gradu. Exacto *audientiæ* tempore, quod Epiſcoporum arbitrio juxta criminum qualitatem, & pœnitentium compunctionem contrahi poterat, aut prolongari, incipiebat ὑπόπτωσις, *ſubſtratio*, publicæ pœnitentiæ gradus tertius. Balſamon & Zonaras ita appellatum cenſent ab ὑποπίπτειν, quod in hoc gradu pœnitentes *poſt ambonem* conſiſterent. Erat autem *Ambo* ſuperior locus, quem modo dicimus *pulpitum*, ſed ambabus ea partibus inſtructus gradibus, ut etiamnum conſpicitur in quibuſdam vetuſtis templis Romanæ urbis, ut S. Laurentii extra muros, S. Pancratii, S. Clementis; atque inde Epiſcopus plebem ſacris concionibus erudiebat. De illo περὶ στεφ. hymno XI. Prudentius:

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur, Antiſtes prædicat unde Deum.

Albaſpina tamen obſervat. 24. libri 2. negat inde Græcum nomen *hypoptoſeos* derivare, quod apud Patres & canones dicantur pœnitentes in ſubſtratione *jacere, ſubſterni, pavimento adhærere, humi provolvi, & caput manuum impoſitioni ſubjicere*; quod utique aliud eſt, quam ſtare *pone ambonem*. Græcum præterea verbum ὑποπίπτω fere idem ſonat, ac Latinum *decido, ſubmitto me*. Poſſumus conciliare Balſamonem & Albaſpinæum, dicendo illum ad locum ſubſtrationis, hunc vero ad ſubſtratorum exercitia animum intendiſſe. Cum enim ſubſtrati fuerint altari proximiores *audientibus*, neceſſum eſt, ut circa *ambonem* ſtationem propriam habuerint. Rurſus quoniam ſecedebant ad ſiniſtram templi partem, prout ex Ditmam, & S. Eligio demonſtrat Duſreſne tom. 3. pag. 385. in eaque parte *ambo* erigebatur; ſatis apertum eſt, *pone ambonem* ſtetiſſe, permultis ſaltem in locis, ſubſtratos. Accedunt verba Theoriani, qui apud Lupum cit. volum. I. pag. 61. de ſubſtratis pœnitentibus ſcripſit, *In parte ambonis poſtea ſtabunt*. In hoc ergo loco, qui peculiari nomine *locus Pœnitentium* abſolute appellabatur, proſternebant ſeſe, ac ſubjiciebant impoſitioni manuum Epiſcoporum & Cleri, ut tali demiſſione, precibuſque fidelium, pacem tandem & communionem perciperent. Atque de hac manuum impoſitione loquuntur canones Conciliorum, XIX. Laodiceni, XI. Toletani tertii, LXXX. quarti Carthaginenſis, S. Pater Auguſtinus lib. III. de Bapt. cap. 16. & alii apud Albaſpinam, & Lupum in locis nuper productis. De ea & nos pertractavimus cap. I. libri ſecundi ac triceſimi. Poſt hunc pœnitentiæ ritum peractum, catechumenis abeuntibus, ſubſtrati quoque egrediebantur e templo ante oblationem, ut liquet ex laudato canone Laodiceno: ideoque ſubſtratio ita definitur a Gregorio Thaumaturgo, ſi tamen is eſt canonicæ Epiſtolæ auctor, *Subſtratio autem eſt, ut intra portam templi ſtans cum catechumenis egrediatur*, Ἡ δὲ ὑπόπτωσις, ἵνα ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἱστάμενος μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχηται.

VIII.

De Gradu IV. ac poſtremo. A tertio pœnitentes ad quartum gradum tranſibant, ubi cum fidelibus aliis ſacris myſteriis adſtabant, non tamen ipſi ſacrificanda offerebant, nec nomen ipſorum ad altare recitabatur, nec de oblatione, ſcilicet, de Euchariſtia ex oblatis muneribus conſecrata participabant. Idcirco gradus ille dicebatur *Conſiſtentia*, Græce σύστασις, quæ in canone Gregoriano ſic deſcribitur: Ἡ σύστασις ἵνα συνίστηται τοῖς πιστοῖς, καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων, *Conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtant neque cum catechumenis egrediantur*. De his intelligendi ſunt antiqui canones, qui pœnitentibus, poſteaquam ſupplices & ſubſtrati fuerint, *orationibus communicare* permittunt, abſque *oblatione* tamen, & abſque *gratia perfectionis*, ut IV. & V. Ancyranus, & XII. Nicænus. Cum denique injunctam pœnitentiam compleſſent, diuque inter ambonem ac presbyterium conſtitiſſent, ad ſacra myſteria accedebant. Hinc Gregorianus canon concludit, *Poſtremo eſt participatio ſacramentorum*, τελευταῖον ἡ μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων: propterea alii *Methexim* quintum gradum, alii Pœnitentiæ exitum appellaverunt, ut dixi lib. XXXIII. cap. I. Atque de Gradibus publicæ Pœnitentiæ hæc tantum.

IX.

Præter communionis Euchariſticæ gratiam, alia permulta publicis pœnitentibus negabantur. Principio enim non poterant pœnitentes ad ſacros Ordines promoveri, ut conſtat ex Conc. I. Toletano cap. 2. ex Toletano III. canone 12. ex Carthaginenſi IV. can. 68. & ex Epiſtolis Gelaſii, Innocentii I. Joannis, & Gregorii II. Inhibitum deinde illis erat matrimonium contrahere, ut liquet ex canone 21. Synodi II. Arelatenſis, 8. ſextæ Toletanæ, 30. Synodi Wormacienſis, cujus tamen canone 37. niſi continere ſe potuerint, conjugium permittitur, *ne in fornicationis voraginem incidere videantur*. At hæc Synodus poſterior eſt, anni ſcilicet, 868. Præterea conjugati pœnitentiæ tempore abſtinere debebant ab uxoris amplexibus, ideoque illis pœnitentia injungi non poterat, niſi altero conjuge conſentiente, ut habetur cap. *Pœnitentia conjugatis*, XXXIII. q. 4. Vide & S. P. Auguſtinum lib. I. de Adulterinis conjugiis, cap. 2. Inſuper vetitum erat pœnitentibus militare, nec deponere tantum debebant *militiæ cingulum*, ubi aderat periculum idololatriæ, ut jubet canon Nicænus duodecimus, verum etiam armis ſeſe exuere, maxime ſi homicidium perpetraſſent, ut ad Aſtulphum ſcribebat anno 794. Paulinus Aquilejenſis, extatque Cap. *Admonere te cum lacrymis*, XXXIII. q. 2. Rurſus pœnitentes non poterant comas nutrire, ſaccum abjicere, & uti nitidis veſtimentis, juxta canonem 15. Concilii Agathenſis, 12. Toletani Tertii, & 25. Arelatenſis ſecundi. Pedeſtres quoque jubebantur incedere, ut apparet ea libro VI. decretorum Burchardi capite primo. Fungi etiam debebant pollinctorum officio, ideſt, curare, ac ſepelire mortuorum cadavera, aliaque abjectiſſima miniſteria in Eccleſiis exercere, prout ſtatuit canon 18. Concilii IV. Carthaginenſis. De his, ceteriſque publicis pœnitentiis breviter ſimul, & accurate pertractavit Joannes Maldonatus tom. 2. de Sacramentis pag. 136. & ſequentibus. At præter iſtas pœnitentibus ſingulis communes, erant pœnæ peculiares delictorum, deſcriptæ in collectionibus canonum, & in vetuſtis Pœnitentialibus. — Pœnitentiæ communes enumerantur.

X.

Quænam vero delicta pœnitentiis publicis multarentur, inter Theologos paullo difficilior eſt quæſtio. Sirmondus enim, cui plurimi adhæſerunt, in Hiſtoria Pœnit. Publicæ cap. 2. pag. 482. tom. IV. affirmat gravioribus tantum criminibus & publicis ipſam pœnitentiam fuiſſe impoſitam: quod vir clariſſimus probat primum argumentis ex Auguſtino depromptis. Nam S. Pater cap. 65. Enchiridii docet in actione Pœnitentiæ eum, qui crimen commiſit, *a Chriſti corpore ſeparari*. At in Epiſt. 54. ad Macedonium, num. 153. num. 6. docet eos a ſocietate altaris removeri, *quorum crimina manifeſta ſunt*. Igitur his ſolum, quorum crimina erant publica, pœnitentiæ publicæ dabatur actio. Deinde S. Pater Auguſtinus Homilia 50. nunc Serm. 351. quem Poſſidius appellat *Librum de utilitate agendæ pœnitentiæ*, tres pœnitentiæ actiones diſtinguit, primam, *quæ novum hominem parturit, donec per baptiſmum ſalutarem omnium præteritorum fiat abolitio peccatorum*; atque hæc eſt pœnitentia peracta in gradu *audientium* a catechumenis ante baptiſmum: alteram, *cujus actio per totam iſtam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetuæ ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt*; & hæc eſt pœnitentia quotidianorum peccatorum, pro quibus eleemoſynas, orationes, & jejunia quiſque offerre non ceſſat: tertiam vero, *quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait; Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*: & hæc ſpectat ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſiquidem Auguſtinus de illo, cui talis pœnitentia neceſſaria eſt, ſubjicit, *Veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & a præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum*. Quiſnam obſecro, eſt modus ille? *Ut ſi peccatum ejus* (nota verba Auguſtini) *non ſolum in gravi ejus malo*, — Argumenta, quæ demonſtrant peccata occulta non fuiſſe publicæ pœnitentiæ ſubjecta.

malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videatur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, ne lethali, & mortifera plaga per pudorem addat tumorem. Aperte igitur Auguſtinus docet publicam pœnitentiam iis tantum eſſe injungendam, qui peccarunt cum aliorum ſcandalo, idque etiam prudenti conſilio Antiſtitum, atque ſi ad aliorum exemplum, atque ædificationem expediat. Addit Auguſtinus, neminem ad publicam pœnitentiam adigi poſſe, *niſi aut ſponte confeſſum, aut aliquo ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum*; quæ verba *ſponte confeſſum*, non de occultis criminibus, ſed de illis, de quibus ſermonem inſtituit, ideſt, patratis cum aliorum ſcandalo & offenſione, ſunt certiſſime accipienda. II. Proximo cap. 4. pag. 488. confirmat Sirmondus ſententiam ſuam auctoritate canonum, qui vetant ne ob occulta delicta imponatur pœnitentia publica. In collectione quippe canonum Africanorum cap. 99. legitur: *Si quando Epiſcopus noverit aliquem ſibi publicum crimen eſſe confeſſum, atque ille neget & pœnitere noluerit, non putet ad injuriam ſuam Epiſcopus pertinere, quod illi ſoli non creditur; & ſi ſcrupulo propria conſcientiæ ſe dicat neganti nolle communicare, ſecreto tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet.* Idem habetur in Codice canonum Eccleſ. Africanæ n. 132. & cap. 5. Concilii VII. Carthaginenſis, & in canone VIII. Synodi Vaſenſis, ubi hæc leguntur: *Quod ſi tantum Epiſcopus alienum ſceleris conſcium noverit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat, ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret.* Haud ſecus ſtatuunt Concilia Arelatenſe VI. Cabilonenſe ſecundum, & Remenſe ſecundum; de quibus eo loci Sirmondus. III. Is tandem aſſertum corroborat teſtimoniis, & conſuetudine eorum, quos Patres honoris cauſa nominamus. Ambroſius enim *cauſas criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum ſint magis, quam accuſatores apud homines*: ita nempe narrat Paulinus Notarius in ejus vita num. 39. S. P. Auguſtinus ſerm. 82. num. 11. loquens de adulteris peccantibus in ſecreto, *Nos*, inquit, *non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum: Non tamen vulnus illud negligimus*, &c. Accedunt Capitula Hincmari, quæ habentur tom. 1. edit. Cramoiſianæ p. 730. quibus Sacerdotibus mandat, ut ad accipiendam canonicam pœnitentiam compellant eos tantum, qui perpetraverint *publicum homicidium, aut adulterium, ſive perjurium, vel quodcumque criminale peccatum.* Et demum Ludovicus Pius lib. 6. cap. 96. rapinam facientis pœnam ad hunc modum diſtinguit: *Si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam, juxta ſanctorum canonum ſanctionem: ſi vero occulte, Sacerdotum conſilio ex hoc agat pœnitentiam.* Per leges itaque Eccleſiaſticas, (inquit Sirmondus) occultis criminibus nunquam licuit publicam pœnitentiam infligere.

X I.

Momenta, quæ ſuadent oppoſitum.

Exiſtimarunt nihilominus viri plures doctiſſimi, atque hos inter Morinus lib. v. cap. 8. & ſeqq. Nat. Alexander Diſſert. 6. ſæc. 3. Dionyſius Petavius in Animadverſ. ad hæreſim 59. Epiph. tom. 2. pag. 248. Juenin cap. 7. art. 1. Carolus Witaſſe de Pœnit. pag. 352. &c. etiam peccatis occultis ſea prioribus ſæculis impoſitam fuiſſe publicam pœnitentiam: quod commonſtrant argumentis depromptis ex canone 32. Concilii 3. Carthaginenſis, atque auctoritate Origenis, Cypriani, Baſilii Magni, Innocentii primi, Auguſtini; de quibus vide cap. 2. theſi IV. Idem confirmant ex celebri facto Nectarii: ex quo conſtat mulierem, priuſquam occultum ſtupri crimen cum Diacono perpetratum patefaceret poſt ſecretam confeſſionem, pœnitentiam publicam ſubiiſſe: de quo itidem facto plura diximus primo capite. Tertio idem probant ex Ancyrano Concilio, cujus canone 16. interprete Gentiano Herveto ſtatuitur, ut qui inierint animalia rationis expertia communionem aſſequantur, *poſtquam quindecim annis ſubſtrati ac ſupplices fuerint*: canone 17. additur, ut eodem ſcelere inquinati, aut qui lepra contaminati fuerint, orent *inter hiemantes*, quod explicatum eſt paullo ſupra num. 5. canone 21. decernitur, ut per decennium gradus pœnitentiæ mulieres illæ percurrant, *quæ ſunt fornicatæ & fœtus in utero perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis faciendis dant operam*: canone 22. ita de homicidis definitum eſt: *De voluntariis cædibus, ſupplices quidem ſubſternantur.* Quæ utique crimina occultiſſima dicenda ſunt, tum quia nec homines flagitioſiſſimi audent illa palam committere; tum etiam quia ſi in vulgus ſparſa fuiſſent, gladio in ea animadverſum foret ab Imperatoriarum legum cuſtodibus. Rurſus peremptoria videntur Ambroſii verba lib. 1. de Pœnit. cap. 16. num. 90. quibus etiam cap. 1. uſi ſumus ad demonſtrandam adverſus Dallæum neceſſitatem Confeſſionis Sacramentalis, ideſt: *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit, quomodo iſta recipit, ſi ei communio non refunditur? Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret, & cum ſecundo & tertio fuerit dilata ejus communio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, fletus augeat*, &c. quæ utique & de occultis criminibus, & de publica pœnitentia evidentiſſime dicta ſunt. Accedunt denique exempla tum Genebaldi Laudunenſium Epiſcopi, de quo Hincmarus in Vita S. Remigii, tum Potamii Bracarenſis Antiſtitis, de quo Toletanum Concilium X. quorum primus a S. Remigio in manſiuncula in modum ſepulcri conſtructa recluſus fuit, alter a Patribus Toletanis perpetuæ pœnitentiæ addictus ærumnis, ob occultiſſima fornicationis crimina, ut præcitata diſſert. 6. Natalis Alexander enarrat.

X I I.

Utriuſque ſententiæ conciliatio.

Inter utramque ſententiam media noſtra eſt, quæ facile ſeſe ab utriuſque argumentis expediet. Dicimus enim nos, ſi accipiatur *Pœnitentia* pro Sacramento, quo peccatores ſubjiciuntur Eccleſiæ clavibus, & a Sacerdotibus reconciliantur, etiam peccata occulta obnoxia fuiſſe pœnitentiæ; quæ *publica* dici poteſt, quatenus idem ſacramentum in Eccleſia, proſtratis, gementibus, & a legitimis miniſtris ex divina inſtitutione confertur. Si vero accipiatur *pœnitentia*, ut in præſenti accipitur, pro publica peccatorum punitione; primum aſſero non fuiſſe illis injunctam, in quibus publicæ pœnitentiæ actio potuiſſet occulti criminis inducere ſuſpicionem, quod apertiſſime innuunt argumenta Sirmondi, confirmat publicæ pœnitentiæ finis, ſatisfactio ſcilicet Eccleſiæ exhibenda, & fidelium ædificatio, comprobatque lex ſigilli arctiſſima, atque inviolabilis. Arbitror deinde permultos, non impios tantum, verum etiam ſpectatiſſimæ vitæ, ſponte, non canonum auctoritate coactos pœnitentiam publicam ſubiiſſe; quod etiam Sirmondus pag. 492. demonſtrat teſtimoniis Auguſtini apertiſſimis, in ſermone 144. de Temp. 232. num. 8. ubi ait: *Aliqui ipſi ſibi pœnitentiæ locum petierunt, aliqui excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti ſunt*, atque in Epiſtola ad Seleucianam, & hom. 27. nunc ſerm. 352. num. 8. Idem confirmatur auctoritate canonum, qui etiam clericis publicam pœnitentiam petentibus definiunt non eſſe negandam, ut conſtat ex canone 4. Concilii primi Arauſicani an. 441. ex canone 29. Arelatenſis II. anno 457. & ex canone 12. Aurelian. I. an. 511. cum tamen Clerici, ut dicemus proximo num. XIV. non poſſent ad publicam pœnitentiam compelli, eo ſaltem tempore, quo Arelatenſis Synodus coacta fuit. Evincitur idem apertiſſimo teſtimonio S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, qui fertur obiiſſe anno 543. qui homilia 1. ex editis a Baluzio inquit: *Et ille quidem, qui pœnitentiam publice accepit, poterat eam ſecretius agere; ſed credo conſiderans multitudinem peccatorum ſuorum vidit ſe contra tam gravia peccata ſolum non poſſe ſufficere, ideo adjutorium totius populi cupit expetere.* Id denique confirmatur exemplis, tum Fabiolæ, de qua ſupra num. 5. tum Wambæ Gothorum Regis, & S. Gaudentii Valerienſis Epiſcopi, de quibus Volum. 2. Concil. Hiſpaniæ pag. 683. & pag. 700. ea namque, quæ ſupra commemorata ſunt de Genebaldo ac Potamio, non faciunt ad rem; quoniam unus in Epiſcoporum conventu crimen ſuum faſſus erat, alter ſubiit peculiarem pœnitentiam, non canonicam & definitam, de qua nunc loquimur. Affirmo tandem ex præſcriptione canonum, quibus certis peccatorum generibus certa pœnitentia ſtatuitur, non conſequi eidem pœnitentiæ obnoxios fuiſſe omnes reos peccatorum illorum; primum quia, ſi expediebat, publica pœnitentia conſilio Antiſtitum commutari poterat, ac debebat in privatam: deinde quia ex Epiſtola canonica Baſilii ad Amphilochium uxores adulteræ non erant pœnitentiis publicis niſi admodum caute ſubjiciendæ, ne illarum viri venirent in patrati adulterii ſuſpicionem, aut ne convictis præberetur cauſa mortis, ut liquet canone 9. & canone 34. quod utique affirmandum eſt de quolibet alio ſcelere, unde infamia, dedecus, maximumque incommodum poterat provenire, ac tandem quia publici pœnitentes, cum eſſent a communione ſeparati, *excommunicati* cenſebantur, ut inquit S. Cæſarius ſermone prælaudato; ideoque ſicut excommunicatio ferri nequit, niſi *ex certa & manifeſta peccati cauſa*, ut habetur cap. *Nemo Epiſcoporum*, XI. q. 3. ita publica pœnitentia certis tantum & manifeſtis criminibus infligenda erat; dicam verbo, pœnitentia publica peccatis publicis imponebatur, occultis vero, caute, circumſpecte, & pœnitente non invito, nec repugnante. Nunquam vero ex publica pœnitentia inferri poterat patratorum ſcelerum qualitas, quia peccatores diverſorum criminum rei in eodem gradu degebant, quia multi ultro ac ſponte illorum numero addicebantur, & quia penes Epiſcopos erat pœnitentiæ tempus definire, protrahere, & coarctare: quare ut modo ex frequenti aliorum confeſſione, ex illorum afflictationibus, ex pœnitentiæ operibus non inferimus anteactæ vitæ flagitia, ſed pietatem honeſtatemque præſentis; ita ex fletibus, ex ſubſtrationibus, ex lugubri habitu pœnitentium nulla dedecoris nota, ſed optima illorum exiſtimatio, atque ſumma Eccleſiæ utilitas derivabat.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

Quæ præter tum ſcelera pœnitentiæ publicæ ſubjaceant obnoxia.

Certum inſuper eſt non omnia prorſus peccata lethalia publicis pœnitentiis fuiſſe multata. Tertullianus enim in libris de Pœnitentia, ac de Pudicitia tria dumtaxat crimina publice expianda commemorat, idololatriam ſcilicet, fornicationem, atque homicidium. Trium tamen horum peccatorum genere alia comprehenduntur, quæ ad illa tamquam ſpecies referri poſſunt: ut libellaticorum lapſus, de quo plura Cyprianus, & maleficia atque divinationes, de quibus Illiberitana Synodus canone 6. & Ancyrana canone 23. continentur ſub idololatria, & juxta eoſdem canones legibus pœnitentiæ ſubjiciuntur: falſum item teſtimonium, & occultorum criminum delatio Eliberino canone 73. & 74. excuſſio fœtus ex Ancyrano 20. atque præparatio veneficii, ex proximo canone 21. homicidii multis expiabantur; ac turpiſſimarum libidinum rei, juxta canonem 62. & 63. Baſilii, nec non juxta 17. Ancyranum, inter mœchos cenſebantur flagitioſiſſimi. Ceterum a pœnitentia publice agenda Synodus Neocæſarienſis an. 314. canone 4. eximit eos, qui tantum in corde ſuo concupiſcentia polluti ſunt, Illiberitana can. 44. Meretricem paganam ad fidem Chriſti converſam; Baſilianus canon 14. uſurarios, modo lucrum injuſtum diſtribuerint pauperibus. Hæretici etiam ad Eccleſiam catholicam revertentes aut per ſolam impoſitionem manuum, aut per unctionem Chriſmatis recipiebantur, ut diximus libro XXXII. cap. 9. & conſtat ex canone 8. Nicænæ Synodi, ex 7. Laodiceno, ex 1. Baſilii, atque ex decretis Stephani I. & aliorum Romanorum Pontificum ibidem productis. Teſtimoniis quoque ſanctorum Patrum evincitur plura peccata alia pœnitentia, quam publica, fuiſſe multata: nam Gregorius Nyſſenus in Epiſtola canonica ad Letojum affirmat, avaritiam abſque pœnæ medela fuiſſe a Patribus prætermiſſam, quam tamen Apoſtolus malorum omnium radicem eſſe pronuntiavit. S. P. Auguſtinus Epiſt. 64. ad Aurelium, nunc 22. n. 3. ait comeſſationes & ebrietates, quæ tunc temporis in honorem beatiſſimorum Martyrum celebrabantur, quamvis eſſent fœditas flagitioſa & ſacrilega, non tamen ſeveriori diſciplina fuiſſe punitas; & num. 5. addit, *non aſpere, non duriter, non modo imperioſo* tollenda eſſe, ſed magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando, quoniam ita agendum videtur cum multitudine; ſeveritas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Atque ita ſe geſſit prudentiſſimus ac ſapientiſſimus Pater in ea conſuetudine exſtirpanda, ut idem narrat Epiſtola altera ad Alipium Epiſcopum Thagaſtenſem 167. nunc 29. Denique Leo Magnus Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem cap. 17. ſcribit ad publicam pœnitentiam cogendos eſſe, qui aut idola adoraverint, aut homicidiis & fornicationibus fuerint contaminati, eos tamen poſſe fieri ſacramentorum Chriſti participes, *qui convivio ſolo Gentilium & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt & jejuniis, & manus impoſitione purgari*. At plura de hac quæſtione Morinus libro V. cap. 4. Natalis Alexander citata diſſert. VI. ſæculi 3. q. 1. Tournely quæſt. VIII. art. 3. Witaſſe q. V. art. 3. ſect. 2.

XIV.

Num & Clerici pœnitentiam ſubierint publicam, & canonicam.

Difficilis inter eruditos agitur controverſia, num etiam Clerici primis Eccleſiæ ſæculis tenerentur ſubire publicam pœnitentiam, a qua ſeptimo ſæculo fuiſſe immunes conſtat ex canone 29. Concilii IV. Toletani anno 633. celebrati. Ergo Natalis Alexander, Morinus, Juenin, Vitaſſius aliique cenſent tribus prioribus ſæculis clericos omnes, etiam majoribus ordinibus initiatos, publicæ pœnitentiæ fuiſſe addictos, quarto autem vertente ſæculo eo illo onere majores, non minores clericos fuiſſe levatos. Et quod de prioribus ſæculis ajunt, nituntur probare monumentis Hiſtoricis; nam conſtat in Epiſtolis Cyprianicis 19. 52. 59. 64. & 68. recenſeri pœnitentiam Felicis, Trophimi, Victoris, Fortunatiani, ac Baſilidis, qui omnes erant charactere ſacrorum ordinum inſigniti: adducunt ex H. Eccl. Euſebii lib. V. cap. ult. pœnitentiam Natalii, atque ex libro VI. cap. 43. alterius Epiſcopi a ſchiſmate Novatianorum reverſi. Idem probant ex Optato Milevitano, qui lib. 1. n. 19. refert in diſſidiis circa ordinationem Cæciliani Purpurium dixiſſe, *Exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de Pœnitentia*, alludens proculdubio ad pœnitentiæ publicæ ritum. Proferunt & canonem 1. Neocæſarienſem, & 18. ac 76. Eliberitanum, quibus majoribus clericis homicidis, aut mœchis publica pœnitentia præſcribitur. Sæculo autem IV. a pœnitentia publica exemptos fuiſſe majores clericos, nituntur oſtendere ex canone 3. Baſilii, ex 11. Concilii V. Carthaginenſis, atque ex Epiſtulis Siricii ad Himerium Tarraconenſem, & Leonis Magni ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, qui aperte ſcribunt, nulli clericorum publicam pœnitentiam injungi. II. At aliis Theologis placet, nec tribus primis, nec ſubſequentibus ſæculis clericos majores pœnitentiæ, de qua loquimur, fuiſſe ſubjectos, ad quorum Theologorum partes accedo. Primum quia præcitato canone 11. Concilii V. Carthaginenſis celebrati an. 398. legitur: *Confirmandum eſt, ut ſi quando presbyteri, vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe ſit removere, non eis manus, tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis, imponatur*. Quo utique canone non inducitur nova diſciplina, ſed *confirmatur* antiqua. Leo item Epiſt. 92. ad Ruſticum, num. 2. c. 2. ita an. 443. ſcribebat: *Alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit*. In hoc duplici canone, inſerto XXVI. q. 6. non ſolum a publica pœnitentia majores clerici declarantur immunes, verum etiam id aſſeritur eſſe juxta Eccleſiaſticam conſuetudinem, & Apoſtolicam traditionem. Quomodo ergo priuſquam canones illi prodirent, viguit oppoſita diſciplina? Deinde S. Baſilius canone 51. rationem profert, cur antiqui canones clericos pœnitentiæ non ſubjicerent, quia nempe in iis, qui lapſi ſunt, *unum ſupplicium* debet decerni, in clericis autem ſupplicium illud eſt *a ſacris miniſteriis amoveri*. Vide tom. 2. pag. 774. Longe ante Baſilium an. 306. edidit quoſdam canones S. Petrus Epiſcopus Alexandrinus, qui habentur in Bibliotheca Patrum, & in ultimis collectionibus Conciliorum, quorum canonum 10. ſtatuitur, ut *Clerici lapſi miniſterio ſuo ſpolientur, & contenti ſint laica communione*. Rurſus Optatus Milevitanus libro 2. contra Parmenianum n. 26. affirmat nulli majorum clericorum poſt thurificationem fuiſſe ad ſua uſque tempora manus impoſitas, redarguens Donatiſtas, qui lapſis clericis ad Eccleſiam redeuntibus *manum imponebant*, quod pariter reprehendit S. P. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo cap. 1. n. 2. Parum vero urgent argumenta contraria, ſi aliqua præſupponamus: primo fuiſſe, ut nuper diximus cum Baſilio, ſupplicium clericorum amoveri ab Eccleſiaſticis miniſteriis, atque inter plebem redactos donari tantum laica communione: deinde etiam clericos aliquos ſponte pœnitentiam publicam ſubiiſſe, ut diximus ſupra n. 12. ac tandem non omnem pœnitentiam publicam fuiſſe pœnitentiam canonicam, ut ibidem advertimus. III. Nil ergo in contrarium evincunt exempla ſuperius producta. De Felice enim reſpondet Cyprianus ad Caldonium Ep. 19. neque illum, neque fideles alios pro Chriſti fide in exilium pulſos, ſubjiciendos eſſe pœnitentiæ, ea *quod maculam priſtinam potiore virtute deleverint*; presbytero autem (ſi tamen erat presbyter) pœnitentiam eamdem cum laicis ſubeundam Cyprianus nequaquam aſſerit. Trophimus, de quo epiſt. 52. ad Antonianum, *ſic admiſſus eſt, ut laicus communicet*: Victoris in Epiſt. 59. ad Fidum, *plenam pœnitentiam* legimus, pœnitentiæ ritum non legimus: a Fortunatiano Epiſt. 64. ad Epictetum hoc S. Martyr exigendum affirmat, ne poſt ſacrilega idolorum ſacrificia, *audeat ſibi ſacerdotium, quod prodidit, vindicare*, quod eſt in plebis ordinem redigi: Baſilidem itidem ac Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, prohibet Cyprianus Epiſt. 68. *Epiſcopatum gerere, & ſacerdotium Dei adminiſtrare*, non denegans illis laicam communionem. Natalem a Theodoto coriario deceptum ſeſe ſponte ad Zephyrini pedes abjeciſſe, & omnium commiſeratione fuiſſe ad communionem admiſſum, narrat cit. cap. ultimo Euſebius. De Epiſcopo Novatianæ factionis ad Eccleſiam reverſo ſcribit apud eumdem Hiſtoricum S. Cornelius in Epiſt. ad Fabium, pag. 243. Edit. Valeſ. *Cui tamquam laico communicavimus*, ᾧ ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ. Purpurius autem, de quo Optatus, Donatiſta erat, ac Donatiſtæ iterum baptizabant, manuſque imponebant adverſus Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut conſtat ex dictis, nec non ex Synodo Romana Melchiadis, de qua idem Optatus lib. 1. num. 24. Canon Neocæſarienſis tantum præcipit, ut presbyter fornicarius *extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur*, ideſt, ab altari emoveatur, & pœnitentiam agat, non autem ſolemnem illam, de qua diſſerimus. Denique 18. Illiberitanus de reconciliatione canonica, ne dicamus approbaſſe hæreſim Novatianam, eſt explicandus, negat enim clericis lapſis in fornicationis crimen, communionem in fine, ideoque mandat ut a gradu dejecti cum laicis dumtaxat communicent: & canon 76. loquitur de Diacono irregulariter, & cum reatu capitalis criminis ordinato, mandans ut abjiciatur a Clero, ob iſtique aliquo etiam tempore a communione. Neque enim omnes ad ordinem laicorum redacti ſtatim de Chriſti corpore participabant, quamquam eis neque intra foras Eccleſiæ, neque pone ambonem eſſet conſiſtendum. Ceterum clericis pœnitentiam agendam, & quidem luctuoſam, reiſque notiſſimi criminis publicam etiam, ad laicorum ædificationem, probabilius exiſtimo, et non pœnitentiam canonicam deſcriptis gradibus peragendam, ſed degradatione, ergaſtulo, arctiſſima monaſteriorum clauſura, aliiſque animadverſionibus ab Epiſcopo ſtatuendis: non enim Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptis fas eſt impune delinquere, & Eccleſiæ, quam moribus dehoneſtarunt, decus, dignitatem, atque exiſtimationem non reparare.

XV.

De multiplici manuum impoſitione in pœnitentia ſolemni.

Et quoniam permulti, dum in veterum ſcriptis legunt *impoſitionem manus*, intelligunt aut ſubſtrationem, aut reconciliationem publicam pœnitentium, advertendum eſt in pœnitentia publica non unam impoſitionem manuum fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, ut recte Sirmondus cap. 7. & Albaſpinæus lib. 2. obſervat. 31. ſcripſere. Imponebantur itaque lapſis manus, quando ab Epiſcopo ad pœnitentiam agendam admittebantur: de qua manus impoſitione aperte loquitur canon 15. Concilii Agathenſis productus ſupra num. 3. canon 12. Concilii Toletani XI. an. 675. & S. Leo in Epiſtola ad Ruſticum ſuperiori numero laudata. Altera manus impoſitio, & quidem ſæpe iterata, ac repetita, ea eſt, de qua ſupra diximus explicando tertium pœnitentiæ gradum: & de qua canon 11. Synodi tertiæ Toletanæ an. 589. ait, *Pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere*, ac 80. Concilii IV. Carthaginenſis an. 398. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a Sacerdote imponatur*, nec non S. P. Auguſtinus ſerm. 144. de Temp. nunc 232. num. 8. *Abundant hic pœnitentes: quando illis imponitur manus, fit ordo longiſſimus.* Tertia eſt manus impoſitio, qua expleto ſubſtrationis tempore pœnitentes quartum gradum ſubibant: quod abſolutione Sacramentali, & reconciliatione factum non fuiſſe exiſtimat citato in loco Gabriel Albaſpinæus, Petavius etiam in animadv. ad Epiph. pag. 252. necnon Merbeſius diſſert. IV. q. 75. Apparet enim ex Epiſtolis Cypriani 10. 11. ac 12. pœnitentibus, priuſquam jus communicationis acciperent, manum ab Epiſcopo, & a Clero fuiſſe impoſitam, & digredientes a tertio ad quartum gradum ſortitos fuiſſe cum cæteris fidelibus communionem in omnibus divinis humaniſque rebus, oblationa tantum, & Euchariſtia exceptis. Quarta demum impoſitio manus fiebat exacta omnino pœnitentia, & gradibus ſingulis decurſis; tunc vero majori reconciliatione accepta pœnitentes etiam oblationi, & corpori Dominico participabant. Quare hæc impoſitio manus appellatur abſolute *reconciliatio*, quia per illam lapſis reſtituebatur jus omne ad obligationes, & ad ſacroſancta myſteria. Hinc in canone 78. Concilii Carthaginenſis IV. legitur: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupravixerint*: & in 3. Concilii I. Arauſicani, *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi*. Ex quibus ſupra cap. 12. th. 9. inferebam duplicem eſſe reconciliationem, ſacramentalem unam, alteram vero canonicam & ſolemnem; non enim morientibus data fuiſſet communio Euchariſtica abſque abſolutione ſacramentali.

XVI.

De ſolemni Pœnitentium Reconciliatione.

Solemnis reconciliatio pœnitentium in Romana præſertim Eccleſia, atque in Eccleſiis aliis Occidentalibus, fere omnibus, fiebat olim feria V. majoris hebdomadæ, ut conſtat ex Epiſtola Innocentis I. ad Decentium cap. 7. ex canone 47. Concilii II. Cabilonenſis anno 813. ex Capitulis Herardi Archiepiſcopi Turonenſis cap. 14. ex Homilia IV. Sancti Eligii, ex canone 35. Iſacii Epiſcopi Lingonenſis, ex Auctore ſerm. de Unctione Chriſmatis inter Opera Cypriani, ex iis, quæ de Fabiola narrat Hieronymus ad Oceanum ſcribens, atque ex Scriptoribus omnibus, qui egerunt de Ritibus Eccleſiaſticis. Hæc reconciliatio a ſolo Epiſcopo, & neceſſitate aliqua urgente, a presbytero, cui Epiſcopus id muneris demandaſſet, peragi poterat juxta cap. *Presbyter inconſulto*, XXVI. q. 6. depromptum ex canone 31. Concilii III. Carthaginenſis an. 397. & cap. *Si jubet*, eadem quæſt. VI. numero 1. & cap. *In capite*, 1. 50. n. 64. Hujus reconciliationis Ritus non tantum deſcribitur in antiquis & recentioribus Pontificalibus, verum etiam a Sozomeno libro VII. Eccleſ. Hiſt. cap. 16. qui narrat, quomodo Pontifex obviam pœnitentibus procedat uſque ad Eccleſiæ oſtium, eos apprehenſa unius manu introducat, certiſque præmiſſis precibus reconciliet. Obſervo autem in Pœnitentiali Theodori cap. 14. olim in Eccleſia Romana hanc reconciliationem factam fuiſſe *intra abſidem*, partem ſcilicet ſacræ ædis interiorem, in qua locatur altare, proprio fornica convolutam: at in Romano Pontificali peragenda præſcribitur prope faldiſtorium in medio Templi paratum. Reconciliati ſordidis veſtibus, barba, crinibuſque depoſitis, ornabantur cultioribus indumentis, exemplo Joſeph (inquit Gulielmus Durandus lib. VI. Ration. cap. 73.) quem ad imperium regis educentes de carcere *totonderunt, & veſte mutata obtulerunt ei*, Gen. XLI. 14. At plura de hac reconciliatione Sirmondus cap. 9. pag. 503. Menardus not. 677. in Sacrament. Gregorii, Martene lib. 1. cap. 6. art. 3. num. 10. & vir præſtantiſſimus Joſeph Catalanus comment. in 3. p. Pontificalis Romani.

XVII.

Solemnis pœnitentia ſemel tantum impoſita.

Unum dicendum ſupereſt, pœnitentiam ſolemnem nunquam fuiſſe iterandam. Ambroſius enim lib. 2. de Pœnit. cap. 10. num. 95. *Sicut unum baptiſma* (inquit) *ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur*; & S. P. Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium, nunc 153. num. 7. docet, *locum humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedi*. Hinc tamen non ſequitur eis, qui iterum peccabant, pœnitentiæ aditum fuiſſe præcluſum, neque privata pœnitentia illos fuiſſe unquam reconciliatos. Etſi enim pœnitentia ſolemnis non iterabatur, *ne medicina ſalubris fieret contemptibilis*, ut ait ibidem Auguſtinus; incredibile tamen nobis videtur, miſerrimos homines in eadem, aut in graviora ſcelera, poſt peractam publicam pœnitentiam prolapſos, ab omni ſpe veniæ fuiſſe perpetuo dejectos. Oppoſitum enim probant fere omnia argumenta, quibus prima parte hujus libri cap. 3. adverſus Novatianos oſtendimus, neminem prorſus eſſe, qui a pœnitentia agenda debeat prohiberi, neminem, qui pœnitentiam agat, & obtinere non poſſit miſericordiam a Deo, & pacem per Sacerdotes. Audio quidem nonnullos ita ratiocinantes: Si lapſi per privatam pœnitentiam poterant iterum reconciliari; qua ratione medicina ægrotis ſubminiſtrata non evadebat vilior & contemptibilis? Nonne vilior facta eſſet, ſi privata pœnitentia publicam ſuppleviſſet? Quo inſuper pacto explicari poterunt veteres canones, quibus lapſis poſt pœnitentiam acceptam negatur *etiam in fine* communio? Quo demum jure vera erit ſententia Ambroſii in Pſ. 118. verſ. 58. *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*? At dicimus duplici reconciliatione ſuppoſita, hæc, aliaque id genus momenta nullam habere difficultatem. Perarduum quippe erat lapſis in eadem, aut in alia ſcelera atrociora, in quorum remedium imponebatur ſolemnis pœnitentia, iterum aſſequi reconciliationem illam pleniſſimam, per quam etiam communionem Euchariſticam obtinerent, atque ita nunquam contemni poterat ſaluberrima & unica pœnitentiæ publicæ medicina. De illa ſolemni reconciliatione, & communione corporis Chriſti antiqui canones pertractabant: privatam vero pœnitentiam cum tranſactis, tum præterlabentibus ſæculis poſtulat forma & æquitas judicii, & ſemper fuit & eſt laborioſus quidam baptiſmus; ſemper denique a Sacramentorum adminiſtris danda eſt opera, ne ſceleroſi homines ob nimiam eorum facilitatem evadant deteriores.

CAPUT XIV.

Agitur de multiplici Pœnitentiæ effectu, præſertim vero de meritorum reviviſcentia.

Pœnitentiæ, & Confeſſionis Sacramentalis fructus permultos Theologi, Patreſque recenſent, duodecim S. Bernardinus Senenſis ſerm. de Confeſſ. tom. 2. art. 3. ſeptem S. Thomas Archiepiſcopus Valentinus in concione Dominicæ IV. Quadrageſimæ, quinque Scholaſticorum plurimi; novem nos canonum auctoritate permoti. At quoniam horum fructuum eximius eſt, ut merita, quæ per peccatum fuerant deperdita, reviviſcant: de hoc diſtincte tractari debet. Atque ut id facilius præſtemus, animadvertendum eſt, aliud eſſe opus bonum *mortuum*, aliud, ut inquiunt Theologi, *mortificatum*. *Mortuum* illud dicitur, quod fit ab impio gratia ſanctificante exſpoliato; quod tamen ſi fiat auxilio gratiæ actualis, & adjutorio Spiritus ſancti, non quidem *inhabitantis*, ſed prævenientis atque *moventis*, omnino mortuum non eſt; quoniam per novæ vitæ propoſitum, & interiorem gratiæ motionem incipit homo vivificari, ideoque credendo, ſperando, timendo, diligendo ad juſtificationem diſponitur. Verum hujuſmodi opera non habent jus ad ſempiternam gloriæ mercedem, ad quam requiritur vita ſpiritualis inhærens ac permanens, gratia nempe ſanctificans, per quam homo conſtituitur palmes vivus in Chriſto, filius Dei adoptivus, & habens jus ac meritum hæreditatis. Opus autem *mortificatum* illud eſt, quod ab homine juſto patratum fuerat, ideoque habebat jus ad gloriam, meritumque retributionis, ſed ſuperveniente mortali aliquo ſcelere, homo qui ſibi jus illud ac meritum comparaverat, ab eo excidit, nec poteſt ejuſdem operis fructum aſſequi. Quæritur itaque, an reſtituta homini gratia juſtificationis, atque Dei amicitia rurſus inſtaurata, redeat meritum illud deperditum: nam de operibus *mortuis*, quemadmodum tale meritum numquam habuerunt, ita certiſſimum eſt, non ita ea reviviſcere, ut illis debeatur æternæ vitæ retributio. Hujus quæſtionis occaſione inſtituitur quæſtio altera parum abſimilis de reditu peccatorum, ſcilicet, an peccata per pœnitentiam extincta ac dimiſſa redeant per ſubſequentem culpam, quantum ad reatum meritumque punitionis atque vindictæ. In hoc ergo capite primum mihi enumeranda ſunt pœnitentiæ commoda & utilitates; agendum deinceps de amiſſorum meritorum reparatione; ac tandem de regreſſu, & reditu peccatorum.

PROP. I. Novem ſalutaris Pœnitentia fructus producit.

Demonſtratur autem eoſdem fructus enumerando: quorum primus eſt, *remiſſio peccati, atque veniæ impetratio*. Pœnitentia enim deleri peccata affirmat Iſaias 1. 18. & LV. 7. Ezech. XVIII. at. Act. II. 38. definit Tridentinum ſeſſ. XIV. cap. 1. & confirmatur iis, quæ diximus alibi de juſtificatione, de neceſſitate confeſſionis, & de abſolutionis efficacitate. Atque de hoc Pœnitentiæ effectu extant Capp. *David quoque*, &, *Totam pœnitentiam peccatoris*, de Pœnit. diſt. 3. num. 23. & 24. Secundus effectus eſt, quod *pœnitentia non ſolum liberat* a pœna æterna, *quæ ſimul cum peccato dimittitur, verum etiam a pœna temporali*, quæ plerumque dimiſſis culpis manet luenda. Id vero conſtat ex dictis cap. X. prop. 1. & 3. necnon exemplo Achab, & Ninivitarum; quorum ille jejunio & ſacco impe-

travit,

travit, ut everſio domus ejus *differretur in poſteros*, ut loquit S. Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum, hi vero ſcilicet Ninivitæ pœnitentiam agentes a patriæ ſubverſione liberati ſunt, *& converſione ſua meruere indulgentiam*, ut idem Hieronymus ait ad cap. IV. Danielis, ubi pertractat de Nabuchodonoſor, & de Ezechia, in quibus pariter *mutatis operibus divina ſententia mutata eſt*. Hac etiam referri poteſt proloquium illud Ambroſianum lib. II. in Lucam n. 33. *Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum*. Atque habentur omnia de Pœnit. cap. *Novit*, *Si agamus*, *Quamobrem*, diſt. 1. & *Achab rex*, *Ninivitæ*. diſt. 3. Tertius pœnitentiæ fructus eſt, quod per eam *quis efficitur de corpore Eccleſiæ*, ut habetur cap. *Eccleſia Chriſti*. de Pœnitentia diſt. 1. n. 70. Quod non ita intelligendum eſt, quaſi omnis peccator ſit extra Eccleſiam, id enim falſiſſimum eſt, & hæreticum; ſed ita eſt accipiendum, ut qui ſunt extra Eccleſiam, hæreſi aut ſchiſmate ſeparati, pœnitentia peracta poſſunt iterum Eccleſiæ corpori copulari; & qui erant in Eccleſia tanquam membra mortua; dum vivificantur per gratiam Chriſti, ab ipſo, qui Eccleſiæ caput eſt, percipiunt ſpiritualium donorum influxus uberiores. Quartus fructus eſt, quod *per pœnitentiam reſtituitur homo ad honorem & dignitatem deperditam*. Ita ſcribit Gregorius Magnus in Epiſtola ad Secundinum lib. VII. Ep. 54. ubi affert exemplum Petri, *Quem Deus poſt ejus pœnitentiam miſericordia data ab Apoſtolatu non expulit*. Hinc tamen non ſequitur, eum qui uſum Eccleſiaſticæ dignitatis ob irregularitatem, vel cenſuram aliam deperdidit, acta pœnitentia poſſe officium priſtinum exercere, ſed quod poſſit cum eo diſpenſari juxta canonum definitiones. Videſis cap. *Quia ſanctitas*, *Cum exaudiero*, *Quicunque igitur*, De Pœnit. diſt. 1. n. 16. 19. 28. Quintus fructus eſt, quod homini *per pœnitentiam in Dei amicitiam redeunti redditur conſcientiæ pax animique tranquillitas*: unde Tridentina Synodus ſeſſ. XIV. cap. 3. ait: *Sane vero res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet*. Sexto pœnitentia facit, *ut bona opera per peccatum mortificata iterum revivifcant*, prout habetur cap. *Intermittentes*, de Pœnit. diſt. IV. n. 19. magiſque apparebit ex proxima poſitione. Septimo *per pœnitentiam reſtituuntur virtutes omnes per peccatum deperditæ*, ut docent Theologi cum D. Thoma q. 89. art. 1. ubi nota, habitus virtutum ſupernaturalium, ut fidei & ſpei, quæ etiam in peccatoribus perſeverant, quemadmodum & virtutes acquiſitæ, quæ peccato non amittuntur, per pœnitentiam non reſtitui *abſolute*, ſed ſolum quantum attinet ad perfectionem formamque virtutis, prout in præcitatum articulum obſervat Franciſcus Sylvius: Virginitatem autem, quæ non ſolum complectitur propoſitum vitandi quælibet oblectamenta venerea, verum etiam integritatem carnis, quorum primum Scholaſtici appellant *formale* hujus virtutis, aliud vero dicunt *materiale*, non poſſe ſecundum hanc poſtremam rationem redire, quo ſenſu accipiendum puto S. Hieronymum ſcribentem ad Euſtochium *non poſſe a Deo ſuſcitari virginem poſt ruinam*. Octavo Pœnitentia habet & ipſa, quemadmodum virtutes aliæ, proprium meritum; nam contritio, quæ eſt pœnitentiæ pars prima, ad juſtificationem diſponit; ſacramenti ſuſceptio ipſam juſtificationem ex opere operato producit, *& quoties digne ſuſcipitur* (inquit S. Thomas de Villanova præcit. conc.) *toties gratia augetur, & conſequens gloria*: ſatisfactio quoque temporalem pœnam avertit, & juxta ſatisfacientis fervorem confert ad gloriæ incrementum. Vide cap. *Qui egerit*, de Pœnit. diſt. 7. n. 3. Pœnitentia tandem præſtat, *ut homo ſurgat ad ampliorem firmioremque virtutem*, quam ante caſum habuerit. *Fidelior enim factus eſt Petrus, poſtquam fidem ſe perdidiſſe deflevit*, inquit hom. 3. de Pœnit. Petri S. Maximus Taurinenſis; iterumque Ambroſius in Apologia David cap. 2. n. 6. *Sancti, qui conſummare pium certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis, ſic ubi forte ut homines corruunt natura magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo majora reparantes certamina, ut non ſolum nullum attuliſſe exiſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe*. Atque hæc pariter habentur in Decreto diſt. 50. cap. *Fidelior factus*, & de Pœnit. diſt. 3. cap. *Ille rex*.

PROP. II. Bona opera peccato mortificata reviviſcunt per pœnitentiam.

Opera bona per ſubſequens peccatum mortale proprio fructu, meritoque exſpoliari, quod ut diximus, facit, ut appellentur *mortificata*, doctrina eſt fidei, quum certiſſimum ſit, juſtum, ſi a gratia ſanctificante exciderit, in ſua iniquitate moriturum; unde Ezech. XVIII. 26. legitur: *Cum enim averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis, in injuſtitia, quam operatus eſt, morietur*: & Joannes epiſt. 2. ad Electam verſ. 8. eam, ejuſque filios commonefaciens ne errore Baſilidis, & Ebionitarum corrumpantur, *Videte*, inquit, *voſmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis*: idemque Eccleſiæ Philadelphienſi Apocalypſ. 3. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*.

Reviviſcere itaque hujuſmodi opera, non in ſe inſpecta, & quatenus ſunt humani actus, ſub qua ratione prætereunt, non permanent, ſed in quantum *meritoria* ſunt, & ad æternam vitam perducunt; probamus 1. ex Scripturis. Enimvero Lucæ XV. 22. parabola filii poſt turpiſſimam vitam ad patrem revertentis, atque annulo, & priori ſtola exornati, ſignificavit Dominus peccatori pœnitentiam agenti antiquorum meritorum decora, & gratiarum ornamenta reſtitui: ideoque ſanctiſſimus Nolanus Præſul a Deo pœnitentiæ virtutem expoſtulans in carmine de obitu Celſi ajebat:

Tunc Patre placato meriti reddantur honores,

atque Vienneuſis Præſul Alcimus lib. 3. de ſententia Dei,

Forma vetus nimirum lacero circumdata pepla
Jam veteri ſciſſam ponat cum crimine veſtem,
Pallia prima Pater redeunti porrige proli.

Deinde Apoſtolus ad Galatas III. 3. eos redarguens, qui Chriſti fide ſuſcepta, pluribuſque meritis comparatis ad Moſaicæ legis reverſi fuerant ſervitutem, *Tanta*, inquit, *paſſi eſtis ſine cauſa. Si tamen ſine cauſa?* Quorum verborum planiſſimus ſenſus eſt, oportebat ne, ut tot labores ærumnaſque ferretis pro Chriſti nomine, ſi juſtitiam expectando ab operibus legis opera veſtra irrita futura erant, ac nulla? At ſpem tamen talia nequaquam fore, ſi ad officium ſtudiumque veritatis Evangelicæ redieritis. Docuit ergo Apoſtolus præfuturas Galatis perſecutiones, quas paſſi erant fidei cauſa, ad Judæorum vero ritus legiſque obſervationem reverſi meritum illarum amiſerant, dummodo ad ſemitas Evangelii revocarentur; atque ita hunc locum exponunt Patres paullo poſt laudandi. Idem Apoſtolus ad Hebræos VI. 10. ait: *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, qui locus tametſi expreſſe opera *mortificata* non comprehendat, ea tamen non excludit, tum quia pronunciatur indefinite, atque in ipſa opera quadrat quod de divina juſtitia ſubjiciam; tum etiam, quia cap. *Intermittentes*, quod verbis ejuſdem capitis ſexti Paulinæ epiſtolæ fabricatum eſt, loquitur de operibus meritoriis: *Hæc ſicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reviviſcunt, & ad meritum æternæ beatitudinis ſingula prodeſſe incipiunt*. Rurſus Tridentina Synodus ſeſſ. VI. cap. 16. declarat operibus, *quæ in Deo ſunt facta*, ab homine juſtificato, ſi tamen in gratia deceſſerit, *vitam æternam ſuo tempore conſequendam*. At opera de quibus diſſerimus, *in Deo facta ſunt*. His ergo operibus juſtificati conſequuntur vitam æternam. Præterea Patres eorumdem operum merita in his, qui peccata deflent, agnoſcunt. Etenim Chryſoſtomus in cap. 3. Epiſtolæ ad Galatas exponens verba ſuperius producta, inquit: *Si volueritis expergiſci, & revocare vos ipſos, non fruſtra paſſi fueritis, οἱ γὰρ βουληθῶσιν ἀνανῆψαι, καὶ ἀνακτήσασθαι ἑαυτοὺς οὐκ εἰκῇ*. S. Hieronymus in idem caput tertium: *Quicunque ob Chriſti fidem laboraverit, & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora ſine cauſa dicitur paſſus fuiſſe dum peccat; ſic rurſus non perdit ea, ſi ad priſtinam fidem, & ad antiquum ſtudium revertatur*. Ac S. Anſelmus ibidem: *Sine cauſa enim paſſi eſtis ſi in hoc errore perſeveretis; non ſine cauſa, ſi reſipiſcatis*. Accedit poſtremo Theologica ratio: primum quia bonis operibus ex divina promiſſione & æquitate juſtitiæ debetur merces. Hæc autem juſtitia in Deo immobilis perſeverat, & tantum mutatur *extrinſece*, quatenus ille, cui merces reddenda erat, peccati labe inquinatus ſeſe reddidit ejuſdem mercedis prorſus indignum. Si is ergo extrinſecum hunc juſtitiæ obicem, propriam ſcilicet iniquitatem abjiciat, prior juſtitia, quæ coronam ac præmium ſtatuerat, integra atque immobilis perſeverat. Hinc S. P. Auguſtinus ſermone 109. de Temp. nunc 23. n. 6. ait: *Mutatus eſt reus, mutavit judex ſententiam. Noli terreri. Sententia mutata eſt, non juſtitia. Juſtitia integra manet*. Ad hæc non minoris efficacitatis eſt gratia, quam ſit culpa; ſi ergo culpa meritum præcedentium operum impedit, idem meritum gratia rurſus inſtaurat ac ſuſcitat; incredibile demum eſt, hominem juſtum, qui virtutum ſtudiis incumbens ſupellectilem meritorum eximiam, locupletem, ampliſſimamque ſibimet comparavit, deinde vero in peccatum prolapſus eamdem amiſit, hujus peccati maculam delens vehementi contritione & luctuoſa pœnitentia, talem ante Dei tribunal apparitunum, qualis ille erit, qui poſt perditiſſimam vitam, maximamque copiam demeritorum, pœnitentiam agens & Deo reconciliatus exſpirat.

Adverſus hanc propoſitionem illa objiciuntur: Peccatum mortale facit, ut omnia opera bona, quæ præceſſerunt, pereant, & apud Deum mandentur oblivioni; nam Ezech. XVIII. 24. legitur: *Si autem averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, numquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Deinde ipſum mortale peccatum gratiam ſanctificantem, & caritatem *habitualem* extinguit. Irreparabiliter ergo tollit omne meritum, & jus ad gloriam in eadem gratia, & caritate fundatum. Ulterius: Peccavit Adam & originariam juſtitiam deperdidit; numquid potuit eam per pœnitentiam recuperare? Minime gentium. Item ſi Virgo corrumpatur, poterit ne acquirere virginitatis coronam? Nec illud quidem. Quid vero de iis, qui illam vitæ integritatem, quam *innocentiam* appellitant, primæ culpæ inquinamento labefactant?

Hi quoque damnum ſubeunt irreparabile. Falſum eſt itaque pœnitentia præcedens meritum reſarciri. Præterea ſi impius juſtificetur, non tamen habeat caritatem illam adeo flagrantem, quam ante lapſum habuerat (Gratia enim & caritas augmentum ac diminutionem recipit, ut diximus libro xix. cap. ultimo) tunc non habebit meritum illius gloriæ, quam conſecuturus erat ſi non peccaſſet. Non ergo meritum præcedentis juſtitiæ vivificatur. Tandem peccata per pœnitentiam dimiſſa per ſubſequens peccatum non redeunt; ergo & opera per peccatum mortificata per ſubſequentem pœnitentiam non reviviſcunt.

Reſp. ad 1. Ezechielis verba accipienda eſſe de impio in abominatione iniquitatum ſuarum perſiſtente; ait enim Propheta hominem illum nec vitam conſecuturum, nec priſtinæ juſtitiæ mercedem: *Numquid vivet?* inquit, *Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* At ſi impius ille *averterit ſe ab impietate ſua*, ut ibidem Propheta ſubjicit, *ipſe* animam ſuam *vivificabit*. Igitur & recordabuntur juſtitiæ ejus, quas fecerat. Ad alterum nego conſequentiam; non enim Gratia ſanctificans, & caritas *habitualis* irreparabiliter extinguitur; ſed per pœnitentiam recuperatur; atque ea recuperata redit quoque mercedis ac retributionis jus priſtinum. Tertium hac ratione diluitur. Originalis juſtitia, virginitas, atque innocentia, præter jus ad gloriam fundatum in gratia ſanctificante, important aliquid aliud, ideſt, juſtitia originalis importat primordia cujuſque labis expertia, ac mentis & carnis tranquillitatem: virginitas integritatem corporis incorruptam; & innocentia probitatem vitæ nullo adhuc vitio contaminatam. Hæc utique irreparabilem jacturam patiuntur, quoniam fieri non poteſt, ut qui peccavit non peccaverit, & qui aliquid amiſit non amiſerit. Verum id non tenet de merito, quod bonis operibus tranſeuntibus perſeverat in juſto, atque inſtauratur in pœnitente. Tria enim ad meritum, quantum ad præſens attinet, requiruntur; opera libera ac ſupernaturalia quibus comparatur; ſanctificans gratia per quam habet vitam, dignitatem, ac perfectionem; ac Dei inviolabilis promiſſio, qua ſpopondit ſe idem meritum acceptaturum, ac remuneraturum. Vide lib. xix. cap. 6 Recuperata itaque gratia, & divina promiſſione perſeverante, meritum redit ac ſuſcitatur, partim ex juſtitia, partim ex Dei liberalitate. Ex liberalitate quidem, nam Deus ſeipſum ſua largitate dignatus eſt facere debitorem retributionis, dum ſingulari gratiæ beneficio impium juſtificavit: ex juſtitia autem, nam æquum eſt, ut quæ promiſit, adimpleat. Ad quartum dicimus non deeſſe Theologos percelebres, qui tenent opera per peccatum mortificata beneficio pœnitentiæ ad eumdem gratiæ & gloriæ gradum reviviſcere: at nos ſubſcribimus S. Thomæ docenti quæſt. 89. art. 5. ad 3. quod bona opera per peccatum mortificata hoc ſenſu reviviſcant, quod peccati impedimento ſublato, per ea rurſus homo æterna vita dignus efficitur. Quam vitam ſi decedens in gratia conſequatur, habebit *eſſentiale* præmium beatitudinis, & pœnitentiæ, & ipſis operibus debitum. Quod ſi per pœnitentiam non accipiat eandem caritatem, quam amiſerat; minor erit in eo beatitudo *eſſentialis*, cujus quantitas caritatis perfectioni reſpondet; ſed major erit beatitudo *accidentalis*, correſpondens majori bonorum operum amplitudini. *Dicendum* (inquit S. Thomas cit. art. 5. ad 3.) *quod ille, qui per pœnitentiam reſurget in minori caritate, conſequetur quidem præmium eſſentiale, ſecundum quantitatem caritatis in qua invenitur: habebit tamen gaudium majus de operibus in prima caritate factis, quam de operibus, quæ in ſecunda fecit; quod pertinet ad præmium accidentale.* Legi poteſt Eſtius in iv. diſt. 15. §. 14. Sylvius in quæſtionem 89. 3. p. art. 5. & Gonet diſput. 3. art. 2. Ad ultimum dico diſparem eſſe rationem inter peccata remiſſa per pœnitentiam, & bona opera mortificata per culpam, ut proxima theſi explicabo.

PROP. III. Peccata per pœnitentiam remiſſa per ſubſequentem culpam minime redeunt, niſi, ut inquiunt Theologi, *ſecundum quid*, ſenſu mox declarando.

Sunt in peccato actus tranſgreſſionis pertranſiens, macula & æternæ damnationis reatus permanens, genus aut ſpecies unum ab altero peccatum diſtinguens, atque effectus conſequentes, animi hebetudo, major in peccatum pronitas, temporalis animadverſio ac punitio, aliaque idgenus plura. Certum eſt actionem tranſeuntem non redire; eadem peccata ſecundum genus, aut ſpeciem conſiderata poſſe iterum admitti; & poſt culpam remiſſam manere temporalem pœnam luendam, vehementiorem carnis luctam, & infirmitatem quamdam animi atque languorem. Quæritur ergo, num idem peccatum redeat *quantum ad reatum damnationis æternæ*, ita, ut poſt remiſſionem, ſi peccator rurſus a gratia decidat, culpa quæ dimiſſa fuerat illi iterum imputetur. Hoc ſenſu peccatum non redire tenemus cum majori parte Theologorum. Primum quia fides docet in renatis non redire per actualem culpam originale peccatum, alias non tolleretur, ſed tegeretur potius, ac rurſus prodiret: unde S. Proſper ad 2. objectionem Gallorum ait: *Qui recedit a Chriſto, & alienus a gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? ſed non in id, quod remiſſum eſt, recidit, nec in originali peccato damnabitur; qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt, debebatur.* At eadem peccati originalis, & actualis, quantum ad præſens attinet, videtur ratio. Nam ſicut originale peccatum per lavacrum baptiſmi, ita actuale per ſacramentum Pœnitentiæ omnino dimittitur ac deletur. Deinde ipſa remiſſio peccati in hoc ſita eſt, quod non amplius imputari poſſit ad vindictam & damnationem, alias non diceretur peccatum dimiſſum, ſed potius ſupplicii executio ſuſpenſa ac dilata, ut bene ſapienteſque in diſt. 22. §. 1. ratiocinatur Guilelmus Eſtius. Quando ergo peccatum vere dimiſſum eſt, nequit redire quantum ad reatum damnationis æternæ. Præterea quotieſcunque nobis peccatum dimittitur, applicatur nobis fructus paſſionis Chriſti, cujus mortis pretium jam Deo oblatum eſt in peccatorum noſtrorum ſatiſfactionem. Solutum eſt ergo in remiſſione delictorum debitum illud, quod peccando contraximus. At Deus fidelis & juſtus nequit a nobis repetere debitum, pro quo & pretium ſolutum eſt, & applicatum, & acceptatum; cum nec repetere illud poſſet, etiamſi non interfuiſſet hæc pretii ſolutio, quia non decet principem ſummum ac liberalem ea, quæ gratis largitus eſt, revocare. Inſuper Gelaſius Papa, prout citatur a Gratiano de Pœnit. diſt. 10. n. 24. *Divina clementia*, inquit, *dimiſſa peccata in ultionem ulterius redire non patitur*. Demum hoc inter bona opera per peccatum *mortificata*, atque inter peccata dimiſſa intercedit maximum latiſſimumque diſcrimen; quod bonis operibus *in Deo* patratis ex certiſſima ipſius Dei promiſſione, & ex juſtitiæ æquitate debetur merces, & iden peccatori non confertur, quoniam culpa ponit impedimentum repromiſſæ beatitudini: ideoque bona illa opera non abolentur omnino, ſed adhuc in Dei acceptatione ac promiſſione perſiſtunt; quoniam Deus vult illis coronam impertiri, & ne impertiatur in cauſa eſt peccatum, quod cum ſit opus humanæ malitiæ, facit quidem ut homo ob ipſius peccati reatum ſit incapax retributionis, at non poteſt Dei promiſſionem, liberalitatem, juſtitiam, & inviolabilem æquitatem pervertere aut immutare. Peccata e contra remiſſione abolentur omnino, nec perſeverant vel in homine, vel in vindice Dei juſtitia; quoniam homini infunditur gratia & inhærens caritas, purgans animam, & delens peccati maculam: Deus vero ſibi pretio ſanguinis Filii ſui, quod pretium homini ea remiſſione applicatur, ad juris apices ſatisfactum eſſe fatetur; ipſaque remiſſio, cum ſit opus divinum ac maximum, non ſolum abolet peccatum ex parte impii infuſione gratiæ ſanctificantis, verum etiam illud extinguit ex parte Dei ſatisfactione juſtitiæ, condonatione culpæ, deletione, ut cum Apoſtolo loquar, *chirographi*. Quare bona opera *mortificata* dicuntur, peccata vero remiſſa, deleta, conſumpta. His vero poſtrema objectio præcedentis propoſitionis plane ſoluta eſt.

Redire nihilominus peccata dicuntur *ſecundum quid*, ut loquuntur Scholaſtici, idque non una de cauſa. Redeunt enim primo, quatenus in peccatum relapſus iterum damnationi ſubjicitur. Ulterius redeunt, in quantum Deus novis ſceleribus provocatus pœnas illas infligit, quas remiſſa culpa luendas eſſe diximus de ſatisfactione pertractantes. Redeunt rurſus eo quod impenſum remiſſionis beneficium aggravat peccatum, & dignum reddit illud acerbiori ſupplicio. Pariter redeunt, quatenus impius rediens ad reproborum ſocietatem, ſi cum his damnetur, ex remiſſorum peccatorum recordatione, aliorumque iniquorum conſortio, vividiori ſenſu & ſtimulo atrociori pungitur & laceratur. Dicuntur itam redire, quatenus ad Sacramentum accedens & abſolutionem accipiens ea conditione, ut *ipſe* quoque proximo illatas injurias remittat, ſi perſeverat in odio, conſequi non poteſt impenſæ abſolutionis effectum, ut colligitur ex Evangelica parabola Matth. xviii. de qua S. Pater Auguſtinus in priori libro de Baptiſmo cap. 12. n. 20. *Redire dimiſſa peccata, ubi fraterna caritas non eſt, apertiſſime Dominus in Evangelio docet, de illo ſervo, quem cum inveniſſet debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimiſit: ille autem conſervum ſuum, qui ei debebat centum denarios, cum miſeratus non fuiſſet, juſſit eum Dominus reddere quæ ei dimiſerat.* Redeunt denique peccata, in quantum aliqua ſpeciali titulo opponuntur acceptæ remiſſionis beneficio, quod præſertim convenit fraterno odio & injuriarum ultioni, apoſtaſiæ a fide, & e catholicæ Eccleſiæ communione, contemptui ſacramentalis confeſſionis, ac dolori de præmiſſa pœnitentia concepto, juxta verſus a S. Thoma 3. p. q. 88. art. 2. productos:

Fratres odit, apoſtata fit, ſpernitque fateri,
Pœnituiſſe piget; priſtina culpa redit.

Facillime autem his diluuntur argumenta, quæ probare videntur oppoſitum: de quibus plura Eſtius diſt. 22. §. 2. Sylvius tom. iv. in art. 2. quæſt. 88. Gavardi de Pœnit. q. 2. art. 2. & Leonardus Vanroy cap. 1. quæſt. 3.

CAPUT XV.

De Sacramenti Pœnitentiæ Ritibus nondum in hac diſſertatione explicatis.

AD finem hujus libri tandem aliquando perventum eſt: partes enim omnes hujus Sacramenti, & quidquid ad illas pertinet, fidei controverſias, diſputationes

Scho-

Scholaſticas, diſciplinam Eccleſiæ, documenta Patrum, & Pœnitentiæ ritus luſtrare, ac perpendere non prætermiſi. Quædam tantum remanent dicenda de congruo & decenti pro excipiendis fidelium confeſſionibus, extra neceſſitatis caſum, loco, tempore, & habitu.

I.

Confeſſiones itaque laicorum, & præcipue mulierum, audiri debent *in loco Eccleſiæ patenti*. Statuerunt id S. Edmundus Conſtit. cap. 17. Concilium Colonienſe anno 1280. cap. 8. Biterrenſe anno 1246. can. 46. Nemauſenſe anno 1284. Narbonenſe anno 1551. can. 51. Mediolanenſe anno 1565. Conſtit. p. 2. cap. 6. Narbonenſe anno 1609. cap. 16. Rituale Romanum, Sacramentale Ambroſianum, &c. Laudatum Colonienſe Concilium excommunicationis pœnam addidit: *In locis*, inquit, *obſcuris & tenebroſis confeſſiones non audiant, nec extra Eccleſiam, niſi in magna neceſſitate, vel infirmitate. Contrarium facientes ſententiam excommunicationis ſe noverint incurſuros.* Miniſtrorum ſacrorum ſedes, quas *Confeſſionalia* dicimus, ex præcitata Narbonenſi Synodo debent prius inſpici ac probari *a Diœceſanis, aut Generalibus eorum Vicariis*: & recte eorum formam deſcribit Aquenſe Concilium anno 1585. præcipiens, ut habeant utroque ex latere *aſſeres, & laminam minutis foraminibus* inſtructam, a parte confeſſarii *velum nigri coloris*, ne illius aſpectus videri queat, appenſas interius *tabellas caſuum* tam Romano Pontifici, quam loci Ordinario *reſervatorum*, & exterius *SS. Crucifixi imaginem* aut pictam, aut diligenter expreſſam in charta. Hanc formam, de qua Tom. xv. Conciliorum pag. 1135. confirmat omnium fere Eccleſiarum conſuetudo. In Eccleſiis, non autem *in Sacrario*, audiendas confeſſiones laicorum eadem Concilia, Ritualia, & ſacerdotum inſtitutiones jure declarant, quod locus iſte non plebi, ſed ſacerdoti ſacris operaturo pateſcat.

II.

De tempore inquit prælaudata Synodus Mediolanenſis tom. Conc. xv. pag. 262. *Sacerdotes, niſi ex cauſa neceſſaria, mulieres ante ſolis ortum, vel poſt ejus occaſum confitentes non audiant.* Eadem verba leguntur in Sacramentali Ambroſiano pag. 90. atque in peculiaribus omnium fere Epiſcoporum præſcriptionibus & mandatis.

III.

Poſtremo quantum ad confeſſarii habitum ſpectat, Nemauſenſis Synodus juſſit, ut *Sacerdos capucium indutum in capite teneat, & etiam inclinatum*. S. Franciſcus Saleſius in Inſtruct. Confeſſ. cap. 2. *Hoc ſacramentum*, inquit, *adminiſtrabitis induti togam & ſuperpelliceam, ſtolam habentes in collo, & pileum in capite, in apparenti, & conſpicuo loco conſidentes, facie amicabili ſimul & gravi.* Superpelliceum & ſtolam, & hanc violacei coloris præſcribunt quoque Concilia Mediolanenſia S. Caroli, Conſtitutiones Synodicæ Beneventanæ Vincentii Mariæ Card. Urſini, poſtea Benedicti XIII. Rituale Eccleſiæ Bonon. pag. 26. & Rituale Romanum Pauli V. in quo tamen additur, *prout tempus, vel locorum feret conſuetudo*. Regulares autem Romæ ſtola dumtaxat utuntur. Confeſſarii, cujuſcunque conditionis ſit pœnitens, ſedere debent, ut poſtulat judicis miniſterium & auctoritas. At pœnitentes, quamvis olim enuntiando peccata ſedebant, prout demonſtrant Antiquus Ordo Romanus, & Rituales libri editi a Martenio & Morino, idque etiamnum ſit in more poſitum apud Græcos, teſte Allatio lib. 3. Conſenſus Eccl. Occid. & Orient. cap. 9. n. 6. in Latina tamen Eccleſia nunc genuflectunt: nam & olim pœnitentiam petebant ad terram proſtrati, eoque corporis ſitu ſeſe impoſitioni manuum ſubjiciebant. Quando autem ad Sacerdotum interrogationes, admonitioneſque audiendas eis, ut ſederent, indulgebatur; non in ſcamno aliquo, aut ſella, ſed humi aſſidebant habitu corporis humili & lacrymabili. Vetat denique Ordo Romanus *De Capite jejunii*, ne viri arma, enſem, aut baculum deferant: additque in Inſtruct. S. Carolus, ne utantur laſcivo capillorum ornatu, aut palliis intextis auro. Ceruſſatas autem fucataſque mulieres non audiendas, non tantum docet eo loci S. Carolus, verum etiam affirmant innumeræ Synodi, quas collegit Tract. vi. cap. 9. quæſt. 9. in ſua Morali Theologia Franciſcus Genettus. At quoniam alibi de his dictum eſt, libro finem illum imponam, quo abſolvitur ab Auguſtino egregium Opus de Civitate Dei: *Quibus parum, vel quibus nimium eſt, mihi ignoſcant; quibus autem ſatis eſt, non mihi, ſed Domino mecum gratias agant.*

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRICESIMUS QUINTUS

In quo agitur de Sacramento UNCTIONIS EXTREMÆ.

UNCTIONIS EXTREMÆ Sacramentum, quod recto ordine poſt Pœnitentiam locari demonſtrat ratio a Tridentino Concilio producta, ubi ſeſſione quartadecima de his duobus Sacramentis ſimul pertractans docet Unctionem hanc non modo ejuſdem Pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, a Patribus conſummativum exiſtimari; id, quod præterea confirmant quæ de Sacramentorum Evangelicæ legis numero & ordine in triceſimo libro conſcripſi: Unctionis, inquam, Extremæ Sacramentum Tractatu hoc Theologico, prout ingenioli mei patitur imbecillitas & laſſitudo, exponetur atque illuſtrabitur. De illo namque antiquiores Scholaſtici jejune admodum & exiliter diſputarunt; & juniores itidem, ſi Joannem Launojum, qui nec etiam acceptiſſimus eſt, alioſque perpaucos excipias, non accurate omnino, neque ſtudioſiſſime: imo Launoji opus de ſacra infirmorum Unctione valde prolixum, inſitione omnium fere Ritualium librorum ad molem illam excrevit; indigetque ſpongia non uno in loco propter menda, quibus ſcatet, unicuique legentium, dummodo traditiones Eccleſiaſticas, ſacroſque ritus penitus non ignoret, ultro & quamfaciliter occurrentia. In his propterea erroribus refutandis, ſolvendiſque permultis quæſtionibus, necnon dilucidandis rebus aliis, quæ in ſua nondum luce poſitæ videbantur, impendi, hortantibus quoque & impellentibus viris præſtantiſſimis, aliquantulum temporis; ac dedi operam, ne liber iſte quintus ac triceſimus aut brevitate deſiderium pareret, aut prolixitate faſtidium: quod an recte & utiliter fecerim, an potius inaniter & infructuoſe, quum homines ſæpenumero decipiantur in iis, quæ ad ſeipſos pertinent, judicandis, hujus rei, atque tenuitatis meæ bene conſcius, tibi, Lector doctiſſime, & humaniſſime, definiendum æſtimandumque committo.

CAPUT PRIMUM.

Demonſtratur EXTREMAM UNCTIONEM *eſſe verum, ac proprium novæ legis Sacramentum.*

SAcramentum, de quo hoc in libro diſſeritur, appellatur a Latinis *Sacramentum exeuntium*, *Unctio ſacrati olei*, *ſacra Unctio*, & communiter *Unctio extrema*: a Græcis vero ἅγιον ἔλαιον, *ſanctum Oleum*, εὐχέλαιον, *oratio unctioni olei conjuncta*, itemque ἱεραχρίσις, *poſtrema unctio*. Latina hæc vocabula occurrunt in Pœnitentiali Theodori, in Decreto Ivonis, & in Capitul. Caroli Magni: Græca autem apud Arcudium, Allatium, Protoſyncellum. Definitur hoc ſacramentum ſequenti aut conſimili definitione: *Extrema unctio eſt ſacrum & myſticum ſignum a Chriſto inſtitutum, quo per unctionem olei benedicti, & orationem, ſeu formam præſcriptam, baptizatis ægrotantibus confertur gratia ſanctificans, eoſque confortans, ut æquo animo ferant morbi moleſtias, frangantque dæmonis inſidias, & impetus; necnon, ſi illis expediat, liberentur ab infirmitate corporiſque languore.* Atque hæc definitio proximis diſputationibus quoad partes ſingulas explicabitur: in ipſa enim communis ſacramenti ratio, ac Extremæ Unctionis materia & forma propria, necnon ſubjectum, & effectus comprehenduntur; quæ omnia peculiarem requirunt diſquiſitionem.

Principio itaque inquirendum eſt, an Unctioni extremæ conveniat ratio *ſacri & myſtici ſigni* a Chriſto inſtituti, videlicet, *Sacramenti*. Negant id Lutherus in libro de Captiv. Babylonica, affirmans diſcipulos per unctionem, quam Marcus VI. 13. & Jacobus V. 14. commemorant, ſolam corporis ſalutem fuiſſe operatos, ideoque miraculorum dono ceſſante cum primitiva & Apoſtolica Eccleſia, hanc quoque Unctionem exoleviſſe; nec alio nomine aut titulo appellandam ſacramentum, niſi in quantum divina virtute ſanabat corporis ægritudines, aut ad ſummum in ampliori ſacramentorum ſignificatione, *ut ſunt*, inquit ille, *ſalis & aquæ conſecratio & adſperſio*. Similia ſcribit Calvinus lib. IV. Inſtit. cap. 19. n. 18. quo etiam in loco Extremam Unctionem vocat *Sacramentum fictitium, & hyſtrionicam hypocriſim*. His conſentiunt Kemnitius, Melanchthon, Dallæus, atque, ut brevi dicam, omnes poſteriores hæretici: qui in Apoſtolis duplicem poteſtatem diſtinguentes unam *ordinariam*, quam dicunt *poteſtatem verbi*, præſertim ſitam in annuntiatione Evangelii, alteram *extraordinariam*, ideſt, virtutem miraculorum, & ad quam referunt Unctionem hanc, & manuum impoſitionem, ajunt priorem poteſtatem in Eccleſia perſeveraſſe, alteram defuiſſe. Quidam tamen callidiores hæretici animadvertentes etiam poſt tempora Apoſtolica *Unctionem infirmorum* fuiſſe adhibitam, aſſerunt perperam continuatam fuiſſe poſt ſublatum donum ſanationum, & quocunque tandem jura obtinuerit, nunquam vero Sacramenti honore ac dignitate fuiſſe poſitam: ita nempe ſcribit in libro IV. de Sacram. cap. 21. Calvinianus miniſter Chamierus.

Non recenſui autem inter hæreticos, qui hoc Sacramentum negarunt, Valdenſes, nec Wicleſitas, quibus præeunte Guidone Carmelita, in Summa de hæreticis, & Ænea Sylvio in libro de Origine Bohemorum, errorem illum impingit libro de Extrema Unctione cap. 1. Eminentiſſimus Bellarminus. Non enim deſunt viri docti, qui conſtantiſſime affirment, ab his quoque hæreticis *ſeptem Sacramenta*, ideoque & Extremam Unctionem, fuiſſe recepta. Certe quod pertinet ad Valdenſes, hi Sacramentum hoc cum reliquis profeſſi ſunt in Confeſſione Fidei ad regem Uladiſlaum. Wicleſus item hujus erroris & hæreſis nequit apertiſſime revinci, ſive ejuſdem Trialogus, ſive ſeſſio VIII. Synodi Conſtantienſis, ſive Thomæ Waldenſis ſcripta, in quibus ipſius Wicleſi continentur errores, legantur, & expendantur. Orta itaque eſt opinio contraria, ea quod revera prænominati hæretici Sacramentum iſtud contempſerint: quod partim eorum cauſa factum eſt, partim vero avaritia & rapacitate presbyterorum. Illi namque negarunt miniſtros improbos poſſe Sacramenta conferre, ut dixi libro XXX. cap. 14. Hi autem, nimirum presbyteri, eo devenerant, ut divites tantum *ſacro oleo* inungerent, & neminem ſine pretio, ac nonniſi decem luminaribus elucentibus; quem morem inſectatur, reprobatque in Statutis Synodalibus anno 1294. Guilelmus Andegavenſis Epiſcopus. Continentur hæc ſtatuta tom. XI. Spicilegii, & p. 2. Antiq. Rituum lib. I. cap. 7. Edmundi Martenii. Hinc Waldenſes occaſionem arripuerunt aſſerendi Sacramentum Unctionis extremæ factum eſſe *ultimam ſuperbiam*: atque hoc eſt, quod de Valdenſibus prodidit cap. 5. Raynerius. Eam ob rem Innocentius III. epiſt. 78. lib. I. hanc a Valdenſibus ad gremium Eccleſiæ redeuntibus profeſſionem edendam præſcripſit: *Unctionem infirmorum cum oleo conſecrato veneramur.* Huſſitæ pariter, atque Wicleſi gregales ad Eccleſiam revertentes, ut mandat ſeſſ. ultima Synodus Conſtantienſis, interrogandi ſunt, an credant quod peccet mortaliter *Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel extremæ Unctionis.* Hi ergo hæretici Sacramentum, de quo inſtituitur diſputatio, contempſerunt, non denegarunt, ut in Hiſtoria Variationum demonſtrat Meldenſis Epiſcopus, & nos præmonuimus lib. XXX. cap. 5. & XXXII. cap. 1. Legi etiam poteſt Juenin diſſert. 7. de Sacram. q. 2. cap. 1. & J. B. Du-Hamel tom. VII. pag. 406.

Ad refellendos hæreticos, qui huic Sacramento bellum indixere, ſacra Scriptura, & Traditione certandum eſt. Ex Scripturis decretorium eſt quod habetur in Catholica Jacobi Epiſtola paullo poſt expendendum. Quidam tenent pertractari de Unctione Extrema etiam cap. VI. Marci; at id negant Bellarminus citato libro cap. 2. Eſtius in diſt. 23. §. 1. Sylvius in quæſt. 29. Supplem. art. 1. Tournely q. 1. art. item 1. ut mittam nonnullos veteres Scholaſticos eo loci laudatos a Bellarmino. Permulti nihilominus tenent etiam apud Marcum agi de Unctione extrema, non ſolum Catharinus & Maldonatus, de quibus eo loci Tournelius; verum & Patres capite proximo proferendi, aliique Theologi præſtantiſſimi. Teſtatur autem Bellarminus ſibi priorem opinionem ideo magis arridere, quod alteram amplexi ſint Lutherus, Calvinus, & Kemnitius. Verum jure Bellarminus hac in re a Launojo reprehenditur in Opere de Extrema Unctione cap. 1. obſervat. XI. Quid enim Thomæ Valdenſi, Alphonſo de Caſtro, aliiſque, quos ſibi Bellarminus fatetur eſſe adverſarios, quid, inquam, his cum Luthero, Calvino, & Chemnitio? Hæretici iſti propugnantes ſententiam, quæ negat Extremam Unctionem eſſe Sacramentum, idcirco ajunt apud Marcum & Jacobum agi de eadem Unctione, ut inde inferant Jacobum non eſſe accipiendum

de Un-

de Unctione Sacramentali, quemadmodum de Unctione Sacramentali non loquitur Marcus. Catholici e contra non pauci Extremam Unctionem inter Sacramenta accenſentes contendunt de Unctione Sacramentali locutum fuiſſe Marcum, locutum fuiſſe Jacobum; quod non eſt eamdem cum hæreticis opinionem amplecti, ſed adverſus hæreticos directe pugnare, illoſque ex propria opinione refellere. *Lutherus* (inquit Launojus) *Calvinus & Kemnitius peccant non minus, quando eamdem apud Marcum & Jacobum Unctionem eo fine contendant, ut ſacram infirmorum Unctionem e numero Sacramentorum deleant. Qui ante eos eamdem eſſe utrobique Unctionem putarunt, Sacramentum hoc neutiquam expungere, immo retinuerunt, & frequentatum eſſe in Eccleſia Dei tradiderunt. Quæ in ſcriptis Lutheri, Calvini, & Kemnitii nova ſunt, abjicio; quæ antiqua, & antiquorum Patrum ſunt, retineo.* Cetera, quæ vir aſperrimi ingenii addit contra præſtantiſſimum Controverſiarum Scriptorem, utpote ab indole, qua ego a natura comparatus ſum, aberrantia, ſilens prætereo. Conſulto quæſtionem illam, An apud Marcum & Jacobum æque ſermo ſit *de Unctione Sacramentali*, arbitrio diſputantium reliquit Synodus Tridentina, definiens ſeſſ. xiv. cap. 1. Unctionem infirmorum eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto inſtitutum, *apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum*. Quo in loco, quid ſignificent ea verba, *Apud Marcum quidem inſinuatum*, eu peractam hujus Sacramenti inſtitutionem, en deſignationem quamdam atque prænunciationem, poteſt merito dubitari. Ne itaque contra hæreticos pugnemus invalidis incertiſque argumentis, eos apertis Jacobi verbis, & inviolata traditione Majorum exagitabimus, quæſtionem de unctione apud Marcum deſcripta ad Scholarum diſſidia, & ad caput proximum emandantes.

PROP. I. Ex Catholica Jacobi Epiſtola invicte demonſtratur Extremam Unctionem eſſe verum ac proprium novæ legis Sacramentum.

In illa enim Epiſtola cap. v. 14. & 15. legitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis eſt, remittentur ei.* His ſane verbis exprimitur quidquid neceſſarium eſt ad verum Sacramentum conſtituendum. Enimvero habemus rem ſacram ac ſenſibus ſubjectam, olei ſcilicet unctionem, atque orationem presbyterorum, quæ duo hujus Sacramenti conſtituunt *materiam & formam*. Habemus etiam, etſi non expreſſe, aperta ſaltem conſecutione inferendam, inſtitutionem Dominicam; non enim Apoſtolus in epiſtola ad omnes Eccleſias ubique terrarum diſperſas, unde & *Catholica* dicitur, non ad unam tantum, vel alteram conſcripta, præcepiſſet, ut *Unctionis* hujus ritus obſervaretur, niſi illum accepiſſet a Domino Sacramentorum auctore. Quamquam ſi Novatores hoc tantum vellent quod inſtitutor Extremæ Unctionis fuerit beatus Jacobus, modo aſſererent id ab Apoſtolo factum Domini auctoritate & mandato, error foret tolerabilis, & communis etiam nonnullis Scholaſticorum, prout diximus pertractantes de Sacramentorum Inſtitutione cap. 8. libri triceſimi. Ac tandem in Apoſtolicis illis verbis, ut cap. 2. ſeſſ. xiv. declarat Tridentinum Concilium, explicantur Sacramenti hujus res atque effectus, dum illis verbis, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, &c.* demonſtratur hac *Unctione* delicta, ſi quæ adhuc expianda ſint, abſtergi, & ægroti animum alleviari, ut morbi incommoda ferat, atque tentationibus dæmonis calcaneo, ideſt, vitæ extremis inſidianti facilius reſiſtet, necnon ſanitatem corporis, ſi tamen æternæ ſaluti expediat, divina operante virtute conſequatur. Hinc eadem Synodus edidit hunc canonem de Sacramento Extremæ Unctionis, primum: *Si quis dixerit, extremam Unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, Anathema ſit.*

Opponunt 1. Hæretici: Nullum eſt momentum, quod petitur ex libro perperam intruſo in *Canonem* Scripturarum ſanctarum, ac talem eſſe catholicam Jacobi Epiſtolam.

Reſp. hoc eſſe miſerrimum delirantium hominum ſubterfugium; etſi enim Epiſtola, de qua loquimur, non ſtatim ab initio Eccleſiæ habuit ubique exploratiſſimam auctoritatem, ſed hanc, ut de Scriptoribus Eccleſiaſticis inquit Hieronymus, *paullatim obtinuit*, quod & quibuſdam aliis libris canonicis contigit; nemo tamen, niſi impudentiſſimus ac perditiſſimus, poteſt modo auctoritatem illam in dubium vertere. Quo enim loco habita ſemper fuerit in Latina Eccleſia, conſtat apertiſſime ex Epiſtola Clementis Romani ad Corinthios, in qua inter ſacra & divina teſtimonia hujus Epiſtolæ verba non ſemel afferuntur, ut in Vindiciis Vulgatæ pag. 4. Præfat. advertit vir honeſtiſſimus & doctiſſimus Joſeph Blanchinus: conſtat ex Epiſtolis Innocentii I. ad Exuperium, & ad Decentium; conſtat ex Gelaſio, ejuſque Romana Synodo: conſtat ex Hilario libro iv. de Trinit. Ambroſio in Pſ. 118. Hieronymo adverſus Jovinianum, Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 8. & lib. de Fide & Operib. cap. 14. Fulgentio in 1. ad Monimum cap. 15. & quotquot ſubſecuti ſunt, Patribus univerſis. Accedunt canones Conciliorum; Laodiceni canon 58. Carthaginenſis 3. cap. 47. Milevitani cap. 7. Arauſicani 2. cap. 25. & quod ad inſtar omnium eſſe poteſt, Tridentini ſeſſ. 4. Nec aliter de Jacobi epiſtola ſentiunt Græci, præſertim Origenes hom. 3. in Exodum, & 2. in Leviticum, Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 4. Athanaſius in Epiſtola Peſchali, & auctor Synopſeos ejus nomine laudatæ, Epiphanius hær. 9. & 76. atque ne ſingulos nominatim commemorem, Gregorius Nazianzenus, qui carm. 33. recenſitis omnibus Pauli Epiſtolis inquit: *Ἑπτὰ δὲ καθολικαὶ, ὧν Ἰακώβου μία*, Latine,

Septem Catholicæ, inter quas eſt prima Jacobi.

Mirum autem non eſt, hæreticis plurimis ſuppoſititiam videri hanc Epiſtolam, in qua tam diſerte affirmatur cap. 2. verſu 20. *fidem ſine operibus mortuam eſſe*. Inquiunt propterea, Epiſtolæ hujus Scriptorem adverſari Apoſtolo Paulo, qui ad Rom. iii. 28. ait, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*: ſed quantum aberrent a veritate demonſtratum eſt capite v. undeviceſimi libri.

Opp. 2. Quiſquis præcitatæ epiſtolæ ſit auctor, nequit ſibi arrogare inſtituendi ſacramenti poteſtatem, quæ competit ſolummodo homini Deo. Atqui in eadem Epiſtola inducitur Jacobus tamquam hujus Unctionis Inſtitutor & Auctor. Igitur aut hæc Unctio non eſt Sacramentum; aut Epiſtolæ Scriptor illam ſibi poteſtatem uſurpat, quæ tantum convenit Chriſto Domino.

Reſp. tranſmiſſa propoſitione prima, falſiſſimam eſſe alteram, non enim ex Jacobi verbis infertur illum *inſtituiſſe* Sacramentum iſtud, ſed tantum hoc *promulgaſſe*, ut loquitur Tridentinum: ita enim præcepta ad orationem, ad eleemoſynam, ad opera fidei conjungenda, & ad paupertatem tolerandam, quorum præceptorum epiſtola illa plena eſt, non ſunt inventa hominis, ſed Domini documenta. Addo hoc argumentum adeo eſſe infirmum, adeo futile, ut ex eo conſequatur Unctionem, de qua Jacobus, nec ſpectare ad gratiam, donumque ſanationum; quoniam nec donum illud poterat Apoſtolus unctionis ritui propria virtute adligare.

Opp. 3. Duo tantum Scripturæ teſtimonia pro hoc ſacramento ſtatuendo afferuntur e Theologis Pontificiis: unum eſt illud, in quo verſamur; aliud vero Marci vi. 13. *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*, de quo plura dicam proximo capite. Atqui utrumque ab ipſis Pontificiis tamquam alienum rejicitur; quod extat apud Marcum, a Bellarmino, aliiſque permultis: quod occurrit in Catholica Jacobi, a Cajetano, Comment. in eamdem Epiſtolam: ibi enim pag. 212. edit. Pariſ. inquit: *Infirmatur quis in vobis, &c. Nec ex verbis, nec ex effectu verba hæc loquuntur de ſacramentali unctione Extremæ Unctionis: ſed magis de Unctione, quam inſtituit Dominus Jeſus in Evangelio, a diſcipulis exercenda in ægrotis. Textus enim non dicit, infirmatur quis ad mortem, ſed abſolute, Infirmatur quis: & effectum dicit infirmi alleviationem; & de remiſſione peccatorum nonniſi conditionaliter loquitur, quum extrema Unctio nonniſi prope articulum mortis detur, & directe (ut ejus forma ſonat) tendit ad remiſſionem peccatorum. Præter hoc quod Jacobus ad unum ægrum multos presbyteros tum orantes tum ungentes mandat vocari, quod ab extremæ unctionis ritu alienum eſt.* Hæc Cajetanus. Ex nullo ergo Scripturæ textu invicte demonſtratur Extremam Unctionem eſſe Sacramentum a Chriſto inſtitutum.

Reſp. non eamdem eſſe de utroque teſtimonio rationem; nam quod capite ſexto Marci fiat ſermo de Unctione extrema, non eſt adeo perſpicuum, nec communi ſenſu probatum, ut nequeat ſalva fide negari, cum nullum ibi evidenter appareat remiſſionis peccatorum & Sacramentalis gratiæ veſtigium, quod utique in Epiſtola Jacobi expreſſum eſt. Potuit ergo Bellarminus quod ei libuit, & veriſimilius apparuit, de primo loco ſentire: nec idem fas eſt opinari de altero, quem omnes, uno excepto Cajetano, de Sacramento acceperunt. Ceterum hoc argumentum ita in hæreticos retorquetur: Omnes enim Pontificii Theologi aut affirmant utrobique, apud Marcum ſcilicet & Jacobum, egi de Unctione Sacramentali; aut docent a Marco inſtitui ſermonem de Unctione ad ſanandos ægrotos inſtituta, quæ Sacramentalis & Extremæ erat inſinuatio quædam & ſymbolum; e Jacobo autem pertractari de ipſa Sacramentali Unctione apud Marcum inſinuata. Omnes ergo Pontificii Theologi, ſi Cajetanum unum excipias, tenent de Sacramento vero, proprioque in Jacobi Epiſtole pertractari. Ad Cajetanum quod attinet, ita reſpondet Ambroſius Catharinus in libro, quem inſcripſit *Annotationes in Commentaria Cajetani*, pag. 464. edit. Lugdunenſis: *Hæc autem, ut certe inepte (quid enim eſt quod ait, Unctione extremæ unctionis? quæ eſt unctio Unctionis?) ita & falſo ſunt dicta. Cur enim verba non congruunt? Quia, inquit, non ibi dicitur, ſi quis infirmatur ad mortem: item quia effectus illius unctionis eſt alleviatio infirmi. At nunquid hoc illi Sacramento repugnat? Imo congruit, ut Thomas docet, & alii. Adde quod de remiſſione peccatorum non niſi conditionaliter loquitur; verum conditio illa, videlicet, ſi in peccatis ſit, tacite ineſt. Nunquid*

enim

etiam dimitti vult parcere iis, qui omnino his carcant? Adjecit, *quod Jacobus jubet ad unum ægrotum plures vocari presbyteros, tum orantes, tum ungentes, quod eſt alienum a ritu extremæ Unctionis. Verum illud ad ſolemnitatem, non ad neceſſitatem juſſit Apoſtolus; quod ſi etiam ſervaretur, recte fieret: quod & a regularibus etiam ſervatur, ut plures orent, licet unus ungat, ſed alii etiam per eum ungere videntur. Ergo quamquam doluerim hæc doceri ab hoc viro, & contra Auguſtini & D. Thomæ doctrinam, & aliorum Doctorum, & Eccleſiæ traditionem atque perſuaſionem, gaviſus tamen ſum, quod has attulit rationes, quas refellere nullum fuerit negotium: quo fit, ut dum obſcurare nituntur veritatem, magis profecto illuſtrent.* Hæc adverſus confratrem ſuum Catharinus. Nos interim ea reſponſione contenti erimus, quod Cajetano talia ante Synodum Tridentinam ſcribenti nonnulla incaute exciderunt. Agnoſcit tamen ille hoc quoque in loco Sacramentum Extremæ Unctionis, quod etſi non probaretur ex Jacobi Epiſtola, conſtaret tamen ea traditione. At ex ea quoque Epiſtola demonſtratur, & oppoſitæ conjecturæ proximis diſputationibus refellentur.

Opp. 4. Infirmorum Unctio, de qua S. Jacobus, inſtituta duntaxat erat ad ſanandos ægrotos, corporiſque infirmitates curandas: non ergo Jacobus loquitur de Unctione ſacramentali, immo nec de ritu ſacro poſteaquam deſiit donum ſanationis retinendo. Antecedens autem demonſtratur primo; Jacobus ſic loquitur, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, σώσει τὸν κάμνοντα, *& excitabit*, ἐγερεῖ, *eum Dominus*. At ἐγεῖραι *excitare*, atque σῶσαι κάμνοντα, *ſervare ægrotantem*, nihil eſt aliud, quam ſanare corporis ægritudinem. Aliud enim eſt σῶσαι ἁμαρτάνοντα, aliud σῶσαι κάμνοντα: quorum illud *peccatem*, hoc vero *morbum auferre* ſignificat. Deinde quorſum Apoſtolus meminiſſet morbi, ſi ageret de ſpiritali illa ſalute, quam intelligunt Pontificii? Præterea debet attendi vis hujus verbi ἐγεῖραι, quod ſignificat *ſanitatem corporis reſtitutam*, ut Matth. VIII. 15. legitur de Petri ſocru, ἠγέρθη, καὶ διηκόνει, *ſurrexit*, *& miniſtrabat*. Rurſus ſi conſideretur tota orationis ſeries, apparebit a Jacobo duo diſtincta beneficia commemorari; quorum primum eſt corporeum, alterum ſpiritale; priori enim loco agitur de ſanatione corporis in illis verbis, *Salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*, deinde de ſanatione animæ, in verbis ſequentibus, *Et ſi in peccatis eſt, remittentur ei*. Itaque prior effectus illius Unctionis erat ſanitas corporis. Inſuper non ſequitur, Jacobum agere de Unctione Sacramentali ex quo recenſeat poſt corporis ſanationem effectum quoque ſpiritualem: enimvero hoc eodem modo ſolebat Dominus ſanare ægros, & primo levabat eos a morbo corporis, tum a morbo animi: atque hinc frequentes illæ in Evangelio locutiones, *Fides tua te ſalvam fecit; confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Ad hæc obſervanda ſunt ea verba, *ſi in peccatis eſt*, quorum eſt ſenſus, *ſi peccando contraxit morbum*; ſunt enim afflictationes aliquando peccatorum pœnæ, aliquando probationes. Igitur aperte verba illa ſignificant, per illam unctionem, & orationem fidei remitti peccata, non quantum ad animæ ſanctificationem, ſed ad *certum effectum*, ideſt, ne a morbo ægrotus abſorbeatur. Si enim Unctio, ut Pontificii volunt, eſſet Sacramentum inſtitutum pro peccatorum remiſſione, non adhibita foret locutio hypothetica, *Si in peccatis eſt*, ſed abſoluta. Hæc ſunt præcipua hæreticorum argumenta in unum collecta, & adverſum nos ex illa officina vibrata a Joanne Camerone Annot. in Epiſt. Jacobi tom. VIII. Critic. Sacrorum pag. 101.

Reſp. falſiſſimum eſſe, quod Jacobus de ſola gratia curationum, & de ſola corporis ſanatione verba faciat, ac falſum pariter quod accipiendus ſit de ritu poſt Apoſtolica tempora ceſſaturo. Falſiſſimum eſt primum, quoniam Jacobus epiſtolam illam conſcripſit ad Eccleſias, & in verbis, de quibus agitur, pertractat de ſolis ægrotis fidelibus: miraculorum autem gratia potius pro infidelibus, & in fide hæſitantibus, quam pro fidelibus collata fuit, teſte Apoſtolo ad Corinth. 1. cap. XIV. 22. ideoque idem Apoſtolus patrem Publii febricitantem ſanavit Act. XXVIII. 8. Epaphroditum autem, ac Trophimum credentes reliquit infirmos, ad Philipp. II. 27. & 2. ad Tim. IV. 20. Deinde gratia miraculorum non ordinatur *per ſe* ad remiſſionem peccatorum, quemadmodum Unctio a Jacobo Apoſtolo commendata. Præterea gratia ſanitatum nec ſolis presbyteris conferebatur, neque his omnibus, ſcribente Apoſtolo Paulo 1. ad Corinth. XII. 9. *Alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, &c.* At Jacobus ad hanc unctionem, non eos, qui gratia ſanitatum pollerent, ſed *presbyteros Eccleſiæ* dixit eſſe advocandos: quæ utique ratio tenet, etiamſi *presbyterorum* nomine, ut contendunt hæretici, venirent *ſeniores ætate*, quia pariter nec his omnibus, nec his tantum gratia ſanitatum dabatur. Præterea donum curationum non pro ſolis decumbentibus, & ægrotantibus, ſed etiam pro mutis, cæcis, ſurdis, aliiſque quocunque impedimento affectis deſerviebat: Jacobus autem de iis loquitur, qui ægritudine decumbunt, atque infirmitate gravantur. Rurſus gratia ſanationum credentibus a Domino Marci ultimo promiſſa fuit abſque determinatione *olei*, vel alterius materiæ, immo potius ſoli manuum extenſioni, aut impoſitioni alligata videtur: ibi enim legitur, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Si ergo Jacobus de ſola corporali ſanatione tractaſſet, nec *olei* nec *unctionis* meminiſſet, ne videretur promiſſa Domini aut mutare, aut ad certam materiam reſtringere. His ergo, quæ ſatis obvia ſunt, & legi poſſunt partim apud Bellarminum de Sacram. Extr. Unct. cap. 3. partim apud Eſtium in IV. diſt. 23. §. 6. & Comment. in hanc Epiſtolam pag. 1105. evidenter demonſtratur, Jacobum Apoſtolum de ſola gratia ſanationum non fuiſſe locutum.

Falſum pariter eſt, loqui Jacobum de ritu quamprimum, & poſt dilatationem Evangelii rejiciendo. Abſolute enim loquitur, & abſque temporis limitatione. Deinde omnia alia præcepta, & inſtituta, quæ tradit, nullis ſive temporum, ſive locorum coarctantur anguſtiis. Præter hæc Auguſtinus in *Speculo* (non ſpurio illo, & in Appendicem VI. Tomi relegato, ſed genuino altero tomi tertii) unctionem infirmorum ex Jacobo pag. 813. commendat, poſteaquam initio illius Operis affirmavit, ea ſe collecturum e ſacris litteris, *quæ etiam nunc ad vitam piam exercendam, moreſque pertineant*. Inſuper Chamierus Calvinianus miniſter, ut ſupra diximus, veritate coactus confeſſus eſt Unctionem a Jacobo commendatam diu poſt ætatem Apoſtolorum obtinuiſſe. Poſtremo non ſolum *Unctio ſacramentalis*, verum etiam unctio olei benedicti, quo in morbis curandis laici quoque & mulieres utuntur, probatur perantiqua conſuetudine; nec unquam donum miraculorum, & curationum gratia in vera Chriſti Eccleſia ceſſavit. Nam Tertullianus initio *Scorpiaci* teſtatur a Chriſtianis cum in ſe, tum in Ethnicis curari veneficos morſus remedio *ſignandi, adjurandi, & ungendi*; & ad Scapulam ſcribens meminit prodigioſæ curationis a Proculo factæ *per oleum*. Sanctum Hilarionem *benedicto oleo*, certam ſalutem innumeris contuliſſe ſcribit in illius Vita Hieronymus. Curatam eodem remedio Hipponenſem quamdam puellam, teſtis eſt Auguſtinus de Civit. Dei libro XXII. cap. 8. Oleo itidem benedicto ægrotos permultos curatos a Simeone Stylita, narrat in Hiſtoria Religioſa Theodoretus. Similia de S. Martino Turonenſi Epiſcopo ſcribunt in illius Vita Severus Sulpitius cap. 15. & Paulinus libro V. ex illis verſibus,

> *Nec ſane alterius minor admiratio facti,*
> *Cujus me memorem medicati infuſio ſucci,*
> *Et decantati benedictio fecit olivi.*

Prætermitto exempla alia permulta: ſatis enim ex his conſtat, etiam in hoc hæreticos allucinari, quod negent perſeveraſſe in Eccleſia gratiam ſanitatum, & benedictionem, uſumque olei cenſeant hiſtrionicam ſuperſtitionem.

His præmiſſis facilis eſt oppoſitionis quartæ ſolutio. Fatemur ſiquidem Jacobum loqui etiam de ſanitate corporali; at negamus hanc unam eſſe hujus Unctionis effectum. Enim vero Sacramentum iſtud *animæ corporiſque medetur languoribus*, ut inquit can. 48. Synodus Cabilonenſis celebrata anno 813. Quinam horum effectuum præcipuus ſit, non ſpectat ad controverſiam præſentem; ac ſufficit ad rem Sacramenti, ſi conferat gratiam ſpiritalem. In Catholica Epiſtola prius commemoratur ſanitatis reſtitutio, & quoniam effectus iſte notior eſt, & quoniam ſeries orationis videbatur poſtulare, ut poſt infirmitatem corporis poneretur illius ſanatio. Tridentina tamen Synodus prius gratiam recenſet, deinde corporis ſanitatem, habens rationem effectus nobilioris. At de hujus Sacramenti effectibus diſſerendum eſt infra. Interim ſoluta ſunt quæcunque hæretici Græciſſantes oppoſuere. Sit enim σῶσαι, ſit ἐγεῖραι referendum ad corporis ſanationem, ſit porro: non hæc tantum verba leguntur; adſunt & iſta, κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Illud quoque reponi poteſt, ea verba, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, *& alleviabit eum Dominus*, non ad corporis decumbentis, ſed ad animi ob corporis languorem dejecti erectionem ac levamentum ſpectare: Extrema enim Unctio, ut inquit Tridentinum, *ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando*. Et revera ſi corporis ſanatio expreſſa eſt verbis præcedentibus, ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*; quid opus erat eumdem effectum iterum recenſere? Neque enim verum eſt verbum ἐγείρειν ſonare ſolius corporis morbo laborantis alleviamentum; non enim ad corpus attinet ſive illud Lucæ I. 69. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν, *Et erexit cornu ſalutis nobis*, ſive aliud ad Rom. XIII. 11. ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι, *Hora eſt jam nos e ſomno ſurgere*, ſive illud ad Epheſios V. 14. ἔγειραι ὁ καθεύδων, *ſurge qui dormis*, ſive permulta alia idem verbum ἐγείρειν continentia. In quibus etiamſi daremus hæreticis hoc verbum *allegorice* poſitum, nil tamen evincerent; nam & ſigna Sacramentorum, eorumque efficacitas habent cum effectibus corporalibus *analogiam*, & recte ἀλληγορικῶς exprimuntur, ut cum dicimus per baptiſmum hominem a peccatis ablui, ſepeliri in mortem, regenerari. Illud inſuper falſum eſt, Chriſtum Dominum prius corporis, deinde animæ morbos curaſſe: immo oppoſitum eruit ex productis ad Paralyticum verbis, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: dicta ſunt enim Matt. IX. 2. longe ante illa, *Surge, & ambula*. Chryſoſtomus in hunc locum ait, διό

ὡς μὲν

οἷς μὲν πιστεύσαντι τὰς ἁμαρτίας ἀφίησιν, ας δὲ ἐξ ἁμαρτιῶν τὴν νόσον κατεχόμενον λύει τῆς ταλαιπωρίας, Propterea primam ei peccata dimittit, tum a morbo, quem ex peccatis contraxerat, eum liberat. Haud ſecus Græcorum elit pag. 120. Catenæ, necnon Hieronymus tom. IV. pag. 30. Quod vero plures morbi ex peccato proveniant, nullus dubitat: ſed quid inde poſſit concludi non video, niſi forte illud, quod ultro ac libenter probamus, ſicut peccatum nocet animæ & corpori, ita inſtituendum fuiſſe ſacramentum, quod ſimul animæ & corpori mederetur. Nil denique officit locutio hypothetica, *Si in peccatis ſit*; nam præter ea, quæ adverſus Cajetanum ait Catharinus, particula *Si* ſæpenumero in ſacris litteris ſignificat appoſitionem rei certæ, ut Malachiæ 1. 6. *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* atque apud ipſum Jacobum 1. 5. *Siquis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, &c.* Adde in hac oratione, *Si in peccatis ſit, remittentur ei*, particulam hypotheticam non afficere poſtremum verbum *Remittentur*, ſed ſubſtantivum *Sit*; ideoque inepte hinc inferas, quantum attinet ad peccati remiſſionem, effectus ambiguitatem.

Opp. 5. Extrema Unctio, quam Catholici inter Sacramenta recenſent, longe ab illa diſtat, de qua fit ſermo in Catholica Jacobi Epiſtola: perperam ergo ex hac Sacramentum illud nituntur adſtruere. Ant. probatur aſſignando diſcrimen multiplex: primum eſt, quod Jacobus commendet Unctionem faciendam infirmis, in quibus adhuc ſpes ſanationis effulget, Catholici autem inungunt ægrotos in extremis laborantes, & in proximo mortis periculo conſtitutos. Alterum, quod Unctio illa decumbenti proderat *ob orationem ac fidem*, dum Unctio Sacramentalis effectum ſuum propria efficacitate cenſetur producere. Tertium, quod illa corporeos morbos pellebat; hæc vero Unctio dicitur peccata dimittere, ſalutem vero & valetudinem corporis nec *forma* exprimit, qua utuntur Catholicorum preſbyteri, nec ipſorum unctura, oleique pinguedo producit, ut ipſi fatentur, rerumque experimenta commonſtrent.

Reſp. nego ant. ad cujus probationem dico commentitium eſſe diſcrimen primum; nam Catechiſmus Romanus p. 2. cap. 6. num. 9. docet graviſſime illos peccare, *qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, quum jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat*: quod & Ritualia & canones tradunt, ut dicetur poſtea. Alterum item diſcrimen fictitium eſt; nam *oratio fidei*, de qua Jacobus Apoſtolus, non eſt fides ægrotantium, aut miniſtrorum, ſed forma Sacramentalis, quæ dicitur *oratio fidei*, quemadmodum forma baptiſmi dicitur *verbum fidei*, ut diximus lib. XXX. cap. XI. aut quia fidei myſterium continet, aut quia ſola fide percipitur, aut quia fidei Eccleſiæ nititur, & in ea miniſtratur. Addo non poſſe hæreticos in nos hoc argumentum urgere; cum teneant Sacramenta non ex *opere operato*, ſed fidem excitando gratiam producere; quod tamen refutatum eſt alibi. Tertium pariter diſcrimen eſt nullum: non enim *ad formæ eſſentiam* pertinet cujuſque effectus recenſio, prout conſtat ex forma aliorum Sacramentorum, eorum ſaltem, quæ haud negant hæretici, Baptiſmi ſcilicet, & Euchariſtiæ. Fatemur etiam Sacramentali Unctione non ſemper reſtitui corporis ſanitatem; nam, ut ajebat Guilelmus Antiſſiodorenſis lib. IV. Summæ, *digne hoc Sacramentum ſuſcipiens remiſſionem peccatorum ſemper conſequitur, quia ſemper utilis eſt; ſed ſalutem corporalem non ſemper conſequitur, quia non ſemper utilis eſt: ſicut Deus digne petenti dat bona ſpiritualia, quia ſemper utilia ſunt; ſed non ſemper dat bona temporalia, quia non ſemper utilia ſunt.* Ita Guilelmus ridiculatia hæc cavillula, priuſquam fingerentur, expunxit: floruit enim ille initio duodecimi ſæculi, obiitque die 23. Novembris an. 1123. (tametſi Bellarminus de Script. Eccl. ſcribat vixiſſe illum circa an. 1240.) ejuſque Summa jam ab anno 1500. legebatur Pariſiis excuſa.

PROP. II. Etiam Traditione perpetua hujus Sacramenti fides corroboratur.

Traditionem hanc demonſtro Patrum auctoritate. Origenes enim, qui ad annum 220. claruit, Hom. 2. in Levit. ait: *Eſt adhuc ſeptima licet dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum, qui ait: Dixi pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod & Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini; & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Victor Antiochenus, qui fertur obiiſſe an. 441. diſerte hoc Sacramentum agnoſcit in caput 6. Marci. Ejus verba proferentur proximo capite. S. Joannes Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, quem ſcripſit Antiochiæ circa annum 382. *Neque enim*, inquit de ſacerdotibus, *ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis? accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & obſecratio fidei ſalvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quo in loco advertendum eſt, S. Joannem Chryſoſtomum prius loqui de remiſſione peccatorum per actum judicialem & abſolutionem Sacramentalem, quocunque tempore impendendam, & poſtea de eadem remiſſione per unctionem olei danda ægris; de prima producit verba Matthæi XVIII. 18. & Joan. XX. 23. de altera Jacobi textum. Vide edit. noviſſimæ tom. 1. pag. 384. Innocentius I. a Decentio Eugubino Epiſcopo interrogatus de quibuſdam dubiis ad hoc Sacramentum ſpectantibus, dedit an. 416. ad eumdem Decentium Epiſtolam, in qua certiſſimum ſupponens ex communi Eccleſiæ ſenſu Unctionem extremam eſſe Sacramentum verum ac proprium, reſpondet hanc Unctionem faciendam eſſe juxta Jacobi Epiſtolam ſolis ægrotantibus, non ut in more poſitum eſt apud Græcos, valetudine bona fruentibus: oleum ab Epiſcopo eſſe benedicendum: non implicare, quod eodem oleo etiam laici in ſuis, aut alienis infirmitatibus utantur, non tamen quaſi ſacramento, ſed ut ritu Chriſtiano admodum proficuo, quem vetuſtiſſimum eſſe demonſtravi paullo ſupra exemplis, & auctoritate Sanctorum: Unctionem Sacramentalem vel ab Epiſcopo, vel a presbytero faciendam: unctionem denique hanc non eſſe adminiſtrandam pœnitentibus illis, quibus nondum aliorum Sacramentorum conceditur diſpenſatio. Sed præſtat audire ipſum Innocentium capite illius Epiſtolæ octavo: *Non eſt dubium*, inquit, *de fidelibus* (quod in beati Jacobi Epiſtola conſcriptum eſt) *accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo. Ceterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Ceterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem a ſe viſitandum & benedicere & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Hæc ſæculo V. ineunte Innocentius, quem loqui de vero ac proprio Sacramento evidentiſſimum eſt; nam Unctionem & *genus ſacramenti* appellat, & illam reliquis *ſacramentis* comparat, quæ denegabantur publicis pœnitentibus. Neque arbitror hominem adeo inſipientem futurum fore, qui audiens *unctionem Chriſmatis* ſuſpicetur S. Innocentium pertractare de ſacramento Confirmationis. Superiori enim cap. 3. ſcripſerat Confirmationem baptizatis omnibus, etiam pueris, adminiſtrari *a Pontificibus ſolis*, non a presbyteris, *qui Pontificatus apicem non habent*, prout diximus hujus vol. pag. 5. & 22. In hoc autem VIII. capite agit de inungendis languidis & ægrotantibus, dicens nullum eſſe dubium, quod hoc liceat *presbyteris*. Chriſma itaque apud Innocentium eſt oleum infirmorum, quod apud Veteres *Chriſma* ſimpliciter appellabatur: oleum namque balſamo permixtum in perantiquo Pontificali Ms. Senonenſi, & in aliis vetuſtis monimentis, de quibus Du-Cangius tom. 1. pag. 973. appellabatur *Chriſma principale*, & quamquam antonomaſtice Chriſma ſit balſami oleique commixtio, χρίω tamen nihil ſonat aliud, quam *ungo*. Ex Auguſtino plura affert in Confeſſ. Auguſtiniana lib. 3. cap. 10. Torrenſis, laudans ſerm. 215. de Tempore, librum 2. cap. 4. de Viſitat. Infirmorum, & opus de Rectitudine Catholicæ Converſat. Nil utique his expreſſius; ſed hæc omnia ſanctiſſimo doctiſſimoque Patriparenti abjudicantur: neque ullum nobis interim Auguſtini teſtimonium occurrit, præter illud quod habetur in *Speculo*, de quo ſupra: quamquam a Hieronymo Torrenſi collecta pondus habeant ſuum, aſſertamque traditionem confirment. Non opus eſt autem, ut per ſæcula recentiora vagemur, poſteaquam hanc provinciam ſibi deſpondit, explevitque in Opere de Extrema Unctione cap. 1. Joannes Launojus; nam ſi hæretici fateantur neminem ſedente Innocentio oppugnaſſe Catholicam hanc veritatem, non adeo audaces erunt, ut aſſerant figmentum illam eſſe poſterioris ætatis.

Continuatam tamen hanc ad noſtra uſque tempora traditionem confirmant permultæ Synodi: quarum una Cabilonenſis, ut mittam canones Nicænos Arabicos ab Alphonſo Piſano donatos latinitate, anno 813. can. 48. inquit: *Secundum beati Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopo benedicitur, a presbyteris ungi debent: non eſt itaque parvipendenda hujuſmodi medicina, quæ animæ corporiſque medetur languoribus.* Habentur ſimilia in Concilio Aquiſgranenſi an. 836. can. 5. in Regiaticino anni 850. cap. 8. in Capitulis Herardi Archiepiſcopi Turonenſis an. 858. cap. 21. in Concilio Namnetenſi an. 896. cap. 4. Idem ſtatuerunt Concilia Generalia; Conſtantienſe, quod anno 1414. decrevit ſuſpectos de hæreſi, & ad Eccleſiam redeuntes interrogandos eſſe, num credant, *quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, peccet mortaliter?* Florentinum, ſeu potius Eugenius IV. in Decreto unionis an. 1439. inter Sacramenta *Extremam Unctionem* recenſet, ejuſque formam, materiam, & effectus declarat. Quid tandem definierit Tridentinum ſeſſ. XIV.

cele-

Digitized by Google

celebrata an. 1551. conſtat ex dictis. Jam vero, ne prætermittamus ratiocinium, quo uſi ſumus de ceteris Sacramentis agentes, hæ Synodi non invexerunt Sacramentum natum tunc temporis: acceperunt ergo illud a majoribus. Hi autem unde, niſi juxte Tertulliani regulam ab Apoſtolis? Quum rurſus ad eaſdem Synodus tot, tantique præſules doctrina & probitate clariſſimi convenilſent, qui, obſecro, fieri potuit, ut ad fictitii myſterii commendationem non excandeſcerent, non obtruderent Eccleſiarum ſuarum fidem, ſed ſacrilege ſubſcriptione *hiſtrionicam* ceremoniam firmarent, ac nullus in Chriſtiano Orbe veritatis, fideique zelo permotus damnaret eorum canones, & ſe ab illorum communione ſegregaret? Certe univerſorum conſenſus apertiſſime refellit, damnatque hæreticorum cæcitatem atque perfidiam.

Invictiſſimum denique argumentum eſt Eccleſiarum omnium conſuetudo. In Romana quippe hoc Sacramentum adminiſtrari demonſtrat liber Sacramentorum Gregorii, & Pontificale ac Rituale Romanum. De Græcis teſtimonium perhibent Euchologium Goarii, Epitome Gregorii Protoſyncelli, Cenſura Hieramiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani adverſus Withembergenſes, Confeſſio fidei Joannis Palæologi, liber de Sacramentis Gabrielis Philadelphienſis, Synodus Parthenii adverſus Calvinianos, aliaque monumenta producta libro xx. cap. 5. ubi etiam diximus de Coptis & Jacobitis, qui & hoc Sacramentum agnoſcunt, & illud appellant *Zeit-il Kandel*; quibus vocabulis exprimitur oleum, & lampadis lumen, quo in ægris ungendis utuntur. Plura eodem capite v. dicta ſunt, quibus hæc aſſertio munitur & roboratur.

Oppones: De Extrema Unctione altiſſimum ſilentium eſt in ſcriptis veterum Patrum. Non ergo Sacramentum iſtud probatur ex Traditione. Ant. demonſtratur I. quoniam de Unctione infirmorum nec Auctor Conſtit. Apoſtolicarum, nec Dionyſius Areopagita, nec Cyrillus Jeroſolymitanus, nec alii mentionem fecerunt, qui de ſacris ritibus, & myſteriis data opere pertractarunt. II. Origenes homilia 2. in Levit. atque iiſdem verbis, quæ pro Catholico dogmate fuerunt producta, Jacobi verba *Infirmatur quis in vobis*, *&c.* interpretetur de Pœnitentia, & Venerabilis Beda Comment. in eamdem Epiſtolam de Confeſſione peccatorum. III. Nec multum roboris habent Innocentii Primi ad Decentium Reſcripta; cur enim Eugubinus Epiſcopus de hoc Sacramento hæſitaſſet, & de ipſo interrogaſſet Pontificem, ſi dogma iſtud commune eo temporis fuiſſet, atque exploratum? IV. Quid? quod Epiphanius hæreſi 36. & Auguſtinus hæreſi 16. infirmorum unctionem connumerant inter Heracleonitarum deliramenta? V. Detur per ſeptem priora ſæcula, & ulterius quoque in uſu fuiſſe receptum, ut ægri oleo benedicto ungerentur; num unctio iſta erat ſacramentalis? Nequaquam. Ceremonia quædam erat a laicis quoque, feminiſque adhibita, per fidem impetrans ſanationem. Ex hac ergo ceremonia Romanenſes Theologi (inquiunt Chamierus, & Dallæus) conflarunt fictitium hoc Sacramentum, cauſam præbentes Religionis reformatæ miniſtris, ut cum novo dogmate perperam adſcribente oleari pinguedini ſpiritalem efficientiam, repudiarent ſimul conſuetudinem inungendi.

Reſp. tranſ. antec. nam & plures Patres ſacramenti hujus meminere, & potuit diurius in continuata Eccleſiæ praxi perſeverare Chriſti & Apoſtolorum inſtitutio. Ad probationem primam vide quæ de ſilentio Veterum ſcripſi Volumine III. pag. 187. Addo in Conſtitutionibus adſcriptis Clementi lib. VIII. cap. 29. pag. edit. Cotel. 411. haberi benedictionem olei, cum hac prece: *δὸς δύναμιν ὑγείας ἐμποιητικὴν, νόσων ἀπελαστικὴν, δαιμόνων φυγαδευτικὴν, πάσης ἐπιβουλῆς διωκτικὴν*, *Da vim effectricem ſanitatis, morborum expultricem, Dæmonum fugatricem, omnium inſidiarum profligatricem*, *&c.* quæ mire *oleo infirmorum* conveniunt. De Dionyſio dictum alibi, agere ſcriptorem illum, quiſquis ſit, de officiis Hierarchicis, non de ſingulis Sacramentis: Cyrillus vero in Catecheſibus Myſtagogicis ea tantum explicet, quæ pertinent ad nuper Illuminatos. Ad probationem alteram dico verba Origenis hunc pleniſſimum habere ſenſum, deleri peccata *pœnitentia laborioſa*, *& confeſſione ſacerdoti facta*, ſi gravia ſint; & leviora etiam *Unctione*, de qua Jacobus Apoſtolus, & quæ eſt quædam pars pœnitentiæ. Demonſtrant enim quot modis remittantur peccata, enumeratiſque eleemoſynis, ſacrificiis, & quotidianis orationibus, remedia efficaciora deſcribit, Baptiſmum, de quo paulo ſupra tractaverat, Pœnitentiam, atque Unctionem Extremam. Adi edit. Baſil. tom. I. pag. 120. At Venerabilis Beda apertiſſime hoc ſacramentum agnoſcit in ſextum Marci caput; & in Epiſtolam quoque Jacobi commendet conſuetudinem Eccleſiæ, *ut infirmi oleo conſecrato ungantur a presbyteris*: ait derivatam hanc conſuetudinem ab Apoſtolis, laudat Innocentii ad Decentium epiſtolam, ac docet ægrotos *unctione presbyterorum*, *& oratione comitante ſanari*. Addens ergo, peccata infirmis non dimitti *ſine confeſſione amendationis*, nos admonet, ne credamus per Extremam Unctionem inſtitutam ad alleviandum infirmum, & ad abſtergendas peccatorum reliquias, ſolvi peccata graviora, quæ neceſſum eſt, ut infirmi *presbyteris Eccleſiæ* confiteantur; unde in Epiſtola Jacobi recte ſubjungitur, *Confitemini alterutrum*, *&c.* quod exponens idem Beda ait: *Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem ſacerdoti pandamus*. Vide tom. V. edit. Baſil. pag. 960. Vellem nunc ſcire, qua fronte hæc objiciant qui etiam *Confeſſionem* temere audacterque reprobarunt. In ſolutione probationis tertiæ non immorabor; nam conſtat ex dictis, Decentium non dubitaſſe de hujus Sacramenti exiſtentia, & hoc pariter Innocentium adnumeraſſe reliquis Sacramentis. Quarta vero frivola, & ineptiſſima eſt: nam Heracleonitæ, teſte eodem Epiphanio pag. 263. ſeſe inungebant hac Marci præſtigiatoris cautilena, *Μεσσια, οὐφάρ, ἐγναμεμψα, μενχαλδια, νοσσομη δαεχ, αχφαραν, ἐψευενα, Ἰησοῦ Ναζωρία*, *Meſſia*, *ouphar*, *eguamempſa*, *menchaldia*, *noſſome*, *daec*, *acpharan*, *epſevova*, *Jeſu Nazaria*. Quæ verba quid ſonent, poſtremo tantum vocabulo excepto, ipſi noverint. S. P. Auguſtinus de hæreſibus num. 26. ait hæc verba eſſe Hebraica: ac talia cenſet S. Irenæus lib. I. cap. 18. nunc 21. pag. 85. quæ & ita interpretatur, *Non divido ſpiritum*, *nec cor*, *nec ſupercæleſtem virtutem miſericordem*, *fruar nomine tuo ſalvator veritatis*. In pleriſque utique pellucet hebraiſmus, ſed magica & barbara potius videntur, & pro hebraicis a circumforaneis Heracleonitis jactata. Qualiacunque ſint; putabant Heracleonitæ his invocationibus *ſuos morientes novo modo quaſi redimere*, inquit eo loci Auguſtinus: qui, ut præmonui, Unctionem infirmorum juxta documentum Jacobi Apoſtoli commendet in *Speculo*, parte I. tomi 3. pag. 813. Maurinæ editionis. Ad probationem ultimam dicimus diſtinguendam eſſe Unctionem ſacramentalem factam a presbyteris ab altera, quam objiciunt Dallæus & Chamierus, quemadmodum lavacrum baptiſmi longe diverſum eſt ab aſperſione luſtralis aquæ: cur autem admittamus ſacramentalem Unctionem non opus eſt repetamus. Peſſime interim ſibi hæretici conſuluerunt, una cum Sacramento abjicientes conſuetudinem, quam & ipſi doctiores facti negare non audent pluribus ſæculis viguiſſe. At adverſus hæreticos dictum ſatis.

CAPUT II.

Quæritur, num in capite VI. Marci verſu 13. agatur de Sacramento Unctionis Extremæ?

CUr non produxerim adverſus hæreticos verba Marci VI. 13. *Et ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*, dictum eſt ſupra: viri ſiquidem doctiſſimi fatentur hic non agi de Unctione infirmorum ſacramentali. Non deſunt tamen qui oppoſitum tenent; & argumentum illud adverſariorum, Unctio, qua apud Marcum diſcipuli ſanabant ægros, non erat verum ſacramentum: Illa autem Unctio ejuſdem erat generis, ac illa de qua ſermo inſtituitur in Catholica Jacobi epiſtola: Ergo Unctio, de qua fit ſermo in Catholica Jacobi epiſtola, non eſt verum ſacramentum; argumentum, inquam, illud in hac poſtrema ſententia ita in hæreticos retorquetur, Utraque unctio ejuſdem generis eſt: Illa erat ſacramentalis: Ergo & iſta. Videamus, quæſo, diſputationis gratia, an tali ſententiæ adhærentes poſſint falſitatis revinci.

PROPOSITIO I. Videtur Marci VI. mentionem fieri Unctionis infirmorum ſacramentalis.

Fatetur, ut diximus præcedenti capite, Card. Bellarminus, id tenere Alphonſum de Caſtro libro de Hæreſibus v. *Extrema Unctio*, & Thomam Valdenſem tom. 2. de Sacram. cap. 163. quibus Tournely addit Ambroſium Catharinum Annot. in Comment. Cajetani, & Joannem Maldonatum de hoc Sacram. cap. I. & comment. in Evang. Marci. Contendo ego; quod eadem fuerit ſententia Patrum, Græcorum maxime, necnon inſignium Theologorum, S. Thomæ, Scoti, aliorumque. His vero ex recentioribus acceſſit J. B. Du-Hamel tom. 7. pag. 408. nec repugnet Van-roy tom. V. pag. 289. Juenin quoque differt. VII. q. 5. concl. 3. fatetur aſſertionem hanc non eſſe omnino improbabilem: nec aliter cenſent inſigniores Scotiſtæ apud Maſtrium tom. IV. diſp. 6. q. I. num. 13. Momenta, quibus hæc ſententia poteſt magna probabilitate defendi, ſunt iſta. Principio in explicandis Scripturæ locis facem nobis præferre debent Patrum interpretationes. Atqui Patres tradiderunt apud Marcum ſermonem inſtitui de Unctione Sacramentali. Igitur, &c. Probatur minor. In Catena enim Græcorum a Poſſevino collecta pag. 105. ita loquitur Victor Antiochenus: *Adhibitam unctionem olei Marcus memorat, cui conſentanea Jacobus in Catholica ſcribit: Infirmatur quis in vobis*, *&c.* *Oleum laſſitudini medetur, & lucis ac lætitiæ cauſa eſt; ſignificat igitur olei unctio miſericordiam a Deo, morbi curationem, & illuminationem cordis*. Hic non habes tantum ſymbolum gratiæ ſpiritalis, ſed ulterius quod Marcus eamdem unctionem commemoravit, de qua locutus eſt Jacobus; idque manifeſtius explicat Græca lectio, *μόνος ἐστὶν ὁ Μάρκος, ὃ Ἰάκωβος ἐν τῇ καθολικῇ τοῖς ὁμοίοις λόγοις*, & ibidem Anonymus antiquior Victore, *καθάπερ καὶ Ἰάκωβος φησι*, *Quemadmodum & Jacobus loquitur*. Theophylactus in Marcum pag. edit. Morellianæ 218. *Quod unxerint oleo Apoſtoli ſolus Marcus narrat, quod & frater Domini Jacobus in Catholica Epiſtola dicit*: ac deinde myſticum illius unctionis ſymbolum, & ſpiritalem effectum recenſet.

Euthy-

Digitized by Google

Euthymius in Marcum tom. XIX. novæ Biblioth. PP. pag. 603. *De unctione olei ſolus Marcus loquitur. Admonet autem & de hoc Jacobus in Epiſtola ſua Catholica dicens, Ægrotat quis inter vos, &c.* Œcumenius in Epiſtolam Jacobi pag. 478. edit. Sonnii, ad ea verba, Ἀλείψαντες ἐλαίῳ, *Ungentes oleo*, inquit: *Hoc etiam, Domino inter homines adhuc converſante, faciebant Apoſtoli, ungentes ægrotos oleo, & ſanantes.* Non diſſentiunt Latini; nam Venerabilis Beda pag. 959. in Epiſtolam Jacobi, ad ea verba, *Et orent ſuper eum ungentes eum oleo, &c. Hoc*, inquit, *& Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur a presbyteris, & oratione comitante ſanentur.* S. Thomas in Catena aurea pag. 112. Theophylacti & Bedæ exſcripſit verba. His alii Patres non opponuntur; nam Interpretes, qui Marci textum exponunt de unctione ad ſolos corporis morbos leniendos, nullum Patrum teſtimonium hactenus attulerunt: & inſuper ſi Patres aſſeruiſſent Apoſtolos unctione illa corporales infirmitates curaſſe, nil inde iidem interpretes effeciſſent, quandoquidem hunc quoque effectum præſtat Sacramentum Extremæ Unctionis. Ex alio autem capite illi, quos laudavimus, apertiſſime tradunt Apoſtolos Domino inter homines converſante idem feciſſe quod ait Jacobus, & in utraque Unctione agnoſcunt myſticum ſignum & gratiam. Poteſt ergo in adverſarios quadrare quod contra Cajetanum ſcribit Catharinus: *Quod Marcus teſtatur de diſcipulis quod oleo ungerent infirmos, negat poſſe hoc intelligi de ſacramento, quo utitur Eccleſia. Cur autem ſic non poſſit intelligi, non aliter probat; quaſi hoc, ipſe dixit, quod Phythagoreorum erat, ſervandum ſit erga illum; præſertim cum Beda, & Thomas, & alii plures contradicant.*

Utar deinde hoc argumento: Nonnulli antiquorum Scholaſticorum putârunt Sacramentum illud non *immediate* a Chriſto, ſed ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum. Ita nempe docuerunt Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. cap. 27. Magiſter ſent. in IV. diſt. 23. & S. Bonaventura eadem diſt. art. 1. q. 2. Jam vero hæc opinio a nullo fere Theologorum defenditur. Omnium autem primi, qui adverſus hanc opinionem ſcripſere, tali uſi ſunt argumentatione: Si Unctio Extrema jam inſtituta erat, quando diſcipuli ungebant ægros, eoſque ſanabant, quomodo unctio hæc inſtituta eſt ab Apoſtolis poſt Chriſti adſcenſionem? Ita enim ſcribebat ante annum 1200. Petrus Theologus Pariſienſis, præceptor Innocentii III. & Senonenſis Archiepiſcopus in QQ. Mſs. *de Unctione Extrema*, apud Launojum tom. 1. pag. 451. *Quæritur unde habuit initium? Dicunt aliqui quod a Jacobo, ſed manifeſte convincitur per textum Marci quia ab Apoſtolis antea fiebat.* Clarius Subtilis Doctor Joannes Scotus in IV. Sent. diſt. 2. q. 1. *De extrema Unctione dicitur, quod Jacobi cap.* V. (ideſt ſit inſtituta) *Sed licet ibi promulgaverit illud ſacramentum, eſt melius dicere, quod fuerit inſtitutum a Chriſto. Legimus enim Marci 6. quod Apoſtoli ungebant oleo multos infirmos, & ſanabantur: conſtat, quod hoc non fecerunt niſi in virtute Chriſti, qui inſtituerat illam Unctionem virtuoſam.* Eadem videtur mens S. Thomæ; nam in IV. diſt. 23. q. 1. art. 1. q. 3. ubi demonſtrat Unctionem Extremam fuiſſe a Chriſto inſtitutam, diluens objectionem primam, quod de hac inſtitutione nulla mentio fiat in Evangelio, reſpondet Evangeliſtas *præcipue* illa narraſſe, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, aut pertinent ad Eccleſiæ diſpoſitionem, ac diſtinctionem, addens, *Tamen etiam de olei Unctione fit mentio in Evangelio Marci* VI. *ubi dicitur quod Apoſtoli oleo ungebant infirmos.* Me non latet reſpondere horum præſtantiſſimorum Doctorum diſcipulos, probari ex cap. 6. Marci Unctionem Extremam a Chriſto inſtitutam, quoniam in unctione Apoſtolorum, per quam indita a Chriſto virtute fugabantur corporis ægritudines, præſignabatur *Unctio Sacramentalis*. Verum ab ipſis Scotiſtis petam, num invictum ſit, & Scoto dignum hoc ratiocinium: Marci VI. commemoratur Unctio quædam præſignans *Unctionem Sacramentalem: ergo Unctio Sacramentalis* inſtituta non fuit a Jacobo, aut ab alio Apoſtolorum, divino ſpiritu afflante? At S. Thomas perſpicue aſſerit, non quidem expreſſe in Evangelio haberi hujus Sacramenti inſtitutionem, quemadmodum habetur Inſtitutio Baptiſmi & Euchariſtiæ, ſed poſſe tamen inferri ex Unctione infirmorum, cujus meminit S. Marcus: quod me judice nequaquam conſiſteret, ſi eo loci non ſupponeretur inſtitutum Extremæ Unctionis myſterium. Accedit Joannes Baconus, qui in IV. diſt. 23. art. 1. quærens quando Chriſtus Sacramentum hoc inſtituerit, *Dico*, inquit, *quod a Chriſto fuit inſtitutum Marci* VI. *ubi dicitur quod Chriſtus miſit diſcipulos ſuos, & ungebant oleo & ſanabant. Poſtmodum Jacobus in Canonica ſua exercitium ejus promulgavit, dicens: Infirmatur, &c.* Hæc autem omnia eo tendunt, ut demonſtretur Theologos illos principes, qui omnium primi repudiarunt opinionem Magiſtri, non fuiſſe alienos ab ea ſententia, quæ tenet apud Marcum Sacramentum Unctionis ægrotantium, ſaltem tacite, laudari. Id vero addit eidem ſententiæ aliud haud exiguæ probabilitatis momentum.

Tertium vero eſt hujuſmodi: In Unctione, de qua Marcus, adinvenitur quicquid neceſſarium eſt ad Sacramentum conſtituendum. Et primo illum unctionis ritum fuiſſe inſtitutum a Domino, certiſſimum eſt; non enim Apoſtoli hac ceremonia ante, & poſt Magiſtri diſceſſum, tanquam conſtanti lege uſi fuiſſent, Domino non præcipiente: unde Concilium Senonenſe an. 1528. decreto 10. inquit, *Neque id ſuo ſenſu, ſed præceptoris inſtituto feciſſe putandi ſunt*: ibique de Unctione, de qua loquimur, & de teſtimonio Marci, ac de hoc Sacramento expreſſe tractatur. Vide tom. XIV. Conc. pag. 453. *Materiam* Sacramenti cum proximam, tum remotam indicant manifeſte verba illa, *Ungebant oleo*. De *forma* non eſt hæſitandum, ſiquidem id fecerunt Apoſtoli, quod poſtea Jacobus diſtincte explanavit: ac præterea inveriſimile *prorſus* eſt, moto contactu, ſine ulla prece, & ſine divini nominis invocatione, in quibus ſita eſt formula hujus Sacramenti, unxiſſe ægros. Unctionem denique illam inſtitutam fuiſſe potius *ad effectum ſpiritualem*, quam ad ægritudinum ſanationem, ſic probo. Catechiſmus Romanus p. 2. cap. 6. num. 8. poſteaquam docuit inſtitutionem Unctionis Sacramentalis a Chriſto profectam eſſe, & a ſancto Jacobo Apoſtolo promulgatam, addit hujus ſpecimen quoddam exhibitum apud Evangeliſtam Marcum, loco, de quo agitur, recitari: atque ne quod ait *ſpecimen*, accipias pro ſymbolica quadam præſignatione, non pro obſcuriori veræ inſtitutionis narratione, hæc ſerio ponderanda proſequitur: *Quam quidem Unctionem*, de qua Marcus, *non ab Apoſtolis inventam, ſed a Domino præceptam, non naturali aliqua virtute præditam, ſed myſticam potius ad ſanandos animos, quam ad corpora curanda, inſtitutam fuiſſe credendum eſt.* Et revera, ut inquit Maldonatus in Evangelia pag. 797. gratia ſanitatum non unctioni, aut alteri materiæ alligatur, nec ſolis Apoſtolis, aut ſolis presbyteris data fuit; ſed, prout præcedenti capite demonſtravi, eam Spiritus dividit *prout vult*, miraque operatur, nunc unius, nunc alterius rei applicatione, nunc verbo tantum, nunc manuum contactu. Neque ad miracula comprobanda requiritur res aliqua certa ac ſenſibilis, ſicut hanc poſtulat eſſentia Sacramenti, nec ſi ſe aliqua ſenſibili mirabilia patrentur, id evenit definita quadam inſtitutione. At enim in Marci verbis, *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*, ejuſdem ritus frequentem uſum, atque hujus diuturnum effectum intelligimus; ideoque demonſtratur iiſdem verbis aliquid dono corporearum ſanationum præſtantius. Concludam illuſtri teſtimonio Concilii Colonienſis producto a Leonardo Vanroy præcit. pag. 289. *Neque Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos chirurgos fecit, ſed Apoſtolos, qui ungerent ægrotos oleo, non medicinali, ſed ſacramentali, & myſtico; quamvis divus Jacobus modum ac formam adminiſtrationis clarius expreſſerit.*

Opp. 1. Tridentinum Concilium definit Sacramentum Extremæ Unctionis apud Marcum *inſinuatum*, a Jacobo autem Apoſtolo *promulgatum* fuiſſe: Atqui *inſinuatum* dicitur, quod adumbratur tantum ac delineatur, non quod jam inſtitutum atque determinatum eſt: Igitur apud Marcum nulla de Sacramento jam inſtituto fit mentio. Corroboratur autem hoc argumentum, quoniam cum Suavis in Hiſt. Concilii Tridentini ſcripſiſſet in priori decretorum delineatione Tridentinos Patres poſuiſſe, *Apud Marcum inſtitutum*, ac poſtea verbum hoc permutaſſe, ab Eminentiſſimo Pallavicino lib. XII. cap. 12. num. 12. mendacii, & falſitatis arguitur, quoniam Jodocus Raveſteyn, & Sigiſmundus Fedrius Theologi Tridentini affirmaverant, apud Marcum hoc ſacramentum non *inſtitutum* eſſe, ſed *adumbratum*, neque aliud exiſtimaſſe Magiſtrum ſententiarum, Hugonem Victorinum, Alexandrum Alenſem, ac ſanctum Bonaventuram, qui nunquam aſtemiſſent hoc Sacramentum a Jacobo inſtitutum, ſi putaſſent de eo pertractari in capite ſexto Marci.

Reſp. Concilium congregatum ad hæreſes extirpandas, non ad definienda ſcholarum diſſidia, ut non uno in loco ſcribit idem Pallavicinus, ſapientiſſime adhibuiſſe verbum *Inſinuatum*, quod ſignificat non tantum *adumbratum*, ſed & *delineatum, commonſtratum, commemoratum*, licet non adeo expreſſe, ut eſt apud Jacobum; qui tradit non *unctionem* ſolam, ſed etiam *formam*, & ſpiritalem ſacramenti effectum; quæ duo ex Evangelio conjecturaliter inferuntur, non apertiſſime demonſtrantur. Immo ſi attendas Latini ſermonis proprietatem, quam ubique ſervat Synodus Tridentina, *Inſinuare*, ſonat idem, ac *primum introducere, ſuadere, ac veluti in ſinum immittere*, nec in amplo latinæ linguæ Theſauro tom. 2. pag. 1303. occurrit exemplum unum, in quo *inſinuare* idem ſit, ac *adumbrare, & ſymbolice præſignare*. Poſſunt ergo Tridentini verba ita commode exponi, *Quod apud Marcum inductum dicitur atque inſtitutum, Jacobus promulgavit, declaravit, explicavit.* Atque hæc expoſitio nullum patitur vel ab Hiſtoria Suavis, vel ab ea, quam exornavit Pallavicinus, incommodum. Nam ſi ille contendat ſcriptum ante, *Apud Marcum inſtitutum*; in hac ſententia defenditur id non male fuiſſe ſcriptum: ſi iſte reponat, ſemper extitiſſe verbum *Inſinuatum*; & id a nobis probatur quammaxime: ſi dicat noluiſſe Concilium præjudicium afferre Magiſtri & aliorum quorumdam opinioni; iſtud quoque admittitur libentiſſime. At quemadmodum opinio illa peculiaris fuit, & jam communiter refutata; ita inane & arundineum eſt argumentum, quod illi nititur, ac ſuperſtruitur.

Berti Theol. Tom. IV.

Opp. iterum: Non agi apud Marcum de Unctione *ſacramentali*, oſtendunt rationes perſpicuæ. Prima eſt quod Marcus pertractet de ſola gratia ſanitatum, quam collatam Apoſtolis initio prædicationis, ut facilius ad Chriſti fidem pertraherent, ſcribunt Matthæus quoque x. 1. & Lucas ix. 6. Altera quod eo temporis Apoſtoli nondum erant ſacerdotes, a quibus tantum Extrema Unctio poteſt adminiſtrari. Tertia quod ungebant ægros omnes, non decumbentes ſolos, quibus Unctio *ſacramentalis* impenditur. Poſtrema quod promiſcue omnes, aut baptizatos, aut non, unctione illa ſanabant; cum tamen ſoli fideles ſint ſacramentali oleo inungendi. Ita Pallavicinus ibidem, Bellarminus de Extrema Unct. cap. 2. Dominicus Soto in iv. diſt. 23. q. 1. art. 1. Sylvius q. 29. Supplem. art. 1. & Scripturarum interpretes in Marcum, Janſenius, A lapide, Calmet, alii.

Reſp. habere nos, quid hiſce rationibus reponamus. Ac ad primam dicimus, gratiam ſanitatum non fuiſſe certo ritui, & unctioni alligatam; nec unctionem ipſam apud Matthæum, vel Lucam commemorari. Solus proinde Marcus ante Jacobum Extremam Unctionem *inſinuavit*, prout inquiunt præitati Patres, ac Synodus Tridentina; ideoque idem Marcus aliquid litteris conſignavit, quod alii Evangeliſtæ prætermiſerant. Cum unctione autem *ſacramentali* traditam Apoſtolis gratiam ſanationum certum eſt, & a nemine controvertitur. Ad alteram reſpondet Maldonatus: *Miror quoſdam auctores tam levi conjectura in re tanti momenti a vera communique ſententia diſſidere* (nota qualem vir præſtantiſſimus cenſeat ſententiam illam) *& Chriſto legis auctori legem imponere. Potuit enim qui legem tulit, pro ſuo arbitrio lege uti.* At, inquit Tournely pag. 404. Maldonati reſponſio nulli nixa eſt fundamento. Audiat Neotericus ille ſcriptor Maldonatum hæc ſubjicientem: *Nam & ut ſoli ſacerdotes baptizent, niſi aliud neceſſitas poſtulet, præceptum eſt Chriſti, qui ſolos juſſit Apoſtolos baptizare, & legimus tamen Apoſtolos, antequam ſacerdotes facti eſſent, baptizaſſe.* Quod utique exemplum videtur mihi congruentiſſimum, aptiſſimumque. Lege Maldonatum in Evangelia pag. 799. primæ edit. Lugdun. nam in Opere de ſacramentis non adeo exacte objectionem hanc enodavit. Ad tertiam & ultimam ita idem Auctor reſpondet: *Qua ratione docent, Apoſtolos, aut nondum batizatos, aut omnis generis ægrotos unxiſſe ſine ulla diſcrimine, cum nulla id ſcripturæ exempla probare poſſint, & nos exemplis poſſimus probare contrarium? Nam certe Petrus claudum illum non unxit, quem ad portam templi ſedentem curavit.* Sunt quæ addamus, nonnulla: atque ad 3. negamus, illis verbis, *Et ungebant oleo multos ægros*, deſignari etiam cæcos, claudos, mutos, omneſque corpore male affectos. Nam quod ait *multos*, ita poteſt accipi, ut unctio in infirmis, non in ceteris ſit adhibita. Denique quod ait Latinus *multos ægros*, id Græcus codex expreſſit πολλοὺς ἀῤῥώστους, atque in Græcorum Lexicis ἀῤῥωστία definitur *νόσημα μετὰ ἀσθενείας, infirmitas cum virium imbecillitate & languore*. Æger etiam Latinis non dicitur aut mutus, aut cæcus, aut claudus, ſed qui infirmitate gravatur, ex qua corpore animoque torquetur: unde quidam poetarum de amaſia, quam decumbentem ſuſpirabatur,

Dicta erat ægra mihi: præceps amenſque cucurri.

Ad ult. addo potuiſſe Apoſtolos baptizatis miniſtrare unctionem *ſacramentalem*, in non baptizatis uti unctione ad ſolam corporis valetudinem; nam, ut ſcribit Innocentius, eodem oleo conſecrato utuntur presbyteri ad ſacramentum conficiendum, & utuntur laici ad ſanitatem: quod poſtremum fit abſque formæ pronunciatione. Eſt inſuper quorumdam opinio, quod etiamſi ordinaria via, communique praxi, non regenerato aqua baptiſmatis conferri nequeant reliqua ſacramenta, fuerint tamen olim utiliter collata, aliquo in caſu, non baptizatis. Sacramentum quippe Euchariſtiæ *a non baptizatis recipi poſſe* affirmat Innoc. III. cap. *Veniens*, de Presbytero non baptizato: quod & quidam aſſerunt de Matrimonio, & de Unctione Extrema. Videnda de hoc argumento diſſertatio Franciſci Farvacques in Opuſculo de Baptiſmo cap. 1. quæſt. 3. Quidquid autem ſit de hac opinione; non eadem eſt ratio de tempore ante legis promulgationem, ut diximus cum Maldonato. Cui ſi opponeretur aliorum interpretum numerus, poſſet ille longe ampliorem proferre, præſertim antiquiorum; quibus adhæſerunt etiam Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Franciſcus Lucas, aliique permulti.

PROP. II. Quæ dixi de Unctione in Evangelio Marci deſcripta, fines probabilitatis minime excedunt.

Tametſi ſententiam illam, quæ affirmat agi capite Marci vi. de Unctione ſacramentali, vindicare conatus ſum, quod Auguſtinus Calmet Comment. in eumdem locum merito dixit eſſe perdifficile & operoſum; non adeo tamen certam exiſtimo, ut ſufficiat ad ſtatuendum dogma fidei, diſputatione ſuperiori propugnatum. Ratio prima eſt, quod Theologi præſtantiſſimi, & percelebres ſacrarum litterarum Interpretes, quorum plures laudavi, abierunt in opinionem diverſam; ac revera ſi nudum textum ponderemus, nihil occurrat aliud præter unctionem olei, & ſanitatem ægrotantibus reſtitutam: cetera, quæ addita ſunt, veriſimilia ſint quidem, ſed non invictiſſima. Deinde præcitati Patres efficere ſoli nequeunt traditionem univerſalem: & nonnulli eorum poſſunt ulterius accipi de quadam inter utramque unctionem ſimilitudine, non de omnimoda æqualitate: id enim cohæret verbis Theophylacti, τὰ ὅμοια λέγει, *ſimilia dicit*; & alterius ſcribentis, καθάπερ φησί, *ſicut loquitur*. Rationes denique in poſtrema objectione propoſitæ eo firmiores videntur, quo ſunt obviæ ac planiſſimæ, nec dialecticæ indigent artificio. Recte ergo adverſus hæreticos tali argumentorum genere non pugnavi, quæ in Scholis in utramque partem tractantur; quamquam ex ipſo Scholarum diſſidio id percipitur utilitatis, quod etiamſi concedatur Marcum & Jacobum de eadem Unctione locutos, non inde tamen hæretici manifeſta illatione concluderent neutram fuiſſe ſacramentalem.

CAPUT III.

A quo, & quando ſacramentum Unctionis Extremæ ſit inſtitutum.

PRior hujus quæſtionis pars expedita fuit libro xxx. cap. 8. altera talis eſt generis, ut nec certo definiri poſſit, nec debeat prolixe agitari. Ut de utraque parte hoc in loco rurſus agamus; repetendum eſt quid de hujus ſacramenti Inſtitutione teneant hæretici, quid antiquiores quidam Scholaſtici, quid Theologorum Catholicorum pars maxima. Itaque hæretici ſicut hoc Sacramentum negant, ita illius inſtitutionem fictitiam putant, agnoſcentes tamen Apoſtolicam ungendi ægros conſuetudinem, quamdiu ſanationum gratia affulgebat. Catholicorum nonnulli hanc Inſtitutionem Apoſtolis adſcripſere, ſcilicet, Hugo Victorinus, Magiſter, Alexander Alenſis, S. Bonaventura: qui nullo modo hæreticis conſentiunt, ſed toto cælo ab illis diſcrepant, primum quia Extremam Unctionem tanquam verum novæ legis ſacramentum agnoſcunt; deinde quia inſtitutum ab Apoſtolis dicunt, non propria, ſed commiſſa ſibi a Domino poteſtate; præterea quia perpetua Eccleſiæ conſuetudine ſervatum, ſervandumque pronuntiant, idque ad ſubſidium corporis, ad allevationem animi, ad remiſſionem peccati. Alii Theologi hoc ſacramentum *immediate* a Chriſto inſtitutum aſſerunt; non ii tantum, propemodum infiniti, qui poſt Tridentinam Synodum floruere, verum & multi, qui hanc præceſſerunt: ſic enim docuit Petrus de Corboilo Pariſienſis, de quo ſupra, Albertus Magnus diſt. 23. art. 13. S. Thomas q. 29. Supplem. art. 3. Scotus in iv. diſt. 2. q. 1. Baconus diſt. 23. Martinus Pareſius de Divinis Tradit. 3. p. conſid. 6. noſter Argentinas diſt. 23. q. 1. art. 2. Thomas Waldenſis tom. 2. doctrinalis cap. 163. ac S. Joannes a Capiſtrano in libro de auctoritate Papæ tom. xiii. Tractatuum Juris. Altera quæſtionis pars ex his pendet; qui enim dixere hoc ſacramentum a Domino *immediate* inſtitutum, conſequenter exiſtimaverunt ante adſcenſionem Dominicam extitiſſe; & qui a Jacobo inſtitutum pronuntiarunt, ſi de propria *inſtitutione* locuti ſunt, id eveniſſe poſt aliquantulum temporis crediderunt.

PROPOSITIO: Sacramentum Extremæ Unctionis a Chriſto fuit inſtitutum, ac probabilius *immediate*, & priuſquam cælum conſcenderet.

Demonſtratum quippe eſt citato cap. 8. libri xxx. Apoſtolicis litteris, Ambroſii, Auguſtini, aliorumque Patrum auctoritate, necnon canone primo ſeſſ. vii. Tridentini Concilii, Chriſtum Dominum eſſe omnium ſacramentorum novæ legis Inſtitutorem & Auctorem. At cap. 1. hujus libri commonſtratum itidem eſt, Unctionem extremam eſſe Sacramentum novæ legis. Igitur extremæ Unctionis Chriſtus Dominus eſt Inſtitutor & Auctor. Rurſus alibi probatum eſt ſolum Deum inſtituiſſe Sacramenta veteris legis, quamvis eſſent elementa egena & infirma; quanto ergo magis inſtitui debebat a Deo Sacramentum habens efficacitatem effectus longe nobilioris? Dictum inſuper eodem cap. 8. quod tribuere vim gratiæ effectricem elemento ſenſibili, hominum, omniumque creaturarum excedit auctoritatem: Atqui extrema Unctio, cum verum ſit ſacramentum, efficacitate illa pollet: Nemo igitur, ſive hominum, ſive Angelorum, potuit hoc Sacramentum inſtituere, excepto Unigenito Filio Dei, cui omnis data eſt in cælo atque in terra poteſtas. Præterea, ut ex his cuilibet novæ Legis Sacramento communibus ad peculiares quaſdam rationes deſcendamus, ſi Chriſtum hoc Sacramentum non inſtitueret, quis ergo illud inſtituit? Jacobus, inquiunt. At principio Jacobus illud quidem promulgavit, & explicavit, ſed non proprio nomine. Deinde in ejus verbis nulla primæ inſtitutionis fit mentio. Tertio cetera omnia, quæ in illa Epiſtola continentur, non a ſe tradita, ſed vel a Domino accepta, vel in aliis ſcripturis expreſſa ſunt. Inſuper quomodo Jacobus inſtitutiones ſuas abſque Petri, aliorumque Apoſtolorum approbatione creditur perſcripſiſſe? Ad hæc ſi Jacobus hujus auctor eſt Sacramenti, proculdubio abſque Spiritus ſancti *inſpiratione* illud minime inſtituit. Porro hæc *inſpiratio* aut peculiaris fuit, aut ea, qua omnes Apoſtoli fuerunt afflati. Hanc utique inſpirationem ſoli Jacobo factam non conſtat: ſi ceteris communis fuit, non ipſe tantum, ſed omnes ſimul tantæ inſtitutioni dediſſent

Digitized by Google

diſſent operam. Tandem Tridentina Synodus quemadmodum ſeſs. VII. univerſim de omnibus Sacramentis, ita ſeſs. XIV. cap. 1. & canone 1. de Extrema Unctione definit, *eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum*.

Addidi *Immediate*; quoniam Inſtitutoris nomine venit ille, qui primus eſt *auctor*; & certiſſimum eſt factam Eccleſiæ a Domino poteſtatem immutandi quicquid pertinet ad ritus & ceremonias, ſed non quod ſpectat ad eſſentiam, vel numerum Sacramentorum. Qua ratione utuntur Becanus, Bellarminus, Gonet, Puteanus, Vaſqueſius, & Theologorum bene multi, ut probent ſaltem poſt Synodum Tridentinam non poſſe ſalva fide negari, quod Chriſtus *immediate* ſacramenta omnia inſtituerit. Atque de Extrema Unctione ſingillatim hoc repetunt Franciſcus Suarez tom. 4. in 3. p. diſput. 39. ſect. 2. Sylvius in q. 29. Suppl. art. 3. & alii. Id tamen ad fidem non pertinere docent alii Theologi præſtantiſſimi, quos laudavi tom. III. pag. 102. & idcirco illud quoque caute adjectum eſt, *Probabilius*. Verum in duabus primis propoſitionibus prælaudati cap. 8. ea, quæ modo in epitomen redacta ſunt, fuſiori diſputatione tractantur.

Pars propoſitionis ſecunda ſequitur ex dictis; cum enim Jacobus Apoſtolus non fuerit hujus Sacramenti inſtitutor, ſed promulgator, neceſſum eſt, ut inſtitutum dicatur a Domino adhuc in terris converſante. At petis, quonam præciſo tempore id evenit? Fateor me non habere aliquid certi, quod petenti reponam. Oſtendi ſupra, non carere probabilitate, quod hæc inſtitutio tacite apud Marcum *inſinuetur*. Si quis valida invenerit hujus opinionis momenta; poterit affirmare Unctionem extremam inſtitutam, quando primum Chriſtus Apoſtolis commiſit officium prædicationis. Quid autem faciat pro hac ſententia, quid militet contra, abunde præmiſſa diſſertatio ſuppeditat. Nec aliud addendum eſt modo, niſi eamdem ſententiam tanquam communem certiſſimamque tradi in Sacerdotali Romano pag. 107. Ven. edit. an. 1579. his verbis: *Quod Sacramentum Chriſtus inſtituit, quando Apoſtolos ad prædicandum miſſos docuit oleo ungere infirmos*, *Marci* 6. Cui ſententia hæc non arriſerit, videat quæ libro XXXI. cap. 3. ſcripſi de inſtitutione ſacramenti Confirmationis, pariterque hoc de quo agitur inſtitutum afferat intervallo quadraginta illorum dierum, quibus Domino cum diſcipulis commorante, *Magna*, ut inquit Leo Magnus, *ſunt revelata myſteria*. Caput illud tertium pervolutanti occurret quicquid pro hoc altera opinatione deſervit. Demum ſi huic adhærens definire velis tempus magis determinatum; affirmare poteris hoc Sacramentum inſtitutum fuiſſe ſimul cum Pœnitentia, Joan. 20. nam Extrema Unctio quoddam Pœnitentiæ complementum eſt, ac Patres, Origenes præſertim, Chryſoſtomus, & Beda, agentes de remiſſione peccatorum, recenſita Confeſſione, laudant ſimul Jacobi verba, & Unctionem ægrotantium, ut conſtat ex prop. 2. cap. 1. Legi poteſt pro ſententia hac ultima Fridericus Gavardi q. 1. art. 1. num. 10. aut Auctor librorum de Re Sacram. Volumine 2. pag. 208. num. 4.

Si modo heretici opponant, non poſſe certiſſima fide propugnari Sacramentum illud, de quo ipſi Catholici non conveniunt circa inſtitutionem ejuſque tempus; facile reſpondebimus, numquam a majoribus noſtris dubitatum de hujus ſacramenti veritate, ejuſque inſtitutione divina. Ante annum Chriſti milleſimum hæc *immediatæ*, *aut mediatæ inſtitutionis* vocabula non audiebantur. Ajebant Patres Extremam Unctionem eſſe Sacramentum, peccata dimittere, id colligi ex Catholica Jacobi Epiſtola, atque ad nos divina & Apoſtolica Traditione derivatum eſſe; & Amulo Lugdunenſis, vir celebris, cujus fit mentio in Capitularibus Caroli Calvi ad annum 846. & qui e vivis ſublatus dicitur an. 850. in Epiſtola ad Theodboldum ſcripſit de hoc Sacramento haberi *præceptum Evangelicum & Apoſtolicum*. Si Proteſtantes hæc fatentur; præſens controverſia nos inter, ac illos finita eſt. Quæ de *immediata*, aut *mediata* inſtitutione dicuntur, inter domeſticas velitationes continentur, ac ita ſe habent: Ex quo prævalere cœpit Theologia diſputatrix, fuerunt qui *promulgationem* cum *inſtitutione* confundentes, Apoſtolum qui ſacramentum hoc promulgavit, *inſtitutorem* dixere. Cumque premerentur contraria ratione, quæ demonſtrat inſtitutionem ſacramenti divinæ eſſe virtutis, coacti ſunt duplicem illam inſtitutionem diſtinguere. Quid ergo utilius, quid opportunius præſtare poterant Tridentini Patres, quam appellare Chriſtum *Inſtitutorem* ejuſdem ſacramenti, Jacobum vero *promulgatorem*, Scholarum vocabulis prætermiſſis? Id ergo fecerunt. Poſſumus interim affirmare illos, qui hanc inſtitutionem Jacobo adſcripſerunt, benigne intelligendos eſſe, ita, ut *inſtitutionem* dixerint ipſam *promulgationem*. Argentinas de Magiſtro, *Intelligendus eſt*, inquit, *executive*, *non auctoritative*: Albertus Magnus, *Loquitur de inſtitutione canonis*: S. Thomas, *Dicit ab Apoſtolis inſtitutum*, *quia per doctrinam Apoſtolorum nobis promulgata eſt ejus inſtitutio*. Horum loca laudavimus paullo ſupra. Vide quæ conſimili in re ſcripſimus hujus vol. pag. 22. Si vero aliquorum verba non patiantur hunc ſenſum; errarunt hi, atque a ceteris refelluntur. Temporis denique diverſa definitio ineptiſſime objicitur; nam & Baptiſmum, quem eſſe verum ſacramentum nemo fere negare audet, quidam dum Chriſtus adloquebatur Nicodemum, nonnulli quando baptizatus eſt in Jordane, alii poſtquam e ſepulcro ſurrexerat, affirmant fuiſſe inſtitutum. Quot inſuper de tempore nativitatis, & paſſionis Domini tricæ Chronologorum? Sed tædet me legentes obtundere de hac re ſæpius.

CAPUT IV.

An materia ſacramenti Extremæ Unctionis ſit oleum ab Epiſcopo benedictum.

Materiam hujus ſacramenti eſſe oleum peculiari benedictione ab Epiſcopo conſecratum conſentiunt Catholici omnes, ſolis hæreticis conſecrationem hanc tamquam *magicam ſuperſtitionem* damnantibus. An vero hæc olei benedictio neceſſaria ſit non ſolum ex Eccleſiæ inſtitutione ac præcepto, ſed etiam *neceſſitate ſacramenti*, diſcrepant ſententiæ Catholicorum. Non requiri neceſſitate ſacramenti affirmant recentiorum plures, Juenin q. 3. cap. 1. Natalis Alex. cap. 1. art. 2. Recens Thomiſta lib. VII. de Re Sacram. q. 2. cap. 1. ac teſte Ludovico Habert cap. 2. q. 4. hæc ſententia communis evaſit in celeberrima Academia Pariſienſi. At oppoſitum propugnant Soto in IV. diſt. 23. art. 1. q. 1. Bellarminus lib. de Extr. Unctione cap. VII. Sylvius in q. 29. Supplem. art. 6. Eſtius in diſt. 23. §. 9. & Card. Gotti q. 1. dub. 2. Quidam, ut Tournaly ac præcitatus Habert, utramque ſententiam approbant, neutramque definiunt. De ipſa inſuper benedictione controvertitur, num Apoſtolica Sedes diſpenſare poſſit, ut fiat a presbytero; num vero ita benedictio *Pontificalis* ſit de ſacramenti neceſſitate, ut nec Pontifex Maximus valeat hac in re diſpenſare: quorum primum tradunt Cajetanus in 3. p. q. 72. art. 3. Soto, Eſtius, Sylvius nuper laudati, ac Suarez diſput. 40. ſect. 1. Ex his tamen Eſtius & Soto caute loquuntur, eaque adhibita phraſi, *Non apparet*. Illi vero, qui negant benedictionem olei pertinere ad *eſſentiam* ſacramenti, multo magis negant benedictionem hujuſmodi non poſſe a Romano Pontifice demandari ſimplici ſacerdoti: quæ poſtrema ſententia ætate hac noſtra communis eſt, eique ſubſcribunt etiam Vanroy tom. ult. pag. 290. & Piette pag. 264. aliique noſtrates. Igitur nos quæremus primo de ipſa ſacramenti materia, ideſt, de oleo: deinde vero de hujus olei benedictione: tum an hæc benedictio a ſimplici presbytero fieri poſſit Apoſtolicæ Sedis auctoritate; ac tandem an eadem benedictio, ſive ab Epiſcopo, ſive a presbytero auctoritate prædito fiat, requiratur ad ſacramenti naturam atque conſtitutionem.

PROP. I. Oleum ex olivis expreſſum, & ab Epiſcopo conſecratum eſt hujus ſacramenti materia.

De benedictione paullo infra: nunc de oleo tantum diſſerens, ad theſim probandam profero primum verba Jacobi Apoſtoli, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ, *Ungentes eum oleo*, *&c.* Produco deinde Conciliorum definitiones; nam in Florentino Inſtruct. Arm. legimus, *Cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum*; atque in Tridentino ſeſs. XIV. cap. 1. *Quibus verbis*, ideſt Jacobi, *ut ex Apoſtolica traditione*, *per manus accepta*, *intellexit Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum*. Addo ulterius Patres capite primo laudatos: inter quos Innocentius I. ait ungi infirmos *ſancto oleo ab Epiſcopo confecto*, ac venerabilis Beda, *oleo conſecrato*. Accedit congruentia rationis: quum enim ſacramenta ſigna ſint, habeatque illorum materia cum ſpirituali effectu ſimilitudinem quandam; oleum, quod juxta S. Bernardum in Vita Myſtica cap. 43. eſt ſymbolum nominis Chriſti, *quo oleo uncti infirmi ſanantur*, apte admodum conſtitutum eſt materia illius ſacramenti, cujus efficacitas animi corporiſque ſanitatem producit. In oleo quoque ſignificari fomentum ſpei, & cordis allevamentum advertit S. Thomas q. 29. Suppl. art. 4. & Catechiſmus Romanus p. 2. cap. 6. num. 5. *Aptiſſime*, inquit, *hæc materia illud ſignificat*, *quod vi ſacramenti interius in anima efficitur*: quod accurate explicat propoſitis olei proprietatibus; quas tum citato in loco, tum in 1. Canticorum v. 2. tradiderat S. Bernardus. Oleum enim, quod *fovet ignem*, *nutrit carnem*, *lenit dolorem*; *lux*, *cibus*, *medicina*, (inquit Bernardus) mentis hilaritatem, cordis firmitudinem, ac ſpiritus & corporis ſanationem haud obſcura commonſtrat. Rupertus in Geneſim in columba, quæ Geneſ. VIII. 11. *ad veſperam* attulit ad arcam *ramum olivæ virentibus foliis*, præſignatam ait gratiam Spiritus ſancti, juſtos *circa finem vitæ ad cæleſtis Eccleſiæ pacem* invitantis. Pacem ac requiem illo oleæ ramnſculo figuratam ſcripſit quoque Marius Victor lib. 2. in Gen. ubi de Columba,

Rurſum dimiſſa reportat
Paciferæ frugis parvum libamen olivæ.

Oleum hoc infirmorum debere eſſe olivarum, conſtat quoniam iſtud revera eſt quod proprie *olei* nomine intelligitur; eſt enim *oleum* ab *olea*, ſicuti ἔλαιον ab ἐλαία, ut diximus hoc vol. pag. 15. Idem evincitur ex communi Eccleſiæ praxi, quæ ægros inungens nunquam aliud oleum adhibuit. Expreſſe etiam Eugenius IV. in Inſtructione Armeniorum *oleum olivæ* commemorat. Epiſcopus item feria V.

majoris hebdomadæ benedicens oleum infirmorum in Oratione, *Emitte quæſumus*, illud appellat *pinguedinem olivæ de viridi ligno productam*. Non debet autem infirmorum oleo balſamum, aut liquor alius admiſceri, ſive quia exeuntibus ſat eſt quod in ſimplici oleo deſignatur, ut eodem articulo IV. docet Angelicus; ſive potius quia nec Latinorum Pontificalia, nec Euchologia Græcorum, nec ſcripta aliqua Veterum, ubi agunt de hoc infirmorum oleo, mixtionem ullam commemorant. Nec infertur oppoſitum ex quo in prælaudata Pontificalis Romani Oratione appelletur etiam *Chriſmatis* nomine, & eodem oleo dicantur uncti *ſacerdotes*, *reges*, *ac martyres*. Diximus enim ſupra, *Chriſma* nomen eſſe genericum; ac præterea tum ſacerdotes, tum reges in Latina Eccleſia, non chriſmate balſami admixtione confecto, ſed *oleo Catechumenorum* conſecrantur: quamquam oleum illud, quod fertur e cœlo miſſum ad inungendum Clodovæum primum Francorum Regem, vero chriſmati fuerit conſimile: unde Guilelmus Brito loquens de Coronatione Philippi Auguſti lib. 1. Philippidos ait:

Quem ſacrata ſuis Remorum Metropolites
Cum Comprœſulibus habet illo chriſmate ſacro,
Hoc ad opus ſolum quod cœlica fundit olyva.

PROP. II. Perperam Calvinus olei hujus benedictionem cum mordacitate deridet.

Scribit idem hæreſiarcha in IV. Inſtit. cap. 19. *Jacobus dum ſimpliciter inungi infirmos jubet, non aliam unctionem mihi ſignificat, quam vulgaris olei: nec aliud habetur in Marci narratione. Iſti oleum non dignantur, niſi ab Epiſcopo conſecratum, hoc eſt, multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, & novies flexu ſalutatum.* Silentio prætereundum non eſt, in benedictione Olei infirmorum non adhiberi halitum ſacerdotum, neque ſalutationes, quæ fiunt chriſmati conſecrato, & oleo Catechumenorum; atque has ter ab Epiſcopo, ac ter a duodecim ſacerdotibus repeti, non autem *novies*; unde apparet Calvinum laborare ſumma rituum Eccleſiæ Romanæ ignorantia. Poſtquam autem Chriſmatis benedictionem, ejuſque ritum vindicavimus hujus vol. pag. 16. & 39. nonnulla addamus de benedictione Olei infirmorum, mendaciter a Calvino deſcripta, & ſacrilege turpiterque rejecta. Ac primo negari poſſet benedictionem olei non evinci ex verbis Jacobi; quum in illo textu, *Ungentes eum oleo in nomine Domini*; illud *in nomine Domini* poſſit referri ad actionem presbyteri ungentis, ut ſenſus ſit, ungendum eſſe infirmum nomine, vice, atque virtute Chriſti; & ulterius poſſit referri ad proximam dictionem *oleo*, ut ſenſus ſit, unctionem faciendam eſſe oleo conſecrato cum invocatione divini nominis. Si ita hæc verba explicavero, quemadmodum faciunt nonnulli interpretes; quomodo hæretici expoſitionem hanc refellere, & ſuperſtitionis damnare poterunt? Præterea non ætate noſtra hujuſmodi benedictio invecta eſt: ſed illam exhibent antiquiſſima Latinarum Eccleſiarum Pontificalia; Angticana, quæ annorum mille ſuperant vetuſtatem; Lyrinenſe ſupra an. 700. Remenſe, ac Senonenſe ſexcentorum ſaltem annorum, liber Sacramentorum Gregorii, Hugonis Menardi notis illuſtratus num. 1092. & Euchologium Græcorum editum a Goario, in quo habetur pag. 408. *Officium ſancti olei*. Benedictionem hujus Olei Ambroſianam laudat ex vetuſtiſſimo Codice Atrebatenſi altera p. Apologetici pag. 230. Lindanus. De benedictione, quam in Cœna Domini perficiebat S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus, agunt Berno Abbas Augienſis, & Gerardus presbyter in Vita S. Udalrici, apud Mabillonium ſæculo v. Benedict. pag. 444. Quid rogo, et deſignant, niſi benedictionem illam, Græci Latinique ſcriptores, dum ajunt ungendos ægros ἁγίῳ ἐλαίῳ, *ſancto oleo*, ἐλαίῳ θείῳ, *oleo divino*, ἐλαίῳ ἐπορκιστῷ, *oleo exorcizato*, *oleo per Epiſcopum confecto*, *oleo Pontificali benedictione conſecrato*, quæ vocabula paſſim occurrunt in Græcorum *Acoluthia*, in Myſtagogia 2. Cyrilli, in Epiſtola Innocentii ad Epiſcopum Eugubinum, in Bedæ Commentariis, atque in monumentis aliis ſuperius productis? Hæretici demum olei, aliarumque rerum benedictiones reprehendunt, quod ad Chriſti meritum obſcurandum ſint inſtitutæ. At ſolemniſſime & impudentiſſime mentiuntur, enim vero idem veritatis magiſter Chriſtus Jeſus docuit nos res profanas benedictione expiare, non in ſacro tantum ac religioſo, ſed & in quotidiano communique uſu; tametſi in hoc non ſit peculiaris benedictio adhibenda. Benedixit ille poſtreme in cœna panem, & calicem, atque hunc propterea vocat Apoſtolus prima ad Corinthios x. 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, *calicem benedictionis, quem benedicimus*: panem rurſus, quem diſcipulis in Emmaunte porrexit Lucæ 24. atque piſciculos, quos Marci VIII. turbæ diſcumbenti juſſit apponi. Fiunt inſuper ſanctificationes quælibet ſigno Crucis, ut efficacitatem illarum meritis Chriſti referamus acceptam. Verum hæc benedictionibus ſingulis communia ſunt.

PROP. III. Poteſt ſimplex ſacerdos Oleum infirmorum auctoritate Apoſtolica, non autem ordinario jure, in Latina Eccleſia ſolemni benedictione conſecrare.

Demonſtratur hæc propoſitio primum, quia clariſſimorum Theologorum teſtimonio, atque ex privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis quibuſdam Miſſionariis in Indiam profectis, evidens eſt factam aliquando presbyteris, Pontificatus apicem non habentibus conficiendi & conſecrandi *Chriſmatis* facultatem; prout dixi lib. XXXII. cap. 5. Multo ergo magis iiſdem presbyteris dari poteſt a Romano Pontifice poteſtas benedicendi oleum pro infirmis. *Dixi multo magis*; nam Chriſma conficere juxta Conciliorum Canones eodem cap. 5. laudatos eſt peculiare munus Epiſcopi, ita, ut ſi presbyter extraordinaria poteſtate conficiet, quemadmodum in more poſitum eſt apud Græcos Latinis Epiſcopis non ſubjectos, chriſma ab Epiſcopo teneatur accipere. Præterea Græcorum presbyteri oleum infirmorum benedicunt, prout teſtantur Joannes Nathanael in Epiſtola ad Epiſcopum Anagninum, Arcudius lib. v. Concordiæ cap. 2. Allatius lib. 3. Conſenſ. Occidentalis & Orient. Eccl. cap. 16. aliique permulti apud Martenium lib. 1. de Antiq. Eccl. Ritibus cap. 7. art. 3. num. 7. Item Julius Antonius Cardinalis in Epiſt. ad Epiſcopum Melanenſem de Græcis ſcripſit: *Juxta ſuum ritum presbyteri in actu exhibitionis hujus ſacramenti Oleum ipſi benedicunt; quare cum id ad eorum ritum pertineat, nihil modo innovandum videtur*: & Theodorus Cantuarienſis in Capitul. Mss. ibi a Martene citatis, *Secundum Græcos*, inquit, *presbytero licet virginem ſacro velamine conſecrare, & reconciliare pœnitentem, & facere oleum exorcizatum, & infirmis chriſma, ſi neceſſe ſit*. Neophytus quoque Rhodinus in *Synopſi*, quam ſacra Congregatio de Propaganda fide approbavit, typiſque edi mandavit an. 1633. pag. 84. ait ὕλη αὐτοῦ τοῦ μυστηρίου ἐστὶ τὸ ἔλαιον εὐλογημένον ὑπὸ τοῦ ἀρχιερέως, ἢ ὑπὸ τῶν ἱερέων ὅσοι εὑρεθῶσι παρόντες κατὰ τὸν τύπον τῆς ἐκκλησίας, *Materia ipſius ſacramenti eſt oleum benedictum a Pontifice; ſive a Sacerdotibus, qui præſentes fuerint, juxta morem Eccleſiæ*. Denique Clemens VIII. in Conſtitut. XXXIV. ſive Inſtructione ſuper aliquibus Græcorum Ritibus, edita anno 1595. *Non ſunt cogendi*, inquit, *presbyteri Græci olea ſancta præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum hujuſmodi olea ab iis in ipſa oleorum & ſacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur*: idemque anno 1742. confirmavit in Conſtit. *Etſi Paſtoralis* BENEDICTUS XIV. Id vero *jure ordinario* non competere Latinis presbyteris infertur ex conſuetudine, atque ex ſæpelaudata Innocentii Epiſtola, ubi legitur ungi ægrotos *oleo ab Epiſcopo confecto*, necnon ex Beda, atque ex Florentina ac Tridentina Synodis, de quibus prop. I.

PROP. IV. Certum non eſt valere ſacramentum Extremæ Unctionis oleo non conſecrato collatum.

Quamvis enim juniores Theologi communi fere conſenſu contrariam ſententiam adoptaverint, propterea quod nullo aut ex Scriptura, aut ex Traditione petito argumento invicte demonſtrari queat neceſſariam eſſe benedictionem olei, tanquam conditionem ſacramento *eſſentialem*, ea vero loca, quæ benedictionem ipſam commemorant, de inſtitutione, ac præcepto Eccleſiæ commode poſſint accipi; pugnant tamen ex adverſo graviſſimi, præſtantiſſimique Theologi; qui niſi ſuperant recentiorum auctoritatem ac multitudinem, his ſaltem debent comparari. Iiſdem adnumerandus videtur S. Thomas; qui in IV. diſt. 23. & q. 29. Supplem. art. 5. docet oleum infirmorum eſſe benedicendum, atque hanc inter oleum ipſum, & aquam baptiſmi differentiam eſſe, quod in aqua neceſſaria non eſt ſanctificatio, quam illi indidit Dominus ſuæ carnis contactu, neceſſaria eſt autem in oleo, quod ex Chriſti uſu efficacitatem non habet, ac præſtare debet effectus præſtantiſſimos, nativam vim, proprietatemque ſuam excedentes. De ſola quidem neceſſitate præcepti Thomas non loquitur, nam etiam de benedictione aquæ baptiſmalis habemus Eccleſiæ præceptum atque inſtitutum, antiqua traditione, & perpetua conſuetudine confirmatum. Videſis in præcitatum 5. articulum Franciſcum Sylvium. Unum addam, quod Divi Thomæ mentem facit, ut puto, manifeſtiſſimam. Quod in IV. & in Supplemento tradit de oleo infirmorum, idem prorſus, eademque producta ratione docet 3. p. quæſt. 72. art. 3. de Chriſmate, cui in quæſtionis corpore *oleum ſanctum infirmorum adjungit*. Hic vero apertiſſime S. Thomas pertractat de neceſſitate ſacramenti, non præcepti: quærit enim, *Utrum ſit de neceſſitate ſacramenti, quod Chriſma fuerit prius per Epiſcopum conſecratum?* Deinde Patres & Concilia, dum hujus ſacramenti materiam aſſignant, expreſſe *oleum conſecratum ab Epiſcopo* commemorant: neque it difficultatem diriment, qui reponunt Concilia, Patreſque materiæ eſſentiali etiam ritum benedictionis adjungere: cur enim hunc ritum non addunt ubi aliorum ſacramentorum, ac præſertim baptiſmi materiam tradunt? Hinc vero non infertur, ut Sylvius, Eſtius, Suarez, aliique contendunt, non fore ſacramento materiam aptam oleum a presbytero auctoritate Apoſtolica conſecratum: nam alia de conſecratione, alia de miniſtro conſecrationis eſt ratio; nec excedit Romani Pontificis auctoritatem complura Epiſcoporum munera ſimplici presbytero demandare, ut Pontificalem benedictionem impendere, eaque omnia perficere, quæ peculiarem non poſtulant characterem: at variare ſacramentorum materiam, id ſuperat etiam Pontificis poteſtatem. Dici etiam poteſt ſenſu aliquo conſecratum ab Epiſcopo, quod illius mandato a presbyteris conſecratur; unde Gonet diſput. 1. num. 24.

ait

nit eſſe quidem *eſſentiale* huic ſacramento quod oleum ſit benedictum ab Epiſcopo, *ſed ſufficere quod ſit ab illo benedictum mediate; idest, per ſacerdotem ex ipſius commiſſione*. Poſtremo, quod me aliquantulum movet, ſacramenta rite collata reperi nequeunt: quid ergo agendum erit, ſi presbyter incaute pro oleo infirmorum, aliud eadem benedictione non conſecratum, inungens ægrum adhibeat? In talibus nihil eſt iterandum, inquiunt adverſarii, *ſed caute ſupplendum quod inadvertenter prætermiſſum*, unctionem ſcilicet ſine forma, juxta decretum Innoc. III. cap. *Paſtoralis*, de ſacramentis non iterandis. Recte ii aſſerunt ſuppoſita ſententiæ ſuæ veritate; quamquam non recte proferant Innocentianum decretum, latum de ſacramentis Confirmationis & Ordinis, quæ imprimunt characterem. Attamen longe probabilius eſt ſacramentum hoc, abſque oleo ſacro, ſive propria benedictione conſecrato adminiſtratum, omnino de unctione, & forma repetita eſſe iterandum. In V. enim Mediolanenſi Synodo, an. 1579. ita ſtatuitur: *Parochus ſi per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum eſt, ad ægrotum ungendum adhibuerit; etiamſi Chriſmatis, aut Catechumenorum ſit, ut ſtatuit emendet, illo ſacri, quod proprium infirmorum eſt, videm adhibeat, & tunc ſacramenti formam iteret*. Vide tom. xv. Concil. pag. 590.

Cum itaque ex dictis appareat incertam eſſe ac valde dubiam opinionem recentiorum affirmantium benedictionem olei neceſſariam non eſſe ad ſacramenti validitatem; quam tamen opinionem, ut feci pertractans de benedictione Chriſmatis ſupra, pag. ... reprobare non audeo; cumque contraria aſſertio non deſtituatur auctoritate, & rationis præſidio: dico, graviter peccaturum, qui oleo non ſacro, & quidem infirmorum, conferret Unctionem extremam, quoniam in ſacramentis conferendis ſequeretur probabilem opinionem tutiore relicta, quod illicitum eſſe conſtat ex propoſitione I. ab Innoc. XI. proſcripta. Quare jure optimo tam in Pontificali, quam in Rituali Romano præcipitur, ut oleum infirmorum diſtincta in ampulla diligenter cuſtodiatur; & ſi intra annum deficiat, priuſquam abſumatur totum, ſeparetur quantitate communis olei ſuperinfuſa, ne unum oleum adhibeatur pro altero, & ne illud, quod conſecratum eſt, deſit: nam ſi oleum non conſecratum conſecrato admiſceatur, totum ea mixtione conſecrare liquet ex Reſcripto Innocentii III. ad Nidroſienſem Epiſcopum, cap. *Quod in dubiis*, de Conſecrat. Eccl. lib. III. Decretalium tit. xl. num. 3. Atque de Oleo Infirmorum hactenus.

CAPUT V.

De ægrotantium unctione, ſeu proxima hujus ſacramenti materia.

SAcro Oleo factam unctionem appellant Scholæ materiam ſacramenti hujus proximam: de qua, ut quod ſentio, libere proferam, non videntur mihi ſcholaſtici, qui de illa tractarunt, accurate ſcripſiſſe: nonnulli enim veterum vix quæſtionem eam attigerunt, an totum ægri corpus, an aliquæ tantum partes debeant ungi; quidam vero tantum alteram, num omnes quinque ſenſuum unctiones ſint de neceſſitate ſacramenti: recentiores autem hoc unum addunt, non unam ſemper viguiſſe in corporeis partibus ungendis praxim ac diſciplinam. At plura ſunt alia, quæ inquiri & explanari merentur; etſi prolixam non poſtulent tractationem: eaque ad theſes octo breviter revocabo; quarum prima recenſet diverſam unctionum praxim; altera exponet unctionum, quas Romana Eccleſia præſcribit, congruitatem; aget proxima de ungendis feminis ægrotantibus; pertractabit quarta de unctione ſacerdotis infirmi; conſequens erit de unctione partis, quæ afficitur acerbiori dolore: verſabitur ſexta circa unctionum neceſſitatem: penultima inveſtigabit, an plures unctiones plura ſacramenta conſtituant; poſtrema tandem, num unctio intincto ſacerdotis pollice ſit peragenda.

THESIS I.

Diverſa circa partes corporis inungendas obtinuit tranſactis ſæculis diſciplina. Probatur hæc theſis ex diverſis Ritualibus, & ſacramentorum Ordinibus ab Edmundo Martene, a Joanne Launojo, & ab Hugone Menardo productis: ex quibus apparet, præter unctionem, ut perficitur modo in Eccleſia Romana, quæ inungere ſolet *oculos*, *aures*, *nares*, *os*, *manus*, *pedes*, *ac renes*, unxiſſe nonnullos *collum* quoque, *guttur & ſcapulas*, juxta Codicem ſacramentorum S. Eligii, Tillianum, Remenſem, vetuſtiſſimum Ms. Turonenſis Eccleſiæ, & perantiquum Siculum apud Morinum in Append. de Pœnitentia. Eaſdem fere unctiones, etiam *inter*, aut, *ſuper ſcapulas* præſcribunt Ritualia nonnulla typis edita, ut Cameracenſe an. 1629. & Viennenſe an. 1500, emendatum tamen in editione altera an. 1567. Ad hæc Rituales quidam libri commemorant unctiones *verticis*, *frontis*, *genarum*, *temporum*, *ac pectoris*, ut perantiquum Ms. Eccleſiæ Cameracenſis, & quantum ad verticem capitis frontemque ſpectat, vetus quoque Pontificale ſervatum apud Dominicanos Pariſienſes. Ritualia item complura, de quibus proxima theſi 3. continent unctionem *umbilici*, præſertim in feminis. Ulterius ungendam illam *corporis partem*, quæ afficitur vividiori doloris ſenſu, docent veteres duo Codices paulloante laudati, Tillianus, ac Turonenſis, necnon permulti alii, præcipue ante Eugenii IV. ejuſque pro Armenis inſtructione editi, vel conſcripti. Perantiquus quidam ſacramentorum liber, Gregorio inſcriptus apud Launojum tom. 1. pag. 574. commemorat unicam duntaxat *unctionem capitis*. Apud Græcos item non una viguit ungendi ratio; nam Simeon Theſſalonicenſis in libro de ſeptem Sacramentis aſſerit liniri ſacro infirmorum oleo *frontem*, *faciem*, ac *manus*: at Petrus Arcudius teſtatur communiori Græcorum conſuetudine perungi *frontem*, *mentum*, *genas ambas*, *pectus*, *manus*, *poſtremo pedes*. Vide eumdem Arcudium lib. v. Concordiæ cap. 7. Copti demum, ut refert ex Bernardo Sollerius in Appendice ad Patriarchas Alexandrinos n. 220. nonniſi ægroti *frontem* ſacro Oleo ſolent imbuere.

THESIS II.

Recte Romana Eccleſia ſeptem commemoratas unctiones præſcribit. Enimvero eædem omnino unctiones, fatente etiam Launojo, præſcribuntur in perantiquo Romano Pontificali; ac ceteri fere omnes rituales libri jubent, ut quinque ſenſuum organa perungantur: *ſcapularum* autem unctionem perpauci commendant, ac nonnulli, ut diximus de Rituali Viennenſi, hac in parte emendati fuerunt. Romano deinde per omnia conſentiunt Ritualia Eccleſiæ Lingonenſis, Cabilonenſis, Rothomagenſis, Lemovicenſis, Mediolanenſis, aliaque innumera. Præterea unctiones quinque ſenſuum congruentiſſime fieri docet S. Thomas q. 32. Suppl. art. 6. quoniam ſunt illi, uti *principia agendi*, ita etiam *principia peccandi*: nam, ut ait in Harmartigenia Aurelius Prudentius,

Omnia luxus habet noſtræ vegetamina vitæ
Senſibus in quinque ſtatuens, quæ condidit Auctor:
Auribus atque oculis, tum naribus, atque palato
Quæritur infectus vitioſis artibus uſus.

Poſtremo Eugenius IV. in Inſtructione Armenorum, *Hoc ſacramentum*, inquit, *niſi infirmo, de cujus ſalute timetur; dari non debet: qui ungendus eſt in oculis propter viſum; in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*. Similia Catechiſmus Romanus de hoc Sacramento, num. 10.

THESIS III.

Jure, meritoque omittitur in feminis unctio renum. Hæc enim unctio in Ritualibus bene multis deſideratur; & juxta doctrinam S. Thomæ citato ar. 6. nequaquam neceſſaria eſt; propterea quod, etſi in renibus potiſſimum turpis delectatio, prior tamen hujus, & cujuſque noxii motus origo eſt a ſenſibus. Conſulendum eſt inſuper, maxime in ſacramentis conferendis, honeſtati, verecundiæ, ac pudori. Ob eamdem cauſam dicimus feminas ungendas non eſſe *in umbilico*, ſeu media abdominis regione. De unctione hac facienda feminis pertractant quidem Ritualia plurima. Bajanenſe anni 1611. Abrincenſe an. 1539. Conſtantienſe an. 1694. Claromontenſe an. 1518. & Burdigalenſe an. 1561. ſed advertendum eſt non reperiri hujuſmodi unctionem in libris Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, neque in Inſtructione Eugenii IV. nec in majori antiquiorum codicum numero. Permultæ etiam Eccleſiæ unctionem hanc ex Ritualibus expunxerunt, prout conſtat ex altera editione Ritualis Conſtantienſis an. 1609. & Pariſienſis an. 1601. & 1646. ceteriſque poſterioris ætatis. In umbilico denique non invenitur radix noxiæ delectationis, ſed ligamentum inteſtinorum; ac videtur hujus unctionis conſuetudo nata ex allegorica explicatione verborum Jobi xl. 11. *Virtus illius in umbilico*: quæ verba Magnus Gregorius lib. xxxii. Moralium interpretatur de mulierum cupidine, & *de coitus feminarum*, tom. 1. pag. 1058. etſi libido, ubicunque vigeat, ſenſuum illecebris excitetur.

THESIS IV.

Quod Rituale Romanum advertendum præcipit, ut ſacerdotibus manus inungantur exterius, id etiam jure optimo ſtatutum eſt. Ac primo id ſervatum fuiſſe antiquioribus quoque temporibus, conſtat ex vetuſtiſſimo Codice S. Remigii, de quo Launojus pag. 574. Præterea hanc praxim in Latinorum Eccleſiis eſſe communiorem demonſtrant Ritualia typis edita, Carnotenſe an. 1489. Remenſe 1504. Ambianenſe 1541. Meldenſe 1546. Lingonenſe 1573. Lugdunenſe 1653. &c. Rurſus ad ſacrum presbyteratus ordinem promoti in manuum vola conſecrato Oleo ab Epiſcopis ſunt delibuti; ideoque congruum non eſt, ut ibidem a ſimplici ſacerdote inungantur, prout habetur in quodam Ms. vetuſtoque carmine Anonymi typis edito a Martene

tom.

Digitized by Google

tom. 2. de Antiquis Eccl. Rit. pag. 115. Quo in carmine hac de ægroto Unctione Extrema imbuendo:

Hunc non in capite, ſi confirmatus, inungas:
In confirmatis non frons, ſed tempora debent
Ungi, Pontifices ungunt quia Chriſmate frontem.
Hinc oculos, aures, nares, loca poſt labiorum,
Pectus, utraſque manus ungas, poſtremo pedeſque.
Non ungas ſcapulas, quia myſterio caruerunt.
Presbyteri palmas non intus, ſed foris ungas:
Dicunt Doctores, quod eas non ungere fas ſit,
Quas unxit Præſul, dum presbyterum faciebat.

Cur autem neceſſaria non ſit unctio pectoris in hoc carmine recenſita, infertur ex dictis, quoniam licet ex corde, quod pectore includitur, exeant *cogitationes malæ*, ut inquit Matth. xv. 19. *cogitatio tamen a corde non exit, niſi per aliquam imaginationem, quæ eſt motus a ſenſu factus*. Ita S. Thomas quæſt. 32. Suppl. art. 6. ad 1.

THESIS V.

Neceſſaria non eſt unctio illius partis corporis, in qua æger vehementiori dolore excruciatur. Hæc enim unctio, etſi in Tilliano codice, & in quibuſdam aliis Mſs. commemoretur, non reperitur in antiquo Pontificali Romano, in Ritualibus plurimis, & in Inſtructione Armenorum. Græci eamdem unctionem non adhibent; & in nulla fere Eccleſia poſt Florentinum Concilium obtinuit. Inſuper probabile eſt unctionem hanc, quemadmodum & quaſdam alias, extra organa ſenſuum, & renes factas, non fuiſſe *ſacramentales*, ſed ad leniendam tantum acerbitatem doloris: non enim membra ſingula corporis ſunt principium humanarum actionum; ac percipere nequeo, peruntum ulim fuiſſe E. G. brachium, genu, tergum, ut delerentur peccata harum partium ſenſu patrata; cum hæ tantummodo tangendi facultate ſint præditæ: & quamquam tactu quælibet membra ſcalpurigine pruriant, unde poſt verſus ſecunda theſi laudatos, hi in Hamartigenia conſequuntur,

Ipſe etiam toto pollet qui corpore tactus,
Palpamen tenerum blandis ex fotibus ambit;

attamen quidquid per tactum delinquimus, in formula in unctione manuum prolata ſufficienter exprimitur. Convenientiſſimum denique eſt omnino unctionem hanc in ſacramenti adminiſtratione abjicere, tum ob perantiquam Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, tum ad execrationem hæreſis autumantis unctionem infirmorum inſtitutam pro deliniendis, demulcendiſque ſolius corporis cruciamentis. Atque hinc refellitur Launojus ſcribens pag. 581. difficillimum eſſe, cur talis unctio deſierit, cauſam reddere.

THESIS VI.

Quamvis ſeptem unctiones in Rituali Romano præſcriptæ prætermitti non debeant; ad ſacramenti tamen ſubſtantiam poteſt unctura una ſufficere. Sunt quidem inter Theologos multi, qui ſaltem unctiones quinque ſenſuum omnino neceſſarias exiſtimant, pro qua ſententia laudari ſolent S. Thomas, S. Bonaventura, Joannes Major, Durandus, aliique in diſt. 23. Hi tamen explicari recte poſſunt *de neceſſitate præcepti*; nam S. Thomas de neceſſitate ſacramenti pertractans addidit particulam *Quaſi*, demonſtrans nullatenus unctiones quinque ſenſuum eſſe omittendas, cum ſint ſigna remiſſionis peccatorum, quæ ſenſuum officiis patrari ſolent, omneſque ſacramenti rationem habeant ſi omnes ac ſingulæ diviſim fiant. An vero, ſi unctio unica adhibeatur, ſacramenti eſſentia perſiſtat, id antiquiores illi ſcholaſtici non inquirunt. Sufficere autem unicam ad ſacramentum conſtituendum tenent Hadrianus, Sylvius, Natalis Alexander, Merbeſius, Tournelius, Juenin, Habertus, omneſque recentiores, quibus ſubſcribunt ex noſtratibus Poncius, Gavardi, Girken, Vantuy, Piette: in quorum ſententiam me quoque argumenta hæc pertrahunt. Principio neque ex Scriptura, neque ex traditione certus unctionum numerus erui poteſt. Jacobus enim ægrotos ungendos ait, ubi ungendi ſint non pronuntiat: ac diſciplina, ut diximus theſi prima, plurimum variat, ac interdum unctionem unam capitis memorat, interdum alias plures, quæ in deſuetudinem abierunt. Ex illis quoque ſeptem, quæ nunc ſervantur, unctio cum renum, tum pedum, ſalva ſacramenti ſubſtantia, poteſt omitti. Præterea etiamſi antiquior conſuetudo unctionem quinque ſenſuum præſcriberet; dici poſſet id ad ſolam diſciplinam, ritumque mutabilem pertinere, haud ſecus, ac in baptiſmate trina, vel una ablutio. Unctionem deinde quinque ſenſuum non eſſe de ſacramenti neceſſitate commonſtrant rationes aliæ complures. Prima eſt, quod vetus Orientalis Eccleſia, & recentior conſuetudo Græcorum, a quibus confici ſacramentum nemo jure negabit, non inungit oculos, *in amore duces*, ut quidam appellat, ſive, ut in Confeſſionibus ſuis Auguſtinus, *principes ad fallendum in ſenſibus*. Præterea neceſſum non eſt, ut repetitis unctionibus, formuliſque verborum exprimantur hujus ſacramenti effectus ſinguli; nec videtur quinque ſenſuum unctioni reſpondere vetus illa forma, *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates*; quam formulam refert, & Ambroſianam appellat S. Bonaventura in iv. diſt. 23. art. 1. q. 4. Inſuper quamquam foret id exprimendum; quid prohibet, ne impellente neceſſitate, cum unica unctione facta aut pectori, ubi fertur vigere cujuſque motus principium, aut fronti præcipuæ capitis parti, animique ſedi ac functionibus proximæ, hæc formula proferatur, *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per quinque ſenſus tuos, & cogitationes?* Ad hæc unctionem unam, atque hanc ipſam formulam in extremo periculo adhiberi mandat Paſtorale Bartholomæi ab Aula anno 1573. e Theologis Lovanienſibus approbato: quam approbationem cum quidam in dubium verteret, Franciſcus Sylvius voluit eam diligenter inveſtigare, & certiſſimam adinvenit, non tantum ex innumeris ſcriptorum teſtimoniis, verum etiam ex authenticis manuſcriptis. Vide eumdem Sylvium in Supplem. quæſt. xxxii. art. 6. q. 2. Idem omnino ſtatuit an. 1589. Paſtorale Mechlinienſe a ſacra pariter facultate Lovanienſi probatum; atque huic conſentiunt Manualia Cameracenſis, & Atrebatenſis Eccleſiæ eo loci ab ipſo Sylvio producta. Octavius etiam Fregipanius in Provinciis Germaniæ & Belgii Nuntius Apoſtolicus in Directorio Eccleſiaſticæ diſciplinæ hæc conſcripſit: *Etſi ordinarie inungenda ſunt ſingula ſingulorum ſenſuum loca, nec unquam, niſi graviſſima neceſſitas cogat, aliter faciendum ſit; conſtabit tamen ſacra unctionis ſacramentum, & in inungendo contagioſo morbo, aut peſte laborante, ad evitandum contagionis periculum, ſufficerit, ſi inungatur ſenſus organum ad unctionem magis expoſitum & detectum, dicendo: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum.* Similia Joannes Molanus Tract. iv. Theol. Pract. Becanus de ſacram. in ſpecie cap. 27. q. 7. Nicolaus Serarius Tract. de Extrema Unct. cap. 7. Maldonatus quæſt. 5. præter recentiores, quorum nonnullos paullo ſupra laudavimus.

Neque enim urgent argumenta quædam contraria: quorum primum peti ſolet ex auctoritate S. Thomæ ſcribentis q. 32. Supplem. *Illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus, quaſi de neceſſitate ſacramenti*: alterum depromitur ex Florentino Concilio ipſas unctiones præſcribente: ac tertium ex congruentiis ſecunda theſi productis. Etenim quod attinet ad ſanctum Thomam, recte ille, ut præmonui, appoſuit particulam *Quaſi*. Idem ulterius docet proximo articulo, eaſdem unctiones faciendas etiam iis, quibus oculi effoſſi ſunt, abſciſſæ manus, & nares, ſive aures truncatæ; quoniam etſi mutilati horum ſenſuum facultate ſint deſtituti; *habent tamen potentias animæ, quæ membris iiſdem deberentur*; & idcirco inungendas iis eſſe partes propinquiores, aut abſciſſorum ſenſuum loculamenta. Atqui hoc idem maximam quidem congruitatem, ſed non neceſſitatem *eſſentialem* evincit; ſiquidem, ut Serarius inquit, *ſi ſenſuum organa, ut ſacramenti vis perficiatur, neceſſario ungenda eſſent, vicaria iſta unctio nulla foret*. At Florentinum Concilium recenſitis hujus ſacramenti forma ac materia, quæ duæ pertinent ad ſacramenti ſubſtantiam, enumerat etiam partes juxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ inungendas; atque has inter *pedes* etiam, ac *renes* quod oſtendit unctionis multiplicitatem, ac ritum non ſpectare *ad eſſentiam*; id enim de renum, & pedum unctione fatentur omnes. Quare, licet conſuetudo ipſa omnino ſervari debeat, & jure, meritoque emendati fuerint Rituales libri eamdem perſpicue non tradentes, propterea quod nemini fas eſt Eccleſiaſticas ceremonias pervertere, vetuſtamque diſciplinam abjicere, niſi aliud ſtatuant ſupremi Eccleſiæ Paſtores; non omnia tamen in iiſdem libris conſcripta eamdem habent inſtitutionem, eamdemque neceſſitatem. Momenta denique ſecundæ theſis nonniſi congruentiam comprehendunt; quoniam neceſſum non eſt, omnem ſacramenti effectum deſignari applicatione materiæ: atque, etiamſi hoc neceſſum foret, poſſet fieri unica pectoris, aut frontis unctione, cum ampliori, & ſuperius expreſſa forma verborum.

THESIS VII.

Permultæ unctiones referuntur ad unum ſacramentum conſtituendum. Quamvis enim quælibet unctio peculiarem habeat formam, & effectum quoque ſuum producat, puta remiſſionem culpæ oculorum miniſterio patratæ (quidquid ſit de opinione illorum, qui poſtremæ tantum unctioni gratiæ productionem attribuunt;) nihilominus referuntur unctiones ſingulæ ad eamdem animæ ſanationem, unamque ſpiritualem medicinam efficiunt: veluti una diceretur curatio vulnerum, unumque medicamentum, ſi quis in pluribus corporis partibus ſauciatus eodem unguento in ſingulis liniretur. Addunt Theologi rationem alteram, nempe, quod unctiones omnes ſunt quædam *partiales materiæ* unam integram conſtituentes, atque ex formis item cuilibet unctioni applicatis conſurgit *forma una totalis*. Ad hunc autem modum loquitur num. 4. Catechiſmus Romanus: *Unum vero eſt* Extremæ Unctionis ſacramen-

mentum *non partium continuatione, quæ dividi non poſſunt, ſed perfectione: cujuſmodi ſunt cetera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant. Nam quemadmodum domus, ex multis & diverſis partibus compoſita eſt, una tantum forma perficitur: ita hoc ſacramentum, etſi ex pluribus rebus & verbis conſtituitur; unum tamen ſignum eſt, & unius rei, quam ſignificat, habet efficientiam.* Quibus verbis, quoniam ſatis perſpicua ſunt, plura ſubjicere non eſt opus.

THESIS VIII.

Ut unctio fiat intincto ſacerdotis pollice, recte præcipitur: verum neque ritum iſtum petit ſacramenti neceſſitas. Faciendam inunctionem *pollice ſacerdotis* mandant veteres Rituales libri, Sacerdotale Romanum, conſuetudo Latinarum Eccleſiarum, Sacramentale Ambroſianum, Manuale Saliſburgenſe, atque hujuſcemodi codices bene multi. Suadet hoc idem ſacro oleo debita veneratio; propter quam etiam Epiſcopus *intincto pollice*, detractiſque chirothecis conſecrat oleo catechumenorum presbyteros, delinitque eadem ratione chriſmate confirmandos, necnon Electi caput, altaris angulos, ſuperficiem patenæ, & quæcunque myſtica unctione ſacrantur. Dominus itidem digito ſuo tetigit auriculas ſurdi, & linguam muti, Marci VII. 33. necnon cæci a nativitate linivit oculos, Joan. 12. 6. haud obſcure contactum manuum conſecratarum commendans. Ipſomet *digito* virtutem Dei, ac Spiritum ſanctum liber Exodi VIII. 19. Evangelium Lucæ XI. 20. aliaque ſacrarum litterarum loca deſignant. Igitur & myſticum ſymbolum, & Domini exemplum, & communis ſacrorum Oleochriſmatum uſus, & Rituum Eccleſiaſticorum diſciplina demonſtrant ſacramentalem unctionem recte fieri *pollice* ſacerdotis. Id tamen non pertinere ad ſacramenti eſſentiam inde colligo, quod in Unctione extrema ſacrum oleum, non manuum extenſio, rationem habet materiæ, ideoque ſive pollice, ſive virgula, ſive ratione alia peragatur ejuſdem olei linimen; materia non deeſt, & ſacramentum accedente forma perficitur. Deinde Manuale Cameracenſe pag. 87. ait unctionem, de qua ſermo eſt, fieri poſſe, *intincta virgula in oleum ſacrum*: ac Paſtorale Romanum Joannis Hanchini Archiepiſcopi Mechlinienſis pag. 88. *Sacerdos*, inquit, *peragat unctiones, & pollicem, vel virgulam intingat, &c.* In ungendis denique ægrotis contagioſo ac peſtilenti morbo laborantibus, Manuale Saliſburgenſe pag. 323. monet adhibendam eſſe *ſpatulam mundam*, poſtmodum concremandam. Ac de materia hujus ſacramenti proxima dictum ſatis.

CAPUT VI.

De ſacramenti Extremæ Unctionis forma diſſeritur.

Poſteaquam de materia cum remota, tum proxima hujus ſacramenti pertractatum eſt, ratio & diſſertationis ordo poſtulat, ut de forma, ideſt, de verbis, quibus perficitur, agere inſtituamus. In qua re diſſident plurimum, & invicem diſcrepant placita ſcholaſticorum Theologorum. Magnus enim Aquinas quæſt. 29. Supplem. art. 8. ſcribit in Extrema Unctione non poſſe eſſe formam *indicativi modi*: quod diſcipulorum ejus complures apud Gonet diſput. 1. §. 3. ita acceperunt, ut oratio, ſeu formula conſtans verbis deprecatoriis omnino ſit de ſacramenti ſubſtantia. Eadem eſt ſententia S. Bonaventuræ in IV. diſt. 23. art. 1. q. 3. Scotiſtarum, ac noſtratium apud Fridericum Gavardi art. 3. quæſtionis primæ, & Piette quæſt. 4. qui hac in re deſcivit a Leonardo Vanroy, exiſtimante volum. V. pag. 291. Extremæ Unctionis formam fuiſſe aliquando indicativam. Hæc ſententia, quæ præcedenti e diametro opponitur, aſſertores habet viros præſtantiſſimos, Joannem Morinum lib. VIII. de Pœnit. cap. 16. num. 13. Launojum de ſacra Unct. cap. 2. & 3. Menardum in Sacramentale Gregorii adnot. 912. Martenem lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 7. ar. 3. n. 9. qui tres viri docti, & antiquiorum Codicum inſpectores accuratiſſimi mirantur in quorumdam ſcholaſticorum mentem veniſſe, quod forma verbis indicativi modi concepta ad ſacramentum, de quo agimus, conficiendum inepta ſit prorſus, atque inſufficiens. Manualia autem, & Rituales libros pervolutantes tantam inde copiam formularum abſoluti & indicativi modi produxerunt, ut facile in ſententiam ſuam traxerint Theologos poſteriores, prout apparet ex Commentariis Gaſparis Joenin diſſer. 7. q. 4. Honorati Tournely q. 2. art. 2. & Le-Droint lib. VII. de Re Sacrament. q. 3. Nonnulli etiam ex antiquioribus formam abſolute prolatam ſufficientem eſſe dixerunt, ut Albertus Magnus Paludanus & Richardus in IV. diſt. 23. necnon Eſtius in eamdem diſt. §. 10. Becanus de Sacramentis cap. 27. q. 4. Navarrus in Summa cap. 22. & alii. Mentem autem noſtram propoſitionibus proximis explicabimus.

PROP. I. In Extremæ Unctionis ſacramento aliqua verborum formula eſt adhibenda.

Etſi enim Maldonatus tom. 2. de ſacram. pag. 211. ſentit neceſſum non eſſe, ut forma omnium ſacramentorum verbis conſtet, quia *formæ* rationem habet quicquid exprimit ſignificationem materiæ; tamen & ipſe *formam* hujus ſacramenti agnoſcit, in oratione presbyteri inungentis ægrotum conſtituendam. Atque hæc propoſitio ad fidem ſpectat, quum Florentinum Concilium in Inſtruct. Armen. ac Tridentinum ſeſſ. 14. in doctrina de hoc ſacr. cap. 1. *formam* ipſam deſignent, prout dicam infra. Eſt ergo perutilis hæc theſis ad hæreticos refutandos; qui inter ceteras ludificationes, ineptiaſque, quibus hoc ſacramentum oppugnant, una eſt, quod de adhibita verborum forma a Latinis præſcripta nullum habeatur veſtigium in Evangelica Hiſtoria. Facile autem iidem hæretici refelluntur. Primum quippe in Canonica Jacobi Epiſtola, quam nos traditione majorum edocti recipimus tanquam divinitus inſpiratam, illis verbis, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*, innuitur ea *forma*, de qua loquimur, ut docet citato in loco Synodus Tridentina. Vide quæ diximus cap. 1. in probatione prop. 2. & in reſponſ. ad 5. oppoſitionem. Deinde Patres univerſi, quorum pleroſque ibidem prop. 2. laudavimus, non unctionem tantummodo ægrotantium, verum & orationem inungentium presbyterorum commendant; ideoque non ſunt infirmi muta ceremonia, & abſque prolatione verborum ſacrato oleo deliniendi. Præterea Euchologia Græcorum, Latinorumque Pontificales libri quamplurimi ægrotos ungendi ritum perantiquum deſcribunt, ſemper cum certa precum verborumque pronunciatione. Hanc demum comprobat, confirmatque uſus univerſalis Eccleſiæ; quæ cum ubique locorum ſacramentum iſtud rebus, verbiſque miniſtret, idque faciat conſuetudine, non introducta ætate aut noſtra, aut patrum, avorumque noſtrorum, ſed ab ejuſdem Eccleſiæ inſtitutione atque origine; dicendum eſt, id non eſſe inanem ceremoniam, humanumque figmentum, ſed ſacroſanctum myſterium traditione Apoſtolica, divino mandato, & perpetua, firma, inviolabili lege cuſtodiendum. Sed hæc modo in compendium redacta, in præcitato capite primo fuſe, lateque dicuntur.

PROP. II. Theologorum ſententia, quæ tenet *formam* hujus ſacramenti olim fuiſſe expreſſam verbis indicativi modi, & conſequenter etiamnum *formam abſolutam*, ſi adhiberetur, validam futuram fore, nulla cenſoria nota perſtringi debet, ac magna probabilitate defenditur.

Ac primum, ut dixi, propugnant ſententiam illam plures e ſchola Theologi tam ſuperioris ætatis, quam hujus noſtræ, illamque inconcuſſam exiſtimarunt viri in veterum Ritualium lectione exercitatiſſimi: quorum unus, ideſt, Edmundus Martene miratur potuiſſe oppoſitam ſententiam, quæ unice probat *formam deprecatoriam*, tanto plauſu excipi in ſectis diſputantium Theologorum; & Launojus ſcriptor liberioris ingenii, & linguæ aliquando procacis volum. 1. pag. 537. natam dixit ex ignorantia traditionis, quæ in decurſu præteritorum ſeculorum comparet. Menardus præterea cit. adnot. 912. profert Theſes quaſdam an. 1635. propugnatas in Univerſitate Pariſienſi, & *formam* indicativi modi non improbantes. Rurſus Albertus Magnus, & S. Bonaventura in diſt. 23. libri quarti deſcribunt hanc *formam* tunc temporis in Eccleſia Ambroſiana obtinentem: *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates.* Præterea *indicativam formam* exhibent Ritualia vetuſtiora: ex Mſs. illud, quod lib. V. Concordiæ cap. 5. laudatur ab Arcudio, Halitgarii, qui floruit circa annum Domini 820. Corbejenſe exaratum juſſu Ratoldi Abbatis, qui e vita deceſſit circa annum Domini 986. & antiquiſſimus liber Sacramentorum Vaticanæ Bibliothecæ, in quo laudatus Menardus inquit formulam hanc reperiri: *Inungo te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in regem, & prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti.* Mſs. alia permulta, in quibus legitur conſimilis formula, collegit, exſcripſitque Joannes Launojus. Ex editis vero, & in lucem emiſſis eamdem *formam* exhibet liber Sacramentorum Gregorii tom. 3. pag. 235. editionis poſtremæ, Manuale Corbejenſe editum an. 1642. Viennenſe 1500. Sueſſionenſe 1530. Metenſe 1542. Virdunenſe 1554. Atrebatenſe 1563. Lugdunenſe 1658. &c. in quibus hæ, aut conſimiles formulæ leguntur: *Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur: Ungo aures tuas ſacrati olei liquore, ut quidquid peccaſti nocivo auditu, medicina ſpiritualis evacuet. Ungo nares, ut quidquid noxie contractum eſt odorato, iſta emaculet medicatio. Ungo labia tua ſacro olei medicamine, &c.* vel ſine diſtincta enumeratione inungendarum partium, *Inungo te de oleo ſancto, ut non lateat in te ſpiritus immundus.* Habet *formam indicativam* etiam Sacramentale Venetum, quod approbatum dicitur a Romano Pontifice Leone X. eademque forma hæc eſt: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus aereas catervas.* Præterea Joannes Eckius hom. 54. de ſacramentis ait abſque ulla ambiguitate exiſtimandum eſſe, quod forma indicative qualis eſt præcitata, & appellata a S. Bonaventura, & a Paludano *Ambroſiana*, ſufficiat revera ad ſacramentum perficiendum; quanquam in nonnullis Eccleſiis utraque forma, indicativi modi, & conſtans deprecatione prudenter & circumſpecte ſoleat conjungi.

Addam

Addam tandem argumentationes duas ſatis obvias: quarum una eſt inter *formam* abſolutam atque deprecantem intereſſe diſcrimen tantum accidentale; conſtat autem ex cap. 12. libri triceſimi nequaquam ſacramentum reddi nullum & irritum accidentaria tantum variatione verborum. Petitur ratio altera ex comparatione baptiſmi, qui etſi forma indicativi modi conficitur, magnorum tamen Theologorum ſententia valeret collatus etiam forma precantibus verbis compacta, qualis ob linguæ ignorationem a multis creditur forma Græcorum; quod item diximus cap. 8. triceſimi primi libri. Si autem pro forma indicativi modi poſſet auctoritate Eccleſiæ uſurpari forma modi optativi; quare obſecro pro ea, quæ optativi modi eſt, ſubſtitui non poſſet forma indicativi, maxime cum tot Rituales libri, tot pervetuſta Mſſ. tantarum demum Eccleſiarum priſtina conſuetudo hanc præſcribant & præferant?

PROP. III. Videtur tamen congruentior forma per modum deprecationis prolata, cujuſmodi eſt illa, quam in præſentia ſervant Latinorum Eccleſiæ.

Forma, de qua agimus, hæc eſt: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, &c.* ut præcedenti cap. num. 6. quam congruentiſſimam eſſe primum evincitur ex Epiſt. Jacobi cap. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:* quo in loco & unctio & oratio exprimitur: quorum unum materiæ, alterum formæ rationem habet; unde Tridentina Synodus cap. 1. ſeſſ. xiv. hoc loco producto, *Quibus verbis*, inquit, *ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, &c.* II. Eamdem formam ipſum Concilium Tridentinum approbat, atque communi Eccleſiæ ſenſu definit, immediate ſubjiciens: *Intellexit enim Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, nam unctio aptiſſime Spiritus ſancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat: Formam deinde eſſe illa verba, Per iſtam unctionem, &c.* Similia in Inſtructione Armenorum antea tradiderat Florentinum Concilium: atque poſt Tridentinum eadem docuit Catechiſmus juſſu ejuſdem Concilii editum, p. 2. cap. 6. num. 7. ubi etiam traditur ratio, cur hæc forma precationis modo contineatur. III. Eamdem probat uſus Latinæ Eccleſiæ, ut conſtat ex Rituali Romano, in quo non ritus, & forma recenter inſtituta proponitur, ſed ea, quam Eccleſia Romana majorum inſtituta cuſtodiens jam longe antea ſervabat. Eamdem exhibet, ipſo Launojo fatente, pervetuſtus liber Pontificalis Laudunenſis Eccleſiæ, Sacerdotale Romanum, hodierna Ritualia fere omnia, *Ambroſianum quoque pag. 189. &c. IV. Accedunt Euchologia Græcorum, quæ præter invocationem plurium ſanctorum, quam certum eſt ad formæ ſubſtantiam non pertinere, immo deeſſe in Codicibus vetuſtioribus, formam ipſam ita deſcribunt: *Πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ τῶν ψυχῶν, καὶ τῶν σωμάτων, ἴασαι τὸν δοῦλόν σου τόνδε ἐκ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σωματικῆς, καὶ ψυχικῆς ἀσθενείας, Pater ſancte, medice animarum, & corporum, ſana ſervum tuum hunc ab illa, quæ ipſum detinet, corporis, & animi infirmitate.* Videſis lib. v. Concordiæ p. 393. Petrum Arcudium. V. Theologi omnes, qui pugnant pro validitate formæ modi indicativi, fatentur optimam quoque illam eſſe, quæ precatione concipitur: e contra plurimi duce Thoma hanc unice probant, & prioris formæ valorem aut negant, aut ſaltem in dubium revocant. Eſt ergo propoſitio iſta communis, præcedens vero poſita in controverſia. Quis autem, ubi agitur de forma & de materia ſacramentorum, communes, probatiſſimaſque ſententias incertis dubiiſque non præferat? VI. Majoris congruentiæ, quam adſtruimus, affert Theologicas rationes Doctor Angelicus; primam quidem, quoniam ægroti Unctionem extremam ſuſcipientes viribus deſtituti ſunt, ac interdum morbi acerbitate correpti exercere nequeunt actus illos Chriſtianorum virtutum, qui fieri & repeti ſolent ad uberiorem ſacramentorum fructum percipiendum: quam ob rem in hoc ſacramento, dum oleo liniuntur infirmi, juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ, recitantur ab adſtantibus flexis genibus Litaniæ, ac Pſalmi, qui dicuntur *Pœnitentiales*. Inſtituta eſt igitur hujus ſacramenti forma ad modum precum, propterea quod ſacro oleo inungendus eſt vi precum adjuvandus atque erigendus. Rationem alteram tradit S. Thomas, quia ſcilicet ægrotantium plurimi de hac mortali vita ad ſempiternam tranſituri ſunt, ideoque Numini, ad cujus tribunal ſiſti debent, precibus commendantur. Subjicit & rationem tertiam, propterea quod presbyteri ægros inungentes apprecantur illis effectus, quorum aliquis, ideſt, ſanitas corporis, aliquando non expedit ut conferatur, ideoque peti debet, quemadmodum bona omnia temporalia, humili deprecatione. Hæc S. Thomas, quæ Conſtantius Pulcharellus Soc. Jeſu Ecloga 7. lib. 2. ita eleganter expreſſit:

Hinc petit extremum auxilium jam proxima fata
Progenies, ægros artus hoc unguine tergens.
Hoc miſeris unum ſummo in diſcrimine rerum
Præſidium dubiæ menti, feſſiſque levamen
Viribus; hoc certum pacati Numinis omen;
Hoc ſubit auſpicio vitæ melioris origo.

VII. Illud ſemper opportunum magis, congruentiſſimumque debet exiſtimari, quod ab Eccleſia Catholica in uſum recipitur: cumque, ut ſæpe monuimus, nemini liceat illius ritus pervertere; id præſertim in hoc ſacramento religioſiſſime ſervandum eſt, in quo hæretici homines nos arroganter, ac temere ſuperſtitioſæ ceremoniæ redarguunt. Quare Tridentini Patres præter canonem 13. ſeſſionis VII. quo provide ſtatuerunt neque contemni, neque pro libito omitti, neque per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem in alios mutari poſſe ritus ab Eccleſia Catholica receptos & approbatos, atque in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, ediderunt canonem hunc peculiarem, tertium de Extrema Unctione ſeſſ. xiv. *Si quis dixerit Extremæ Unctionis ritum, & uſum, quem obſervat Sancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ beati Jacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque a Chriſtianis abſque peccato contemni; anathema ſit.*

CAPUT VII.

Quo ſolvuntur facillimæ quædam circa propoſitam Formam *quæſtiunculæ.*

AT enim poteſt alicujus rudi ingenio ſubire mentem hæc parvi momenti quæſtio, num argumentis poſtremæ propoſitionis evincatur, Tridentinum Concilium, ubi ait Eccleſiam ex Jacobi Apoſtoli verbis intellexiſſe, formam Extremæ Unctionis eſſe illam, *Per iſtam ſanctam unctionem, &c.* omnino rejeciſſe formam indicativi modi, de qua in propoſitione ſecunda. Reſpondeo autem id mihi perſuaſum eſſe nullum a Tridentinis Patribus præjudicium fuiſſe illarum ſententiæ formam illam probanti. Primo quoniam, ut ſæpe diximus, ad controverſias fidei ſtabiliendas, non ad dirimendas Scholarum opiniones Œcumenica illa Synodus coacta fuit. Tum quia libri auctorum pro illa forma pugnantium, complurium ſaltem, ut Martenii, Menardi, aliorumque, inoffenſo pede, & maxima utilitate leguntur. Rurſus quoniam dum Concilia aliquam determinatam formam commendant, minime definiunt non potuiſſe eamdem formam nunc enunciative, nunc autem optative proferri. Ad hæc quoniam Concilia, ac præſertim Florentinum, commemorant formam ſingulorum ſacramentorum, nec tamen intelligendum eſt reprobare illas, quibus ſacramenta perficiuntur in Orientalium Eccleſiis, etſi a Latinis diſcrepent in modo, & ſyntaxi orationis, dummodo conveniant in ſubſtantiali ſignificatione verborum; ut conſtat ex iis, quæ diximus alibi de forma baptiſmi, & confirmationis, ac nuper de forma hujus ſacramenti, in quibus Latini, Græcique ſervant formulam aliquatenus permutatam, accidentali tamen, non eſſentiali variatione. Dicam verbo: permutatis ritibus, precibus, eademque ſacramentali forma de modo indicativo in optativum tranſeunte, inviolata permanſit doctrina fidei, ſacramentorum veritas, atque formæ ſubſtantia; ſed nunquam nobis fas eſt diſcedere a doctrina, a ritu, a forma, quam S. Romana Eccleſia tenet ac probat: idque tum in his, cum in aliis omnibus dubitationibus eſſe debet tam judicii, quam operis dirigendi præſcriptum & norma.

II.

Inquiret præterea aliquis, num productionem ſacramentalis effectus æque exprimant forma deprecans, & forma abſoluta. Cui pariter interrogationi reſpondens dico formam ſacramentalem effectum producere non vi grammaticalis enunciationis, ſed propter Dominicam inſtitutionem, ac ſuperna virtute operante. Tam ergo una, quam altera forma effectum ſignificet, ſi utraque ab illa, quam Chriſtus inſtituit, ac tradiderunt Apoſtoli, non ſit ſubſtantialiter diverſa. Dico inſuper, ſi cum forma deprecante inſpiciatur ſignificatio materiæ proximæ, qualis eſt in hoc ſacramento unctio ſacri olei, & ægri delinitio, deſignari quoque collationem gratiæ, & productionem effectus, unctionem ſcilicet Spiritus ſancti animum lenientis, & abſtergentis peccatorum reliquias. Ac tandem affirmo per formam indicativi modi, *Ungo te, &c.* ſignificari actionem myſticam atque externam, cujus efficacitate producitur ſalutaris effectus: per formam vero modi optativi, *Per iſtam ſanctam &c.* commonſtratur ſalutarem effectum attendi quidem a Deo gratiarum omnium auctore, ſed per ſacram unctionem, & per ſignum ſenſibile quod ex Chriſti inſtitutione perficitur; non autem per ſolam orationem, aut efficaci unctionis ſymbolo non adhibito, & conſequenter in una & altera forma eumdem ſenſum deprehendi, niſi velimus nugari verbis, & plus æquo Grammaticorum verboſitate garrire.

III.

Sed oritur quæſtio tertia, cum in forma Græcorum nullatenus exprimatur unctionis actus, neque indicativo modo, neque optativo, an vitioſa & fallax dicenda ſit, prout quidam ſcripſerunt apud Arcudium pag. 394. an autem ſit revera ſufficiens? Reſpondeo a me abſque ulla hæſitatione ſufficientem exiſtimari, propterea quod licet nonnulli Theolo-

gi ſcri-

gi ſcripſerint neceſſum eſſe ut in formatum ſacramentalium verbis actus exprimatur; id tamen non eſt aſſerendum de omnibus ſacramentis: ſed attendi debet Chriſti inſtitutio & voluntas, nobis aut in novi Teſtamenti libris, aut in Traditione Apoſtolica, aut in Eccleſiæ Catholicæ definitionibus manifeſtata. Id vero præmonui Volum. III. pag. 272. demonſtrans ad ſubſtantiam formæ ſacramenti Baptiſmatis requiri utique verbum *Baptizo*, aut *Baptizatur*, non autem ob illam quorumdam Scholaſticorum ratiocinationem, probabilem quidem, ſed non invictam. Videntur præterea Scholaſtici illi ignoraſſe formulas, quibus Græci utuntur, tum in ſacramento Unctionis extremæ, de qua præcedenti capite, tum in ſacramento Confirmationis, de qua pertractavi lib. XXXII. cap. 6. demonſtrans ſufficientem eſſe formulam illam, *Signaculum Spiritus ſancti*: quoniam etſi non exprimat miniſtri confirmantis actionem, non hinc tamen, ſed a Chriſti voluntate pendet valor ſacramentorum. Accedit Latinam Eccleſiam nunquam hanc Græcorum formam damnaſſe; ac ſanctiſſimum doctiſſimumque Pontificem BENEDICTUM XIV. quantum ad Extremam Unctionem pertinet, hoc unum Græcis mandare, ut idem ſacerdos, qui ungit, formam reſpondentem pronunciet, nequaquam correcta forma in Euchologiis deſcripta: de qua re legi poteſt §. V. conſtitutionis, *Etſi Paſtoralis*, editæ an. 1742. Tandem Græci quamquam unctionis actum non exprimant in formæ pronunciatione, illum tamen expreſſe innuunt in *Troparis* ſacræ unctioni præmiſſis: in quibus Deum orantes inquiunt: *ita fac, ut nos quoque miniſtri ſimus novi Teſtamenti tui ſuper oleum iſtud*, ὅπω ποίησον καὶ ἡμᾶς γενέσθαι διακόνους τῆς καινῆς σου διαθήκης ἐπὶ τὸ ἔλαιον τοῦτο, & rurſus precantur, ut ægrotis conferatur corporis animique ſalus, *Unctione olei, & ſacerdotum*, Χρίσει τοῦ ἐλαίου, καὶ ἱερέων: ideoque nec deeſt in ritu a Græcis ſervato actionis ſacramentalis expreſſio, ſiquis velit hanc pertinere ad ſacramenti ſubſtantiam; quod nequaquam exiſtimo.

IV.

Quæri ulterius poteſt, num differentia, quæ videtur intercedere inter formam indicativi modi, & modi optativi, poſſis omnino componi, ita, ut diſſidia Scholaſticorum circa ſufficientiam prioris formæ, ſive neceſſitatem alterius tollantur, atque evaneſcant? Ad hæc reſpondeo Theologos quoſdam cum Petro Ledeſma hanc conciliaturæ rationem excogitaſſe, aſſerendo formam illam, *Ungo te oleo ſanctificato*, *&c.* non ad ſacramenti conſtitutionem pertinere, ſed eſſe præfatiunculam quamdam, atque, ut barbare inquit ille, præambulum. At refutatur quod ait Ledeſma ab Hugone Menardo duplici ex capite; primo, quoniam antiqui Scholaſtici illam indicativi modi formam recenſentes, & nonnulli quoque validam exiſtimantes non adeo ſtupidi erant, ut præcedentibus verbis adtribuerent ſubſtantialis formæ rationem: deinde vero, quoniam ſicut inepte dicitur verba iſta, *Ego te baptizo*, eſſe id, quod præmittitur ad ſacramentalem formam baptiſmi; ita improprie, & admodum inſcienter aſſeritur hæc verba, *Ungo te*, antecedere formam ſacramenti Unctionis extremæ, non eam conſtituere. Adde a Scholaſticis illis ita formam indicativi modi deſcriptam, probatamque fuiſſe, ut illi minime affirmaverint alteram addendam eſſe continuatam deprecatione, ſive modi optativi. Inirem ego potius hanc concordiæ rationem, ut in eadem forma *Ungo te*, *&c.* quam neſcio, quo jure Ambroſiana dicatur, aliquid inveniatur abſolutæ orationis, aliquid vero deprecatoriæ: quorum unum commonſtret materiam proximam ſacramenti, ideſt unctionem; alterum indigitet ſacramenti ſpiritualem effectum, ideſt, remiſſionem peccatorum & robur adverſus aereas poteſtates, ac ſerpentem antiquum, calcaneo, & extremæ vitæ hominum inſidiantem. Igitur hæc verba, *Ungo te*, indicativi ſunt modi, & reſpondent aliis, *Per iſtam ſanctam unctionem*: Reliqua, *ut more militis*, *&c.* ſive, *Ut quicquid deliquiſti*, *&c.* continent deprecationem haud ſecus, ac verba illa, *Indulgeat tibi Deus*, *&c.* Huic ſane conciliationi non repugnant Thomiſtæ: nam Joannes Baptiſta Gonet prælaudato §. 3. ad 1. Angelici Doctoris ſententiam propugnans contendit etiam formam illam, *Ungo te*, *&c.* eſſe deprecatoriam, propterea quod in illis verbis, *ut more militis*, *&c.* facile intelligitur deprecatio, quaſi idem ſit, ac diceretur, ut Dei ope, atque adjutorio ſuffultus valeas, &c. Eadem ferme ſcribit in fine cap. 3. Tract. de Extrema Unctione Ludovicus Habert Doctor Pariſienſis.

V.

Tandem quæri poteſt, cur forma hujus ſacramenti dicatur in Catholica Jacobi Epiſtola *Oratio fidei*; nam quæſtio, quæ hic proponi ulterius poſſet de formæ repetitione in unctionibus ſingulis, ſoluta eſt cap. V. theſi 6. Reſpondeo primum hanc formam appellari orationem fidei, quoniam a fide profecta eſt, & fidei ſubnititur, ſi non miniſtri, quod ad effectum ſacramenti neceſſarium non eſt, ſaltem Eccleſiæ, cujus ille perſonam gerit, & cujus fides nunquam deficiet: atque hoc idem reſpondet Eſtius eruditiſſimo Commentario in Jacobi Epiſtolam. Videquæ ſcripſi cap. 1.

prop. 1. ad 5. hoc eodem in libro. Hac autem ratione conſtat formam quoque indicativi modi poſſe appellari *orationem fidei*, quemadmodum & forma baptiſmi *verbum fidei* dicitur ab Auguſtino. Formæ autem, quæ verbis precantibus conſtat, aliis quoque nominibus competit, ut dicatur oratio fidei, nimirum, quia deprecatio teſtimonium fidei eſt; non enim Deum invocant, qui in illum non crediderunt, ut inquit Apoſtolus ad Romanos X. 14. ac rurſus, quoniam fides orationis comes eſt individua, prout ſcribit Jacobus in eadem Epiſtola Catholica cap. 1. 6. Tres alias rationes addo: unam quidem, quia Unctio extrema infirmos allevat, & erigit, ut agonem pugnamque poſtremam imperterriti ſubeant, eſt autem per fidem victoria noſtra, atque ex fide robur, animique levamen, quo morituri ad hanc luctam excitantur, & confirmantur: alteram, quoniam pro ſolis fidelibus inſtituta fuerunt ſacramenta omnia, Baptiſmate excepto, cujus virtute regeneramur, & Eccleſiæ inſerimur; unde & effectum producunt fide percipiendum, ideſt, qui ſuperexcedit ſenſibilium rerum naturalem virtutem; extrema autem Unctio aliquando confert etiam corporis ſanitatem, quam fide tenendum eſt non produci nativa facultate olei, ſed efficacitate myſterii: poſtremam denique, quoniam ſacramentum iſtud rite collatum, ut docet ſeſſ. XIV. cap. 2. Synodus Tridentina, magnam in ægrotis excitat divinæ miſericordiæ fiduciam, qua credunt ſibi e vita migraturis Deum, patrem miſericordiarum propitium fore. Recte itaque verborum formula, qua ſacramentum extremæ Unctionis conficitur, appellatur *Oratio fidei*.

CAPUT VIII.

In quo de Miniſtro Unctionis Extremæ diſſertatio inſtituitur.

Acturi de hujus ſacramenti miniſtro præmittimus varias eſſe quæſtiones, quæ poſſunt hoc in loco moveri & agitari, ſingulas autem non admodum difficiles, atque uno capite expediendas. Nam quum ex Epiſtola Jacobi manifeſtum ſit fideles infirmitate gravatos a presbyteris eſſe inungendos; principio oritur quæſtio, veniant ne hoc loco *presbyterorum* nomine ſacerdotio initiati, aut quod heterodoxi contendunt, majores natu, & qui fidei primogenitura ceteros antecellunt. Deinde vero, quoniam Jacobus Apoſtolus *presbyteros* tantum commemorat; quæri poteſt num horum nomine veniant etiam Epiſcopi, quod olim ab Innocentio I. Romano Pontifice quæſivit Decentius Eugubinus Epiſcopus. Rurſus aliquando diaconis permiſſum, aliquando autem denegatum illis fuiſſe, ut urgente neceſſitate ſacramentum iſtud adminiſtrarent, ſcribit tom. 1. pag. 569. Joannes Launojus; atque id etiam in quæſtionem cadere poteſt. Quia vero Jacobus Apoſtolus *presbyteros* numero multitudinis commemoravit, inquiri poteſt, an ad infirmum ungendum plures presbyteri neceſſario advocandi ſint, an ſufficiat duntaxat unus; quidve Jacobi Epiſtolæ, traditioni, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ magis ſit conſonum. Scribente demum Martenio lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 7. art. 1. aliquando contigiſſe, ut unus presbyterorum ægros inungeret, alter vero ſacramenti formam proferret, id quoque in quæſtionem venit, an ritus iſte probari poſſit, & qualis ſit ceteris præferendus. His ergo quæſtionibus quinque expeditis, arbitror nullam de miniſtro hujus ſacramenti ſupereſſe difficultatem.

PROP. I. Miniſtri ſacramenti Extremæ Unctionis non ſunt ſeniores ætate, ſed ſacerdotes.

Hæc propoſitio ſpectat ad fidem, prout conſtat ex cap. 3. ſeſſ. XIV. Tridentini Concilii, atque ex canone 4. ejuſdem ſeſſionis, qui eſt hujuſmodi: *Si quis dixerit presbyteros Eccleſiæ, quos beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem; anathema ſit*. Itaque hanc propoſitionem demonſtro primum ex Jacobi Apoſtoli verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ*, *&c.* Hoc enim in loco *presbyterorum* nomine ſacerdotes intelliguntur: id, quod ſequentibus momentis demonſtro: Primum ubicunque agitur de Eccleſiæ miniſteriis, nomen presbyterorum pro ſacerdotio initiatis accipitur, Act. XIV. 22. XV. 2. ad Tim. prima V. 17. 19. ad Tit. 1. 14. Prima Petri V. 1. & initio 2. & 3. Joannis. Deinde Jacobus non ait *Presbyteros* tantum, ſed τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, *Presbyteros Eccleſiæ*, aperte ſignificans loqui ſe de ſacerdotibus, qui regunt Eccleſiam, non de ſenioribus, qui præſunt communitati: idque Grotius Acatholicus Comment. in Epiſt. Jacobi fatetur aperte ſignificari Verſione Syriaca. Rurſus idem Jacobus advocandos *presbyteros* docet, ut orent ſuper infirmum, ut illum ungant *in nomine Domini*, ut per illorum miniſterium tribuatur animi levamentum, & peccatorum remiſſio: ad quæ omnia impertinens omnino eſt ſenilis ætas. Idem confirmatur traditione Patrum: omnis quippe ætas accepit prælaudata Jacobi verba de ſacerdotibus, ut apparet ex prop. 2. cap. 1. Accedit perpetuus uſus Eccleſiæ; nullibi enim invenimus ab aliis, quam a Sacerdotibus hoc ſacramentum fuiſſe collatum; nec alios, quam ſacerdotes, hujus ſacramenti miniſtros eſſe

com-

ecmmonſtrant Rituales omnes libri, ſive Occidentalis, ſive Orientalis Eccleſiæ. Nec deſunt rationes Theologicæ: quarum unam producit S. Thomas quæſt. 31. Supplem. art. 1. ex quo nullius ſacramenti adminiſtratio competat laico, ſolo baptiſmo excepto, cujus collatio in caſu neceſſitatis laico permittitur ex divina diſpenſatione, *ut nulli regenerationis ſpiritualis facultas deſit*. Rationem alteram affert Eſtius in iv. diſt. 23. §. 11. quoniam etiam ætate juvenes interdum præficiuntur Eccleſiæ, ut Timotheus conſtitutus fuit ab Apoſtolo, ideoque abſurdum eſt ad ſeniores ætate hoc myſticæ unctionis miniſterium remittere. Tertiam rationem communiter aſſignant Theologi, quoniam ſacramentum Extremæ Unctionis, ut inquit ſeſs. xiv. cap. 1. Synodus Tridentina, *eſt Pœnitentiæ conſummativum*: ad ſacerdotes ergo, qui ſacramenti Pœnitentiæ miniſtri ſunt, proprie ſpectat etiam Extremam Unctionem conferre.

Nil habent aliud, quod huic poſitioni objiciant heterodoxi, niſi *Presbyteri* nomen ſignificare provectiorem ætatem: Innocentium in Epiſtola ad Decentium ſcribere, quod ſancto oleo ab Epiſcopo confecto *non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo*: Venerabilem Bedam in cap. 5. Catholicæ Epiſtolæ monere infirmos, *Ut ſeniorum adjutorio curari ſe meminerint, neque ad juniores minuſque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis deferant*: extare demum exempla, ex quibus apparet non presbyteros tantum, verum etiam ſanctos Ægyptiacæ ſolitudinis incolas oleum ad ægrotos miſiſſe, ut illo recuperandæ ſalutis cauſa ſeſe inungerent; immo aliquas probatæ virtutis feminas, ut de S. Genoveſa narratur, ægrotos olei unctione curaſſe.

Sed hæc nullo negotio diſcutiuntur. Ad primum enim reſpondemus nomen *presbyteri*, quamquam juxta grammaticalem etymologiam idem ſonet, ac *ſenior ætate*, accipi tamen in ſacris litteris ad deſignandos præſertim illos, qui ſacra munera exercent, prout oſtendimus paullo ſupra, ac data opera explicabimus libro proximo cap. viii. & xi. pertractantes de ſacro Ordine Presbyterorum, iſtorumque ab Epiſcopis diſcrepantia. Ac præterea ſi ambiguum foret, qua ſignificatione in Epiſtola beati Jacobi nomen *presbyterorum* eſſet accipiendum; non deberet amphibologia, & anceps poteſtas vocabuli diſpelli arbitraria interpretatione aut Lutheri, aut Calvini, aut Aetii, aut alterius Novatoris cujuslibet, ſed explicatione ſanctæ matris Eccleſiæ, Apoſtolicis inſtitutis, & Paſtorum ſuorum, conciliorumque definitionibus ſubnixæ. Quod ad Innocentium attinet, Dominicus Soto in iv. diſt. 23. art. 1. aliique permulti cenſent producta verba explicanda eſſe non de unctione *ſacramentali*, ſed de alia ad corporis ſanitatem recuperandam adhibita pio animi affectu; ut proculdubio dicendum eſt de unctione ſanctæ Genoveſæ, & Monachorum Ægypti, cum S. Thoma quæſt. xxxi. Supplem. art. 1. ad 2. Atque hanc reſponſionem refutare non audet ipſemet Launojus in fine pag. 573. Poteſt, ac forte melius reſponderi, participium illud *inungendo*, non activa ſignificatione uſurpatum fuiſſe, ſed paſſiva, ita, ut ſenſus ſit, non ſacerdotes tantum, verum etiam fideles omnes ſacra unctione deliniendos eſſe quum infirmantur. Et quoniam præcipitatus Launojus eo loci reſponſionem hanc nititur oppugnare, infeliciter tamen, & ineptiſſime, nec aliam rationem afferens, niſi quia licet Jacobus *Presbyterorum* dumtaxat meminerit, reipſa tamen ceteros Eccleſiæ homines non excludit e ſacramenti miniſterio, quemadmodum Matth. cap. ultimo Chriſtus ſolos alloquitur diſcipulos, cum ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* idcirco eamdem reſponſionem, priori non repudiata, breviſſime vindicabo. Ac primo non ſolum reſponſio illa probatur, ceteriſque præfertur in lib. de hoc ſacramento c. 9. ab Em. Bellarmino, quem Launojus, ubicunque ei offertur occaſio minima, pungit, & vellicat; nec ſolum a Janſenio Gandavenſi Epiſcopo in caput ſextum Marci; verum etiam a Theologis præſtantiſſimis, Eſtio in iv. diſt. 23. §. 12. Sylvio in q. xxxi. Supplem. art. 1. & a recentioribus bene multis. Deinde Innocentius ibidem docet non tantum *a presbyteris*, ſed *ab Epiſcopis* etiam hoc ſacramentum poſſe conferri, cum ambigi nequeat, quin Epiſcopis liceat, quod presbyteris commiſſum eſt. At videtur imperceptibile, potuiſſe Decentium dubitare, an fas eſſet Epiſcopo exercere miniſterium illud, quod promiſcue ab omnibus, etiam laicis, adimpleretur: & Innocentium, ſi crediſſet etiam laicos eſſe ſacramenti hujus miniſtros, reſponſionem illam daturum fuiſſe, licere Epiſcopis quod licet presbyteris; & non potius hanc alteram expeditiſſimam, dum agitur de inungendis ægrotis, hoc omnibus ſinguliſque competere, Epiſcopis, presbyteris, laicis. Præterea Innocentius participium *ungendo* abſolute poſuit: habet autem in hac syntaxi ut plurimum paſſivam ſignificationem, veluti ſi diceres cum Poeta Ecloga viii.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,

aut Georgic. iii.

Carpit enim vires paullatim, uritque videndo
Femina.

Ægrotus inſuper non e ſeipſo inungitur, ſed ab alio: ideoque ea verba, *In ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo*, paſſive accipi debent, & non active. Habet denique hæc reſponſio majorem probabilitatem, quam habeat præcedens; quoniam unctio, quæ interdum extra ſacramentum pia devotione peragitur, non fit oleo infirmorum ab Epiſcopo ſolemni ceremonia confecto: de quo oleo proculdubio loquitur Innocentius. Vera eſt ergo Janſenii, & Bellarmini reſponſio, aut ſaltem a Launojo perperam laceſſitur. Quod vero idem Launojus opponit ex comparatione baptiſmi, ſolutum a nobis eſt Volumine iii. pag. 281. Ergo veniamus ad Bedam: qui, ut diximus ſupra pag. 174. cenſet in cap. v. epiſtolæ Jacobi agi non ſolum de Unctione Extrema, ſed etiam de ſacramento Pœnitentiæ, propter verba illa, quæ ſubſequuntur, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*: ac præterea non tantum litterali ſenſu exponit præcedentia, *Infirmatur quis in vobis, &c.* de corporum ægritudine, ſed inſuper de languoribus animi; ſive, ut ejus utar verbis, *de infirmante vel corpore, vel fide*. Rectiſſime itaque monet, ne ad juniores, minuſque doctos referantur cauſæ imbecillitatis, quoniam prudentiorum conſilio uti debemus, tum in diſcutiendis ignorantiæ tenebris, tum conſcientiæ morbis curandis: at paulo poſt verba, quæ objiciuntur, ait, *Et orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum. Hoc & Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur a presbyteris, & oratione comitante ſanentur*: quæ peculiariter de hoc ſacramento dicuntur. Ad exempla autem Monachorum Ægypti, & ſanctæ Genoveſæ dictum paullo ſupra, & fuſius cap. 1. prop. 1. ad 4.

At Launojus inquit, Thomam Waldenſem lib. x. de ſacramentis cap. 163. memorata verba Bedæ ſic accepiſſe, ut ubi non eſt ſacerdos, quilibet Chriſtianus poſſit eſſe Extremæ Unctionis miniſter, haud ſecus ac *in extrema neceſſitatis articulo liceat Chriſtianæ vetulæ baptizare*. Nec juvat, ait Launojus, cum Soto, aut Bellarmino reſpondere Waldenſem præter opinionem omnium ſentire, & a cunctis refelli: quoniam ſecundum illum Waldenſis librum legerunt, probaruntque ex commiſſione Martini V. Cardinalis S. Petri ad Vincula, & Bernardus Epiſcopus Cavellicenſis: quorum approbationem in litteris ad ipſum Thomam Waldenſem idem Martinus V. his verbis confirmavit, *Recepimus volumen ſecundum de Sacramentis, quod per ſolemnes viros videri & examinari fecimus, ſicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum*. Adde paullo poſt proferri e Waldenſi hæc Auguſtini verba, *Quotiens aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat: & inde corpuſculum ſuum ungat; ut illud quod ſcriptum eſt, impleatur in eo, Infirmatur quis in vobis? &c.*

Reſp. revera a Thomæ Waldenſis mente recedendum fore, ut ſcribunt Bellarminus, Soto, & Eſtius, ſi ille exiſtimaſſet poſſe hoc ſacramentum in articulo mortis miniſtrari e laicis, ubi deeſt ſacerdos: neque enim ita volumen illud commendatur, & approbatur, ut nihil omnino deviare poſſit a veritate, ſed ex quo Wicleſitas, & Huſſitas egregie confutet, horumque erroribus catholicam doctrinam opponat, hanc vero vindicet, & illuſtret, quamquam huic aliquando inferat, uti in hoc loco, haud recte libratas opiniones. At potuit vir præclariſſimus exiſtimare, quod urgente mortis articulo unctio fieri debeat a laicis, ſi presbyteri adeſſe non poſſint, quemadmodum nonnulli interpretantur verba Innocentii; non tamen, ut crederet illam unctionem a laicis factam eſſe ſacramentalem; ad eum plane modum, quo ſupra pag. 190. diximus fuiſſe complurium opinionem, ut in mortis articulo, ſi deſit copia ſacerdotis, confeſſio fiat laicis. Non enim Waldenſis affirmat Unctionem ita laico factam eſſe *ſacramentalem*; & licet afferat comparationem baptiſmi, hæc tamen ita intelligenda eſt, ut ſimilitudo verſetur in commendatione ritus, non in ſacramenti ratione. At verba a Thoma Waldenſi tanquam Auguſtini producta, ſunt beatiſſimo Protoparenti ſuppoſita, utpote quæ exſcripta ſunt ex libro de Rectitud. Cathol. Converſat. in Appendicem Tomi vi. rejecto. Quidam inſuper eo loci legendum putant, *ungatur*, non, *ungat*: quod Eſtius ait habere Codices emendatiores; atque in Editione Maurina pag. 268. legitur: *Oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum in nomine Chriſti ungat*: quæ verba demonſtrant hoc in loco idem eſſe *Ungere*, ac, *Unctionem petere*.

PROP. II. Dubitari nequit, an Epiſcopi, quum & ipſi presbyteri ſint, valeant ægros Unctione ſacramentali delinire: immo & ad illos maxime, niſi aliis miniſteriis detenti eſſent, munus hoc pertineret, unde ad Parochos attinet, iiſque abſentibus ad presbyteros alios.

Quod affirmo de Epiſcopis, demonſtratur verbis Innocentii primi citata ad Decentium epiſtola cap. 8. ubi ait: *Illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Ceterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem a ſe viſitandum & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere.* Ne te permoveat vocabulum chriſmatis, recole quæ ſcripſi cap. 4. prop. 1. Quod vero ſcribit Innocentius, habetur etiam

can. 72.

can. 72. Concilii Vormacienſis, apud Ivonem p. 2. cap. 75. & in decreto Gratiani diſt. 95. cap. 3. Idem probaret teſtimoniis Theophylacti, Œcumenii, Bedæ, aliorumque aſſirmantium Apoſtolos hoc ſacramentum adminiſtraſſe, prout diximus ſecundo capite. Demonſtratur inſuper exemplis aliis; narrant enim hiſtoriæ Carolum Magnum ab Epiſcopis fuiſſe inunctum, idemque legimus de S. Ferdinando Caſtellæ & Legionis Rege, de Mathilde Imperatrice, aliiſque apud Edmundum Martenem lib. 1. de Antiq. Rit. cap. 7. Idem oſtenditur ex quo Apoſtolicis temporibus etiam Epiſcopi appellarentur presbyteri, quamquam inter presbyteros eſſent gradu, & auctoritate præſtantiores; quod demonſtrabo cap. 11. libri proximi: immo & S. Proſper de Ingratis æquivalenti nomine appellavit Epiſcopos, ſcribens de illis, qui damnaverant Pelagianam hæreſim,

Sed cum mille ſenum prudentia pervigil olim, &c.

denium nonne Epiſcopis competit cura, atque regimen animarum?

Illud autem, quod addit de Parochis, indubitatum eſt, cum ad illos ſpectet ſacramenta fidelibus adminiſtrare. Quid autem de ſacerdotibus aliis? Dicimus valide quidem ſacerdotes omnes hoc ſacramentum conferre, ſed ad licitam adminiſtrationem neceſſariam eſſe juriſdictionem in infirmum, vel ordinariam, qualem habet Parochus, vel delegatam, qualem haberet is, cui hoc munus Parochus ipſe committeret. Etenim in Clement. de Privilegiis lib. v. tit. 7. cap. 1. *Religioſi*, qui clericis, aut laicis ſacramentum Unctionis extremæ… miniſtrare *non habita parochialis presbyteri licentia ſpeciali præſumunt*, ſententiam excommunicationis incurrunt ipſo facto. Eidem cenſuræ ac pœnæ ſubjici regulares, qui ægrotantes inungunt in extremo vitæ periculo, Parocho abſente, cenſet Navarrus in Manuali cap. 27. n. 101. ſed eo in caſu aut regulares, aut presbyteros alios excommunicationem in Clementina inflictam nequaquam incurrere ſentiunt meliori ſane judicio Sylvius in præcit. quæſt. 31. Soto, Nugnus, aliique ab ipſo Sylvio laudati, Gonet diſp. 3. art. 2. Natalis Alex. cap. v. Regula x. Tournely q. 2. art. 4. atque ut aſſerit Aurelius Piette q. 5. hæc eſt communis Theologorum ſententia. Quorum momenta ea ſunt, quod Clementina illa edita fuerit ad frenandam, cohibendamque licentiam eorum, qui violarent, & invaderent Parochorum jura, quibus in caſu neceſſitatis nulla fit injuria, nulla infertur læſio: ac rurſus quod incredibile ſit fuiſſe mentem Eccleſiæ, ut mortem ſubituri deſtituerentur ſacramenti hujus præſidio. Addit Tournely a V. Concilio Mediolanenſi præſcribi, ut ſi Parochus impeditus ſit, aut moram agat, & aliud inſtet mortis periculum, *hoc ſacramentum ſacerdos alius adminiſtret*. Arbitror autem ego intelligi eo in caſu inſtantis periculi Parochi ratihabitionem, qua excommunicationem vitari docent Cajetanus in Summa V. *Excommunicatio*, & Cardinalis Toletus in Inſtruct. ſacerdotum Tract. ult. cap. 5.

PROP. III. Diaconus neque hujus ſacramenti miniſter eſt, neque illi hoc miniſterium fuit ab Eccleſia aliquando permiſſum.

Adverſus Launojum, qui ſcribit aliquando conceſſum diaconis, ut morte urgente infirmos inungerent, hæc propoſitio probatur ex poſitione priori, in qua oſtendimus auctoritate divinæ Scripturæ, definitione Tridentini Concilii, atque traditione, & uſu Eccleſiæ perpetuo, ſolos presbyteros hujus ſacramenti miniſtros eſſe. Videtur præterea nobis Launojus aliqua ratione deterius, quam hæretici faciant, errare: nam cum presbyteri nomine aliquando ætate provecti, aliquando autem Epiſcopi ac ſacerdotes alii ſignificentur, peſſime hæretici verba Jacobi, *Inducat presbyteros Eccleſiæ*, in priori ſenſu accipienda eſſe contendunt. At diaconi nec ratione ætatis, nec ratione ſacerdotii appellari poſſunt presbyteri. Præterea quando diaconi ſeſe presbyteris æquiparare auſi ſunt, illorum arrogantia canonum auctoritate, & Patrum increpationibus fuit acerrime caſtigata, prout conſtat ex canone 18. primæ Synodi Arelatenſis, & ex canone item 18. Nicænæ, atque ex Hieronymo Epiſt. ad Evangelum, & Comment. in caput ult. Ezechielis, necnon ex Auctore qq. vet. ac novi Teſtamenti, inter Opera Auguſtini. Et tamen diaconi cum multa præſumerent ſupra id quod poſtulat illorum ordo, ſcilicet porrigere communionem presbyteris, in medio iſtorum ſedere, atque in domeſticis conviviis benedictionem prebyteris impertiri: nullibi tamen invenio attentaſſe illos miniſterium hoc extremæ, & ſacramentalis Unctionis, tam perſpicue, ac tam expreſſe presbyteris Eccleſiæ demandatum. Inſuper eſt communis Theologorum ſententia, excedere poteſtatem diaconi hoc ſacramentum adminiſtrare; eſt autem maximum veritatis argumentum omnium prorſus Theologorum in eamdem aſſertionem unanimis conſpiratio. Addit S. Thomas rationem Theologicam petitam ex Auctore libri de Eccleſ. Hierarch. cap. 5. quod diacono competat ſolum vis purgativa, non illuminativa, nimirum diaconi munus ſit fideles diſponere ad dignam ſacramentorum ſuſceptionem, aut ab ista immundos repellere, non autem illuminare per gratiæ ſacramentalis collationem, baptiſmate excepto, in quo ob maximam ejus neceſſitatem habetur peculiaris diſpenſatio, ut neceſſitate impellente, non a diaconis ſolis, ſed & a laicis poſſit adminiſtrari. Docet hæc Angelicus Doctor 3. p. q. 67. art. 1 ad 2. q. xxxi. Supplementi art. 2. ad 1. & lib. iv. contra Gentes cap. 73. quo in loco etiam advertit non requiri ad ſacramentum hoc conferendum ut miniſter ſit Epiſcopus, propterea quod per Extremam Unctionem non tribuitur, quemadmodum per Confirmationem & Ordinem, *perfectio ſtatus*.

At Launojus in Explicatione traditionis circa hujus ſacramenti miniſtrum cap. 2. obſervat. 2. plurima monimenta producit, ut evincat aliquando diaconis conceſſum, ut Extremam Unctionem conferrent. Ea ſunt, quæ commonſtrant permiſſum fuiſſe diaconis in neceſſitatis caſu confeſſionem infirmorum excipere, iiſque viaticum dare, & conſequenter ſacra Unctione eos delinire. Ejuſmodi ſunt Epiſtola Cypriani 12. in qua S. Martyr affirmat poſſe urgente exitu *exomologeſim* fieri apud diaconum; quod Jacobus Latomus Doctor Lovanienſis in libro, quem edidit de Pœnit. an. 1550. ſcripſit accipiendum eſſe *de confeſſione peccati*: Concilii Eliberitani canon 32. Gelaſius in Codice can. Romanæ Eccl. cap. 8. Vetus Pontificale Romanum, Auctor libri de divinis officiis, qui tribuitur Alcuino, cap. 53. Burchardus lib. xix. decreti cap. 154. Ivo p. 16. cap. 162. Stephanus Æduenſis de ſacram. Altaris cap. 7. Concilium Eboracenſe an. 1194. Concilium Londonienſe an. 1200. Concilium Andegavenſe 1273. Addit Launojus cap. *Fures*, Extra de Furtis, verba Tertulliani cap. 17. de Baptiſmo, ubi ait, cuique licere in neceſſitate baptizare, *ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit*: quæ ſcribit Epiſt. 14. Cyprianus agnoſcens in diaconis *ſacerdotii vigorem*, & Optatus in 1. contra Parmenianum libro appellans diaconos *in tertio ſacerdotio conſtitutos*.

Ego vero, quum hæc omnia in Launojo ſingulatim, & accurate legiſſem, plurimum miratus ſum eruditi viri confidentiam, qui ſibimet perſuaſerit tanta monumentorum copia inſipientibus fucum facere, craſſiſſimumque errorem verboſiſſima loquacitate venditare. Enimvero in nullo ex productis a Launojo teſtimoniis minima extat vocula, quæ Unctionem extremam commemoret; ſed omnia de communione & de viatico agunt, & quædam de ſuſceptione pœnitentium; Tertullianus autem ſolummodo de Baptiſmo. Si ergo hæc omnia probarent aliquid, profecto hoc unum evincerent, poſſe diaconos in extrema neceſſitate excipere confeſſiones & abſolutionem largiri: quod eſt adjicere errorem errori, & hæreſim hæreſi. Neque enim loca illa de adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ accipienda ſunt, neque de abſolutione ſacramentali; ſed tantum de reconciliatione quadam Canonica, prout fuſe, lateque demonſtravi præcedenti libro cap. 4. hæc omnia præoccupans, & eludens. Atque ut liberaliſſimus ſim, & Launojo concedam poſſe diaconum conſtitutis in magno vitæ diſcrimine conferre ſacramentalem abſolutionem (quod falſiſſimum, & fidei catholicæ contrarium eſſe contendo) inſulſe tamen hinc inferretur, idem affirmandum eſſe de Unctione ſacramentali: quum hæc non ſit ejuſdem neceſſitatis, cujus eſt ſacramentum Pœnitentiæ. Infirmorum autem communio, quum hæc non ſit ſacramenti confectio, ſed tantum diſpenſatio, non excedit diaconi facultatem. Qua de re legi poterunt quæ ſcripſi libro xxxiii. cap. 13. Unus reſtat Latomus, qui in Tract. de Pœnit. ſcribit utique S. Cyprianum tam neceſſariam peccati confeſſionem, & Eccleſiæ reconciliationem credidiſſe, *ut in periculo mortis, & in abſentia Epiſcopi, & ſacerdotis diacono confiteri conſuluerit*: ſed minime aſſerit talem confeſſionem fore ſacramentalem, immo nec neceſſariam dicit, caute uſus verbo, *conſuluerit*. Fuit enim Latomus in ea ſententia, quæ tenet, ubi deeſt ſacerdotum copia, confitendum aliis ad exercendam humilitatem, contritionemque excitandam. In eodem quippe libro de Pœnitentia, ejuſdemque Lovanienſis editionis an. 1550. quam Launojus citat, pag. 32. & 36. atque in altero Tractatu de Confeſs. ſecreta pag. 109. 111. & 116. Latomus ex variis Cypriani locis demonſtrat ſolis ſacerdotibus ſolvendi, & remittendi peccata poteſtatem fuiſſe collatam. Verum, ut dixi, Joannes Launojus hæc detorquens ad ſacramenti Extremæ Unctionis miniſtros, ſcurriliter ineptit & nugas agit.

PROP. IV. Quamquam juxta variam Eccleſiæ diſciplinam ad inungendos infirmos aliquando plures presbyteri ſimul convenerint; attamen poteſt Extrema Unctio conferri ab uno tantum presbytero, idque nec epiſtolæ Jacobi, nec definitionibus Eccleſiæ, neque invariabili traditioni adverſatur.

Diverſam hac in re fuiſſe, atque etiamnum eſſe diſciplinam Eccleſiæ evidentiſſime demonſtratur. Orientales enim, ac præſertim Græci ſolent ad ſacramentum hoc miniſtrandum vocare ſeptem presbyteros, ac videntur tres, aut duos ſaltem indiſpenſabiliter requirere, quod ſicut Epiſcopus non ordinatur ab uno, ita infirmus ab uno non ſit ſacro oleo deliniendus, ut in libro de Sacramentis ait Simeon Theſſalonicenſis. De his pluribus presbyteris ungentibus eumdem ægrotum pertractant Arcudius lib. v. Concordiæ, Allatius de Conſenſ. Occid. & Orient. Eccl. cap. 16. num. 55. Goarius in Euchologio Græcorum, aliique permulti. Etiam S. Thomas cit. cap. 73. contra Gentes ait congruum eſſe, ut infirmorum unctioni multi ſacerdotes interſint,

Digitized by Google

ut oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus ſacramenti obtinendum coadjuvet. In IV. item Mediolanenſi Concilio p. 2. cap. 6. ſanctus Carolus parochos admonuit, ut Extremæ Unctionis ſacramentum miniſtraturus, quot commode poteſt, presbyteros & clericos adhibere ſtudeat, ſuperpelliceo indutos, *qui ipſum & miniſtrantem & precantem, pietatis orationiſque ſtudio in eo miniſterio adjuvent*; quamquam S. Carolus, immo & S. Thomas non videntur pluribus illis ſacerdotibus tribuere propriam ſacramenti adminiſtrationem, quæ ſita eſt in decumbentium unctione, atque in prolatione verborum, quæ formam ſacramentalem conſtituunt, non autem in aliis precibus, v. g. Litaniis, ac Pſalmis Pœnitentialibus, juxta Rituales libros eodem tempore recitandis. At non deſunt exempla quamplurima extremæ Unctionis adminiſtratæ ab uno duntaxat presbytero, ut S. Eugendi, qui floruit ſexto labente ſæculo, ſanctæ Mauræ, cui ſolus Prudentius Tricaſſinus ſacramentum iſtud contulit, aliorumque, de quibus citato loco Martenius. Quoniam vero Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 19. nos non tantum reprehendit, quod infirmorum Unctionem non ſenioribus ætate, ſed ſacerdotibus committamus; verum etiam quod *pluralem numerum ad decorem poſitum*, non propter Eccleſiæ orationem præſcriptum eſſe arbitremur; ante Calvinum autem Waldenſes ideo ſacramentalem hanc unctionem neglexerint, quod e contra plures presbyteri ad eumdem infirmum advocarentur: operæ pretium nos facturos eſſe putamus, ſi quemadmodum fatemur poſſe, dum infirmus innungitur, permultos ex presbyteris clericiſque intereſſe, necnon aliquando presbyteros plures peregiſſe ſacram ceremoniam unctionis, ita demonſtremus nullo ex capite repugnare, quin hoc Extremæ Unctionis ſacramentum ab uno tantum presbytero adminiſtretur.

Atque in primis non infertur ex Jacobi Epiſtola plures presbyteros ad hoc ſacramentum conferendum neceſſario requiri. Utitur ille quidem numero multitudinis, dicens, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ*: at primo inuſitatum non eſt in ſacris litteris poni per figuram, quam ἐναλλαγὴν, ſive permutationem dicunt, pluralem numerum pro ſingulari. Ita enim Matt. XXVII. 44. legitur, *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*: quum tamen conſtet ex Lucæ XXIII. 39. Domino conviciatum *unum* duntaxat *de his, qui pendebant, latronibus*. Lucas itidem citato cap. verſu 36. inquit, *Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei*; ac ſimilia Joannes XIX. 29. tametſi id ab uno factum narrent Matthæus XXVII. 48. & Marcus XV. 36. Addi poſſunt exempla alia ex ipſis hæreticis petita: nam Glaſſius Lutheranus de Verbo canone 51. docet de ſolo Herode accipiendum eſſe, quod legitur Matth. II. 20. *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri*: & Grotius Arminianus de ſolo Daniele interpretatur quæ habentur in Epiſt. ad Hebr. XI. 33. *Obturaverunt ora leonum*, quæ interpretatio eſt optima, & longe antea tradita ab Auguſtino lib. 3. de Conſ. Evangeliſtarum cap. 16. Dicant modo qui adverſus Catholicos non habent præter nudam litteram quid opponant, cur Jacobi verba non poſſimus pariter per *enallagen* explicare? Sane Eſtius Comment. in Jacobum expoſitionem hanc probat; eamque confirmat phraſi altera Auguſtiniana: nam ſanctus Pater ſerm. 33. de diverſis, nunc 324. ſcribit quamdam mulierem, quæ a beato Stephano vitam infanti ſuo mortuo precibus impetraverat, iviſſe eum *ad presbyteros baptizandum*, ideſt, ad aliquem presbyterorum. Deinde Jacobus presbyteris totam erga infirmos actionem tribuit, ſcilicet, non orationem tantum, ſed etiam unctionem; inquit enim, *Et orent ſuper eum ungentes eum oleo, &c.* At hæretici neceſſariam non putant unctionem a multis presbyteris factam: cur ergo multos ajunt convocandos ad orationem? Inſuper ſi demus Jacobum revere de multitudine presbyterorum fuiſſe locutum juxta conſuetudinem primitivæ Eccleſiæ, quando ad infirmum presbyteri, & aliquando etiam Epiſcopi clericis comitantibus accurrebant; non proinde ſequitur, quod multitudinem hanc poſtulet ſacramenti neceſſitas: immo in multorum numero, quamvis unus ſacerdos unxiſſet infirmum, omnes tamen illius adminiſtri, adſtantes, preceſque jungentes, illum quodammodo dicerentur inunxiſſe; eo ferme pacto, quo S. Cyprianus ep. 33. ait, Aurelium ordinatum fuiſſe a ſe, *& a collegis, qui præſentes aderant*, idem proxima epiſtola repetens de Celerino Lectore; ſive quemadmodum in reconciliatione pœnitentium manus ipſis & a presbyteris, & a diaconis imponebantur: quia nimirum ſolemni ceremoniæ adſtabant, & aliquid officii impendebant complures, tametſi unus Epiſcopus ordinaret, atque unus ſacerdos abſolveret. Perperam itaque infertur plurium presbyterorum neceſſitas ad hoc ſacramentum adminiſtrandum, ex quo Jacobus uſus fuerit numero multitudinis.

Neque id inferri poteſt ex traditione Patrum, aut ex auctoritate canonum, quo duplici præſertim lumine utimur in ambiguis ſcripturarum locis interpretandis. At quantum ad Patres attinet; nullus adhuc productus eſt, ſed nec produci poteſt, qui ſcribat ſacramentum iſtud ab unico presbytero adminiſtratum eſſe nullum & irritum. Quantum vero ſpectat ad canones, extant in Collectione Gratiani bene multi, quibus aſſertio noſtra munitur. Hujuſmodi ſunt cap. *Illud*, diſt. 95. num. 3. unde colligitur poſſe ab Epiſcopo, qui unus in qualiber diœceſi eſt, ſacro oleo languidos deliniri: cap. *Omni*, de Conſecrat. diſt. 4. num. 124. ubi idem de Epiſcopo aſſeritur: cap. *Ab infirmis*, XXVII. q. 7. num. 2. in quo eodem prorſus modo agitur de reconciliatione, & de Unctione infirmorum. Neque hæc ex incertis rivulis promanarunt: nam primum capitulum exſcriptum eſt ex Epiſtola S. Innocentii ad Decentium ſæpe laudata: alterum ex Concilio Martini Bracarenſis canone 51. ac tertium ex Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis Epiſcopi. Ab uno inſuper ſacerdote inungendos ægrotos præſcribunt canones collecti ab Aelfrico, & decreta pro Benedictino Ordine undecimo vertente ſæculo collecta & digeſta a Lanfranco, cap. 23. Ejuſdem veritatis argumentum exhibent raviſſimum, non tantum hodierna Eccleſiæ Romanæ diſciplina, & Rituale jubente Paulo V. an. 1614. ſumma diligentia editum & approbatum, quo utuntur modo Latinorum Eccleſiæ: ſed inſuper vetuſtiſſima Pontificalia, & quæ ex vetuſtioribus procuſa fuere, in quibus præſcribitur, ut unus ſacerdos indutus ſacris veſtibus, atque inferioribus clericis comitatus, facula, aut tæda præcedente, procedat ad inungendum ægrotum: cujus generis ſunt antiquiſſimus Codex Dominicanorum Pariſienſium, *Baptiſmale* Viennenſis Eccleſiæ, Manuale Laudunenſe, Catalaunenſe, Ambianenſe, Atrebatenſe, aliaque a Launojo typis edita volum. 2. pag. 497. & ſequentibus. A quibus omnibus proferendis abſtineo, propterea quod propoſitionem hanc noſtram definierunt duo Romani Pontifices, Alexander III. & BENEDICTUS XIV. quorum primus cap. *Quæſivit*, in v. Decretal. tit. 40. de verborum ſignificat. num. 14. inquit, *Sacerdos uno præſente clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere*. Alter vero in Conſtitut. *Etſi paſtoralis*, ſuper ritibus Græcorum, §. v. num. 3. ait: *Nec refert, utrum eadem extrema Unctio per unum, vel plures presbyteros fiat, ubi hujuſmodi viget conſuetudo, dummodo credant, & aſſerant, illud ſacramentum ſervata debita materia & forma ab uno presbytero valide, & licite confici*.

Denique nec ratio adeſt ulla, ob quam ad validam, licitamque hujus ſacramenti adminiſtrationem exigatur multitudo presbyterorum. Nam, præterquamquod nulla firmior Theologo eſt ratio, quam ea, quæ ex productis hactenus monumentis depromitur: quæ ad rituum ſolemnitatem & condecentiam pertinent, ſicut a nemine contemni debent quando Eccleſia præcipit probatque illorum praxim; ita ejuſdam Eccleſiæ diſpoſitione atque arbitrio tolli poſſunt ac permutari, prout demonſtravi lib. XIX. cap. 27. Deinde vero ſacerdos, qui ſacramenta adminiſtrat, Chriſti Domini, qui una perſona eſt, vicem gerit: ideoque licet inferioribus miniſtris congrue, apteque in conficiendis ſacramentis utatur, dum tamen unus ſacramentum conficit atque adminiſtrat, & e clero alii tamquam famuli adſiſtunt, judicio quidem noſtro effulget amplior quædam ſacræ ceremoniæ majeſtas, & ſacerdotis diſpenſatoris myſteriorum Chriſti decus & auctoritas: ideoque præſens Romanæ Eccleſiæ diſciplina quammaxime congruens eſt divinorum miniſteriorum amplitudini, ac dignitati.

PROP. V. Debet idem ſacerdos, qui ſacro oleo inungit infirmos, proferre verba, quæ ſacramentalem formam conſtituunt.

Dixi hujus capitis initio, Edmundum Martenium in vetus Ritualibus obſervaſſe, quod aliquando unus presbyterorum oleum applicabat infirmis, & alius presbyter formam pronuntiabat: quamquam communior uſus ſemper viguerit, ut vel omnes presbyteri delinirent ſingulas partes, omneſque formam proferrent; vel unus unam, alter alteram partem inungeret, ſimulque formam debitam enuntiaret. Sed videtur mihi quæſtionem hanc perſpicue, ac breviter dirimere Franciſcus Sylvius, qui in art. 2. quæſt. 31. Supplementi hæc ſcribit: „ Si plures ita miniſtrent, ut uno ungente alter proferat formam, nihil fit: quia dum materia proxima ſacramenti eſt actio miniſtri, ut ablutio, ſignatio, unctio; illa debet ab eodem determinari per formam. Si vero unus unam unctionem faciat cum ſua forma, & alius aliam etiam cum propria forma; ſacramentum ſubſiſtit: ſive id ob neceſſitatem fiat, ideoque licite, ſive extra illam, & illicite; quale aliquid etiam in conficiendo Euchariſtiæ ſacramento poteſt accidere, dum conſecrato per unum pane, alius vinum conſecraret, priore ſacerdote per morbum, aut per mortem deficiente; ut beatus Thomas admonuit 3. p. q. 83. art. 6. ad 1. & hujus Supplem. q. 29. art. 2. ad 3. „ Hactenus Sylvius tom. IV. pag. Venetæ edit. 459. Profecto autem ab eodem ſacerdote, qui unctionem adhibet, formam verborum pronuntiandam eſſe declaratur in Conſtit. nuper laudata ſuper Græcorum Ritibus, eadem ſectione v. n. 4. his verbis: *Idem ſacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare reſpective debet; ac propterea qui ungit idem dicat formam reſpondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet*. Hæc optima, & firmiſſima Paſtoris Summi doctrina confirmatur ex dicendis ſequenti libro XXVII. de ſacramento Ordinis, ubi cap. 13. theſi 9. demonſtrabimus irritam eſſe ordinationem factam ab Epiſcopo manum imponente ordinandis, & ab alio forma ordinationis prolata; quamvis inter ordinationem,

tionem, atque inter unctionem infirmi, necnon ablutionem baptizandi videatur intereſſe differentia aliqua eo loci explicanda.

At dices: Quomodo fieri potuit, ut in quibuſdam perantiquis Pontificalium codicibus ille ritus irrepſerit, ut uno ſacerdote ungente alius formam pronuntiet? Ritus namque hujuſmodi colligitur ex Codice Rodradi libri Sacramentorum Gregorii Magni, ut inquit eruditus Menardus nut. 911.

Reſpondeo, etiamſi Menardus prædictum ritum in ipſa notatione non improbet, atque inde ſcribat confirmari opinionem illorum, qui dicunt validum eſſe baptiſmum, ſi uno verba proferente alter mergat, vel aquam infundat; de qua opinione ſcripſi lib. XXXI. cap. 12. quæſtiuncula 4. arbitror nihilominus ſacram infirmi unctionem juxta ritum illum peractam ſacramentalem non eſſe: & divinare mihi videor ex quo fonte fluxerit idem error. In Codicibus enim libri Sacramentorum melioris notæ, prout apparet ex PP. S. Mauri caſtigata editione tom. III. pag. 235. habetur, unum ſacerdotem, dum inungit infirmum, pronuntiare illam formam, *Inungo te de oleo ſancto*, de qua ſupra cap. 6. prop. 2. ac deinde pag. 237. legitur, *Multi enim ſacerdotes infirmum perungunt inſuper in quinque ſenſus corporis*: ibique nulla ſacramentalis forma deſcribitur, ſed admonentur illi ſacerdotes, ut crucem faciant de oleo ſanctificato, dicentes tantummodo, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ex quibus tria infero: primum eſt, juxta hunc librum Sacramentorum, unctionem factam ab uno ſacerdote cum forma reſpondente, *Inungo te &c.* eſſe Unctionem *ſacramentalem*, utpote cum forma ſimul & materia peractam; aliam autem unctionem a multis ſacerdotibus factam, aliquando fuiſſe peractam abſque forma ſacramentali, quo in caſu fuit ritus duntaxat & *ceremonia*; aliquando vero cum forma reſpondente cuilibet unctioni quinque ſenſuum, atque in illo caſu unctiones ſingulas fuiſſe *ſacramentales*, prout dixi cap. V. theſi 7. Alterum, quod infero, illud eſt, in Codice Rodradi, ubi deſcribitur forma, & unctio facienda a ſacerdotibus, qui formam ipſam non proferunt, deſcribi unctionem poſtremam *ceremonialem* duntaxat, qualis habetur citata pag. 237. non vero unctionem *ſacramentalem* pag. 235. Ac tertium conſectarium meum eſt, optimum ceteriſque præferendum eſſe ritum a Latina Eccleſia probatum, utpote in quo idem ſacerdos ungit infirmum, & profert formam; unctio quinque ſenſuum non prætermittitur; & unicuique unctioni, ut ſacramentalis ſit, propria forma reſpondet: nihil tandem deſideratur, quod neceſſarium ſit vel ad ſacramenti ſubſtantiam, vel ad rituum perfectionem, vel ad conditionem miniſtri, de quo dictum ſatis.

CAPUT IX.

De iis, quibus Extremæ Unctionis ſacramentum adminiſtrandum eſt.

AFfirmant communi ſenſu Theologi Sacramentum, de quo pertractamus, cum iis, qui gravi decumbunt infirmitate juxta Jacobi Epiſtolam, atque S. Matris Eccleſiæ traditionem ſit conferendum; atque inſtitutum ſit ad animum adverſus inſidias dæmonum erigendum & roborandum, & ad tergendas actualium peccatorum reliquias, minime illis adminiſtrandum eſſe, qui ſanitate fruuntur, nec ulla occupantur infirmitate, ſicuti nec pueris ante uſum rationis, & nondum baptizatis, impœnitentibus, & Eccleſiaſtica communione privatis. Atque hæc omnia traduntur etiam in Rituali Romano, & in Catechiſmo nu. 9. quibus in locis ab hujus ſacramenti participatione inſuper excluduntur, qui graviori morbo non affecti ſubeunt vitæ periculum, ut inituri navigationem, aut prælium, & qui capitis damnantur, & ad ſupplicium rapiuntur. Sed quoniam Calviniſta Dallæus in peſtilentiſſimo Opere adverſus duo ſacramenta, quæ perficiuntur unctione, iſtud nempe exeuntium, & aliud quo conſignantur Neophyti, cap. 17. pag. 133. ait etiam infantibus olim datam fuiſſe Unctionem extremam, inde inferens hanc non ad animarum ſanctificationem, ſed tantum ad morbos depellendos, quibus tam adulta, quam tenella ætas afficitur, fuiſſe inſtitutam; Græci autem non decumbentes tantum, verum etiam valentes corpore, atque pœnitentiam agentes conſecrato oleo linire ſolent: idcirco tum adverſus Dallæi hæreticam calliditatem, tum contra obtrudentes conſuetudinem ritumque Græcorum, firmandum eſt theſi proxima commune Latinorum Theologorum aſſertum.

PROP. Infirmis tantummodo, iiſque adultis, extremæ Unctionis ſacramentum conferendum eſt.

Id enim primo demonſtratur Jacobi Epiſtulæ teſtimonio, *Infirmatur quis in vobis, &c.* in quo tria noto: Primum quod Apoſtolus poſteaquam ſuperiori verſu 13. *Triſtatur quis in vobis, &c.* egit de ægritudine & languore animi, hujuſque remedium attulit, dicens, *Oret: Æquo animo eſt? pſallat.* Proximo verſu 14. deſcendit ad aliam ſpeciem afflictionis, quæ eſt adverſa corporis valetudo, demonſtrans quo ſpirituali remedio infirmi opus habeant; ideoque de infirmitate corporis eſt accipiendus. Alterum, quod Græca lectio habet, *Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; Infirmatur quis in vobis?* Græca autem vox *ἀσθενεῖ*, de morbo graviori intelligitur, prout conſtat ex Matth. X. 8. XXV. 36. Marci VI. 56. ad Philipp. 2. 27. quod etiam notavit Grotius. Addam vero magis perſpicua; nam Joan. IV. 46. ubi legitur, *Cujus filius infirmabatur Capharnaum*, extat in Græco, *οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καπερναούμ*. XI. 2. legunt Latini, *Cujus frater Lazarus infirmabatur*, Græci vero, *ἧς ὁ ἀδελφὸς Λάζαρος ἠσθένει*: ibidem verſu 3. Latini, *Ecce quem amas, infirmatur*, & Græci, *ἴδε ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ*: ac verſu 6. apud nos, *Ut ergo audivit quia infirmabatur*, & apud Græcos, *ὡς οὖν ἤκουσεν ὅτι ἀσθενεῖ*, ac demum Act. IX. 37. in Vulgata, *Ut infirmata moreretur*, in Græco textu; *ἀσθενήσασαν αὐτὴν ἀποθανεῖν*: in quibus locis manifeſtum eſt agi de gravioribus corporis infirmitatibus, & ubique apponi verbum *ἀσθενεῖν*. Tertium, quod noto, eſt, quamquam hoc verbum ambiguæ foret ſignificationis, coarctari ad commonſtrandam gravem corporis infirmitatem iis, quæ ſubjiciuntur, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*, *Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα*: eſt enim, *κάμνω*, conſentientibus omnibus, idem, ac, *deficio, laſſeſco, & graviore infirmitate laboro*.

Probatur 2. definitionibus Eccleſiæ: Florentinum quippe Concilium, ſive Eugenius IV. in Arm. Inſtruct. *Hoc ſacramentum*, inquit, *niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*. Ac Trident. ſeſſ. XIV. in doctrina de hoc ſacramento docet, Chriſtum Dominum extremæ Unctionis ſacramento *finem vitæ tanquam præſidio quodam firmiſſimo muniviſſe*. Idem innumeris aliis Eccleſiaſticis monimentis firmatur. Etenim Innocentius I. in Epiſtola ſæpe laudata ad Decentium ait verba Jacobi accipi, vel intelligi debere *de fidelibus ægrotantibus*: Concilium Aquiſgranenſe an. 836. docet fideles unctione ſacrati olei liniendos eſſe, cum *infirmitate depreſſi fuerint*: idem ſtatuunt Aelfricus in Collect. canonum ad Wlſinum n. 32. David Nannetenſis Epiſcopus in Statutis Eccleſiaſticis inter Opera Launoji tom. I. pag. 557. Capitularia Caroli Magni lib. VI. pag. 75. Theodorus in Pœnitentiali cap. *Ab infirmis*, XXVII. quæſt. VII. nu. I. Synodus Lemovicenſis an. 1519. aliæque permultæ. Quibus accedunt Rituales libri Eccleſiarum Occidentalium. Rituale enim Lingonenſe in lucem editum an. 1573. admonet deliniendum ægrotum, *quando graviter infirmatur*: idem legitur in libro Trecenſis Eccleſiæ procuſo an. 1591. In Viennenſi autem in lucem emiſſo an. 1577. habetur: *Hoc ſacramentum datur ſolis infirmis, adultis, & pœnitentibus, & qui ſunt in periculo mortis*. Romanum denique confirmatum a Romano Pontifice Paulo V. an. 1614. *Debet hoc ſacramentum infirmis præberi, qui cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis, qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur moritari, etiam ſine alia infirmitate*. His vero Ritualia omnia poſterioribus temporibus edita conſentiunt. Ad probationem ergo ex Jacobi Epiſtola depromptam accedit altera definitionibus Conciliorum, & praxi univerſæ Occidentalis Eccleſiæ ſubnixa.

Confirmari poteſt propoſitio monimentis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ quamplurimis; nam cui optima valetudine fruenti hoc ſacramentum apud Latinos collatum fuerit, nunquam mihi contigit adinvenire. At adinveni e contra, & frequentiſſime legi adminiſtratum graviter decumbentibus. Collegit Launojus exempla ejuſcemodi bene multa: S. Eugendi Abbatis Jurenſis, qui a vita migravit an. Chriſt. 510. Remberti Archiepiſcopi Remenſis, qui deceſſit anno 888. Hereberti Colonienſis Epiſcopi, quem mors abſtulit an. 1020. aliorumque multorum, qui paullo ante mortem fuerunt ſacra Unctione delibuti. His tamen illuſtriora ſunt, quæ leguntur de S. Leone IX. qui hoc ſacramento munitus, & die obitus ſui prænuntiato deceſſit anno 1054. XIII. Kalend. Majas, ut in ejus Vita narratur a Wiberto Archidiacono, ea inſcriptione tumulatus, quam refert ad eumdem annum Cæſar Baronius,.

Victrix Roma dolet, Nono viduata Leone,
Ex multis talem vix habitura Patrem:

de beato Tironenſi Abbate Bernardo, qui fatis ceſſit anno 1116. & cujus præclara geſta litteris conſignavit Gaufredus Monachus: de S. Malachia demortuo, anno 1184. apud eximium vitæ ejus ſcriptorem S. Bernardum abbatem Clarevallenſem: atque ut prætercam alios innumeros, de præclariſſimo Francorum rege Philippo Auguſto, qui anno 1223. ceſſit e vita, cujus res geſtas complectens heroico carmine, quod *Philippidos* titulo inſcripſit, Guilelmus Brito Armoricus, hæc XII. libro canebat:

Cumque oleo ſancto, quaſi jam moriturus, inunctus,
Juxta, quem Jacobi commendat Epiſtola, ritum,
Stramine ſuppoſito morientum more jaceret.

Hæc autem exempla tum ob geſta magnorum virorum, tum ob auctorum, qui illa mandarunt litteris, celebritatem, tum demum quod non adeo recentis ætatis ſint, non abs re fuerit appoſuiſſe.

Et quamquam hactenus inter Occidentis fines vagati ſumus; habemus nihilominus Orientalium teſtimonia, quibus revincatur conſuetudo inungendi quoſlibet pœnitentes, & nulla, aut leviſſima infirmitate gravatos; ſi tamen hæc ſit unctio *ſacramentalis*, quod a nonnullis negatur. Ac primo producere poſſumus ipſum Euchologium, ubi ſacri

olei

olei benedictionem, & formam Unctionis præſcribit, illam nempe, πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ, *&c.* de qua ſupra: quum ſit evidens utramque fuiſſe inſtitutam pro laborantibus corporis ægritudine. Deinde Emmanuel Calecas apud Arcudium lib. v. Concordiæ cap. 4. ſcribit, *Euchelæon* eſſe poſtremum ſacramentum, & tanquam ſpiritualis curationis ſigillum, *quoniam infirmate decumbentibus adhiberi illud oportet*, ὅτι τοῖς ἀσθενοῦσι προσάγειν δεῖ. Idem aſſerit Job Monachus ſcribens, *In extremis reſpirationibus nobis adminiſtrari debet Euchelæon*, πρὸς ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἡμῶν ὀφειλόμενον τὸ εὐχέλαιον. Joannes item Nathanael, *In ultima hominis hora conceditur*, ἐν τῇ τελευταίᾳ ὥρᾳ τῷ ἀνθρώπῳ δίδοται. Gabriel Philadelphienſis inſtitutum hoc myſterium pronuntiat *pro illis qui in infirmitate decumbunt*, ὑπὲρ τῶν ἐν ἀσθενείᾳ κατακειμένων. Sed vide Arcudium pag. 383. & ſequentibus.

Quum autem ſatis dixerim de infirmis; neceſſum non arbitror ſermonem inſtituere de parvulis ante rationis uſum in vitæ diſcrimen adductis. His enim nulla ex *formis* ſupra recenſitis convenire poteſt; quippe neque ſenſuum illecebris noxia delectatione indulſerunt, neque egent ſuperno auxilio ad repellendas inſidias dæmonum, qui imaginibus bonorum commutabilium menti rationalium hominum illudunt. Etſi autem ſanitatis corporalis ipſi quoque capaces ſunt; hæc tamen non eſt ſacramentorum, quæ ſunt inſtrumenta gratiarum, *præcipuus effectus*: ac pro ſecundario tantum, atque temporali fine ſacramenta conferri non debent. Hinc Ritualia, quorum plura ſuperius laudavi, vetant *ſacramentali* unctione deliniri puerulos, immo quædam ſunt, quæ exigunt quatuordecim annorum ætatem, & inſuper Ms. S. Martini Turonenſis hunc verſum inſcriptum habet,

*Octo decemque annos ſaltim * lineendus habebit*:

* Habetur in Ms. *Ungendus*.

verum ante hoc tempus ferveſcentis adoleſcentiæ, ut poteſt delinqui per ſenſus, ita ſaluberrimum eſt hoc ſpiritualis medicinæ remedium. Et quod de infantibus dixi, idem proculdubio de iis, qui ante uſum rationis in amentiam, aut phrenesim inciderunt, aſſerendum eſt; niſi per temporis intervalla polleant ratione, & arbitrii facultate.

Oppones 1. Puerulis hoc ſacramentum dandum eſſe, & ſcholaſticos, qui id negant, errare ſcribit Maldonatus de Sacr. tom. 2. pag. 215. quod probat primum, quoniam in antiquis auctoribus nulla prorſus reperitur exceptio, ſed affirmatur ægrotis omnibus dandum eſſe: deinde quia Nicolaus Cuſanus in 3. ad Bohemos epiſtola loquitur, olim in Eccleſia non tantum adultis, ſed etiam infantibus fuiſſe collatum: demum quia id rationi valde conſentaneum eſt; nam ſi Euchariſtia dabatur infantibus, ut dabatur, quanto credibilius eſt datam fuiſſe illis Unctionem extremam? Hæc Maldonatus, quæ nobis opponit Calviniſta Dallæus.

Reſpond. Maldonatum errare, ſuiſque verbis revinci: nam quæſt. 1. pag. 211. probat quammaxime formam illam precatoriam, in qua habetur, *Indulgeat tibi Deus*: atque pagina proxima ſcribit „ non eſſe dubium, quin remiſſio peccatorum ſit hujus ſacramenti effectus præcipuus, quia omnia ſacramenta per ſe pertinent ad animum, per accidens ad corpus. „ Maldonato ergo fatente, infantibus nec *forma* hujus ſacramenti poteſt aptari, neque præcipuus effectus conferri. Ad rationes autem, quas profert, dicimus ineptiſſimas illas eſſe, & nihil evincere: prima enim refellitur ex Jacobi Epiſtola, & Conciliorum ſtatutis, & ex communi Eccleſiæ praxi, quibus non minus, ac ſcholaſticis, illa Maldonati aſſertio repugnat: quod nec patitur Calviniſta Dallæus hæc ſcribens citata pag. 133. „ Adverſarios infantibus unctionem ſuam adhibere neque verum eſt, neque ſane conſentaneum. Neque quod fingit Maldonatus, ſoli ſcholaſtici ſuum illud oleum infantibus negant. Idem ille Cuſanus, vir ſui ſæculi præſtantiſſimus, qui infantes olim inunctos ait, modo (ideſt, ævo ſuo) ungi eos negat. Et Bellarminus, qui Jeſuita fuit, & quidem purpuratus, eos non ſolum nunc ungi, ſed & omnino ungendos negat: „ productiſque etiam Jeſuitis aliis, ideſt, Gregorio de Valentia, Martino Becano, & Ægidio Coninck, „ Sed tanta fuit (ſubjicit Calviniſta) Maldonati iſtius ſuperbia, ut præ ſe uno reliquos omnes, etiam ſuarum partium, mortales pro totidem umbris habuiſſe videatur. „ Nos tamen, qui ſicuti nefaria Dallæi dogmata, ita ſtili procacitatem deteſtamur, contenti erimus modeſta hac reſponſione, recedere hac in parte a Maldonato, viro alioquin doctiſſimo, Theologos univerſos: quod etiam de Nicolao Cuſano dictum volumus; tametſi hunc redarguit comment. in Jacobi epiſtolam ad verbum, *Inducat*, Cornelius A Lapide, ignorans, aut diſſimulans Cuſano Maldonatum ſuum ſubſcripſiſſe. Immo ſi ultro vellemus concedere etiam parvulos aliquando fuiſſe inunctos *abſque forma ſacramentali*, eaque ratione Cuſanum & Maldonatum excuſare, aſſentiar quamlibenter, & erit judicium hoc de viris Catholicis temperatum magis, ac prudens. Atque his ſecunda etiam ratio diſpungitur. Nam tertia petita ex comparatione Euchariſtiæ, nimium fracta eſt; quum pueri recipere poſſint augmentum gratiæ, non autem remiſſionem actualium peccatorum: tametſi de communione parvulorum memoria repetenda ſint quæ ſcripſimus lib. xxxiii. cap. 14. & cap. 16.

Opp. 2. Græci etiam pœnitentibus, qui valent corpore, aliiſque nulla gravi infirmitate detentis hanc ſacram Unctionem miniſtrant.

Reſp. Arcudium acerrime hanc Græcorum conſuetudinem inſectari, propterea quod & ſacris litteris, & Græcorum ſcriptorum teſtimoniis adverſetur: atque hæc Arcudii reſponſio nititur momentis adductis a me paullo ſupra. Recedunt tamen ab hac ſententia Arcudii poſt Goarium in Euchol. pag. 432. juniores quidam Theologi, ac reſpondent, unctionem illam non eſſe *ſacramentalem*, ſed ceremonialem duntaxat, quoniam, etſi in illa adhibeatur ea formula, πάτερ ἅγιε, ἰατρὲ *&c.* hæc tamen multiplicem ſenſum patitur, & ex adjunctis circumſtantiis colligitur in pœnitentibus, ſaniſque ſacram ceremoniam adhiberi, non ſacramentum. Similia nos diximus de forma ſacramenti Confirmationis lib. xxxii. cap. 9. Poteſt reſponſio hæc adhiberi. Verum pro ſententia Arcudii facit plurimum, quod vir Græcus, ſi potuiſſet conſuetudinem illam defendere, feciſſet utique: tum quod Joannes Nathanael apud ipſum Arcudium pag. 387. conſuetudinem illam Græcorum, quorumdam illiteratorum audacia, & turpis lucri gratia inductam dixerit: poſtremo, quod *forma* Græcorum πάτερ ἅγιε ἰατρὲ, quamvis noſtra amplior, exprimit nihilominus animi, corporiſque ſanitatem, nec patitur ambiguum ſenſum, qualis ſubeſt verbis illis, *Signaculum Spiritus ſancti*: de quibus hujus vol. pag. 37.

CAPUT X.

Agitur de ſacramenti Extremæ Unctionis multiplici effectu.

SAcramenti hujus effectus explicat ſacroſancta Synodus Tridentina ſeſſ. xiv. cap. 2. his verbis: *Res porro, & effectus hujus ſacramenti illis verbis explicatur, Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti: cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert; & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit: & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Sunt igitur effectus extremæ Unctionis, primus quidem peccatorum remiſſio, alter reliquiarum peccati abſterſio, tertius proſtrati animi alleviatio, & erectio, quartus demum priſtinæ valetudinis, ſi animæ expediat, reſtitutio.

Prior effectus, ſive peccatorum remiſſio perſpicue infertur primo ex verbis Jacobi, *Si in peccatis ſit, remittentur ei*; in quibus fruſtra opponi ab hæreticis conditionalem particulam, diximus in primo capite: ſecundo ex præcitata Tridentini doctrina, necnon ex canone 2. ejuſdem ſeſſ. xiv. *Si quis dixerit, ſacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; anathema ſit*: tertio ex Patribus, quorum teſtimonia in priori capite producta ſunt: quarto ex hujus ſacramenti *forma*, quæ exprimit peccata ſenſuum officiis patrata: quinto ex ipſo ſacrarum unctionum ritu, cum peruncantur organa ſenſuum, quibus anima noxiis imaginibus imbuitur, & ad pravas cupiditates allicitur.

At quæruntur hoc in loco Scholaſtici, quænam peccata efficacitate hujus ſacramenti remittantur; & an hæc remiſſio ſit effectus ejuſdem ſacramenti *primarius*, effectus nempe ille, cujus gratia extrema Unctio fuit potiſſimum inſtituta. Thomiſtæ cum Doctore Angelico q. xxx. Supplem. art. 1. cenſent præcipuum ſacramenti hujus effectum eſſe contra proximæ mortis pericula infirmum corroborare, deinde vero, & ex conſequenti peccata, ſi aliqua reſidua ſunt, ſive venialia ſint, ſive mortalia, detergere. S. Bonaventura, Scotus, aliique tenent venialia peccata hoc ſacramento *per ſe primo* deleri, & inde conſequi animi *alleviationem*. Sunt autem prioris ſententiæ probationes hujuſmodi: Jacobus Apoſtolus de hoc ſacramento pertractans initio commemorat gratiam, quæ infirmum ſanat, & *alleviat*, poſtea remiſſionem peccati, neque abſolute, ſed illa conditione appoſita, *Et ſi in peccatis ſit*. Deinde nullum ſacramentum *per ſe* videtur inſtitutum ad delenda venialia peccata, quum hæc pluribus remediis poſſint expiari. Inſuper ſi remiſſio peccatorum eſſet extremæ Unctionis effectus princeps, non tam ægrotis, quam ſanis conferendus eſſet, ac pœnitentibus præſertim; ideoque longe melius ſe gererent Græci, qui pœnitentes omnes inungunt, quam Latini eos tantum, qui decumbunt, delinientes. Præterea omnia peccata actualia delentur per ſe a ſacramento pœnitentiæ, ideoque pro remiſſione actualium peccatorum nullum aliud ſacramentum erat inſtituendum. Hæc argumenta Sancti Thomæ teſtimoniis firmata, & Dialectices artificio contexta legi poſſunt apud Gonet diſput. 2. articulo unico, ſive apud Sylvium in quæſt. xxx. Supplem. art. 1. concl. 1. aut Thomiſtarum alium quemlibet. His addi poteſt quod cenſent veriſimilius permulti haud vulgares Theologi, quibus ſubſcribit 3. p. tom. 2. diſput. 18. ſect. 3. Suareſius, etiam beatiſſimam Virginem, cui ſane nullum peccatum erat dimitten-

mittendum, extremam Unctionem ſuſcepiſſe; quamquam Gabriel, Paludanus, Victorie, Eckius, aliique ſentiunt oppoſitum: horumque opinio videtur mihi probabilior, tum quia Deipara nec etiam adverſus dæmonum inſidias præmuniri debebat Unctionis ſacræ præſidio; tum quia nullam per ſenſuum officia animi ægritudinem torporemque contraxerat; tum demum quoniam nec *forma*, que Græci, Latinique utuntur, nec alia conſimilis ſanctiſſimæ Dei Genitrici poterat convenire.

Contraria autem ſententie innititur momentis paullo ſupra productis; nam ex Jacobo Apoſtolo, ex Tridentino, ex Patribus, atque ex *forma*, & ritu ejuſdem ſacramenti evidentiſſime apparet illius vi peccata deleri: idque eſſe præcipuum ſacramenti effectum magna probabilitate ſuadetur, primum ex eo quod idem effectus priori loco a Tridentina Synodo recenſeatur. Tum ex Catechiſmo Romano n. 14. ubi inter hujus ſacramenti fructus priori loco connumeratur gratia, *quæ peccata leviora remittit*. Ulterius, quoniam ſacramentum iſtud eſt ſpiritualis quædam ſanatio, ideoque debet vi ſua delere peccata illa, quæ non ſpiritualem mortem, ſed languorem & infirmitatem inferunt, venialia ſcilicet, non mortifera. Legi poſſunt pro hac ſententia S. Bonaventura, Scotus, & Alenſis in diſt. 23. necnon Maſtrius diſput. VI. q. 4. n. 63.

Quid mihi videatur inter has extremas, oppoſitaſque ſententias veriſimilius, dicam poſteaquam ſecundum ac tertium hujus ſacramenti effectum explicavero. Sed priuſquam hoc præſtem, animadvertendum puto, colligi ex utriuſque ſententiæ momentis, peccata, quæ Unctione extrema *per ſe* diluuntur, non lethalia eſſe, ſed *venialia*. In hoc enim conſentiunt omnes, ad infirmitatis præſidium, ad ſuperanda mortis pericula, ad animi curationem, & ad gratiæ augmentum, non vero ad regenerandum in Chriſto filios Adæ, ad ſuſcitandum oppreſſos culpa mortifera, & ad conferendam gratiam primam hoc ſacramentum fuiſſe inſtitutum. Nititur Eſtius diſt. 23. §. IV. hoc demonſtrare ex hujus ſacramenti *forma*, qua dicitur, *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti*, &c. propterea quod in ſcripturis minora plerumque peccata, qualia ſunt infirmitatis & ignorantiæ, *delicti* vocabulo ſignificentur, ut Pſal. XVIII. 13. & XXIV. 7. Sed hæc ratio non admodum efficax eſt: quum revera *delicti* nomen commune ſit gravioribus & levioribus culpis, & pro mortiferis accipiendum ſit Sap. X. 1. ad Rom. IV. 25. & V. 17. ad Epheſ. II. 1. ad Coloſſ. II. 13. atque in locis aliis quamplurimis.

In Epiſtola autem Jacobi legimus τὰς ἁμαρτίας, quæ vox pariter ſenſum patitur ampliorem. Idem Eſtius argumentum illud petitum ex ſignificatione *delicti*, quo utitur in Quarto, refutat comment. in Epiſtolam Jacobi, §. *Rurſus alii*, ubi etiam ait Jacobi verba extendenda eſſe *ad omnia cujuſcunque generis peccata, comprehenſis etiam inclinationibus, & affectibus vitioſis*. Verum quod ad vitioſos affectus attinet, hi comprehenduntur nomine *reliquiarum* peccati; de quibus infra: quomodo autem ſacramenta vivorum aliquando *indirecte* conferant primam gratiam, dixi libro XXX. cap. 21. Expeditior eſt ergo ratio, quam affert citato n. 14. Catechiſmus Romanus, quoniam nempe *exitiales culpæ Pœnitentiæ ſacramento tolluntur; neque enim hoc ſacramentum primario loco ad graviorum criminum remiſſionem inſtitutum eſt, ſed Baptiſmus tantum, & Pœnitentia vi ſua hoc efficiunt*. Ex his verbis eruitur, quam infirmum ſit argumentum illud quod peccata venialia poſſint abſque ſacramento deleri; non enim extra ſacramentum delentur vi alicujus ſigni efficacis, ad hoc a Chriſto inſtituti, ſive *ex opere operato*, ſed per modum impetrationis, propter Eccleſiæ preces, & devotionem fidelium, ut diximus de aqua luſtrali tom. III. pag. 188. ac præterea non id tantum efficit Extrema Unctio, ſed confert etiam inhærentem Spiritus ſancti gratiam, infirmos corroborantem, & contra inſidias dæmonum præmunientem. Quamobrem aſſentiri non poſſumus Bellarmino cap. 8. de Extrema Unctione affirmanti non facile probaturos nos hanc Unctionem eſſe Sacramentum, ſi ad delenda venialia peccata fuiſſet e Chriſto inſtituta.

Effectus alter, ut ad illum deveniamus, eſt *peccati reliquias* abſtergere. Sunt autem hoc in loco peccatorum reliquiæ languor ille, & ægritudo animi, quæ multiplicitate peccatorum contrahitur. Experimur enim ex multitudine peccatorum augeri in nobis vulnus concupiſcentiæ, ac mentis cæcitatem, quæ duo, ut poſſimus inſidias dæmonum illecebraſque vitare, ſanari debent, maxime in agone poſtremo. Accedit timor mortis inditus cunique hominum a natura, quo ne, dum morbo affligimur, atque mors imminet, animus opprimatur, infirmus confortandus eſt ſuperno gratiæ auxilio, atque ita erigendus, ut poſſit ſeſe ad cæleſtia convertere. Ita enim dicitur infirmos ſacra Unctione *alleviari*, verbo etſi minus Latino, uſitato nihilominus in ſacris litteris, prout conſtat ex Iſaiæ IX. 1. Jonæ I. 5. & Act. XXVII. 38. Huic autem verbo reſpondet in Græco Jacobeæ epiſtolæ textu ἐγείρειν, quod ad animum pertinet, & idem ſonat, ac *pellere torporem, triſtitiam, ac negligentiam*. Ex quibus colligitur non tolli efficacitate ſacramenti languorem & ægritudinem, quæ inducitur morborum acerbitate, ſed quæ contracte eſt perniciosa criminum frequentatione. Leguntur apud Alcuinum in Carmine de ſententie Dei hi verſus ad Chriſtum Redemptorem noſtrum directi,

Multiplici exanguem trahimus præ vulnere vitam:
Nullum aliud, præter te unum, ſolamen habemus.
Quod ſi nunc medico curabit vulnera fotu
Gratia deſignata Oleo;
Pelletur validus medicato corpore languor.

Profecto hunc ſacramentalem effectum explicat *materia proxima*, ſcilicet unctio; quemadmodum remiſſionem peccati commonſtrat *forma*, prout diximus paullo ſupra.

Conſequitur effectus tertius, qui pariter in verbo illo, *alleviabit*, comprehenditur, nempe confirmatio animi, hujuſque excitatio ex magna in Dei miſericordiam fiducia. Ablato enim languore illo, quo infirmus afficiebatur, atque diſcuſſa triſtitia, quam parit torpitudo peccati & formido pœnarum; exhilaratur, & alacrior efficitur, expectans tranquilla mente adventum Domini, nec adeo angitur memoria ſcelerum præteritorum, ut experiatur miſerrimam illorum calamitatem, de quibus legimus Sapientiæ XV. 21. *Venient in peccatorum ſuorum cogitatione timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum*.

Tribus hiſce effectibus expoſitis, facile definiri poteſt qualis eorum ſit *primarius*. Indubitatum eſt, hoc ſacramentum inſtitutum fuiſſe per modum curationis, ac præſertim ad expellendam animi laſſitudinem, atque ut Davidica utar phraſi, ad ſanandos *contritos corde*. Manifeſtum quoque eſt, infirmitatem illam torporemque ſpiritus, aut pravorum habituum, aut plurimorum leviorumque criminum inhæſione induci & foveri. Certum eſt inſuper in qualibet ſive corporis, ſive animi curatione primum cauſas morbi tollendas eſſe, ſaluberrimis medicamentis adhibitis. Denique extra controverſiam poſitum eſt, ideo ſpirituali unctione infirmos fore ſanandos, ut extrema pericula ſuperare valeant, & vitent callidi hoſtis inſidias. Hi ergo effectus, ſi attendantur ſinguli in ſuo ordine, præcipui ac primarii aliqua ratione ſunt omnes. Sanatio enim ſpiritualis eſt id, cujus gratie hoc ſacramentum fuit inſtitutum; atque in hoc ſenſu ſubſcribendum eſt S. Thomæ. In eadem ſanatione debet primum tolli quidquid eſt ſpiritualis infirmitatis origo, & ita prius abſterguntur peccatorum reliquiæ, ut cenſent S. Bonaventura, Scotus, Durandus. Si finis habenda ſit ratio; virtus gratiæ, in quantum corroborat adverſus inſidias dæmonum, proximumque mortis periculum, erit pariter effectus primus. Hac autem diſtinctione facillime diluentur argumenta ſuperius poſita.

Ultimus effectus eſt *corporis ſanitas*, ſi hæc tamen animæ ſit profutura: ita enim de infirmo ſacra unctione delibuto loquitur Synodus Tridentina, *Et ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur*. At quæri poteſt, cur non ſemper infirmus hujus ſacramenti virtute convaleſcat, quemadmodum ſemper, niſi adſit obex, ſpirituales effectus, ideſt, gratiam, animique levamentum aſſequitur. Quidam reſpondent ſacram unctionem reſpectu poſtremi hujus effectus non habere rationem ſacramenti, cujus eſt certum ac determinatum effectum producere, non conditionatum, atque ſuſpenſum: ſed potius eſſe *ſacramentale* quoddam, & ex genere eorum, quæ non perpetuo & conſtanti ordine, ſed per modum publicæ orationis rem ſortiuntur, cujuſmodi ſunt aſperſio aquæ benedictæ, aliaque plura, quæ Eccleſiæ precibus conſecrantur. Atque hæc reſponſio traditur ab Eſtio diſt. 23. §. 5. & a Sylvio q. 31. Supplem. art. 2. Reſpondent alii non eſſe tribuendum ſacramenti vitio, ſi ægroti priſtinam valetudinem non conſequantur, ſed potius ægrotantibus ipſis, quorum pars magna non tam corpore languet, quam fide; hi vero reſponſionem hanc firmare poſſunt doctrina Catechiſmi Romani n. 16. Verum nihil aliud reſpondendum eſſe arbitror, niſi ſacramenta inſtituta præſertim fuiſſe propter ſpiritualem animæ utilitatem, & conſequenter ſanationem corporis eſſe effectum *ſecundarium*: qui tametſi non virtute olei nativa, ſed ſacramenti efficacitate producitur; non *abſolute* tamen attendi debet, ſed ea conditione appoſita, dummodo ſaluti animæ expediat: unde S. Thomas citato art. 2. in Corp. ait: *Quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundum quod expedit ad principalem; ideo ex hoc ſacramento non ſemper ſequitur corporalis ſanatio, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis*. Hæc reſponſio præcitatis Tridentini verbis cohæret quammaxime; ac plurimum valet tum ad erigendum animum infirmorum, qui frequentiſſime poſt ſacram Unctionem moriuntur, tum ad refutandam inſulſam illam hæreticorum illationem, neminem prorſus ſacro inunctum Oleo moriturum, ſi extrema Unctio ſacramentum ſit, & ſanitatis, quam ſignificat, ſignum efficax. Atque de hujus ſacramenti effectibus ſatis diximus.

CAPUT XI.

Quæſtiones reliquæ ad hoc argumentum pertinentes proponuntur, atque explicantur.

IIs omnibus, quæ difficultatem aliquam in hac diſſertatione afferre ſolent, pro facultate ingenioli noſtri abſolutis, cetera, in quibus conſentiunt omnes, & quæ prolixiorem diſcuſſionem non exigunt, undecimo capite expediam. Erit autem quæſtio prima *de hujus ſacramenti neceſſitate*. Nemo unus eſt, qui non aſſerat hoc ſacramentum neceſſarium non eſſe illa neceſſitate, quam Theologi appellant *neceſſitatem medii*; ſiquidem apertiſſimum eſt, poſſe fideles omnes abſque Extrema Unctione gratiam primam, amicitiam Dei, peccatorum ſuorum remiſſionem, & vitam æternam conſequi. Poteſt ergo hoc unum diſceptari, num neceſſitas ſit aliqua ſive divini, ſive Eccleſiaſtici præcepti. Hujuſmodi neceſſitatem adeſſe quidam propugnant, propterea quod ea verba Jacobi, *Inducat presbyteros Eccleſiæ*, importare videantur divinum mandatum. Tridentinum quoque Concilium eos damnat, qui docent, *hanc unctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem*. Synodus etiam Cabilonenſis an. 813. can. 48. inquit: *Secundum Beati Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent*. Tenent hanc ſententiam Florentius de Cocq. ſect. 6. Ludovicus Habert cap. 7. q. 2. Le-DrOint lib. VII. quæſt. 5. cap. 2. Tournely quæſt. ultima. E contra neceſſitatem hujuſmodi adeſſe negant Suarez diſp. 44. ſect. 1. Toletus tract. ult. cap. 3. Eſtius diſt. 23. §. 15. Sylvius in quæſt. 32. Supplem. art. 4. q. 1. aliique ſcholaſtici: quorum momenta ſunt. Primum, quod Innocentius I. in Epiſt. ad Decentium inquit: *Fideles ægroti ſancto oleo perungi poſſunt*, & rurſus, *& omnibus Chriſtianis uti licet*; quæ verba non videntur indicare præceptum, neque ſacramenti neceſſitatem. Alterum, quod Tridentina Synodus ſeſſ. XIV. cap. 1. caute inquit, *Hoc ſacramentum* fuiſſe per Jacobum Apoſtolum, & fratrem Domini *fidelibus commendatum & promulgatum*, & cap. 3. addit, *Nec vero tanti ſacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus ſancti injuria eſſe poſſet*: quibus in verbis damnantur qui hoc ſacramentum contemnunt, non autem qui illud non ſuſcipiunt. Tertium, quod hæc videatur expreſſa ſententia S. Thomæ 3. p. q. 65. art. 4. Hi ergo auctores reſpondent, eo ſenſu Extremam Unctionem *præcipi* a beato Jacobo, & de illa haberi *mandatum* Domini, quatenus eſt ſacramentum a Chriſto inſtitutum, neque denegandum eſt fidelibus illud petentibus, niſi in eis ſit canonicum impedimentum; præceptum quoque eſſe, ne contemnatur.

In harum ſententiarum diverſitate quatuor nobis videntur eſſe certiſſima. Primum eſt, maximum ſcelus, & ſacrilegium eſſe Unctionis Extremæ contemptum; quod probatur præcitatis Tridentini verbis: definitione item Synodi Colonienſis celebratæ an. 1549. qua privantur Eccleſiaſtica ſepultura, *qui infirmitatis tempore Unctionem ſacram reſpuerint*: Conſtitutione quoque Martini V. edita an. 1418. quæ incipit, *Inter cunctas*, in qua nu. 19. ſtatuitur, ut ſuſpecti de hæreſi interrogentur, *Utrum credant quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem ſacramenti Confirmationis, vel extremæ Unctionis, aut ſolemnizationem Matrimonii, peccet mortaliter?* conſenſu Theologorum omnium ſubſcribentium Magiſtro, cujus diſt. 23. hæc ſunt verba, *Si ex contemptu, vel negligentia ſacramentum hoc prætermittitur, periculoſum eſt, & damnabile*. Vide quæ de præcepto Confirmationis diximus lib. XXXII. cap. octavo. II. Affirmo deinde parochis ſedulam operam dandam eſſe, ne ægrotantium aliquis non munitus hoc ſacramento decedat; quod monent ſtatuta Synodi Lingonenſis an. 1404. & Mediolanenſis V. an. 1579. Catechiſmus Romanus p. 2. cap. 6. n. 9. atque ipſum Parochi officium impendendum maxime in vitæ diſcrimine, ne fugiens quando lupus oves invadit, juxta Evangelicam ſententiam Joan. X. 12. potius dicendus ſit mercenarius, quam paſtor. III. Arbitror a vero non aberrare Merbeſium, qui cenſet quæſt. 10. concl. 2. infirmos illos, qui confiteri nequeunt peccata, omni jure teneri ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum; propterea quod deleat *per ſe* venialia peccata, & *per accidens* etiam mortalia, prout docet S. Thomas in IV. diſt. 23. q. 1. art. 2. Nemo autem eſt, qui non teneatur in extremo periculo ad æternam mortem vitandam remedia adhibere opportuna. IV. Sentio denique infirmos illos, qui crebris tentationibus jactari ſolent, inituros ultimam cum dæmone luctam debere omnino ſeſe munire ſacramenti hujus virtute, prout de Confirmatione affirmavi laudato capite 8. lib. XXXII. non poſſe abſque gravi ſcelere omitti ab iis, qui plurimum tentantur in fide: immo nullus eſt, qui non teneatur ſedulo animadvertere, ſibi a contaminatis ſpiritibus parari permultas variaſque in eam inſidias;

Haud ſecus, ac ſi olim per ſudum lactea forte
Lapſa columbarum nubes deſcendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentoque illevit vimine viſco,
Sparſit & inſidias ſiliquis, vel farre doloſo;
Illiciunt alias fallentia grana, gulamque
Innectunt avidam tortæ retinacula ſetæ,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:

qua comparatione fraudes dæmonis inſidias ſtruentis animabus e corpore migraturis deſcribit in Hamartigenia Aurelius Prudentius.

QUÆSTIO II.

Aditum hæc faciunt quæſtioni alteri, *num peſtilentia graſſante parochi teneantur cum propriæ vitæ periculo infirmis extremam Unctionem adminiſtrare*. Scimus Sylvium, Suarez, Poſſevinum, Dianam, alioſque plurimos ſubſcribere ſententiæ neganti, modo parochus hoc ſacramentum adminiſtrare non valeat *abſque magno vitæ propriæ periculo*: & ratio videtur manifeſta, quia ſcilicet ſacramentum illud non eſt omnimodæ neceſſitatis, cujuſmodi eſt Pœnitentia. Lego tamen apud graviſſimos Theologos oppoſitum: horumque ſententia innititur primum diſcrimini, quod verſari paſtorem inter ac mercenarium diximus paullo ſupra: deinde Auguſtinianæ ad Honoratum epiſtolæ 180. nunc 228. ubi S. Pater damnat tanquam mercenarios, & deſertores ovium Chriſti, paſtores, & miniſtros illos, qui furentibus perſecutionibus arripiunt fugam. Rurſus ex quo Parochi teneantur conferre ſacramenta *ex juſtitia*, nec ſalva æquitate deſerere poſſint in extremo periculo ſuæ curæ commiſſos, & quibus ſacramentalis Unctio, niſi penitus neceſſaria ſit, eſt tamen opportunum, maximum, atque ſingulare præſidium. His addi poſſunt quæ de fuga in perſecutione ſcripſimus lib. 23. cap. 8. prop. 3. necnon quæ de multitudine populorum vehementer dolentium, dum martyres raperentur in exilium, narrat in libro 2. de Perſecut. Vandalica num. 11. Victor Vitenſis Epiſcopus; & demum quæ leguntur cap. *Sciſcitaris*, VII. q. 1. ubi Nicolaus I. inquit: *Si pernicioſum eſt proretam in tranquillitate navim deſerere, quanto magis in fluctibus?*

Hac in re, ne illos damnemus, qui ſentiunt non teneri Parochos ad hoc ſacramentum miniſtrandum cum manifeſto vitæ periculo, & aliunde ne infirmi cura & præſentia paſtorum ſuorum deſtituantur; affirmamus primo, nullatenus permitti, ut parochi infirmos deſerant, quotieſcunque eorum præſentiam exigit ſpiritualis illorum ſalus, neque alii miniſtri adſunt, qui poſſint ipſis ſacramenta conferre: quod utique invicte probant ſecundæ ſententiæ argumenta. Aſſerimus deinde, teneri omnino parochos ad ſacro oleo liniendos ægrotos illos, qui aut peſtilentia, aut morbo alio correpti peccata ſua confiteri non poſſunt: idque evidenter ſequitur ex præcedenti quæſtione, ubi oſtendimus in tali caſu Unctionem extremam delere peccata mortalia: unde in Synodo Namurcenſi an. 1639. tit. 14. cap. 9. legitur: *Saluti ſubditorum noſtrorum conſulere volentes ordinamus, ut paſtores ſuis ſubditis peſtilentia correptis, quamvis ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ eis adminiſtraverint, non omittant etiam extremam Unctionem, ſi id abſque manifeſto vitæ periculo præſtare poſſint*. Et cap. proximo: *Qui autem peſte afflatus non eſt confeſſus, nec poteſt confiteri, paſtor teneatur illi Extremam Unctionem cum periculo vitæ dare*. Ulterius dico debere parochum omnino ſacramentum iſtud conferre etiam peſtilentia laborantibus, ſi vitæ periculum non ſit evidens; non autem ſi manifeſtum ſit atque irreparabile, & ſi decumbentibus adminiſtraverit Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta: quoniam eo in caſu non videtur extrema Unctio abſolutæ neceſſitatis, ut docent Theologi plurimi ac præſtantiſſimi, quos laudat, & ſequitur Franciſcus Sylvius in q. 32. Supplem. art. 3. concluſ. 4. Tandem cenſeo, quod poſtrema hac opinione non rejecta debeant tamen parochi diligenter animadvertere, ſibi nefas eſſe in quolibet caſu extremam Unctionem denegare ægrotantibus, ſi illam petant; atque id multo magis, ſi trepidante paſtore, ac mortem pertimeſcente, ſcandalum aliquod orietur in populo: non apparere manifeſtum mortis periculum, ſi ex una parte ſeſe divinæ providentiæ committant, ex alia præmuniant ſe pharmacis ſalutiferis, infirmoſque virgula, non pollice inungant: demum memoria repetendum eſſe quod Tract. 123. in Joannem n. 5. ait ſapientiſſimus Auguſtinus: *Chriſti amor in eo, qui paſcit oves ejus in tam magnum debet ſpiritalem creſcere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, qua mori nolumus*.

QUÆSTIO III.

Præterea quæritur, *Quo tempore hoc ſacramentum adminiſtrandum ſit*. Quæ facillimæ ſolutionis quæſtio dirimitur a Catechiſmo Romano num. 9. ubi legitur: *Graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſalutis ſpe omiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat; conſtat enim ad uberiorem gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ſenſus viget, fidemque & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur*. Et quod in Catechiſmo legitur, & ratione ibidem inſerta confirmatur, tradunt etiam Concilia Burdigalenſe, Remenſe, Bituricenſe, & I.

Medio-

Mediolanenſe, quæ collegit cap. v. de hoc ſacramento Regula xiv. vir induſtrius, atque in litteraria Republica celeberrimus Natalis Alexander. His vero nihil aliud addendum eſt, niſi Medicorum complures, ne ægrotantes deſpondeant animum, etiam in magno vitæ diſcrimine ſanitatem illis promittere; cujus rei cauſa mendacium medicis concedendum eſſe lib. 3. de Republ. ajebat Plato. At hi mortalis corporis ſanationem, non immortalis animi attendunt pericula: quæ ſi menti ipſorum obverſarentur, non ſervarent tantum, quæ leguntur in Epigrammatis *de honeſtis Medicorum impoſturis*, atque in primis elegans illud,

Proſit ut ægrotis, medicam nil dedecet artem,
Id fiat ſalva religione modo:

verum & darent operam, ut morituri diſponerent domui ſuæ, non terrenæ tantum & corruptibili, ſed etiam ſpirituali & æternæ, prout Ezechiam admonebat Propheta Domini, Iſ. xxxviii. 1.

QUÆSTIO IV.

Veruntamen circa tempus adminiſtrandæ Unctionis ſacræ alia inſurgit quæſtio paullo difficilior: *an ſcilicet præmittenda ſit, vel poſtponenda Viatico*. Neque enim negari poteſt communiorem olim fuiſſe diſciplinam, ut infirmi prius Oleo ſancto inungerentur, & poſtea Euchariſtiam ſuſciperent; uti demonſtrarunt Launojus Obſervat. 8. pag. 608. Martene lib. 1. cap. 7. art. 2. num. 4. Van-Eſpen in Jus Canonicum p. 2. tit. 8. cap. 2. & p. 4. cap. 3. §. 5. quibus juniores Theologi aſſentiuntur. Opinio autem noſtra hæc eſt, primum, antiquam illam diſciplinam revera obtinuiſſe. deinde non fuiſſe omnino communem atque univerſalem: inſuper non eſſe illos redarguendos, qui rationabili aliqua cauſa permoti Viatico præmittunt Unctionem; ac tandem optime ſe illos gerere, qui juxta Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem prius communionem dant infirmis, poſtea ſacramentum Unctionis ultimæ. Aliquando igitur Unctionem ſacram præmiſſam fuiſſe Viatico, demonſtratur ex cap. *Ab infirmis*, xxvi. q. 7. deprompto ex Pœnitentiali Theodori, quod conſcriptum dicitur circa annum Dom. 680. ubi legitur, *Sacra unctione olei inuncti, ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur*. Ex libro Pontificali Bibliothecæ Tillianæ, ex libro 7. Capitular. Caroli Magni cap. 132. atque ex Concilio Aquiſgranenſi an. 836. can. 5. in quibus locis infirmi prius ſacro liniendi oleo, deinde Viatico reficiendi dicuntur. Idem demonſtratur innumeris exemplis virorum clariſſimorum, quos legimus ante perceptam communionem fuiſſe oleo ſancto delibutos; prout litteris conſignavit Auctor vitæ Caroli Magni ad an. 814. Remberti Bremenſis Epiſcopi an. 888. Guielmi Archiepiſcopi Bituricenſis, qui deceſſit ſedente Innocentio III. circa finem ſæculi duodecimi, S. Malachiæ vita functi an. 1148. aliorumque apud Launojum citato in loco. Confirmatur hoc idem libris illis Ritualibus, in quibus ordo inungendi infirmos præcedit ordinem adminiſtrandi viaticum: inter quos Rituales laudamus typis editi Conſtantienſis an. 1494. Rothomagenſis an. 1544. Andegavenſis an. 1580. aliique, in recentioribus tamen editionibus immutati. Demum priſtinam illam conſuetudinem comprobant conſtitutiones veterum Monachorum, quos Viatico Unctionem ſacram præmiſiſſe conſtat ex ſtatutis Cluniacenſibus Hugonis, qui floruit circa annum 1080. ex libro de Officiis Eccleſ. ſecundum Ordinem Ciſtercienſem cap. 93. atque ex libro 2. Regularum Petri de Honeſtis cap. 28.

Ceterum conſuetudinem illam non fuiſſe prorſus univerſalem, probatur primo ex antiquiſſimo Ms. Pontificalis Romani, quod aſſervatur in Florentina Bibliotheca PP. Minorum Conventualium S. Crucis, in quo ut teſtatus Mabillon in Itinere Italico pag. 164. Viaticum præmittitur Unctioni infirmorum. Inſuper demonſtratur conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, cujus initia, cum adſcribere illa non poſſimus Ritualibus recentioribus, ſunt referenda inter majorum inſtitutiones. Præterea confirmatur ſermone S. Cæſarii in Appendice Auguſtinenſium num. 265. in quo legitur: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde corpuſculum ungat*. Idem ulterius eruitur ex Capitularibus Iſaac Lingonenſis, cognomento Boni, & Herardi Turonenſis, qui ambo anno 859. Tullenſi Synodo interfuere; in quibus legimus: *In infirmitate poſiti abſque dilatione reconcilientur, & Viaticum viventes accipiant, & benedictione ſacrati olei non careant*.

Ex diverſa hac diſciplina colligitur aſſertionis noſtræ pars tertia, illos ſcilicet violatæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ minime reos futuros eſſe, qui humiliter peterent a Parocho Unctionem extremam ante Corporis Chriſti Viaticum, ſive ut a peccatorum reliquiis purgati Euchariſtiam majori diſpoſitione ſuſciperent, ſive pia alique alia cauſa permoti, dummodo Eccleſiæ, in qua degunt, nullatenus conſuetudinem reprobarent, & Paſtoris ſui nutibus conſiliiſque acquieſcerent. Atque id magis confirmo ex Rituali Pariſienſi edito an. 1504. in quo legitur: *Nec eſt magna vis de ordine: ſi enim infirmus prius petat ſacramentum Euchariſtiæ, quam extremam Unctionem, ſibi prius confeſſione facta peccati, miniſtretur*. Igitur juxta librum hunc Ritualem prius conferenda eſſet extrema Unctio, ſi infirmus prius illam peteret. Ad hæc Zegerus Van-Eſpen prælaudata p. 4. cap. 3. §. 5. ubi pertractat *de Capitularium utilitate*, poſtquam egit de veteri, & communiori diſciplina, produxitque caput 132. libri ſeptimi Capitularium, inquit: *De hac diſciplina optime inſtructi duo hujus Academiæ* (Lovanienſis) *Theologi, & Auguſtinianæ Familiæ non exigua ornamenta, Chriſtianus Lupus, & Franciſcus Farvacques, ſacro Oleo inungi ante Viaticum petierunt, & obtinuerunt. Quis eorum votum & deſiderium hic culpabit, niſi qui neglecta veterum monumentorum lectione, priſtinæ, & venerandæ Patrum diſciplinæ perfectam ſcientiam non habet?*

Attamen communiter commendanda & ſervanda eſt conſuetudo, quæ Unctioni extremæ præmittit Viaticum. Primum quia nil magis congruum eſt, quam vigentem Eccleſiæ diſciplinam ſervare. Deinde quia ſicut prior illa, ita poſterior conſuetudo momentis ſuis eſt innixa. Protulit hæc libro 2. de Arte bene moriendi cap. 7. pag. 266. Eminentiſſimus Bellarminus. Momentum unum eſt, quod veteres ex extrema Unctione ſperabant ſanitatem quoque corporalem, ideoque non differebant illam uſque ad illud tempus, quo medicorum judicio deſperatur ægroti ſalus. E contra autem ætate noſtra, dum infirmi audiunt ſibi Unctionem extremam adminiſtrandam eſſe, cenſent jam actum de vita ſua, eaque de cauſa ne ægrotos terreant, cognati, vel amici differunt hoc ſacramentum quandiu poſſunt. Alterum momentum eſt, quoniam antiqui ſacramenta omnia concludebant & quaſi conſignabant ſacramento corporis Domini, unde & nunc qui baptizantur adulti ſtatim confirmantur, & adſtantes ſacrificio Miſſæ reficiuntur communione Euchariſtica; quod pariter fieri ſolet in collatione Ordinum, & in ſolemni adminiſtratione ſacramenti Matrimonii. Id vero peculiari etiam titulo ſervabatur in ſacra Unctione, propterea quod remittat peccata, ac ſit ſacramentum pœnitentiæ conſummativum, ideoque præmitti poſſit Euchariſtiæ tanquam præparatio & diſpoſitio. At noſtro tempore ordo invertitur, quoniam non tam accidit, ut infirmi vel rationis uſum amittant, vel aliunde reddantur inhabiles ad ſacroſanctam Euchariſtiam rite percipiendam. *Melius enim eſt* (concludit Bellarminus) *ut inverſo ordine ſacramenta iſta miniſtrentur ægrotis, quam ut altero, eoque ſaluberrimo careant. Unctio enim extrema conferri poteſt ægroto etiam in agone poſito, & non intelligenti, vel ſentienti quid circa ſe agatur, modo tamen in vivis ſit: defuncti enim nullius ſacramenti capaces ſunt*. Atque ad hunc modum quæſtionem quartam reſolvimus.

QUÆSTIO V.

Proxima eſt quæſtio, *an extrema Unctio iterari poſſit*. Fuit enim opinio Goffridi Abbatis Vindocinenſis epiſt. 10. libri 2. ad Ivonem Carnotenſem, & ejuſdem Ivonis epiſt. 12. & 250. ſemel tantum fas eſſe ægrotos ſacro oleo delinire ob duplicem cauſam: quarum primam petebant ex eo, quod etiam publica pœnitentia una duntaxat vice imponeretur, & extrema Unctio ſit quædam pœnitentia publica exeuntium: alteram vero ex quo nunquam repetatur ſacramentum Confirmationis, quod ritu quodam conſimili, ſcilicet inunctione, peragitur. At ſingularis fuit hæc opinio, & labili fundamento ſubnixa. Quantum enim ſpectat ad publicam pœnitentiam, tametſi illius actio, & reconciliatio canonica ſemel tantum concederetur; quod tamen in illa ſacramenti rationem habebat, ideſt, peccatorum confeſſio, & abſolutio per claves Eccleſiæ, ſemper iteratum fuit, & ſæpiſſime repetitum, ut dixi præcedenti libro cap. xiii. in *Hiſtoria publica pœnitentiæ*, num. vii. Nec etiam Confirmationis, & Unctionis extremæ eadem eſt ratio; illa enim imprimit *characterem*, & perpetuum effectum producit. Idcirco autem ſacramentum illud non imprimit *characterem*, quoniam inſtitutum eſt in remedium ſubſidiumque ægrotantium, non autem ut in hac Eccleſia, in qua peregrinamur a Domino, fideles a non credentibus, vel a ſe invicem ſecernantur, neque ut deputentur ad ſacrum aliquod miniſterium; prout inquit q. xxx. Supplem. art. 3. & quæſt. xxxiii. art. 1. Doctor Angelicus. Qua in re conſentiunt Theologi omnes, etiam antiquiores, ut Magiſter in iv. diſt. 23. Guielmus Autiſſiodorenſis in Summa lib. iv. tract. 7. cap. 2. S. Bonaventura in eamdem diſt. 23. art. 2. q. 4. ceterique unanimiter.

Quidam affirmarunt poſſe quidem repeti Unctionem ſacram, non tamen intra ſpatium ejuſdem anni. Opinionem hanc cum offendiſſet A lapide apud Durandum lib. 1. Rational. divin. officiorum cap. 8. num. 25. & Eckium hom. 56. & 58. de Sacramentis, dum ederet commentaria in Epiſtolam Jacobi, viſus eſt ſibi valide refutaſſe ex quo *extrema Unctio non imprimit characterem*. Sed futilis eſt ratio iſta: nam ſi characterem imprimeret, nec tranſacto jam anno, nec unquam in vita poſſet ſacra Unctio iterari; quod Durandus, & Eckius non affirmarunt. Immo Durandus ſcribit id *apud quoſdam legi*, nec refellens, nec approbans. Quod autem hoc legatur, apertum eſt: ſiquidem Petrus Cantor in Summa cap. 132. ait: *Conſuetudo eſt in Claravallenſium Ordine, quod nunquam inungitur aliquis bis in eo-*

dem anno. Extat & in antiquo Ms. Eccleſiæ Turonenſis Carmen, de quo Martene tom. 2. pag. 104. primæ editionis, ibique de extrema Unctione,

Nonniſi menſe ſemel tantum communices æger.
Hic idem ſolo non bis ungatur in anno.

Verum nec ſententia iſta communis fuit, nec firma ratione poteſt fulciri. Non fuit communis; nam juxta Pontificale S. Prudentii Galindi Epiſcopi Tricaſſini, qui floruit nono ſæculo, immo & juxta librum Sacramentorum Gregorii a Menardo editum, in eadem infirmitate repetebatur Unctio infirmorum, & ſimul Viaticum. Non fuit vero innixa rationi validæ, quoniam juxta beati Jacobi Epiſtolam inducendi ſunt presbyteri ad fideles ungendos quotieſcumque infirmantur; ideoque ſi poſteaquam convaluerunt, iterum decumbant, iterum quoque ſunt inungendi.

Præmiſſis itaque duabus opinionibus eliminatis, reliquum eſt, ut dicamus infirmos, *ſi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus ſacramenti ſubſidio juvandos eſſe, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint*; prout docet cap. 3. Synodus Tridentina. Quod & confirmatur ratione nuper producta, quum extrema Unctio inſtituta ſit in ſubſidium infirmorum, & ſit ſpiritualis curatio, adhibita per modum curationis corporalis, quæ morbis redeuntibus iteratur. In eadem autem infirmitate hoc ſacramentum idcirco non repetitur, quoniam de ſe ſufficit ad incommoda illa vitanda, quæ affert præſens infirmitas. Neque id recentioris eſt praxis, quum etiam comprobetur Statutis ſynodalibus Danielis Nannetenſis, & Stephani Poncherii Pariſienſis Antiſtitis, atque Manualibus Lugdunenſi, Cameracenſi, Viennenſi, Mechlinienſi, Lemovicenſi, aliiſque apud Launojum volum. 1. pag. 552. In rituali Romano recte advertitur, iterandam eſſe Unctionem ſacram in eadem infirmitate, ſi diuturna ſit, & infirmus poſteaquam convaluerit, rurſus incidat in mortis periculum: quia in iſto caſu accidit nova quædam infirmitas, ſive, ut inquit S. Thomas q. 33. art. 2. infirmus *patitur recidivum*. Ac de quinta quæſtione ſatis.

QUÆSTIO VI.

Sexta & ultima quæſtio eſt, *Quænam diſpoſitiones requirantur in extremam Unctionem ſuſcipientibus?* Sed in hac non eſt diutius immorandum. Quum enim dictum ſit extremam Unctionem eſſe ſacramentum exeuntium, conſummativum pœnitentiæ, ſpiritualem animi curationem, & contra languorem ſpiritus, contra mortis horrorem, & contra dæmonum machinationes ſingulare adjumentum; conſequens eſt, infirmos ad illud ſuſcipiendum diſponendos eſſe præmiſſa confeſſione ſacramentali, & ſi hanc non poſſint elicere, intimo doloris ſenſu & contritione vehementi, ſpe melioris & incommutabilis vitæ, atque fide conſtanti ac firmiſſima, aliarumque virtutum exercitatione, maxima demum erga ſacramentum tanta efficacitate præditum reverentia.

CAPUT XII.

Quæ circa hujus Sacramenti ritus remanent dilucidanda.

VErum cum in hac diſſertatione omne ſtudium ac diligentiam adhibuerim, ut ea etiam, quæ ſpectant ad Unctionis ritum, ad formæ varietatem, & ad numerum conditionemque miniſtrantium producerem, in quibus maxime ſacrarum ceremoniarum ratio conſiſtit; quidnam ulterius inveſtigandum eſt, ut liber iſte partibus omnibus, numeriſque ſuis conſtans abſolvi poſſit? Nihil ſane aliud, quam Pſalmorum Pœnitentialium, aliarumque precum recitatio; & quædam alia non ubique in uſum recepta, & quæ in deſuetudinem abierunt.

Itaque dum infirmi ſacro liniuntur oleo, ſeptem de pœnitentia pſalmos cum Litaniis, precibuſque recitandos eſſe, præſcribunt ritualia quoque recentiora. Hunc ritum commemorant antiquiores conſuetudines Cluniacenſium lib. 3. cap. 28. omniumque fere Eccleſiarum Manualia; tametſi aliquantulum diſcrepent circa tempus, quo iidem Pſalmi ſunt recitandi. Nam in quibuſdam Eccleſiis præmittuntur unctioni, in quibuſdam aliis unctionem ſubſequuntur, in pluribus illam comitantur, aut illi etiam inſeruntur. In Eccleſia quippe Pariſienſi juxta Rituales libros editos an. 1512. 1581. & 1601. ſeptem Pſalmi recitari poterant *eundo ad infirmum*; & juxta Rituale Meldenſe impreſſum an. 1546. recitari debebant *in domo infirmi* a ſacerdote ſimul & a Clericis ante ſacram unctionem: & dum hæc peragebatur a parocho, clerus pſalmos alios cantu modulari ſolebat. In Rituali quoque Eccleſiæ Ambianenſis, quod prodiit anno 1541. pſalmi pœnitentiales ante unctionem, & pſalmi alii ſea poſtea recitandi præſcribuntur. In Sueſſionenſi Eccleſia, juxta Ritualem librum evulgatum an. 1535. pſalmi pœnitentiales & litaniæ recitantur *poſtquam unctus eſt infirmus*. At Rituale Romanum, cui conſentiunt Sacramentale Eccleſiæ Ferrarienſis, Mimatenſis, Claromontenſis, aliaque plurima, jubet, ut unctio fiat dum pſalmi pœnitentiales dicuntur: & quædam, ut dixi, mandant ut pſalmi unctionibus interſerantur; quæ conſuetudo invaluit olim in Eccleſia Narbonenſi, Toloſana, Maſſilienſi, & Aquenſi. Exhibuit harum Eccleſiarum Rituales libros Launojus cap. 4. pag. 587. ac Martenius lib. 1. cap. 7. art. 4. Parum ab his diſcrepat Ritus Græcorum, apud quos cum unctio a ſeptem ſacerdotibus fiat, unuſquiſque inunctionem ſuam perficit alicujus pſalmi, aliarumque precum interpoſitione. Vide Euchologium Goarii pag. 408.

Vides hinc nullam fere adinveniri Eccleſiam, quæ in Unctione infirmorum non jubeat, aut ſaltem moneat, ne ſi tempus ſuppetat, pœnitentiales pſalmi omittantur: quod mea quidem ſententia conſtitutum eſt rectiſſime, et ſaluberrime. Enimvero, ut ſæpe diximus, hoc Sacramentum ſpeciem quamdam præfert publicæ pœnitentiæ. Deinde *non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt a Patribus*, prout inquit ſeſſ. XIV. in *doctrina* de hoc Sacramento Tridentinum Concilium: ideoque illius adminiſtratio poſtulat cordis contritionem, atque deteſtationem peccati maximam; quam pſalmi pœnitentiales ſinat genibus & devote a circumſtantibus recitati facile in ægrotantium animis, divina gratia cooperante, excitabunt. Nos præterea admonet Auguſtini Parentis noſtri mors pretioſiſſima, nemini, quantumvis juſto, abſque pœnitentia exeundum eſſe de corpore: unde ſcripſit in ejus Vita cap. 31. ſanctus Poſſidius: *Dicere autem nobis inter familiaria colloquia conſueverat, poſt perceptum baptiſmum, etiam laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod & ipſe fecit ultima, qua defunctus eſt, ægritudine: nam ſibi juſſerat pſalmos Davidicos, qui ſunt pauciſſimi de pœnitentia, ſcribi, ipſoſque quaterniones jacens in lecto contra parietem* poſitos diebus ſuæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter, ac ubertim flebat.* Dixi autem, *ſi tempus ſuppetat*: nam ſi infirmus in extremis laboret, pſalmi prætermitti debent, ne quod pertinet duntaxat ad ritum, impediat id, quod eſt de Sacramenti ſubſtantia: ideoque extat in antiquis Codicibus regula illa, * Col. Vatic. pœnit.

Si trahit ungendum dolor extremus, ſine pſalmis
Hunc ungas citius, ut non moriatur inunctus.

In pœnitentiæ argumentum conſueverunt majores noſtri cinerem quoque & cilicium ægrotis imponere ante unctionem ſacram, vel eos jam inunctos e lecto tractos ſuper cilicium cineribus conſperſum diſtendere. In Manuali Ancienſi edito an. 1527. & Noviomenſi an. 1560. præcipitur, ut infirmus ante peractam unctionem cilicium induat; atque in Lugdunenſi an. 1555. & Rothomagenſi an. 1586. ut ſupra pectus decumbentis crux ex cineribus conſperſis formetur. Impoſitam conſimili ratione publicam pœnitentiam dixi ſuper. libro cap. 13. num. 4. ubi vero peractæ erant ſacræ infirmorum unctiones, in diſtento ſuper terram ſagulo, ac cinere ſuperpoſito iidem infirmi collocabantur. Didicimus conſuetudinem hanc primum ex Ritualibus libris, inter quos laudatur ab Eruditis viris perantiquum Pontificale aſſervatum apud FF. Prædicatores Pariſienſes, ex editis vero Sacerdotale Venetum typis cuſum an. 1555. deinde ex inſtitutis antiquorum Monachorum; in *Conſuetudinibus* quippe Cluniacenſium Hugonis cap. 26. & Udalrici lib. 3. cap. 29. in Statutis item Carthuſianorum an. 1259. confirmatis in Generali capitulo n. 47. atque in antiquioribus Conſtitutionibus Ciſtercienſium cap. 94. pium iſtud, humile, ac triſte officium præſcribitur. Tali decumbens ſago animam efflavit ſanctiſſimus epiſcopus Turonenſis Martinus, cujus, ut Sulpitius Severus narrat, fuit memorabile illud effatum, *Non decet Chriſtianum niſi in cinere mori*. Neque ſoli hujus generis viri, Monachi ſcilicet, Sacerdotes, & Epiſcopi in cinere & cilicio ex hac vita migrabant, ſed laici etiam, ac ſummi principes: ut legimus de Odilia Hermanni, & Mathildis filia, de Ludovico VI. Galliarum Rege, & Ludovico IX. rege item Galliarum inter Sanctos adſcripto.

Inſuper apud majores noſtros in more poſitum fuit, ut infirmi ante ſacram unctionem recitarent *Symbolum Apoſtolicum*, prout colligi poteſt ex Manuali Sueſſionenſis Eccleſiæ edito an. 1530. & Ambianenſis an. 1541. Factum id puto ad Chriſtianæ fidei confeſſionem: cujus gratia presbyteri Græci inungentes infirmos imponunt illorum capiti librum Evangeliorum, prout adnotarunt Allatius in Opere de Conſenſu Occid. & Oriental. Eccleſ. lib. III. cap. 16. num. 15. Goarius in Græcorum Euchol. pag. 427. atque Alphonſus Toſtatus quæſt. 34. præfat. in Evangelium Matthæi. His commonebantur ægroti, ut pœnitentia, gemitu, fide, & ſacramentorum adminiculo reliquias omnes peccatorum abſtergerent, & ne fugientem voluptatem, vitamque hanc miſerrimam fallaci deſiderio repeterent, experti tandem in ſeipſis quod ajebat Venantius Fortunatus lib. VI. carm. 6. & quotidianus confirmat eventus,

Quidquid habet mundus, fugitivo tramite tranſit.

Atque hæc de Extrema Unctione.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS SEXTUS,

In quo agitur de Myſteriis, quibus Clerici initiantur ad divina miniſteria obeunda, de ſacris nimirum

ORDINATIONIBUS.

QUINQUE Sacramentis expoſitis, quæ pro omnibus Chriſtifidelibus inſtituta eſſe creduntur, duo remanent explicanda, quæ ſpectant certam hominum conditionem, illorum nempe, qui ſeſe divinis, ſacriſque miniſteriis addicunt, atque eorum, qui ſtatuunt agere cum legitima uxore individuam vitæ conſuetudinem, ORDO, videlicet, ac Matrimonium. Primum illorum hominum genus eſt, quod *Clericorum* appellant: laicorum alterum, non quidem omnium, ſed Eccleſiaſtico ritu connubia ineuntium. Quoniam de his, & de Sacramento, quo ſanctificantur ipſorum nuptiæ, in proximo libro dicturus ſum; nunc de ſacris Clericorum *Ordinationibus* pertractabo: æquum eſt enim, ut viri Eccleſiaſtica munera implentes præferantur iis, qui exercent officia naturæ; & Myſterium tribuens Electis in ſortem Domini gratiam & characterem præponatur Sacramento inſtituto ad conjugium firmiori vinculo, & ſanctificationis gratia perficiendum. Nomine autem *Clericorum*, quibus Eccleſiæ ſervitiis tantummodo vacandum eſt, atque hujus rei cauſſa Eccleſiaſtici *Ordinis* confertur dignitas ac poteſtas, non tantum intelligimus inferiores miniſtros, diſtinctos ab Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, qui peculiari quodam titulo conſtituunt Eccleſiaſticam Hierarchiam; quo ſenſu *Clericos* nominari ſcimus a Cypriano Saturum Lectorem, & Optatum Hypodiaconum, a Luciano Martyre Exorciſtas, & univerſim a magna Nicæna Synodo canone tertio, a Carthaginienſi III. canone viceſimo primo, ab Epiphanio in ſexageſima octava hæreſi, ac ſubinde a ſcriptoribus plurimis, initiatos duntaxat minoribus Ordinibus, vel ſola Clericali tonſura: verum etiam *Clericos* dicimus omnes, ac ſingulos, qui aut docendo, aut baptizando, aut Euchariſtiam, vel Sacramenta alia conficiendo, gerunt in Eccleſia munera præſtantiora. Quum itaque de ſacramento Ordinis pauca adverſus hæreticos præmiſſa fuerint, quibus catholicum ejuſdem ſacramenti dogma proponatur & confirmetur, per univerſos Clericorum gradus diſcurram, ubique ex mea exili penu novi aliquid proferens, & Romanæ Eccleſiæ inſtituta, diſciplinamque colluſtrans, ea denique ſummarie ſubjiciens, quæ præſertim expoſtulare videtur ampliſſima hæc, & difficillima ſacrarum Ordinationum materia: in qua exornanda, quum attentis horum temporum circumſtantiis, necnon præcedentium librorum meorum multitudine, & prolixitate, cohibere debeam calami progreſſionem, verborumque effluentiam, omiſſa qualibet alia præfatione, ad inſtituendam, definiendamque controverſiam, quæ in hoc argumento caput eſt ceterarum, invocato nomine J. C. ſummi Dei, veri hominis, & ſacerdotis in æternum, ſtatim accedo.

CAPUT I.

Demonſtratur Ordinem *eſſe proprium Legis Evangelicæ ſacramentum.*

QUid hoc loco nomine *Ordinis* accipiendum ſit, ut quiſque ſciat de qua re aggrediar diſſerere, initio exponam. Plura igitur Latini ſcriptores ſolent hoc vocabulo deſignare: principio rerum ſeriem atque diſpoſitionem, unde nihil apud Grammaticos frequentius ea phraſi, *adhibere*, *inſtituere*, *invertere*, *permutare*, *abrumpere ordinem*: tum varia civium & popularium genera, qualia fuerunt apud Romanos Senatorii, Equeſtris, & popularis ordinis diſcrimina, ſeu, ut Græci dixere, τάξεις, atque hinc ea Latinorum locutio, *conjicere*, *cogere*, *redigere in ordinem*: ſolemnes præterea juris formulas; unde illud apud Paullum ceteroſque JCC. *extra ordinem ſententiam dicere*: officia itidem ac domeſticorum munera, quo ſenſu in I. Æneadum,

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere & flammis adolere penates:

Senatum inſuper, Curiam, & Magiſtratum; idque non ſemel apud Auguſtinum noſtrum in Breviario Collationis Carthaginenſis, & in Codice Theodoſiano frequenter. His vocabuli ſignificationibus accedunt illæ, quas habet ubi de rebus Eccleſiaſticis pertractatur. Demonſtrat enim primo ſacramentorum, rituumque rationem ac methodum, quo ſenſu leguntur volumina inſcripta *Ordo Romanus*, *Ordo Æthiopum*, *&c.* coadunationem item hominum ſub certis quibuſdam inſtitutis vitam agentibus, cujuſmodi ſunt familiæ hominum religioſorum. Hierarchiam pariter, ſive ſacrorum miniſtrorum, cum dependentia a ſuperiori Antiſtite, diſpoſitionem ac principatum, quo ſenſu *in ordine conſtitute* dicuntur, qui Eccleſiaſtica pollent auctoritate: eorum rurſus, qui ſub hac hierarchia comprehenduntur, reſpectum atque comparationem: unde Auguſtinus Anconitanus, vir inſtituti noſtri omnium virtutum genere ornatus q. 1. de Eccleſiaſtica poteſtate art. 6. ait alium eſſe ordinem, quo Clerici ordinantur ad laicos, alium vero ordinem, quo clerici ordinantur ad clericos, ac præſertim ad ſummum, ſupremumque Paſtorem. Poſtremo *Ordo* ſignificat ſacram, & perantiquam Eccleſiæ ceremoniam, qua Epiſcopi aut impoſitione manuum, aut ſigno alio ſenſibili ad ſacra miniſteria aliquos deligunt, & initiant: & *Ordo* iſte eſt ſacramentum, de quo agere nunc inſtituimus.

Habent & Græci, ſervantque ex Patrum traditione ſacramentum iſtud, quod χειροτονίαν, ſive χειροθεσίαν, ideſt, *manuum impoſitionem*, appellant: quo etiam vocabulo nunc electionem, nunc initiationem clericalem Græcorum ſcripta deſignant. Nam qui alios olim deligebant ſeu ad Eccleſiaſtica, ſeu ad profana munia faciebant id αἴροντες καὶ τείνοντες τὰς χεῖρας, *manus extendentes atque attollentes*, ferendi ſuffragii gratia; manuumque pariter extenſione Antiſtites ab Eccleſiæ incunabulis ſacros templi miniſtros ad hæc uſque tempora initiaverunt. Quare Græci χειροτονίαν nomen interdum adhibent ad ſignificandam electionem Epiſcoporum, factam conventu & ſuffragio cleri, ut apparet ex IV. Nicæno canone, atque ex Antiocheno XIX. frequentius vero ſacrum illum ritum, quo vel ſacerdotio, vel alio miniſterio ad ſacerdotium directo, aliquis inauguratur. At de χειροτονίας vocabulo plura Arcudius libro VI. Concord. cap. 1. & Morinus de ſacris Ordinat. p. 3. Exercit. 1. cap. 2. Utuntur etiam Græci vocabulo χρίσεως, ideſt, *unctionis*, apud Patres agentes de ſacerdotum initiationibus frequentiſſimo: Cumque Græci nullam aliam ſacrarum Ordinationum materiam agnoſcant præter manuum impoſitionem; Simeon Theſſalonicenſis in ſuo de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis opuſculo, aliique recentiores e Græcia ſcriptores contendunt non ob inunctionem aliquam phyſicam χρίσιν dici, ſed ob myſticam & ſpiritalem. Verum id non ad præſens caput, ſed ad illud, in quo agetur *de Ordinum materia*, ſpectare videtur. Quod itaque ad vocabula pertinet, explicatum eſt ſatis.

Acceptus *Ordo* poſteriori ſenſu, in quantum ſacramentum eſt, communi hac definitione circumſcribitur: *Ordo eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato*: quam definitionem traditam a Magiſtro diſt. 24. libri IV. Sentent. tum S. Thomas q. 34. Supplem. art. 2. tum alii e ſchola Theologi plenis calculis probavere. In illa enim, inquiunt, adeſt *ſignaculi* expreſſio, genus ſcilicet, & ratio communis ſingulis ſacramentis; atque id quo *Ordo* a ſacramentis aliis ſecernitur, nempe *poteſtatis ſpiritualis traditio*. Hæc vero poteſtas dicitur *ſpiritualis*, quoniam pertinet ad miniſterium aliquod ſacrum obeundum, & longe differt ab illa gratiæ inſpiratione, quæ hujus, aliquorumque ſacramentorum ope confertur. Materiam vero, inquiunt, hujuſmodi definitio non exprimit, propterea quod in ſingulis *Ordinibus* diverſa eſt. Ec hæc quidem unanimi ſenſu, iiſdemque fere verbis univerſi ſcholaſtici. Elegantius ac plenius definitionem ipſam tradiderunt Tridentini PP. ſeſſ. XXIII. ex cujus capite primo ac ſecundo Sylvius in præcitatum Supplementi articulum hanc eruit: *Ordo eſt ſacramentum novæ legis a Salvatore noſtro inſtitutum, quo traditur poteſtas conſecrandi, offerendi, ac miniſtrandi corpus & ſanguinem ejus, necnon ſacerdotio ex officio deſerviendi.* Recte autem & commode *Ordinis* nomen huic ſacramento videtur impoſitum; quoniam in Eccleſiaſtico miniſterio multi ſunt gradus, & variæ functiones, omniaque certa ratione diſtributa ſunt, & collocata, ut p. 2. cap. 7. num. 9. ait editus juſſu S. Pii V. Catechiſmus.

His de more præmiſſis, nequaquam nobis in ea quæſtione immorandum eſt, an extet in Eccleſia ſacer *Ordo*. Quamquam enim hæreticorum permulti laicos ſimul clericoſque confundant, omnibuſque, etiam feminis, munia Eccleſiaſtica attribuant, quod omnes fideles idoneos exiſtiment ad miniſterium verbi, fidemque excitandam; fatentur tamen ad illa munia quemlibet deligendum aut conſenſione laicorum, aut presbyterorum delegatione, ne perturbata ſint omnia, ac permixta; ideoque habent & ipſi miniſtros ſuos, necnon Epiſcopos ac Paſtores. A nobis ergo in hoc diſſident: alii quidem quod indiſcriminatim omnibus munia Eccleſiæ committant, quod refutavimus libro xxx. cap. 13. & libro xxxiii. cap. item 13. ubi oſtendimus non eadem poteſtate in Eccleſia laicos clericoſque pollere: alii quod inaugurationem ſacrorum miniſtrorum unicuique concedant, idque refutabitur ubi occurret ſermo de hujus ſacramenti miniſtro; alii quod, etſi admittant miniſtros electos impoſitione manuum presbyterorum, negant tamen inaugurationem iſtam, ſive electionem fieri gratiæ ſignaculo, & proprio legis Evangelicæ ſacramento. Cum his itaque hac prima velitatione manus ſunt conſerendæ, & litteratium ineundum certamen.

Adverſariorum duces hi ſunt. Lutherus in libro de Captiv. Babylonica negat pertinaciſſima *Ordinem* inter ſacramenta eſſe connumerandum: at in Tract. de Miſſa privata denegare non eſt auſus ſervari in Eccleſia Romana ex vetuſtiſſima conſuetudine *Paſtorum Ordinationes*. Melanchthon in locis communibus an. 1523. procul ſit Argentorati in ſacros Ordines & ipſa inſilit; at in poſterioribus ejuſdem Operis editionibus, necnon in Apologia art. 13. Confeſſ. Auguſtanæ hoc ſacramentum recepit. Abjecerunt illud hujus farinæ alii, non tantum Chemnitius, & Illyricus, commemorati in lib. de Sacram. Ord. ab eruditiſſimo Bellarmino; ſed etiam David Chytræus in commentario ad cap. 29. Exodi, Lutherani omnes in colloquio Altenburgenſi, Confeſſio Helvetica cap. 19. omneſque alii, qui duo tantum ſacramenta agnovere, Baptiſmum, & Euchariſtiam. At in Confeſſione exhibita Carolo V. in Auguſtanis Comitiis art. 14. Ordinem Eccleſiaſticum profeſſi ſunt, ſed caute addidere illam tantum rationem, *Quod nemo debeat in Eccleſia publice docere, niſi rite vocatus*, ne hæretica dogmata alia ſubverterent. Nam cum ſacrificium Euchariſticum de medio tollant, neque aliam poteſtatem in Eccleſia agnoſcant, quam *docendi*, *prædicandi*, *& adminiſtrandi ſacramenta*, ut conſtat ex eadem Confeſſione in *Articulis mutatis* n. 7. parum propriæ cauſæ conſuluiſſent tribuendo ſacramento *Ordinis*, aut poteſtatem conſecrandi, aut characterem, aut gratiæ efficacitatem, a ſe etiam baptiſmati, & Euchariſtiæ denegatam. Ceterum ea in Confeſſione *Ordinis* ſacramentum non reſpuunt, eo ſaltem ſenſu, quo admittitur ſacramentum ab his, qui negant gratiæ efficiens ſignaculum, & ſoli fidei juſtitiam imputant. Quo nomine Confeſſioniſtis plauſit plurimum in ſua *Conſultatione* Caſſander, eoque fatente, illuſtris Eckius nihil aliud ad concordiam ineundam a Lutheranis in hoc articulo deſiderabat, quam ut docendi miniſterio, cujus gratia confertur Ordo, adjungeretur inſuper *conſecrandi poteſtas*: atque idem habetur in libro ad compoſitionem propoſito, de quo ipſe Caſſander cap. 14. laudatæ *Conſultationis* juſſu Ferdinandi I. & Maximiliani II. conſcriptæ. Calvinus etiam Eccleſiaſticorum rituum, ſacrificii Miſſæ, & efficaciæ ſacramentorum inſenſus hoſtis, plura adverſus Catholicos partim mimice, partim ſacrilege evomuit, puta, dum in iv. Inſtit. cap. 19. minores Ordines vocat *ſacramentula*, ait ex turba illa minorum pullulaſſe ſubdiaconatum, ſcribit impoſitione manuum myſteriorum diſpenſatores, non *victimarios* inaugurari, characterem, ritumque unctionis deridet, aliaque ceteris novantibus communia conſarcinat, quæ in qualem ſcopum collineet, jam diximus. At *Ordinem* ſacramentum eſſe eo loci hæreſiarcha fatetur, & ſe excuſans quod hoc idem alibi non tradiderit, n. 28. inquit: *Quantum ad veri presbyterii munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo; illic enim ceremonia eſt, primum ex Scripturis ſumpta, deinde quam non eſſe inanem nec ſupervacaneam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum, teſtatur Paulus. Quod autem in numero non poſui, ut factum eſt, quod non ordinarium, nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus*. Similia Calvinus ſcripſerat cap. 14. num. 20. ejuſdem libri. Non inutile erit hanc hæreticorum inter ſe diſſenſionem advertere, quam adverſus illos iterum urgebimus in diſpoſitione argumentorum, quibus proximam theſim conabimus corroborare.

PROP. *Ordo*, quo ſacri miniſtri initiantur, eſt verum propriumque legis Evangelicæ ſacramentum.

Id evincitur ſacrarum litterarum auctoritate, traditione Patrum, conſtanti definitione univerſalis Eccleſiæ, fidelium omnium conſenſu, ipſorum hæreticorum confeſſione, atque demum comparatione Eccleſiæ Chriſti cum aliarum Religionum conſuetudinibus. Primum momentum hujus generis eſt. Dari in Eccleſia Chriſti quoſdam miniſtros a ceteris credentibus ſegregatos, atque ad ſacra munia obeunda delectos, ex novo teſtamento evidentiſſimum eſt: in Actibus enim Apoſtolicis cap. vi. legimus diaconos ante pedes Apoſtolorum conſtitutos fuiſſe peculiari muneri deſtinatos, & cap. xiv. a Paulo & Barnaba conſtitutos fuiſſe presbyteros per univerſas Eccleſias. Apoſtolus item ſcribens ad Epheſios cap. 4. ait quoſdam a Chriſto Domino ſelectos fuiſſe ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii; Tito cap. 1. mandat ut presbyteros per civitates conſtituat: Timotheum in utraque Epiſtola monet, ut in hujuſmodi electionibus caute, prudenterque ſe gerat; atqui ad Hebræos ſcribens cap. 5. affirmat eos, qui ſacrificia immolant, ex hominibus aſſumi, nec aliquem debere ſibi honorem hunc arrogare, niſi vocetur, tamquam Aaron, a Deo. Non opus eſt, ut teſtimonia Apoſtoli, quantum ad ſacrorum miniſtrorum inaugurationem attinet, expreſſiſſima, exſcribantur & proferantur. Atqui talis inauguratio, aliquorum ſaltem miniſtrorum, (nolumus enim de numero *Ordinum* in hoc capite diſceptare) facta eſt, & fit modo, per verum, proprium & legitimum ſacramentum. Idem itaque ſacramentum demonſtratur ſanctarum litterarum auctoritate. Minorem probo; primum quippe habemus his in locis, ſacram ceremoniam, ſenſibile ſignum ritumque externum, id eſt, χειροτονίαν ſupra explicatam, manuumque impoſitionem: nam Act. vi. 6. Apoſtoli electis ſeptem diaconis, & coram ſe conſtitutis, προσευξάμενοι ἐπέθηκαν τὰς χεῖρας, *orantes impoſuerunt manus*: factum idem presbyteris a Paolo & a Barnaba electis cap. xiv. 22. ubi quod in Latina legitur, *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros*, ita exhibet Græca lectio, Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν, aperte ipſam χειροτονίαν exprimens. Haud alio ritu ordinatus Timotheus, de quo Paulus epiſt. 1. cap. iv. 14. ait donatum fuiſſe gratia *cum impoſitione manuum presbyterii*, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου; & Epiſt. 2. cap. 1. 6. *cum impoſitione manuum* ejuſdem Pauli, διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. De externo itaque ritu in *Ordinatione* Apoſtolorum quoque ætate uſurpato nefas eſt hæſitare. Deinde eodem ritu, eademque manuum impoſitione gratiam fuiſſe collatam aperte Apoſtolus ipſe teſtatus eſt, Timotheum commonefaciens, ut gratiam ſacra illa ceremonia receptam cuſtodiret, excitaret, ac minime otioſam redderet, ſcribens priori loco, *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii*, Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, διὰ προφητείας, *&c.* in altero autem, *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum*, ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, &c. Habemus denique in ſacris litteris initiationes illas gratiæ effectrices Deo inſtrumenta fuiſſe perfectas, tum quia legimus Apoſtolos, ceteroſque miniſtros conſtitutos a Domino, in Actibus Apoſtolicis xx. 28. in 1. ad Corinth. xii. 28. & ad Gal. iv. 11. tum etiam, quia Dominus iiſdem Apoſtolis tradidit poteſtatem remittendi peccata, Euchariſtiam conficiendi, ſacra myſteria diſpenſandi, regendi Eccleſiam, eique rectores & adminiſtros præficiendi, & deligendi, Joan. xx. 22. Matth. xxviii. 19. ad Corinth. 1. xi. 24. xii. 28. &c. Manifeſte itaque habemus in novo Teſtamento tria illa, quæ hæreticorum conſenſu ſufficiunt ad ſacramentum conſtituendum, ſacram nempe ceremoniam, gratiæ ſignaculum, atque Domini mandatum & inſtitutionem; ideoque clericorum *Ordinatio* eſt verum, propriique nominis ſacramentum.

Idem traditio Patrum confirmat. Certiſſimum quippe eſt, nec ab ipſis hæreticis revocatur in dubium, ſacros miniſtros, Epiſcopos præſertim, presbyteros, & diaconos a plebe ſejunctos, commemorari in Epiſtolis Ignatianis ad Trallianos & ad Smyrnenſes, in Juſtini Apologiis, in canonibus Apoſtolicis, iis etiam qui ex antiquorum ſynodorum collatione habent exploratiſſimam auctoritatem; ut mittam Clementis, Dionyſii, aliorumque monimenta, de quibus criticorum variant judicia. Loqui autem Patres de conſtitutis in Eccleſiaſtico *Ordine* per initiationes ad ſacramenti dignitatem evectas, tum Græci docent, tum Latini; quorum nonnullos nunc proferam. Nazianzenus Orat. in Baptiſma Chriſti pag. 802. ait virtute conſecrationis & benedictionis ſacerdotes plurimum condecorari, & non tantum officio ac munere, verum etiam interiori *charactere*, atque Spiritus ſancti unctione a laicis ſecerni. *Eadem*, inquit, *verbi poteſtas etiam ſacerdotem auguſtum & honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi ſeparatum*: ἡ αὐτὴ δὲ τοῦ λόγου δύναμις καὶ τὸν ἱερέα ποιεῖ σεμνὸν καὶ τίμιον τῇ καινότητι τῆς εὐλογίας τῆς πρὸς τῆς πολλῆς κοινότητος χωριζόμενον. Subjicitque eumdem ſacerdotem, quamvis exteriori vultu non immutatum, *quadam tamen inviſibili vi, & inaſpectabili gratia interiorem animum gerere in meliorem transformatum*, ἀοράτῳ τινὶ δυνάμει καὶ χάριτι τὴν ἀόρατον ψυχὴν μεταμορφωθεὶς πρὸς τὸ βέλτιον. En ergo manifeſtus in *Ordine* gratiæ ac ſpiritalis poteſtatis effectus. Sanctus item Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio n. 4. *Ipſe*, inquit, *Paracletus miniſterium iſtud diſpoſuit*: αὐτὸς ὁ παράκλητος ταύτην διετάξατο τὴν ἀκολουθίαν: eodemque miniſterio fungentes digniores eſſe demonſtrat levitarum, veterumque ſacerdotum ordinibus: quod *gratia Spiritus ſancti* ornati ſint, & ad tantum imperium evecti, *quod animam attingat, cæloſque tranſcendat*. Vide noviſſimæ edit. tom. 1. pag. 382. Ipſemet in Oratione, in qua demonſtrat

ſtrat *quod Chriſtus ſit Deus*, eodem Volumine pag. 571. commemorat ſacros ritus adhibitos *in ſacerdotum Ordinationibus*, *ἐν ταῖς τῶν ἱερέων χειροτονίαις*: tomo altero de Reſurrectione pertractans pag. 436. affirmat *Ordines* myſterium talis eſſe generis, ut ſine deſcenſu Spiritus ſancti, (cujus virtute regeneramur baptiſmate, conſertur ſanctitas & juſtitia, & corpus & ſanguis myſticus fiunt) *ordinationes* ſacrorum miniſtrorum fieri non valeant, *οὐκ ἂν ἱερέας ἐσχήκαμεν. οὐδὲ γὰρ ταύτας δυνατὸν τὰς χειροτονίας ἄνευ τῆς τοῦ πνεύματος ἐπιφοιτήσεως γενέσθαι*. *Neque* (ſine ſpeciali divini Spiritus munere) *Sacerdotes habuiſſemus, neque poſſibile foret horum Ordinationes ſine tali deſcenſu fieri*. Gratiam denique *Ordinatione* collatam deſcribit in Epiſtolam 1. ad Timotheum, ut dicam poſtea.

Ne Latinos prætercam, Tertullianus de Præſcript. cap. 40. demonſtrat diabolum divina ſacramenta in idolorum myſteriis æmulari, tingens, & de lavacro expiationem promittens, ſignans in fronte milites ſuos, celebrans panis oblationes, & Pontifices etiam conſtituens: quod & adnotavimus lib. xxx. cap. 5. Quemadmodum ergo baptiſmum & Euchariſtiam, ita Confirmationem, Ordinem, & ſacramenta alia cognovit, ut Jacobus Pamelius adnotat. 239. erudite demonſtrat. Accedunt quæ lib. de Reſurrect. cap. 8. ait de impoſitione manuum, qua ſacros *Ordines* deſignaſſe cenſet 3. Volumine Omniloquii pag. 282. Carolus Moreau. De exhortat. etiam caſtitatis cap. 7. monogamiam laicorum commendat comparatione ſacerdotum, a miniſterio quod hi exercent ſacra ordinatione initiati argumenta deducens ad ſacrificia orationum & laudum, quæ etiam laici immolant; communiori proinde ſenſu in 1. Epiſtola Petri, & in Apocalypſi Joannis & ipſi appellati *ſacerdotes*, quemadmodum dixi hujus Volum. pag. 96. eripiens hæreticis argumentum, quod adverſum nos ex hoc eodem loco depromunt. S. Cyprianus *Ordinationem*, ut ipſe appellat, *clericam* epiſt. 33. & 66. & quidem ad divina miniſteria, ab Epiſcopis, & cum collatione ſpiritalis poteſtatis factam commemorat, quemadmodum & ſacrificium Chriſtianum ab initiatis ſolummodo oblatum, epiſt. 37. ac 63. in libro de Lapſis, & aliis in locis: quorum nonnulla produximus xxxiii. libro cap. 19. pertractantes de Miſſa. At præſtantiſſimus Auguſtinus, nomen etiam hæreticis venerandum, tam expreſſe ſacrarum *Ordinationum* ſacramentum litteris commendavit, ut nihil poſſit deſiderari luculentius. Scribens enim de Bono conjugali cap. 24. n. 32. memorat *Ordinationem cleri*: ait permanere *in ordinatis ſacramentum Ordinationis*, & clericum, etiamſi ab officio removeatur, non carere *ſacramento Domini ſemel impoſito*: confutans epiſtolam Parmeniani lib. 2. cap. 13. num. 28. aſſerit tam baptiſmum, quam *Ordinem* in hæretico & apoſtata permanere, *Utrumque enim*, inquit, *ſacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, iſtud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari*: addit, ſi id fieret, maximam illatum iri *ſacramento injuriam*: idem reperit proximo n. 30. hoc validiſſimo argumento Donatiſtas exagitans; *Si enim utrumque ſacramentum eſt*, Baptiſmus & Ordo, *quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri ſacramento injuria facienda eſt*. Eodem pacto Donatiſtas vellicat lib. 1. de Baptiſ. cap. 1. num. 2. Quibus in locis & *Ordinationem* dicit ſacramentum, & aſſirmat de hac re neminem catholicorum dubitare, & *Ordinem* æquiparat baptiſmati, & utriuſque ſacramenti agnoſcit perſiſtentiam, ſeu *characterem*. Sacerdotes quoque proprie dictos, & ſacramento inauguratos, atque a fidelibus laicis deſtitutos agnoſcit Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 21. lib. 2. adverſus Petilianum num. 243. De hæreſibus num. 27. aliiſque in locis bene multis. Conſentiunt Auguſtino Africani omnes Epiſcopi in litteris ad Marcellinum, ab eodem Auguſtino productis in libro de Geſtis cum Emerito Donatiſta num. 5. ubi de Cæciliani *ordinatione* loquuntur, ſpondentque ſe *ordinatos* a Donatiſtis recepturos, modo redeant ad unitatem. S. Paulinus Poemate xv. ſive Natali iv. S. Felicis, hujus, & Quinti *ordinationem*, ſervatum in ea tempus, & *Ordinis* dignitatem & munia ita recenſet:

Sed ut hoc quoque palmam
Juſtitiæ ferret, meritum ſublime quieta
Corde premens velut indignus, non audet honore
Creſcere, teſtaturque ſeni mage debita Quinto,
Quod prior ille gradum ſocii meruiſſet honoris
Presbyter: hæc ſeptem diſtabat ſumma diebus, &c.

Leo Magnus Epiſtola ad univerſos Epiſcopos Cæſarienſis in Mauritania provinciæ num. 87. & in editione Queſnelliana num. 1. demonſtrat nulli *ante ætatem maturitatis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ* tribuendum eſſe ſacerdotalem honorem, allatis verbis Apoſtoli in 1. ad Timotheum v. 22. *Manus cito nemini impoſueris, &c.* extantque etiam Leonis verba cap. *Quid eſt manus*, Diſt. 78. num. 3. Eadem epiſt. cap. 5. ſanctus Leo laicos a Clericis ſecernit; Maximi, Aggari, Tyberiani paullo poſt *ordinationes* recenſet, & tota Epiſtola docet *ordinationes* fieri ad ſacras adminiſtrationes obeundas: epiſt. 2. ad Ruſticum, alias 92. num. 2. ait locari aliquos in Presbyterali aut Diaconii gradu *conſecratione*: pluraque in aliis Epiſtolis habet lectu digniſſima ad ordinationum miniſtros, tempora, interſtitia, eligendorumque conditionum ſpectantia, ſuiſque in locis aſſerenda. Denique Magnus Gregorius (nam quoſdam alios proferam paullo infra referens hæreticorum ſophiſmata) *ordinationum*, quæ fiunt manuum Epiſcopi impoſitione, meminit epiſt. 34. lib. x. minores quoque ordines vocat *ſacros* lib. 2. Dialogorum cap. 16. quoniam iis clerici ritu ſacramentali initiantur, ut in notis tom. 2. pag. 240. obſervarunt Benedictini editores; atque in Epiſtola 46. ſecundi libri ad Joannem Epiſcopum Ravennatenſem, demonſtrat *ordinationem* iterari non poſſe eodem argumento, quo Auguſtinus perculit Donatiſtas, inquiens: *Sicut baptizatus ſemel iterum baptizari non debet: ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum Ordine conſecrari non valet*. Quod, ut dixi, eſt perſpicua expreſſio *characteris* ſacramentalis. Ex his vero ſanctorum Patrum teſtimoniis eruitur conſequens ratiocinatio. Ritus in Eccleſia a priori origine continuo ſervatus, ut miniſtri altaris myſtica initiatione alligantur, habet ſacramenti proprietatem, ſi per illum diſcreti ſint a plebe fidelium, ſpirituali poteſtate donati, peculiari intimoque Spiritus ſancti chariſmata muncti, ſingulari gratia innovati, & ſignati etiam indelebili nota, ſeu *charactere*. Atqui, ſi Patrum ſcripta pervolutantur, hæc omnia in ordinatione clericorum inveniuntur. Igitur *ordinatio* clericorum, juxta ſcripta & documenta Patrum, habet ſacramenti proprietatem.

Accedunt in veritatis confirmationem definitiones Eccleſiæ. Permulta enim Concilia ſimoniacas *ordinationes* tanquam illicitas condemnarunt, quod in his pretio darentur ſacramenta, & venalia fierent inſtrumenta gratiarum. Ita an. 451. Synodus Chalcedonenſis juſſit can. 2. ut de gradu dejiciantur Epiſcopi, qui *propter pecunias ordinationem fecerint, & non venalem gratiam in venditionem deduxerint*: *ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν*. Similia habentur in Concilio Bracarenſi iii. celebrato an. 572. ſub Svevorum rege Mirone, necnon in Synodis Romæ, Ticini, Remis, & Moguntiæ habitis a S. Leone IX. & in aliorum Pontificum ſtatutis. Inter ſeptem ſacramenta *Ordinem* commemoravit in celebri unionis decreto Eugenius IV. idque confirmavit ſeſſ. 23. can. 3. ſacroſancta Synodus Tridentina hiſce verbis: *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe verum & proprium ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & ſacramentorum, anathema ſit*. Ad memoriam autem revocanda ſunt, quæ diximus agentes de ſacramentis reliquis, imperceptibilia omnino eſſe doctiſſimos, & pene innumeros Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos in dogma recenter natum conſpiraſſe, iiſdemque omnes Eccleſias præſtitiſſe aſſenſum; atque unanimem omnium ſenſum eſſe argumentum certiſſimum veritatis.

Neque tantum univerſæ Latinorum Eccleſiæ, ſed quotquot per univerſum orbem diffuſæ ſunt, ſacramentum iſtud recipiunt. De Græcis dubitare nos minime ſinunt vulgata Euchologia, & Confeſſiones Emmanuelis Calecæ, Georgii Protoſyncelli, Simeonis Theſſalonicenſis, quos omnia ſacramenta, quæ nos credimus, certiſſima & inconcuſſa fide profiteri, demonſtravimus libro xxx. cap. 5. Adde modo Theodorum Balſamonem, Georgium Pachymeram, & Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum aſſerentes apud Arcudium lib. vi. cap. 1. nullum unquam Græcorum de veritate hujus Sacramenti hæſitaſſe. De Coptis, & Jacobitis diximus cap. 5. paullo ante citato. De Syriacis vero & Maronitis teſtem habemus Joannem Darenſem de Hierarchia Eccleſ. cap. 15. Joannem Maro in lib. de diviſionibus Sacerdotii, Fauſtum Naironum in Evoplia, Joannem Morinum de Sacris Ordinat. 2. parte: &, quod caput eſt, non auſi ſunt hoc Sacramentum negare hæreticorum pervicaciſſimi. Lutheranorum hac in re variationem, & erumpentem ex invitis pectoribus veritatem adnotavimus Tom. iii. pag. 285. De Melanchthone, & Calvino in hoc eodem capite dictum eſt. Bohemos Epiſcopis deſtitutos miſiſſe ad antiſtites Romanæ Eccleſiæ clericos initiandos, demonſtrat Jacobus Benignus Boſſuet in Hiſt. Variat. lib. xi. pag. 178. Angli pariter, quamvis violaverint ritum *ordinationis*, nunquam tamen hanc denegarunt, & adhuc habere ſe Epiſcopos, & presbyteros jactant, ut demonſtrat idem auctor clariſſimus lib. vii. n. 76. Per Saxoniam, & Lunemburgenſem provinciam fieri a Lutheranis *Ordinationes* miniſtrorum cum impoſitione manuum, & certa verborum formula, demonſtrat altera parte Apolog. pag. 199. Lindanus; & Eccleſia quoque Witembergenſis diu *Ordinationem* habuit pro Sacramento, ut Lindanus ipſe demonſtrat ex Libro Sebaſtiani Fruſſchelii de Sacerdotio. Valdenſes demum, & Huſſitas, quos Novatores tanquam patriarchas ſuos reverentur, inter vera Sacramenta *Ordinationes* ſacras adnumeraſſe conſtat ex ipſorum Confeſſione an. 1504. exhibita regi Uladiſlao, de qua dixi lib. xxxii. cap. 1. aliiſque in locis; atque etiam Picardi *quatuor Sacramenta*, inter quæ ſacra *Ordinatio*, recipiunt, ut in Converſione ſua Proteſtantibus objicit Joannes Georgius Rat. 35. n. 18. *Ordinationem* itaque ſacrorum mini-

Digitized by Google

miniſtrorum eſſe ritum ſublimi & maxima Sacramenti dignitate a Domino condecoratum, Catholici omnes Latini, Orientales univerſi, iidemque pervicaciſſimi hæretici majori ex parte conſentiunt; nec aliud ſere dogma fidei poteſt inveniri ampliori hominum approbatione receptum.

Si comparatur inſuper Eccleſia Chriſti cum ceteris religionibus, haud levi conjectura inde inferri poterit ſacrorum *Ordinum* inſtitutio. In lege naturæ fuiſſe Sacerdotes, quibus tantum fas erat immolare victimas, atque id muneris commiſſum familiarum rectoribus, & primogenitis, cuilibet apertum eſt: nec deſunt, qui putent primogeniti jura, quæ Eſau ceſſit Jacobo, fuiſſe *jura ſacerdotalia*, non refragante huic opinioni in libro de Traditionibus hebr. Gen. XXVII. 15. præſtantiſſimo Doctore Hieronymo. Neque caret probabilitate id honoris confirmatum ipſi Jacobo cum paternam benedictionem ſubripuit Gen. XXVII. 27. ut lib. IV. de Eccleſia oſtendere nititur Bauldncius. Quidquid ſit; communia olim non fuere jura ſacerdotalia, nec pro arbitrio hominum ab uno in alium transferri poterant; ideoque Jethro ſacerdos Madian increpavit Moyſen, quando omnibus filiis Aaron contulit hunc honorem, ſi fides habenda ſcriptori Antiquitatum Judaicarum lib. IV. cap. 2. At Moſes id fecit juſſu Dei, honorabilius ſacerdotium conſtituentis, quam fuerat naturali vigente jure. Filios autem Aaron, quos a tribu *Levitas* dicimus, ſacramento quodam ſui generis Moſes inauguravit, mactato prius vitulo, & ariete, hujuſque ſanguine initiandis delibutis, manibus etiam impoſitis illorum capiti, Exodi XXIX. ro. 22. Dicti propterea fuere כֹּהֲנִים *Cohenim*, a כָּהַן, quod eſt, *ſacerdotio fungi*, & ampliori ſenſu λειτουργεῖν, *miniſtrare*; ut oſtendimus lib. XXVII. cap. 8. unde etiamnum Æthiopes vocant ſacerdotem *Chahen*, Armeni *Kahana*, Maronitæ *Chohno*, vocabulis a vetuſtiori Hebræorum lingua derivatis. Is autem, qui principem obtinuit locum, כהן גדול *Cohen gadôl*, ſcilicet, *ſacerdos magnus*, Judæis appellabatur. Exiſtimabant porro ipſi Judæi impoſitione manuum ſupernam quamdam virtutem conferri; & idcirco hoc ritu inauguratos fuiſſe Levitas tradidit Maimonides in Statutis de Sanehedrim cap. 4. & Benjamin Tudulenſis apud Beveregium in canonem primum inter Apoſtolicos. Et de Joſue quidem Deut. XXXIV. 9. legimus, divino ſpiritu fuiſſe repletum, *quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas*: כי סמך משה ידיו עליו A Judæis accepiſſe initiationes ſuorum ſacerdotum Ethnicos idololatras, gravi hac oratione docet Tertullianus de Præſcript. cap. 40. *Si Numæ Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia & privilegia, ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta & vaſa ipſorum ſacrificiorum ac piaculorum, & votorum curioſitates conſideremus; nonne manifeſte diabolus moroſitatem illam Moſaicæ legis imitatus eſt?* Profecto quantum ad initiationes ſpectat; Gentiles ritum Moſaicum fuiſſe imitatos conſtat ex epitheto in antiquis lapidibus attributo ſacerdotibus idolorum, ubi *Taurovoliatæ*, ſive *Critoboliati* appellantur; eſt enim *Taurobolium*, mactatio tauri; *Critoborium* vero arietis: quarum victimarum ſanguine inauguratos Pontifices ornate deſcribit Prudentius περὶ στεφ. X. Quo in loco tauri mactatione deſcripta, ait:

Illapſus imber tabidum rorem pluit,
Defoſſus intus quem ſacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe ſubjectans caput,
Et veſte, & omni putrefactus corpore.

Sic inauguratos Latini appellaverunt *Pontifices*, ſive a *Sublicio ponte*, quo cis, & ultra Tiberim procedebatur ad ſacrificia, ſive potius a *poſſe & facere*. Erudite de his ſcripſit Myrothecio II. cap. 77. noſter Fanenſis. De ſacerdotibus vero Perſarum, Indorum, Brachmanum, Tartarorum, aliarumque nationum, vide in Quæſtionibus Alnetanis lib. 2. cap. 20. num. 6. præclariſſimum Epiſcopum Abrincenſem. Quibuſvis itaque religionibus ſunt ſacerdotes & altarium miniſtri a plebe ſejuncti, jura ipſis peculiaria, & munia, quæ ceteris nefas eſt exercere; nec diabolus æmulator ſituum divinorum voluit profanos ſibique addictos idololatras his carere myſteriis. Cum itaque in Evangelica lege offeratur ſacrificium longe omnibus aliis præſtantius: quid mirum, ſi pro miniſteriis ad ipſum ſacrificium ſpectantibus deligantur peculiares viri, atque hi initientur myſtica ceremonia, per quam poteſtate ceteris mortalibus denegata, & virtute ad hanc exercendam condecorentur, adeo, ut tanto initiationes Chriſtianæ religionis excedant inaugurationes aliarum, quanto ſacrificium noſtrum ſuperat aut Leviticas, aut ſuperſtitioſas immolationes? Hinc hæretici non alia de cauſa in ſacras *ordinationes* inſiliunt, niſi quia ſacrificio Miſſæ adverſantur; unde ſacerdotes noſtros appellare ſolent *ſacrificulos & victimarios*: ſed quam impudenter, quam inique, colligi poteſt ex libro XXVII. cap. 7. & XXXIII. cap. 19.

AD ARGUMENTA HÆRETICORUM RESPONSIO.

Nunc vero ad hæreticorum ſophiſmata. Objiciunt primo Lutherani loca illa ſcripturæ, quæ affirmant fideles omnes in Chriſto regeneratos fulgere honore ſacerdotali. At hæc producta fuerunt, & explicata volum. III. pag. 204. & ſeqq. & hoc volum. pag. 96. nec opus eſt, ut ſemel, iterumque dicta repetantur. Unum addam tantum, ſicuti longe diſtat commune ſacrificium laudis, & ſpiritus contribulati, ab immaculati Agni myſtica immolatione, ita diſcrepare *ſacerdotium*, quo fideles, & populus acquiſitionis confeſſione fidei precibuſque Deo ſtant, ab illo ſublimiori, quo funguntur initiati impoſitione manuum Epiſcoporum. Hoc diſcrimen traditum fuiſſe ab Auguſtino, dictum eſt paullo ſupra: in viceſimo enim libro de Civitate Dei cap. 21. docet etiamnum in Eccleſia *Sacerdotes & Levitas eligi*, non quidem ex genere carnis & ſanguinis, *ſicut erat primum ſacerdotium ſecundum ordinem Aaron*, ſed munere divinæ gratiæ, *ſicut oportebat in teſtamento novo, ubi ſecundum ordinem Melchiſedech ſummus ſacerdos eſt Chriſtus*; atque expreſſe affirmat hoc ſacerdotium non eſſe commune, quamquam illud *ſæpe aſſequuntur indigni*. Vide alia, quæ produximus ex libris S. P. contra Donatiſtas, necnon ejuſdem Operis de Civit. Dei lib. X. cap. 6. ubi docet aliud eſſe ſacrificium, quo Deo exhibemus corpora noſtra hoſtiam viventem; aliud vero, quod offertur in ſacramento altaris, ubi oblatio ipſa bonorum operum, quibus Deo inhæremus, ſignificatur & demonſtratur. Ipſamet ratio ſacrificii exigens externum ritum, oblationem, immutationemque rei, quæ ſupremo Domino offertur, manifeſtam reddit hanc differentiam. Communis itaque fidelium conditio non excludit peculiares miniſtrorum ſacrorum *Ordinationes*.

Opponunt 2. Impoſitio manuum, cujus meminit Apoſtolus ad Timotheum non erat ritus ad ſacramenti dignitatem aſſurgens, nec ſymbolum gratiæ ſanctificantis, ſed ceremonia quædam, per quam gratia *gratis data* ſacris miniſtris conferebatur: ideoque ex verbis Apoſtoli inferri nequit ſacræ *Ordinationis* ſacramentum. Id hæretici probant, quoniam in utroque Pauli loco, ideſt, tam 1. ad Timoth. IV. quam 2. ad eumdem Timot. I. gratia impoſitione manuum collata, non χάρις dicitur, ſed χάρισμα, quo nomine in 1. ad Corinth. XII. 4. deſignantur gratia ſanitatum, diſcretio ſpirituum, aliaque dona, quæ ibidem dicuntur διαιρέσεις χαρισμάτων, *diviſiones gratiarum*. Accedit, quod Apoſtolus affirmat datam Timotheo hanc gratiam διὰ προφητείας, *per prophetiam*, quæ utique ad illa genera gratiarum refertur; nam inquit ſuperiori loco Apoſtolus, ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα δυνάμεων, ἄλλῳ δὲ προφητεία, *Alii operatio virtutum, alii prophetia, &c.*

Reſp. inane eſſe hoc argumentum hæreticorum, qui negant ſacramentorum efficacitate *inhærentem gratiam* produci. Præterea idem argumentum omni ex parte inſulſum, ineptumque eſt. Principio enim χάρισμα, & χάρις idem ſignificare, ac duobus hiſce vocabulis comprehendi omnia gratiarum genera, docent Lexica Græcorum ſingula. Ipſe Paulus de gratia juſtificationis pertractans ad Romanos V. 15. *Chariſma* illam aperte vocant, dicens, *Sed non ſicut delictum, ita & donum* ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτως καὶ τὸ χάρισμα. Immo in eodem cap. 12. Epiſtolæ 1. ad Corinthios, variis gratiarum generibus enumeratis, inquit: *Æmulamini autem chariſmata meliora*, ζηλοῦτε δὲ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Quis autem credat Apoſtolum hortari nos ad æmulationem *virtutum*, atque ſignorum, & non potius ſanctitatis & caritatis? Multo minus vocabulum illud χάρισμα anſam præbere poteſt hæreticis denegandi ſacramentum *Ordinis*, propterea quod hoc nomen uſurpatum ſit ab Apoſtolo ſcribente ad Timotheum; ſacra enim *ordinatio* & ſanctitatem confert, & poteſtatem multiplicem, quæ ad aliorum ſpectat utilitatem: unde gratia hoc ſacramento collata χάρισμα peculiari titulo dicenda erat. Hinc Chryſoſtomus Hom. I. in 2. Epiſtolam ad Timotheum hanc gratiam explicans, productis illis verbis: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, &c.* inquit: τουτέστι τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, ἣν ἔλαβες εἰς προστασίαν τῆς ἐκκλησίας, εἰς σημεῖα, εἰς τὴν λατρείαν ἅπασαν. ἐν ἡμῖν γάρ ἐστι καὶ σβέσαι, καὶ ἀνάψαι τοῦτο, *Hoc eſt gratiam ſpiritus, quam accepiſti ad Eccleſiæ inſtitutionem, vel ad omne religionis obſequium: quippe in nobis eſt hanc vel extinguere, vel excitare*. Poſtea demonſtrat Spiritus ſancti gratiam, quæ in nobis extinguitur, eſſe gratiam adoptionis, & gratiam caritatis, qua clamamus, *Abba*, Pater, allatis verbis 1. ad Theſſalonic. V. 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, *Spiritum nolite extinguere*, & ad Romanos VIII. 15. ἐν ᾧ κράζομεν, Ἀββᾶ ὁ πατήρ, *In quo clamamus, Abba, Pater*. Tria hic noto; primum, gratiam collatam Timotheo dici χάριν: alterum hoc nomine comprehendi quidquid ſpectat ad religionis miniſteria obeunda: poſtremum inter alia recenſeri gratiam adoptionis & caritatis; quod vellem etiam ab aliis animadverti. Conſentiunt Chryſoſtomo Theophylactus, & Œcumenius. Ambroſiaſter item χάρισμα interpretatur *donum gratiæ Dei acceptum per ordinationem presbyterii*; & advertit Apoſtolum ſubjicere, *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis*, ſcilicet, inquit ille in Appendice Ambroſiana pag. 305. *ſpiritum lætitiæ propter juſtificationem*. Hæc autem omnia, non in gratiam hæreticæ argumentationis, quam infirmiſſimam, ineptiſſimamque eſſe arbitror, ſed in ampliorem veritatis confirmationem ſunt dicta.

Nec ſunt melioris notæ, quæ hæretici petunt ex illis vocibus διὰ προφητείας, de quibus & pauca dicam. Ac primo nil hæretici efficient, ſi concedamus Timotheo una cum

gratis,

gratiæ, & charactere ordinis donum quoque prophetandi fuiſſe conceſſum: immo libenter fatemur collatum illi quicquid *ad Eccleſiæ inſtitutionem* aut neceſſarium erat, aut opportunum; ut nuper diximus cum Chryſoſtomo, aliiſque Græcorum. Præterea *per prophetiam* factum dicitur, quod ſit Spiritus ſancti juſſu & inſpiratione; unde Œcumenius tom. 2. pag. 234. poſt hæc verba inquit: *Juſſu namque Spiritus facti ſunt Epiſcopi, & non paſſim*, πνεύματος γὰρ προςτάξει ἐγίνοντο οἱ ἐπίσκοποι, καὶ οὐ χύδην. Neque improbabile eſt Timotheum peculiari Spiritus ſancti revelatione fuiſſe inauguratum Epiſcopum, ut docent in hunc locum interpretes nobiliſſimi, Lyranus, Eſtius, Calmet: immo & Caſtalio, Zegerus, & Clarius, inſerti ſeptimo *Criticorum ſacrorum* volumini pag. 533. Poſtremo Glaſſius Lutheranus lib. III. Grammat. ſacræ tract. 16. de Præp. canone IX. adverſus Bellarminum, qui lib. I. de Juſtificat. cap. 17. demonſtrat fidem eſſe juſtificationis noſtræ cauſam meritoriam urgens inter alia hoc argumentum, quod *Per* in ſacris litteris cauſam ſignificat; Glaſſius, inquam, colligens undique textus Græci Codicis novi Teſtamenti demonſtrat particulam διὰ, *per*, apponi ad ſignificanda omnia genera cauſarum, efficientem primariam, meritoriam, inſtrumentalem, formalem, finalem. Infeliciter quidem hoc telo adverſus juſtificationem pugnat; nam ſi διὰ pro qualibet cauſa uſurpatur; qua, obſecro, illatione ex Paulo docente Rom. III. 22. juſtitiam eſſe *per fidem* διὰ πίστεως, deducitur fidem ſolam juſtificare, aut non habere rationem diſpoſitionis, ac meritum? Et quod huc ſpectat, ſi διὰ tam amplam ſignificationem habet, quomodo Lutherani ſuadere poſſent hæc verba διὰ προφητείας, *per prophetiam*, in Epiſtola ad Timotheum ſignificare cauſam finalem, quaſi Timotheus ſit initiatus duntaxat *ad prophetandum*? Id quidem eu loci hæreticus ille indubitatum ſupponit, ſcribens num. 5. διὰ προφητείας, *hoc eſt, ad, vel propter prophetiam*: ſed alia eſt interpretatio ceterorum, necnon Eraſmi Schmidii, demonſtrantis ex cap. 1. verſu 18. vocationem Timothei fuiſſe inſignibus oraculis comprobatam, idque ſignificari cap. IV. 14. iis vocibus διὰ προφητείας. Fuit eutem Schmidius inter Wittembergenſes Lutheranos percelebris.

Opponunt 3. Ex impoſitione manuum facta Timotheo nequaquam poteſt inferri Sacramentum *Ordinationis*: etenim Clerici ab Epiſcopis inaugurantur; illa autem χειροτονία a presbyteris peracta fuit: ait enim Paulus, *Per impoſitionem manuum presbyterii*. Eſt etiam impoſitio manuum vaga & indeterminata *materia*, adhibita in Patriarcharum benedictionibus, in ſanatione ægrotantium, in dæmonum expulſione, atque in cæremoniis quamplurimis; inepta proinde ad peculiare Sacramentum conſtituendum. Illa inſuper ceremonia non uſus eſt Chriſtus, vel in ultima cœna quando conſtituit Apoſtolos Sacerdotes novi Teſtamenti, vel cum inſufflando dedit eis poteſtatem remittendi peccata.

Reſp. ad 1. non pertractari modo de ſacrarum ordinationum miniſtro, ſed quæri num habeant Sacramenti rationem. Deinde dicimus, *Presbyteris* nomine intelligi epiſcopos, non presbyteros: primum quia 1. ad Timot. IV. 14. habent perantiquæ Verſiones, de quibus Biblia Waltonia tom. V. pag. 827. *Per impoſitionem manuum Epiſcopi*: præterea quia Chryſoſtomus Hom. XIII. in eamdem Epiſtolam exponens illa verba, *per impoſitionem manuum presbyterii*, inquit, οὐ περὶ πρεσβυτέρων φησὶ ταῦτα, ἀλλὰ ἐπισκόπων, οὐ γὰρ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. *Non de Presbyteris hæc ait, ſed de Epiſcopis; non enim presbyteri Epiſcopum ordinaverant*: atius quia in altera epiſt. 1. 6. ait Paulus, *Per impoſitionem manuum mearum*; ideoque ipſe Timotheum conſecraverat. Præter hæc dico *Presbyterium* eſſe cœtum, ſynodum, ac multitudinem plurium Sacerdotum, ut apparet ex Lucæ XXII. 66. ex Act. XXII. 15. ex Epiſt. 319. S. Baſilii ad Innocentium, ex 35. & 46. S. Cypriani, &c. Dicitur proinde Timotheus ordinatus *per impoſitionem manuum presbyterii*, quoniam plures ipſi manus impoſuerant, inter quos primus Conſecrator Apoſtolus. Hinc nos arbitramur in hac ad Timotheum Epiſtola agi præſertim de *Ordinatione* Epiſcopi, & hanc quoque eſſe verum, propriumque Sacramentum: de quo alibi. Alterum difficultatem nullam ingerit, quia *materia* ad unum Sacramentum conſtituendum determinatur per *formam*; nec implicat ejuſdem materiæ multiplicem eſſe uſum, ut conſtat de aqua, pane, & oleo. Tertium quoque facillime refutatur: cum enim Chriſtus propria virtute conferre poſſet Spiritum ſanctum & gratiam; non opus habebat id Sacramentali actione peragere: homines vero illa virtute carentes uti debent mediis & inſtrumentis a Chriſto ſtatutis; ut diximus p. 2. libri XXXIV. agentes de Sacramento Pœnitentiæ, & libro XXX. pertractantes de Sacramentis in communi, atque in omnibus aliis libris ad rem ſacramentariam ſpectantibus.

Opponunt ultimo; non dari ſacras *Ordinationes*, per quas clerici ſecernantur a laicis, deducimus ex traditione. Enimvero Tertullianus in libro de Exhortat. caſtitatis cap. 7. affirmat laicos omnes habere *jus Sacerdotum in ſemetipſis*. S. Joannes Chryſoſtomus *De Anathemate* tom. 1. pag. 695. ἡ χειροτονία, inquit, οὐκ εἰς ἐξουσίαν φέρει, οὐκ εἰς ὕψος ἐπαίρει, οὐ δυναστείαν παρέχει, *Ordinatio non effert, non in ſublime extollit, non potentiam præſtat*. Reſp. quæ objiciuntur ex Tertulliano, a nobis ſoluta eſſe hujus vol. pag. 96. Chryſoſtomum vero commendare in Sacerdotibus humilitatem, & commiſerationem in eos, qui peccant; pro quorum ſalute commiſſum illis eſt, ut ſacrificia offerant, & miniſterium prædicationis exerceant. Vide ulterius quæ libro XXX. cap. 5. ſcripſimus de numero Sacramentorum.

CAPUT II.

Quot in Eccleſia enumerentur gradus, & Ordines Clericorum.

II, qui pro ſacris miniſteriis obeundis initiantur, dicuntur *Clerici*, quo nomine deſignari omnes, *qui divino cultui officia religionis impendunt*, apparet ex Codice Theodoſiano lib. 2. de Epiſcop. Iſidoro de Eccl. Off. lib. 2. cap. 1. & Honorio Auguſtodunenſi lib. 1. cap. 174. Nihilominus cum ad altiores gradus promoti ex ſuis *Ordinibus* appellentur; ſolet modo commune *clericorum* nomen apud eos permanere, qui primum Eccleſiaſtico ritu tondentur, aut in minoribus ſunt conſtituti, etſi *Cleri* vocabulo adhuc comprehendatur univerſus cœtus in Eccleſia deſervientium. Illius vocabuli etymon exponit in epiſt. 34. ad Nepotianum S. Hieronymus, ſcribens: *Cleros Græca, ſors Latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, ideſt, pars Clericorum eſt*. Similia apud Auguſtinum in Pſalmum 67. num. 19. Quoniam vero nunquam conſuetum fuit illos ad Clericatum adſciſci, qui penitus carerent litterarum peritia, idcirco *Clerici* aliquando dicti ſunt adoleſcentes gymnaſium frequentantes, ſcribæ etiam, Amanuenſes, & actuarii, & univerſi qui litteris imbuuntur, ſtudiiſque dant operam: unde Joannes de Gaelandia in Æquivocis,

Fur aurum, virgo flores, mare nautaque, libros
Clericus æquivoce ſingula quiſque legit.

De numero *Ordinum* videntur diſcrepare veterum monimenta. Enimvero ex 4. Concilio Carthaginenſi Martenius lib. 1. de Antiq. ritibus cap. 8. art. 1. novem *Ordinibus* inſignitos enumerat, ideſt, *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, & Pſalmiſtas ſeu Cantores*. Obſervat colligi eumdem numerum ex Romana Synodo afficta Sylveſtro; tametſi in illa pro *Pſalmiſtis* habeantur *Cuſtodes Martyrum*. Novem etiam Ordines agnoſcunt Syri, & Maronitæ, ſed alios plane ab enumeratis, nempe, *Pſaltes, Lectores, Subdiaconos, Diaconos, Archidiaconos, Presbyteros, Archipresbyteros, Chorepiſcopos, & Epiſcopos*: atque hunc numerum adſtruunt, ut Eccleſiaſtica Hierarchia cæleſti reſpondeat, & clericorum ordines pares ſint numero claſſibus cæleſtium Spirituum. Adiſis Joannem Morinum de ſacris Ordinat. p. 3. Exercit. 1. cap. 2. & Exercit. XIV. Latina Eccleſia *Ordines* ſeptem *ab ipſo initio Eccleſiæ* recenſet, ut inquiunt Tridentina Synodus ſeſſ. XXIII. cap. 2. ſunt vero hujuſmodi Ordines, quibus inaugurantur *Sacerdotes, ſeu Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtiarii*. At in antiquo Scriptore de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ inter Opera Hieronymi tom. V. pag. 99. deſiderantur *Exorciſtæ*, ac ſeptimum locum tenent *Epiſcopi*. Græcos quinque tantum ordines agnoſcere, eoſdemque ac Latinos, excluſis *Exorciſtis & Oſtiariis*, affirmat citato in loco Joannes Morinus. Recentiorum plures aſſerunt quatuor duntaxat a Græcis *Ordines* numerari & conferri, ſcilicet, *Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, & Lectoris*; quinque autem, ſi Ordinibus *Epiſcopatum* accenſees. Ita Martenius prælaudato art. 1. num. 3. Natalis Alex. de Ord. art. 4. cap. 1. Tournely in Prælectionibus de Sacram. Ord. pag. 270. Carolus Witaſſe q. 2. art. 2. Le-Drouit lib. VIII. pag. 235. Iſacius Habertus in Pontificale Græcorum pag. 48. etiam *Hypodiaconi* nomen ſerius apud Græcos auditum fuiſſe contendit, ac presbyteratum & diaconatum tantummodo in primitiva Eccleſia extitiſſe; gradus autem alios eſſe inſtitutionis Eccleſiaſticæ: quod etiam de Eccleſia Latinorum videtur aſſerere in IV. diſt. 24. Magiſter ſententiarum, haud repugnantibus iis, qui & ſubdiaconatum, & minores Ordines a numero ſacramentorum expungunt: de quibus poſtea. Nunc enim conſilium mihi eſt experiri, num tam diverſæ circa numerum *Ordinum* ſententiæ poſſint ad concordiam aliquam revocari.

PROP. I. Septem ab initio ad hæc uſque tempora *Ordines* obtinuerunt in Eccleſia Latina.

Demonſtratur 1. In Epiſtola Cornelii Romani Pontificis apud Euſebium lib. VI. cap. 43. pag. edit. Valeſ. 244. deſcribuntur clerici Eccleſiæ Romanæ, qui erant in urbe principio ſchiſmatis Novatiani, & præter ſummum Pontificem connumerantur *Presbyteri quatuor & quadraginta, Diaconi ſeptem, totidemque ſubdiaconi, Acolythi quadraginta duo, Exorciſtæ cum Lectoribus & Oſtiariis duo & quinquaginta*. Scripſit autem Cornelius illam ad Fabium Antiochenum Epiſtolam anno 252. Cajus item Romanus Pontifex, qui Eutychiano ſucceſſit, M. Aurelio Caro II. & M. A. Carino Coſſ. ideſt, an. 283. conſtituit, ne per

ſaltum

Digitized by Google

ſaltum clerici promoverentur, nec aliquis eſſet Epiſcopus, niſi prius eſſet *Oſtiarius*, *Lector*, *Exorciſta*, *Sequens*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, *Presbyter*; ut habemus in Pontificali collecto, editoque ex vetuſtioribus Catalogis ab Anaſtaſio Bibliothecario tom. 2. novæ edit. pag. 250. De Silveſtro etiam ibidem pag. 302. legitur: *Hic conſtituit, ut ſi quis deſideraret in Eccleſia militare, & proficere, ut eſſet Lector, annos haberet 30. Acolythus annos 35. Subdiaconus annos 5. Cuſtos Martyrum an. 5. Diaconus annos 30. & 7. Presbyter an. 3.* Ubi tamen numeri ſunt emendandi, niſi alii ad ætatem, alii vero ad miniſterii tempus pertineant. Conſimilia habentur in Synodo Romana eidem Silveſtro adſcripta prope finem tom. 1. Conciliorum, act. 2. cap. 11. Oſtiariatus, qui hoc in capite deſideratur, commemoratur præcedenti cap. 9. ideoque ea, quæ in Pontificali, & in dubia hac Synodo leguntur, de miniſterii tempore accipienda ſunt, & clericum jam initiatum ſupponunt. Colligitur idem numerus Ordinum ex his, quæ habentur principio Synodi: *Ut presbyter non adverſus Epiſcopum, non diaconus adverſus presbyterum, non ſubdiaconus adverſus diaconum, non acolythus adverſus diaconum, non exorciſta adverſus acolythum, non lector adverſus exorciſtam, non oſtiarius adverſus lectorem det accuſationem aliquam*. Nil prohibet, ſi non probes Synodum, quin dicamus illius canones eſſe *Excerpta* quædam decretorum Silveſtri: nam & hunc titulum præſeferunt in collectione Iſidori Mercatoris. Recenſentur iidem Ordines in Epiſtola Gelaſii ad Epiſcopos Lucaniæ, conſcripta an. 494. cap. 2. de qua etiam in decreto diſt. 77. capp. *Siquis*, &, *Monachus*. Supponit quoque ipſorum *Ordinum* diſtinctionem S. Leo Magnus in fine Epiſtolæ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem datæ an. 444. ubi ait: *Qui Sacerdos, vel Levita ordinandus eſt, per omnes clericalis officii ordines provehatur; ut diuturno diſcat tempore, cujus & doctor ipſe futurus eſt*. In Sacramentario itidem Gregorii tom. 3. novæ edit. pag. 219. habetur ritus ſeptem hos Ordines conferendi. Continetur & idem Ritus in antiquo Romano Ordine 10. 19. Biblioth. PP. pag. 703.

Secundo demonſtratur propoſitio definitionibus Conciliorum. Concilium enim Carthaginenſe IV. celebratum anno Chriſti 398. ſingillatim *ſeptem Ordines* laudat, a canone 3. uſque ad 10. Concilium Toletanum 1. celebratum anno 400. meminit canone 1. presbyterorum & diaconorum; cap. 2. & 4. egit de lectoribus & oſtiariis, eodem can. 4. & 5. memorat & ſubdiaconos. Oſtiariorum, lectorumque fit mentio in Synodo Tarraconenſi an. 516. Concilium Aquiſgranenſe an. 816. lib. 1. de Inſtitut. Clericorum per omnes ſeptem *Ordines* accurate percurrit. Florentinum Concilium de ſingulis *Ordinibus* pertractat in Decreto unionis. Tridentinum vero, ut diximus ſupra, *Ordines* omnes extitiſſe declarat, *ab ipſo Eccleſiæ initio*.

Idem præterea demonſtratur unanimi ſcriptorum conſenſu. Ac interim miſſis Patribus, qui modo unum, modo alterum *Ordinem* laudarunt, & quos recenſebo ſequenti capite quarto, ſeptem *Ordines* enumerant, explicantque S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. VII. Origin. cap. 12. pag. edit. Sonnii 97. lib. 2. de Divinis Officiis pag. 596. & ſeqq. & in Epiſtola ad Laudefridum Epiſcopum Cordubenſem tom. VI. Concil. pag. 419. Alcuinus de Divinis Offic. pag. Rom. edit. 61. Rabanus Maurus lib. 1. Inſtit. Cleric. c. 4. pag. ejuſdem edit. 266. Hugo Rotomagenſis Archiepiſcopus laudibus S. Bernardi & Petri Venerabilis celeberrimus lib. 2. dogmatum Chriſtianæ Fidei prope finem tom. XXII. Bibliothecæ PP. atque, ne ſingulos proſequar, Hugo Victorinus lib. 1. Eruditionis Theologicæ cap. 32. & lib. 2. de Sacramentis p. 3. cap. 5. Quos ſeptenarium Ordinum numerum tradidiſſe ex doctrina Majorum facile ex ſupradictis poteſt inferri.

PROP. II. Hunc ſeptenarium numerum *Ordinum*, nec quorumdam aliorum recenſio, nec diſſidium Theologorum poteſt firma aliqua ratione ſubvertere.

Explico autem, ſimulque hanc propoſitionem demonſtro. Connumerantur apud antiquos etiam *Pſalmiſtæ*, ſeu Cantores, ac *Foſſarii*. De Pſalmiſtis agunt Concilium Carthaginienſe IV. can. 10. Laodicenum canone 23. Chalcedonenſe can. 14. Rabanus lib. 3. Inſtit. Clericorum cap. 48. & Iſidorus Hiſpalenſis citat. epiſt. ad Laudefridum, & lib. 2. de Eccl. Offic. cap. 12. Foſſariorum, qui & *Copiatæ*, Veſpillones, & Græce Κοπιάται, καὶ κοπιῶντες, meminerunt auctor Epiſtolæ ad Antiochenos inter Ignatianas, Epiphanius in Compendio Doctr. Cat. Hieronymus de Muliere ſepties icta, & in Epitaphio Fabiolæ, Acta Proconſularia recitata ab Auguſtino lib. III. adverſus Creſconium cap. 29. n. 33. epiſt. 6x. alias 241. Codex Theodoſianus l. 5. de Luſtrali conlat. quæ eſt Conſtantii, l. 15. de Epiſcopis, quæ Juliani, & l. 12. de Veteranis, quæ eſt Imperatoris Honorii. Juſtinianus itidem Novella 43. & 59. de quibus legendi ſunt eruditiſſimi Viri, J. B. Coteſerius ad PP. Apoſtolic. p. 2. pag. 112. & Du-Cangius in Gloſſario v. *Foſſarius*, &, *Copiata*. Verum Pſalmiſtæ peculiari *ordine* minime inaugurantur. Hoc enim nomine in Eccleſia Latina vel intelliguntur ii, qui ſola tonſura initiati ad pſallendum in Choro admittuntur cum aliis Clericis, vel hi etiam, qui abſque ulla clericali initiatione funguntur cantorum officio. Priori ſenſu Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. 2. Rat. cap. 3. *Pſalmiſtatus*, inquit, *quandoque tonſuratus vocatur, ſicut conſt. Innoc. III. extra de Re judic. cap. Cum inter*. In alio ſenſu Concilium IV. Carthag. cap. 10. *Pſalmiſta, ideſt, Cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod ore credis, operibus comprobes*. Similia in Ordine Romano, & apud Gilbertum Lunicenſem Epiſcopum in libro de Uſu Eccleſiaſtico. Apud Græcos autem Lectorum Cantorumque idem cenſetur *Ordo*: nam in Lectorum Ordinatione præcipitur initiato, *ut ſi canere ſciat, & pſaltes ſit, legat aliquid de Pſalterio*, ὁ δὲ ψάλτης ἐςὶ, λέγω ἀπὸ τοῦ ψαλτηρίου τὸ προκείμενον, Pontif. Græc. pag. 38. Lectorum ſimul ac pſallentium mentionem facit liber 2. Conſtit. Apoſtol. cap. 61. pag. 262. Epiſtola Ignatio adſcripta ad Antiochenos num. 12. & Concilium Laodicenum hoc XV. canone: *Non oportet præter canonicos cantores, qui ſuggeſtum adſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia*. Qui enim ἐπὶ τὸν ἄμβωνα legebant, erant ἀναγνῶσται, *lectores*; ideoque recte Martinus Bracarenſis can. 45. ita Laodicenum canonem latine reddidit: *Non liceat in publico legere, aut pſallere, niſi iis, qui ab Epiſcopo lectores ſunt ordinati*. Inſuper in utraque Eccleſia, Græca ſcilicet, & Latina *Pſaltæ*, Cantoreſque dicuntur, qui alternatim in Choro pſallunt, ſicut ex Epiſtola S. Baſilii ad Neocæſarienſes, ejuſque Regulis brevioribus n. 307. ex Chryſoſtomo hom. 36. in priorem ad Corinthios, Ambroſio ad cap. 15. Lucæ, Caſſiano lib. 3. de Inſtit. Cœnobiorum cap. 8. Eucherio Lugdunenſi ſerm. de Orat. necnon ex aliis Græcis, Latiniſque Scriptoribus demonſtrat ad præcit. cap. 61. Conſt. Apoſt. Cotelerius. Sive ergo Pſallentium nomine intelligas initiatos tonſura, ſive promotos ad *Ordinem* Lectoratus, ſive omnes divinam Pſalmodiam agentes; perſpicuum eſt Pſalmiſtatum non eſſe diſtinctum, & ſpecialem *Ordinum* reliquis connumerandum. Atque idem de *Foſſariis* dicendum eſt. Principio enim non alia ratione *Foſſarii* interdum nomine clericorum cohoneſtantur, niſi quia iiſdem Clericis mandabatur, ut defunctorum cadavera ſepelirent: ideoque ſcriptor de VII. Ordinibus in Appendice Hieronymiana, *Clerici*, inquit, *in ſimilitudinem Tobiæ ſancti ſepelire mortuos admonentur*: quod præſertim ſervatum fuiſſe in ſepeliendis corporibus martyrum, nullum eſt dubium. Deinde Carthaginenſe Concilium IV. can. 81. officium humandi mortuos committit publicam pœnitentiam agentibus: quod utique non feciſſet, ſi officium illud pertinuiſſet ad miniſteria Clericorum. Præterea Foſſarios, ſeu *Copiatas* veros non eſſe Clericos conſtat ex præcitatis legibus Imperatorum; l. enim 5. de Luſtrali Conlat. recenti indulto etiam Veſpillones & Funerarii a novis collationibus eximuntur, quum tamen Conſtantius hanc immunitatem longe antea clericis fuiſſet largitus, l. 8. tit. de Epiſcopis: quare ubi legitur in Codice Theodoſiano, *Clerici, qui Copiatæ appellantur*, JCC. præſtantiſſimi legendum cenſent, *Clerici, & qui Copiatæ appellantur*; ita, ut alii fuerint Clerici, alii Foſſarii, ſeu *Copiatæ*. Denique in eodem Codice l. 12. de Epiſc. aſſeritur occupatos defunctorum obſequiis *Clericorum vocabula* ſibimet uſurpare, ideoque non eſſe in aliquo Clericali *Ordine* conſtitutos.

Idem dico de aliis nonnullis Clericorum nominibus, præſertim de *cuſtodibus Martyrum*, de quibus paullo ſupra in decretis Silveſtri, *Canonicis*, *Chorepiſcopis*, & quibuſdam aliis vocabulis feminarum, non ſolum *Diaconiſſarum*, quarum in veterum ſcriptis frequens eſt mentio, verum etiam *ſubdiaconiſſarum*, *presbyterarum*, & *Epiſcoparum*. Nam cuſtodes Martyrum, ſive, ut dicuntur in 2. Aurelianenſi Synodo can. 13. & a Gregorio Turonenſi lib. IV. Hiſt. cap. 11. *Martyriarii*, erant ſubdiaconi, quibus ſacrarum reliquiarum committebatur cuſtodia, ut conſtat ex notis eruditorum ad Vol. 2. Anaſtaſii pag. 303. *Canonici* vero principio vocabantur, qui Eccleſiæ inſerviebant, & univerſim clerici omnes; aut quod *ſub canone eſſent conſtituti*, ut inquit Trullana Synodus can. 6. ac Toletana III. can. 5. aut quod *canonicam vitam agerent*, ut legitur in Capitul. Caroli Magni lib. V. cap. 5. Tum hoc nomine illi diſtincti ſunt, qui eaſdem ædes colunt, ſive ſub Epiſcopi, ſive ſub unius Abbatis, vel Prioris regimine: quorum illi *ſæculares*, hi *regulares* appellantur; atque illi demum, qui in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis ad divina officia perſolvenda certis privilegiis, inſignibuſque deſtinantur. Atque hi etiam non diſcrepantia *Ordinis*, ſed ratione vivendi, & miniſterii jure ab aliis Clericis ſecernuntur. *Chorepiſcopi*, ideſt, præcipui quidam ſacerdotes Villarum, ſic dicti, quaſi τῆς χώρας ἐπίσκοποι, *Epiſcopi ruris*, ſive presbyteri fuerint, ſive Epiſcopi, (de qua re alibi) ad peculiarem *Ordinem* nequaquam ſpectant. *Subdiaconiſſæ* denique, *diaconæ*, *presbyteræ*, & *Epiſcopæ* appellatæ fuerunt a Concilio Turonenſi II. can. 19. uxores initiatorum; tametſi *Diaconiſſæ* dictæ quoque ſunt mulieres quædam inſignes integritate, ac pietate, quæ obibant munia docendi & denudandi feminas tingendas baptiſmate: de quibus iterum. Hi ergo ſeptenarium Ordinationum numerum non pervertunt, & mulieres maxime, ſacrarum initiationum omnino incapaces.

Ne-

Digitized by Google

Neque adverſantur eidem numero, qui aut Tonſuram, aut Epiſcopatum accenſent *Ordinibus*. Cum enim Tridentini Patres *ſeptem Ordines* commendant, quibus ad ſacerdotium adſcendimus: nil definiunt de illa quæſtione inter Canoniſtas, & Scholaſticos agitata, an ritus, quo initiantur Clerici tonſione capillorum, ſit verus *ordo*; nec de alia, num Epiſcopatus ſit ſola ſacerdotalis *characteris* extenſio, vel *ordo* presbyteratu ſublimior: ſed relictis his quæſtionibus diſputantium arbitrio, hoc unum tenendum eſſe definiunt, *Ordinem* eſſe verum ſacramentum a Chriſto inſtitutum; & ad ſacerdotium rite per ſeptem gradus adſcendi, quos Latinorum Eccleſiæ ſervant ex vetuſtiſſima inſtitutione.

Denique adverſus præfatum numerum parum facit, quod nonnulli antiquorum præter Epiſcopos commemorent duntaxat presbyteros, & diaconos, ut Optatus lib. 2. de Schiſmate Donatiſtarum num. 14. & Hieronymus in cap. 19. Eſaiæ: & quod plus eſt, aperte quidam affirment, in primitiva Eccleſia duos tantum exiſtiſſe *Ordines*, presbyteri, ſcilicet, & diaconi, non Magiſter tantummodo, Habertus, & alii, de quibus ſupra; verum & Petrus Bleſenſis ſerm. 47. de ſacerdotio, quem vide tom. XXIV. Bibl. PP. necnon inſignis Theologus Ord. Prædicat. Joannes de Raguſio in Oratione de Communione ſub utraque ſpecie, quam an. 1433. habuit in Concilio Baſileenſi. Enimvero Patres aliorum quoque *Ordinum* meminerunt, ut conſtat ex prop. 1. & ex capite quarto proximo, neque neceſſum erat, ubicumque de ſacris Ordinationibus pertractarunt, *Ordines* ſingulos recenſere. Duos prætetea commemoraverunt, quorum miniſterium proxime ſpectat ad Euchariſtiam, quam ſacerdotes conſecrant, diaconi autem olim miniſtrabant ſub vini ſpecie; Optatus enim tum citato in loco, tum lib. 1. num. 13. alios Eccleſiæ miniſtros generali appellatione commemorat: atque hac ratione explicandum eſſe Magiſtrum ſententiarum aſſeruit in Oratione de libera prædicat. Verbi Dei Theologus alter Concilii Baſileenſis, Henricus Kalteiſen. Et quidem Magiſter diſt. 24. ait, Chriſtum Jeſum ſeptem *Ordinum* officia in ſemetipſo exhibuiſſe, eoſdem *Ordines* reliquiſſe corpori ſuo, quod eſt Eccleſia, obſervandos; atque *ſeptem eſſe propter ſeptiformem gratiam Dei*, cujus gratiæ amplius donum percipiunt qui ad ipſos *Ordines* promoventur. Nil demum repugnat, ſi aſſeramus in Eccleſiæ primordiis propter exiguum fidelium numerum plura Eccleſiæ miniſteria Diaconis fuiſſe commiſſa; quæ poſtea diſtincta fuiſſe, & quidem antiquitus, apparet ex dictis ſupra de Actis ſummorum Pontificum Cornelii, Caji, & Silveſtri. Videtur autem poſtremæ hujus ſententiæ S. Thomas q. 37. Supplem. art. 2. ad 2.

PROP. III. Etſi gravia ſunt momenta, quibus præclari Theologi permoventur, ut aſſerant apud Græcos ex quatuor minoribus ſolum *Ordinem* Lectoratus exiſtere; aſſerendum eſt tamen, inter utramque Eccleſiam, Græcam, Latinamque hac in re parum, aut nihil intereſſe diſcriminis.

Theologorum momenta hæc ſunt. Primum apud Græcos *Ordinem* eſſe Lectoratum, atque inde initiatos ad Hypodiaconatum promoveri, omiſſis Oſtiarii, Exorciſtæ, & Acolythi gradibus, conſtat ex Archieraticis, & Euchologicis eorum libris. In Archieratico enim Haberti pag. 37. priorem locum obtinet χειροτονία τῶν ἀναγνωστῶν καὶ ψαλτῶν, *Ordinatio Lectorum, & Cantorum*; & immediate ſequitur τάξις τῆς τε ὑποδιακόνου χειροτονίας, *Ritus Ordinationis Hypodiaconi*. Idem habetur in Euchologio Goarii pag. 233. Deinde quatuor tantum *Ordines*, horumque ritus tradunt Auctor Conſtitut. Apoſtolicarum lib. VIII. cap. 16. & ſeqq. pag. 406. Canones, qui dicuntur Apoſtolici, Liturgia adſcripta Marco, Concilium Sardicenſe canone 10. Synodus VIII. quæ Photium exauctoravit Act. 2. can. 5. Præterea a Lectoris gradu ad Hypodiaconatum Clericos adſcendere ſcribunt Græci omnes, ac præſertim S. Joannes Damaſcenus initio Dialogi contra Manichæos, Elias Cretenſis ad Orationem 19. Nazianzeni, Georgius presbyter in Vita S. Theodori apud Surium die 22. Aprilis, Nicetas in Vita S. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Simeon Theſſalonicenſis in Dialogo de Sacramento Ordinis apud Morinum 2. p. pag. 128. Tandem nec aliæ Orientales Eccleſiæ conſerunt Oſtiariatum, Exorciſtatum, & Acolythatum: non Eccleſiæ Jacobitarum, ut conſtat ex illorum Rituali edito ab Athanaſio Kirchero, apud eumdem Morinum pag. 505. non Syrorum Neſtorianorum, ut apparet ex horum Ordinationibus, de quibus Morinus ipſe pag. 402. non denique Syrorum Maronitarum, quorum Ritus deſcribit idem præſtantiſſimus Auctor pag. 384. Cum itaque hæ omnes Orientalium Eccleſiæ tres paullo ante recenſitos *Ordines* non agnoſcant; perſpicuum videtur nunquam illos apud Græcos, quibus in pluribus aſſentiuntur, obtinuiſſe. Hæc argumenta collegerunt ex Morino, Goario, Haberto, & Martenio, ac teſtimoniis omnibus productis exornarunt Carolus Vitaſſe pag. 31. & Auctor librorum de Re Sacrament. tom. 2. pag. 235.

At in primis dico, ſi hæc omnia a nobis concedantur, nihil inde conſequi, niſi quod complures Orientalium Eccleſiæ tres minores *Ordines* neglexerint, per ſaltum clericos promovendo; ut fortaſſe ante Cornelii tempora etiam in Romana Eccleſia aliquando agebatur; non quod non darentur inferiores *Ordines*, ſed quod ab his digniores aliqui eximerentur, ſtatim diaconi, aut Lectores inaugurati. Tempore enim Cornelii apud Latinos ſeptem *Ordines* fuiſſe diſtinctos, fatentur adverſarii; duo præſertim recentiores, quos nuper laudavi, Le-Droint, & Witaſſius. Eamdem vero Romanæ, & Africanæ Eccleſiæ ſemper fuiſſe doctrinam iidem docti viri contendunt, proferuntque canones quartæ Carthaginenſis Synodi eumdem *Ordinum* numerum ex majorum inſtitutionibus præſcribentes. Et tamen S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis, ſi fides habenda eſt Simeoni Metaphraſtæ apud Surium tom. v. pag. 355. principio *præco*, ſeu Lector, deinde hypodiaconus fuit conſtitutus, & auctore Pontio in ejus Vita num. 5. *ad officium ſacerdotii & epiſcopatus gradum adhuc neophytus, & ut putabatur novellus, electus eſt*. Et quæ de Cypriano apud Surium leguntur, affert Witaſſius ad demonſtrandum apud Græcos primum Ordinem eſſe Lectoris, exiſtimans ibidem narrari res geſtas ab altero Cypriano, qui ſub Diocletiano martyr occubuit: nec animadvertit vir doctus, Cyprianum hunc ex mago Chriſtianum factum, cum Juſtina, quam veneficiis corrumpere fruſtra tentaverat, Nicomediæ ſubiiſſe martyrium, nulla ſacra ordinatione initiatum. Quare ſi Cyprianus Epiſcopus & martyr ex lectore ſubdiaconus factus eſt, quamquam apud Latinos obtinerent aliorum *Ordinum* gradus; probari nequit ex ordinationibus per ſaltum non extitiſſe alios *Ordines*: ſi autem hæc rejicienda ſint inter alia Metaphraſtis commenta; hinc docebimur viros etiam doctiſſimos interdum hariolari.

Deinde affirmo inter minores Clericos alia præter Lectorum munia a principio extitiſſe, quod nemo prorſus negare audebit. Auctor enim Epiſtolæ ad Antiochenos Ignatio adſcriptæ, num. 12. *Saluto*, inquit, *ſanctum presbyterium, ſaluto ſacros diaconos, ſaluto ſubdiaconos, lectores, cantores, oſtiarios, laborantes, exorciſtas, confeſſores*, Ἀσπάζομαι τὸ ἅγιον πρεσβυτέριον, ἀσπάζομαι τοὺς ἱεροὺς διακόνους, ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, πυλωρούς, τοὺς κοπιῶντας, ἐπορκιστάς, ὁμολογητάς. Synodus Laodicena can. 24. *Non oportet*, inquit, *ſacratos a presbyteris uſque ad diaconos, & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici Ordinis uſque ad miniſtros, vel lectores, vel cantores, vel exorciſtas, vel oſtiarios, vel continentium ordinis, in cauponam ingredi*: ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρων ἕως διακόνων, καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐπορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν, εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι. Dionyſius quoque de Eccleſ. Hierarchia cap. 3. pag. 284. præter miniſtros, a quibus ſacrarum ſcripturarum lectio recitatur, enumerat alios, *quorum nonnulli foribus templi aſſiſtunt, ceteri autem aliud quidpiam, quod ſit ordinis ſui, agunt*, τῶν λειτουργῶν δὲ οἱ μὲν ἑστᾶσι παρὰ τὰς τοῦ ἱεροῦ πύλας συγκεκλεισμένας, οἱ δὲ ἄλλο τι τῶν τῆς οἰκείας τάξεως ἐνεργοῦσιν. Etiam Epiphanius in Expoſitione fidei, quæ extat poſt Hæreſim LXXX. num. 21. poſt Lectores enumerat *Exorciſtas, Copiatas, & Janitores*. Joannes Epiſcopus Citri lib. 3. Juris Orientalis apud Goarium p. 237. memorat deputatos μετὰ λαμπάδων προπομπεύοντας, *cum luminibus præcedentes*, ac de his Simeon Theſſalonicenſis: *Sunt & alia deputati, & ceroferarii officia, quorum* χειροθεσία, *inaugurativa ante ordinationem Lectoris celebratur; quæ ſane neſcio cur non exercetur. In Eccleſia vero Theſſalonicenſium paullo ante in uſu erat, & in antiquis Ritualium exemplaribus ſcripta reperiebatur*. Ita eo loci apud Goarium. Hi autem *Deputati cereos gerentes* quinam ſunt, niſi *acolythi*? Denique Gabriel Philadelphienſis apud Morinum p. 2. pag. 202. *Septem*, inquit, *ſunt ordines ſacerdotii. Primus eſt Janitorum, & Acolythorum, 2. Exorciſtarum, 3. Lectoris, 4. Subdiaconorum, 5. ſacrorum Diaconorum, 6. Sacerdotum, 7. Principum ſacerdotum, ſeu Epiſcoporum*, ἑπτά εἰσιν αἱ τάξεις τῆς ἱερωσύνης. α΄. ἡ πρώτη τῶν πυλωρῶν, καὶ ἀκολούθων. β΄. ἡ τῶν ἐξορκιστῶν. γ΄. ἡ τῶν ἀναγνωστῶν. δ΄. ἡ τῶν ὑποδιακόνων. ε΄. ἡ τῶν ἱεροδιακόνων. ϛ΄. ἡ τῶν ἱερέων. ζ΄. τῶν ἀρχιερέων, ἐπισκόπων. Ubi nota, in ſeptem *Ordinum* numero comprehendi quidem Epiſcopos; ſed Oſtiarios, & Acolythos ſimul conjungi. Invenimus ergo apud Græcos, præter Lectoratum alios quoque minores Ordines.

Me non latet ad hæc omnia viros præſtantiſſimos reſpondere, ſpuriam eſſe Ignatianam Epiſtolam, & Dionyſio etiam ſuppoſitum opus de Eccleſiaſtica Hierarchia; Simeonem autem Theſſalonicenſem juniorem eſſe ſcriptorem, nec poſſe auctoritate ſua infringere quod tam aperte Euchologia, & canones tradunt: idem vero judicium ferendum eſſe de Gabriele Philadelphienſi. Hos, alioſque ſcriptores, dum *Janitores, Exorciſtas, & Acolythos* memorant, non de *Ordinibus* proprie dictis, ſed de miniſteriis in Templo exercendis, abſque peculiaris *Ordinis* initiatione, accipiendos eſſe, præſertim quum apud Græcos Exorciſtæ munere ſoli fungantur presbyteri, ut Goarius teſtatur pag. 239. Id confirmari ex quo Laodiceni, & Antiocheni canones non omnes diſtincte *Ordines* numerent; Epiphanius vero, ceterique etiam alios commemorent, quos nec Latini ſeptenario ſuo numero comprehenderunt.

Verumtamen non ſunt hæc, ut putantur, firmiſſima. Ad primum quippe dicimus, Epiſtolam ad Antiochenos, cujuſque ſit auctoris, non eſſe fœtum poſterioris ætatis;

& licet Hieronymo & Euſebio fuerit ignota, deprehendi in ea tamen a viris doctiſſimis, ut Bellarminus ait, *Apoſtolicum ſpiritum*, immo & *ſtylum Ignatii*. Dionyſii etiam ſcripta non alio fine producta ſunt, niſi ut appareat non deeſſe inter Græcos, qui præter Lectoratum agnoſcant quoſdam alios minores *Ordines*: quod etiam a ſcriptis apocryphis poteſt inferri; quamquam detur talia eſſe Dionyſiana, quod negant non infimi ſubſellii viri. Gabrielem vero Philadelphienſem apud ipſum Morinum citata pag. 202. proferre in confirmationem ſententiæ ſuæ canonem 7. Antiochenum, & 4. Trullanum, præter laudatam Ignatii Epiſtolam, quam ipſe ſcriptam ait *ad Antiochum*, & monumenta alia, quæ prætermitto. Ad alterum dico, e prælaudatis momentis inferri, etiam oſtiariatum, exorciſtatum, & acolythatum peculiares eſſe *Ordines*. Etenim in canone quarto Trullano, de quo Philadelphienſis, legitur, *Si quis Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel lector, vel cantor, vel oſtiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Chriſti ſponſa vitium attulerit: ſin autem laicus, ſegregetur.* εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, ἢ πυλωρὸς γυναικὶ ἀφιερωμένῃ Θεῷ μιχθείη, καθαιρείσθω, ὡς τὴν νύμφην τοῦ Χριστοῦ διαφθείρας. εἰ δὲ λαϊκός, ἀφοριζέσθω. En apertiſſime πυλωρός, *Oſtiarius*, a laicis diſtinctus, & in Eccleſiaſtico ordine conſtitutus. De Exorciſta in canone 10. ſynodi Antiochenæ an. 341. (quem canonem Philadelphienſis ſeptimum dicit) habemus Chorepiſcopum non poſſe χειροτονεῖν διάκονον καὶ πρεσβύτερον, ἀλλὰ μόνον ἀναγνώστας καθιστᾷν, ὑποδιακόνους, καὶ ἐπορκιστάς, *ordinare diaconum & presbyterum, ſed tantum conſtituere ſubdiaconos, lectores, & exorciſtas*. Chorepiſcopi enim minores clericos promovere poterant, non autem ſacros. En ergo etiam Exorciſtarum *Ordo* apud Græcos; nec a ſolis presbyteris exorcizandi munus adimplatum, ut ajebat Goarius, & poſt Goarium Le-Droint pag. 239. tomi 2. Nec quamquam moveat, quod Antiochena Synodus de Exorciſtis inquit καθιστᾷν, *conſtituere*, non χειροτονεῖν, *ordinare*; ſiquidem hoc de Exorciſtis ait, quod de hypodiaconis, & de lectoribus. Præterea apud Morinum p. 2. pag. 82. habetur quoque *ordinatio* deputati, ſeu ceroferarii, cum hac epigrapha, εὐχὴ ἐπὶ κηροφόρῳ, ἢ δεποτάτῳ, *Oratio ſuper ceroferario, & deputato*, quanquam infra pag. 225. ſcribat idem auctor hoc fuiſſe miniſterium, non *Ordinem*: & manifeſtius in Euchologio pag. 237. continetur, εὐχὴ ἐπὶ χειροτονίᾳ δεποτάτου ἢ κηροφόρου, *Oratio in Ordinatione Deputati & Ceroferarii*, nempe, *acolythi*. Simeon etiam Theſſalonicenſis loco citato *Ordinationem* ceroferarii appellat χειροθεσίαν, ait celebrari ante *Ordinationem* Lectoris, & miratur in deſuetudinem abiiſſe, cum ante paucos annos vigeret in Theſſalonicenſium Eccleſia, & adhuc in Tabulariis & Archetypis inveniretur deſcripta. Inquiunt, hæc de miniſterio, non de *Ordine* eſſe explicanda. At primum quid ultra ad *Ordinem* præter χειροτονίαν, & verborum formam requiritur, aut quid aliud Euchologia ſervandum præcipiunt in *Ordinatione* Lectorum? Ad hæc ſinguli *Ordines* ad miniſterium ſpectant; & ex quo Ceroferarii miniſterium exercuerint, nequit inferri minime illos fuiſſe initiatos. Queritur præterea Theſſalonicenſis, ætate ſua hanc χειροθεσίαν ceſſaſſe: miniſterium vero deferendi cereos nunquam in Eccleſiis Græcorum ceſſavit; ideoque ægre Simeon fert ceſſaſſe ritum *Ordinationis*. Poſtremo non quærimus modo, an acolythatus, aliique minores *Ordines* ſint divinæ inſtitutionis, ac ſint ſacramenta, vel miniſteria duntaxat ab Eccleſia inſtituta; id enim diſputatur quoque de minoribus *Ordinibus* ritu Latinorum collatis: ſed quærimus, an ipſi *Ordines* etiam apud Græcos extiterint, & ſacro quodam ritu collati fuerint. Ad tertiam reſponſionem dicimus, (quod adverſarii noſtri fateri debent de *Ordinationibus* Latinorum) neceſſum non eſſe, ut ubicunque de *Ordinibus* agitur, ſigillatim omnes enumerentur, præſertim cum univerſi clerici ſæpe communi ſacrorum miniſtrorum vocabulo deſignentur.

Tertio dico apud Græcos, etiamſi ſeptem *Ordines* non conferantur ſejunctis initiationibus, revera tamen exiſtere, & Acolythatum, & Oſtiariatum ſimul conferri cum Subdiaconatu, idemque ſervari apud alios Orientales; Exorciſtatum ſolum a Græcis recentioribus negligi, ſed ab aliis Orientalibus tribui una cum Diaconatu, vel Pſalmiſtatu. Hoc primum adſtruitur judicio ipſorum Orientalium, qui rituum ſuorum fuerunt peritiſſimi, Abrahami Ecchellenſis Maronitæ, in adnotationibus ad canones Nicænos n. 18. Joannis Maro lib. de Sacerdotio cap. 11. & 26. Joannis Dareni lib. de Hierarchia Eccleſiaſtica, Dionyſii Barſalibi Epiſcopi Amedenſis: de quibus vide Vol. 2. Conciliorum Labbei pag. 409. & Fauſti Naironi Maronitæ in Evoplia pag. 226. Secundo idem confirmo ex Ritu, quo Orientales initiant hypodiaconum. Nam Græci, ut conſtat ex pluribus Codicibus collectis, editiſque a Morino, in ipſa ſubdiaconi initiatione, utuntur formula, in qua præter alia verba hæc leguntur: *Ipſe Domine conſerva illum in omnibus ſine querela, & reprehenſione: da illi amare honeſtatem & decorem domus tuæ, aſſiſtere portis templi ſancti tui, accendere lumen tabernaculi gloriæ tuæ*: αὐτὸς δέσποτα ἀκατάγνωστον αὐτὸν ἐν πᾶσι διαφύλαξον, ἵνα δὸς αὐτῷ ἀγαπᾷν εὐπρέπειαν οἴκου σου, παρεστάναι ταῖς θύραις τοῦ ναοῦ τοῦ ἁγίου σου, ἀνάπτειν λύχνον σκηνώματος δόξης σου. Mor. p. 1. pag. 81. In Rituale Maronitarum præcipitur, ut initiandus ſubdiaconatu circumducatur per Eccleſiam, *Et cum pervenerit ad candelabrum, accendat illud, & extinguat tribus vicibus; poſtea perveniens ad portam Eccleſiæ, claudat, & aperiat tribus vicibus*, apud Abrahamum Ecchellenſem cit. loco, & Morinum p. 2. pag. 394. Euchologium Melchitarum Arabicum eadem prorſus habet, ac ea, quæ recitata ſunt ex Pontificali Græcorum. In Euchologio item Coptico-Jacobitico ita Epiſcopus alloquitur hypodiaconum: *Tui officii eſt cuſtodire oſtia domus Dei, quæ eſt Eccleſia, nec patiaris ingredi ad eam jumentum, vel canem, vel hæreticum quempiam*: & poſt pauca, *Cave magna diligentia cuſtodire oſtia Eccleſiæ, quia tibi concredita ſunt ſacra illibati miniſterii vaſa cuſtodienda*. Quod ergo ajunt viri doctiſſimi, apud Orientales cum hypodiaconatu conferri *Ordines* oſtiariatus, & acolythatus, id ex eorum Euchologiis corroboratur. Tertio idem probo conſenſione adverſariorum. Si enim objicias Joannem VIII. Romanum Pontificem in Epiſtola ad Baſilium, Conſtantinum, & Alexandrum Impp. quæ extat tom. IX. Conciliorum, hæc ſcribere, *Volumus ut ſit primum Lector, deinde Acolythus, poſtea Diaconus, tum Presbyter, poſthac Epiſcopus*, ideoque apud Græcos exiſtere acolythatum: ſi, inquam, id objicias; reſpondent Pontificem *Acolythi* nomine ſignificaſſe *hypodiaconum*: cui, ut monet Morinus 3. p. Exercit. XIV. cap. 1. pag. 242. Græci committunt munia pleraque acolythorum; cæterum a Joanne VIII. alios *Ordines* prætermiſſos. Habemus itaque in hypodiacono *acolythi* nomen & officia: immo Morinus eo loci, *Propria*, inquit, *ſubdiaconus Græcorum eſt acoluthus Latinorum*. Quod vero Joannes VIII. ordines proprio nomine non diſtinguat, hæc ſententia poſita ratio eſt in promptu: nimirum, quia acolythatus & oſtiariatus ſimul cum hypodiaconatu conferuntur a Græcis, neque in tali collatione vult, exigitque Pontifex, ut ſerventur diſtinctæ, & ſeparatæ Ordinationes: quas tamen a Græcis eliis, ſubjectis Latinorum ditioni, ſæculo XIII. ſervandas præcepit Innocentius IV. mandans in Epiſtola ad Othonem Epiſcopum Tuſculanum, & Sedis Apoſtolicæ in regno Cypri legatum, ut in poſterum *ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ* ſeptem ordines, diſtinctis initiationibus, conferrentur. Atque idem de Oſtiariatu dicendum eſt; quem *Ordinem* Ipſum Dominum præſignaſſe, quando flagello de funiculis facto ejecit vendentes & ementes de templo, tradunt ſcholaſtici omnes cum Magiſtro p. 2. diſt. 24. Simeon autem Theſſalonicenſis in lib. de Sacr. Ordinat. cap. 12. inquit Chriſtum Dominum τὸ τοῦ ὑποδιακόνου, *officium hypodiaconi* peregiſſe, quando τοὺς κολλυβιστὰς ἐκβάλλων τοῦ ἱεροῦ, *nummularios ejecit de templo*. Quarto eximius, maximuſque Pontifex BENEDICTUS XIV. in ſæpe laudata Conſtit. *Etſi Paſtoralis*, ſuper Ritibus Græcorum, poſtquam §. VII. tenuit in Euchologio prætermiſſos videri nonnullos de minoribus Ordinibus, & Græcos affirmare eos vel numquam habuiſſe, vel eorum exercitium aliis Ordinibus eſſe adnexum; n. 7. definit, quod ſi clericus Græcus, Lector tantum initiatus, ex benignitate Sedis Apoſtolicæ obtinuerit, ut majores Ordines Latinis ceremoniis ſibi conferantur, *Is, antequam ſubdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omiſſos debeat ritu Latino ſuſcipere. Si vero præter Lectoris Ordinem ad ſubdiaconatum etiam Græco ritu adſcenderit, & ex diſpenſatione itidem Apoſtolica facultas ſibi facta ſit reliquos Ordines ritu Latino ſuſcipiendi, antequam inter diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorciſtatum tantummodo ſupplere cogitur; cum per Subdiaconatum Græco ritu collatum, Acolythatum & Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur*. Qua utique definitione continetur expreſſa, validoque præſidio fulcitur ſententia hæc noſtra. Dixi tandem, Græcos carere *Ordine* Exorciſtatus, quoniam ibi Pontifex Summus declarat hunc *Ordinem* ſupplendum eſſe in illo, *qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus diaconatum, aut etiam presbyteratum Græce ſuſcepit, & latino poſtea ritu ad ſacrum presbyteratus reſpective Ordinem, aut Epiſcopatum promovendus ſit ex Apoſtolica conceſſione*. Ceterum Maronitæ cenſent Exorciſtatum conferri in Ordinatione Pſaltis; tum quia in tali Ordinatione canitur hymnus, qui Latine ſonat, *Dominus noſter dedit ei poteſtatem omnia idola erroris conterendi & conculcandi*: tum etiam quia Epiſcopus Pſaltem initians, & porrigens ei librum Pſalmorum, quo in Orientali Eccleſia energumeni exorcizantur, inquit, *Mereatur conculcare ſerpentes & ſcorpiones*. Quapropter, etſi apud alias Eccleſias *pſaltes* non ſit a lectore diverſus, apud Maronitas tamen videtur idem eſſe, ac apud nos Exorciſta: unde in fragmento Chaldaico apud Maironum pag. 227. legitur: *Hi ſunt quatuor Ordines minores. Primus Oſtiarius, hoc eſt Janitor: ſecundus Lector, hoc eſt Quoruyo: tertius Exorciſta, hoc eſt Pſaltes: quartus Acoluthus, hoc eſt Hypodiaconus*. Fragmentum autem illud exaratum dicitur anno 1276. At Abraham Ecchellenſis, Joannes Maro, Darenus, Barſalibius, aliique ſuperius citati opinantur apud Syros Exorciſtatum conferri ſimul cum Diaconatu; cujus ritus hanc etiam afferunt congruentiam, quod Chriſtus mittens diſcipulos ad prædicandum Lucæ X. 19. *dedit eis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes*,

tes, & *ſcorpiones*, & *ſuper omnem virtutem inimici*. Ex quibus omnibus manifeſtum puto, rectiſſime ſeptem clericorum *Ordines* numerari, *Oſtiariatum*, *Lectoratum*, *Exorciſtatum*, *Acolythatum*, *Subdiaconatum*, *Diaconatum*, & *Presbyteratum*, neque Romanæ Eccleſiæ doctrinam averti poſſe inſtitutis ritibuſque aliarum Eccleſiarum: quod erat inquirendum & demonſtrandum.

CAPUT III.

Quo dilucidantur nonnulla, quæ ſpectant ad Clericalem Tonſuram.

DE Tonſura Clericorum agentes, inveſtigabimus originem, formam, ac dignitatem. Ad originem quod attinet, Calvinus lib. IV. Inſt. cap. 19. n. 2. ait clericorum tonſuram inde natam, quod priſcis Eccleſiæ ſæculis capillum non alerent niſi delicati; ideoque Clericos juſſos tondere caput, vel radere, ne quam effeminati cultus ſpeciem præſeferrent: quod hæreſiarcha ait colligi ex Auguſtino prope finem libri de Opere Monachorum. At Joannes Spencerus, qui de Hebræorum legibus, ritibuſque prolixe diſſeruit, lib. 3. cap. 6. initium tonſuræ Nazaræorum, unde permulti noſtram eſſe derivatam exiſtimant, repetit ex moribus Ethnicorum, qui in juventutis flore Apollini Pythio comam litabant, ut Plutarchus ſcribit de moribus Athenienſium: quem morem ſervaſſe Romanos in honorem Jovis Capitolini, & Æſculapii infert vir doctus ex epigrammata Martialis lib. 9. num. 18. ubi legitur,

Hos tibi laudatos Domino ſua vota capillos,
Ille tuus Latia miſit ab urbe puer.

Ita nimirum nec hæretici rituum Catholicorum oppugnatores inter ſe conveniunt. Morinus de ſacris Ordinat. 3. p. Exercit. XV. poſtquam de Tonſuræ origine plura dixit, num. 9. ſententiam illam amplectitur, quæ aſſerit primos Eccleſiæ inſtitutores, ut majori ludibrio afficerentur, a perſecutoribus tonſos fuiſſe, quod ignominioſum erat, ac ſervitutis inſigne; poſtea vero ab iiſdem inſtitutoribus in trophæi argumentum tonſionem ipſam fuiſſe converſam. Quod autem comam tondere, ac radere eſſet nota ignominiæ, Morinus ex Suetonio, Prochoro, & Luciano ſatis aperte demonſtrat. Alii demum, qui de ſacris ritibus pertractarunt, Iſidorus de Officiis Eccl. lib. 2. cap. 4. Rabanus Maurus lib. 1. cap. 3. Martenius lib. 1. cap. 8. art. 7. Menardus not. 660. in Sacrament. Gregorii, cenſent clericalem tonſuram ab Apoſtolicis temporibus uſurpatam: quamquam Martenius animadvertit communi veterum opinioni adverſari recentiores nonnullos, propterea quod facile frementibus perſecutionum procellis potuiſſent Clerici ex capite detonſo dignoſci; immo de Jacobo Apoſtolo apud Euſebium lib. 2. H. Eccl. cap. 23. affirmet Hegeſippus, quod *nunquam comam totondit*. His recentioribus adhæret Juenin q. VII. de Sacram. Ordinis cap 2. ubi demonſtrare nititur, Tonſuram, ſi ſumatur pro corona clericali, in uſu nunquam fuiſſe per quinque priora ſæcula.

Quantum ad Tonſuræ formam, indubitatum eſt fuiſſe ſemper figuræ ſphericæ. Enimvero Anicetus Papa apud Gratianum diſt. 23. cap. 21. ait: *Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſpheræ radant*. Et quamquam veterum Pontificum decretales revocentur in dubium; de hoc tamen Aniceti canone fit mentio in vetuſtiſſimis Romanorum Pontificum catalogis; de quibus vide 2. p. Anaſtaſii pag. 110. Gregorius item Turonenſis ſcriptor VI. ſæculi præclariſſimus, lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 27. ait Petrum Apoſtolum inſtituiſſe, *ut caput deſuper tonderetur*; & Arator, qui floruit circa annum 540. in Epiſtola elegiacis verſibus conſcripta, quam edidit ex Codice Remenſi Sirmondus, ait,

Namque ego Romana caulis permixtus amœnis
Eccleſiæ, tonſo vertice, factus ovis.

Tonſura autem in vertice facta coronam referre debebat, quod idem Gregorius magis perſpicue expreſſit, ſcribens de ſancto Nicetio Epiſcopo, eum cum partu fuiſſet effuſus mirabili eventu apparuiſſe *Clerici corona ſignatum*. Beda quoque in Hiſt. Anglorum lib. IV. cap. 1. narrat Theodorum, ut a Vitaliano Papa ordinaretur, expectaſſe quatuor menſes, donec illi capillus creſceret, *quo in coronam tonderi poſſet*. Et S. Iſidorus lib. 2. de Officiis Eccleſ. cap. 2. ait: *Quod vero detonſa capita ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari*. Sidonius Apollinaris, qui florebat anno 459. de Germanico Epiſcopo lib. IV. Epiſt. 13. ſcribit: *Veſtis adſtricta, tonſus cothurnus, crinis in rotæ ſpeciem accifus*: ac denique Concilium Toletanum IV. an. 633. canone 41. *Omnes clerici*, inquit, *detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant*.

Hanc Tonſuram permulti non ſolum ab Eccleſiæ initiis in uſu receptam fuiſſe, ſed etiam inter veros Ordines adnumerandam, & ſacramentum eſſe contendunt: aliis quamplurimis affirmantibus revera non eſſe Ordinem, ſed quamdam ad ſuſcipiendos Ordines viam, atque diſpoſitionem. Tenent priorem ſententiam Proſper Faguanus, aliique Canoniſtæ, quos laudat, non tamen ſequitur Emmanuel Gonzalez in Capit. *Cum contingat*, de ætat. & qualit. Ordinand. Angelus in Summa v. *Ordo* n. 1. Eckius in Homil. de Ordinat. & ex Scholaſticis Joan. Major in IV. diſt. 24. atque ex recentioribus noſter Vanroy cap. 2. q. 3. Tonſuram vero non eſſe Ordinem propugnant ii omnes, qui cenſent eſſe inſtitutionis Eccleſiæ, nec uſurpatam fuiſſe temporibus Apoſtolicis. Accedunt cum S. Thoma q. XL. Supplem. omnes fere e ſchola Theologi, atque inter hos noſtrates fere omnes, laudati a Friderico Gavardi q. 5. art. 2. non diſſentiente Aurelio Piette Volum. VI. pag. 302. Subſcribunt eidem ſententiæ Bellarminus lib. 1. de Clericis, & de Sacram. Ord. cap. 5. Franciſcus Hallier de S. Ord. pag. 370. Jo. Morinus p. 3. Exercit. XV. n. 12. & ex Canoniſtis quoque nonnulli cum prælaudato Gonzalez tom. I. in decret. pag. 462. His ultro, libenterque ſubſcribimus, ita tamen, ut ab iis recedamus, qui negant conſuetudinem Clericalis tonſuræ non eſſe antiquiſſimam.

PROP. I. Clericalis Tonſura obtinuit in Eccleſia ab Apoſtolorum ætate, & inſtituta fuit, ut Clerici diſtinguerentur a Laicis.

Atque id principio commonſtrant laudati Patres, Anicetus, Gregorius Turonenſis, Sidonius Apollinaris, & Beda: & licet de primo non habeamus exploratiſſima monumenta, alii vero non ſint admodum antiqui; non extant tamen teſtimonia majoris ponderis ad illos refellendos: cumque fuerint doctiſſimi, & eorum aliqui, ut Sidonius, & Gregorius, ante ſeculum ſextum exactum floruerint, inveriſimile eſt potuiſſe ad Apoſtolica tempora ritum illum referre, qui vix iiſdem natis eruperit. Porro hi docent, Clericos ab initio Eccleſiæ *in vertice fuiſſe tonſos*, ut more Nazaræorum Deo dicarentur, & Domino conſecrati agnoſcerentur: etiam Petrum coronam Clericalem geſtaſſe; & addunt aliqui, hanc ab ipſo uſurpatam in memoriam Dominicæ paſſionis: quod ſentit Ceolfridus Abbas apud Bedam lib. V. Hiſt. Anglor. cap. 22. & Rabanus Maurus lib. 1. de Eccl. Offic. cap. 3. Nonnulli etiam, quod facit pro ſententia Morini, cenſent Petrum ludibrii cauſa ab iis, qui ei Chriſtum prædicanti non credebant, fuiſſe attonſum, atque ex tunc Clericos omnes comam abraſiſſe: idque ſcribunt ex Latinis Honorius Auguſtodunenſis in Gemma animæ lib. 1. cap. 194. atque ex Græcis Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui floruit imperante Leone Iſaurico in Theoria rerum Eccleſiaſticarum; quam vide tom. XIII. novæ Bibl. PP. pag. 52. Præterea poſſet Tonſuræ Clericalis antiquitas demonſtrari ex ſcriptis Abdiæ Babylonii, qui lib. 9. Hiſt. Apoſtolicæ narrat Indorum regem a S. Thoma Apoſtolo ad fidem converſum, & in Clericum attonſum fuiſſe; necnon ex S. P. Auguſtini Epiſtolis, in quibus *Coronæ* Sacerdotalis frequens fit mentio: de quibus Hallier de ſacris Ordinat. pag. 1064. & Morinus 3. p. pag. 203. Sed ingenue fateor Abdiæ ſcripta dubiæ eſſe fidei, & verba S. Patris a Morino producta eumdem pati ſenſum, ac verba Pauli ad Philipp. IV. 1. Ulterius demonſtrant hujus Tonſuræ vetuſtatem atque inſtitutionem (ſaltem ante tempora, quibus introductam putant recentiores quidam) præcitati verſus Aratoris ſubdiaconi; & qui legitur apud Prudentium Hymno V. περὶ στεφ. de S. Cypriano in Clericum attonſo.

Defluа cæſaries compeſcitur ad breves capillos:

quamquam hoc in loco *corona verticis* aperte non eſt expreſſa. Rurſus temporibus Juliani Apoſtatæ presbyter quidam Theodorus ab ethnicis ſupplicio affectus eſt, quod nonnullos pueros detondendo illos cooptaret in Clericos, ut ex libro 12. Ammiani Marcellini demonſtrat Eminentiſſimus Baronius ad an. 58. num. 128. In vetuſtiſſimis etiam Actis Eccleſiæ Divionenſis, apud Martenium citato art. 7. num. 2. habetur S. Benignum presbyterum in agnitionem Terentii Comitis veniſſe ob tonſi capitis coronam. Benignus vero fuit diſcipulus Polycarpi, ſubiitque martyrium ſub Marco Aurelio Imperatore, juxta Martyrologium Romanum die 1. Novembris, & adnotationes ibi affixas eximii Baronii. Poſtremo tam Occidens, quam Oriens, & univerſæ nationes, in quibus propagata eſt Chriſtiana Religio, habent Clericos a laicis corona capitis, ac tonſura diſcretos; quamquam Orientales fere totum occipitium, & magnam ſincipitis partem tondere ſoleant forcipe, non autem novacula adhibita, ne cute apparente, videantur ſimiles raſorum, ac ſacerdotum Iſidis, & Serapidis, qui omnino crines radebant: unde Hieronymus in caput 44. Ezechielis ſcribit non debere ſacerdotes incedere *raſis capitibus ſicut ſacerdotes Iſidis atque Serapis, nec rurſum comam dimittere, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut aperta ſit cutis*; non improbans Clericalem Tonſuram, ut imperitiſſime quidam ſcripſere, ſed tonſuram deſcribens Orientalium. Ut autem redeam, unde oratio divertit paullulum; a quibuſnam derivata eſt, niſi a Catholicæ Fidei conditoribus, conſuetudo per univerſum orbem terrarum ſervata? Quis illam intruſit? Quomodo ubique gentium obtinuit? Profecto habere nequimus firmius antiquiſſimæ traditionis argumentum, quam ſi intueamur morem longe lateque diffuſum, & nullum poſterioris ætatis inſtitutorem adinvenire poſſimus.

Hoc magis colluſtratur detegendo allucinationes tam hæreticorum, quam recentiorum quorumdam Catholicorum. Atque in primis quod ſcribit Calvinus, ſolemnis eſt impoſtura: nam S. P. Auguſtinum neque de Opere Monachorum, neque ullo alio in loco aſſerit tonſuram origi-

originem habuiſſe, ex quo nonnulli, ne effeminati viderentur, comam non alerent; ſed ibidem invehitur Auguſtinus in quoſdam Monachos, qui adverſus monitum Apoſtoli dicentis 1. ad Corinth. 11. ignominioſum eſſe viro, *ſi comam nutriat*, incedebant dimiſſis crinibus, *timentes ne vilior haberetur tonſa ſanctitas, quam comata*; & cum eis verba Apoſtolica objicerentur, inſulſiſſime ajebant eos, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum, non eſſe viros. Quamquam, ſi Calvino concedamus inſtitutam fuiſſe tonſuram adverſus faſtum ſæcularium, qui delectantur comæ ornatu, & cincinnis, (quæ ſane res cum in laicis ſit turpis, in clericis eſt turpiſſima) non video quid inde inferri poſſit adverſus tonſuræ clericalis inſtitutionem atque honeſtatem.

Quod itidem Spencerus conatur demonſtrare, hunc ſcilicet ritum a gentibus promanaſſe, tametſi ille proprie ſermonem inſtituat de tonſura Nazaræorum, cum qua noſtra nihil aliud habet affine, niſi quod in clericos attonſi Domino conſecramur, illud primo falſum deprehenditur, quod non ex moribus Ethnicorum nati ſunt Eccleſiaſtici ritus; ſed ea hic illos curavit inducere dæmon æmulator divinitatis. Deinde longe diverſa eſt abraſio facta in cultum idolorum, ab ea, qua Clerici tondentur in vertice: ethnici enim toto capite radebantur, ut dixi paullo ſupra de ſacerdotibus Iſidis, ſcripſitque etiam in fine Opuſculi de Dea Syria tom. III. pag. 798. Lucianus Samoſatenus. Aſſyrii præterea ac Troezenii cæſariem recidebant, non in Deorum cultum initiandi, ſed priuſquam jungerentur connubio; & apud Lacedæmones etiam pueruli attondebantur. E contra apud Romanos, & Græcos, juvenes capillum alebant; & ſi illum ſacrabant diis, ſemel totum in patriam reduces reſecabant, nec deinceps tenebantur incedere attonſi. Tandem nec unicuique deorum comas, ſed iſtas Libero, Apollini barbam dicabant; unde Statius,

Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.

Quæ omnia ſi conferas cum forma Clericalis tonſuræ, de qua ſupra, & cum his, quæ de Nazaræis habentur cap. 6. Numerorum, percipies a Spencero permulta ingenioſe dici, permulta vero ineptiſſime. Quamquam ſi tondendi ritus inductus foret in execrationem alicujus ſuperſtitionis, nihil adverſus propoſitionem noſtram conſequeretur.

Opinio Joannis Morini referentis tonſuræ originem ad Ethnicorum deriſionem, qui captivos ſervoſque radebant, habet quidem præſidium aliquod ex paucorum Scriptorum auctoritate; faciliime tamen refellitur: raſio quippe facta ignominiæ cauſſa, erat totius fere capillitii, non tonſio verticis, & corona; ac raſionem illam Chriſtiani non adhibuere, niſi in ceremonia publicæ pœnitentiæ, & in humilitate habitus Monachalis. Quare cum Donatiſtæ Epiſcopos raderent, eoſque contra ſtatuta canonum redigerent ad ordinem pœnitentium, S. Optatus lib. 2. num. 23. ita illos alloquebatur, *Docete, ubi vobis mandatum eſt radere capita ſacerdotum*. Ad hæc in abraſione ſervorum relinquebatur in vertice crinium floccus, raſo capillitii reſiduo; ideoque abraſio illa omnino erat oppoſita Clericorum tonſuræ: videſis Tertullianum de Pallio cap. 4. ſcribentem, *Juxta autem tonſor, & cultri vertex ſolus immunis*: ac Lucianum in Convivio tom. IV. pag. 354. *Ingreſſus deformis quidam deraſo capite, paucul os capillos in vertice geſtans, eoſque criſtæ in morem erectos*. Recte itaque Iſidorus appellavit Clericalem tonſuram, non ſervitutis notam, ſed regni. Argumenta denique recentiorum corruunt ex dictis; non enim neceſſum erat tonſuram in primis ſæculis ita amplam deferre, aut nudatum verticem oſtendere, ut ethnici clericos poſſent dignoſcere, etſi quoſdam tali indicio deprehenſos minime dubitamus: neque ex capillorum promiſſione, quam tribuit Jacobo Hegeſippus, conſequitur Apoſtolum non fuiſſe tonſum, ſive abraſum in vertice: immo Græca verba nihil aliud innuunt, niſi ejus cæſariem non fuiſſe abraſam novacula, ξυρὸς, inquiunt, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ οὐκ ἀνέβη, *novacula ſuper caput ejus non adſcendit*, pag. edit. Valeſ. 63.

PROP. II. Clericalis Tonſura non eſt *Ordo*.

Scholaſtici hanc theſim probant ſequentibus argumentis. I. Tonſura eſt Eccleſiaſticæ inſtitutionis, non enim a Chriſto fuiſſe inſtitutam vel ex Scripturis, vel ex Patribus poteſt evinci. Sed hoc argumentum facile ſolvi poſſet; oſtendimus enim ſupra, tonſuram extitiſſe a temporibus Apoſtolorum, nec inveriſimile eſt Apoſtolos hunc ritum Domino præcipiente ſervaſſe. II. Nulla per clericalem tonſuram infertur initiatis ſpiritualis poteſtas; ſed hi dum tondentur, deputantur duntaxat ad vacandum præ ceteris divino cultui; quæ eſt ratio S. Thomæ q. 40. Supplem. art. 2. Adverſarii tamen reſpondere poſſunt, tonſura initiatos deputari ad pſallendum liturgiæ tempore, quod plurimum confert ad ſacrorum myſteriorum decentiam, & ad excitandam in populo devotionem. Dicent ulterius, ſola tonſura præditos donari Eccleſiaſticis beneficiis, & aliquando exercere in Eccleſia juriſdictionem Epiſcopalem, excommunicare, & ſuſpendere alios Clericos: quod longe præſtantius eſt, quam aperire fores templorum, pulſare cymbalum, deferre urceolos. III. Tonſura minime adnumeratur inter *Ordines*, neque in antiquis Pontificum ſtatutis, quæ diſtinctos gradus clericorum enumerant, neque in vetuſtiſſimis Pontificalibus collectis a Morino, & Martenio, neque a Tridentino Concilio, quod ſeſſ. 23. cap. 2. *Ordines* ſingulos recenſens, eoſque dividens in minores, ac majores, nullam tonſuræ mentionem facit: & cap. 6. de Reform. ejuſdem ſeſſ. illam a numero *Ordinum* expungit, dicens: *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere*. Verum reponent, Tridentinam Synodum, ſicut & Florentinam, quæſtionem hanc non attingere, aut loqui de iis, qui jam inter Clericos ſunt cooptati: nomine *Ordinum* comprehendere ſeptem illos gradus, per quos jam in ſortem Domini adſciti ad ſacerdotium adſcendunt; apud veteres denique memorari ſæpenumero Pſalmiſtatum, quem idem eſſe ac Tonſuram, conſtat ex cap. *Pſalmiſta*, diſt. 23. quod & nos affirmavimus prop. 2. capitis præcedentis. Ex his tribus argumentis videtur nobis ſecundum validius ceteris; non enim ſolvitur reſponſione paullo ante producta: quoniam pſallere, & devotionem cantu excitare, non eſt miniſterium peculiari titulo pertinens ad Euchariſtiam: excommunicare autem, & in clericos animadvertere, non ſpectat ad poteſtatem *Ordinis*, ſed ad poteſtatem juriſdictionis.

Addam ego argumenta, quæ mihi videntur invicte propoſitionem firmare. Sit primum: ſi Tonſura foret *Ordo*, maxime, ut adverſarii contendunt, eſſet idem ac Pſalmiſtatus. At hunc non eſſe *Ordinem*, & exerceri *ſola juſſione presbyteri*, liquet ex canone 10. Concilii IV. Carthaginenſis. Deinde apertiſſimum eſt tonſuram apud Græcos non eſſe *Ordinem*, ſed ritum quemdam, quo initiandi Lectoratu tondentur in Clericos, invocato tantum Dei nomine, & nulla ſacramentali forma prolata. *Signatur*, inquit Pontificale Græcorum de initiando in Lectorem, *ſignatur ter in capite, ac tondetur in forma crucis*, σφραγίζεται τρίτον τὴν κεφαλὴν, καὶ κείρεται παρ' αὐτὴ σταυροειδῶς. Nec in ordinatione Lectoris, aut etiam Pſaltis, minimum occurrit verbum, quod poſſit ad capillorum tonſionem referri. Num aliquando in hoc tondendi ritu oratio aliqua fuerit adhibita, & num tonſura ſine Lectoratu olim fuerit collata, non attingam modo. Legi poſſunt hac de re Iſaacius Habert in Pontificale Græcorum pag. 41. & Cl. Lupus in Canonem 14. Synodi VII. tom. 2. pag. 1140. Certe hac ætate Græci Clericalem tonſuram non habent, quæ proprius ſit *Ordo*. Jam vero dictum ſupra, ordinatum apud Græcos, ſi conceſſione Apoſtolicæ Sedis ad ritum Latinorum pertranſeat, debere promoveri ad omnes omnino *Ordines*, quos ab Epiſcopo Græco non habuit, etiam ad Exorciſtatum, etſi jam fuerit ordinatus in presbyterum. Atqui non debet ordinari ad Tonſuram. Hæc igitur non eſt Ordo. Præterea in Pontificalibus Latinorum vetuſtiſſimis omnes Ordinationes incipiunt ab Oſtiariatu, non tantum in illis plurimis, quæ collegerunt pertractantes de ſacris Ritibus, verum etiam inter Opera Gregorii pag. 219. libri Sacramentorum. De tondendis Clericis ac pœnitentibus in ipſo Sacramentorum libro agitur ſeparatim pag. 213. ubi de variis benedictionibus, ritibuſque ad ſacramenta non pertinentibus, & proponitur quoque hic titulus, *Oratio ad faciendum Clericum*. Concilium itidem Carthaginenſe, de quo ſupra, inter gradus, qui ſtrictim *Ordines* ſunt, primo Oſtiariatum locat; quod & faciunt monumenta quæque vetuſtiora. Si Tonſura *Ordo* eſt, cur in primo loco non collocatur? Cur ejus ritus a ritibus *Ordinum* ſtabat longe diſſitus, priuſquam omnia, quæ a Pontificibus peraguntur, in unum recentiorum Pontificalium corpus fuiſſent collecta? Ad hæc Romanus Catechiſmus p. 2. cap. 7. num. 13. docet tonſuram *quamdam præparationem eſſe ad Ordines ſuſcipiendos: ut enim homines ad baptiſmum exorciſmis, ad matrimonium ſponſalibus præparari ſolent, ita cum tonſo capillo Deo dicantur, tamquam aditus ad Ordinis ſacramentum illis aperitur*. Quod autem reſpondet Vanroy, etiam baptiſmum eſſe januam, aditumque ad ſacramenta, & nihilominus ſacramentum eſſe, mihi plane non ſatisfacit: tum quia Catechiſmus non comparat tonſuram baptiſmo, ſed diſpoſitionibus baptiſmum præcedentibus; tum etiam quia neſcio, num proprie baptiſmus dici poſſit *præparatio* ad ſacramenta; tum denique quia ſicuti dicendo, *Baptiſmus eſt aditus ad alia ſacramenta*, ſejungimus baptiſmum ab aliis ſacramentis; ita dicendo, *Tonſura eſt aditus ad Ordinis ſacramentum*, *Tonſura eſt præparatio ad Ordines*, perſpicue Tonſuram ab Ordinibus ſeparamus. Præterea Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 8. declarat, ut ſi aliquis non a proprio Epiſcopo ordinetur, *Ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus*. Ubi conſtat agi de omnibus *Ordinibus*, nullo prorſus excepto. Et tamen ſacra Congregatio, fatente ipſo Fagnano in Capit. *Cum contingat*, num. 38. declaravit Epiſcopum Hieracenſem ob primam tonſuram extraneo collatam ſuſpenſioni non fuiſſe ſubjiciendum, quoniam Tonſura *a Concilio non habetur pro Ordine*. Tandem, etſi Fagnanus ipſe num. 118. ſcribat primam Tonſuram imprimere *characterem*, quoniam eadem S. Congregatio declaravit tonſuram collatam ab Abbate privilegiis ſuffulto aliis, quam regularibus ſibi ſubjectis, nulla ratione iterandam eſſe, ac ſemel iterumque monuit Epiſcopum Cavenſem, ne ullatenus doceret pri-

Digitized by Google

ret prima tonſura characterem non imprimi; tamen perſpicuum eſt nullum aliud ſacræ Congregationis fuiſſe propoſitum, quam contentionis eo tempore inutilis occaſionem abrumpere: ſiquidem conſtat, ait Morinus cit. diſſert. 5. num. 12. aliquando tonſuram *omnibus ſacrorum Ordinum candidatis ſeparatim, & ante quemvis Ordinem* fuiſſe collatam.

Argumenta vero contraria nullius ſunt momenti. Etenim moventur Canoniſtæ reſcripto Innoc. III. ad Archiepiſcopum Rothomagenſem, cit. cap. *Cum contingat*, ubi legitur: *Per primam Tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam Clericalis Ordo confertur*. Sed obvia reſponſio eſt, *Ordinis* nomine poſſe intelligi ſtatum, quo Clerici præeminent laicis; unde Pontifex conſulto ait, *Clericalis ordo*, non, *Ordinis ſacramentum*: ac præterea eum tonſura ibi etiam Lectoratus, aliique minores Ordines comprehenduntur, & laudatur etiam can. 14. Synodi VII. quo ſtatuitur, Lectores ab Abbate in proprio Monaſterio poſſe ordinari: ideoque capituli, *Cum contingat*, planiſſimus ſenſus eſt, tonſum in Clericum, & conſtitutum in minoribus Ordinibus a proprio Abbate, revera eſſe Clericum, revera ordinatum. Secundo ajunt, etiam tonſura initiatos aliquando *degradari*, ut conſtat ex Cap. *Degradatio*, de Pœnit. in VI. & ex Pontific. Romano 3. p. de forma degradat. in *degradatione* a prima tonſura haberi: *Deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali*; ſed liquet *degradationem*, non ab *Ordine*, prout ſacramentum & character eſt, qua ratione eſt prorſus indelebilis, ſed ab officio, habitu, & privilegiis arcere, & ad communionem laicam redigere; unde de his explicanda ſunt quæ leguntur in ipſa formula *degradationis*. Idem dicendum de Conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Sanctum & ſalutare*, quæ itidem agit de eorum *degradatione*, qui tonſura ſunt initiati. In eadem Conſtitutione Tonſuratis tribuitur *Clericalis character*; veruntamen *characteris* nomen non tantum animi habitudinem, quam exteriorem notam commode poteſt ſignificare, ipſaque capillorum detonſio, quæ profecto nec Ordo, nec Sacramentum eſt, appellatur a Græcis, σφραγὶς τῆς κουρίδος, *Character tonſuræ*. Tandem inquiunt Pontificem clericos initiaturum Deum deprecari, ut iis, *qui ad deponendum comas capitum ſuorum feſtinant, donet Spiritum ſanctum*, necnon adhibere verborum formam, tum in incidendis capillorum extremitatibus, tum quoque in imponendo ſuperpelliceo: verum nullus ferme adinvenitur ſacrorum rituum, qui ſine prece aliqua, & abſque divinæ gratiæ invocatione peragatur; nimiumque erunt faciles ad ſacramenta in immenſum multiplicanda, qui exiſtimant ineſſe hujuſmodi argumentationibus vim, aut probabilitatem aliquam; ideoque his prætermiſſis progredimur ad

CAPUT IV.

In quo de minoribus Ordinibus pertractatur.

SEptem eſſe *Ordines* diximus præcedenti capite ſecundo. Primi quatuor *minores*, tres alii *majores & ſacri* appellantur. Rationem hujus diſtinctionis quidam inde repetunt, quod primi quatuor etiam extra Miſſarum ſolemnia conferri poſſint; ſecus alii: nonnulli *Ordines minores* dictos putant, ex quo illis non ſit conjuncta lex cœlibatus, qua obſtringuntur ad *majores* promoti: aliqui *minores* appellatos exiſtimant, quod olim extra ſanctuarium conferrentur; multi demum, quibus ſubſcribimus, cenſent *majores Ordines* dici, per quos jus datur propius ad altare accedendi, ſacra peragendi, aut presbyteris rem divinam facientibus intime adſtandi. Sunt igitur quatuor *minores* Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolythatus. Ex præcedentibus duobus capitulis manifeſtiſſimum eſt, quatuor *minorum Ordinum* mentionem feciſſe Romanos Pontifices Cornelium, Cajum, ac Silveſtrum, Synodos perantiquas, Laodicenam, Carthaginenſem IV. ac Toletanam I. necnon auctorem Epiſtolæ ad Antiochenos, Epiphanium in Expoſitione Fidei, Scriptorem Operis de VII. Eccl. Gradibus apud Hieronymum, alioſque vetuſtiores. *Oſtiariis* præterea meminit S. P. Auguſtinus ſermone 46. num. 31. ubi ſcribit miniſtros ſtare ad oſtium templi interrogantes *ovem* Chriſti *quærentem gregem ſuum*, ideſt, fidelem introeuntem, an Paganus ſit, vel Chriſtianus, & curantes *ne catechumenus irruat Sacramentis*; ubi S. Pater redarguit Donatiſtas, qui a communione per Oſtiarium etiam Catholicos repellebant. Meminit Oſtiarii & S. Gregorius Nazianzenus Orat. 18. in laudem S. Cypriani, ſcribens fuiſſe hunc in Eccleſia νεώκορον, quod Latinus interpres reddidit *æditum*, ſeu *oſtiarium*; etſi proprie is dicitur Græcis θυρωρὸς, ſive πυλωρός. In illa Nazianzeni oratione Cyprianus Carthaginenſis confunditur cum altero Nicomedienſi, in quod ſupra diximus impegiſſe Græcorum alios. In dubia quoque Ignatii ad Polycarpum epiſtola pag. 97. commemoratus θεοδρόμος, quaſi, *divinus curſor*, cujus muneris erat convocare ad ſacras ſynaxes, nec deſunt, qui hunc curſorem interpretentur *Oſtiarium*. Eginhardus in vita Caroli Magni Oſtiarium appellavit *Janitorem*, ſcribens hunc tenere in Eccleſiaſtico ordine locum ultimum. Mitto Iſidorum, Amalarium, Rabanum, Ivonem, alioſque quamplurimos.

Lectoratus, ideſt, ſecundi Ordinis Eccleſiaſtici, præter monimenta jam producta, mentionem faciunt Græci omnes, apud quos hic *Ordo* primus omnium confertur. Promotum ad Lectoratum a Meletio S. Joannem Chryſoſtomum, & deinde adſcendiſſe *per ſingulos officii gradus* affirmat Marcellinus Comes. Idem de ſeipſis tradiderunt orat. 32. Nazianzenus, ac Theodoretus in Philotheo. Ex Latinis *Ordinem* hunc laudarunt Tertullianus, qui de Præſcript. 41. carpens hæreticorum ordinationes leves, prout idem inquit, ac temerarias, *Itaque*, ait, *alius hodie Epiſcopus, alius cras: hodie diaconus qui cras lector, hodie presbyter qui cras laicus*. Ex quibus refellitur ſupinus error Centuriatorum Magdeburgenſium aſſerentium neminem ante Cyprianum commemoraſſe Lectores. Ipſe utique Cyprianus Lectorum, horumque *Ordinationis* meminit. ep. 24. in qua ſcribit Saturum a ſe ordinatum eſſe Lectorem, & Epiſt. 33. & 34. in quibus agit de Ordinatione duorum inſignium Lectorum, Aurelii, & Celerini. Commemorantur itidem Lectores in Hiſtoriis Donatiſtarum, præſertim vero ubi agitur de Paulo Cirtenſi, & de Munatio Felice, cui ille prodidit ſacros Codices aſſervari a Lectoribus. Extat & de his mentio in Actis Martyrum Cibalitanorum, ubi Pollio dicitur *primicerius Lectorum*. S. P. Auguſtinus lectores ipſos commemorat ſerm. 17. n. 1. ſerm. 18. num. 5. ſerm. 67. num. 1. ſerm. 235. aliiſque in locis frequenter. S. Paulinus de Felice ad Clericalem ſtatum tranſeunte lib. IV. inquit:

Inſtituit ſervire Deo, nec gratia pauper
Affuit, & quantum ſitiebat corde capaci
Lucis hians animus, tam largiter influa traxit
Dona Dei; primis Lector ſerviit in annis,
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adjurare malos, & ſacris pellere verbis.

Ex his Paulini verſibus confirmatur tertius inter minores *Ordines*, ſcilicet *Exorciſtatus*: de quo etiam Tertullianus ad Scapulam, Firmilianus Epiſtola inter Cyprianicas 75. Cyprianus Epiſt. 2. & 76. Hilarius de Synodis, Euſebius Vercellenſis in Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, Hieronymus comment. in Epiſt. ad Titum, & Venantius Fortunatus lib. X. poemate 25. in quo videtur Exorciſtas infimo loco conſtituere, ſcribens,

De tyrone duces veniunt, de milite princeps,
Ut reliquos taceam, Juſtinianus erat.
Hoc & in Eccleſia, Chriſto tribuente, refertur,
Ut Exorciſta aliquo Pontificalis honor.

Plura de Exorciſmis dicta a me ſunt lib. XXXI. cap. ultimo, quæ nunc prætermitto.

Acoluthi, quorum nomen Græcum eſt, & idem ſonat ac *pediſſequus*; eſt enim ἀκόλουθος, ab α, & κέλευθος, *via*, ſive a verbo ἀκολουθεῖν, *ſequor*, (etiamſi Iſidorus lib. VII. Orig. cap. 12. ſcribat, *Acolythi Græce, Latine Ceroferarii dicuntur a deportandis cereis*) laudantur a Cypriano ep. 28. 55. 38. 79. a Hieronymo in Epiſtola ad Nepotianum, ab Auguſtino epiſt. 191. a Gregorio Magno lib. VII. epiſt. 7. Malunt nonnulli dicere *Acolytos*, ἀκωλύτους, vocabulo derivato ex α, privativo, & κωλύω, *impedio*; quod Acolythis fas ſit abſque ullo obſtaculo accedere ad miniſterium altaris. Sed cum Acolythus a Cajo Pontifice *ſequens* dicatur, & fere ubique cum aſpiratione ſcriptus ſit, retinenda eſt prior etymologia. Adeas, ſi plura deſideras, Hallier, & Morinum de ſacris Ordinationibus, Menardum in Sacramentarium Gregorii, Martenium de Antiquis Eccleſ. Ritibus, & in Gloſſario Du-Cangium. Et eum de iſtorum *Ordinum* nomine, ac vetuſtate, ſi hæc pauca addantur iis, quæ ſecundo capite dicta ſunt, mihi videor ſatis ſuperque dixiſſe.

De Oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, & Acolythis, eorumque Officiis, & *Ordinationibus* legi poſſunt Ordo Romanus, Iſidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Stephanus Eduenſis, Ivo Carnotenſis, & recentiores paullo ſupra laudati: Hugo itidem lib. 2. de Sacram. Magiſter in IV. diſt. 24. S. Thomas q. 37. Supplem. S. Bonaventura, & veteres alii, atque recentiores ſcholaſtici. Qui omnes tradunt officium *Oſtiarii* eſſe aperire, & claudere fores templorum, infideles ejicere, ad divina datis ſignis convocare Chriſtianam plebem, arcere excommunicatos & deriſores ſacramentorum, res, quæ in Eccleſiis continentur, cuſtodire, & juxta Pontificale Romanum, aperire librum ei, qui prædicat. Confertur propterea hic *Ordo* traditione clavium ex antiquiſſima conſuetudine, ut conſtat ex canone 9. Concilii IV. Carthag. habiti præſente, ac ſuffragante S. P. Auguſtino. *Lectoris* autem munus eſt, novi & veteris teſtamenti libros diſtincte recitare, cantare lectiones, panem, novoſque fructus benedicere, &, juxta Dominicum Sotum, & Catechiſmum Romanum num. 16. etiam prima fidei rudimenta tradere Catechumenis. Confertur propterea hic *Ordo* traditione Codicis, in quo pſalmi, aut divinæ lectiones continentur. Mirum quibuſdam Scholaſticis crucem figere quod in Pontificalibus bene multis habetur, *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat*: unde Gabriel Vaſquez diſput. 236. de Ordine cap. 2. ſeſe torquet in amovendis lectoribus ab officio concionandi.

At

At primum *prædicare* nihil aliud hic ſonat, quam *publice dicere*, & alta voce e ſuggeſtu *pronuntiare*, quod recte accipi poteſt de ſacris lectionibus, a quarum diſtincta pronunciatione lectores a Rabano *Pronunciatores* dicuntur, & ab Iſidoro *Proclamatores*. Deinde animadvertit Iſaac Haberr in Pontif. Græcorum pag. 39. in vetuſtiſſimo Codice legi, *Ei, qui prædicat*, non, *ea, quæ prædicat*: immo & in recentioribus nonnullis ſcriptum invenimus, *Ea quæ* (vel *ei, qui*) *prædicat*. Olim quippe Lector de pulpito legebat præſcriptam ab Epiſcopu Evangelii, ſeu alterius Scripturæ partem, quam poſtea idem Epiſcopus interpretabatur, atque exponebat, ut conſtat ex Epiſtolis 33. & 34. ſancti Cypriani, atque ex ſermone 67. S. P. Auguſtini, n. 1. ac ſermone 140. de Temp. nunc 235. numero itidem 1. In altera quoque Apologia Juſtini prope finem legimus Antiſtites admonitionem ad populum habuiſſe, παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, *pauſam faciente Lectore*. Ignorant ergo veterem diſciplinam, qui ſuſpicantur huic *Ordini* alligatum olim miniſterium concionandi, aut cantandi in ſolemni Miſſa Evangelium. Exorciſtæ poteſtas ac munus eſt ſuper energumenos manus imponere, ac dæmonia a corporibus obſeſſis ejicere, fundere aquam in miniſterio, ac populum monere, ut qui non communicat, ceteris locum cedat. Ordinatur Exorciſta traditione libri, in quo exorciſmi conſcripti ſunt. Ex Pontificali Romano, & ex IV. Concilio Carthaginenſi conſtat Exorciſtam poſſe tam baptizatis, quam catechumenis manus imponere, ſi energumeni ſint; ex quo non ſequitur impoſitionem manuum factam catechumenis, horumque exorciſmos, antequam baptiſmate abluerentur, pertinuiſſe ad Exorciſtatum officium, cum omnes illi non fuerint energumeni, arreptique a contaminatis ſpiritibus. Ad acolythos demum ſpectat ceroferarium ferre, luminaria Eccleſiæ accendere, ac vinum, & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare: ideoque acolythorum ordinatio peragitur porrectione candelabri cum candela extincta, & urceoli vacui. Et hæc quidem ex ſola lectione Pontificalis Romani perſpicua ſunt.

At difficilior eſt quæſtio, num quatuor *minores Ordines* ſint gradus ab Eccleſia inſtituti, ne ſtatim Clerici ad ſacra miniſteria proveherentur; num vero ſint *Ordines* proprie dicti, & ſacramenta gratiam & characterem conferentia. Minoribus quippe *Ordinibus* ineſſe ſacramenti rationem, ſaltem ut probabilius, tenent cum S. Thoma q. 35. art. 2. Suppl. omnes fere Thomiſtæ, & cum S. Bonaventura & Scoto diſt. 24. ſinguli Scotiſtarum: accedunt ex Noſtratibus Argentinas in eamdem diſtinctionem, Gibbon diſput. 22. Gavardi q. 1. art. 2. Girken q. 2. dub. 1. Vanroy q. 2. Piette q. 3. qui duo tamen ſcite prudenterque oppoſitam ſententiam ab omni cenſura vindicant. Idem ſentiunt Paludanus, Richardus, Eſtius, Sylvius, atque omnes fere antiquiores ſcholaſtici, Cajetano, Durando, Francisco Victoria, Vaſquio, aliiſque perpaucis exceptis. Fallitur propterea Witaſſius dum q. v. art. 1. ait ſententiam, quæ negat minores Ordines eſſe ſacramenta, eſſe ſententiam *communiorem*, magiſque deceptus eſt Maldonatus affirmans tom. 2. de Sacram. pag. 225. eſſe non communiorem, ſed *communem opinionem*. Fatendum tamen in eam abiiſſe complures, inter quos principio connumerandus eſt Morinus 3. p. Exercit. xi. qui de hoc argumento prolixe & luculenter diſſeruit; & cui ſubſcripſerunt Juenin q. 7. cap. 1. Tournely q. 6. art. 5. Le-Droit lib. VIII. cap. 3. aliiſque ex Sorbonicis plurimi. Nec videtur aliud ſentire Natalis Alex. nam de Ord. cap. 1. art. 4. ſententiam S. Thomæ laudat duntaxat; opinionem vero alteram priori loco recenſet, multiſque argumentationibus corroborat. Videtur in eamdem propendere noſter Lupus in decreta S. Gregorii VII. pag. 822. 1. edit. Sententiam ergo noſtram dicturi præmittimus nullam eſſe viam conciliationis inter has duas e diametro oppoſitas opiniones, uti Morinus, & Le-Droit excogitarunt. Ille ſiquidem ait, propugnari poſſe quod *minores Ordines* ſint ſacramenta quædam *analogica*, atque imperfecta: nec aliud ſenſiſſe antiquos ſcholæ magiſtros, qui ſcripſerunt plenitudinem Ordinis in uno ſacerdotio reſidere, atque aliis Ordinibus ineſſe ſpiritualis poteſtatis partem aliquam, & rationem quamdam partium, quas *integrales* appellitant. Alter autem inquit *minores Ordines*, ſi in origine accipiantur, & quatenus comprehenduntur in Diaconatu, in quo ſita eſt ſacri miniſterii ſacerdotibus exhibendi plenitudo ac poteſtas, ſacramenta quidem eſſe, ſecus vero, ſi diviſim ac ſeparatim accipiantur. Hæ, inquam, ineptæ ſunt conciliationis viæ. Nam *minores Ordines*, ut in diaconatu comprehenduntur, commentitii prorſus ſunt, nec diverſi *Ordines* dici poſſunt, nec etiam diverſi gradus Eccleſiaſtici: immo nullus erit quæſtionis locus, niſi diſceptetur de Ordinibus, ut conſtant propria materia & forma, eiſque competit peculiare aliquod miniſterium, niſi forte dicamus olim cum diaconatu collatos ſimul fuiſſe Ordines inferiores, ut diximus paullo ſupra de Ordinationibus Græcorum. Quod autem *analogice* tantum, ac ſimilitudinaria quadam ratione dicitur ſacramentum, a ſacramenti natura, efficientia, ac dignitate penitus excidit, atque inter *ſacramentalia*, ritusque rejicitur, nec divinæ dicendum eſt, ſed Eccleſiaſticæ inſtitutionis. Sit itaque

PROP. I. Plauſibilis eſt, catholica, & etiam probabilis ſententia, quæ negat minores Ordines eſſe vera ac propria ſacramenta.

Probatur primo ex numero, doctrina, & celebritate Scriptorum ſententiam eamdem propugnantium, quorum pleriquę poſt Tridentinam Synodum floruerunt, nec tamen unquam vel ab Apoſtolica Sede, vel a viro aliquo probo & erudito fuerunt cenſoria nota perſtricti. Horum autem ſcriptorum quamplures paullo ante laudavimus. Confirmatur ex Doctoribus contrariam opinionem amplectentibus, eam namque contineri intra probabilitatis fines ultro concedunt; atque inter illos unus percelebris, ideſt, Eſtius diſt. 24. §. 8. ſcribit: *De minoribus Ordinibus, qui non ita prope ut majores ad ſanctum ſanctorum accedunt, magis tolerabilis, imo probabilis eſt opinio, quod non ſint proprie ſacramenta.* Præterea præcipuum momentum eorum, qui minores *Ordines* inter ſacramenta recenſent, petitur ex definitionibus Conciliorum Florentini, ac Tridentini, quæ *Ordinem* proprium ſacramentum eſſe declarant, eumdemque *Ordinem* in ſeptem dividunt. Et hinc nihil aliud invicte eruas, niſi hoc ſacramentum eſſe certa fide tenendum, & rite ad ſacerdotium per varios gradus adſcendi; non autem quod omnibus hiſce gradibus ex æquo *ſacramenti* ratio conveniat. Adde, quod aliis in locis advertimus, Florentinam Synodum tradidiſſe Armeniis non tam dogmata, quam Ritus Romanæ Eccleſiæ, cui iidem Armenii per omnia conſentire cupiebant, ideoque expoſuiſſe *Ordines* qui a Latinis conferuntur, ipſorumque *Ordinum* materiam & formam, in quibus tamen a Romana diſſident Orientalium Eccleſiæ. Tridentinum autem Concilium ad extirpandas hæreſes, non ad ſcholarum diſſidia finienda adunatum, damnatis Novatoribus negantibus *Ordinis ſacramentum*, & gradus hujus ſeptem deridentibus, ſuas opinationes reliquit ſcholaſticis; quod & fatetur Hiſtoricus præſtantiſſimus lib. XXI. cap. 13. his verbis: *Neque Synodus declarat omnes Ordines eſſe gradus ex ordinatione Chriſti, & non mere ex ordinatione Eccleſiæ, cum adhuc ad hodiernum uſque diem in quæſtione verſetur, an omnes Ordines inſtituti fuerint a Chriſto, & an idcirco omnes ſint ſacramenta, & imprimant characterem, quod de minoribus Ordinibus negatur a Gabriele Vaſquez cum inſignium Theologorum cohorte.*

Atque hujus opinionis momentum primum eſt, quod revera ſeptem *Ordinum* diſtinctio, ac priorum quinque ad Diaconatum & Presbyteratum additio, Eccleſiaſtici, non autem divini fuerit inſtituti, ac probabiliter Caji Pontificis, cujus decretum produximus cap. 2. prop. 1. Alterum momentum eſt, quod doctiſſimis viris fatentibus, inter quos Magiſter Sentent. Petrus Bleſenſis, aliique a me laudari eodem cap. prop. 2. necnon Ambroſiaſter in Epiſtolam ad Timotheum, & Amalarius lib. 2. de Officiis Eccleſ. cap. 6. ceteri *Ordines* ſacerdotio, & diaconatui adjecti ſuere, *ut ad ſacerdotalem gradum productior eſſet adſcenſus*. Tertium eſt iſtud, quod Urbanus II. in Concilio Beneventano apud Ivonem p. v. Decreti cap. 72. inquit: *Sacros Ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe: ſuper his ſolis præceptum Apoſtolicum habemus.* Similia legas apud Hugonem Victorinum lib. 2. de Sacram. p. 3. cap. 13. Proximum autem momentum eſt, quod Græcorum Pontificalia ex quatuor minoribus *Ordinibus* ſolum Lectoratum commemorant; nulla autem ratione credendum eſt, tres *Ordines* prætermiſſuros Orientales, ſi illos putaſſent inſtitutos a Chriſto, & ad ſacramenti dignitatem evectos. Nec inde ſequitur Lectoratum ſacramentum eſſe, quoniam hunc *Ordinem* Græci quoque agnoſcunt, & conferunt, nam & Pſalmiſtæ ordinantur, cum tamen Pſalmiſtatus conſenſu omnium non ſit proprii nominis ſacramentum. Quintum argumentum illud eſt, quod ſæpenumero ad majores *Ordines* promoti quidam fuerunt, minoribus prætermiſſis. De Chryſoſtomo, Theodoreto, & Nazianzeno dictum ſupra ex Lectoribus conſtitutos fuiſſe diaconos. Paulinianus monachus, & frater S. Hieronymi per multos diaconos apprehenſus, diaconus primum, deinde Presbyter ordinatus eſt, ut ipſe Epiphanius narrat Epiſtola lx. inter Hieronymianas: idem legitur de Macedonio Eremita, quem in presbyterum ordinavit Flavianus Epiſcopus Antiochenus apud Theodoretum in Philotheo cap. 13. Similia ibidem habentur cap. 15. de Eremita Acepſima, & cap. 29. de Eremita olim, qui Salamanas nuncupabatur. Alia exempla vide apud Morinum citata diſſert. xi. cap. 2. Poſtremo hæc ſententia etiam ratione ſuadetur; principio enim officia clericorum minorum etiam laicis committuntur: deinde amplior poteſtas confertur initiatis per Tonſuram, quam conferatur per minores *Ordines*, & nihilominus Tonſura, a nobis inter ſacramenta minime recenſetur; præterea minores *Ordines* referuntur ad ſacerdotium, ut catechiſmus & exorciſmi ad baptiſmum; ideoque habent rationem ritus & ceremoniæ, non ſacramenti: ac tandem non alia ratione minores *Ordines* in Eccleſiam videntur inducti, niſi, ut ad ſacerdotium digniores tantum ac adulti promoverentur, nec illo fungerentur tyrones & neophyti; & conſequenter *Ordines* iſti ad Eccleſiaſticam diſciplinam, non ad Chriſti inſtitutionem ſunt referendi. Hæc ſunt præcipua Joannis Morini argumenta; nam apud Recentiores nihil invenies

aliud,

alind, quod hac in ra omiſerit idem ſcriptor accuratiſſimus. Ac non iiſdem omnino argumentis expungi a ſaramentorum numero etiam ſubdiaconatum. Hac tamen ſententia in ſuo lumine collocata, ſit

PROP. II. Veriſimilius eſt quatuor minores *Ordines* eſſe ſacramenta.

Demonſtratur primo: nam etiam quatuor minores *Ordines* a Conciliis, ac Patribus dicuntur conferri ab Epiſcopis per *Ordinationem*: ordinationis autem nomine nihil aliud ſignificari videtur, quam veri ſacramenti collationem. Carthaginienſe enim Concilium IV. tam canone 2. 3. & 4. in quibus pertractat de ordinatione Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, quam proximis quinque, hac phraſi utitur, *Subdiaconus cum ordinatur*, *Acolythus cum ordinatur*, *Exorciſta cum ordinatur*, *&c.* & quod ſedulo notandum eſt, cum agit canone 10. de Pſalmiſta, ac proximo de conſecratione ſanctimonialis, a nomine *Ordinationis* prorſus abſtinet. Intelligit ergo nomine *Ordinationis*, non cujuſque miniſterii, aut gradus, & ritus collationem ac perfectionem, ſed rem aliquam longe ſublimiorem. Ad hæc Florentinum Concilium de ſacramentis pertractans, *Sextum*, inquit, *ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo*; ac recenſitis rebus, quibus apud Latinos conferuntur Ordines majores, *Et ſimiliter*, ait, *de aliis*. Definita pariter ſacræ *Ordinationis* forma, & producta illa, per quam ſacerdotii ordo confertur, ſubjicit, *Et ſic de aliorum Ordinum formis*. Videtur itaque ſub generali appellatione *Ordinis*, & quidem *Sacramenti*, non tantum ſacros, verum etiam minores *Ordines* comprehendere. An vero argumentum hoc diluant, vel potius confirment, qui reponunt in Florentinæ Synodi verbis illas particulas, *Cujus materia &c.* raferendas eſſe ad vocabulum proxime præcedens, ſcilicet, *Ordinis*, judicet Lector. Tridentinum quoque, tametſi quæſtionem ſcholaſticam noluit definire, in hanc ſententiam propendiſſe manifeſtiſſimum eſt: ſeſſ. enim XXIII. cap. 3. docet Ordinem vera eſſe ſacramentum, nec loquitur expreſſe de ſacerdotio, aut de diaconatu, ſed univerſim de ſacra Ordinatione, *quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur*. Item cap. 4. agit de Eccleſiaſtica Hierarchia, in qua præter Epiſcopos, ac ſacerdotes comprehendit *ceteros Eccleſiaſticos gradus*, ac declarat nec populi, nec cujuſvis ſæcularis poteſtatis conſenſum, vel auctoritatem requiri *in ordinatione Epiſcoporum, ſacerdotum, & ceterorum Ordinum*. Poſtquam vero can. 2. definivit *præter ſacerdotium eſſe in Eccleſia catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quoſdam in ſacerdotium tenditur*, proximo canone, nulla limitatione appoſita, ſtatuit *Ordinem, ſive ſacram Ordinationem eſſe vere, & proprie ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum*. Et canone 6. definit in Eccleſia eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, *quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris*; miniſtrorum nomine comprehendens reliquos omnes *Ordines*, prout explicaverat cap. 2. & 4. Etſi ergo Tridentini Patres conſulto abſtinuerunt a definienda quæſtione adiaphora, quod iterum fatemur: nihilo tamen minus videntur in ſingulis *Ordinibus* agnoſcere veram rationem *Ordinis*, ſacramenti proprietatem, ac divinam ordinationem, ideoque non ſuni inſtitutionis duntaxat Eccleſiaſticæ, ut opinantur plerique recentiorum: immo & expreſſe citato c. 2. Tridentinum declarat non ſacerdotes tantum ac diaconos, ſed etiam ſubdiaconos & in minoribus Ordinibus conſtitutos, *atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe*; quo apertiſſimo teſtimonio refelluntur, qui aſſerunt olim duos tantum extitiſſe *Ordines*, presbyteri ſcilicet, & diaconi. Præterea S. Cyprianus Lectorum *Ordinationes* in præcitatis Epiſtolis recenſet, & ordinatos in Lectores appellat *plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuos*: quod ſonare videtur aliquid nudo miniſterio legendi præſtantius. Si autem Lectoratus ſit Sacramentum, cur non alii Ordines? S. Hieronymus initio libri adverſus Vigilantium invehitur in Epiſcopos, *Qui non ordinant Diaconos, niſi prius uxores duxerint, & niſi prægnantes uxores viderint Clericorum, Chriſti ſacramenta non tribuunt*. His autem verbis tam *ordinationem* Diaconi, quam aliorum Clericorum inaugurationes inter *Sacramenta* recenſere videtur. Ac S. P. Auguſtinus in libro de Bono conjugali cap. 24. n. 32. demonſtrat vinculum nuptiale non ſolvi, etiamſi filii non procreentur, comparatione *Ordinationis*, ſcribens: *Quemadmodum ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis Ordinatis ſacramentum ordinationis; & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio removeatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit*. Auguſtini autem ætate in uſu fuiſſe *ordinationes* quoque minorum clericorum conſtat ex præcitato Concilio IV. Carthaginienſi. Inſuper etiam inferioribus Ordinibus imprimitur *character* ſacramentalis: idque infertur ex iiſdem Auguſtini verbis. Hoc idem probatur q. 35. Supplem. art. 2. a S. Thoma, ex quo nunquam minores *ordines* iterentur, atque iiſdem *ordinibus* clerici conſtituantur ſupra plebem in aliquo gradu ſpiritualis poteſtatis, ad quod requiritur ſignum diſtinctivum: affirmatque Thomas hanc ſententiam eſſe communiorem. Poteſt hoc idem confirmari ex Pontificali Romano; in quo Tit. *de Ordinibus conferendis*, inter ceteras Pontificum exhortationes in omnibus ordinationibus faciendas hæc habetur: *Moneat ordinandos, quod inſtrumenta, quibus character imprimitur, tangant*. Poſtremo non deſunt argumenta rationibus ſatis obviis ſuffulta: quorum unum eſt, in ſingulis *ordinibus* adhiberi materiam & formam, non qualeſcunque, ſed quæ exprimunt poteſtatem miniſterii, in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ: alterum, quod niſi ſacramenta forent, neque characterem imprimerent, ſed eſſent ſolummodo gradus ac miniſteria; omnino per excommunicationem, aut depoſitionem delerentur & amitterentur, atque abſoluti, vel reſtituti in gradum priſtinum, iterum ordinarentur, quod praxi & conſuetudini Eccleſiæ repugnat: tertium vero, quod in Eccleſia alia officia plurima inveniuntur, puta cuſtodum, ſacriſtarum, cantorum, &c. ideo, ne ſi *ordines* eſſent hujus, aut conſimilis generis deputationes ac miniſteria; fruſtra ſeptem, non plures ordines communiori ſermonis conſuetudine dicerentur: poſtremum denique, quia definitione Summi Pontificis BENEDICTI XIV. Græcus jam presbyter ordinatus, veniens ad ritum Latinorum tenetur ſuſcipere *ordinem Exorciſtatus*; & ex cap. *Sollicitudo*, diſt. 3. n. 1. ſive ex Reſcripto Alexandri II. ad Epiſcopum Conſtantienſem, ordinatus ad diaconatum, & presbyteratum, *Subdiaconatus ordine poſtpoſito*, tenetur ſubdiaconatum ipſum ſuſcipere: ideoque non in gratiam tyronum minores ordines ſunt inſtituti, ut inquiunt recentiores Theologi, ſed habent dignitatem atque præſtantiam ſuam, ob quam non debent ratione aliqua prætermitti.

Fateor hæc argumenta non eſſe demonſtrativa, ſed nec talia ſunt, ut vulgo exiſtimantur, quæ in propoſitione præcedenti fuerunt producta: imo, ſi cum his comparantur, longe debiliora. Primum enim tantummodo probat initio Eccleſiæ propter ſacrorum miniſtrorum exiguum numerum, non fuiſſe definitum inter unum & alterum *ordinem* aliquod temporis intervallum, & ſæpenumero Diaconis demandata fuiſſe inferiorum clericorum miniſteria: quæ fidelibus multiplicatis unicuique *Ordini* gradatim ſuſcipiendo commiſit Romanus Pontifex Cajus. Et quidem quæ de ipſo leguntur, non inſtitutionem *Ordinum*, ſed diſtributionem officiorum ſignificant: nam & verba perſpicua ſunt, & ſeptem *Ordines* a Cornelio, qui ſedit ante Cajum, diſtincte connumerantur, ſicut ex dictis apertum eſt. Quamquam, etiamſi Cajus diceretur ſeptem Ordines conſtituiſſe, ficulnum eſſet fractumque primum illud momentum; ſiquidem demonſtratum eſt hujus Vol. pag. 21. verbo *conſtituere* non ſemper commonſtrari priorem inſtitutionem. At momentum alterum refutatum eſt cap. 2. prop. 2. Refellitur etiam auctoritate antiquiſſimorum ſcriptorum *Ordines* ſingulos commemorantium: ac ſi nulli quoque ſuppeterent, iis, qui dicunt ſubdiaconatum, ac minores *Ordines* non fuiſſe in primitiva Eccleſia, præponderare deberent Tridentini Patres, qui docent oppoſitum. Verum & illorum dicta poſſunt commode accipi aut de *Ordinibus* ſacris, aut de pluribus uni diacono commiſſis officiis. Tertium vero nullius eſt roboris; nam & de ſacris *Ordinibus* Urbanus pertractat, ac de lege continentiæ, quæ his tantummodo annectitur. Dici etiam poteſt, collationem ſubdiaconatus, atque minorum *Ordinum* relictam fuiſſe Eccleſiæ diſpoſitioni & arbitrio, & idcirco Urbanum affirmaſſe, quod de his non habemus *præceptum Apoſtolicum*. Quod ſequitur, diſpunctum, contritumque eſt poſitione ſecundi capitis tertia. Proximum quoque momentum facillimæ eſt ſolutionis, ſive aſſeramus cum Franciſco Hallier dici ordinatos in presbyteros, aut diaconos, qui eadem die omnes Ordines inferiores cum presbyteratu, vel diaconatu ſuſcepere; ſive fateamur viros quoſdam nominis celebritate, ac ſanctitatis fama conſpicuos *per ſaltum*, ut ajunt, fuiſſe ordinatos, quod poſtea legibus Eccleſiaſticis fuit inhibitum. Atque ut videas, quam infirmum ſit hoc argumentum, quod tamen in adverſariorum ſententia præcipuum eſt; nota, ſi illud vim haberet aliquam, inde conſequens fore, nec diaconatum eſſe verum Ordinem ac ſacramentum, quod ex Catholicis unus affirmavit Durandus, neque poteſt abſque magna temeritate defendi. Cum enim allata exempla attente perlegerim, adnotavi Macedonium, Acepſimam, & Salamanem, de quibus Theodoretus in Philotheo, ſive in Hiſtoria Religioſa, ad ſacerdotium fuiſſe promotos, diaconatus Ordine prætermiſſo. Vide Operum Theodoreti Volum. 3. pag. edit. Cramoiſy 835. 844. & 852. Subjectæ itidem rationes futiles ſunt, atque ineptæ. Ad 1. enim reſpondet S. Thomas cit. q. art. 4. ad 9. laicis non convenire minorum Ordinum miniſteria ex officio, ſed eis quandoque permitti ob clericorum defectum, aut negligentiam. Ad 2. conſtat ex capite proxime præcedenti. Ad 3. neganda eſt æquiparatio; catechiſmus enim & exorciſmus ſunt ſolæ ad baptiſmum diſpoſitiones: ſinguli autem inferiores ordines non ſolum ad ſacerdotium diſponunt, ſed etiam conferunt ſpiritualem aliquam poteſtatem, clericos a laicis ſecernunt, & imprimunt characterem. Ad 4. denique reſpondemus Eccleſiam, ne ſtatim neophyti in Sacerdotum numerum cooptarentur, ſtatuiſſe inter unum ordinem, & alterum præfixure adminiſtrationis tempus, ut conſtat ex decretis antiquiorum Pontificum; non vero inſtituiſſe

Or-

Digitized by Google

Ordines aliquos, qui in primiſiva Eccleſia minime extiterint. Atque ex tam facili ac plana oppoſitionum ſolutione opinio noſtra magis veriſimilior redditur, ac probabilior.

COROLLARIUM.

Solvitur ex dictis etiam quæſtio de Sacramenti *Ordinis* inſtitutione. Nam quemadmodum certum eſt ordinationes presbyterorum, & diaconorum eſſe proprii nominis Sacramenta (quod magis proximis diſſertationibus confirmabitur;) ita debet ſine cunctatione affirmari, illorum duorum *Ordinum* inſtitutorem atque auctorem fuiſſe Dominum Jeſum. At de *Ordinibus* inferioribus ſub lite res eſt: & qui Sacramenta eſſe negant, conſequenter aſſerunt habere Eccleſiaſticam inſtitutionem; qui autem illos Sacramentis adnumerant, debent quoque eorum originem ab homine Deo, ideſt, a Chriſto repetere, niſi forte opinationem alteram adoptarint, quam nos quidem rejicimus, dari inter Sacramenta aliqua, quorum Dominus non ſit auctor *immediatus*. Ergo Sacerdotium, quod in Epiſcopatum ac Presbyteratum dividitur, inſtitutum a Chriſto conſtat ex dictis cap. 1. de Sacramenti Ordinis exiſtentia, & ex infra de utroque *Ordine* diſcuriendis: ex quo ſcilicet Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos conſtituerit Sacerdotes novi Teſtamenti, illis & conſecrandi, & remittendi peccata dederit poteſtatem, aiſque Eccleſiæ ſuæ commiſerit gubernationem; quæ omnia abſque ſpiritualis poteſtatis charactere fieri non poſſe dictum eſt ſæpenumero. Diaconos etiam, cum in ſacris litteris inveniantur deſcripti, horumque ordinationem peregerint Apoſtoli, nec præter inſtitutum ac mandatum Domini dicendi hi ſint adhibuiſſe manuum impoſitionem, aliaque inſtrumenta gratiarum, tunc inſtitutos fuiſſe, quando Chriſtus aut mortem ſubiturus, aut poſt mortem devictam cum diſcipulis commoratus, formavit Eccleſiam ſuam, magnaque revelavit myſteria, ſine ulla hæſitatione affirmamus. Eo temporis alios *Ordines* inſtitutos, nos, qui illis tribuimus Sacramenti excellentiam, cogimur affirmare. Rationem a nobis ſciſcitanti, quoniam reddere firmiſſimam invictiſſimamque non poſſumus, (ſi hæc enim in promptu eſſet, ſuperiores duas theſes definite & abſque verborum ambiguitate tradidiſſemus) reponimus hujus inſtitutionis indicium eſſe ipſorum *Ordinum* vetuſtatem, cui nullum principium aſſignare poſſumus poſt ætatam Apoſtolorum; tameſi non ſemper per omnes gradus, ſeparatim ſuſceptos, initiati aſcenderint ad ſacerdotium. Addimus inveriſimile eſſe ea, quæ pertinent ad ſacra miniſteria & ad Eccleſiaſticam Hierarchiam, non fuiſſe a Chriſto ordinata, ac diſpoſita. Animadvertimus quoque cum Magiſtro diſt. 24. ipſum Salvatorem noſtrum cujuſcumque *Ordinis* officia impleviſſe. Primi quidem, quando flagello de funiculis facto ejecit ementes & vendentes de templo: alterius, quando in medio ſeniorum aperuit, legitque in templo Iſaiæ prophetæ volumen: tertii, cum dæmoniacos ſanavit, &c. Neque opineris hæc eſſe Magiſtri commenta: ſimilia enim habentur in vetuſtiſſimis Latinorum Pontificalibus, quæ nongentorum annorum ætatem ſuperant, Egberti Eboracenſis apud Mattenium tom. 2. pag. 445. Anglicani pag. 357. aliorumque. Conſentit ex Græcis Simeon Theſſalonicenſis in lib. de Ordinat. cap. 12. ubi demonſtrat, *Chriſtum officia uniuſcujuſque gradus Ordinationum per ſeipſum exercuiſſe*, apud Morinum 2. p. pag. 183. Nil ergo abſurdi, ſi dicamus miniſteria, quæ Dominus Sacerdos & Pontifex ſummus adimplere dignatus eſt, ab ipſo Apoſtolis fuiſſe injuncta, & peculiari titulo viris Eccleſiaſticis commendata. In his autem, in quibus divinatione opus eſt, loquaculus & garrulus eſſe nolo.

SCHOLION.

„ SUnt nonnulli, qui datis ad me litteris vehementer hortati ſunt, os ex numero *Ordinum*, quibus *Sacramenti* ratio ineſt, quatuor *Minores*, & *Subdiaconatum* expungerem. At quo temperamento controverſiam iſtam exagitaverim, nulli partium arroſis nota temere inflicta, poterit quilibet prudens lectos dijudicare. Ut vero in re ambigua admodum & implexa, nullo invicto momento cogente, deſeram majorum caſtra, nemo ſuadere debet, nec flagitare. Noſtrates, ceteroſque quamplurimos propugnare minoribus Ordinibus *Sacramenti* rationem convenire, initio diſſertationis animadverti. Quid pro ſententia oppoſita ab omni errore vindicanda proferre poteram validius, præter rationes in priori propoſitione productas? Equidem non eſſe *Scholaſticam* hanc quæſtionem adeo definitam, aut exploratam, ut una, rejecta altera, ſit firmiter ſeligenda, ingenui omnes theologi fatebuntur. Arbitror ego *Benedicti XIV.* ſervandum eſſe præclariſſimum ac ſaluberrimum documentum. Is enim in Opere inſcripto, *De Synodo Diœceſana*, lib. 8. cap. 9. ait: „ *Quæſtio valde admodum difficilis, & implexa eſt, an reliqui Ordines, Diaconatu inferiores, verum ſint Sacramentum. Omnes verum Sacramenti rationem participare, docent S. Thomas* in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. & in ſupplem. 3. part. quæſt. 37. art. 2. *S. Bonaventura* in 4. diſt. 24. art. 2. quæſt. 4. *Franciſcus Victoria* in Summ. de Sacram. quæſt. 226. *Petrus Soto* de Inſtit. Sacerdotum lect. 4. circa medium, *Sylveſter* in Summ. verb. Ordo 1. quæſt. 1. in fin. & quæſt. 2. in princ. *Melchior Canus* de Loc. Theolog. lib. 3. cap. 4. *Bellarminus* cit. lib. 1. de Sacram. Ord. cap. 7. & 8. *quorum ſententiam & communiorem, & probabiliorem vocant Gregorius de Valentia* tom. 4. diſput. 9. quæſt. 1. punct. 4. §. Tertia opinio, *Hallier* de ſacris Elect. & Ordinat. part. 2. ſect. 2. cap. 1. art. 2. §. 6. & 7. *Cobaſſutius* in theor. & prax. Jur. Canonic. lib. 3. cap. 16. num. 3. *Auctor Theologiæ moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis* tom. 4. lib. 2. tract. 3. cap. 2. quæſt. 4. & 5. *& Eſtius* in 4. diſt. 24. §. 8. verſ. Alii denique, *qui etiam paulo inferius* verſ. Ad quæſtionem porro, *ſibi videri addit, in hanc ſententiam propendere Concilium Florentinum, ac Tridentinum. Nec præterea defuere aliquot Juris Canonici Periti, quos refert Vaſquez* diſp. 237. cap. 1. *qui etiam primæ Clericali Tonſuræ veram Sacramenti rationem adſcripſerint.*

„ *Cenſent alii, ex Ordinibus, infra Diaconatum, ſolum Subdiaconatum pertinere ad Sacramentum Ordinis; ceteros vero, quamvis certum Miniſtrorum ordinem in Eccleſia conſtituant, ad Sacramenti tamen dignitatem non aſſurgere, opinantur. Ita ſentiunt Michael Medina* lib. 1. de Continent. cap. 46. *Vaſquez* cit. diſp. 237. cap. 2. & diſp. 238. per tot. *& Navarrus* man. cap. 22. num. 18. verſ. Quare probabilis videtur: *in quorum ſententiam videtur nonnihil inclinare Cardinalis Bona* Rer. liturgic. lib. 1. cap. 25. *ubi* n. 16. de Subdiaconis *dubitat, an fuerint a Chriſto Domino inſtituti:* Secundus Miniſtrantium locus Subdiaconorum eſt, quorum licet expreſſa mentio in ſacris litteris non reperiatur, eorum tamen inſtitutio vel ad Chriſtum, ut recentiores Scholaſtici exiſtimant, vel ad Apoſtolos referenda eſt: *ceteros vero inferiores Ordines recentioris eſſe inſtituti, non obſcure affirmat, inquiens* ſeq. n. 17. Tertia claſſis Miniſtrantium Clericos minorum Ordinum complectitur; Acolythos ſcilicet, Exorciſtas, Lectores, & Oſtiarios: quos antiquiſſimos eſſe, & ab Apoſtolis, vel ab immediatis eorum Succeſſoribus inſtitutos, Doctores ſcholaſtici aſſerunt, ſed non probant.

„ *Alii denique omnibus Ordinibus, exceptis Presbyteratu, & Diaconatu, veram Sacramenti rationem, virtutem, & excellentiam adimunt. Hanc ſententiam tenuit Scholaſticorum princeps Petrus Lombardus* lib. 4. diſt. 24. *quem a ſuis diſcipulis pene relictam ſectati poſtea ſunt Habertus* in notis ad Pontificale Græcorum pag. 48. *Goarius* in notis ad Euchologium pag. 247. *Morinus* de ſacr. Ordinat. exercit. 11. cap. 1. n. 3. *ubi tanta firmitate huic ſententiæ inhæret, ut eidem neminem facile contraire poſſe arbitretur:* Cum ego examino, & perpendo (*ait Morinus*) antiquiorum Patrum de Subdiaconatu, & minoribus Ordinibus teſtimonia, propoſitionem illam, qua aſſeritur, & Subdiaconatum, & quatuor minores Ordines non eſſe Sacramenta, judico tam eſſe certam, & evidentem, ut, qui ea conſideraverit, ire contra vix poſſit. *Morino conſentiunt Juenin* de Sacram. diſſert. 9. quæſt. 6. cap. 1. *Tournely* de Sacram. Ord. quæſt. 6. art. 4. & art. 5. *aliique plurimi recentiores, Boneat* in Theologia Patrum tom. 5. diſſert. 6. de Ordinis inſtitutione art. 8. *ubi late oſtendere conatur, opinionem hanc eſſe valde probabilem, Witaſſe* in tract. de Sacram. Ordinis part. 2. quæſt. 4. art. 2. *Habert* in Theologia dogmatica & morali tom. 7. de Ordine part. 1. cap. 6. per tot. *Herminier* in tract. de Sacramentis tom. 3. cap. 3. concluſ. 3. & 4.

„ *Ideo autem Doctores in tot diverſas ſciſſi ſunt opiniones, quia obſcura, & incerta eſt Ordinum, infra Diaconatum, origo, a qua unice pendet quæſtionis deciſio: etenim, ſi ea referenda ſit ad Chriſti Domini inſtitutionem, nemo audebit illis detrahere Sacramenti dignitatem, cujus cetera habere requiſita, facile demonſtrabunt: ſi vero adinventi, & conſtituti ſint ab Eccleſia, non poterunt ſane veram participare rationem Sacramenti, ad quod de novo inſtituendum ſola Eccleſiæ auctoritas non protenditur. At hanc originem indagare eſt operoſum, aſſequi vero fere impoſſibile. Fatemur omnes, in ſacris litteris nullam fieri mentionem de Ordinibus Diaconatu inferioribus: ſed non exinde recte inferri, eos non eſſe a Chriſto Domino inſtitutos, ajunt Auctores primæ ſententiæ; potuit quippe evenire, earumdem inſtitutionem fuiſſe a Chriſto Domino Apoſtolis ore traditam; atque ita reapſe eveniſſe, hoc ratiocinatione plane oſtendi opinantur.* Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur: *firmiſſima regula eſt, quam nobis præbet Auguſtinus* lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24. num. 31. tom. 9. Oper. col. 140. *Hanc autem regulam rei noſtræ convenire, eſt manifeſtum: etenim quin ullum reperiatur Concilium, in quo inſtituti fuerint Ordines Diaconatu inferiores, eos nihilominus ſemper ab Eccleſiæ primordiis, in Eccleſia fuiſſe, ſemperque conſtanter retentos, ſcimus. Equidem, quod ſpeciatim attinet ad Sub-*

„ *diaco-*

Digitized by Google

diaconatum, expreſſam illius mentionem faciant Cyprianus epiſt. 42. Synodus Elliberitana can. 30. tom. 1. Collectionis Harduini col. 253. Laodicena can. 21. & 22. ibid. col. 785. Athanaſius epiſt. ad Solitarios, & Synodus Carthaginienſis IV. anni 398. cap. 5. tom. 1. Collectionis Harduini col. 979. Quod vero ad alios pertinet minores Ordines, idem Cyprianus in eadem epiſtola, præter Hypodiaconum, nominat Acolythum, cujus pariter meminit Auguſtinus epiſt. 194. alias 104. quam ſe, per Albinum Acolythum, Sixto miſiſſe ſignificat. Cyprianus iiſdem epiſt. 33. affirmat, Aurelium Confeſſorem fuiſſe a ſe in Lectorem ordinatum. Et Confeſſores ad eumdem Cyprianum ſcribentes epiſt. 17. & Lectorem, & Exorciſtam commemorant: Præſente (inquiunt) de Clero & Exorciſta, & Lectore. Lectoris quoque fit mentio in Concilio Sardicenſi anni 347. can. 13. tom. 1. Collectionis Harduini col. 645. & Chalcedonenſi can. 13. tom. 2. ejuſdem Collectionis col. 607. Narrant præterea Theodoretus lib. 3. cap. 2. Socrates lib. 3. cap. 1. Julianum, ante apoſtaſiam, fuiſſe Lectorem in Eccleſia, & poſt apoſtaſiam juſſiſſe, ut, ad inſtar Eccleſiæ Catholicæ, in templis Gentilium eſſent Lectores. Sed, quod magis eſt, Cornelius Papa epiſtola ad Fabium, Epiſcopum Antiochenum, circa annum 251. exarata Romanum Clerum enumerans, omnes nominatim & majores, & minores Ordines recenſet, Romæ adeſſe affirmans num. 3. ex recenſione Conſtant col. 150. Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos duos & quadraginta, exorciſtas autem, & Lectores, cum Oſtiariis, quinquaginta duos. Et citata Synodus Carthaginienſis IV. can. 5. 6. 7. 8. & 9. non ſolum ſingulos prædictos Ordines nominat, ſed modum deſignat, quo eorum quilibet ab Epiſcopo conferretur. Porro recentiores hujus ſententiæ patroni miſſa faciunt antiquiora teſtimonia, quæ ad eamdem roborandam aſſertionem olim proferebantur ex Canone Apoſtolorum lxix. ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 3. cap. 11. ex epiſtola Ignatii ad Antiochenos, ex Dionyſio cap. 3. Eccleſ. Hierarch. atque ex Synodo Romana ſub Sylveſtro, in quibus iidem Ordines ſingillatim pariter enumerantur; quia ſciunt, ab hodiernis Criticis ejici, & ſuppoſititia haberi: neque hiſce dubiis monimentis ſe indigere autumant, cum ex allatis, certo genuinis, ſatis luculenter demonſtratum credant, omnes Ordines ab Apoſtolis ad nos perveniſſe. Si enim (concludit Melchior Canus cit. lib. 3. cap. 4. ubi regulam ab Auguſtino acceptam rei, quam verſamus, applicat) conſuetudinis cujuſquam, diu in tota Eccleſia obſervatæ, originem, & principium nec ad ſummos Pontifices, nec ad Concilia Epiſcoporum referre poſſumus; ſed ea conſuetudo ad Apoſtolorum uſque tempora retrotrahitur: conficitur plane, illam ab Apoſtolis eſſe profectam.

„ Verum plura ad hæc reponunt Auctores contrarii. Atque in primis, eſto (inquiunt) omnium Ordinum origo ad Apoſtolos referatur, attamen non inde conficitur, eos eſſe a Chriſto Domino, omnium Sacramentorum novæ Legis primo, & unico Auctore, inſtitutos; ut enim ibidem fatetur idem citatus Melchior Canus, ipſimet Apoſtoli pleraque ad Eccleſiæ utilitatem conſtituere poteſtate quidem a Chriſto Domino accepta, ſed quæ ſibi non fuerant ab eodem Chriſto immediate tradita, quæque propterea obnoxia fuere mutationibus, quibus certe non potuerunt ſubeſſe præcepta a Chriſto data, multoque minus Sacramenta ab eodem inſtituta. Hujus autem ſecundi generis eſſe Ordines Diaconatu inferiores, etiamſi Apoſtolis ſuam deberent inſtitutionem, vel ex hoc evidenter conſtat, quod nec ſemper, nec ubique iidem, atque eodem numero ſint habiti. Etenim Eccleſia Græca, quidquid ſit, an proxima ab Apoſtolis ætate omnes habuerit minores Ordines, quod neget quidem Morinus exercit. 14. cap. 1. ſed affirmat Schelſtratus ad Concil. Antiochen. diſſert. 4. cap. 17. & pluribus probat Hallier de ſacr. Elect. & Ord. part. 2. ſect. 1. cap. 1. art. 1. §. 4. num. 27. nunc certe alios Ordines infra Diaconatum non admittit, niſi Subdiaconatum, & Lectoratum; cæteros vero in ſuis Euchologiis, a mille, & amplius annis, nunquam recenſuit. Similem mutationem factam deprædicant in Eccleſia Latina, in qua ultra quatuor minores Ordines, quos retinemus, quondam numerabatur etiam Ordo Cantorum, ſeu Pſalmiſtarum, de quo fit expreſſa mentio in Concilio Carthaginienſi III. anni 397. can. 21. tom. 1. Collectionis Harduini col. 963. Ut Clericum alienum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Clericorum autem nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retinent: & in citato Concilio Carthaginienſi IV. can. 10. ubi ſpecialis ritus præſcribitur ordinandi Pſalmiſtam, ſeu Cantorem: & magis diſerte Iſidorus Hiſpalenſis etymol. lib. 7. cap. 12. relat. in Can. Cleros diſt. 21. inter Eccleſiæ Miniſtros proprium, & diſtinctum locum aſſignat Pſalmiſtis: Generaliter Clerici nuncupantur omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſerviunt, quorum gradus, & nomina ſunt hæc: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus. Præter Cantores, fuiſſe etiam decantant alios minores Ordines, poſtea obliteratos præcipue Foſſariorum, qui etiam Laborantes, & Copiatæ ſunt appellati; Cuſtodum Martyrum; & Notariorum. De Foſſariis, quorum officium erat operam impendere in ſepeliendis Fidelium corporibus, meminit Hieronymus, ſeu quicumque ſit Auctor tractatus de ſeptem Eccleſiæ gradibus, ad Ruſticum Narbonenſem: iidemque Clericis annumerantur in Codice Theodoſiano leg. 15. tit. de Epiſcopis lib. 16. Cuſtodibus Martyrum, ita dictis, quod ipſis concrederetur cuſtodia Eccleſiarum, ubi ſepulta erant Martyrum corpora, peculiarem in Eccleſia gradum attribuit Synodus, quæ dicitur Romana, ſub Sylveſtro Papa, ubi de iis, qui in Eccleſia militare, ac proficere deſiderant, decernitur, ut in pluribus gradibus, aliquo temporum intervallo, morentur, ac quinque annis Cuſtodes Martyrum exiſtant, antequam ad Diaconatus, vel Presbyteratus Ordinem aſcendant: quamvis enim hæc Synodus ſpuria habeatur, exhibet tamen diſciplinam ſexti ſeculi, quo creditur conficta. Notarios denique, qui curam habebant inſtrumentorum, & tabularum Eccleſiæ, peculiarem conſtituiſſe Clericorum Ordinem, colligunt ex Ennodio Ticinenſi in Vita Antonii Monachi Lirinenſis, quem refert a Conſtantino Antiſtite, inter Eccleſiaſticos Exceptores, ſeu Notarios, cæleſtem militiam juſſum ordiri; atque ex libro Pontificali in Hadriano I. quem Notarium Regionarium, poſtea Subdiaconum, demum Diaconum factum, ad Pontificatum aſcendiſſe, narrat.

„ Sed, ut, quod ſentimus, aperte dicamus, nunquam Eccleſiam Latinam alios Ordines agnoviſſe credimus, præter eos, quos ſingulatim recenſuit Cornelius Papa. Quia vero Clericis, aliquo ex iis Ordinibus initiatis, diverſa committebantur officia, ex iſtorum diverſitate diverſam pariter ſortiebantur nomenclaturam, puta Cantoris, Foſſarii, Cuſtodis Martyrum &c. quod bene ponderavit Bellarminus de Clericis lib. 1. cap. 11. & fuſe probat Hallier de ſac. Elect. & Ordinat. part. 2. ſect. 1. cap. 1. art. 1. §. 4. Et profecto, quod Cantores, de quibus videtur eſſe ſpecialis difficultas, merum haberent officium ſine vero Ordine a cæteris diſtincto, eruitur ex ipſomet Concilio Carthaginienſi IV. cap. 10. tom. 1. Collectionis Harduini col. 979. in contrarium allegato: ibi enim omnium Ordinum collatio ab Epiſcopo dicitur facienda; Cantoris autem munus ſola Presbyteri juſſione ſuſcipi, atque exerceri permittitur: Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi. Cæterum, ſi ex diverſis officiis, quibus Clerici addicebantur, & diverſa, quam inde aſſequebantur, nominis appellatione, Eccleſiaſticorum Ordinum diverſitas inferretur, nimium ingens ſane fuiſſet, apud majores noſtros, minorum Ordinum numerus. Etenim in Eccleſiaſticis tabulis recenſentur Catechiſtæ, veluti ſpecialem gradum in Eccleſia obtinentes; & tamen diſcimus a Cypriano epiſt. 24. ad hoc munus obeundum, aliquem inferioris Ordinis Clericum ſeligi conſueviſſe, quin idcirco ad novi Ordinis gradum promoveretur: Optatum (ait Cyprianus) inter Lectores doctorem audientium conſtituimus. In l. 42. & l. 43. tit. 2. cit. lib. 16. Cod. Theodoſiani, commemorantur Parabolani, hoc eſt, ut in ead. l. 43. explicatur, homines ad curanda debilium ægra corpora deputati, quos e Clericorum cœtu fuiſſe, ibidem adnotavit Gothofredus, teſtaturque Baronius ad annum 416. quin tamen, eodem Baronio obſervante, noſtrum, & peculiarem Clericorum Ordinem conſtituerent. Erant pariter Defenſores pauperum, & Defenſores Eccleſiarum. De illis ſermo eſt in Concilio Carthaginienſi V. anni 401. cap. 9. tom. 1. Collectionis Harduini col. 988. De iſtis mentio fit in Concilio Chalcedonenſi can. 23. Utroſque vero quamvis Petavius in notis ad Epiphanium hæreſ. 62. num. 10. inter laicos collocet, attamen Morinus exercit. 16. cap. 6. num. 16. ex Eccleſiaſticis monumentis conſtare aſſerit, ea munera nonniſi Clericis conſueviſſe committi. E Clericorum inſuper numero eligebantur Eccleſiarum Œconomi, de quibus in Concilio Epheſino act. 1. & in Concilio Chalcedonenſi can. 2. & can. 26. tom. 2. Collectionis Harduini col. 601. & 611. Ex eodem deſignabantur Apocriſiarii de quibus Liberatus Breviar. cap. 12. Evagrius lib. 4. cap. 38. & Juſtinianus Imp. Novell. 6. cap. 2. quorum id erat officii, ut, tamquam Procuratores, omnes cauſas Eccleſiaſticas, ad eos, a quibus mandatum acceperant, attinentes, in aula Imperatoris agerent. Atque, ut alios hujus generis multos prætereamus, Epiphanius expoſit. Fid. num. 21. Eccleſiæ Miniſtris accenſet Hermeneutas, ſeu Interpretes, quorum munus erat, ex una in alteram linguam transferre tam lectiones Scripturarum, quam conciones ab Epiſcopis ad populum habitas. Ejuſmodi vero munus fuiſſe ſpeciale, atque ab aliis diſtinctum, liquet ex Actis Paſſionis Procopii Martyris, a Valeſio publicatis in notis ad Euſebium de Martyr. Palæſtin. cap. 1. hæc de Procopio narrantibus: Eccleſiæ tria miniſteria præbebat. Unum in legendi officio; alterum in Syri interpretatione ſermonis, & tertium adverſus dæmones, manuum impoſitione. Niſi igitur dicamus, omnia, quæ retulimus, & quampluríma ſimilia, quæ referri poſſent, nomina fuiſſe officiorum, non Ordinum, admittere cogeremur in antiqua Eccleſia Ordines fere innumeros: quod nemo facile credet. Quamobrem, quod ex Morino retulimus ar-

gumentum, ſuas quidem vires habet, qua parte pervetuſta innititur conſuetudine Eccleſiæ Græcæ, tres minores Ordines jamdiu reſpuentis; ſed inefficax eſt quantum ad variationem, quam factam aſtruit in Eccleſia Latina, quoad eorumdem numerum. Majoris ponderis ſunt alia, quæ ob eodem Morino, eique adſtipulantibus Theologis proferuntur, ad ſuam ſuſtentandam opinionem.

Verum Sacramentum, ajunt, gratiam producit ex opere operato; eaque gratia per aliquod ſignum ſenſibile ſignificatur: at in collatione quatuor Ordinum inferiorum, nihil fit, quod gratiæ productionem arguat; non enim conferuntur per manus impoſitionem, ſicuti tres Ordines ſupremi, quæ gratiam ſignificari, & cauſari, docet S. Thomas in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. & 3. part. quæſt. 84. art. 4. *nec Epiſcopus eos conferens dicit:* Accipe Spiritum Sanctum: *aut his æquivalentia verba pronunciat. Neque in hoc ullum intercedit, aut unquam interceſſit diſcrimen inter Subdiaconatum, alioſque inferiores Ordines: nam laudatum Concilium Carthaginenſe IV. poſtquam* can. 2. 3. & 4. *dixerat, Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum ordinari per manuum impoſitionem,* can. 5. *expreſſe ſtatuit:* Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum. *Sacramentarium pariter S. Gregorii, vetus Ordo Romanus, & hodiernum Pontificale Romanum, Subdiacono denegant manus impoſitionem; quin immo idem Subdiaconatus olim in Eccleſia Latina accenſebatur minoribus Ordinibus, in quorum claſſem etiamnum a Græcis rejicitur: tum vero primum apud nos cœpit ſacris annumerari, cum Urbanus II. in Concilio Beneventano anni* 1091. can. 1. tom. 6. parte 2. *Collectionis Harduini* col. 1691. *permiſit*, at *interdum*, ſed rariſſime, opportunitate exigente, & non ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia, *Subdiaconus eligi poſſet in Epiſcopum, quem ex ſolo cœtu eorum, qui ſunt in ſacris conſtituti, aſſumendum, veteres Canones ſanciverant: quod teſtatur Innocentius III.* in Cap. A multis, de ætat. & qualit. & ordin. præficiendorum: Cum hodie Subdiaconatus inter ſacros Ordines computetur, ſicut Urbanus Papa II. ſub his verbis expreſſit .... Qui in ſacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu ſunt poſiti: *immo obſervat Thomaſſinus* de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 2. cap. 33. *non ab Urbano II. ſed ab ipſomet Innocentio III. fuiſſe Subdiaconatum in ſacros, & majores Ordines relatum, cum ſciliret ipſe in citata Decretali ſtatuit, ut abſque ulla diſpenſatione* Subdiaconus in Epiſcopum valeat libere eligi, ſicut Diaconus, vel Sacerdos: *hanc vero ſanctionem adſcribit Urbano II. quia is illi præluſerat, ejuſque jecerat fundamenta, permittens ex venia, & indulgentia fieri, quod ne ex venia quidem antea fiebat, & poſtmodum Innocentius libere fieri permiſit. Sed, ſive Innocentius, ſive Urbanus Subdiaconatum e minorum in majorum Ordinum claſſem evexerit, ſat eſt, eum quondam locum habuiſſe inter minores Ordines, ne in re, de qua agimus, ulla inter eumdem, & minores Ordines ponenda ſit differentia.*

Sed quid aliunde argumenta quærimus (pergit Morinus) ad probandum, Subdiaconatum, eique inferiores Ordines, non pertinere ad Hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, cum id clare, & expreſſe aſſeruerit idem Urbanus II. in cit. can. 1. *hiſce verbis:* Nullus deinceps in Epiſcopum eligatur, niſi qui in ſacris Ordinibus religioſe vivens inventus eſt. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, ac Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe: ſuper his ſolum præceptum habemus Apoſtoli &c. *Urbano concinit Gratianus, qui medio ſeculo* XII. *ſuum compilavit Decretum, ſcribens initio* diſt. 21. Levitas ab Apoſtolis ordinatos legimus ..... Subdiaconos, & Acolythos, procedente tempore, Eccleſia ſibi conſtituit. *Ante Gratianum, & Urbanum II. ſeculi 12. initio id ipſum aperte tradiderat Amalarius* lib. 2. de Divinis officiis cap. 6. *inquiens:* Primo notandum eſt, eos Ordines, qui potiſſimum neceſſarii ſunt in Eccleſia, Apoſtolum Paulum denominaſſe, & eorum mores depinxiſſe, ſine quibus non poteſt rite immolatio Altaris celebrari, ſcilicet ſine Sacerdote, & Diacono..... Ceteri Ordines his adjecti ſunt. Creſcente Eccleſia, crevit Officium Eccleſiaſticum: ut multitudini Eccleſiæ ſubveniri poſſet, adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpoſitorum. Unde Ambroſius in tractatu epiſtolæ ad Timotheum: Illud vero dictis noſtris adjici dignum eſt, quoniam non convenit demirari, ſi neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam Apoſtolus feciſſe videatur: illis etenim gradibus functionum, qui in Eccleſia neceſſario habentur, iſti poſtea magis ſunt adjecti propter utilitatem miniſterii.

Idem affirmavit Magiſter ſententiarum cit. lib. 4. diſt. 24. Canones duos tantum ſacros Ordines adpellari cenſent, Diaconatus ſcilicet, & Presbyteratus: quia hos ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe ..... Subdiaconos vero, & Acolythos, procedente tempore, Eccleſia ſibi conſtituit. *Et, quod magis eſt, S. Thomas, qui aliis in locis ſingulis Ordinibus veri Sacramenti, a Chriſto Domino inſtituti, excellentiam aſſerit,* in cap. 3. epiſt. 1. ad Timoth. lect. 2. *Magiſtrum ſequutus, ait:* In primitiva Eccleſia ſolum erant tres Ordines..... Epiſcoporum, Presbyterorum, & Miniſtrorum; & non dividebantur per diverſos gradus: ſed omnia erant in uno Ordine propter paucitatem Miniſtrorum, & propter novitatem Eccleſiæ: *ex quo colligitur, dubiam ſaltem fuiſſe hac in re Angelici Præceptoris mentem.*

Dubii pariter & nos hæremus, nec ullam in hac difficillima controverſia ſententiam ferimus: ideo autem rationes attigimus, quæ in utramque partem adducuntur, & paulo prolixius illas expoſuimus, quæ poſtremæ favent opinioni, ut videant Epiſcopi, non poſſe indubitanter ſacrilegii damnari, qui cum conſcientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores ſuſcipere non reformidant. Durum quippe videtur (*ad rem inquit Navarrus* cit. cap. 22. man. num. 18. *loquens de Ordinibus minoribus*) damnare omnes, qui accipiunt eos, non præmiſſa Confeſſione, vel ſaltem contritione ſufficienti, quorum infinitus videtur eſſe numerus; quod tamen neceſſe eſſet facere, ſi eſſent Sacramenta vera, gratiam conferentia ex operato. *Loquitur vero Navarrus in eventu, quo conferuntur extra Miſſarum ſolemnia, nec ſubinde debeant illis initiati ſanctiſſimam Euchariſtiam percipere; quod tamen regulariter fieri non ſolet, nec fortaſſe ſine rationabili cauſa licet, ut paulo inferius dicetur. Quocirca Epiſcopus in ſua Synodali Inſtructione, ſeu Edicto, tuto poterit prædictos temerarios, & pervicaces homines, hoc nomine, ſacrilegos declarare, quod peccati ſorde contaminati, non vereantur immaculatis Chriſti carnibus veſci; & ſolum revera debet ab alia adducenda ſacrilegii cauſa, quod ſcilicet ad Sacramentum Ordinis accedere præſumant: ne tali pacto aut controverſiam ignorare, aut illam videatur decidere.*

CAPUT V.

De priori inter majores Ordines, ſcilicet, Subdiaconatu.

SUbdiaconos, quos Græci ὑποδιακόνους, *hypodiaconos* paſſim vocant, & aliquando ὑπηρέτας, *adminiſtros*, quod nomen occurrit in Synodo Laodicena, antiquitus extitiſſe ex dictis perſpicuum eſt. Hypodiaconorum quippe mentionem fecerunt auctor Epiſtolæ ad Antiochenos, ſcriptor Conſtitut. Apoſtol. lib. VIII. cap. 13. & 28. Canon inter Apoſtol. 42. Epiphanius in expoſitione fidei, Cyprianus epiſt. 24. laudatum Concilium Laodicenum can. 21. Carthaginenſe IV. canone 5. Toletanum I. canone 4. Agathenſe can. 66. De *ſubdiaconi* nomine nihil dicendum eſt; conſtat enim idem ſignificare, ac *ſubminiſter*, ut Rabanus, Amalarius, Ivo, Iſidorus, aliique plurimi docuerunt. Subdiaconi officium juxta Pontificale Romanum eſt aquam ad miniſterium Altaris præparare, miniſtrare diacono, pallas altaris & corporalia abluere, calicem, & patenam in uſum ſacrificii eidem offerre, & de oblationibus ſuper altare ponere quantum populo poſſit ſufficere. Apud Græcos hypodiaconus epiſcopo manus lavanti aquam fundit, templorum fores cuſtodit, catechumenos introducit, & educit eos, qui ſunt in pœnitentia, prout ex Scholiis S. Maximi ad Dionyſium, Simeone Theſſalonicenſi, Zonara, & Balſamone tradit p. 2. pag. 219. eruditus Morinus. Pertinuit olim ad ſubdiaconos etiam tradere Catechumenis fidei rudimenta; nam S. Cyprianus citata Epiſtola ad Clerum ſcripta, ait Optatum a ſe *hypodiaconum & doctorem audientium* fuiſſe conſtitutum. Confertur ſubdiaconatus *ordo* traditione calicis & patenæ, ut colligitur ex Concilio Carthaginenſi, & Florentino. Addunt utique Pontificalia librum epiſtolarum; ſed communis eſt opinio ſubdiaconos olim epiſtolam non legiſſe: quod ſi verum eſt, hæc poſtrema materia erit accidentaria, & ſignificativa hujus officii ſubdiaconis ſerius commiſſi.

Hunc *Ordinem* eſſe Sacramentum negant fere omnes, qui a Sacramentorum dignitate removent quatuor minores; nam cum ea potiſſimum ratione nitantur, quod omnes Eccleſiaſtici gradus, ſacerdotio duntaxat & diaconatu exceptis, non fuerint in primitiva Eccleſia, debent neceſſario ſubdiaconatum inter Eccleſiæ inſtituta connumerare. At quid momenti habeant *productæ* pro hac ſententia rationes, ad examen revocavimus paullo ſupra. Dicimus itaque ſubdiaconatus *Ordinem* habere quicquid ad ſacramentum conſtituendum ſat eſt. Principio inſtitutum fuiſſe a Domino inde magna probabilitate colligimus, quod illius meminerint Concilia, patreſque antiquiſſimi, nec adverſarii demonſtrare valeant, quando primo fuerit in Eccleſiam intruſus. Imo Græcorum Euchologia & Pontificalia, quæ negantibus ſubdiaconatui, & minoribus Ordinibus inſtitutionem Dominicam, prora puppiſque eſſe ſolent, tradunt hypodiaconum ordinari a Pontifice hanc Orationem pronunciante, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ διὰ τοῦ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ ἁγίου σου πνεύματος διαιρῶν ἑκάστῳ ἐξ ἡμῶν τὰ χαρίσματα, ὁ τάγματα διάφορα τῇ ἐκκλησίᾳ σου δωρησάμενος, καὶ βαθμοὺς λειτουργιῶν καταστησάμενος ἐν αὐτῇ πρὸς ὑπηρεσίαν τῶν ἁγίων σου καὶ ἀχράντων μυστηρίων, *&c. Domine Deus noſter, qui per unum eumdemque Spiritum ſanctum unicuique eorum, quos elegiſti, diviſiſti chariſmata tua, qui ordines diverſos Eccleſiæ tuæ donaſti, & gradus miniſterii in ea conſtituiſti ad adminiſtrationem ſanctorum tuorum, impollutorumque myſteriorum, &c.* Videſis Morinum p. 2. pag. 81. Deinde in *Ordinatione* ſubdiaconi habentur materia & forma, quibus traditur poteſtas tangendi, & ad altare deferendi vaſa ſacra, ac proxime diacono miniſtrandi. Neque enim argumentum ſolvunt, qui

ajunt

ajunt etiam laicos olim Chriſti corpus manibus attrectaſſe, quod utique plus videtur, quam ſacra vaſa contingere. Aliud quippe eſt de altari communionem recipere; aliud ad altaris miniſterium accedere: nam participatio divinorum ſacramentorum ad fideles omnes extenditur; ſacrum autem miniſterium ad ſolos a Domino electos, & in Dei ſortem adſcitos. Certe in cap. *Sacratas*, diſt. 23. deprompto ex decretalibus Soteri adſcriptis, vel potius ex Synodo Laodicena, ſtatuitur nec ſanctimonialibus fas eſſe *ſacra vaſa*, *vel ſacratas pallas contingere*. Præterea in eadem ordinatione, cum nunquam iteretur, character imprimitur, ideoque habetur ſacramentalis effectus. Quod autem reſpondent juniores hoc argumentum nullum eſſe, propterea quod nec tonſura, nec templorum conſecratio repetatur; id probationem hanc corroborat, non evertit. Merinus enim, ex quo fere omnia eſcripſere, ſentit tonſuram fuiſſe pridem in collatione cujuſque Ordinis repetitam: atque ex conſecratione templorum ſcholaſtici bene multi inferunt ſacri Ordinis characterem, quoniam ſi ſemel conſecrata iterum non conſecrantur, eo quod chriſma tribuat permanentem conſecrationem; non alia ratione ſemel ordinati iterum non ordinantur, niſi quia ordinatio confert ſignum aliquod indelebile, atque, ut Auguſtini utar verbis, ordinati nunquam carent *ſacramento Domini ſemel impoſito*. Lege caput 22. libri xxx. Dicendum denique in ſubdiaconi ordinatione conferri gratiam ad hoc miniſterium digne obeundum; quoniam unus ſacramenti effectus, ubi non deſit ſuſcipientis diſpoſitio, non eſt ab alio ſejunctus. Magna ergo probabilitate (non tamen conſtanti firmiſſimaque aſſertione) affirmamus hypodiaconatum eſſe proprium legis Evangelicæ ſacramentum. Theologi autem, qui propugnant contrariam opinionem, ducuntur iis momentis, quæ præcedenti capite producta & ſoluta fuerunt, & quæ ſunt numero quidem plura, & novitate plauſibiliora, ſed vittea, arundinea, ficulnea.

Indubitatum quoque eſt ſubdiaconatum eſſe Ordinem ſacrum: nam Tridentina Synodus ſeſſ. xxiii. cap. 2. *Subdiaconatus*, inquit, *ad majores Ordines a Patribus*, *& ſacris Conciliis refertur*. Quando vero ad hanc dignitatem evectus fuerit, admodum ambigua res eſt. Recentiores communi fere ſenſu tenent per duodecim priora ſæcula, plus minus, ſubdiaconatum in claſſe minorum Ordinum fuiſſe locatum, atque inde eximi cœpiſſe, quando a Romana ad alias Occidentis Eccleſias lex promanavit, ut ſubdiaconi caſtitatem ſolemni voto profiterentur. Atque eidem ſententiæ adhæſerunt Menardus in notis ad Sacram. Gregorii, Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. xxv. n. 16. Auctores adnot. ad Epiſtolas Gregorii lib. 1. Epiſtola 49. pag. novæ edit. 538. Thomaſſinus lib. 2. de Veteri & nova diſciplina p. 1. lib. 2. cap. 30. num. 3. Morinus Exercitatione xii. cap. 5. & noſter Lupus diſſert. Procemiali 3. p. in Decreta & canones Synodorum pag. 26. Atque his innumeri ſubſcripſere Theologi. Hæc autem ſententia argumentis proximis communitur. Primum eſt: Innocentius III. cap. *A multis*, in 1. decret. tit. xiv. decernit etiam ſubdiaconos poſſe in Epiſcopos eligi, quod jam ipſorum ordo inter ſacros recenſeatur, *Cum hodie* (inquit) *ſubdiaconatus inter ſacros Ordines computetur*, & ibidem laudat verba Urbani II. (quem falſo edita decretalium volumina dicunt primum) in Synodo Beneventana declarantis duos tantum ordines, presbyteratum & diaconatum, *in Eccleſia primitiva* ſacros fuiſſe. Illa Beneventana Synodus anno 1091. celebrata fuit, & Innocentius III. ſummus Pontifex renunciatus anno 1198. Haud multum antea ſubdiaconatum ad ſacrorum *Ordinum* claſſem translatum fuiſſe ſcripſere circa annum 1100. Ivo in decretorum collectione: eodem fere tempore Gratianus cap. *Nullus in Epiſcopum*, diſt. 60. Petrus item Cantor, qui vivebat anno 1197. aliique ejuſdem ſæculi plures. Argumentum alterum petimt ex Concilio Laodiceno, quod canone 21. vetat ſubdiaconis ingredi diaconicum, ideſt, in ſacrarium, cujus cura diaconis commiſſa erat, necnon tangere ſacra vaſa. *Non oportet*, inquit Concilium illud, incerti quidem, ſed tamen antiquiſſimi temporis, *miniſtros locum habere in diaconico*, *& Dominica vaſa contingere*, ὀ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ, ἢ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν. Similia habentur can. 66. Concilii Agathenſis an. 506. Tertium argumentum eſt. In ſubdiaconatu conferendo apud Latinos non adhiberi manuum impoſitionem, quæ eſt ſacrarum *Ordinationum* materia; apud Græcos autem hypodiaconatum conferri extra Sanctuarium, aut in *diaconico*, aut ante portas, quas dicunt ὡραίας, *ſpecioſas*, chorum a narthece dividentes. Etiam in Eccleſia Latina ſubdiaconatus olim cum minoribus *ordinibus* & extra Sanctuarium conferebatur, neque hoc *ordine* initiandi ſe ſe cum diaconis & presbyteris proſternebant ante Litanias, quæ ſacris *Ordinationibus* præmittuntur. Quartum denique argumentum eſt illud: Patres in *Ordine Hierarchico* videntur tantum locare Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos. Ignatius quippe in Epiſtola ad Smyrnæos ait Laicos diaconis ſubjici, diaconos presbyteris, presbyteros autem Epiſcopis, nulla ibi *ſubdiaconorum* mentione facta. A Hieronymo in Epiſtola ad Evangelum, atque ab Auguſtino in ea, quam ſcripſit ad Valerium Epiſcopum Hipponenſem, iidem tres Eccleſiaſtici gradus ſingillatim recenſentur, *Subdiaconis* inter alios Clericos, tamquam in communem & infimam claſſem, rejectis. Inveniuntur etiam Epiſtolæ Synodicæ Conciliorum *ad Epiſcopos*, *Presbyteros*, *& Diaconos* directæ, in quibus proinde *hypodiaconi* ab Eccleſiæ Hierarchia, & ſacro principatu excluduntur.

Hæc quæſtio videtur mihi ad hunc modum diſtinguenda. Si *Ordinis ſacri* ratio petatur a ſolemni cœlibatus profeſſione, verum eſt ſubdiaconatum non fuiſſe ſemper in Eccleſia Latina *ſacrum Ordinem*, & præcedens ſententia a nemine debet refutari. Sed cœlibatus non ad ſacri *Ordinis* ſubſtantiam, ſed ad ſolam condecentiam ſpectat: alioqui carerent Græcorum Eccleſiæ ſacris *Ordinibus*. Quamquam advertendum eſt, nec apud Græcos hypodiaconum poſſe nuptiali jure mulierem ſibimet copulare, niſi eam duxerit antequam hoc *Ordine* initiaretur, ut conſtat ex 6. canone Trullano, atque ex Cap. *A multis*, paullo ante citato. In Eccleſia itidem Romana longe ante Urbani II. tempora ſubdiaconi cœlibem vitam ducebant, ut conſtat ex præcitata Epiſtola Gregorii Magni, atque ex capitulo illinc deprompto, *Ante triennium*, diſt. xxx. num. 1. Innocentius III. citato in loco profert hæc verba Urbani II. *Erubeſcant impii*, *& intelligant*, *eos*, *qui in ſacris Ordinibus*, *Presbyteratu*, *Diaconatu*, *& Subdiaconatu ſunt poſiti*, *ſi caſte non vixerint*, *excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate*: additque, *Sicut eſt in ſexta Synodo conſtitutum*, *&c.* ubi *ſextæ Synodi* nomine intelligendus eſt prælaudatus canon ſextus Trullanus. Ex quibus non obſcure colligitur, ante Urbani II. tempora ſubdiaconos continentiæ legi fuiſſe obſtrictos, quamquam non ubique priſcis ſæculis obtinuerit Romanæ Eccleſiæ conſuetudo. Sed de cœlibe ſacrorum miniſtrorum vita alibi diſſertandum. Hanc ergo aſſertionis noſtræ partem comprobat argumentum primum depromptum ex Urbani II. Innoc. III. Gratiani, Petri Cantoris, aliorumque Scriptorum undecimi, aut duodecimi ſæculi teſtimoniis.

Rurſus ſi *Ordo Sacer*, *& Hierarchicus* accipiatur, quatenus confert in Eccleſia juriſdictionem aliquam, & principatum, ſubdiaconatus non eſt inter *ſacros Ordines* computendus. Id primum demonſtratur poſtremo ex quatuor præcedentibus argumentis. Rurſus ex Conſtit. Apoſtolicis lib. 11. cap. 16. lib. vii. cap. 32. & lib. viii. cap. 45. ubi presbyteris & diaconis, non autem hypodiaconis tribuitur laicorum regimen, & cura: idem colligitur ex Tertulliano lib. de Fuga in Perſecut. cap. 11. ex Epiſtolis Cypriani ad presbyteros, & diaconos Romanæ Eccleſiæ, & illorum viciſſim ad Cyprianum, datis vacante per Fabiani mortem Apoſtolica Sede: ex canone 15. & 16. Nicænis, ex Optato Milevitano lib. 1. adverſus Parmenianum, atque ex *iis*, quæ ſubjiciam proximo cap. de Diaconis. Ex quibus tamen nemo inferat trium *Hierarchicorum Ordinum* juriſdictionem ac poteſtatem fuiſſe parem: enimvero Epiſcopi ſemper primum ac ſupremum locum tenuere, proximum presbyteri, atque his acceſſerunt diaconi, quorum arrogantiam, ſi aliquando presbyteris ſe æquiparare auſi ſunt, Synodi ac Patres acriter compreſſere, ut apparet ex Synodo Laodicena can. 20. ex Arelatenſi 1. & Nicæna can. 18. ex Hieronymi Epiſt. ad Evangelum, alias ad Evagrium, atque ex Gelaſio I. in Epiſtola ad Victorem cap. *Conſuluit*, diſt. 74. n. 9. Igitur Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, in ſuo cuique gradu, & ſubordinatione ſervata, ſemper competit plebem regere, ſacramenta aliqua miniſtrare, prædicare verbum Dei, ac benedicere: quod cum excedat poteſtatem Subdiaconorum, ego quidem ultro fateor ſubdiaconatum non eſſe *ſacrum Ordinem*, ſi ordo ſacer ita accipiatur, prout eſt idem, ac *Ordo Hierarchicus*; iſte vero idem ſit, ac habens juriſdictionem.

Ceterum ſi *Ordo ſacer* dicatur, quatenus tribuit ſpiritualem facultatem propius, quam faciant minoribus initiati, inſerviendi in miniſterio altaris, in illo collocandi oblationes, ſacra vaſa proprio, ſibique commiſſo munere contrectandi; arbitror a ſui inſtitutione ſubdiaconatum *ſacrum* ſemper, unumque *ex majoribus Ordinibus* fuiſſe. Id primum commonſtrare videntur præcitata Tridentini verba, *Nam ſubdiaconatus ad majores Ordines a Patribus*, *& ſacris Conciliis refertur*: quæ verba dum recentiores referunt ad Concilia, & ad Patres ſæculorum poſteriorum tanummodo, hujus interpretationis nequeunt aptam aliquam rationem proferre; quum potius phraſi illa Tridentini exprimi videatur vetus, & univerſalis traditio. Deinde inter Apoſtolicos canones, qui plurium ſæculorum ætatem præferunt, quocunque tempore collecti aut fabricati dicantur, num. 8. 16. 17. 50. & 62. legitur, *Si quis Epiſcopus*, *presbyter*, *diaconus*, *vel ex ſacro catalogo*, *&c.* ac deinde, inferiores Clerici communi vocabulo deſcribuntur. Quinam vero ſunt ii ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, claſſis inter diaconos & clericos mediæ, niſi *hypodiaconi*? Poſtremo ſacra illa munera, quæ recenſui, etiam ſacra vaſa tangendi, & ad altare deferendi, competunt ſubdiacono vi officii ſui: in Conſtitutionibus quippe Apoſtolicis lib. viii. cap. 21. appellantur hypodiaconi τῶν ἁγίων σκευῶν φύλακες, *ſacrorum vaſorum cuſtodes*: ordinantur apud Latinos a vetuſtis ſæculis traditione ſacri calicis, & patenæ, ut conſtat ex antiquiſſimis Pontificalibus, & ex iv. Carthaginenſi Concilio; atque ex duplici cap. *Non liceat*, diſt. 23. n. 31. & 32.

& 32. manifeſtum eſt, ordinatos ab Epiſcopo in ſubdiaconos tangere miniſteria, & ſacra altaris vaſa portare, quæ ibidem acolythi permittuntur tantum in *ſecretario* contingere.

Adverſus hanc, quam nos adhibuimus, diſtinctionem, duo tantum argumenta militant; ſecundum ſcilicet petitum ex 21. canone Laodiceno, ac tertium depromptum ex ritibus *ſacrarum ordinationum*. Ad quorum primum, ſciendum eſt, Balſamonem alioſque viros doctiſſimos interpretatos eſſe *vaſa dominica*, ea, quæ actu continent corpus aut ſanguinem Domini, cum alias ſemper ſubdiaconi vaſa ſacra tetigerint, quod officii ſui muneri præſtant. Reſpondere ulterius poſſumus, Laodicenum canonem accipiendum de ſacris vaſis jam in altari locatis, & miniſterii tempore non contrectandis, id, quod perſpicuum eſt in præcitatis capitulis, *Non liceat*. Quod vero eodem canone prohibeantur hypodiaconi ingredi *diaconicum*, explicatum eſt hactenus a viris doctis de *Sacrario* illo, in quo diaconi poſt myſteriorum celebrationem recondebant Euchariſtiam: quem locum *thalamum* quoque, & *paſtophorium* appellaverunt. Dixi & ego de hoc loco ſatis multa libro XXXIII. cap. 12. th. 2. Cenſent autem duplex *diaconicum* extitiſſe, unum a dextra parte *abſidis*, alterum a ſiniſtra, in quorum uno Euchariſtia ſervaretur, in altero ornaretur Pontifex ſacris veſtibus. Ajunt utrunque inſinuatum a Paulino, qui epiſt. 12. ad Severum loco a dextris conſiſtenti diſtichon inſcripſit,

Hic locus eſt veneranda penus quo conditur, & qua
Promitur alma ſacra pompa miniſterii:

a ſiniſtris autem abſidis hos verſus;

Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Vide Severinum Binium in canones Laodicenos Volum. 1. Conciliorum. At priori inſcriptione commonſtrari ſacræ ſupellectilis conditorium dixi hujus vol. pag. 93. Locum ad ſacros codices ſervandos ſelectum indigitat inſcriptio altera. Itaque etſi *paſtophoria*, *thalamos*, *turres*, *columbas*, aliaque ſacratiſſimæ Euchariſtiæ cellaria in ſacris ædibus extitiſſe me non lateat; exiſtimo tamen hujus generis non eſſe *diaconium* illud, in quo commorari vetitum fuit Laodiceno, & Agathenſi canone hypodiaconis. *Diaconicum* locus erat Eccleſiæ contiguus, deſtinatus ſacrorum vaſorum cuſtodiæ, & peregrinorum hoſpitio, cujus loci diaconus curam gerebat. Hoc ſignificat illud *χώραν ἔχειν* Laodicenæ Synodi, quod idem ſonat, ac *ſedem, & poſſeſſionem habere*, non autem *ingredi*, ut imperite reddiderunt juniores Theologi, quo facilius ſubdiaconatum ab *ordinibus ſacris* arcerent. Quinimo iidem Theologi ſecum pugnant; dum in alia argumentatione inquiunt, hypodiaconos apud Græcos ordinari *in diaconico*, non autem in Sanctuario. Quomodo enim in *diaconico* ordinantur, ſi illuc ingredi nequeunt? At de priori argumento ſatis, ſuperque. Nam aliud facillime expungitur; non enim negamus in *ordinatione* diaconi alius adhiberi ritus, & conferri etiam poteſtatem illa, qua pollent hypodiaconi, ſublimiorem: immo impoſitio manuum a Græcis adhibetur etiam in ordinatione tam ſubdiaconi, quam lectoris, & qui *ordines* illos ſacramenta eſſe negant, debent aſſerere impoſitionem manuum interdum eſſe ritum ac ceremoniam, at non ſemper ſacræ ordinationis materiam. Fatebimur ulterius hanc manuum impoſitionem eſſe ad *ordinem hierarchicum* neceſſariam, hujuſque claſſis *ordinem* non eſſe hypodiaconatum: qui ideo extra ſanctuarium & in *diaconico* aliquando conferebatur, quoniam eo in loco incipit ſubdiaconi miniſterium, quod eſt ſacra vaſa deferre ad altare. Atque hæc ſunt, quæ nobis de ſubdiaconatu inter ſacramenta, ac inter *majores ordines* recenſendo, probabiliora, oppoſitiſque ſententiis conciliandis commodiora & aptiora videntur.

CAPUT VI.

Pertractatur de ſacro Diaconatus ordine.

Διάκονος, *Diaconus* Græce, idem ac Latine *Miniſter*, a verbo *διακονέω*, *miniſtro*. Antiquiſſimam eſſe diaconorum inſtitutionem infertur ex act. Apoſt. cap. 6. ex Epiſtola S. Ignatii ad Trallianos, ex 65. S. Cypriani; atque ex monimentis aliis Eccleſiaſticis bene multis. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 44. diaconos appellat *aures*, *oculos*, *os*, *cor*, *& animam Epiſcoporum*, propterea quod diaconorum ſit Epiſcopis officia plurium miniſteriorum impendere, & qui fidelium pie ac religioſe, quive ſecus vitam traducant, perveſtigare. Eſt autem diaconorum munus perſequi ſummorum Sacerdotum veſtigia, his conciones habentibus præſto eſſe, divinis operantibus & conficientibus ſacramenta, miniſterium exhibere, in Miſſæ ſacrificio Evangelium legere, atque cum eorum, qui præſunt facultate, prædicare, baptiſmum conferre, & Euchariſtiam diſtribuere. Olim quippe dum uſus calicis obtinebat, diaconi illum porrigebant communicantibus; ut late diximus lib. XXXVI. cap. 13. prop. 2. Commiſſa quoque erat diaconis cura, & diſpenſatio Eccleſiaſticorum bonorum: ideoque de Archilevita Laurentio cecinit hymno Peri Stephanon 2. Aurelius Prudentius: *Clauſtris ſacrorum præerat,* *Cæleſtis arcanum domus Fidis gubernans clavibus, Votaſque diſpenſans opes*. Pertinebat inſuper ad diaconos in concilium deducere advenientes Epiſcopos; quare S. Athanaſius in Apolog. 2. reprehendit Synodos Arianorum, quod in iis loco Diaconi Epiſcopos introduceret Carcerarius. Publica etiam acta in Conciliis legebant, ut fecit in Aquilejenſi, cui præfuit Ambroſius, Sabinianus diaconus, & in Chalcedonenſi Aetius; deferebantque diaconi ad ipſa Concilia querimonias clericorum. Aſſumebatur ex diaconorum claſſe ſcripturum ad Eccleſiam pertinentium cuſtos, Chartophylax in Orientali Eccleſia appellatus. In Eccleſia Latina ordinantur Diaconi impoſitione manuum Epiſcopi, & traditione libri Evangeliorum; apud Græcos autem manuum impoſitione, & porrectione flabelli, quo apud Orientales ſacra dona in altari poſita ventilantur. At flabellum, quod nulla verborum expreſſione porrigitur, non habet *materiæ ſacramentalis* rationem. In quibuſdam Anglicanis Eccleſiis diaconi manus in ſacra ordinatione inungebatur chriſmate: ſed hoc alienum a Romanæ Eccleſiæ conſuetudine, & a nemine antiquiorum fuiſſe uſurpatum ſcripſit Nicolaus I. in Epiſtola ad Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem.

Quantum pertinet ergo ad *Ordinem* Diaconatus, communis eſt Theologorum ſententia, illum eſſe verum propriumque ſacramentum: ac talem quoque fuiſſe *Ordinationem* ſeptem diaconorum, de quibus Act. 6. Hos ad profanum duntaxat miniſterium, ſcilicet, ut menſis præſiderent, & in viduas ac pauperes eleemoſynas erogarent, ab Apoſtolis fuiſſe electos, ſentiunt fere omnes hæretici. Tolerabilis hac in parte foret hæreticorum ipſorum error, ſi alias ſacras *Ordinationes*, & miniſteria Altaris adſtruerent: nam ſeptem illos viros, quorum in Apoſtolicis Actibus fit mentio, non fuiſſe ſacra aliqua *Ordinatione*, & ſacramento initiatos, etiam nonnulli Catholici interpretes tradiderunt, inter quos Œcumenius, Beda, Cajetanus, & Gabriel Vaſquez, & ſententia Auguſtini Calmet, cui tamen non ſubſcribo, duo etiam nobiliſſimi Patres, Hieronymus, & Chryſoſtomus: immo & de Beda judicium aliud ferendum eſt. Ex hac autem ſententia, quæ affirmat primos ſeptem diaconos fuiſſe tantum eleemoſynarios, menſarumque miniſtros, hoc ſequitur incommodi, quod ſi eadem ſententia probetur, nequit *ordo* Diaconatus demonſtrari ſanctarum ſcripturarum auctoritate. Sed habentur nihilominus ad *ordinem* ipſum vindicandum comprobandumque momenta alia invictiſſima, traditio præſertim univerſalis & perantiqua. At ſententia noſtra eſt, inaugurationem illam diaconorum enarratam in Apoſtolica hiſtoria fuiſſe myſticam & ſacramentalem ceremoniam: ob hanc, cauſaſque alias Diaconatum ad ſacramentum *ordinis* pertinere; nec *ordinem* eſſe tantum, verum etiam *ordinem* ſacrum, *ordinemque* Hierarchicum.

PROP. I. Septem diaconi, de quibus Act. VI. non ad profanum, ſed ad ſacrum miniſterium electi, & *ſacramentali ordinatione* initiati fuere.

Id vero deducitur ex ipſis Apoſtolicis actibus; ubi enarratur Apoſtolos ad diaconorum officium non quoſcunque elegiſſe, ſed viros induſtrios, aliorum teſtimonio probatos, & *plenos Spiritu ſancto & ſapientia*, ut legitur verſu 3. aſſeritur deinde illos totius multitudinis plauſu & approbatione electos, ad Apoſtolos adductos, iiſque manus fuiſſe impoſitas. Narratur ſubinde illos ordinatos Apoſtolicarum manuum impoſitione officia ſacra peregiſſe: ſiquidem Stephanus illorum princeps, potens verbo, ſignorumque virtute, tanta animi fortitudine Chriſtum annuntiavit, ut a Judæorum ſynagogis lapidibus obrueretur, omniumque primus referret martyrii coronam, ſuo ſibi nomine prænuntiatam; ac Philippus e ſeptem unus, VIII. capite miſſus ab angelo ad imbuendum fide virum Æthiopem, huic Chriſtum adveniſſe monſtravit, tribuitque myſticum regenerationis lavacrum. Atque ex hoc triplici capite conſtat inaugurationem, de qua loquimur, fuiſſe ſacram. Cur enim tam inſignis probitas, cur tanta litterarum ſanctarum peritia, plebiſque honeſtiſſimum teſtimonium in profanis menſarum adminiſtris? Nec ſponte oblatos, inquit diſt. 24. §. 17. Eſtius, viros tam egregie in fidei doctrina inſtructos, & proinde ad majora idoneos, ac neceſſarios, Apoſtoli profanis officiis præfeciſſent. Adde, quod ad bonum teſtimonium attinet, in iis, qui ad ſacra munia eliguntur, requiri illud Act. XVI. 2. & in 1. ad Timoth. III. 7. ideoque ex ipſa ſacræ hiſtoriæ narratione quales eſſe debeant qui eliguntur ad miniſterium altaris, infert ſanctiſſimus Martyr Cyprianus paullo poſt laudandus: quod nec ignoravit acatholicus Grotius, ſcribens in ea verba, *ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους*, *ex vobis boni teſtimonii*, formam dat Eccleſiæ, *ut qui ad miniſteria eliguntur, teſtimonium habeant eorum, quibuſcum vivere*. Ipſa manuum impoſitio ſacræ *Ordinationis* materia eſt, ut conſtat ex cap. 1. hujus libri; præſertim cum huic manuum impoſitioni Apoſtoli preces adjunxerint, Act. VI. 6. ideoque Grotius, quem rurſus laudo in gratiam hæreticorum, in verba, *ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας*, proſequitur, *Quod hic fecere Apoſtoli, idem Epiſcopi poſtea tum in presbyteris, tum in diaconis ordinandis*.

Probatur eadem veritas Patrum traditione. S. enim Cyprianus epiſt. 68. pag. 256. quærens cur in *ordinatione* diaco-

diaconorum Apoſtoli plebem convocaverint, *Quod utique* ait, *tam diligenter & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris miniſterium, vel ad ſacerdotalem locum indignus obreperet*. Euſebius Cæſarienſis lib. 11. H. E. cap. 1. pag. edit. Val. 38. poſtquam egit de electione Mathiæ, *Mox* inquit, *ſeptem ſpectatæ virtutis viri per precationem, manuſque impoſitionem diaconi ab Apoſtolis conſtituti ſunt, qui Eccleſiæ miniſterium exhiberent*. Quo in loco ſeptem illi diaconi *ordinati* dicuntur διὰ εὐχῆς, καὶ χειρῶν ἐπιθέσεως, *per orationem, & impoſitionem manuum*. Chryſoſtomus, qui in contrariam partem citari ſolet, Hom. 13. in Act. pag. edit. Commel. 545. in ea verba, *Impoſuerunt illis manus*, ait manifeſtum eſſe, *quoniam Apoſtoli hoc ritu ſeptem illos ſegregaverint a multitudine*, ὅτι ἀφώρισαν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ πλήθους, addit, quod *ordinaverint illos impoſitione manuum, & prece*, idque eſſe quod dicitur χειροτονία, *Ordinatio*: ὅτι ἐχειροτονήθησαν διὰ προσευχῆς. τοῦτο γάρ ἡ χειροτονία ἐστίν. Subjicit in ſacra illa actione fuiſſe *impoſitionem manuum, quæ hominis opus eſt, atque divinam operationem*, ἡ χεὶρ ἐπίκειται τοῦ ἀνδρός, τὸ δὲ πᾶν ὁ Θεὸς ἐργάζεται. Ad eamdem *Ordinationem* reſpiciens Aratos ſubdiaconus inquit:

Jura miniſterii ſacris altaribus apti
In ſeptem ſtatuere viros, quos undique lectos
Levitas vocitare placet: quam ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgore manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat agni.
Hoc numero delatus honor ſublimia ſecum
Sacramenta gerit.

Etiam Beda in priori Expoſitione Act. atque in Retract. ejuſdem Operis docuit ſeptem diaconos ab Apoſtolis electos, *ut ſublimiori gradu eſſent ceteris, & proximi circa aram quaſi columnæ altaris adſiſterent*: additque, *Communis quidem diſpenſatio exigebat, ut miniſtri pro viduis viri eligerentur: verum ubi inventi ſunt, qui digni ad hoc miniſterium eſſe viderentur; creſcente gradatim, ut ſolet, providentia conſilii ſalutaris, placuit eoſdem ipſos altaris quoque ſacri ac dominici ſanguinis, ſicut & refectionis menſæque communis multitudinis credentium, miniſtros ordinari. Quod probatum eſt verbo, quo dictum eſt*: Et orantes impoſuerunt eis manus. *Hoc etenim proprium eſt eorum, qui de communi fidelium numero ad ſacroſancti altaris promoventur officium*. Nonnulli etiam Codices Pontificalium Græcorum in forma *Ordinationis* diaconi habent hæc verba: *Dona quoque illi gratiam, quam Stephano Protomartyri tuo donaſti, quem & primum vocaſti ad opus miniſterii tui*, Δώρησαι δὲ αὐτῷ τὴν χάριν, ἣν ἐδωρήσω Στεφάνῳ πρωτομάρτυρί σου, ὃν καὶ ἐκάλεσας πρῶτον εἰς τὸ ἔργον τῆς διακονίας σου. Vide Morinum p. 2. pag. 85. Similia Syri Maronitæ in *Ordinatione* Archidiaconi ibidem pag. 403. & Ægyptii pag. 506. Etiam apud Latinos in admonitione præmiſſa *Ordinationi* diaconorum inquit Pontifex: *Cogitate beatum Stephanum merito præcipuæ caſtitatis ab Apoſtolis ad officium iſtud electum*. Hinc exemplo ſeptem diaconorum, quos Apoſtoli conſtituerunt, olim in Eccleſiis nobilioribus ſeptem tantum diaconi ordinabantur: quod ſervatum in Eccleſia Romana conſtat ex Epiſtola S. Cornelii citata cap. 2. propoſ. 1. atque ex hymno Prudentii de S. Laurentio. Inaugurationem itaque ſeptem diaconorum, de quibus agit Actuum Apoſtolicorum caput ſextum, ſacram fuiſſe *Ordinationem*, ejuſdemque generis cum hodierna divinorum miniſtrorum initiatione, ex ipſa Apoſtolicæ hiſtoriæ lectione, ex Patrum teſtimoniis, atque ex Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ ritibus evidentiſſime demonſtratur.

PROP. II. Diaconatus eſt *Ordo* ſacer, & ſacramentum.

Demonſtratur primo ex propoſitione præcedenti. Dum enim quis ordinatur in diaconum, ſuccedit in officio ſeptem diaconis, quos Apoſtoli conſtituerunt, initiatur impoſitione manuum, & oratione & verbis Epiſcoporum, recipitque poteſtatem, & gratiam, quæ ſeptem illi donati fuerunt. Eſt itaque in diaconorum *Ordinatione* inſtitutio, rituſque ab ætate Apoſtolorum in Eccleſia uſurpatus, adeſt ſacramentalis *Ordinationis* materia, adeſt forma, nec deſideratur effectus, & conſequenter reperiuntur in *Ordinatione* diaconi quæcumque ad verum *Ordinem*, propriumque ſacramentum communiter requiruntur. Idem demonſtratur canonum auctoritate: ſiquidem canone 4. Concilii IV. Carthaginienſis dicitur diaconus in ſua ordinatione *conſecrari*, & canone 38. decernitur poſſe illum annuente presbytero Euchariſtiam diſtribuere. Tridentinum vero ſeſſ. 23. can. 6. definit eſſe in Eccleſia *Hierarchiam* divina inſtitutione firmatam, eamque conſtare *ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris*; ideoque niſi velimus in ſacrorum virorum cœtibus comprehendere clericos reliquos, neceſſum ſaltem erit iis inſerere diaconos; qui peculiari ratione, ſuique nominis etymologia *Miniſtri* dicuntur. Accedit prætera ſanctorum Patrum traditio, inter quos, ne iterum recenſeam præcedenti poſitione productos, S. Ignatius in Epiſt. ad Trallianos n. 3. ait, *Cunctos debere revereri diaconum, ut mandatum Jeſu Chriſti*, ὡς ἐντολὴν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ibique eumdem diaconum appellat *miniſtrum*, non eſculentorum ſive poculentorum, *ſed myſteriorum Jeſu Chriſti*, μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ, tom. 2. PP. Apoſt. pag. 22. Clemens Alex. lib. VII. Stromat. pag. 706. officia diaconorum comparat *Angelorum miniſteriis*; & Auctor Operis de Eccl. Hierarchia cap. 3. diaconos vocat ἐκκρίτους λειτουργούς, *ſelectos Liturgiæ adminiſtros*. S. Optatus Milevitanus lib. 1 pag. 13. *Quid commemorem*, inquit, *miniſtros plurimos, quid diaconos in tertio, quid presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos?* Quo in loco *per tertium ſacerdotium* ſignificari debet ſacri Ordinis miniſterium: aliunde quippe conſtat ſacerdotii gradum duplicem tantum eſſe, Epiſcopatum, atque presbyteratum. S. Hieronymus adverſus Vigilantium paullo poſt initium *Ordinationem* diaconi appellat *Sacramentum*, atque in fine Epiſt. 803. ad Evangelum, poſtquam multa ſcripſerat adverſus diaconos, qui ſe æquabant presbyteris: *Et ut ſciamus*, inquit, *traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in Eccleſia Dei*: in altero etiam adverſus Jovinianum libro, affirmat diaconos ad ſacrum Eccleſiæ miniſterium omnino neceſſarios eſſe. S. P. Auguſtinus ſerm. 304. qui eſt 3. in Natali S. Laurentii, aliique Patres, de quibus hoc volum. pag. 96. & ſeq. docent *diaconos ſacram Chriſti ſanguinem miniſtrare*. Et Prudentius præcitato hymno 2. *Hic*, inquit, *primus e ſeptem viris*, *Qui ſtant ad aram proximi*, *Levita ſublimis gradu*, *Et ceteris præſtantior*. Idem hymno V. de S. Vincentio, *Levita de tribu ſacra*, *miniſter altaris Dei*, *Septem ex columnis lacteis*, &c. In pervetuſtis Pontificalibus ordinationi diaconorum titulus iſte præfigitur, *Conſecratio diaconi*, apud Martene lib. 1. cap. 8. art. 9. n. 2. De diaconatu demum prout conſertus juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ, peculiare invictumque argumentum depromitur ex canone 4. ſeſſ. XIV. Tridentini Concilii: *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum*, &c. Etenim eadem verba recitantur a Pontifice manum imponente iis, qui conſecrantur diaconi. Igitur diaconi conſecratio eſt ſenſibile ſignum conferens Spiritum ſanctum, & gratiam, ideoque proprium legis Evangelicæ ſacramentum. In Orientalium quoque ritibus hæc verba non quidem *imperativo modo*, ſed tamen deprecative pronuntiantur, ut dictum ſupra.

PROP. III. Diaconatus eſt *Ordo Hierarchicus*.

Quid nominis *Ordinis Hierarchici* veniat dixi capite ſuperiori. Hujus ergo generis eſſe diaconos probatur primo ex quo ipſis interdum commiſſum fuerit regimen Chriſtianæ plebis. Antiochena quippe Synodus cap. 1. & 2. Illiberitana can. 77. Toletana IV. can. 26. atque permultæ aliæ mentionem faciunt Diaconorum, qui *per Parochias conſtituuntur, plebem regant, & Epiſcopo, aut presbytero annuente baptizant*. Gregorius itidem Turonenſis de Gloria Confeſſ. cap. 30. laudat Cantiuum, poſtea Antiſtitem Arvernorum, qui adhuc diaconus rexit vici Iſiodorenſis Eccleſiam, & Beda pariter lib. 2. H. Angl. cap. 12. commendat Jacobum quemdam diaconum; qui Eccleſiæ regimini prepoſitus, *docendo & baptizando magnas antiquo hoſti prædas eripuit*. Diaconi præterea repellebant olim a communione laicos, quantavis dignitate fulgentes, ſi acceſſiſſent indigni, prout hom. 83. in Matth. teſtatur Chryſoſtomus: excommunicabant quoque hypodiaconos, & inferiores clericos; quod aſſerit lib. VIII. cap. 28. ſcriptor Conſt. Apoſtolic. corripiebant item peccantem adverſus Eccleſiæ inſtitutionem, & diſciplinam, ſicuti Lucillam delibantem os cujuſdam Martyris ab Eccleſia non vindicati, apud Optatum lib. 1. reprehendiſſe dicitur Cæcilianus adhuc diaconus. Inſuper commiſſam aliquando diaconis curam ſanctimonialium & Monachorum apparet ex Vita Amonis diaconi, de quo Martyrologium Romanum, & Menologium Græcorum die 1. Septembris, ex Novella 123. Juſtiniani cap. 36. atque ex Severo Sulp. dial. 3. cap. 13. Diaconi denique in Eccleſia Romana ſingulis regionibus urbis præficiebantur, unde etiam *Diaconi Regionarii* appellabantur; aut ex quo in ſtationibus canerent Evangelium, ſummoque Pontifici ad Stationes proficiſcenti adhærerent, *Diaconi Stationarii*: necnon ii, qui præcipuas diaconias adminiſtrabant, *Diaconi in ordine conſtituti*, ſeu *Diaconi Cardinales*. Igitur diaconi tanti honoris, ac dignitatis capaces in Hierarchia, & ſacro principatu locum obtinent, non parem tamen, ſed ſubjectum, atque inferiorem presbyteris.

Opp. 1. Actorum VI. 2. legitur ſeptem diaconos conſtitutos fuiſſe, quoniam æquum non erat, ut Apoſtoli derelinquerent *verbum Dei*, & miniſtrarent *menſis*: ibique narratur *murmur Græcorum adverſus Hebræos*, cujus occaſione diaconi conſtituti fuerunt, ut utriuſque nationis viduis in miniſterio æqua pars oblatarum eleemoſynarum diſtribueretur. Itaque diaconi illi electi duntaxat fuere *menſarum, viduarumque miniſtri*. Atque id Patres docuerunt; nam S. Hieronymus laudata ad Evangelum epiſtola, *Quis patiatur*, inquit, *ut menſarum & viduarum miniſter ſupra eos tumidus ſe efferat, ad quorum preces corpus Chriſti, ſanguiſque conficitur?* Chryſoſtomus Hom. XIV. in Acta ſentit ſeptem illis diaconis non ſacrum aliquod miniſterium demandatum fuiſſe, ſed functionem laicam ſubminiſtrandi viduis quotidianum alimentum; ut lib. VI. Bibl. ſanctæ Adnot. 225. animadvertit Sixtus Senenſis. Afferuntur præterea Chryſoſtomi verba canone XVI. Trullano

ubi

Digitized by Google

ubi recitatis quæ leguntur Act. 6, verba iſta ſubjiciuntur: *Hæc interpretans Eccleſiæ doctor Joannes Chryſoſtomus ſic proſequitur: Eſt opera pretium admirari, quomodo non eſt ſciſſa multitudo in virorum electione, quomodo non ſunt ab ipſis rejecti & reprobati Apoſtolis. Quamnam autem habebant hi auctoritatem, & quam acceperunt ordinationem, ſcire eſt neceſſarium. Numquid diaconorum? Atqui hoc non eſt in Eccleſiis. An presbyterorum diſpenſatio? Atqui nullus adhuc erat Epiſcopus, ſed ſoli Apoſtoli. Unde nec diaconorum, nec presbyterorum nomen exiſtimo apertum eſſe ac manifeſtum.* His verbis productis Synodus eamdem ſententiam amplectitur, ſubjicitque: *Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti ſeptem diaconi non de iis accipiantur, qui myſteriis ſerviunt, ut eſt prius expoſita doctrina; ſed eos eſſe quibus fuit concredita ac tradita diſpenſatio communi eorum uſui, qui tunc collecti fuerant.* Œcumenius item eidem ſententiæ ſubſcribens inquit pag. 54. *Electos credunt diaconos, non juxta gradum qui nunc eſt in Eccleſia, ſed διακόνους, ideſt, miniſtros.* Inſuper diaconatum non eſſe ſacramentum a Chriſto inſtitutum, ſed Eccleſiaſticum miniſterium ab Apoſtolis in Eccleſiam inductum affirmat Cyprianus epiſt. 65. ad Rogatianum pag. 244. hiſce verbis: *Meminiſſe autem diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit; diaconos autem poſt adſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros.* Ad hæc ex Epiſtola Vigilii Romani Pontificis ad Ruſticum & Sabaſtianum, quæ habetur Collatione vii. Synodi v. apparet aliquos diaconos ad tempus conſtitui, quemadmodum idem Sabaſtianus diaconus a Romano Pontifice creatus eſt, abſentibus diaconis Stephano & Anatolio. Unde infertur Diaconatum non eſſe ſacramentum permanens, ſed amovibilis adminiſtrationis deputationem. Tandem Diaconatum non eſſe *ſacrum Ordinem* inde probatur, quod permulta diaconorum munia etiam a non diaconis exerceantur.

Reſp. ad 1. occaſione quidem murmuris Græcorum ſeptem diaconos fuiſſe electos, iiſque viduarum curam, menſarumque communium directionem fuiſſe commiſſam, ſed ſimul inauguratos illos fuiſſe miniſtros ſacros; quod ſupra ex manuum impoſitione, ac Spiritu ſancto verborum prolatione collato, atque ex officiis, quæ iidem diaconi obierunt, fuit demonſtratum. Adde modo in publicis fidelium conventibus diſtributam fuiſſe Euchariſtiam, quod non obſcure colligitur ex Apoſtolo in prima ad Corinth. cap. xi. ideoque oportebat, ut iiſdem diaconis menſarum præſidibus divinorum myſteriorum committeretur diſpenſatio. Etiam eleemoſynæ viduis, ac pauperibus diſtribuendæ, collectæ erant ex fidelium oblationibus dum ſacrificium Euchariſticum immolabatur, die præſertim dominica, ſive, ut eadem epiſtola cap. 16. inquit Paulus, *κατὰ μίαν σαββάτων, per unam*, ſeu, *primam ſabbatorum*, qua phraſi Matth. xxviii. 1. commonſtratur dominica dies; nam ubi Latini legunt, *Quæ luceſcit in prima ſabbati*, extat in Græco, *τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων*. Quare & iſtarum eleemoſynarum œconomia demandanda erat altaris obeuntibus miniſteria: ac proinde iis quoque in locis, in quibus fideles non agebant communem vitam, diaconi ab Eccleſiæ primordiis inſtituebantur, qui *collectas* illas cuſtodirent, & pauperibus erogarent. Hæc omnia ex ipſa Actorum lectione inferuntur; ideoque nihil inde adverſus præmiſſas theſes deducitur: tametſi reſponderi etiam poteſt, Lucæ ſacri illius libri Scriptoris conſilium unum fuiſſe occaſionem, qua diaconi ordinati fuere, litteris conſignare, non autem ſacra illorum miniſteria, quæ ad hiſtoriam non pertinebant, & congruum erat, ut eo temporis celarentur, prodere, rerumque geſtarum adtexere narrationi. Quod ſequitur, breviter expeditur: ſiquidem Hieronymus in fine ejuſdem Epiſtolæ aſſerit diaconis ſacrum convenire miniſterium, atque hoc eſſe illos in Eccleſia Chriſti, quod in veteri Teſtamento Levitæ; quos conſecratos fuiſſe, ſeparatos a filiis Iſrael, & electos ad miniſterium obeundum in tabernaculo fœderis, perſpicuum erit legenti libri Numerorum octavum caput. Ad comprimendam ergo diaconorum, qui ſe presbyteris comparabant, impudentiam atque arrogantiam, ſapientiſſimus prudentiſſimuſque Hieronymus objiciens illis infimum adminiſtrationis officium, a quo eximuntur presbyteri, appellat illos *menſarum, viduarumque miniſtros*. Nihil enim deſpectione magis idoneum atque opportunum ad frangendam inſolentiam illam, quæ ubi faſtidioſum hominem inflat, ut quidam ajebat,

Ferre nequit juga, majorem indignata paremque,
Imperia uſurpat, regnique libidine fervet,
Neſcia amicitiæ, rixarum & litis origo.

Chryſoſtomi locum, cum primo aſpectu difficillimus videatur, corruptum exiſtimarunt viri doctiſſimi, ut obſervarunt Eſtius diſt. 24. §. 18. & Sylvius in Q. 37. Supplem. art. 2. quæſt. 3. At in Græcis aperta eſt lectio, quæ pag. Commel. edit. 545. ad hunc modum ſe habet: *Quantam autem dignitatem habuerint hi, & qualem acceperunt ordinationem, neceſſarium erit diſcere. Numquid eam, quæ eſt diaconorum? & profecto hoc in Eccleſiis non eſt; ſed presbyterorum eſt hæc diſpenſatio, tametſi nullus adhuc eſſet Epiſcopus, ſed Apoſtoli ſoli: unde neque diaconorum, neque presbyterorum nomen eſſe, opinor perſpicuum & evidens: ſed interea in hoc fuerunt ordinati*, ὁ ποῖον δὲ ἄρα ἀξίωμα εἶχον οὗτοι, καὶ ποίαν ἐδέξαντο χειροτονίαν, ἀναγκαῖον μαθεῖν. ἆρα τὴν τῶν διακόνων; καὶ μὴν τοῦτο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ τῶν πρεσβυτέρων ἐστὶν οἰκονομία. καίτοι οὐδέπω οὐδεὶς ἐπίσκοπος ἦν, ἀλλ' οἱ ἀπόστολοι μόνοι. ὅθεν οὔτε διακόνων, οὔτε πρεσβυτέρων οἶμαι τὸ ὄνομα εἶναι δῆλον καὶ φανερόν. ἀλλὰ τέως εἰς τοῦτο ἐχειροτονήθησαν. Affirmat itaque Chryſoſtomus, initio *quoad nomen*, non fuiſſe inter Epiſcopos, presbyteros, & diaconos apertum diſcrimen, omneſque appellatos fuiſſe ſacros miniſtros, horum tamen extitiſſe *Ordinationes*; quæ interim peragebantur, ut formata paullatim Eccleſia ſuus unicuique gradus conſiſteret. Enimvero Chryſoſtomus caute *nomen* appoſuit, dixitque tunc non extitiſſe diaconos, nec Epiſcopos, *interea* tamen peractas fuiſſe illorum *Ordinationes*. Ut ergo erant ab initio quantum ad *characterem*, & *ordinem* Epiſcopi, ita erant & diaconi: atque id Chryſoſtomus abſque ulla ambiguitate teſtatur homilia xi. in Epiſt. 1. ad Timoth. immo eadem Hom. xiv. in Act. eademque pagina ſacram *Ordinationem* diaconorum non obſcure delineat, ut diximus paullo ſupra. Obſervo autem in Synodo Trullana prætermitti poſtrema Chryſoſtomi verba, *ſed interea in hoc fuerunt ordinati*. Eadem præterierunt Sixtus Senenſis, & quotquot Chryſoſtomi locum ſiniſtra interpretatione acceperunt. Quare Sixtus auctoritate Chryſoſtomi haud invicta Cajetanum a Catharini acuto, pungentique ſtilo tutatur; manetque Thomæ Cajetano unius Œcumenii nudum ac miſerrimum patrocinium. Atque hinc patet quid ad præcitatum Quiniſextæ Synodi canonem ſit reponendum; nullius quippe ponderis æſtimandum eſt, cum nitatur falſæ verborum Chryſoſtomi interpretationi, & hanc ulterius tradi teſtatur adverſus *doctrinam antea expoſitam*, τὴν προαποδοθεῖσαν διδασκαλίαν. Nunc vero pauciſſimis ea expediam, quæ remanent. Nam Cyprianus ait tantum Chriſtum non conſecraſſe diaconos, ſed iſtos ab Apoſtolis fuiſſe conſtitutos, ut cujuſdam diaconi adverſus Epiſcopum inſurgentis reprimeret audaciam. Vigilius non de *Ordinis charactere* loquitur, ſed de *officio*, & *loco*: Sebaſtianum enim, qui adverſus *Judicatum* ſuum in Italia, & in Africana provincia obloquebatur, ea lege ad diaconatum promoverat, ut in officio contineretur; cumque ingenio ſuo indulgens ad ſecundum Conſtantinopolitanum Concilium profectus rurſus diſſidia excitaſſet, merito a Vigilio a diaconorum gradu, & a hierarchiæ honore dejectus fuit. Denique non repugnat aliqua *Ordinum* miniſteria a non ordinatis exerceri, & quæ ab initiatis jure proprio peraguntur, ab aliis fieri aut indulgentia paſtorum, aut Eccleſiarum neceſſitate: quanquam ſunt munia quædam ita diaconis commiſſa, ut nulla ratione non diaconis permittantur, ideſt, legere in Miſſa Evangelium, tangere vaſa ſacra, quæ actu Euchariſtiam continent, ipſam Euchariſtiam aliquo in caſu diſtribuere, & conferre ſolemni ritu baptiſmum. At de præmiſſis oppoſitionibus ſatis, ſatiſque de Diaconatus Ordine diximus.

CAPUT VII.

In quo de Diaconiſſis breviter & ſummatim diſſeritur.

CApite hujus libri ſecundo mentionem feci *Diaconiſſarum*, advertens eo vocabulo non ſignificari tantum uxores diaconorum, quemadmodum appellatas legimus *ſubdiaconiſſas, presbyteras, & epiſcopas*, hypodiaconorum, ſacerdotum, & Antiſtitum conjuges; verum & pudicas quaſdam, honeſtaſque mulieres certis in Eccleſia miniſteriis addictas. De quibus, ne forte ſacramento *Ordinis* initiatæ credantur, maxime quod in Pontificalibus Codicibus illarum *Ordinationis & conſecrationis* ritus comprehenditur, neceſſario agendum eſt ſigillatim. Diaconiſſarum itaque in Eccleſia antiquiſſima eſt inſtitutio. Apoſtolus enim in Epiſtola ad Romanos initio cap. xvi. inquit: *Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*: ubi Græcus textus expreſſius, Phœben διάκονον τῆς ἐκκλησίας, *Diaconam Eccleſiæ*, ideoque Græci in *Ordinatione* Diaconiſſæ ita Deum orant, *Largire huic ancillæ tuæ, quæ vult ſeipſam tibi conſecrare, & miniſterii diaconici munus adimplere, gratiam*, ὡς ἔδωκας τὴν χάριν τῆς διακονίας σου Φοίβῃ, ἣν ἐκάλεσας εἰς τὸ ἔργον τῆς λειτουργίας, *ſicut largitus es Phœbæ, quam vocaſti ad opus adminiſtrationis*. Videntur etiam ad miniſterium aliquod Eccleſiaſticum deputatæ illæ viduæ, quas idem Apoſtolus in 1. ad Timoth. v. jubet ut eligantur monogamæ, & ætate grandævæ. Lego tamen in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 3. cap. 7. pag. 281. viduas illas etiam, quæ publicis eleemoſynis alebantur, ſubjectas fuiſſe τοῖς ἐπισκόποις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς διακόνοις, ἔτι μὴν καὶ ταῖς διακόνοις, *Epiſcopis, presbyteris, diaconis, inſuper & diaconiſſis*. In iiſdem autem Apoſtolicis Conſtitutionibus occurrit diaconiſſarum frequens mentio lib. ii. cap. 28. ubi appellantur πρεσβύτιδες, lib. iii. cap. 10. & 15. lib. vi. cap. 17. atque lib. viii. cap. 20. Earumdem meminit S. Ignatius in epiſtola ad Smyrnæos, illas vocans τὰς παρθένους τὰς λεγομένας χήρας, *Virgines, quæ dicuntur viduæ*, virgines ſcilicet ob continentiæ propoſitum, ac viduæ ob

ordi-

Digitized by Google

ordinem, in quem erant adlectæ. Mentio iiſdem illarum habetur in epiſtola ad Antiochenos aſſicta ipſi Ignatio, apud Tertullianum lib. 1. ad uxorem cap. 7. & de velandis Virginibus cap. 9. Baſilium cap. 44. ad Amphilochium, canonem XIX. Concilii Nicæni, XV. Chalcedonenſis, XIV. Trullani, XI. Laodiceni: de quibus vide I. B. Cotelerium in præcitatam Ignatii Epiſtolam, Joannem Morinum p. 3. Exercit. 10. & Lupum in Canones Chalcedonenſes pag. 572. & ſeq. ubi quæſtiones, quæ de Diaconiſſis moveri poſſunt, ſumma eruditione, & perſpicuitate proponit ac ſolvit.

Negari non poteſt diaconiſſas aliqua ſacra ceremonia fuiſſe initiatas: in Conſtitutionibus namque Apoſtolicis lib. VIII. cap. 20. pag. 408. legitur, *ἐπίκλησις ἐπὶ χειροτονίας διακονίσσης*, *Invocatio in Ordinatione diaconiſſæ*, in qua electa dicitur *ad miniſterium*, *εἰς διακονίαν*, eique Pontifex apprecatur gratiam, quam habuere Maria, Debora, Anna, & Holdam. Præmittitur eo loci Conſtitutio Bartholomæi, *De diaconiſſa vero Bartholomæus conſtituo: Epiſcope, impones ei manus, ἐπιθήσεις αὐτῇ τὰς χεῖρας*, &c. In Pontificali, & Euchologio Græcorum habetur ritus ejuſdem Ordinationis, in qua non tantum diaconæ caput inclinanti Epiſcopus *ἐπιτίθησι τὴν χεῖρα*, *imponit manum*, recitans orationem paullo ante commemoratam; verum etiam *περιτίθησι τῷ τραχήλῳ αὐτῆς ὑποκάτωθεν τοῦ μαφορίου τὸ διακονικὸν ὠράριον*, *circumponit collo ipſius ſubtus maphorium ſtolam diaconalem*. Eſt autem *Maphorium*, ut p. 1. pag. 219. Morinus explicat, ſacratarum virginum pallium. Truſſana inſuper Synodus canone XL. mandans, ne diaconiſſa juxta ſacros canones ordinetur ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum (quod ſancitum fuerat in Synodo Chalcedonenſi canone XV.) eamdem Ordinationem, de qua loquimur, præſupponit. Hoc præterea Ordine apud Græcos inauguratas legimus Theoſebiam uxorem S. Gregorii Nyſſeni, Olympiadem præſtantiſſimam honeſtiſſimamque feminam, in diaconiſſarum numerum cooptatam ab Epiſcopo Conſtantinopolitano Nectario, aliaſque eximiæ probitatis mulieres, de quibus pag. 574. illuſtris Lupus. Extant & apud Latinos ejuſdem Ordinationis veſtigia plurima, in Antiquo Ordine Romano, in veteri Pontificali Salisburgenſis Eccleſiæ, & in altero Toloſano, apud Tertullianum de Velandis Virginibus prælaudato capite nono, &c.

Hanc vero diaconiſſarum *Ordinationem* non fuiſſe initiationem aliquam Sacramentalem apertiſſimæ argumentationes evincunt. Ad nullum enim altaris miniſterium conſecrabantur. In Epiſtola ad Antiochenos num. 12. & lib. VIII. Conſtitut. Apoſtol. cap. 20. nominatas legimus *τὰς φύλακας τῶν ἁγίων πυλώνων*, *Cuſtodes ſanctarum januarum*, earum ſcilicet, unde feminæ ingrediebantur in templum lib. 3. cap. 15. electæ tantummodo dicuntur *εἰς τὰς τῶν γυναικῶν ὑπηρεσίας*, *ad mulierum miniſteria*, nempe ad denudandas mulieres ſacro baptiſmatis lavacro abluendas, ut diximus tom. III. pag. 267. atque ad faciendas exhortationes junioribus, ad quas congruum non erat, ut diaconi accederent. Eodem Opere Conſt. Apoſtol. lib. 2. cap. 26. aſſeritur ad diaconas pertinuiſſe honeſtatis decoriſque cauſa præſentes eſſe, quotieſcunque mulieres ad Epiſcopum eſſent introducendæ. Illarum itaque *ordinatio* ad evitanda ſcandala, ſervandamque fidelium exiſtimationem inſtituta fuit, non in gratiam divinorum myſteriorum. Idem aſſeritur a S. Epiphanio hæreſi 79. quæ eſt Collyridianorum, nu. 3. ubi inquit: *καὶ ὅτι μὲν διακονισσῶν τάγμα ἐστὶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἀλλ' οὐχ εἰς τὸ ἱερατεύειν*, *Quamquam vero diaconiſſarum Ordo ſit in Eccleſia, non tamen ad ſacram aliquam functionem fuit inſtitutus*: atque in Expoſitione Fidei nu. 21. *Διακόνισσαι δὲ καθίστανται εἰς ὑπηρεσίαν γυναικῶν μόνον, διὰ τὴν σεμνότητα*, *Diaconiſſæ autem adhibentur in miniſterium mulierum tantummodo, propter honeſtatem*. Addit S. Epiphanius priori in loco rationem depromptam ex Epiſt. I. ad Corinth. XIV. 34. ubi prohibentur mulieres in Eccleſia loqui, unde infert illas ad ſubeunda Eccleſiaſtica munia eſſe prorſus ineptas. Prætermitto canonem XIX. Nicænum, quem Latinus interpres reddidit, *Meminimus autem de Diaconiſſis, quæ in eodem habitu eſſe probantur, quod non habeant manus impoſitionem, & ideo modis omnibus eas inter laicas deputari*. Etſi enim quidam hinc inferunt, diaconiſſas nunquam fuiſſe priſcis ſæculis impoſitione manuum inauguratas, atque idcirco illarum *Ordinationem* non fuiſſe ſacramentalem; veriſſima eſt tamen interpretatio Joannis Morini cit. Exercit. X. cap. 2. n. 14. & Chriſtiani Lupi in canones Nicænos pag. 82. accipiendum eſſe eumdem canonem de Diaconiſſis Paulianiſtarum quæ habitum quidem, palliumque, aut velamen ſacrarum mulierum geſtabant, ſed juxta Catholicæ Eccleſiæ diſciplinam non erant ab Epiſcopis adlectæ, & *χειροτονίᾳ* conſecratæ. Nam de Paulianiſtis ad Eccleſiam redeuntibus canon expreſſe agit, & Græce ad hunc modum conſcriptus legitur. *Ἐμνήσθημεν δὲ τῶν διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσι, ὥστε ἐξάπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι*, *Meminimus autem Diaconiſſarum, quæ in habitu deprehenſæ ſunt, ut cum impoſitionem aliquam manuum non habuerint, omnino inter laicos recenſeantur*. Perperam ergo auctoritate hujus canonis quidam *Ordinationem* Diaconarum, quam tot monumenta confirmant, expungere ſtuduerunt. Media incedendum eſt via, ita, ut illarum *Ordinatio* non negetur, negetur tamen fuiſſe *ſacramentalem*. Enimvero manus impoſitio eſt ritus ſacramenti *Ordinis*, ſi adhibeatur ad conferendam poteſtatem Eccleſiaſtici miniſterii: a quo mulieres arceri tum dicta demonſtrant, tum canon XLIV. Laodicenus, & Gelaſius in litteris ad Epiſcopos Lucaniæ & Siciliæ: de qua re agendum eſt iterum. Si quis autem alia ad Diaconiſſas pertinentia ſcire deſiderat, perlegas ſex quæſtiones ab eruditiſſimo Lupo pertractatas in ſcholio ad XV. canonem Chalcedonenſem, & prælaudatæ Exercitationis Cl. Morini tria capita: nos enim quod inſtituti noſtri erat, perſolvimus.

CAPUT VIII.

De ſacro Presbyteratus Ordine, ejuſdemque poteſtate.

Πρεσβύτερος, *Presbyter*, comparativum eſt vocaboli *πρέσβυς ſenex*, unde idem ſignificat, ac latinum *ſenior*, & aliquando ætatis nomen eſt, aliquando autem muneris ac dignitatis: nam ad honores, & graviora munia hi ſolent eligi, qui ætate, rerumque gerendarum experimento ceteris antecellunt. Ita Romani prudentiores patres ad rempublicam moderandam adductos *ſeniores* dixerunt, horumque Concilium *ſenatum*: quare Claudianus de VI. Honorii Conſulatu,

Geſtarum Patribus cauſas ex ordine rerum
Eventuſque refert, veterumque exempla ſecutus
Digerit imperii ſub judice facta Senatus.

Errant idcirco tum qui ſacerdotes intelligunt ubicunque *Presbyteri* nomen occurrit, tum qui *presbyteros* eos tantum cenſent, qui ætate ac jure magiſtratus præcellunt. In illorum numero ſunt interpretes, alioqui doctiſſimi, qui de Eccleſiaſticis tantum viris accipiunt quod legimus Judith VIII. 9. *Miſit ad presbyteros Chabri, & Charmi*, & Eccleſ. IV. 7. *Presbytero humilia animam tuam*: nam in priori loco habetur vox זְקֵנִים, *zekenim*, qua ſenes omnes, uti & improbi inſidiatores Suſannæ, lingua appellantur hebraica; ſecundo autem in loco patet de Magnatibus ſermonem fieri. Decipiuntur ex alia parte heterodoxi putantes in Evangelica lege illos omnes, qui dicuntur *presbyteri*, eſſe majores ætate, nulla ſacramentali *Ordinatione* a laicis diſcretos, atque ad nullum aliud miniſterium, niſi verbi, manuum impoſitione ſegregatos atque delectos. Hos autem, quamquam priori capite confutati ſunt, nunc rurſus oppugnaturi, præmittimus verba Iſidori lib. VII. Orig. cap. 12. *Presbyter Græce, Latine ſenior interpretatur, non pro ætate, vel decrepita ſenectute, ſed propter honorem ac dignitatem*: quæ verba habentur quoque apud Grat. diſt. 21. cap. *Cleror*. Ordinantur vero presbyteri apud Latinos non tantum impoſitione manuum, verum etiam porrectione calicis cum vino, & patenæ cum pane, quam porrectionem eſſe Ordinis hujus *materiam* docet in Inſtruct. Armeniorum Eugenius IV. Quoniam tamen Orientales Eccleſiæ materia hac non utuntur, variantque etiam in aliis *Ordinibus* conferendis, opus eſt, ut de ſacrarum *Ordinationum* materia diſtincto capite pertractetur. De Presbyterorum munere atque officio ita Pontificale Romanum: *Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare*. At inter presbyterorum munia præcipua duo ſunt, immolare Deo ſacrificium, & a peccatis abſolvere; nec deſunt viri graviſſimi qui cenſent ad hoc duplex munus conferri duplicem poteſtatem, & *characterem*, adeo ut in una presbyterorum *Ordinatione* partiales duæ comprehendantur: ita ſentiunt Bellarminus de Ordine cap. 9. Eſtius in diſt. 24. §. 20. Vanroy cap. 3. q. 1. Pierre q. 5. aliique viri percelebres.

PROP. I. Ordo Presbyteratus eſt proprium legis Evangelicæ Sacramentum.

Hanc propoſitionem probant omnia argumenta capitis primi, maxime vero illa, quæ adſtruunt vel auctoritate, vel ratione, vel gentium univerſarum exemplo myſticam eorum, a quibus Numini offerri debet ſacrificium, inaugurationem atque conſecrationem. Demonſtratur deinde theſis ex quo in *Ordinatione* ſacerdotum adſit materia, ſive ſit inſtrumentorum porrectio, ſive *χειροτονία*, ſive utrumque; nec deſit verborum forma; & ſpiritalis poteſtas per illam tribuitur, ut mox explicabo. Rurſus inauguratio presbyterorum exprimitur in Actibus Apoſtolicis ea phraſi, qua Concilia, Patreſque docent deſignari Sacramentalem initiationem. Act. enim XIV. 23. legitur, *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus*, &c. *Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν*, quo in loco habes *χειροτονίαν*, preceſque Apoſtolicas. Deinde Florentina Synodus, poſteaquam ait Ordinem eſſe *ſextum* in Eccleſia *ſacramentum*, immediate de presbyteratu pertractat: ac Tridentina ſeſſ. 23. cap. 1. docet ſacrificium & ſacerdotium divina ordinatione conjuncta eſſe, ita, ut qui ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium agnoſcit, *externum quoque & viſibile ſacerdotium* debeat fateri, & can. 2. ejuſdem ſeſſionis definit, ſacerdotium inter *Ordines* principem locum tenere, & ad illud, tanquam ad perfectiorem finem, tendere *Ordinationes* inferiores; canone autem tertio anathemate

mata ferit hæreticos affirmantes *Ordinem*, *ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutam*. Poſtremo nil habent quod obtrudant infenſiſſimi Eccleſiæ hoſtes, niſi quod fideles omnes ab Apoſtolorum Principe, & a Joanne in Apocalypſi, nomine ſacerdotum cohoneſtantur: hæc vero, ut cap. 1. libri hujus, aliiſque in locis ibidem recenſitis oſtendi, adeo fracta & elumbis argumentatio eſt, ut de illa me pudeat iterum verba fundere.

PROP. II. Non confertur Sacerdotalis *Ordo* propter ſolum miniſterium verbi, ſed ulterius, & quidem præcipue propter ſacrificium ſupremo Domino etiam in nova lege offerendum.

Sequitur hæc theſis ex dictis lib. XXXIII. cap. 13. & cap. 19. ubi demonſtravimus dari in novo Teſtamento ſacerdotes, ad quos pertinet Euchariſtiam conſecrare & conficere, eamque jugi ſacrificio offerre Domino. Ratio autem potiſſima illa eſt, quod Chriſtus Jeſus in Cœna poſtrema Euchariſticis ſymbolis conſecratis, Apoſtolis, quos tum, ſicut definit ſeſſ. XXII. Tridentinum, *novi Teſtamenti ſacerdotes* conſtituit, ut idem, quod a ſe factum viderant, ipſi agerent, mandavit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; de quo loco eum permulta utroque in capite dixerim, addam Hieronymi Vidæ metricam pulcherrimamque interpretationem,

Sic facite, & poſt hæc ſervate in ſæcula morem,
Et ſacris moniti jam nunc aſſueſcite menſis;
Nam quoties hæc verba meo mea nomine dicti
Nota ſuper ſanctis repetetis frugibus ore,
Ipſe adero, totoque epulis ſubito inſerar almis
Corpore, viſceribuſque meis, & ſanguine opimo
Excipiam lætus, veteris ſolamen amoris.

Idem conſtat ex ritu, quo apud Latinos, Græcoſque presbyteri inſtituuntur, nam apud nos Epiſcopus air initiatu; *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrare, &c.* apud Orientales vero, *Ipſe Domine hunc, quem presbyterii gradum ſubire, & adipiſci voluiſti, reple dono ſancti tui Spiritus, ut dignus fiat ſine crimine & querela aſſiſtere altari tuo, prædicare Evangelium ſalutis tuæ, offerre tibi dona & ſacrificia ſpiritalia, & renovare populum tuum per lavacrum regenerationis.* αὐτὸς κύριε τοῦτον, ὃν εὐδόκησας τὸν τοῦ πρεσβυτερίου ὑπεισελθεῖν βαθμόν, πλήρωσον τῆς τοῦ ἁγίου σου πνεύματος δωρεᾶς, ἵνα γένηται ἄξιος παρεστάναι ἀμέμπτως τῷ θυσιαστηρίῳ σου, κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας σου, ἱερουργεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας σου, προσφέρειν σοὶ δῶρα καὶ θυσίας πνευματικάς, ἀνακαινίζειν τὸν λαόν σου διὰ τοῦ λουτροῦ τῆς παλιγγενεσίας, quæ verba notanda ſunt propter proximam poſitionem. Præterea S. P. Auguſtinus epiſt. 21. ad Valerium, alias 148. n. 3. lib. 2. contra Creſconium Gramm. cap. 11. aliiſque in locis docet presbyteri officium non eſſe prædicare duntaxat verbum Dei, verum & *ſacramenta* conficere & miniſtrare: atque Carthaginenſis IV. Synodus, cui idem S. P. interfuit, canonem hunc edidit tertium ac triceſimum: *Epiſcopi, vel presbyteri, ſi ad alterius Eccleſiam venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem conſecrandam invitentur.* Denique ſuadetur hæc veritas tum definitione Tridentini Concilii, tum ratione apertiſſima. Sacroſancta enim Synodus ſeſſ. XXIII. can. 1. damnat aſſerentes ſacerdotium eſſe *nudum miniſterium prædicandi Evangelium*: atque apparet ex præmiſſis diſputationibus, etiam in hæreticis, atque in his, qui plebem non regunt, aut illam falſa doctrina decipiunt, *ſacramentum Ordinis permanere*: quo inſuper *Ordine* condecorantur Monachorum quamplurimi æte ad ſacerdotium promoti, nullaque regendorum populorum cura gravati. Id magis illuſtrabunt quæ poſtea dicentur *de Ordinis charactere*.

PROP. III. Confertur in ſacra *Ordinatione* presbyteris etiam facultas abſolvendi a peccatis, atque hæc retinendi.

Ita definit præcitato canone primo ſacroſancta Synodus Tridentina. Haud ſecus deducitur ex poteſtate judiciaria, qua præditi ſunt ſacerdotes, & de qua prolixe egi diſputatione præcedenti cap. VII. prop. 2. Petitur alia ratio ex ritu *Ordinationis* apud Latinos; Epiſcopus enim ordinatis manum prope Miſſæ finem rurſus imponens ait, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, &c.* in qua ceremonia quum habeatur materia, ſcilicet, manuum impoſitio, & forma, ideſt, verborum illorum pronunciatio, agnoſcunt Theologi ſapientiſſimi, quos paullo ſupra commemoravi, poteſtatem & *characterem* diſtinctum a poteſtate & *charactere* collato presbyteris, dum conſecrandi, & ſacrificium offerendi auctoritatem accipiunt; ideoque & hanc *Ordinationem* eſſe ſacramentum omnibus ſuis partibus conſtans iidem auctores propugnant. Cujus aſſertionis Cl. Eſtius has rationes producit. Primum, inquit, in *Ordinatione* confertur illa poteſtas, quæ verborum formula exprimitur; ideoque verbis, quibus ſignificatur poteſtas offerendi ſacrificium, non datur poteſtas alia remittendi ac retinendi peccata, cujus poteſtatis ſignificationem habent ſola poſtrema verba, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris, &c.* Deinde hæc eadem ſententia traditur a Catechiſmo Romano p. 2. cap. 7. n. 25. Ulterius Chriſtus utramque poteſtatem ſeparavit, unam ante paſſionem, alteram vero poſt reſurrectionem Apoſtolis elargitus. Eadem fere Bellarminus cit. cap. 9. ubi hujus duplicis poteſtatis præſidio nititur ad concordiam revocare ſententiam, quæ conſtituit materiam hujus *Ordinis* in ſacrorum inſtrumentorum traditione, cum alia ſententia, quæ eamdem materiam locat in impoſitione manuum, affirmans per priorem materiam tradi poteſtatem ſacrificandi, & presbyterum ordinari ad myſticam oblationem; per aliam autem materiam ordinari ad poteſtatem ſolvendi retinendique peccata. Subſcribit Bellarmino Leonardus Vanroy citato in loco, ſubſcribit Sylvius in q. XXXVII. Supplem. art. 2. ſubſcribunt viri alii clariſſimi ab eodem Sylvio commemorati. Sed paullulum hac in re fluctuo: enimvero impoſitionem manuum & ego in ſacerdotum *Ordinatione* neceſſariam eſſe propugno; at ſi hæc ſtatuatur χειροτονία tantum illa, quæ in fine Miſſæ adhibetur, jam ſacerdos ad ſacrificium, quod eſt actus *Ordinis* ſui præcipuus, abſque manus impoſitione ordinatus erit, quod puto falſiſſimum. Deinde Orientales in Presbyterorum *Ordinationibus* nequaquam exprimunt poteſtatem peccata ſolvendi retinendique, ſed exercendi ea munia tantummodo quæ in parte Pontificalis ſuperius conſulto exſcripta narrantur; & nihilominus unica ſacræ *Ordinationis* ceremonia utramque accipiunt poteſtatem, alioqui non poſſent Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare, & impendere pœnitentibus abſolutionem. Inſuper juxta doctrinam S. Thomæ q. XXXVII. Supplem. art. 4. ideo ſacerdos eſt miniſter *baptiſmi, Pœnitentiæ, & unctionis extremæ*, quoniam *purgare a peccatis* eſt diſpoſitio ad ſacramentum Euchariſtiæ, quam conficere & offerre eſt munus presbyteri præſtantiſſimum. Ut ergo in presbyterum conſecratus cum poteſtate offerendi ſacrificium, baptizandi, & inungendi infirmos auctoritatem nanciſcitur; ita poteſt eam *ordinationem*, poteſtatemque recipere, quæ requiritur ad ſolvenda admiſſorum ſcelerum vincula. Aut ergo poſtrema impoſitione manuum, tanquam accidentaria ceremonia, confirmatur, exprimitur, & declaratur peculiaris poteſtas in *eſſentiali* Ordinationis ritu *implicite* collata, (quod minime repugnat Dominum Jeſum cum Apoſtolis præſtitiſſe,) aut ſaltem quod Latini duplici, ac ſeparato ritu perficiunt, id Græci unica adimplent initiatione, in qua idcirco verba illa pronuntiant, πλήρωσον τῆς τοῦ ἁγίου σου πνεύματος δωρεᾶς, *Reple ſancti Spiritus tui dono, &c.*

CAPUT IX.

Demonſtratur Epiſcopatum eſſe Ordinem, *propriique nominis ſacramentum.*

Ἐπίσκοπος, *Epiſcopus*, ab ἐπὶ *ſuper*, & σκοπέω, *conſidero*, aut *ſpecolor*, nomen trahens, idem eſt, ac *ſuperinſpector, & ſpeculator*. Recte itaque ac ſapienter in lib. XIX. de Civ. Dei Doctor Maximus Auguſtinus, *Epiſcopatus nomen eſt oneris, non honoris. Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam eorum ſcilicet gerens.* Habetur & in Veteri Gloſſario apud Du-Cangium, *Epiſcopus Viſitator, ſuperſpectator, ſpeculator*. Epiſcopi proinde nomine appellabatur in veteri Teſtamento is, qui Levitis præerat, ut 2. Eſdræ XI. 22. juxta Græcos, Latinoſque Codices Azzi filius Bani; ibique in Hebræo extat פקיד, Pakid, *Viſitator*. In Pſalmo item CVIII. 8. de Doeg Idumæo, & ſenſu myſtico de Juda proditore legitur, *Et epiſcopatum ejus accipiat alter*; ubi Græcus habet τὴν ἐπισκοπὴν, & Hebræus פקדה, *Pekudach*. Dominum quoque Apoſtolus Petrus 1. Ep. II. 25. appellavit animarum noſtrarum *Paſtorem & Epiſcopum*. Jure igitur meritoque ii, qui in Eccleſiaſtica Hierarchia ceteris præponuntur, inſigniti ſunt honeſtiſſimo ampliſſimoque nomine Epiſcoporum. Hi ſacra & myſtica ceremonia ad ſacerdotii apicem promoventur, impoſitione manuum, verborum forma, atque juxta Latinum ritum unctione etiam Chriſmatis, quo per totam coronam capitis deliniuntur: quapropter quæſtio a Theologis inſtituitur, num ipſa presbyteri in Epiſcopum *Ordinatio* propriam *Ordinis*, atque ſacramenti rationem habeat.

Epiſcopatum ergo ſacramentum non eſſe tradiderunt antiquiorum permulti, Hugo Victorinus, Magiſter, S. Thomas, S. Bonaventura, & alii plerique laudati ab Eſtio in diſt. 24. §. 28. & a Morino 3. p. Exercit. 3. n. 6. Etenim aſſeruerunt hoc nomen *Ordinis* accipi poſſe duplici ſenſu, ampliori uno, quo intelligitur ſpiritualis poteſtas, non juriſdictionis tantum, ſed etiam ſacrarum quarumdam actionum, v. g. conficiendi chriſma, inungendi frontes baptizatorum, ſacroſque Eccleſiæ miniſtros initiandi, quo ſenſu Epiſcopatum eſſe *Ordinem* res eſt apertiſſima; & ſignificatione alia peculiari & preſſiori, juxta quam *Ordo* eſt ſacramentum propter Euchariſtiam conſecrandam & offerendam a Chriſto inſtitutum, & hujus officii gratia poteſtatem & characterem impertiens; atque in hac acceptione, quoniam poteſtate conſecrandi & offerendi immaculatam divinamque hoſtiam amplior aut ſublimior nulla alia confertur, Epiſcopatum titulo, & honore *Ordinis* nequaquam frui. Fuerunt deinde quamplurimi, qui etſi affirmarunt Epiſcopali *Ordinatione* non imprimi novum, & a

pres-

Digitized by Google

presbyteratus ſignaculo diſtinctum characterem; docuerunt tamen in *Ordinatione* ipſa characterem presbyteratus intendi magis, perfici, atque ad munia alia ampliari, eo ferme pacto, quo character presbyteri per poſtremam manuum impoſitionem extendi ad poteſtatem ſolvendi & retinendi peccata, propugnant aliqui Theologorum, ex eorum numero, qui in presbyteratu perfici duas *Ordinationes* exiſtimant. Hujus autem generis ſacramentum eſſe *Ordinem* Epiſcopatus putant Paludanus, Vaſquez, Gamachæus, & alii apud Morinum cit. Exercit. num. 10. & 11. necnon Fridericus Gavardi, Argentinas, Gibbon, aliique noſtratium: qui propterea inquiunt Epiſcopatum eſſe quidem *Ordinem*, ac ſacramentum, ſed ab *Ordine* ſacerdotali non diſtingui, niſi prout perficiens ſecernitur a perfectibili, ſit in exemplo intenſior qualitas, aut ſcientiæ habitus de una ad alteram ratiocinationem procedens. Viri denique ſapientiſſimi tenent Epiſcopatum & ſacramentum eſſe, & ab Ordine Presbyteratus omnino diſtinctum; atque id propugnant Joannes Major, Scotus, Cajetanus, Petrus Soto, de quibus citato in loco Bellarminus, & Eſtius: itidem hi duo viri ſummi, ac Sylvius, Meratius, Iſambertus, quorum loca innuit Morinus eadem Exercit. num. 7. Adde JCC. fere omnes apud Emman. Gonzal. tom. 1. in Decret. pag. 420. necnon juniores Theologos, Habertum de Ordine cap. 6. Tournelium q. 6. art. 1. Juenin diſſert. 9. cap. 2. Witaſſe p. 2. q. 1. ſect. 2. cap. 1. Le-Drou lib. e. 1. pag. 379. Vanroy cap. 2. q. 6. Piette q. item 6. &c. His adhæreo, immo arbitror facillimum eſſe oppoſitas iſtas ſententias concordare, ſi Theologice velimus diſſerere, ſuaſque contentiones relinquere vitilitigatoribus philoſophis: mentemque meam ſubjectis poſitionibus adaperiam.

PROP. I. *Ordo* Epiſcopatus eſt ſacramentum, & quidem a Presbyteratu diſtinctus.

Demonſtratur 1. iiſdem ſcripturæ locis, quibus cap. 1. probatum univerſim eſt, *Ordinem* eſſe ſacramentum. Præcipue enim id evincere ſtuduimus verbis Pauli ad Timoth. Epiſtola 1. cap. 4. 14. & epiſt. 2. cap. 1. 6. unde conſtat Timotheum ordinatum fuiſſe *per impoſitionem manuum presbyterii*, ac tali ordinatione ſuperna gratia exornatum. Quo argumento ad hæreticos revincendos Theologi utuntur omnes, immo & Synodus Tridentina ſeſſ. 23. Atqui Apoſtolus loquitur de *Ordinatione* Timothei in Epiſcopum, ut loquit Chryſoſtomus, cujus verba produximus eodem cap. 1. ad 3. opp. & cum Chryſoſtomo Theophylactus, Œcumenius, Anſelmus, S. Thomas, & interpretes alii notæ non infimæ. Itaque aut Epiſcopatus eſt *Ordo*, aut, quod nefas eſt affirmare, *Ordo* non eſt ſacramentum. Vide Eſtium diſt. 24. §. 28. & in utrumque Pauli locum. Hinc deducitur probatio altera ex Tridentino Concilio, cujus laudato cap. 3. hæc ſunt verba: *Cum Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet Ordinem eſſe vere & proprie unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ ſacramentis: inquit enim Apoſtolus, Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.* Eadem ſacroſancta Synodus proximo capite docet *ſacra Ordinatione Epiſcoporum, ſacerdotum, & ceterorum Ordinum* conſtitui *Eccleſiaſticam Hierarchiam*, quam divina Ordinatione inſtitutam definit ſexto ejuſdem ſeſſionis canone. Œcumenica ergo Synodus agnoſcit in Epiſcopatu impoſitionem manuum, quæ eſt ſacræ *Ordinationis* materia, divinam inſtitutionem, ordinationem ſacram, ſupernam gratiam, ſpiritumque virtutis & dilectionis, atque Hierarchiæ principatum. Quid vero neceſſarium ulterius eſt, ut Epiſcopi inauguratio ad dignitatem ſacramenti evehatur? Huic deinde ſententiæ plurimum conſentanea videtur Patrum traditio; ſiquidem omnes inter *Hierarchicos Ordines* tres ſingillatim connumerant, Epiſcopatum nempe, Presbyteratum, & Diaconatum; quos dignitate, officioque diſtinctos eſſe nemo unus Catholicorum inficias ibit. Nullus autem perfecta ratione in Hierarchia conſtituitur, niſi per ſacramentum ſacræ *Ordinationis*; quare electus, ſed nondum conſecratus Epiſcopus, non habet poteſtatem aliquam exercendi ea, quæ ſunt *Ordinis*, etiamſi confirmatione accepta valeat juriſdictionem exercere, prout conſtat ex cap. *Transmiſſam*, de Elect. & Electi poteſtate, atque nunquam *Epiſcopus*, ſed tantummodo *Electus*, in quibuſvis Romanorum Pontificum Epiſtolis, aut in Canonum collectionibus nominetur; quinimo cap. *Tua nuper*, de iis, quæ ſiunt a Prælatis &c. aperte Electus, & Epiſcopus diſtinguuntur. Cum igitur poteſtas Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conferatur *ſacra Ordinatione*, ſive, ut in Scorpiaco cap. 9. loquitur Tertullianus, *Cum ſacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus ſancti*; negari non poteſt, Epiſcopum ad ſupremum, ac ab aliis diſtinctum Hierarchiæ gradum per ſacramentum Ordinationis adſcendere. Rurſus Patres *Ordinationem* in Epiſcopum expreſſo nomine *ſacramenti* condecorant, præſertim Leo Magnus ſerm. 1. in die anniverſario Aſſumptionis ſuæ, & S. Gregorius lib. 4. in 1. Regum cap. 5. Poſtremo demonſtratur theſis ex eo quod in ſacra Epiſcopatus ordinatione nil prorſus deſideretur, quod ad proprium ſacramentum conſtituendum requiratur. Ac principio Epiſcopi conſecratio haud ſecus, ac ſacræ *Ordinationes* aliæ, *χειροτονία* Græcis, Latinis *Ordo*, aut *manus impoſitio* dicitur; prout evidens eſt ex Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ libris omnibus Euchologicis, ex IV. Canone magnæ Nicænæ Synodi, ex Codice canonum Eccleſiæ Romanæ edito a Queſnello n. 6. ex Antiochenis 17. 18. 19. et præcitatis Tridentini verbis, ex Epiſt. Innoc. I. ad Victricium, & Gelaſii ad Epiſcopos Lucaniæ, atque ex monimentis aliis pluſquam mille. Ii quoque, qui *Ordines* numerant, aut ſeptimo loco, aut octavo *Epiſcopatum* recenſent, Patres Carthaginenſes Concilii 4. Auctor opuſculi de ſeptem Eccleſiæ Gradibus in Appendice Op. Hieronymi, Rabanus Maurus in 1. libro de Clericorum Inſtitut. Simeon Theſſalonicenſis de ſacris Ordinat. cap. 6. aliique Latini, Græcique unanimiter: immo quum in *Ordinibus* enumerandis ſcriptores diſcrepent, nullus omnino eſt, qui Epiſcopalem *Ordinem* prætermittat. De nomine ergo nec minima oriri poteſt ſuſpicio. Idem aſſerendum eſt de inſtitutione divina: ſiquidem Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos perſpicuum eſt; illos vero quiſnam tali dignitate exornavit, niſi ſacramentorum Auctor, & Eccleſiæ inſtitutor? Quare a Spiritu ſancto Epiſcopos conſtitui aſſerit Apoſtolus Act. 20. 28. Haberi alterius in conſecratione Epiſcopi ſacram ceremoniam, ritumque ſolemniorem, quam ſervetur in *Ordinibus* reliquis, res eſt cuique notiſſima. Reperitur rurſus in eadem conſecratione idonea *Ordinis*, & ſacramenti materies, ideſt, manuum conſecrantis impoſitio. Confertur denique duplex *Ordinis* ſacramentalis effectus, gratia ſcilicet, & character: & quantum ad gratiam, hanc dari in Epiſcopi conſecratione, colligitur ex præmonſtratis verbis Apoſtoli in 1. ad Timot. 4. & in 2. 1. 6. Quibus in locis advertas, quæſo, collationem gratiæ adſcribi ſenſibili ſigno, ideſt, *impoſitioni manus*, ideoque *ex opere operato* illam produci, & eſſe gratiam ſacramentalem, quam in ipſis Apoſtolicis teſtimoniis exprimi declarat quoque Synodus Tridentina, idque non diffitetur S. Thomas in eaſdem Epiſtolas, ut dicam infra. Etiam S. P. Auguſtinus lib. 1. de Actis cum Felice Manichæo cap. 12. affirmat cum gradu Epiſcopali *miram virtutem*, inſignem nempe gratiam, donari. Ad eamdem gratiam comprobandam duo ex Eſtio exſcripta addit hiſtorica exampla recentior Theologus Tournelius; unum ſancti viri, cui nomen Moyſes, qui nunquam induci potuit, *ut a Lucio Ariano Epiſcopo in Epiſcopum conſecraretur, quod certus eſſet Spiritum ſanctum ad illius invocationem nunquam deſcenſurum*: alterum autem exemplum cujuſdam Martyrii, qui ait ad Nectarium Epiſcopum, *Utrumque, ſacrum lavacrum, & munus Epiſcopale delictorum eſſe remedium & expiationem*. Primam narratur a Theodoreto lib. 4. H. Eccl. cap. 20. & aliud a Sozomeno lib. VII. cap. 10. & Nicephoro lib. 2. cap. 14. Ac primum Moyſis exemplum ad rem facit, quoniam etſi ſacramentalis gratia non pendet a probitate miniſtri; communio tamen cum Epiſcopo Ariano ad ipſam gratiam fuiſſet impedimentum & obex. Sed exemplum alterum, tam apud Sozomenum, quam apud Nicephorum aliter legitur, & pro *ſacerdotio*, *ἱερωσύνη*, ſponte ſua poſuit Fronto Ducæus *munus Epiſcopale*. Vide Sozomenum pag. 716. edit. Valeſii. Epiſcopalis demum *characteris* haud obſcurum eſt argumentum, quod valeant *ordinationes* illorum Epiſcoporum, qui ab Eccleſia ſeparantur aut ſchiſmate, aut hæreſi; ſicut Auguſtinus docet lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. aliiſque in locis adverſus Donatiſtas. Habent ergo Epiſcopi vi conſecrationis ſuæ *poteſtatem aliquam indelebilem*, quam neque ob hæreſis crimen amittunt. Quid eſt autem *poteſtas indelebilis*, niſi aut *character*, aut characteris effectus? Adde vulgarem, tritiſſimamque rationem, quod Epiſcopatus ſemel rite collatus, nunquam nova conſecratione iteratur. Omnia ergo ad ſacramentum *Ordinis* neceſſaria in Epiſcopatu adinveniuntur, nomen, inſtitutio, materia, forma, gratia, character. Jam vero ſi Epiſcopatus *Ordo* & ſacramentum ſit, prout exiſtimamus, cum peculiari ritu, diſtincta conſecratione, diverſa ceremonia, propriiſque materia & forma perficiatur, conferatque ulterius poteſtatem ordinandi, chriſma conficiendi, & conſignandi, quam vi *Ordinis* non habet presbyter; certa illatione conſequitur, quod Epiſcopatus ſit ſacramentum a presbyteratu diſtinctum: quod erat propoſitionis pars altera.

PROP. II. Si velimus a tricis Scholaſticis abſtinere, & quæ certiſſima ſunt, a fluxis dubiiſque opinionibus ſeparare; nullum prorſus erit in hac quæſtione diſſidium.

Qui enim negant Epiſcopatum eſſe ſacramentum, fatentur tamen per *Ordinationem* Epiſcopi gratiam conferri; atque ipſe S. Thomas lect. 3. in Epiſt. 2. ad Timoth. explicans illa verba, *Quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, inquit: *A quo ſcilicet ordinatus erat Epiſcopus; in qua manus impoſitione data eſt ei gratia Spiritus ſancti.* Ajunt autem hujus ſententiæ aſſertores, gratiam iſtam non eſſe *ſacramentalem*, quoniam non datur ad digne conficiendam Euchariſtiam, ſed ad digna exercenda munia Epiſcopalia; quod præ ceteris explicare nititur Dominicus Soto diſt. 24. q. 2. art. 3. Fatentur præterea in *Ordinatione*

Epiſcopi aliquam poteſtatem ſpiritualem conferri, eamque *non tantum eſſe juriſdictionis*, *ſed etiam Ordinis*: ita enim expreſſe docet S. Thomas q. 40. Supplem. art. 5. ad 3. ſed quoniam, inquiunt, hæc poteſtas non refertur ſpecialiter ad ſacramentum Euchariſtiæ, non eſt poteſtas *Ordinis*, ut ſacramentum eſt, ſed quatenus *Ordo* habet ampliorem ſignificationem. Tertio fatentur, quod etiamſi in Epiſcopali conſecratione non imprimatur diſtinctus *character*; ampliatur tamen, & perfectior redditur *character* Ordinis presbyteratus, & ad ea, quæ Epiſcoporum ſunt, extenditur: quod Paludanus diſt. 24. q. 7. art. 4. explicat comparatione habitus ſcientiæ, Philippus Gamachæus de ſacris Ordinat. cap. 9. per novam aliquam relationem, veluti dum rex alicui diverſe officia committit, aut adauget pecuniæ pretium, Vaſquez 3. p. diſput. 240. cap. 5. exemplo *characteris* presbyteralis, qui extenditur ad poteſtatem ſolvendi, & remittendi peccata; aliique alia tradunt. Itaque hoc penes omnes certum eſt, in conſecratione Epiſcopi ampliorem gratiam, poteſtatem aliquam ſpiritualem, & perfectionem characteris conferri: hoc incertum, & in controverſia poſitum, an hæc gratia, hæc poteſtas, character iſte, reali diſtinctione, atque, ut ſchola loquitur, *entitative* diſcrepent a gratia, a poteſtate, & a charactere presbyteratus. Atqui utrum ad conſtituendum ſacramentum diverſum hæc *entitiva* effectuum diſtinctio neceſſaria ſit, eſt quæſtio nata inter Scholaſticos illi physiologiæ, quæ entitatum fecundiſſime parens eſt, aſſuetos; & mea quidem ſententia ſufficit, ſi gratia, & character *connotative* tantum diverſe ſint, ut de gratia, & de charactere ſacramenti Confirmationis ſcripſi hujus Vol. pag. 34. & 38. Si ergo ab hac quæſtione philoſophica potius, quam Theologica, abſtinere velimus, & certa incertis præponere; abſque ulla animi perplexitate dicendum erit *Ordinatione* Epiſcopali gratiam & characterem conferri, ideoque Epiſcopatum ſacramentum eſſe, & a presbyteratu diſtinctum.

At hi, qui nolunt Epiſcopatum eſſe *Ordinem* ac ſacramentum, objiciunt: *Ordines* ergo numerum ſeptenarium excedunt. Reſpondeo in hoc argumento diluendo parum ſudendum eſſe: ſiquidem Epiſcopatus ac presbyteratus *ſub uno ſacerdotii Ordine* comprehenduntur, ſive ſacerdotium in duos *Ordines* diſpeſcitur, in unum, quo traditur poteſtas Euchariſtiam offerendi, & in excellentiorem alium, quo ulterius confertur auctoritas illos, qui Euchariſtiam conficiunt & immolant, ordinandi & conſecrandi. Hæc reſponſio, quæ traditur ab eruditiſſimo Sirmondo ad Sidonii Apollin. epiſt. 11. lib. IV. ubi de Claudiano presbytero, ac fratre Mamerti Viennenſis Epiſcopi legitur *Antiſtes fuit in Ordine ſecundo*, antiquiorum dictis cohæret quammaxime. Auctor enim de Eccleſ. Hierarchia cap. 5. ait, ἡ τῶν ἱερέων φωταγωγικὴ ὑπὸ τῇ τῶν ἐνθέων ἱεραρχῶν τάξει, *Illuminatrix ſacerdotum Ordo ſub divinorum Pontificum Ordine*. S. Optatus lib. 1. num. 13. Epiſcopos in *primo*, ac presbyteros *in ſecundo Ordine* conſtitutos appellat. Extant & leges Theodoſii & Valentiniani, quæ agunt *de ſecundis ſacerdotibus*; & Fridegodus de Wilfrido in presbyterum ordinato, prout etiam ſcripſi de Pœnit. p. 2. cap. 4. inquit,

Ordinis optatur celebs in honore ſecundi.

Hinc Tridentina Synodus ſeſſ. XXIII. cap. 2. enumerans ſeptem *Ordines*, ſupremum non presbyterorum appellat, ſed *Sacerdotum*; quamvis presbyteri nomen, quo ætas potius, quam *Ordo* ſignatur, aliquando fuerit utriuſque commune. Conſtat præterea ex cap. 2. a multis presbyteratum in ſexto, & Epiſcopatum in ſeptimo *Ordine* collocari, duobus minoribus in unum permixtis; ab aliis vero octo *Ordines* recenſeri, atque his conſentire IV. Carthaginenſe Concilium, & Latina & Græca Pontificalia de Ordinandis Epiſcopis ſeparato paragrapho pertractantia. Quamobrem ſi quis reſponderet revera *Ordines* eſſe octo, & illos qui ſeptem numerant, agere tantum de *Ordinibus* ad Euchariſtiam directe ſpectantibus, ut reſpondet Eſtius diſt. 24. §. 28. nulla is foret cenſoria nota inurendus.

Opp. 2. Epiſcopatus ad Euchariſtiam ex nuper dictis non ſpectet. Igitur *Ordo* non eſt. Reſp. diſt. ant. nempe poteſtatem non confert Euchariſtiam conficiendi; eſto: non confert poteſtatem *ſacra Ordinatione* illos conſecrandi, qui conficiant eamdem diviniſſimam Euchariſtiam; id evidentiſſime falſum eſt. Si dicas *Ordines* juxta probatiſſimos Theologos diſtingui per relationem ad Euchariſtiam, reſpondet Sylvius loqui illos *de Ordinibus*, *qui Euchariſtiæ perficiendæ aut conſecrando*, *aut ad conſecrationem præparando deſerviunt*; referri tamen ad eamdem Euchariſtiam etiam poteſtatem illam, quæ ſacerdotes inaugurat conſecratque.

Opp. 3. *Tempora ordinationum ſunt ſabbata quatuor temporum*, *ſabbatum ante dominicam Paſſionis*, *& ſabbatum ſanctum*, ut ait Pontificale Romanum tit. de Ordinibus conferendis, & habetur cap. *De eo autem*, & alius in 1. Decretal. tit. XI. Epiſcopatus autem conferri poteſt *ſingulis dominicis diebus*, *& in natalitiis Apoſtolorum*. Reſp. id lege poſitiva, æquiſſima tamen, fuiſſe ſtatutum, propterea quod *Ordo* omnium præſtantiſſimus, & in quo inaugurati ſuccedunt Apoſtolis, aut in præcipuo die, qui Dominicus eſt, aut in Apoſtolorum ſolemniis videbatur conferendus. Hoc propter Epiſcopatus dignitatem fuiſſe ſtatutum conſtat ex quo alio die feſto nequeat Epiſcopus conſecrari juxta Pontificale Romanum, *niſi ſummus Pontifex hoc ſpecialiter indulſerit*: quæ ſpecialis ſummi Pontificis diſpenſatio neceſſaria non eſt in aliorum *Ordinum* collatione; & ex quo etiam tam *Electus*, quam *Conſecrator* die præcedenti jejunent, quod ſacramento Spiritum ſanctum, ejuſque peculiare ſignaculum conferenti congrue præmittitur.

Opp. 4. Si propter ampliorem dignitatem Epiſcopatus ſit a presbyteratu ſejungendus; etiam Patriarchatus, & Archiepiſcopatus *Ordines* erunt, & ſacramenta ab Epiſcopatu diverſa. Reſp. conſecutionem eſſe falſiſſimam; quoniam in variis Epiſcoporum gradibus diſtincta quidem juriſdictionis amplitudo, at non diverſa poteſtas *Ordinis* reperitur.

Opp. 5. In conſecratione Epiſcopi nec ſpecialis *gratia ſacramentalis*, nec diſtinctus *character* confertur. Non ergo Epiſcopatus eſt ſacramentum diſtinctum. Reſp. Negari a nobis antecedens, propterea quod gratia, quæ confertur impoſitione manuum, ſignoque ſenſibili, debet eſſe effectus alicujus ſacramenti, & poteſtas indelebilis ſignaculi & *characteris*; ideoque Epiſcopatus ea gratia, & poteſtate inſignitus, habet *Ordinis* & ſacramenti peculiarem propriamque rationem.

Opp. 6. Ignatius, Auguſtinus, aliique Patres affirmant ſacerdotium eſſe præſtantiorem gradum, ad quem poſſit mortalium aliquis elevari. Presbyterorum itaque, ac ſacerdotum *Ordine* nullus alius ſublimior atque excellentior poteſt excogitari. Reſpondeo accipienda eſſe Patrum teſtimonia de *ſacerdotio*, quatenus duos diverſos *Ordines* complectitur; alias nulla foret Epiſcopi ſupra presbyteros dignitas ac præſtantia, ac vera eſſet Aerii, aliorumque hæreticorum, qui Epiſcopos ac presbyteros pares fecerunt, aſſertio, proximo capite undecimo refutanda.

Opp. ult. Talis eſt natura ſacrorum *Ordinum*, ut unus ſine alio inferiore collatus *characterem* imprimat, nec ſit iterandus; ut conſtat de presbytero, aut diacono per ſaltum ordinatis, cap. *Sollicitudo*, diſt. 52. & cap. *Tua litteræ*, lib. V. Decret. tit. 29. Atqui aliud de Epiſcopatu dicendum eſt, cum ex cap. *Ex litteris*, eodem libro tit. 21. conſtet neminem poſſe promoveri in Epiſcopum non ſuſcepto Presbyteratu. Atque hoc argumentum invictiſſimum putat Dominicus Soto. Reſpondet Eſtius ideo non poſſe aliquem in Epiſcopum ordinari, niſi presbyteratu ſit initiatus, quoniam poteſtas Epiſcopi ad conſecrandum, conſignandum, & *Ordines* conferendos data, cum eximia ſit, ac præſtantiſſima, ex divina inſtitutione ſolis ſacerdotibus communicatur. Vide quæ ad conſimile argumentum ſcripſi hujus vol. pag. 23. Ceterum in Capitulo, *Ex litteris*, de Exceſſibus Prælat. hoc unum habetur, *Pontificale officium ſine altaris miniſterio non poſſe adimpleri*, propterea quod confectio *chriſmatis*, & ſacræ *Ordinationes* inter Miſſarum ſolemnia, aliaque Epiſcopalia munia ſacris miniſtris adſtantibus, & inſervientibus perficiuntur.

CAPUT X.

De Chorepiſcoporum nomine, origine, officiis, ac dignitate.

NUncupatos *Chorepiſcopos*, quaſi τοὺς χώρας ἐπισκόπους, *Epiſcopos ruris*, *vel pagi*, dictum eſt cap. 2. prop. 2. Licet enim vocabulum χώρα aliquando quemcunque *locum ac ſedem*, aliquando etiam *provinciam regionemque* ſignificet; ubi tamen de Chorepiſcopis agitur, ad ſignificandum *vicum*, *oppidum*, *& coloniam* coarctandum eſt, cum in Conciliis, ac veterum ſcriptis iidem Chorepiſcopi a Metropolitis, Exarchis, urbiumque Præſulibus diſtinguantur. Hinc inter Canones Nicænos Arabicos num. VIII. legitur, *Chorepiſcopus eſt loco Epiſcopi ſuper villas*, *& monaſteria*, *& ſacerdotes villarum*, *quæ ſub poteſtate ejus ſunt*; atque Chorepiſcopi apud Hincmarum Opuſ. XXXIII. *Epiſcopi Vicani*, apud alios *Epiſcopi Villani* nuncupantur. Non tamen presbyteri ſinguli Eccleſiis ruralibus præpoſiti *Chorepiſcoporum* nomina honeſtabantur, quemadmodum & nunc non omnes Parœciarum Rectores dicuntur Epiſcoporum Vicarii: idque conſtat ex altera S. Athanaſii Apologia, ubi narratur Iſchyram hominem nequiſſimum ac mendaciſſimum, qui tamquam reum fracti calicis, diruti que altaris ipſum Athanaſium in Synodo Tyria traduxerat, ab Euſebianis fuiſſe Epiſcopatu inſignitum, tametſi Mareotes ager, cujus loci præerat Eccleſiæ, ſubjiceretur Epiſcopo Alexandrino, ibique *nunquam antea Epiſcopus*, *immo nec Chorepiſcopus fuerit*. Jam ergo a priſcis ſæculis erant Exarchi, aut Primates, ſeu Archiepiſcopi, qui aliquot Eccleſiaſticas provincias moderabantur; Metropolitani unicam provinciam regentes; Epiſcopi, quorum plures in eadem provincia eſſe poterant; & Chorepiſcopi in pagis, ruribuſque gerentes vices Epiſcoporum: quamquam poſteriores Græci Archiepiſcopum poſt Metropolitam locent, ut inquit diſſert. de Synodo V. cap. 10. Noriſius; iidemque Metropolitani, atque Archiepiſcopi dicantur etiam Exarchi, non tamen abſolute, ſed *Exarchi provinciæ*, *Exarchi diœceſeos*, quemadmodum legitur in Sardicenſi, & Chalcedonenſi Conciliis. Hinc apparet erraſſe Honorium Auguſtodunenſem, Rabanum, & quotquot aſſeruerunt Chorepiſco-

repiſcopos ita fuiſſe appellatos, *quod eſſent de Choro ſacerdotum*. De nomine autem *Chorepiſcopi* hæc tantum.

Quidam *Chorepiſcoporum* originem repetunt ab Apoſtolorum ætate, ac talis ordinis fuiſſe exiſtimant Linum, Cletum, Clementem, aliosque Romani Pontificis Vicarios, priusquam & ipſi ad Petri cathedram eveherentur, Epiſcopali charactere condecoratos. At vel non extiterunt Vicarii illi Romanorum Pontificum per tria priora ſæcula, fortaſſis obtruſi ab Henſchenio & Papebrochio, ad componendam veterum Catalogorum diſcrepantem chronologiam, ut ad annum 67. num. 21. nititur oſtendere Cl. Pagius; vel ſi extitere, quod ego non diffiteor, ordinabantur œconomiæ cauſa, ne forte, ſi Eccleſiæ Paſtor in exſilium aut in mortem raptus eſſet, grex Chriſti omni prorſus regimine deſtitueretur. Verum cum illi vicem Pontificum extra urbem non gererent, *Chorepiſcopi* dici nequeunt. Igitur Chorepiſcopos ante quartum ſæculum, expreſſe ſaltem, & hoc nomine deſignatos, nullibi invenies: prima namque horum mentio habetur in canone 12. Concilii Ancyrani, atque in 13. Concilii Neocæſarienſis, quorum utrumque celebratum fertur circa tempora Arelatenſis 1. anno ſcilicet 314. Cum tamen hæc Concilia non Chorepiſcopos inſtituendos præcipiant, ſed inſtitutos ſupponant; dicendum eſt, ſub finem ſaltem ſæculi tertii Chorepiſcopos aliquos extitiſſe.

Poſt Vendelinum, Salmaſium, Baſnagium, ceterosque Novatores presbyterum Epiſcopo coæquantes, nonnulli etiam Doctores Catholici, inter quos Tournely q. 6. art. 1. pag. 214. cenſent, ſi ad rem attendatur, antiquiorem eſſe Chorepiſcoporum inſtitutionem; propterea quod Epiſcopi agrorum, pagorumque extiterint longe ante exitum tertii ſæculi. Etenim, inquiunt, Clemens in Epiſtola ad Corinthios ait Apoſtolos, *Per urbes & agros conſtituiſſe Epiſcopos*. Paulus Samoſatenus circa annum 264. ad populum decipiendum ſubmiſit aſſentatores ſuos, ut ſcribit Euſebius H. E. lib. VII. cap. 30. *Epiſcopos vicinorum pagorum, & civitatum*. Idem Euſebius lib. V. cap. 16. ait hæreſim Montani confutatam fuiſſe *a Zotico Epiſcopo Comanenſi, & a Juliano Apamenſi*; etſi Comana, & Apameja fuerint pagi. Rurſus idem Euſebius lib. VIII. cap. 13. laudat Sylvanum, *qui fuit Epiſcopus Eccleſiarum viciniarum Gazæ*, non, ut male vertit Veleſius, *Epiſcopus Gazæ*. Ac demum Epiphanius hæreſ. XXX. narrat patriarcham Judæorum Ellel morti proximum ad ſe vocaſſe *Epiſcopum vicinum Tiberiadi*, non Tiberiadis, ſicuti male Petavius reddidit, ideoque Epiſcopum ruralem, ſeu Chorepiſcopum.

Hæc autem prorſus futilia ſunt, nec evincunt aliquid, niſi forte etiam in pagis aliquando veros Epiſcopos conſtitiſſe; quod an a Catholicis, an ab hæreticis, ut numerus ſacrorum Antiſtitum excreſceret, in conſuetudinem inductum fuerit, dicam paullo infra. Enimvero in his, aliisque teſtimoniis, quæ ex monumentis trium priorum ſæculorum afferri poſſunt, *Epiſcopos* audio, *Chorepiſcopos* autem nequaquam. Deinde in prædictis quinque locis eſt peculiariter aliquid adnotandum: nam Clemens laudata Epiſtola ad Corinth. num. 42. ait de Apoſtolis: *Prædicantes itaque per regiones ac urbes, primitias eorum ſpiritu cum probaſſent, in Epiſcopos & diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt*: Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίσταναν τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους, καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. Ubi Clemens ait quidem electos in Epiſcopos viros, quos probatæ virtutis noverant Apoſtoli, dum Chriſtum per urbes provinciasque annuntiarent, ſed Epiſcopos pagis, vicisque præpoſitos fuiſſe minime affirmat. Neque enim χώρα eſt ſolum *pagi vicique* nomen, ſed *regionis*, & cujusque *loci*; neque referendum eſt vocabulum illud χώρας initio poſitum ad ἐπισκόπους, ſed ad proximum participium κηρύσσοντες, *prædicantes*. Abutuntur autem hoc loco, ſicut & ceteris, novi Aeriani, ut in eodem Ordine ſtatuant Epiſcopos ac presbyteros; imperite tamen, ut poſtea dicam. In VII. libro Euſebii cap. 30. probo lectionem illam, *Epiſcopos vicinorum pagorum & civitatum*; at hinc non conſequitur alios urbium, alios vero diœceſeon agrorumque fuiſſe Epiſcopos. Tertium locum Tournelius parum ad rem facere fatetur, quod Comana a Ptolemæo, & Apamia a Stephano de Urbibus inter civitates connumerentur. Ego e contra legendum puto, *Zoticum e pago Comana*, non, *ex urbe Comana*; eſt enim in Græco, ἀπὸ Κομάνης κώμης, *a Comana vico*; unde non male Chriſtophorſonus vertit, *Ex vico, qui dicitur Comana*: ſed Euſebius nil aliud ibidem refert, niſi Zoticum ex agro viciniisque Comanæ, & Julianum ex Apamia, *duos viros probatos, atque Epiſcopos*, veniſſe ad explorandum ſpiritum Maximillæ; non autem ait aut Zoticum, aut Julianum fuiſſe pagorum tantum Antiſtites. Ad quartum quod ſpectet, immerito reprehenditur verſio Veleſii, qui lib. VIII. cap. 13. H. Euſebii vertit, *Quorum princeps erat Silvanus Gaza oriundus Epiſcopus*; id enim innuunt Græca verba, ὧν ἡγεῖτο ἐκ τῶν Γαζαίων ἐπίσκοπος ὁρμώμενος Σιλβανός, ac præterea non repugnat unum eumdemque Gazæ urbis, proximarumque Eccleſiarum fuiſſe Epiſcopum, quod exprimit cap. 25. ejuſdem libri VIII. verſio Chriſtophorſoni, *Silvanus Eccleſiarum Gazæ Epiſcopus, de quo ſupra*. Denique Epiſcopum, quem arceſſit Ellel Judæus,

ut ſibi morti proximo conferret baptiſmum, fuit Epiſcopus Tiberienſis, non ruris, reprehenduntque immerito juniores quidam verſionem Petavianam. Epiphanius quippe Hær. XXX. quæ eſt Ebionis, n. 4. juxta interpretationem Petavii, inquit, *Moriens Ellel vicinum Epiſcopum Tiberienſem arceſſit*. extantque in Græco poſtrema verba, *Epiſcopum proximum civitatis Tiberienſium*, ἐπίσκοπον πλησιόχωρον τῆς Τιβεριάδος, non autem, *proximum τῇ Τιβεριάδι*, immo πλησιόχωρος non ſolum eſt *finitimus, ac propinquus*, ſed etiam *accola*. Et quidem cur Ellel non civitatis, ſed pagi Antiſtitem arceſſiſſet, cum in civitate commoraretur, eique mors immineret? Quidam ergo nimium ſunt creduli, dum novis Aerianis auſcultant; hi namque presbyteros omnes pagorum fuiſſe Epiſcopos ajunt, ut cauſæ ſuæ melius ſerviant, ac facilius diſcrimen Epiſcoporum e presbyteris oppugnent: quamquam etſi demus Epiſcopos olim in vicis ruribusque ſediſſe, parum, aut nihil præſidii accederet illorum errori.

Controvertitur inſuper an Chorepiſcopi, &, ſi ita illos appellare placet, *Epiſcopi Vicani*, eſſent inaugurati Epiſcopali conſecratione; num vero inſigniti tantummodo *Ordine* presbyteratus. Conſecratos illos fuiſſe in Epiſcopos exiſtimavit Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus, eique ſubſcribit noſter Lupus in ſcholiis ad Concilium Epheſinum pag. 819. ubi advertit Jacobum Chorepiſcopum Quartodecimanorum Philadelphienſium revera fuiſſe Epiſcopali charactere condecoratum. Atque hanc ſententiam argumentis plurimis nititur demonſtrare Baſnagius lib. 5. H. Eccl. cap. 5. & ex recentioribus Theologis Honoratus Tournely de Ord. p. 216. Horum autem argumentorum præcipua ſunt, quæ ſequuntur. Primum eſt, quod canone 12. Concilii Ancyrani legitur, *Chorepiſcopis non licere presbyteros, aut diaconos ordinare, ſed nec presbyteris civitatis, ſine præcepto Epiſcopi, vel litteris, aliquid imperare, nec ſine auctoritate litterarum ejus in unaquaque provincia aliquid agere*. Chorepiſcopi itaque, ſaltem de Epiſcoporum licentia, ordinare poterant presbyteros & diaconos. Alterum: idem aſſeritur majori perſpicuitate Antiocheno canone 10. in quo de Chorepiſcopis legitur: *Ordinent autem Lectores, Subdiaconos, atque Exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant: nec presbyterum vero, nec diaconum audeant ordinare præter civitatis Epiſcopum, cui ipſi cum poſſeſſione ſubjectus eſt*. Tertium: S. Baſilius epiſt. 181. ad Chorepiſcopos ſuos, acriter illos reprehendit, quod violata Epiſcopali juriſdictione nonnullos *in ſacerdotalem numerum cooptarent*, quum prædeceſſorum ſuorum tempore, *niſi præmonitis Epiſcopis*, hoc attentare non auderent. Proximum: In Synodo Neocæſarienſi an. 314. can. 13. Chorepiſcopi inſtituti dicuntur *ad exemplum ſeptuaginta diſcipulorum*, eisque permittitur ut ſacrificium offerant, præſentibus quoque Epiſcopis, ac presbyteris urbium. Poſtremum, leviſſima enim ſunt, quæ ulterius pro hac ſententia produci poſſunt, Nicolaus I. anno 864. in Epiſtola ad Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem ſcripſit non eſſe iterandas *Ordinationes* factas a Chorepiſcopis, ratione hac producta, *Ad formam enim ſeptuaginta Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia?* Ac nota Nicolaum loqui de *Ordinationibus* presbyterorum, & diaconorum, quos ſolis Epiſcopis fas eſt ordinare.

Alii ex adverſo exiſtimant Chorepiſcopos fuiſſe tantum presbyteros, non Epiſcopos: quæ ſententia communior eſt, proximisque argumentis innititur. I. Romani Pontifices, præſertim Leo Magnus epiſt. 88. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ ſcripta an. 444 prohibet, ne Chorepiſcopi chriſma conficiant, & ipſo chriſmate ſignent frontes baptizatorum, eo quod non habeant apicem Pontificatus, ut dixi hujus Volum. pag. 5. & 8. Præterea in præcitato canone Ancyrano prohibentur Chorepiſcopi *ordinare presbyteros & diaconos*. Tertio in Pontificalibus Maronitarum apud Morinum p. 2. p. 415. habetur Ritus ordinandi Chorepiſcopum, non ſacramentali *Ordinatione*, ſed ceremoniali quadam, eique ſimillima, qua Archipresbyteri, & Archidiaconi inſtituuntur, ac longe diverſa ab *Ordinatione*, & conſecratione Epiſcopi, quæ deſcribitur infra pag. 417. in aliis autem ſive Occidentalium, ſive Orientalium Codicibus nunquam, aut certe perraro de *Ordinatione* Chorepiſcoporum fit ſermo. Inſuper animadvertit prælaudatus Morinus p. 3. Exercit. IV. cap. 2. Chorepiſcopos ab uno tantum Epiſcopo fuiſſe inſtitutos atque inauguratos; cum tamen antiqua conſuetudine electi a tribus Epiſcopis communiter ordinentur. Ulterius juxta canonem 6. Sardicenſem, & perantiqua Eccleſiæ ſtatuta, quæ laudat Leo Magnus ſcribens ad Mauritaniæ Cæſarienſis Epiſcopos, collegitque Lupus in ſcholio ad eumdem Sardicenſem canonem pag. 155. non in pagis, vel ruribus, ſed in urbibus tantum Epiſcopi conſtitui debent, *ne Epiſcopi nomen vel auctoritas viliſpendatur*. Ideoque Epiſcopi rurales, & villani, ideſt, *Chorepiſcopi*, ſpecioſo hoc nomine, non Epiſcopali charactere gaudebant.

Inter has extremas ſententias veriſſima judicio noſtro eſt media, tenens Chorepiſcopos per ſe quidem fuiſſe presbyteros, ſed aliquando tamen *per accidens* Epiſcopali præditos conſecratione. Atque hæc ſententia principio

maximam habet probabilitatem a numero & eruditione ſapientiſſimorum virorum, qui eam propugnant. Sunt hi Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 17. Franciſcus Hallier de ſacris Ordinat. ſect. v. cap. 2. Petrus de Marca lib. 2. Concordiæ cap. 13. Joannes Morinus citato in loco, Thomaſſinus de Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 2. cap. 1. Natalis Alex. in Append. diſſert. 44. ſæculi 4. Carolus Dufreſne v. *Chorepiſcopi*, Juenin diſſert. IX. q. 2. Witaſſe in Appendice ad diſſert. de Epiſcopis art. 3. Le-Droint lib. VIII. ſect. ultima, ac recentiores alii, Tournelio excepto. Deinde hæc ſententia ab utraque præcedenti fulcitur, & a nulla earum aliquid incommodi patitur. Rurſus in canone 10. Antiocheno permittuntur Chorepiſcopi ordinare presbyteros & diaconos, *ſi impoſitionem manuum Epiſcoporum perceperint*, *& ut Epiſcopi conſecrati ſint*; ideoque erant revera Chorepiſcopi aliqui conſecratione Epiſcopali inſigniti. Ad hæc videor mihi veriſſimam apertiſſimamque rationem inveniſſe, cur licet *per ſe* Chorepiſcopi eſſent ſimplices presbyteri, haberent tamen aliqui aliunde characterem Epiſcopalem. Cauſa autem hæc eſt. Cum Epiſcopi, ut dixi ſupra, in ſolis civitatibus conſtitui deberent; hæretici Cathari, Ariani, aliique illos etiam in pagis locaverunt. De Catharis perſpicuus eſt canon Synodi Nicænæ octavus: de Arianis, & Euſebianis idem refert in ſecunda Apologia S. Athanaſius loquens de Iſchyra accuſatore ſuo, prout adnotatum eſt paullo ſupra: hoc rurſus in conſuetudinem receptum *apud quoſdam Arabes, Cyprios, & Novatianos*, narrat lib. VII. H. E. cap. 19. Sozomenus: haud ſecus egiſſe Donatiſtas, quibus S. Alipius Tagaſtenſis Epiſcopus in celebri Collatione Carthaginenſi exprobravit, quod oſtentationis cauſa etiam in villis pagiſque Epiſcopos ordinarent, conſtat ex ejuſdem Collat. lib. 1. n. 165. Hi ergo Chorepiſcopi habebant Epiſcopalem conſecrationem. Itidem Epiſcopi Cathari ad Catholicam revertentes, ſi id Catholico Epiſcopo videbatur, conſtituebantur Chorepiſcopi juxta præcitatum canonem octavum Nicænæ Synodi. Catholici etiam Epiſcopi, ſi forte ad propriam Eccleſiam regendam accedere non poterant, aut inde injuſta perſecutione cogebantur abire, ne honore penitus privarentur, ad aliquem Chorepiſcopatum promovebantur.

Hæc ſententia incommodi ab ea, quæ priori loco poſita eſt, nihil patitur. Primum quippe illius argumentum aperte demonſtrat Chorepiſcopos non eſſe Epiſcopos: nam in Canone Ancyrano aperte Chorepiſcopis denegatur poteſtas ordinandi presbyteros & diaconos, nec exprimitur in ea parte canonis aliena diœceſis; & abſolute legitur, *Χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν*, *Chorepiſcopis non licere presbyteros, vel diaconos ordinare*: atque in alia parte canonis, in qua de licentia Epiſcopi diœceſani ſermo eſt, non legitur *χειροτονεῖν*, *ordinare*, ſed *ἐπιτρέπειν*, *committere*, *impetrare*: nec aliqua verſio eſt, aut nota, ſive Dionyſii Exigui, ſive Iſidori Mercatoris, ſive Zonaræ, ſive Balſamonis, ſive aliorum, quæ primæ ſententiæ patrocinetur. Vide tom. 1. Concil. Harduini pag. 275. Ex canone 10. Antiocheno tantum infertur aliquos Chorepiſcopos habuiſſe conſecrationem Epiſcopalem, unde & canon conditionate loquitur, non abſolute. In Epiſtola Baſiliana, quod Gentianus Hervetus reddidit, *in Ordinem ſacerdotalem*, viri docti explicant de initiatione inferiorum clericorum, quos ibidem Baſilius aperte diſtinguit a presbyteris & diaconis: ſed quod Latine dicitur, *in Ordinem ſacerdotalem*, eſt Græce, *τῷ τάγματι τῶν ἱερατικῶν*; ac *τάγμα ἱερατικῶν* eſt *prælectio* eorum, qui ad ſacerdotium ſunt promovendi, non ſacerdotum *χειροτονία*, & *ordinatio*; & in eo peccabant Chorepiſcopi, quod inter initiandos, ac præſentandos Epiſcopo, cooptabant aliquos, quos presbyteri & diaconi indignos eſſe affirmabant. Ad duo poſtrema argumenta dicimus, inter ſeptuaginta diſcipulos, permultos quidem fuiſſe Epiſcopos, at non omnes, immo nulli eorum, tanquam uni ex ſeptuaginta, conveniſſe Epiſcopalem auctoritatem; quoniam Epiſcopi Apoſtolorum, non diſcipulorum ſunt ſucceſſores; atque ita dicendum de Chorepiſcopis: quorum ſi aliqui, aliunde Epiſcopali charactere inſigniti, presbyteros ordinabant, non erat talis *Ordinatio* iteranda, ut recte docet Nicolaus I. in Epiſtola ad Rodulphum; quamquam eadem Epiſtola, illa in parte, in qua agit de Chorepiſcopis, a Thomaſſino, aliiſque viris doctiſſimis cenſeatur ſuppoſititia.

Hinc poſſumus colligere, cur tandem Chorepiſcopi fuerint abrogati. Fuerant enim principio inſtituti, ut in villis ac pagis vice fungerentur Epiſcoporum. Commiſſum propterea illis, ut rurales Eccleſias regerent, pauperibus eleemoſynas diſtribuerent, & *formatas*, ſeu *pacificas* communionis litteras darent de uno in alium locum tranſmigrantibus. Tum illis datum ut minores ordines, & ſubdiaconatum conferrent; atque in Orientalibus Eccleſiis permiſſi quoque ſunt conferre ſacramentum Confirmationis, ac templa & virgines conſecrare. Hæc ex Synodis Antiochena & Neocæſarienſi, atque ex prælaudata S. Baſilii epiſtola, ceteriſque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis, ſunt apertiſſima. Cum itaque etiam in Occidentali Eccleſia conſignare & conſecrare auderent, & Epiſcopalia jura invaderent; de iis eliminandis actum eſt vertente Sæculo VIII. prout conſtat ex Capitular. Caroli Magni lib. VI. cap. 119. ſæculo XI. adhuc erat Chorepiſcopus in Eccleſia S. Martini extra Cantuariam, qui a Lanfranco Archiepiſcopo amotus fuit; ſicut jam factum erat *ubique terrarum*, ut ait in Hiſtoria Pontificum Cantuarienſium Gervaſius Doroberenſis. Balſamon, qui floruit exeunte Sæculo XII. in notis ad canonem 13. Ancyranum ſcribit ætate ſua Chorepiſcoporum gradum omnino exoleviſſe. In Alexandrino tamen Patriarchatu Chorepiſcopos ſolos extitiſſe, Epiſcopis ejectis, prodidit litteris an. 1612. Cyrillus Lucaris illius ſedis Antiſtes, prout libro 2. Concordiæ Sacerdotii & Regni cap. 14. ſcribit Petrus de Marca, & in fine prælaudatæ Exercitationis IV. Joannes Morinus. At quis fidem præſter Cyrillo, qui ab Hollandis pecunia corruptus non tantum ſplendidiſſime mentitus eſt, ſed etiam avita religione rejecta, magno cum dedecore Calvinianam profeſſus Judæ imitator evaſit, de Patriarcha factus apoſtata? Du-Cangius denique tom. 1. Gloſſarii pag. 971. cenſet etiamnum Chorepiſcopos, quoad officium ac dignitatem in quibuſdam Eccleſiis vigere, ac talem eſſe primum ſubdiaconorum Eccleſiæ Ultrajectenſis S. Martini, primore Cantorum in Eccleſiis Collegiatis Colonienſibus, & quatuor, ut vocant, *dignitates* Eccleſiæ Trevirenſis, laudatque Molanum, Browerum, alioſque ſcriptores. Cantorum autem primus non a voce *χώρου*, *regionis*, *& agri*, ſed a *χορῷ* cum O. parvo, *cœtus canentium*, dicitur Chorepiſcopus, atque ita hoc vocabulum eſt idem, ac, *Moderator Chori*. Tantummodo apud Abbates, qui Mitra & Paſtorali baculo utuntur, & quatuor etiam *Minores Ordines* conferunt, veterum Chorepiſcoporum ſervatur imago aliqua. Chorepiſcopi ſane appellabantur Bertilo, Vigebertus, & Albuinus, necnon Brunuvardus, de quo Rabanus Maurus poemate duodecimo; atque hos omnes fuiſſe Abbates demonſtrat laudato in loco eruditus Du-Cangius.

CAPUT XI.

An ab Apoſtolorum ætate, atque ex divina inſtitutione Epiſcopi ſint a presbyteris honore, & auctoritate diſtincti.

FUerunt, ac ſunt modo inter Eccleſiæ hoſtes quidam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ oppugnatores, qui omnem Ordinis ac juriſdictionis poteſtatem, omnemque præeminentiam Epiſcopis ſupra presbyteros denegarunt, aut omnino pares illos eſſe affirmantes, aut ſi diſcrimen ſtatuerint aliquod, non aliud inter eos agnoſcentes, quam antiquioris ordinationis, atque, ut ita loquar, primogenituræ, eo quod prius in clerum adlecti fuerint & cooptati. Id primus omnium commentus eſt IV. Chriſtiani nominis ſæculo Aerius, ægre ferens quod Epiſcopalem honorem obtinere non potuiſſet, atque, ut ſolent ambitioſiſſimi homines, illud non parvipendens, quod vehementiori animo concupierat. Agunt de Aerio S. Epiphanius hæreſi 75. ac S. P. Auguſtinus h. 53. Eumdem errorem propugnaſſe dicuntur Valdenſes; de quorum tamen ſententia non una eſt eruditorum opinio. Wiclefus, poſteaquam a ſpe conſequendi Epiſcopatum Wigornienſem dejectus fuit, ſicut expertus eſt Aerii fortunam, ita adoptavit inſaniam, ut lib. 2. doctrin. Fidei art. 3. n. 60. ſcribit Thomas Valdenſis. Hæſit in eodem luto lib. IV. Inſtit. cap. 4. n. 2. hæreſiarcha Calvinus; atque in eodem errore defenſando plurimum ſudarunt recentiores Puritani, Blondellus præſertim, ac Salmaſius. Oppugnarunt e contra hæreticum ac peſtilentiſſimum dogma, præter Controverſiarum ſcriptores, innumeroſque ſcholaſticos, in quinque libris de Hierarchia Eccleſiaſtica Dionyſius Petavius, Natalis Alexander diſſert. 44. ſæculi IV. Iſaac Habert in Pontific. Græcorum pag. 163. Carolus Witaſſe prolixa diſſertatione de Sacramento Ordinis p. 2. ſect. 3. Cotelerius ad Epiſtolas Ignatianas, atque Guilelmus Beveregius, Jacobus Armachanus, & Joannes Pearſonius in ſelectis diſſertationibus inſertis volumini ſecundo PP. Apoſtolicorum. Noſtra de hoc argumento brevis & compendioſa diſſertatio eſt hujuſmodi.

PROP. A primæva Eccleſiæ Catholicæ inſtitutione, atque ab Apoſtolorum ævo Epiſcopi ordine ac dignitate præfuerunt presbyteris.

Sacrarum litterarum auctoritate, Eccleſiaſticis definitionibus, traditione Patrum, inſtitutione atque ſucceſſione Epiſcoporum, horum nominibus, & characteribus, atque Theologicis rationibus propoſitio hæc demonſtratur. Ex ſacris litteris hæc depromuntur. Etiam in Evangelica lege admitti debet Eccleſiaſtica Hierarchia recto ordine conſtituta, ad quam non omnes promiſcue fideles pertineant, ſed in ſortem Domini adſciti, & qui vocantur a Deo *tanquam Aaron*, ut verbis utar Apoſtoli ad Hebræos cap. v. 4. Atqui hæc Hierarchia poſtulat, ut Epiſcopus presbyteris, & clericis præſit, quemadmodum Aaron præerat filiis ſuis, ac Levitis. Igitur in Evangelica lege ſtatui debet Epiſcopi ſupra presbyteros auctoritas. Major propoſitio eſt Hieronymi, quem præcipue Presbyteriani opponunt, in fine Epiſt. ad Evangelum, immo & Tridentinæ Synodi definientis Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ conſtat ex Epiſcopis, presbyteris, ac miniſtris, *divina ordinatione fuiſſe inſtitutam*. Minor vero aperte conſtat legenti caput

28. Exo-

Digitized by Google

28. Exod. 29. Levit. 45. Eccl.; aliaque loca veteris Teſtamenti, ex quibus conſtat Aaron ampliorem gloriam, honoremque habuiſſe, diverſam conſecrationem, facultatem ingrediendi ſanctuarium, partem ex oblationibus peculiarem, atque ſupra Sacerdotes & Levitas omnes ampliſſimam juriſdictionem. Neque id negare audent hæretici; Calvinus enim in IV. Inſtit. cap. 6. num. 2. inquit: *Quia undique ab idololatris ſepti erant Judæi, ne religionum varietate diſtraherentur, cultus ſui ſedem in medio terræ ſuæ Deus collocavit, illic unum antiſtitem præfecit, quem omnes reſpicerent, quo melius in unitate continerentur:* & Magdeburgenſes Centuria prima cap. 7. *In Eccleſia populi Judaici unus tantum erat lege divina ſummus Sacerdos, quem omnes agnoſcere cogebantur, eique parere.* II. Apoſtolus in 1. ad Timot. III. 2. inter Epiſcoporum conditiones exigit, ut ſit *doctor*, atque ad Titum 1. 9. *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Hæc autem ab Apoſtolo de Epiſcopis, ut a presbyteris diſtinguuntur, dicta ſunt; tum quia hæc in iis exiguntur, qui per ſingulas civitates aliorum præſides ac magiſtri conſtitui debent, ut inquit Homil. X. in eamdem Epiſtolam ad Timoth. S. Joannes Chryſoſtomus: tum etiam, quia Paulus ibidem cap. V. 17. ſejungit ſeniores, *qui laborant in verbo, & doctrina*, ab aliis presbyteris, illoſque *duplici honore* dignos eſſe pronuntiat. III. Eodem cap. V. 1. Apoſtolus hoc Timotheo conſilium præbet, *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra, ut patrem:* quem locum S. Epiphanius hær. LXXV. num. 6. ita urget adverſus Aerium: *τί οὖν χρῆμα, ἐπισκόπῳ πρεσβύτερον μὴ ἐπιπλήττειν, εἰ μὴ ἦν ὑπὲρ τὸν πρεσβύτερον ἔχων τὴν ἐξουσίαν*; ideſt, *Quid attinebat, Epiſcopo vetare, ne presbyterum objurgaret, niſi majorem ſupra presbyterum haberet auctoritatem?* Chryſoſtomus utique Hom. 13. hunc locum exponit, non de dignitate, ſed *de ætate ſenili*, *περὶ γεγηρακότος*, at nihilominus hæc etiam interpretatio valet ad refellendos adverſarios, qui ætatem cum dignitate confundunt. IV. In eodem cap. V. verſu 19. ita Paulus Timotheum alloquitur: *Adverſus presbyterum accuſationem noli accipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Ergo Timotheus, quem fuiſſe Epiſcopum nemo unus ignorat, erat presbyterorum Antiſtes, & Judex. Hoc item argumento utitur citato in loco Epiphanius. & Chryſoſtomus, quamvis hic etiam ſenilem ætatem hom. 15. interpretetur, infert inde tamen Timotheo ut Epiſcopo creditam fuiſſe Eccleſiam, immo gentem fere totam Aſiaticam; & inquit, ideo Apoſtolum de ratione exercendi judicii egiſſe cum ipſo Timotheo, non tantum ut ei ſummam diligentiam commendaret, verum etiam, *ut omnes Epiſcopum tanquam præſidem, judicemque formident*, Ἀρα, inquit, *βούλεται, πάντας φόβον ἔχειν παρὰ τὸ ἐπισκόπου, καὶ πᾶσιν αὐτὸν ἐφέστηκεν*, ſcilicet, *Igitur vult omnes metum habere Epiſcopi, atque omnibus ipſum præficit.* V. Evangelica Hiſtoria non ſemel Apoſtolos a ſeptuaginta diſcipulis diſtinguit, immo & Chriſtus Dominus utroſque ſeparatim elegit. Nec affirmari poteſt parem fuiſſe illorum, iſtorumque auctoritatem; quum Apoſtoli ſemper Domino adhærerent, ipſos ad regendam Eccleſiam, & prædicandum Evangelium ſpeciali miſerit legatione, atque ipſi regimen Eccleſiæ juxta traditam ſibi a Magiſtro formam, Petro moderatore, ac principe conſtituerint. At omnium prorſus Patrum conſenſu, Gregorii Nyſſeni de Vita Moyſis, Chryſoſtomi hom. 38. in 1. ad Corinth. Hieronymi in Epiſtola ad Fabiolam, aliorumque, Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Igitur Epiſcopi tenent in Eccleſia gradum & ordinem, ceterorum ſacerdotum gradu & ordine ſuperiorem.

SERIES PROBATIONUM ALTERA.

Inter definitiones Eccleſiaſticas, quibus hæc corroboratur aſſertio, recenſeri principio poſſunt canones Apoſtolici, qui licet collecti ſint exeunte ſecundo ſæculo, aut tertio ineunte, comprehendunt tamen antiquiora ſtatuta quamplura. Primo itaque canone decernitur ut presbyter *ab uno* tantum Epiſcopo ordinetur, Epiſcopus autem *a duobus, vel tribus* aliis: quod ab initio Eccleſiæ inſtitutum eſſe colligi poteſt ex 1. ad Timoth. IV. 14. ex canone 3. Concilii primi Arelatenſis, ex 4. Nicæni primi, ex 21. primi Arauſicani. Iidem Apoſtolici canones tres Ordines, *Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum* diſtinguunt, num. 3. 4. 5. 6. 14. 18. 20. 21. 24. atque in hoc pariter apparere primævam inſtitutionem, conſtat ex canone 3. Nicæno, atque ex dictis 9. capite præcedenti. Rurſus canon Apoſtolicus 12. interdicit presbyteris, & diaconis, ne audeant in parœciam aliam migrare *abſque proprii Epiſcopi permiſſione*; & canon 24. illos ſuſpendit, ſi *proprio Epiſcopo ſpreto* altare erexerint contra altare. Triceſimo quarto canone iidem presbyteri & diaconi jubentur cuncta adminiſtrare juxta Epiſcopi nutum & auctoritatem. II. Agentes paullo ſupra de Chorepiſcopis, diximus eis licitum non fuiſſe ſacros *Ordines* conferre, neque in civitatibus habere ſedem, aut neophytos conſignare: quæ omnia ad Epiſcopos pertinent, eo quod habeant *apicem Pontificatus*, prout oſtendimus decretis Conciliorum, Romanorumque Pontificum. III. In eadem civitate juxta Apoſtolicam ordinationem *duo Epiſcopi prohibentur exiſtere*; etiamſi non repugnet plures presbyteros ibi moram agere, prout declarat canon Nicænæ Synodi octavus. Hinc S. P. Auguſtinus, auctore in ejus Vita Poſſidio, vehementer querebatur quod inauguratus eſſet Epiſcopus Hipponenſium vivente adhuc Valerio: & quando perlectæ Romæ fuerunt Divales Conſtantii, præcipientis ut una cum Liberio ſederet Felix, ut refert Theodoretus lib. 2. H. E. cap. 11. Romanus populus in Circo exclamavit: *Unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus.* IV. Tridentina Synodus ſeſſ. XXIII. can. 6. definit hierarchiam Eccleſiaſticam *divina ordinatione* inſtitutam fuiſſe, & conſtare *ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris*; & proximo canone 7. Epiſcopos presbyteris ſuperiores eſſe: quæ eſt aſſertio noſtra ex eorumdem Epiſcoporum inauguratione, officiis, ſede, & digniori in Hierarchia loco ſummatim confirmata.

TERTIA ARGUMENTORUM CLASSIS.

Patrum vero teſtimonia invicte poſitionem noſtram confirmant, atque ut ex immenſa illorum multitudine quædam luculentiſſima tantum proferam; prætermitto Dionyſium ſcribentem de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 5. presbyteros conſtitutos eſſe *ſub ordine divinorum Pontificum*, prout diximus cap. IX. prop. 2. necnon Auctorem Conſtit. Apoſtolic. aſſerentem lib. 2. cap. 18. & 26. omnium ab Epiſcopo curam geri, & hunc eſſe aliorum credentium *principem, ducem, regem, dynaſtam*. Mitto quoque verum Clementem, qui in Epiſt. ad Corinthios num. 40. Epiſcopos ſummo ſacerdoti Aaron comparat, eoſque *præpoſitos* appellat, ſegregatque a presbyteris: de qua epiſtola, quoniam inde novi Aeriani conantur hæreſim ſuam confirmare, agendum eſt rurſus. II. Nequaquam autem tacendum eſt de Ignatio martyre, cujus verba adeo manifeſta ſunt & perſpicua, ut hac de cauſa Presbyteriani Ignatianas Epiſtolas inter apocrypha ſcripta rejiciant; tametſi caſſo irritoque conatu, prout oſtendimus priori capite libri VIII. Ergo Ignatius in Epiſt. ad Magneſianos num. 6. inquit cuncta omni ſtudio, animorumque concordia agenda eſſe, *præſidente ceteris Epiſcopo Dei locum tenente*, *προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ*. Commendat ibidem Damam Epiſcopum, Baſſum & Apollonium presbyteros, & Sotionem diaconum, ita ſingulos diſcernens, *διὰ Δαμᾶ τοῦ ἀξιοθέου ὑμῶν ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρων ἀξίων Βάσσου καὶ Ἀπολλωνίου, καὶ τοῦ συνδούλου μου διακόνου Σωτίωνος*, *Per Damam Deo dignum Epiſcopum veſtrum, presbyteroſque dignos Baſſum & Apollonium, atque conſervum meum Sotionem.* Ad Trallianos num. 2. *Epiſcopo*, inquit, *ſubjecti ſitis, tanquam Jeſu Chriſto*, *τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθαι ὡς Ἰησοῦ Χριστῷ*, ac paullo poſt, *Neceſſum itaque eſt, quemadmodum facitis, ut ſine Epiſcopo nihil agatis*, *ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν, ὥσπερ ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν.* Ad Philadelphienſes num. 7. *Epiſcopo attendite, & presbyterio, & diaconis*, *Ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις*, & infra, *Sine Epiſcopo nihil facite*, *χωρὶς ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε.* Vides his in locis expreſſam ab Ignatio Epiſcoporum præeminentiam, juriſdictionem, auctoritatem. III. Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 12. ſcribit alia præcepta in ſacris litteris data eſſe *Epiſcopis*, alia *presbyteris*, alia *diaconis*, *αἱ μὲν ἐπισκόποις, αἱ δὲ πρεσβυτέροις, αἱ δὲ διακόνοις*, & in VI. Strom. pag. 667. inquit, *Nam & hic quoque in Eccleſia ſunt progreſſiones Epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum*, *ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων.* Nota *προκοπὴν* idem eſſe, ac *profectum* de uno ad gradum alium ſuperiorem a *προκόπτω*, *proficio, procedo*: ibique Clementem explicare Eccleſiaſticam Hierarchiam, in qua primum locat diaconos, tum ait cooptari presbyteros *κατὰ προκοπὴν δόξης*, *per gloriæ profectum*, ac tandem per Epiſcopatum eos, qui veſtigiis Apoſtolorum inſiſtunt, creſcere *εἰς τέλειον ἄνδρα*, *in virum perfectum.* IV. Origenes, quem fuiſſe presbyterum omnes norunt, homilia 2. in Jeremiam ait, *plus a ſe exigi, quam a diaconis, ab his vero plus quam a laicis, plus rurſus ab iis, quibus & ſuper diaconos, & ſuper presbyteros commiſſum eſt regimen ac principatus Eccleſiaſticus*: *ὁ δὲ πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν, ἐπὶ πλεῖον ἀπαιτεῖται.* V. Tertullianus de baptiſmo cap. 17. de ipſo ſacramento conferendo pertractans: *Dandi quidem*, inquit, *habet jus ſummus Sacerdos, dehinc presbyteri & diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt.* VI. S. Cyprianus epiſt. XI. ſcribit presbyteros, qui lapſos inconſulto Epiſcopo recipiebant, eidem *Epiſcopo honorem ſacerdotii ſui, & cathedræ* non reſervare; epiſt. 27. docet *Eccleſiam ſuper Epiſcopos conſtitutam* fuiſſe; & epiſt. 65. ad Rogatianum loquens de diacono in Epiſcopum contumaci, miratur primum non fuiſſe illum ab Epiſcopo gravi animadverſione punitum, cum habeat is *Epiſcopatus vigore & cathedræ auctoritate poteſtatem*, deinde ait: *Meminiſſe autem diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt, Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit.* In Carthaginenſi etiam Synodo, cui Cyprianus ipſe præfuit, Clarus a Maſcula inquit: *Apoſtolis nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes.* VII. S. P. Auguſtinus de Hær. num. 53. Aerium inter hæreticos recenſet, quod inter alia nefaria dogmata diceret, *presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni*; Epiſt. 21. ad Valerium num. 1. tres gradus in Eccleſia ſubli-

ſublimiores, & periculis majoribus obnoxios fecernit, *Epiſcoporum, preſbyterorum, diaconorum*: lib. 1. de Actis cum Felice Manichæo cap. 12. hæretico dicenti, *Non ego poſſum contra tuam virtutem, quia mira virtus eſt gradus Epiſcopalis*, præſtantiſſimus caritatis & humilitatis Magiſter reſpondat, *Dixiſti, quod te Epiſcopalis terreat auctoritas; cum videas quanta pace inter nos agamus, quanta tranquillitate diſputemus*, manſuetudinem exercens, auctoritatem autem non denegans. Eadem humilitate ita Hieronymum alloquitur Epiſt. 82. num. 38. *Quamquam enim ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus presbyterio major ſit; tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt*. VIII. Vide Leonem Magnum epiſt. 27. & 88. Cæleſtinum in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 1. Gregorium Magnum lib. iv. in 1. Regum cap. 6. &c.

Peculiari autem modo de Hieronymo, & Chryſoſtomo agendum eſt, quorum verbis Presbyteriani potiſſimum abutuntur. IX. Hieronymus itaque non uno in loco diſcrimen, de quo loquimur, & ampliorem Epiſcoporum auctoritatem ac præeminentiam commonſtrat. In Epiſtolam ad Titum cap. 1. ea verba expendens, *Et conſtituas per civitates Epiſcopos*, ait: *Audiant Epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyteros per urbes ſingulas poteſtatem*. In Epiſt. 27. ad Marcellam refellens Montaniſtas, qui priorem locum dabant Patriarchæ, alterum iis, quos appellabant Cenonas, & Epiſcopis tertium ac pene ultimum, *Apud nos*, inquit, *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*. Eadem repetens Ep. ad Heliodorum monachum ſcribit, Epiſcopos *ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri*. In libris adverſus Jovinianum diaconos a presbyteris, & presbyteros ab Epiſcopis ſæpe ſæpius diſtinguit. Non ſemel hanc diſtinctionem ei comparat, quæ olim inter Aaron, ejuſque filios intercedebat: nam ad Nepotianum Epiſt. 34. ait: *Quod Aaron & filios ejus, hoc eſſe Epiſcopum & presbyterum noverimus*; & in fine Ep. 101. ad Evangelum, *Et ut ſciamus*, inquit, *traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento, quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in Eccleſia*. In Epitaphio item Paulæ ſcribit: *Aderant Jeroſolymarum & aliarum urbium Epiſcopi, & Sacerdotum inferiores gradus, ac Levitarum innumerabilis multitudo*. Epiſcopis demum tanquam in ſupremo Ordine conſtitutis, docuit honorem maximum exhibendum, ſcribens in Epitaphio Nepotiani, ſive Epiſt. 35. *Ut regi, ſic Epiſcopo; immo minus regi, quam Epiſcopo*: idque confirmavit etiam exemplo, dum cum parente noſtro Auguſtino diſputans, *Deinde*, inquit, *illud conabor, ne Epiſcopo communionis meæ videar procaciter reſpondere*. Quid ergo ex Hieronymo expectare poſſumus luculentius? Tribuit ille Epiſcopis poteſtatem conſtituendi presbyteros: tribuit ordinis diſcrepantiam: tribuit ſucceſſionem Apoſtolorum: tribuit Aaronis ſupra Levitides excellentiam: tribuit gradus ſuperioritatem: tribuit ampliorem in Eccleſia dignitatem, quam habeat rex in republica: tribuit præcipuam, & omni obſequio digniſſimam majeſtatem. X. Ita prorſus Chryſoſtomus, qui in Orat. contra Judæos docet Eccleſiarum Epiſcopos prænuntiatos fuiſſe vaticinio Iſaiæ lx. 17. *Ponam præpoſitos tuos juſtitiam*. In Oratione de beato Philogonio vocat Epiſcopos τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας, *præfectos Eccleſiarum*. De ſacerdotio lib. 3. tribuit Epiſcopo ſummam *auctoritatem & potentiam*; & de illo ſcribit Hom. 3. ad Populum Antioch. *Princeps eſt hic quoque, & quidem illo*, ideſt rege, *honoratior*, ἄρχων ἐστὶ καὶ αὐτὸς, καὶ ἄρχων ἐκείνου τιμιώτερος. Rurſus Hom. 34. in Epiſtolam ad Hebræos de Epiſcopis declarat verba illa cap. 13. 17. *Obedite præpoſitis veſtris*, docens in Eccleſia eſſe *magiſtratum ac principatum*, ipſos Epiſcopos eſſe, quos Paulus appellat ἡγουμένους, *præpoſitos*: etiam Apoſtolorum ætate fuiſſe ἄρχοντας, *principes*; & Epiſcopatum recte nominari ὄγκον ἀρχῆς, *imperii molem*. Homilia denique xiii. in 1. ad Timotheum demonſtrans accipi non poſſe ea verba, *Per impoſitionem manuum preſbyterii*, περὶ πρεσβυτέρων, ἀλλ' ἐπισκόπων, οὐ γὰρ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν, *de presbyteris, ſed de Epiſcopis; non enim presbyteri Epiſcopum ordinaverant*, diſtinctionem, & prærogativam honoris, pro qua pugnamus, aliquatiſſima tradidit.

ARGUMENTATIONUM SECTIO QUARTA.

Invictiſſima pro Catholicorum ſententia ſunt momenta illa, quæ petuntur ex ſucceſſione Epiſcoporum; quum enim Patres demonſtrent aut Apoſtolicorum dogmatum veritatem, aut inſtitutionem Eccleſiarum perantiquam, ex quo unus Epiſcopus & Antiſtes altari continuata ſerie ſucceſſerit, neceſſum eſt, ut ab initio unus fuerit in Apoſtolicis Eccleſiis ſacerdos gradu, & auctoritate præſtantior, ceteriſque præfectus. Igitur S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. Valentinianos revincit, quod oppoſitam illis doctrinam teneant Eccleſiæ, *in quibus ab Apoſtolis conſtituti ſunt Epiſcopi*, eorumque *ordinatione, & ſucceſſione* veritas conſervata eſt, & ad nos derivata. Ibidem Irenæus ob oculos ſtatuit ſucceſſiones Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, a Petro uſque ad Eleutherium, quem duodecimo loco numerat, illorum texens indiculum. At de hoc loco Irenæi plura dixi cap. 5. libri tertii ac viceſimi pugnans pro Apoſtolicis traditionibus. II. Refellit hæreticos iiſdem momentis Tertullianus, cujus de Præſcript. cap. 32. hæc ſunt verba: *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum* (hæretici): *evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctorem, & anteceſſorem*. Horum Epiſcoporum aliquos commemorans laudat *Polycarpum a Joanne, & Clementem a Petro ordinatum*, ſubjicitque: *Proinde, utique & cetera exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici*. III. Inſiſtit iiſdem veſtigiis Auctor Carminum adverſus Marcionem inter Opera ejuſdem Tertulliani, ſcribens prope finem libri 3.

Quorum diſcipuli, qui ſucceſſere per Orbem
Conflati virtute viri, noſtrique magiſtri
Conjunctos operis nobis tribuere honores:
Ex quibus electum magnum, plebique probatum,
Hac Cathedra Petrus, qua ſederat ipſe locatum
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit,

alios proſequutus ad Anicetum uſque. IV. Ex eadem Epiſcoporum ſucceſſione S. Optatus lib. 2. arguit Donatiſtas; eamdemque contexunt Epiphanius hæreſi 27. atque S. P. Auguſtinus epiſt. 165. alias 53. ad Generoſum, ubi refellens pariter Donatiſtas, eos revincit, ex quo nullum antiquum Epiſcopum poſſint proferre, recenſens e contra Romanos Pontifices a Petro uſque ad Anaſtaſium, tunc temporis, ideſt, circa an. 400. Romæ ſedentem. V. Poſſunt huc referri antiquiſſimi aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, quos conſtat ex H. E. Euſebii priſcis ſæculis uni Antiſtiti ſupra cœtum clericorum conſtituto ſucceſſiſſe: ſit in exemplo Simeon, qui præſedit Jeroſolymis poſt Jacobum, Anianus ſucceſſor S. Marci in Cathedra Alexandrina, Heraclea iiſdem ejuſdem ſedis Epiſcopus, Pothinus, & Irenæus Lugdunenſes, Polycarpus ordinatus a Joanne Epiſcopus Smyrnæ, aliique permulti. VI. Adde vetuſtiſſima Acta S. Martyris Ignatii Antiochenorum Epiſcopi, edita ab Uſſerio, & a Ruinartio, in quibus n. 4. legitur: *Honorabant enim ſanctum per Epiſcopos, presbyteros, & diaconos, Aſiæ Civitates, & Eccleſiæ*. In Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ, uno ſane ex præcipuis ſacræ antiquitatis monumentis, prælaudatus martyr Polycarpus dicitur n. 16. *Doctor Apoſtolicus, & Catholicæ Smyrnenſium Eccleſiæ Epiſcopus*: in altera perantiqua Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis n. 9. de Pothino dicitur, *Qui Epiſcopatum Lugdunenſis Eccleſiæ adminiſtrabat*. Extat apud Euſebium lib. v. cap. 4. alterius Epiſtolæ earumdem Eccleſiarum fragmentum, in quo Irenæus a martyribus ut *presbyter* laudatur, priuſquam in Epiſcopali Cathedra conſtituerent. Ipſi præterea Chriſtianorum perſecutores in proſcriptionibus ſuis nominabant Epiſcopos charactere dignitatis ipſorum adjuncto; unde S. Cyprianus meminit epiſt. 55. & 66. alias 69. proſcriptionis ſuæ, ita conſcriptæ: *Si quis tenet, vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum*.

QUINTA ARGUMENTORUM CONGERIES.

Videtur mihi Catholica veritas confirmari ſacrorum quoque Antiſtitum titulis honeſtiſſimis: ac primum ipſo nomine *Epiſcoporum*. De quo cum plura dixerim initio noni capitis, addendum nunc eſt, ab Ethnicis diis ſuis, quos rectores univerſarum rerum putabant, fuiſſe idem vocabulum adtributum. Illuſtria ſunt teſtimonia, quæ ex Homero, Plutarcho, & Herodiano collegit Annotatione in 1. Canonem Apoſtolicum Beveregius. Obſervavit ibidem vir eruditus *Epiſcopos* nominari etiam viros, qui rebus adminiſtrandis præficiuntur, idque comprobavit verbis Plutarchi in Numa, & Ciceronis lib. vii. ep. 11. ad Atticum. Ex ipſo ergo Epiſcoporum vocabulo infertur his committi populorum ac fidelium regimen, & præfecturam; quod commonſtrans Paulus Act. xx. 28. ait Eccleſiæ Paſtoribus: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. II. Epiſcopi in Apocalypſi Joannis cap. 1. dicuntur *Angeli*, non utique alia de cauſa, niſi propter Evangelium, quod annuntiant hominibus, & propter eminentiam auctoritatis, qua pollent, Angelos enim eſſe Dei *nuncios* commonſtrat illorum vocabulum, & inter res creatas principem habere locum, neminem latet; quare S. P. Auguſtinus de Civ. Dei lib. xviii. cap. 35. etiam Domino Jeſu, Epiſcopo animarum noſtrarum, ſicut appellatur 1. Petri ii. 25. *Angeli* nomen ob Evangelii annuntiationem, & Eccleſiæ regimen convenire demonſtrat. Celebris Apocalypſis interpres Arethas inquit: *Eccleſiæ præfectus eſt Angelus*; quod & confirmat Gregorii Theologi auctoritate. In eamdem Apocalypſim intendens animum Tertullianus, *Habemus* (inquit lib. iv. adverſus Marcionem cap. 5.) *Joannis alumnas Eccleſias: nam etſi Apocalypſim ejus Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Joannem ſtabit auctorem*. III. Quamvis etiam Presbyteri ſacerdotio funguntur: Epiſcopus nihilominus antonomaſtice *ſacerdos* nun-

nuncupatur: ideoque ſanctus Hilarius Pictavenſis Epiſcopus dicitur a Venantio Fortunato lib. 1. Vitæ S. Martini,

Rite ſacerdotis penetralia jure gubernans.

Id vero non alia ratione, niſi quia Epiſcopus inter ſacerdotes præcipuo fulget honore. Immo non *ſacerdos* tantum, ſed *ſummus ſacerdos* appellatur Epiſcopus, nam Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 1. num. 4. inquit: *Succinctus ſummus ſacerdos; licet enim & presbyteri fecerint, tamen exordium miniſterii a ſummo eſt ſacerdote: ſuccinctus, inquam, ſummus ſacerdos pedes tibi lavit.* Nota hoc in loco Epiſcopi amplitudinem ac dignitatem, ejuſque a presbyteris diſcrepantiam. Præcitatus Fortunatus Leontium Epiſcopum alloquens carm. xv. lib. 1. ait:

Præcedis multos, nulli minor atque ſecundus,
Nec ſupereſt aliquid, quod dare poſſit honor.

Adde quæ cap. 9. ex Optato, Sidonio, aliiſque dixi de ſacerdotio in primum, & ſecundum *ordinem* dividendo. IV. Tribuuntur Epiſcopis characteres alii, quos S. P. Auguſtinus in Pſ. 126. num. 3. ſimul enumerat, & inde infert Epiſcopatus officie, honorem ac poteſtatem. Explicans enim ea verba, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem*, atque in *Civitate* intelligens myſticam Jeruſalem, ideſt, Eccleſiam, *Et Epiſcopi*, inquit, *hoc faciunt; nam ideo altior locus poſitus eſt Epiſcopis: ut ipſi ſuperintendant, & cuſtodiant populum. Nam & Græce quod dicitur Epiſcopus, hoc Latine ſuperintentor interpretatur: quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Quomodo enim Vinitori altior fit locus ad cuſtodiendam vineam, & ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt.* Poſt pauca: *Cuſtodimus vos ex officio diſpenſationis; tanquam vobis Paſtores ſumus, ſed ſub illo Paſtore vobiſcum oves ſumus. Tanquam vobis ex hoc loco doctores ſumus, ſed ſub illo uno Magiſtro in hac ſchola vobiſcum condiſcipuli ſumus, &c.* V. Cum in tanta Patrum copia, illorumque ſententiarum glutinatione Gregorium Nazianzenum cognomento Theologum laudaverim quidem, ſed Aretæ teſtimonio, nulliſque ipſius verbis productis; aſcribam quæ Carmine xi. ad Epiſcopos de horum eximiis characteribus ſcribit, interprete Jacobo Billio:

Clari Cuſtodes animarum, quique Tonantis
Figmentum manibus cogitis mirabile veſtris,
Quique Deum humano generi ſociatis in unum,
Lux vitæ, fidei columen, fundamina mundi,
Doctores vitæ, nullo quæ clauditur ævo,
Chriſtiferi, ſoliis præclaris quique ſedetis
Sublimes, &c.

Ex his ergo, aliiſque ſacrorum Antiſtitum ſummis, ampliſſimiſque vocabulis, titulis, officiiſque ſublimis illorum ordo, poteſtas, auctoritas magis, magiſque ſtatuitur, fulcitur, corroboratur.

SEXTA ARGUMENTATIONUM COMPLEXIO.

Poſtremo loco demonſtratur propoſitio petitis a ratione argumentis, quæ ex præcedentibus facillime deducuntur. Horum primum ſit: Admittendam eſſe Hierarchiam Eccleſiaſticam *divina ordinatione* conſtitutam tradunt Patres, definiunt Concilia, & ratio ipſa ſuadet. Forent autem in hac Hierarchia omnia permixta & confuſa, niſi unus ceteris præficeretur, nec eſſet *Ordo* Procerum & Antiſtitum, quibus presbyteri, diaconi, aliique clerici, & laici in iis, quæ ſpiritualis ſunt ordinis, ſubjicerentur. In eadem rurſus Hierarchia *Epiſcopi, presbyteri, & diaconi* comprehenduntur; ideoque ſicut diaconi presbyteris, ita presbyteri ſubjiciuntur Epiſcopis. II. Ab Apoſtolorum ætate unus tantum Epiſcopus præfuit majoribus Eccleſiis, adeo, ut ſecundo ſæculo quum Narciſſus Jeroſolymorum Antiſtes ætate provectiori (erat enim annos circiter centum natus) Epiſcopali oneri ſuſtinendo impar videretur, ejuſque, necnon cleri & plebis conſenſu Alexander, qui ſacra loca viſitandi deſiderio permotus advenerat Jeroſolymam, in ſolio illius Eccleſiæ fuiſſet conſtitutus: id nonniſi *divina diſpenſatione divinoque oraculo* factum fuerit, ut legitur apud Euſebium H. E. l. vi. cap. 1. & in Alexandri Actis apud Ruinartium pag. 112. Singularis autem Præſul, ſolium tenens, atque in locum unius Paſtoris ſuffectus in communem presbyterorum ordinem nequit redigi. III. Habet Epiſcopus ſupra presbyterum ampliorem *ordinis* poteſtatem: ad illum ſiquidem attinet ad ſacros Ordines promovere, conferre ſacramentum confirmationis, aliaque munia exercere, quæ præſtare nequeunt presbyteri, ordinaria ſaltem auctoritate. IV. Si presbyter alium in presbyterum ordinaret non inſignitus Epiſcopali conſecratione, talis ordinatio irrita penitus ac nulla eſſet. Habet itaque Epiſcopus poteſtatem inaugurandi ſacerdotes, qua poteſtate carent presbyteri. Demonſtratur autem antecedens inſigni teſtimonio S. Athanaſii, qui in ſua adverſus Arianos Apologia pag. 134. novæ editionis probat Iſchyram, de quo ſupra, in Epiſcopatu ab hæreticis conſtitutum, nec fuiſſe presbyterum, ita ſcribens: πόθεν οὖν πρεσβύτερος Ἰσχύρας; τίνος καταστήσαντος; ἆρα Κολλούθου; τοῦτο γὰρ λοιπόν. ἀλλ' ὅτι Κόλλουθος πρεσβύτερος ὢν ἐτελεύτησε, καὶ πᾶσα χεὶρ αὐτοῦ γέγονεν ἄκυρος. *Unde igitur presbyter Iſchyras? quo ordinante? nonne Colluthe? Atqui Colluthus quum eſſet presbyter obiit, ejuſque omnes manus abſque auctoritate fuerunt.* Addit Athanaſius, *omnes qui ſchiſmatis tempore a Colluthe fuerant ordinati, ad laicalem ſtatum fuiſſe redactos*: καὶ πάντες οἱ παρ' αὐτοῦ κατασταθέντες ἐν τῷ σχίσματι, λαϊκοὶ γεγόνασι. V. Epiſcopi denique etiam juriſdictionem habent ea, quæ presbyteris committitur, ampliorem; nam ſtatim ac præficiuntur Eccleſiarum regimini, poſſunt confeſſarios approbare, ferre excommunicationem aliaſque cenſuras, ac presbyteros ipſos ſuſpendere & degradare; tametſi hæc juriſdictionis poteſtas, ut ſæpe diximus, poſſit a poteſtate *ordinis* ſeparari. Epiſcopos itaque eſſe, ac ſemper fuiſſe ſuperiores presbyteris, auctoritate Scripturarum, definitionibus Eccleſiaſticis, traditione majorum, inſtitutione atque ſucceſſione eorumdem Epiſcoporum, ipſorum quoque nominibus & characteribus, ac demum Theologicis rationibus, quod præſtandum erat, oſtendimus.

AD EA, QUÆ AERIANI OBTRUDUNT, RESPONSIO.

Sed qui Epiſcopalem auctoritatem honoremque deprimunt, hæc objiciunt. Aperta, inquiunt, novi Teſtamenti loca demonſtrant in priori Eccleſiæ inſtitutione, atque œconomia, eoſdem omnino fuiſſe Epiſcopos, ac presbyteros, ideoque nil inter illos verſari diſcriminis, illa ſecluſa juriſdictione, & gradus prærogativa, quam Antiſtitibus, ætateque provectioribus, Eccleſiæ progreſſu temporis contulerunt. Antecedens probatur; enimvero Act. xiv. 22. legitur Apoſtolos conſtituiſſe *per ſingulas civitates presbyteros*. xv. 2. 6. 22. xxi. 18. connumerantur conventus Apoſtolorum, ſeniorumque, ſcilicet ut Græce legitur, *presbyterorum*, τῶν πρεσβυτέρων. In priori ad Timoth. iv. 14. univerſus miniſtrorum ſacrorum cœtus dicitur *presbyterium*, & proximo cap. v. 17. *presbyteri* appellantur ii, *qui præſunt*. Atqui ſacerdotes in civitatibus conſtituti, ab Apoſtolis in Concilium communemque adminiſtrationem recepti, quique ceteris præficiebantur, proculdubio fuerunt *Epiſcopi*; hi ergo a presbyteris minime olim ſecreti erant. Neque dicas nonnullos quidem presbyterorum fuiſſe Epiſcopos, at non omnes: aperte namque in eodem novo Teſtamento omnes presbyteri dicuntur Epiſcopi, atque omnis inter illos differentia amovetur. Nam Act. xx. 17. ad ſe Paulus vocavit presbyteros omnes Epheſios, quos Vulgata noſtra appellat *Majores natu*, Græca autem Lectio, τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας: atque hos *presbyteros* longa alloquens oratione, verſu 28. vocat *Epiſcopos*. Inter iſtos denique, ac diaconos nullum *ordinem* medium agnoſcens in Epiſt. ad Philipp. 1. gratiam & pacem apprecatur ſanctis omnibus, qui erant Philippis, *cum Epiſcopis & diaconibus*, nulla presbyterorum mentione facta.

Reſp. 1. Non deeſſe, qui cenſent primis Eccleſiæ ſæculis non tantum gradu, & auctoritate, verum etiam nomine Epiſcopos a presbyteris fuiſſe diſtinctos, quod viri aliqui docti probant præmiſſis teſtimoniis Clementis Alexandrini, Origenis, ac Tertulliani, abjicientes ſententiam aliorum Patrum, qui aſſerunt vocabula *Epiſcopi*, ac *presbyteri*, immo & *diaconi*, fuiſſe olim communia, prout ſcripſerunt poſt Chryſoſtomum plerique Græcorum, necnon Latini cum præſtantiſſimo doctore Hieronymo: qua ſententia recepta, presbyteriani hac prima argumentorum farragine ludunt operam. Sane defendi poteſt, in prima Eccleſiarum fundatione Apoſtolos illis Eccleſiis, in quibus adhuc ipſi commorabantur, & in minoribus aliis ſubjectis alicui nobiliori, & in urbibus præcipuis conſtitutæ, presbyteros tantum, & diaconos ordinaſſe, ſiquidem munus Epiſcopi aut illi gerebant, aut Antiſtites amplioribus Eccleſiis præpoſiti, E. G. Timotheus Eccleſiæ Epheſiorum, Titus Cretenſium; in Eccleſiis autem nobilioribus conſtituiſſe Epiſcopos, & diaconos, atque ea iſtorum numero creſcente poſtmodum fidelium multitudine ab ipſis Epiſcopis presbyteros ſelectos atque ordinatos fuiſſe. Igitur data opportunitate nunc Epiſcopi & diaconi in Actibus & Epiſtolis Apoſtolicis commemorantur, nunc diaconi, & presbyteri; quoniam neceſſum non erat in eadem Eccleſia ab initio conſtitui & diaconos, & presbyteros, & Epiſcopos, ac multo minus eaſdem ad ſingulos iſtos dirigi exhortationes. Quare S. Epiphanius h. 75. pag. edit. Petavianæ 908. de Aerio, in cujus officina hæc ſophiſmata procuſa fuerunt, ita ſcribit: *Sed nimirum veritatis iſte ſeriem ignorans, nec in reconditiore hiſtoria verſatus, non intelligit Apoſtolum, cum recens adhuc eſſet Chriſtiani dogmatis propagatio, pro re nata ſcripſiſſe. Nam ubi jam Epiſcopi conſtituti fuerant, ad Epiſcopos & diaconos ſcribebat: neque enim ſubinde omnia ab Apoſtolis ordinari poterant; & quidem presbyteris in primis & diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſunt. Quare ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurrerat, nullus ei loco propoſitus eſt Epiſcopus. At ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum, qui Epiſcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epiſcopi conſtituti: ſed cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Epiſcopi crearentur; unde ſola Epiſcopo contenti fuerunt. Sine diacono autem Epiſcopus eſſe non poteſt.* Pro hac Epiphanii ſententia pugnant acerrime Joannes Pearſonius in Vindiciis Epiſtolarum S. Ignatii cap. 13.

Ego tamen arbitror, Epiſcopi & presbyteri nomina fuiſſe in Ec-

in Eccleſiæ exordio communia, munia vero, gradum, ordinem & auctoritatem diverſa: nam ita cenſent, ut dixi, præſtantiſſimi Eccleſiæ Patres, quorum aſſertio & poteſt ex ipſis ſacris litteris comprobari, & facile conciliari cum ſententia Epiphanii; quum non repugnet eadem vocabula ampliori ſignificatione pluribus, ſtricta autem & propria uni tantummodo convenire. Patrum autem loca producam infra, tertiam, & quartam oppoſitionem expendens: nunc quoniam contrita hac prima reliquæ dilabuntur, in ſcripturis perſiſtam paullulum. In his igitur *Apoſtoli, Epiſcopi, presbyteri, & diaconi* nunc communi, nunc peculiari acceptione nominum inveniuntur deſcripti. *Apoſtolus* dicitur Chriſtus Jeſus in Epiſtola ad Hebræos III. 1. *Apoſtoli* dicuntur *duodecim*, qui tali vocabulo communiter honeſtantur, Matt. x. 2. Lucæ VI. 13. Act. I. 26. *Apoſtoli* dicuntur etiam Barnabas, Paulus, Andronicus, Junias, Epaphroditus, aliique plures ad Corinthios prima, XV 7. *Epiſcopus* item appellatur Dominus I. Petri II. 25. *Epiſcopi* vocantur, qui Eccleſiam regunt, & conſtituunt presbyteros, Act. xx. 28. ad Timotheum III. 2. & ad Titum I. 7. *Epiſcopi* denique dicuntur ii omnes, qui Eccleſiæ aliquam curam gerunt, Ad Philipp. I. 1. *Presbyterum* ſe appellat Petrus 1. Epiſt. v. 1. item Joannes initio epiſtolæ ſecundæ ac tertiæ; eodemque nomina vocantur a Paulo 1. ad Timoth. IV. 14. & v. 17. Epiſcopi Eccleſiis præfecti. Etiam *Diaconi* initio epiſtolæ ad Philippenſes, in tertio capite primæ ad Timotheum, aliiſque in locis dicuntur ſacri miniſtri presbyteris inferiores; & nihilominus Archippi quoque διακονία commemoratur prope finem epiſtolæ ad Coloſſenſes; quamvis idem Archippus eo quod obierit Apoſtolicum prædicationis munus, a Paulo ſcribente ad Philemonem cap. I. 2. vocetur συστρατιώτης, *commilito*, & Epiſcopus a Hieronymo, Ambroſiaſtro, & aliis exiſtimetur. Invenimus ergo ſacerdotum, ſacrorumque miniſtrorum vocabula modo uno, modo altero ſenſu uſurpata: idque, ut dixi, Patrum teſtimoniis paullo poſt confirmabo. Nunc ad objecta paucis reſpondeo. Demonſtrant manifeſta novi Teſtamenti loca olim idem omnino fuiſſe Epiſcopos, ac presbyteros, quantum ad ampliorem vocabulorum ſignificationem, concedo: quantum ad officium, gradum, ordinem, dignitatem, nego. Significationem nominum tradidi initio cap. VIII. & IX. Etiam Dominus Jeſus nuncupatur Epiſcopus & Apoſtolus: nullam ergo habet ſupra Apoſtolos & Epiſcopos auctoritatem? Petrus item ajebat, πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος, *Presbyteros, qui in vobis ſunt, obſecro compresbyter*, aut juxta Vulgatam, *Seniores conſenior*: ergone presbyteri Apoſtolorum principi pares erunt? Demum & Epiſcopis tribuitur διακονία: audent ne Puritani Epiſcopis diaconos comparare? Adde iiſdem locis, quæ opponuntur, confutari adverſarios. Etenim ex objectis locis conſtat Epiſcopos Eccleſiæ præfici, ut conſtituant presbyteros, ad Tit. I. 5. ut præſint, ac laborent in verbo & doctrina, 1. ad Timoth. v. 17. ut virorum Eccleſiaſticorum cauſas dirimant, ibidem verſu 19. At vide probationum noſtratum priorem ſeriem. Poſtremo quod Paulus mittens Epheſum ad ſe vocarit *majores natu*, & iſtud Aerianos revincit; ſiquidem S. Irenæus lib. 3. cap. 14. n. 2. interpretans quæ leguntur Act. xx. 17. de Paulo inquit: *In Mileto enim convocatis Epiſcopis & presbyteris, qui erant ab Epheſo, & a reliquis proximis civitatibus, &c.* quo in loco Epiſcopos diſtingui a presbyteris, & non tantum Epheſinum, verum etiam proximiorum urbium præſules Miletum profectos, ac proinde Puritanos verba ſcripturæ detorquentes inaniter cavillari, ex Irenæo perſpicue colligitur, prout recte ſapienterque adnotavit pag. 201. editionis ſuæ doctiſſimus Maſſuetus.

Puritani rurſus objiciunt: Clemens Romanus Epiſt. ad Corinth. n. 42. ſcribit Apoſtolos per regiones verbum Dei annuntiantes conſtituiſſe viros probatæ virtutis εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν, *in Epiſcopos & diaconos eorum, qui credituri erant*: de quo loco diximus cap. x. agentes de Chorepiſcopis. Presbyteri ergo diſtincti ab Epiſcopis nulli erant. Hinc Papias in fragmentis, quæ ſuperſunt apud Euſebium lib. 3. H. E. cap. 39. *presbyterum* appellat ſanctum Marcum Epiſcopum Alexandrinum; & Zoticus quoque Præſul Comanenſis, de quo in eadem de Chorepiſcopis diſſertatiuncula, in ipſamet Euſebiana Hiſtoria lib. v. cap. 16. ab Anonymo & perantiquo Auctore geſta Montaniſtarum narrante, συμπρεσβύτερος, *compresbyter* appellatur. Poſſunt hujus generis exempla proferri quamplurima.

Reſp. ad 1. nihil adverſus nos erui ex Clementis Epiſtola, quamquam poſſimus aſſerere interpolatam eſſe, ac pluribus ſaltem in locis dubiæ fidei. Quod enim diximus ſupra, oppoſitionem penitus elidit iſtam; ſive reponamus vocabula *Epiſcopi*, & *presbyteri* fuiſſe aliquando communia: ſive affirmemus Evangelicæ prædicationis initio conſtituendos fuiſſe Epiſcopos, qui Apoſtolis abeuntibus plebem regerent, iiſque deputandos inſervientes miniſtros; ab illis autem progreſſu temporis presbyteros ordinatos, tali numero, ac tali œconomia, qualem exigeret fidelium multiplicatio. Præterea Clemens in eadem Epiſtola diſcrimen Epiſcoporum a presbyteris evidentiſſime tradit. Numero quippe 1. mandat, ut reverentiam exhibeamus Eccleſiarum *præſulibus*, quos appellat τοῖς ἡγουμένοις, *& honorem presbyteris*, καὶ τιμὴν πρεσβυτέροις, idem repetit n. 21. *Præpoſitos noſtros revereamur, & presbyteros noſtros honoremus*, τοὺς προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν. Num. 40. dilucide ſummos ſacerdotes, presbyteros, diaconos, & laicos ſecernit, adducta veteris legis comparatione; ait enim: *Summo ſacerdoti ſua munera tributa ſunt, & ſacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt, & Levitis ſua miniſteria incumbunt, & homo laicus præceptis laicis conſtringitur*: τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται, καὶ ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. Quod dixi videri epiſtolam illam ad Corinthios interpolatam, pluribus argumentis demonſtrat Hen. Hammondus, præſertim ex permixtis in illa Epiſtola verbis Iſaiæ lx. 17. & lxvi. 21. Sed vide adnotat. Cotelerii tom. I. PP. Apoſtolic. pag. 170. Priori reſponſione, innixa vario vocabulorum ſenſui, ſolvuntur objectiones duæ de Marco, & Zotico nuncupatis *presbyteris*; tametſi Papiæ verba hæc ſunt, Καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε. Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου, *&c. Etiam hoc presbyter narrabat, quod Marcus interpres Petri*, *&c.* ubi πρεσβύτερος dicitur qui loquebatur de Marco, & non Marcus ipſe: quod & conſtat ex Verſione Rufini, atque ex Valeſiana pag. 112. Zoticus etiam Comanenſis Epiſcopus lib. v. H. Euſebii cap. 16. pag. 182. non eſt ille, qui ſupra pag. 179. ejuſdem edit. Valeſii vocatur presbyter. Iſte namque *Otrenus* erat, non *Comanenſis*: atque *Otrum* in Phrygia ſalutari fuit, & *Comana* in Armenia ſecunda, fuitque inſuper inter utrumque Zoticum differentia ætatis, ut demonſtrat cit. cap. 12. Jo. Pearſon.

Tertio Aeriani opponunt Homiliam 1. S. Joannis Chryſoſtomi in Ep. ad Philip. ubi explicans eximius Doctor illa Pauli verba, *Cum Epiſcopis, & diaconibus*, inquit, πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε, *Presbyteros ita appellavit*. Similia Theodoretus, ac Theophylactus. Præterea Hom. XI. in 1. ad Timoth. quærens Chryſoſtomus cur Apoſtolus nominatis Epiſcopis, *omiſſo presbyteratus Ordine*, ad diaconos tranſierit, *Quia ſcilicet*, inquit, *inter Epiſcopum & presbyterum intereſt fere nihil*. Rationem addit, *Quippe & presbyteris Eccleſiæ cura promiſſa eſt, & quæ de Epiſcopis dixit, etiam presbyteris congruunt*.

Reſp. Chryſoſtomum hoc tantum velle, quod etiam Epiſcopi interdum presbyterorum nomine deſignentur, atque presbyteris quoque committatur animarum cura, & munus baptizandi, conficiendi ac miniſtrandi Euchariſtiam, necnon a peccatis abſolvendi, non tamen independenter ab Epiſcoporum juriſdictione, & auctoritate. Id evidens eſt tum ex aliis Doctoris præſtantiſſimi locis, in quibus apertiſſime tradit diſcrimen presbyterorum ab Epiſcopis, ut diximus in probationum noſtrarum ſectione tertia; tum ex his duobus, quæ objiciuntur a Puritanis. In primo etenim loco, quærens cur Paulus ſcribens ad unam Eccleſiam Philippis fundatam, numero multitudinis *Epiſcopos* nominaverit, inquit Chryſoſtomus: τί τοῦτο; μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν; ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους οὕτως ἐκάλεσε. τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι, καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. *Quid hoc? Unius urbis multi erant Epiſcopi? Nequaquam. Sed presbyteros ita appellavit; tunc enim adhuc communicabant nominibus, & Epiſcopus diaconus dicebatur*. Atque id ſanctus Doctor confirmat, ex quo Paulus ad Timot. 2. cap. IV. 5. ſcripſerit διακονίαν σου πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι, *Miniſterium tuum imple, quum tamen eſſet Epiſcopus*. Timotheum vero fuiſſe Epiſcopum, & non a presbyteris, ſed ab Epiſcopis ordinatum demonſtrat Chryſoſtomus ex Epiſtola 1. cap. IV. 14. Ex quibus omnibus infert, *antiquitus ipſos etiam presbyteros vocatos Epiſcopos, & diaconos Chriſti: quamobrem & hodie multi Epiſcopi ita ſcribunt, Compresbytero & Condiacono*: ὅτι ἦσαν, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ Χριστοῦ. ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ συμπρεσβυτέρῳ ἐπίσκοποι γράφουσι, καὶ συνδιακόνῳ. Viden Chryſoſtomum admittere inter Epiſcopos presbyteroſque ſolam vocabulorum communionem? Percipis inter plures presbyteros ejuſdem urbis agnoſcere unum duntaxat Epiſcopum? Animadvertis Timotheum diſtingui a presbyteris? Cernis, ut *presbyteri*, ita *diaconi* appellationem iiſdem viris a Chryſoſtomo aptari? Sunt ejuſdem generis quæ leguntur in Epiſt. ad Timoth. hom. XI. ibi namque affirmans Apoſtolum *nominatis Epiſcopis* ad diaconos orationem convertere, *omiſſo interim presbyteratus ordine*, fatetur *ordinem* presbyterorum ab *ordine* Epiſcoporum differre: idem confirmant illa verba. ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον, quæ melius vertas, *Quoniam haud multum intereſt*, quam, *Intereſt fere nihil*. Ulterius Chryſoſtomus tribuit ibidem Epiſcopis facultatem *ordinandi*, quam presbyteris denegat. Quod autem etiam presbyteris adſcribat fidelium curam, & affirmet ad illos quoque pertinere ſaluberrima Apoſtoli monita, monogamiam, ſobrietatem, hoſpitalitatem, ceteraſque virtutes; hoc ultro fatemur, neque cum adverſariis funem de hac re ducimus contentionis. Poſtquam autem diximus de Chryſoſtomo, per pauca ſubjicimus de Theodoreto, atque de Theophylacto: quorum ille in primam ad Timotheum 3. ait: *Eoſdem olim vocabant presbyteros & Epiſcopos; eos autem, qui nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos nominabant. Procedente autem tempore Apoſtolatus nomen reliquerunt iis, qui vere erant Apoſtoli: Epiſcopatus autem*

tem

tem appellationem iis, qui olim appellabantur Apoſtoli, impoſuerant. Theophylactus vero in Epiſtolam ad Philippenſes ſcribit etiam presbyteros dici Epiſcopos, *quod etiam ipſi populum inſpiciant, ut purgent, & illuminent*, ſcilicet, exorcizent Catechumenos, & baptiſmum conferant: *ſed alia eſſe Epiſcopi officia, non enim presbyteri ordinant*; cujus rei cauſa relictum Titum in magna Inſula Cretæ, *ut officia Epiſcopalia exerceret*, ſcribit in procemio commentariorum Apoſtolicæ Epiſtolæ ad eumdem Titum.

Opponunt 4. Si eſt inter Epiſcopos ac presbyteros diſcrimen aliquod, iſtud nonniſi progreſſu temporis inductum fuit prudenti Eccleſiæ œconomia atque inſtitutione. Igitur ab Eccleſiæ incunabulis presbyteri ab Epiſcopis neque ordine, neque auctoritate diſtabant. Prob. ant. expreſſiſſimis Magni Hieronymi teſtimoniis: qui Epiſt. 101. ad Evangelum, alias 85. ad Evagrium, redarguens diaconum ſe presbyteris æquantem ait: *Nam cum Apoſtolus perſpicue doceat eoſdem eſſe presbyteros, quos Epiſcopos, quis patiatur, menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur?* Hanc Epiſcoporum & presbyterorum æqualitatem S. Doctor confirmat ſcripturarum auctoritate, nimirum ex Epiſtola ad Philipp. 1. 1. ex Actibus Apoſt. xx. 28. ex Epiſt. ad Tit. 1. 5. & 1. ad Timoth. iv. 14. atque ex 1. Petri ult. 1. ac 3. Joannis 1. His locis productis, inquit unum presbyterorum ceteris fuiſſe præpoſitum ad ſchiſmata ac diſſidia vitanda: *Quod autem poſtea unus electus eſt, qui ceteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt: ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet*. Profert ſubinde rationem, *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Idem Hieronymus comment. in Epiſtolam ad Titum cap. 1. plura ſcribit, quæ videntur Presbyterianorum errorem ſtabilire. Principio enim ait: *Idem eſt ergo presbyter, qui Epiſcopus: & antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in Populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur*. Subjicit immediate: *Poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur*. Id poſtea confirmat iiſdem ſcripturis, de quibus ſupra, præſertim ex Epiſt. ad Philipp. 1. ubi ejuſdem urbis *presbyteri* vocantur *Epiſcopi*; & ex Act. xx. ubi *Epiſcopi* pariter dicuntur *presbyteri* omnes Epheſi. Repetit & quæ habentur in 1. Petri v. 1. ubi Princeps Apoſtolorum ſe *presbyterum* nominat. Addit, in Epiſtola etiam ad Hebræos xiii. 17. æqualiter inter plures dividi Eccleſiæ curam, ac demum concludit: *Hæc propterea, ut oſtenderemus apud Veteres eoſdem fuiſſe presbyteros, quos & Epiſcopos: paullatim vero, ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos: ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate, Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere*.

Reſp. quædam præmittendo, quibus adnotatis tum hæc, tum alia quælibet objecta nullo negotio ſolvuntur. Primum eſt, argumenta a nobis pro Catholico dogmate in varias claſſes diſtributa demonſtrare Epiſcopos non inſtitutione tantum Eccleſiaſtica, verum etiam *divino jure* ſuperiores eſſe presbyteris. Enimvero *Hierarchiam*, cujus illi principem tenent locum, *divina ordinatione* inſtitutam definiunt Concilia, docent Patres, & ratio ipſa demonſtrat; propterea quod inveriſimile ſit, arbitratu ſuo, non juxta Magiſtri præcepta, Apoſtolos Eccleſias condidiſſe, ac formaſſe. Ulterius Epiſcopos eſſe ſucceſſores eorumdem Apoſtolorum, & hoc eſſe in Eccleſia Chriſti, quod in lege veteri fuerat Aaron; atque Apoſtolos a Domino prælectos, ſingulari poteſtate donatos, & in univerſum terrarum orbem miſſos ad annuntiandum Chriſti nomen, & fideles gignendos, Evangelica tradit Hiſtoria, confirmantque traditiones majorum: ſummi denique ſacerdotis Aaron inaugurationem, Pontificalia munera, auctoritatemque ſupra Levitas antiqui Teſtamenti libri commonſtrant. Epiſcopos inſuper ab Eccleſiæ primæva origine præpoſitos fuiſſe fidelium regimini, conſtituiſſe presbyteros, minoreſque ſacerdotes, ut adverſus Aerianos ait Epiphanius, *generaſſe*, ſemper demum horum *ordines* fuiſſe diſtinctos, ideoque diſtinctionem hanc a poſterioribus inſtitutis repetendam non eſſe, evincit univerſa hæc diſſertatio. Qui ergo Epiſcoporum *ὑπεροχὴν, præfecturam*, adſtruimus, hanc *divino jure* conſtitutam ac ſtabilitam fuiſſe defendimus.

Prænotandum deinde, hunc eſſe optimum rectiſſimumque ordinem Eccleſiaſticæ *Hierarchiæ* inſtituendæ, principio leges ferre, & populum trahere ad religionem; tum hujus myſteria rituſque ordinare: poſtea eos ſeligere, qui liturgiæ dent operam; inter iſtos denique gradus, miniſteria ordineſque diſponere. Ut enim illam omittam comparationem, quæ peti poteſt ex cujuslibet reipublicæ conſtitutione, ab unitione populi ad Magiſtratuum diſtributiones, hinc vero ad Optimatum præfecturas progrediente, inſtituturus Deus Eccleſiam Judaicam, propoſitiſque per Moſem præceptis, prælegit ad officia altaris & tabernaculi tribum Levi: in ea poſtmodum partitus eſt miniſtrantium officia; deinceps Aaronem conſecravit, ceteriſque præfecit. Atque ne vetuſtiſſima & aliena veſtigemus, Chriſtus haud abſimili ratione ſe gerens primum munus prædicationis ingreſſus eſt: paullo poſt duodecim adſcivit Apoſtolos; addidit ſubinde ſeptuaginta diſcipulos, ac poſtea uni contulit Eccleſiæ primatum, & duodecim illos miſit in univerſum mundum cum ampliſſima poteſtate. Iiſdem veſtigiis poſt Magiſtri diſceſſum inſiſtentes Apoſtoli auſpicati ſunt Eccleſiæ ædificium a prædicatione Evangelii: ex credentibus poſtea nonnullos probatæ virtutis cooperatios & commilitones ſuos elegerunt, iis commiſerunt curam laicorum, atque, prout res poſtulabat, unum alteri præfecerunt. Quemadmodum ergo ex Levitis ſacerdotes, ex ſacerdotibus Pontifices facti ſunt, & poſtmodum ex credentibus diſcipuli, ex diſcipulis autem Apoſtoli; ita *ordinum progreſſione* ex adminiſtris presbyteri, ex presbyteris Epiſcopi ſunt conſtituti.

Illud præterea notandum eſt, male inferri presbyteros inter ac Epiſcopos *ordinis* æqualitatem ex quo ab initio ad cauſas diſſenſionum tollendas, & facilius animos credentium devinciendos, conſilio & conventu plurium graviſſimæ res agerentur, aut ex quo Eccleſiæ cura presbyteris fuerit commiſſa. Illud enim œconomiæ cauſa, non defectu auctoritatis efficiebatur; ſiquidem approbante multitudine Act. 1. Mathias ſorte ad Apoſtolatum evectus eſt, ſeptemque diaconi Act. 6. ſunt electi: quum tamen exorta de legalibus controverſia Act. xv. finita fuerit Apoſtolorum, ſeniorumque concilio, populari turba ſecluſa. Hæc enim eſt ad conſultationes inepta, atque ut eſt in proloquio,

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

In fidelium autem cura & regimine presbyteri ſemper Epiſcopis fuerunt ſubjecti. Nunquam presbyteris licitum fuit baptizare abſque Epiſcopi auctoritate, ut inquit Tertullianus, immo & Hieronymus adverſus Luciferianos, ubi ait: *Sine Epiſcopi juſſione neque presbyter, neque diaconus jus habet baptizandi*. Vide Tom. III. pag. 279. Etiam Euchariſtiam conficere vetitum presbyteris, ſi Epiſcopus id prohibeat. In Epiſtola S. Ignatii ad Smyrnenſes num. 8 legitur: *Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam pertinent. Rata Euchariſtia habeatur illa, quæ ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit*. Et poſt pauca: *Non licet ſine Epiſcopo baptizare, neque agapem celebrare*. Adiſis PP. Apoſt. tom. 2. pag. 37. & canonem lvii. Laodicenum.

Hieronymus itaque ſcribens ad Evangelum, & edens commentaria in Epiſtolam ad Titum, atque reprehendens priori in loco inſolentiam diaconorum, edocens in altero Epiſcopos humilitatem, *presbyteros* magnopere commendat, utpote qui eiſdem vocabulis, ac *Epiſcopi*, interdum in Actibus, & in Epiſtolis Apoſtolicis deſignentur; & quando nondum multiplicatis fidelibus, nullum ſchiſmatis periculum aderat, ipſi quoque gubernarint Eccleſiam, non pari tamen auctoritate, ſed *communi conſilio*. Hæc reſponſio iiſdem locis, quæ objiciuntur, fulcitur & confirmatur. In primis enim verbis ex Epiſtola 101. depromtis S. Hieronymus *presbyteros* adæquat *Epiſcopis* in conficienda duntaxat Euchariſtia: Iſtud vero præſtat ad retundendam arrogantiam Falcidii diaconi, prout dixi præcedenti cap. 6. In proferendis deinde Scripturarum teſtimoniis, ubi agit de Act. cap. xx. negat *in una Eccleſia plures Epiſcopos fuiſſe*, ac tranſiens ad Epiſtolam ad Titum, animadvertit & ipſe hunc in Cretæ inſula fuiſſe relictum, *ut presbyteros conſtitueret*. Igitur inter illos, qui communione vocabulorum nunc *presbyteri*, nunc *Epiſcopi* dicebantur, unum peculiarem agnoſcit in urbe Epheſiorum, & in inſula Cretenſium alterum, qui non tantum Euchariſtiam conficere, verum etiam eos, qui conficiunt, conſtituere poterant, & ordinare. Proſequitur Hieronymus, & unius Epiſcopi demonſtrat inſtitutionem perantiquam, & *ordinem* excelſiorem exemplo Eccleſiæ Alexandrinæ, ſubjicitque: *Nam & Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, presbyterum ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant: quomodo ſi Exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent*. Hic vero nonne Epiſcopo ſuffragiis presbyterorum electo tribuit gradum ſublimiorem, & in gubernanda Eccleſia jus primum, prout habet inter milites *Imperator*, atque inter miniſtros *Archidiaconus*? Habet ergo Epiſcopus, auctore Hieronymo, honoris prærogativam, & amplitudinem juriſdictionis. Vide & poteſtatem *Ordinis*: nam addit immediate, *Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Quod accipias de officiis Eccleſiaſticis baptizandi, & conficiendi Euchariſtiam; nam quid ex hoc loco inferri poſſit circa poteſtatem confirmandi, dictum eſt hujus Vol. pag. 22. Ad hæc S. Doctor ſcribit Epiſcopos omnes, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanais, ſive ubicunque fuerint, *ejuſdem eſſe meriti & ſacerdotii*, (ſacerdotii, inquit, non juriſdictionis) *quia omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt*. Quare ſicut Apoſtoli, ita Epiſcopi præſunt presbyteris. Claudit epiſtolam ſtatuendo inter Epi-

ſcopos, presbyteros, & diaconos diſcrimen illud, quod olim *inter Aaron, filios ejus, & Levitas* intercedebat. Verba autem, quæ Hieronymianam epiſtolam abſolvunt, litemque dirimunt, in tertia probationum parte ſupra prodeximus. Eadem prorſus in Epiſtolam ad Titum repetit Doctor maximus. Quærit cujus meriti ac probitatis eſſe debeant in presbyteros ab Epiſcopo cooptandi: id vero idem eſt, atque *poteſtatem ordinis* uni Epiſcopo tribuere. Adjicit monita ad Epiſcopos pertinentia, quæ comprehenduntur ad Titum *1.* 7. & ſeqq. communia eſſe presbyteris, qui pariter *Epiſcopi* aliquando vocantur: at de exhortationum, nominumque communione aſſentimur Aerianis. Pergit demonſtrare *presbyteros* dici *Epiſcopos* ex Ep. ad Philipp. in cujus cap. 1. Epiſcopi numero multitudinis exprimuntur, ideoque Epiſcoporum nomine veniunt eo loci etiam presbyteri, quoniam ait, *Philippi una eſt urbe Macedoniæ, & certe in una civitate plures, ut nuncupantur, Epiſcopi eſſe non poterant*. Si plures eſſe non poterant; erat ergo unus tantummodo, penes quem ſumma curæ & regiminis reſidebat. Adjicit, ab initio Eccleſiam gubernatam fuiſſe *communi presbyterorum conſilio*: deinde ad unum Epiſcopum *delatam ſollicitudinem*; hac demum in re *magis conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate*, Epiſcopos majores eſſe presbyteris, hæc nimirum, quoniam Apoſtoli ab initio etiam *ſeniores* in partem ſollicitudinis Eccleſiæ admittebant, quum tamen ipſi pleniorem haberent auctoritatem; poſtea vero creſcente fidelium numero ſatis duxerunt ad ſchiſmata removenda ceteris unum præficere, ut plura is ſtatueret ac præciperet, presbyteris inconſultis. Illam quippe in gubernanda Eccleſia conſiliorum communionem, quam Hieronymus ait initio ſervatam eſſe, & quam nunc quoque in rebus arduis ac difficillimis ſuadet Præſulibus omnibus, explicat Doctor præſtantiſſimus verbis proximis, & illa, quæ in objectione poſtrema ſunt, conſequentibus, *Imitantes Moyſen, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. Hæc prolixius verſavi, ut retunderetur procacitas adverſariorum, qui adeo pugnaciter contendunt hæreſim ſuam eſſe germanam Hieronymi ſententiam, ut David Blondellus librum de hoc argumento conſcriptum, inſcribendum putaverit, *Apologiam pro ſententia Hieronymi*; atque ut caſtigaretur cujuſdam ſcholaſtici balbuties, qui Doctorem maximum in hæreſim Aerii prolapſum fuiſſe audacter aſſeruit, cujus ſcholaſtici judicium *falſiſſimum & homine Catholico indignum* jure appellat lib. 2. de Hierarchia Eccl. cap. VIII. Dionyſius Petavius. Caſtigatius quidam alii e ſchula repoſuerunt, Hieronymum exiſtimaſſe, quod diſcrimen Epiſcopi a presbyteris non divino, ſed Eccleſiaſtico jure inductum fuerit; quæ res nondum ætate ſua erat Eccleſiæ judicio determinata, ut in IV. diſt. 24. reſpondent Durandus, & Dominicus Soto, necnon diſput. 140. Gabriel Vaſquez. His quoque melius in eamdem diſtinct. §. 26. Guilelmus Eſtius, reſpondens ſenſiſſe Hieronymum, quod Epiſcopus *poteſtatem juriſdictionis* ſupra presbyteros habeat ex conſtitutione humana, *poteſtatem* vero *ordinis* ex jure divino; quandoquidem in Epiſtola ad Evangelum *Ordinationem* nominatim excipit. Verum & poteſtas juriſdictionis habetur in regimine, quod plurium conſultatione, & cura peragitur; dummodo fiant omnia unius commiſſione, juſſu, & arbitrio: quod factum, quando presbyteri admittebantur in communem Eccleſiarum ſollicitudinem, fatetur Hieronymus adducto Moſis exemplo. Mitto reſponſionem eorum, qui cum Cellotio in IV. de Hierarchia tenent Hieronymi ſcripta fraudibus hæreticorum fuiſſe corrupta; illud enim nulla ſive editorum, ſive Mſs. codicum collatione poteſt evinci; nec præſidio labilis & deſultoriæ conjectationis eget integerrima doctrina Hieronymi,

Ad quem pro dubiis magni ſcripſere profundis
Doctores: quorum e numero ſe ſæpe ſemiſit
Aurelius toto jam clarus doctor in orbe;

prout ait vetus Anonymus in Carmine de Hieronymi laudibus, præfixa editioni Francofurti.

Præterea opponunt: Presbyteri Euchariſtiam conficiunt, & baptizant, atque, ut diximus de Chorepiſcopis, *Ordines* etiam conferunt. Sacris præterea Conciliis interfuerunt. *Unus* ergo, ut Aerius ajebat, Epiſcoporum & presbyterorum *honos*, *& una dignitas*: *μία τιμή, καὶ ἓν ἀξίωμα*. Patres etiam docent, *ſacerdotium* eſſe dignitatem omnium præſtantiſſimam, quam presbyteris nemo poterit denegare; ideoque nil eſt, in quo ipſis Antiſtites antecellant. Prælaudatus Hieronymus, Auguſtinus, Iſidorus, & alii docent presbyterum, & Epiſcopum in hoc differre, quod primum *ætatis*, alterum *officii* nomen eſt. Idem Auguſtinus epiſt. 19. nunc 82. etſi Epiſcopus, non audet tamen ſe præferre Hieronymo. Sunt demum aliqui aſſerentes, Epiſcopos creari a presbyteris; quidam alii affirmantes idem evenire quando presbyter in Epiſcopum eligitur, ac quando Epiſcopus in ſummum Pontificem renuntiatur.

Reſp. hæc, aliaque id genus uno verbo ex dictis expungi. Itaque presbyteri conficiunt Euchariſtiam & baptizant; ſed presbyteros alios *non generant*, ut repetamus verba Epiphanii. Baptizant etiam, & quædam alia ſacramenta perficiunt, juſſione tamen & nutu Epiſcopi; qui poteſt illos degradare ac ſuſpendere, ac facere, ut ea, quæ a juriſdictione pendent, ſint irrita. Chorepiſcopi, qui ſacros *ordines* contulerunt, fuerunt veri Epiſcopi, ut diximus præcedenti capite. Nil præterea facit adverſus hanc aſſertionem, ſi dicamus presbyteros potuiſſe conferre *Ordines* extraordinaria auctoritate, Epiſcopos autem hoc ſibi vindicare poteſtate ordinaria; quemadmodum de conficiendo ſacramento Confirmationis affirmavimus libro XXXII. cap. 7. Interfuerunt quidem Conciliis presbyteri plurimi, ut fidem adſtruerent, teſtimonia exhiberent, diſputationes inirent; at non tulerunt ſuffragia, neque ſubſcripſerunt Synodorum decretis, niſi forte Epiſcoporum vicem gererent, ac eſſent, ut ajunt Græci, *Τοποτηρηταί*. *Sacerdotium* ſententia noſtra in duos *ordines* dividitur; & qui ad unum illud coarctant, admittunt tamen in Epiſcopatu ſacerdotalis characteris ampliationem. Patres optime *Epiſcopi*, & *presbyteri* etymologiam explicaverunt; ſiquidem hæc dictio *ſeniorem*, illa *ſuperinſpectorem* ſignificat: quod autem eſt *ſuperintendere*, & *ſuperinſpicere*, ejus, qui præficitur, proprium eſt. Hoc munere Auguſtinus fatetur ſe *majorem eſſe Hieronymo*, qui ajebat nolle ſe *Catholico Epiſcopo procaciter reſpondere*, & *minorem* ſe dicit aliis nominibus, ætate, eruditione, ſapientia, prout decebat magnum illud humilitatis exemplar. Nec alio ſenſu Epiſcopi a cœtu presbyterorum creantur, niſi quatenus alicubi eliguntur ipſorum presbyterorum ſuffragiis, vi conſuetudinis, aut Sedis Apoſtolicæ privilegio: ſed habent præter electionem ipſam, conſecrationem & amplitudinem characteris, collatam ſibi *per impoſitionem manuum* aliorum Epiſcoporum: *non enim presbyteri*, ut inquit Chryſoſtomus, *Epiſcopum ordinant*. Hæc ordinatio commonſtrat quid progreſſio Epiſcopi ad ſummum Pontificatum differat ab inauguratione presbyteri in Epiſcopum; in utroque enim ampliatur juriſdictionis poteſtas, ſed in Epiſcopum electo confertur quoque ſacramentali conſecratione amplior *Ordinis* auctoritas, ita, ut Pontifex Maximus ad ſupremam juriſdictionem. Epiſcopus adſcendat ad apicem ſacerdotii, ac ſint ambo pares *Ordinis charactere*, longe autem diſſiti *regiminis poteſtate*. Atque hæc de Ordine Epiſcopatus, *qui omnis Hierarchicæ virtutis pleniſſime eſt particeps*, ut inquit cap. V. de Eccl. Hierarch. aut germanus, aut ſuppoſitus Dionyſius, *πάσης μὲν ἱεραρχικῆς δυνάμεως ὁλοκλήρως μεθέχοντος*.

CAPUT XII.

De ſacramenti Ordinis materia, & forma.

PEr ſingulos *Ordines* diſcurrens dixi quo ſigno ſenſibili conferantur, quod perinde eſt, ac illorum deſignare *materiam*. De hac modo ſermonem inſtituendo diverſas Doctorum opiniones recitabo, præcipua earum momenta producam, & demum quid mihi videatur veroſimilius, quomodo etiam ad concordiam oppoſitæ ſententiæ revocari poſſint, conabor oſtendere. Itaque Eugenius IV. in Inſtruct. Armenorum de ſacrarum Ordinationum materia & forma ad hunc modum loquitur: *Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma ſacerdotii talis eſt. Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: & ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* At traditione inſtrumentorum in *Ordinibus Hierarchicis* non utuntur Orientalium Eccleſiæ, & præſertim Græcorum. In *Ordinatione* quippe presbyteri, quamvis hanc perficiant poſt allata *τὰ ἅγια δῶρα*, *ſancta dona*, ſymbola ſcilicet conſecranda, & ſupra ſacram menſam repoſita, hæc tamen ordinandis non porriguntur, ac ſacra ceremonia per ſolam impoſitionem manuum peragitur. *Orarii* autem, ſive ſtolæ in anteriorem partem deductio, atque penulæ, quam *φαινόλιον* vocant, indumentum *materia* cenſeri nequit, nec veſtes *materia*, prout modo accipitur, apud nos reputantur; apud Græcos autem abſque ulla verborum forma traduntur. Diaconatum pariter Græci conferunt ſola *χειροτονίᾳ*; impoſitio namque *Orarii*, & porrectio *Flabelli*, quod appellant *τὸ ἅγιον ῥιπίδιον*, utpote quæ ſit muta ceremonia, *materia ſacramentalis* ineptiſſime diceretur. Idem de hypodiaconatu, in quo apud eoſdem Græcos nulla inſtrumenta exhibentur, erit proculdubio affirmandum.

Ob rituum iſtorum diſcrepantiam magnum inter ſcholaſticos diſſidium ſubortum eſt, nunquam forte componendum, niſi probetur concordiæ ratio paullo poſt a nobis tradenda. Itaque nonnulli *Ordinationum materiam* in ſola porrectione inſtrumentorum conſtituunt. Præter Capreolum, Dominicum Soto, Vaſqueſium, alioſque, tenent hanc ſententiam noſter Gircken Tract. VI. q. 2. dub. 2. Videtur idem ſentire S. Thomas q. 34. Suppl. art. 5. ubi ait *de eſſentia hujus ſacramenti eſſe porrectionem materiæ*; immo Inſtructio ab Eugenio IV. pro Armenis edita, exſcripta eſt ex Opuſculo V. ejuſdem S. Thomæ ad Archiepiſco-

pum

Digitized by Google

pum Panormitanum: ideoque ſtant pro eadem ſententia fere omnes Thomiſtæ, quorum plerique putant impoſitionem manuum pertinere quidem ad ſacramenti *integritatem*, non vero *ad ſubſtantiam*; prout legi poteſt in *Clypeo* Goneti diſput. 2. art. 3. Alii e contra *Ordinum Hierarchicorum* ſtatuunt duplicem materiam partialem, inſtrumentorum ſcilicet porrectionem, & in diaconatu & presbyeratu impoſitionem quoque manuum; hanc enim in ſubdiaconatu Latinorum Eccleſiæ non adhibent, idque ex pervetuſta conſuetudine, ut apparet ex canone quinto Concilii IV. Carthaginenſis. Stant autem pro hac ſententia Petrus Soto, Martinus Ledeſma, & Cardinalis Hoſius, laudati a Bellarmino de Sacram. Ordinis cap. 9. & quantum ad presbyteratum ſpectat etiam Vaſquez; Eſtius quoque in diſt. 24. n. item 24. Sylvius in q. 37. Supplem. art. 2. necnon omnes illi, qui ex impoſitione manuum, & porrectione inſtrumentorum unam materiam conſtituunt. Complures demum Diaconatus & Presbyteratus *materiam* locant in ſola manuum impoſitione, quam Rituales omnes, Græci, Latinique præſcribunt; inſtrumenta vero materiam eſſe exiſtimant accidentariam, aut integrantem: quod tamen de aliis *Ordinibus* dici nequit, propterea quod Latini tam *minores*, quam ſubdiaconatum abſque impoſitione manuum conferunt; inſtrumentis autem utuntur; quamquam ritum hunc in Occidente non fuiſſe perpetuum ſcribit undecima tertiæ partis Exercitatione Joannes Morinus. Præter eruditum hunc auctorem adhæſerunt eidem ſententiæ ex antiquioribus ſcholaſticis S. Bonaventura, & Durandus, eamque adoptarunt Martenius, Goarius, Menardus, uterque Habertus, Iſacius ſcilicet, & Aloyſius, Juenin, Tournely, Witaſſe, Le Drouet, & juniores alii quamplurimi, adeo, ut ætate hac noſtra communior, atque plauſibilior evaſerit.

At quænam momenta in tam varias opiniones viros doctiſſimos diſtraxerunt? Sententia prior, quæ *materiam* ordinis *eſſentialem* ſtatuit in ſacrorum inſtrumentorum porrectione, nititur præſertim auctoritate Florentini Concilii in Armeniorum Inſtructione, de qua paullo ſupra. Ibi enim nulla alia deſignatur ſacramenti hujus *materia*; & quemadmodum de aliis ſacramentis pertractans non aliam materiam aſſignat ea Synodus, præter *eſſentialem*; ita dicendum eſt materiam hujuſcemodi commonſtrare, ubi agit de ſacris Ordinationibus. Neque enim argumenti vim elevant, qui aiunt Inſtructionem illam fuiſſe editam ſoluta jam Synodo: nam & id falſum eſſe, & non infringi decreti, ſive Inſtructionis ejuſdem auctoritatem, quamvis reſponſio hæc vera foret, demonſtravi in Appendice quarti capitis libro ſecundo ac triceſimo. Præterea cap. *Presbyter*, de ſacram. non iterandis, Gregorius IX. hæc Archiepiſcopo Lundenſi reſcripſit: *Presbyter & diaconus cum ordinantur manus impoſitionem tactu corporali, ritu ab Apoſtolis introducto, recipiunt; quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi Ordines conferendos caute ſupplendum, quod per errorem fuerit prætermiſſum*. At quando *ſubſtantialis materia* non adhibetur, integrum ſacramentum eſt repetendum, non ſupplenda duntaxat *materia accidentalis*; quum præcedens ritus fuerit, partibuſque caruerit intrinſecis. Eſt igitur manuum impoſitio in presbyteri, & diaconi Ordinationibus accidentaria materia. Confirmari poteſt hoc argumentum cap. *Cum veniſſet*, de ſacra Unct. ubi Innocentius III. juſſit per Epiſcopum Albanenſem, duobus aliis Epiſcopis aſſiſtentibus, deliniri ſacro Chriſmate Epiſcopum Brandicuberenſem, quia *in conſecratione ſua ſacram non acceperat unctionem*, ritibus aliis, quibus ordinatio peracta fuerat, non repetitis. Unctio quippe Chriſmatis, prout omnes conſentiunt, non pertinet ad *Ordinationis ſubſtantiam*. Rurſus juxta Pontificale Romanum tres in ordinatione presbyteri fiunt manus impoſitiones: prior quum Epiſcopus ponit utramque manum ſuper caput ordinandi, nihil dicens, quod & faciunt poſt illum omnes ſacerdotes qui adſunt: altera, qua & Pontifex, & ſacerdotes ſimul dexteras ſuper ordinandos tenent extenſas, Pontifex autem dicit orationem illam, *Oremus, fratres chariſſimi, Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos ad presbyterii munus elegit, &c.* tertia, quando in fine Miſſæ impoſitis ſuper ordinatum ambabus manibus inquit Epiſcopus, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, &c.* Prima manuum impoſitio, omnibus conſentientibus, non poteſt eſſe *ſubſtantialis materia*, utpote quæ nullam verborum formulam habet adjunctam, & aperte conſtat puram putam eſſe ceremoniam; quam nec priſcis ſæculis obtinuiſſe, nec modo in uſu eſſe apud Græcos norunt qui Pontificales libros legerunt. Sed nec ultima impoſitio manuum *materia* eſt *ſubſtantialis*, quum presbyteri ante oblationem & conſecrationem Euchariſtiæ ſint ordinati; niſi forte velimus cum viris doctis admittere apud Latinos duas partiales in presbyteris ordinationes. Oportet igitur, ut ſecunda impoſitio manuum apud Latinos materia presbyteratus ſit, ſi in impoſitione manuum ſtatui debet ratio materiæ: atque id revera affirmant, ac probare nituntur auctores tertiæ ſententiæ. Verumtamen oratio, quæ hanc impoſitionem manuum comitatur, non videtur habere apud Latinos rationem *formæ*; cum ſit nuda divini auxilii pro ordinatione proxima deprecatio: quod facile tum ex ejuſdem orationis lectione dignoſci poteſt; tum ex ſubſequentibus rubricis, quæ uſquedum inſtrumenta tradantur, vocant adſtantes *ordinandos, & conſecrandos*; immo & *conſecrandi* dicuntur in altera oratione Epiſcopi, *Exaudi nos, &c.* porrectis autem inſtrumentis, & pronuntiata ea forma, *Accipe poteſtatem &c.* ubique *Ordinati* appellantur. Hymnus quoque, *Veni creator Spiritus*, paullo ante conſecrationem, & porrectionem inſtrumentorum incipitur a Pontifice, & a ſchola canitur dum ſacra hæc actio peragitur; quod nempe ſpiritalis gratia tunc infundatur. Inſuper, ut dixi cap. 4. juxta idem Pontificale Romanum *character imprimitur* in traditione inſtrumentorum. Demum illa eſt ſacrorum Ordinum *ſubſtantialis materia*, quæ eſt ſenſibile ſignum, quo traditur ordinum poteſtas ſpiritualis. Atqui ſignum illud eſt ſacrorum inſtrumentorum porrectio, cui & additur forma verborum, *Accipe poteſtatem, &c.* Inſtrumentorum ergo traditio eſt ſacrarum Ordinationum *eſſentialis materia*.

Sententia vero, quæ ſtatuit diaconatus, & presbyteratus *materiam eſſentialem* in ſola impoſitione manuum, his innititur argumentis. Principio in omnibus Occidentis, & Orientis Eccleſiis manus impoſitio adhibetur, in diaconi ſaltem, & in presbyteri ordinatione, ſacris autem inſtrumentis non omnes utuntur; & nihilominus ordinatio hujuſmodi valida Latinis exiſtimatur. Deinde diaconos ac presbyteros ordinari impoſitione manuum, nulla facta inſtrumentorum mentione, docet Concilium Carthaginenſe quartum canone 3. & 4. Idem de diaconis tradit Ancyranum canone 9. Etiam Nicæna Synodus canone 19. diaconiſſas laicis adnumerat, *quod nullam receperint manuum impoſitionem*. Tridentina quoque Synodus ſeſſ. XIV. de Extrema Unctione cap. 3. docet ejuſdem ſacramenti miniſtrum eſſe aut Epiſcopum, aut ſacerdotes, ab ipſo rite ordinatos, *per impoſitionem manuum presbyterii*. Ex his verbis depromptis ex prima ad Timotheum cap. 4. eruitur momentum aliud; ſiquidem manus impoſitio eſt gratiæ, & characteris ſignum efficiens: atque id tenemur firmiſſime aſſerere quicumque dicimus adverſus hæreticos demonſtrari ex Paulinis Epiſtolis ſacramentum ſacræ Ordinationis. Iidem Patres omnes impoſitioni manuum attribuunt gratiæ efficientiam, ut diximus primo capite. Quis autem veterum aut calicis, aut patenæ, aut libri Evangeliorum, aut alterius materiæ traditioni hanc vim, & efficacitatem adſcripſit? Patronis denique hujus ſententiæ videtur poſſe abſque magno negotio diluere argumentationes oppoſitas, ſi dicant Eugenium IV. Armenios docuiſſe id, in quo a Romana Eccleſia diſſidebant, non rejecta, ſed ſuppoſita impoſitione manuum, de qua Eccleſiæ conveniunt, illique addita materia integrante, quam Armenii non adhibebant, ut cum Latinis eoſdem ritus ſervarent. Ad Gregorii IX. reſcriptum poſſunt reſpondere, in caſu ibidem expreſſo non eſſe quidem iterandam porrectionem inſtrumentorum, ſed eſſe tamen ſupplendam impoſitionem manuum cum oratione, quoniam abſque hoc ritu ordinatio nulla foret. Ac facilius ii reſpondebunt, qui duplicem ſtatuunt in ſacra Ordinatione materiam; dicent nempe, quando in ſacramentis duæ partiales materiæ, ac duæ formæ adhibentur, ſi una ſeparetur ab alia, unam poteſtatem conferri, ejuſque *ſignaculum* imprimi; ideoque non totum eſſe iterandum, ſed illud duntaxat, quod incaute fuit prætermiſſum, alteram ſcilicet materiam cum propria forma partiali. Atque ita interpretantur capp. *Presbyter*, &, *cum veniſſet*, præſtantiſſimi Juriſconſulti apud Emmanuelem Gonzalez tom. 1. Decretal. pag. 489. Reliqua ita expediunt: In Pontificali Romano, inquiunt, uſurpatur nomen *Ordinandorum*, quando nondum ritus Ordinationis completus eſt: ea autem verba, *Accipe poteſtatem, &c.* ſunt jam collatæ poteſtatis explicativa, quemadmodum ea, quæ pronuntiantur in ſacra Unctione, *Ut quæcunque benedixerint, benedicantur, &c.* non dant, ſed explicant poteſtatem benedicendi jam per impoſitionem manuum collatam. Poſtrema demum ſententia utriuſque momenta complectitur. Ait enim *eſſentialem* ſacræ ordinationis *materiam* eſſe traditionem inſtrumentorum, quoniam per hanc presbytero confertur poteſtas offerendi ſacrificium accedente ea formula, *Accipe poteſtatem, &c.* & *materiam* item *eſſentialem* eſſe impoſitionem manuum, (poſtremam, non ſecundam, aut primam) per quam traditur facultas ſolvendi, & retinendi peccata, forma illa prolata, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* prout diximus ſupra cap. 8. prop. 3.

Quid modo in tanta opinionum diverſitate veriſimilius exiſtimamus? In minoribus Ordinibus nullam aliam apud Latinos *materiam* adinvenimus præter porrectionem inſtrumentorum: quæ commemoravimus de iiſdem Ordinibus pertractantes præcedenti cap. IV. Huic autem materiæ arbitramur æquipollere manuum impoſitionem, qua Orientales ordinant Lectorem & Hypodiaconum. Manus etenim eſt, quæ inſtrumenta præbet, & tractat, unde S. Bonaventura in IV. diſt. 24. p. 2. art. 1. q. 1. ſcribit, quod in primitiva Eccleſia plures Ordines *implicite dabantur in impoſitione manuum, quoniam manus eſt organum organorum*. Quam Seraphici Doctoris ſententiam eſſe reliquis aptiorem ad Græcos, Latinoſque conciliandos vidit lib. VI. Concordiæ

Digitized by Google

pag. 436. doctiſſimus Petrus Arcudius. Puto maximum ſententiæ præſidium accedere ex Conſtitutione BENEDICTI XIV. de Ritibus Græcorum, non ſemel a me laudata, in qua definitur *per ſubdiaconatum Græca ritu collatum* cenſeri etiam receptos Ordines Acolythatus, & Oſtiariatus, quum tamen Græci in ſubdiaconatu ſacra vaſa non porrigant ordinando. Recole quæ ſcripſimus capite 2. Deinde arbitror Latinam Eccleſiam impoſitionem manuum, quæ omni proculdubio eſt *ſubſtantialis materia* in Ordinationibus Hierarchicis, ideſt, diaconatus, presbyteratus, & Epiſcopatus, ampliaſſe ad cæremonias alias, puta in diaconatu ad traditionem libri Evangeliorum, in presbyteratu ad unctionem, & porrectionem calicis, & patenæ cum ſymbolis conſecrandis; eademque ratione *formam*, quæ apud Græcos conſiſtit in ſola Oratione, quæ impoſitionem manus comitatur, apud Latinos fuiſſe diviſam, adeo, ut quando Pontifex inſtrumenta porrigendo ait, *Accipe poteſtatem*, &c. tunc revera ſacramentum perficiatur, & imprimatur character. Ita facile omnia conciliantur. Dico enim *materiam* Ordinum, quos appello Hierarchicos, eſſe revera manuum impoſitionem, ut præmonui libro xxx. cap. 10. & lib. xxxii. cap. 4. & ſi hanc materiam ſolam cum ſufficienti forma præſcripſiſſent Conditores Latinæ Eccleſiæ, non minus valida foret hujus Ordinatio, quam ſit valida Ordinatio Græcorum. Dico rurſus veriſſima eſſe quæ de materia & forma hujus ſacramenti traduntur in decreto Eugenii; quoniam porrectio inſtrumentorum non excludit impoſitionem manuum, ſed eſt quædam ejuſdem materiæ ampliatio; & ea verba, *Accipe poteſtatem*, &c. non excludunt præmiſſam Orationem Pontificis, ſed eam quodammodo extendunt: Eugenius autem hanc potius materiam, & hanc formam commemoravit, propterea quod in hoc ſacri ritus complemento, quod traditione inſtrumentorum & concomitantibus verbis perficitur, ab Orientalibus autem complexe, & coacervatim peragitur, accedit ſacramento perfectio ultima, atque, ut ait Pontificale Romanum, *character imprimitur*. Dico tandem Eccleſiam Latinorum nullatenus permutaſſe *materiam* ſacrarum Ordinationum, ſed quæ erant coagmentata & complexa, magis explicaviſſe. Planiſſima autem hæc mihi videntur, & Scyllam & Charybdim vitare, & quod caput eſt, Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ Ordinationes, ritusque facili negotio conciliare ac defendere: qui tamen probabiliorem putat unam, vel alteram ex ſententiis oppoſitis, habet ille ex hoc ipſo dialogiſmo munimenta, quæ eligat, firmiora. Expedita itidem foret illorum opinio, qui cenſent Chriſtum Dominum reliquiſſe arbitrio Eccleſiæ determinationem materiæ ſacramentorum; ſed præterquamquod a nobis refutatum id eſt lib. xxx. cap. 10. *impoſitionem manuum* non tantum uſus Eccleſiæ, verumetiam Apoſtolica Traditio, & novi Teſtamenti auctoritas expreſſe commendant.

CAPUT XIII.

In quo agitur de legitimo ſacrarum Ordinationum Miniſtro.

EXtra omnem controverſiam poſitum eſt, miniſtros hujus ſacramenti *ordinarios* eſſe Epiſcopos, prout declarat ſeſſ. 23. cap. 4. & canone 7. Tridentina Synodus: ac longe antea ſtatuerunt Synodi aliæ, anno nempe 348. canone 5. prima Carthaginenſis, an. 554. can. 7. Arelatenſis quinta, an. 563. cap. 8. Synodus Bracarenſis, anno 890. canone 7. Nannatenſis, aliæque permultæ. Et quidem deberi Epiſcopis jus ordinandi ceteros Eccleſiæ miniſtros probat citato cap. 4. Tridentinum Concilium ex quo illi in locum Apoſtolorum ſucceſſerint, & poſiti fuerint, ſicut Apoſtolus ait, a Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei: perſpicuum enim eſt ad præpoſitos rectoreſque ſupremos pertinere inferiorum miniſtrorum electionem atque inaugurationem, non in Eccleſiaſtico tantum, verum etiam in quolibet bene inſtituto regimine. Hinc ab Apoſtolis conſtitutos fuiſſe presbyteros, hujus rei cauſa Titum relictum Cretæ, monitumque Timotheum ne cito manus imponeret initiandis, aperriſſime tradunt Actus Apoſtolici, & Epiſtolæ Pauli. Idem ex doctrinis Patrum evincitur; nam Chryſoſtomus & Hieronymus docent in hoc Epiſcopos a presbyteris differre, quod iſti *ordinationes* non faciant. Epiphanius etiam refellit Aerium, propterea quod unus presbyter ad alium creandum jus imponendi manum non habet, atque Athanaſius negat Iſchyram accuſatorem ſuum fuiſſe presbyterum, quoniam Colluthus, a quo Iſchyras dicebatur ordinatus, nunquam ad Epiſcopatus characterem promotus fuerat. Hæc autem, quum ſuperius producta ſint, nunc ſatis eſt innuiſſe. Accedunt quæ ſcripſimus cap. 10. irritas fuiſſe *Ordinationes* factas a Choreepiſcopis, qui non receperant Epiſcopalem conſecrationem. Poſtremo ex nono capite conſtat in Epiſcopatu poteſtatem conferri ampliorem, quam *ordinatione* ſua nanciſcantur presbyteri: ideoque ſicut ad canonicas ordinationes requiritur poteſtas juriſdictionis, ita ad ratas validaſque neceſſaria eſt, ordinario ſaltem jure, poteſtas Ordinis.

II.

Dixi *ordinario jure*; ſiquidem apertum eſt, collationem *minorum Ordinum* permitti Abbatibus, dummodo *presbyteri ſint, & ab Epiſcopo juxta morem Abbatum præficiendorum fuerint benedicti*; prout canone 14. anno 787. declaravit Nicæna ſecunda, ſive ſeptima Synodus Œcumenica. Eumdem canonem laudavit, iiſdemque conditionibus confirmavit Innocentius III. in reſcripto ad Rothomagenſem Archiepiſcopum, quod extat in primo Decretalium libro, tit. xiv. cap. *Cum contingat*. Alexander IV. eamdem facultatem confirmavit Abbati ſancti Bertini, Conſtitutione, quam in Gloſſario laudat Du-Cange v. *Oſtiarius*: & ne monumenta alia veſtigentur, Tridentina Synodus ſeſſ. xxiii. de Reform. cap. 10. privilegium illud Abbatum ſupponit, diſtricte prohibens, ne in poſterum Abbates ipſi, aut alii quomodolibet cuiquam, qui non ſit regularis ſibi ſubditus, Tonſuram, vel minores Ordines conferant. Ipſamet facultas Choreepiſcopis conceſſa fuit canone 12. Concilii Ancyrani, can. 10. Antiocheni, eodemque canone 14. Synodi ſeptimæ. Poſſe conferri *minores Ordines* a S. R. E. Cardinalibus non Epiſcopis manifeſtum ex illorum privilegiis, de quibus Jacobatius, Joannes-Andreas, aliique apud Cohellium in *Notitia Cardinalatus* cap. xvi. privileg. 11. Ulterius arbitror poſſe Apoſtolicæ Sedis privilegio concedi quoque poteſtatem non Epiſcopo conferendi *Ordinem ſubdiaconatus*; tum quia eadem facultate juxta laudatum canonem Antiochenum pollebant Choreepiſcopi; tum quia ſubdiaconatus inter *Ordines Hierarchicos* non computatur, etiamſi ob continentiæ legem, & miniſterium parandi ſymbola, contrectandi vaſa altaris, & ad illud accedendi, ſit ordo ſacer: tum demum, quia Gelaſius Epiſtola 1. cap. 8. monet Epiſcopos, ut meminerint ſibi nulla ratione concedi, *ut ſubdiaconum, vel acolythum ordinent, abſque Romani Pontificis permiſſione*; & conſequenter permiſſione iſta accedente fas eſſet presbytero conferre ſubdiaconatum.

Videtur contrarium evinci, ex quo etiam minores Ordines, & ſubdiaconatus vera ſint ſacramenta, & *Ordines* proprie dicti; ideoque ſi ſacramentum Ordinis conferri debet ab iis, qui poteſtatem acquirunt per characterem Epiſcopatus, neque ſubdiaconatus, neque minores Ordines conferri poſſunt a non Epiſcopo, quacunque etiam facultate ſuppoſita. Non urget hæc difficultas Doctores illos, qui negant iſtiuſmodi Ordines minores & ſubdiaconatum, eſſe proprii nominis ſacramenta. Alii, qui ſacramenta eſſe fatentur, ultro concedunt talia non eſſe, dum conferuntur a non Epiſcopis, affirmantes ordinationes Abbatum eſſe quædam ſacramentalia, quæ ſupplent defectum illorum Ordinum, quorum officia, quum non exigant aliquam conſecrationem, committuntur etiam non ordinatis. Quidam ajunt canones idcirco præſcribere, ut Abbates ſint ab Epiſcopo benedicti, ut hac benedictione auctoritatem quaſi Epiſcopalem acquirant, atque ita ad conferendos minores Ordines ſint idonei. Nos vero arbitramur non repugnare, quod aliquis per characterem Epiſcopalem conſtituatur hujus ſacramenti *Ordinarius* miniſter; & per characterem presbyteratus habeat aptitudinem quamdam, per quam ordinare valeat, accedente Sedis Apoſtolicæ privilegio, ea fere ratione, qua libro xxxii. cap. 5. & 7. diximus poſſe presbyterum ex Romani Pontificis delegatione chriſma conficere, & confirmare; quamquam *ordinario jure* id ſpectat ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis.

III.

Quid vero de Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus? Poteſt ne horum collatio a ſummo Pontifice committi presbyteris non Epiſcopis? Negat S. Thomas q. 38. Supplem. art. 1. ad 3. ea ductus ratione, *quod majores Ordines habeant immediatam relationem ad corpus Chriſti*; quæ ratio præſertim tenet de presbyteratu; prout bene animadvertit in eumdem articulum Franciſcus Sylvius. Habet hæc ſancti Thomæ ſententia patronos plurimos, & recte communiorem dixere Vanroy cap. iv. q. 2. & Pietta q. 14. eam quippe amplexi ſunt omnes fere poſterioris ætatis Theologi. Et quidem nullum ſive e Scriptura ſive ex Conciliis, ſive ex Patribus, ſive ex Eccleſiaſtica hiſtoria momentum proferri poteſt, quo demonſtretur a ſimplici presbytero alios presbyteros fuiſſe ordinatos: exempla namque Choreepiſcoporum ad rem non facere, conſtat ex dictis. Ipſa quoque divina & præſtantiſſima ſacerdotum poteſtas, ut in ultima cœna a Chriſto Domino, & in Eccleſiæ primordiis ab Apoſtolis collata fuit, ita quolibet peregrinantis Eccleſiæ tempore ab iis, qui tenent apicem ſacerdotii, debet ſplendidiſſima origine propagari. His ergo de cauſis, quantum ſpectat ad ordinem presbyteratus, non auſim ab hac doctrina recedere. Non eſt illa tamen adeo communis, ut facere poſſit Theologorum conſenſus argumentum prorſus invictum, quemadmodum ait Hallier. Etenim quod ſacerdos non Epiſcopus presbyteratum conferre valeat, tenuerunt Cardinalis Hoſtienſis, Innocentius IV. aliique celebres Canoniſtæ laudati a Morino Exercit. 4.

cap. 3.

cap. 3. necnon Guilelmus Antiſſiodorenſis, Petrus Aureolus, Nicolaus de Orbellis, Ludovicus Meratius, aliique bene multi, eo loci ab eodem Morino recenſitis.

IV.

Dixi autem, *Quantum ſpectat ad Ordinem presbyteratus*: nam quod attinet ad Diaconos, Innocentius VIII. anno 1489. v. idus Aprilis conceſſit Joanni Abbati Ciſtercii diœceſis Cabilonenſis, & Abbatibus quatuor monaſteriorum, quæ *poſt, & immediate per dictum monaſterium fundata erant, ne Monachi dicti Ordinis pro ſuſcipiendis ſubdiaconatus, & diaconatus Ordinibus, extra clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur, ut ſuorum monaſteriorum prædictorum religioſis, quos ad id idoneos repereriut, ſubdiaconatus, & diaconatus Ordines rite conferre valeant*. Haud ignoro plura adverſus hoc ſingulare privilegium proferri; ſunt enim permulti, qui ajunt 1. ſuppoſititium illud eſſe, aut ſaltem dubiæ auctoritatis: 2. a Navarro lib. v. Conſilior. n. 13. appellari privilegium *exorbitans*: 3. hanc Bullam non inveniri in Bullario Romæ edito, nec in publicis monumentis, quibus referuntur Romanorum Pontificum Conſtitutiones: 4. nec noſtra, nec patrum noſtrorum memoria Ciſtercienſes eo privilegio uſos fuiſſe: 5. nec Abbatem Ciſtercii facultatem hanc poſtulaſſe; inveriſimile autem videri non petita Pontificem conceſſiſſe: 6. adverſari Tridentino Concilio ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 10. prohibenti, ne abbates ſubditis ſuis alios ordines conferant præter quatuor minores: 7. Bullam denique, ſi germana ſit, explicandam eſſe cum Benſonio de Anno Jubil. lib. 2. cap. 23. quod Abbates Ciſtercienſes valeant monachis ſuis dare litteras dimiſſorias, quibus ordinari poſſint a quolibet Epiſcopo, non habita provinciarum, & diœceſum ratione; ut expoſuit Congregatio Concilii Tridentini an. 1592. & Clemens VIII. in Bulla Ciſtercienſibus data. Collegit hæc omnia Honoratus Tournely quæſt. iv. art. 2.

Hæc autem & pugnant invicem, & magis privilegium ipſum confirmant: pugnant utique, nam Innocentii VIII. Conſtitutionem nunc ſuppoſitam dicunt, nunc dubiam, nunc *exorbitantem*, nunc & veram & juſtam, ſed accipiendam diverſo ſenſu. Privilegium itaque illud non eſt fictitium; germanumque putant Major in 4. diſt. 7. Navarrus citato in loco, Henriquez in Summa Addit. ad lib. 10. de Ordine, Iſambertus diſput. 6. Meratius diſput. 2. Morinus Exercit. 4. cap. 3. nu. 2. noſter Vanroy cap. 4. quæſt. 1. Franciſcus Henno q. 6. art. 3. Vaſquez vero diſp. 243. in 3. p. cap. 4. affirmat privilegium illud aſſervari in Collegio Complutenſium, atque a ſe quoque fuiſſe perlectum. Nos Innocentii Bullam legimus non tantum apud Chryſoſtomum Henriquez Ciſtercienſem in Bullario ejuſdem Ordinis to. 1. pag. 190. editionis Antuerpienſis, verum etiam in Collect. Emmanuelis Roderici Ordinis Minorum pag. 254. edit. Tornoni. His autem objectis prima abunde refellitur. Ad alteram dicimus a Navarro privilegium illud dici *exorbitans*, quod communia Abbatum jura ſuperexcedat. Ad 3. oſtendimus, ubi privilegium, de quo agimus, inveniri poſſit, & legi. Ad proximam dicimus revera Abbates Ciſtercienſes eodem privilegio hactenus uti, prout affirmat citato in loco Morinus: immo Generalis Ciſtercienſium anno 1662. ordinavit monachos ſuos diaconos, & ſubdiaconos Romæ, ſciente & conſentiente Alexandro VII. Pontifice Maximo, & anno 1663. fecit conſimiles ordinationes Gandavi. Vide Vanroy tom. v. pag. 339. & Hennum tom. 2. pag. 489. Ad 5. reſpondeo Innocentium VIII. Joanni Ciſtercienſium Abbati conceſſiſſe privilegia ampliora petitis; neque enim ad Ciſtercium, & quatuor monaſteria antiquiora coarctaſſet privilegium conferendi minores Ordines, quum id juxta indulta vetuſtiora concedendum foret etiam abbatibus reliquis. Ad 6. dico Tridentini Concilii decretum eſſe univerſale, in quo non comprehenduntur ii, quibus Romanus Pontifex peculiare privilegium impertiatur, alioqui nec poſſent non Epiſcopi auctoritate, & permiſſione Sedis Apoſtolicæ ordinare ſubdiaconos; quod conſenſu fere omnium eſt falſiſſimum. Ad ultimam conſtat interpretationem Benſonii directe opponi privilegio Innocentiano, Ciſtercienſibus illis conceſſo, ne *extra clauſtrum* cogantur diſcurrere. Conſtitutio autem Clementis VII. ad Ciſtercienſes data die 10. Martii an. 1592. quæ incipit, *Ut ea, quæ pro Eccleſiaſticarum perſonarum, &c.* & in qua continetur & confirmatur declaratio S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, nullam facit Innocentianæ Bullæ mentionem, & declarat omnes Abbates *benedictos*, alioſque exemptos, iiſdemque privilegiis fruentes, poſſe *ad tonſuram, & minores Ordines* promovere regulares duntaxat ſibi ſubditos, necnon monachis juriſdictioni Ordinariorum non ſubjectis dare litteras teſtimoniales, ut a quibuſvis Epiſcopis ad ſacros, etiam presbyteratus, Ordines promoveantur. Hoc itaque privilegium ad Abbates ſingulos ſpectat; nec approbat, neque revocat peculiare alterum ab Innocentio VIII. conceſſum Abbati Ciſtercii, & quatuor antiquiorum monaſteriorum. Vide citatum Volumen 1. Chryſoſtomi Henriquez Privil. 52. pag. 363. Non habemus ergo momentum aliquod, vel minimum, quo poſſimus id recto jure Ciſtercienſibus denegare; quinimo conſimile privilegium conceſſum Franciſcanis in India narrant Henriquez in Summa apud Morinum; & Heriux, Tannerus, Vaſquez apud Hennum, in locis paulo ſupra laudatis.

V.

De Epiſcopatu manifeſtum eſt, a ſolis Epiſcopis conferri poſſe: argumenta enim, quæ de presbyteratu paullo ſupra tetigimus, a fortiori probant de Ordine Epiſcopatus. Theologi etiam, & ſacrorum canonum ſtudioli, qui docent poſſe presbyteros conferre ordines, etiam ſacros, ea utuntur ratione, *quod Papa delegante Ordinatus poſſit conferre ordinem, quem habet*, ut inquit Gloſſa in Caput, *Manus quoque*, de Conſecrat. diſt. 5. & in Cap. *Pervenit*, diſt. 95. quare in iſtorum quoque ſententia qui Epiſcopatu carent, illum conferre nequeunt. Adeo communis fuit a priſcis Eccleſiæ ſæculis hæc perſuaſio, ut dum Novatus Epiſcopatum rapere conaretur, accitos ex Italia quoſdam Epiſcopos plane rudes, ac ſimplices, fraudulenta molitione impulerit, ut temulenti & crapula oppreſſi, adumbrata quadam, & inani manuum impoſitione ſibi traderent Epiſcopatum. Rem narrat S. Cornelius in Epiſt. ad Fabium apud Euſebium lib. vi. H. Eccl. cap. 43.

VI.

Certum inſuper eſt requiri ad conſecrationem Epiſcopi, ut tres, aut duo ſaltem Epiſcopi interſint; quod nonnulli neceſſarium putant non ſolum ad legitimam & canonicam, verum etiam ad validam ordinationem. Præſcribi conſuetudine ab Apoſtolis derivata, & canonum auctoritate, ut plures Epiſcopi, aut omnes in provincia exiſtentes, quemadmodum in uſu fuit apud Orientales, aut ſaltem tres, quem morem cuſtodit Romana Eccleſia, ordinent Electum, a nullo Eccleſiaſticæ diſciplinæ perito revocatur in dubium. Ea verba Apoſtoli ad Timoth. 1. cap. iv. *Per impoſitionem manuum presbyterii*, a Chryſoſtomo, aliiſque Græcorum explicari περὶ ἐπισκόπων, *de Epiſcopis*, non ſemel in hoc libro adnotavimus. Act. xiii. 1. quinque antiſtites laudantur; ex quibus Paulus & Barnabas ſegregati, ab aliis tribus, qui Epiſcopi erant, acceperunt manuum impoſitionem, Jacobum Juſtum ordinatum fuiſſe Jeroſolymorum Epiſcopum a Petro, Jacobo, & Joanne ſcribit ex veterum teſtimonio lib. 2. H. E. cap. 1. Euſebius. In primo inter Apoſtolicos canones legimus Epiſcopum ordinandum eſſe ὑπὸ ἐπισκόπων δύο, ἢ τριῶν, *ab Epiſcopis duobus, vel tribus*: idem legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ tribuuntur Clementi lib. 3. cap. 20. & lib. 8. cap. 27. Accedunt canones Conciliorum, 21. Concilii 1. Arelatenſis, 4. Nicæni primi, 19. Antiocheni, 39. Carthaginenſis tertii, & quamplurimi alii, in quibus conſtantiſſima traditione affirmatur ordinationem Epiſcoporum *a tribus Epiſcopis* eſſe perficiendam, quamvis ea in re diſcrepent, quod alii canones ad ſolemniorem Electorum inaugurationem exigere videntur conventum omnium provinciæ Epiſcoporum, alii canones Epiſcopos ſeptem, alii duodecim. Demum S. Cyprianus Epiſtola 68. ſcribit cuſtodiendum & tenendum eſſe *de traditione divina, & Apoſtolica ordinationes, ut ad Ordinationes rite celebrandas, cum plebe, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant*.

VII.

Exiſtimamus tamen nos plurium Epiſcoporum præſentiam ad ordinationem Electi non requiri ut Ordinatio ſit valida, ſed tantummodo ut ſit legitima, canonica, & juxta priſcam conſuetudinem, quæ jure meritoque inſtituta fuit, & omnino ſervanda eſt ad ritus ſolemnitatem, ad honorem Pontificatus, atque ad publicam ſacerdotii exiſtimationem, non ad poteſtatem conferendi characterem Epiſcopalem, ita, ut urgentiſſima neceſſitate poſſit auctoritate Apoſtolicæ Sedis ordinari Electus ab uno tantum Epiſcopo. Hanc vero ſententiam eo lubentius amplectimur, quod ſcimus Theologis noſtratibus probari quammaxime, Lupo in primis in hujuſmodi quæſtionibus exercitatiſſimo, Append. ad canonem iv. Nicænum, Friderico Gavardi q. 1. de Ordine art. 3. Aurelio Pietre q. 13. aliiſque. Ac primo neceſſum non eſſe, ut ad Ordinationem Electi conveniant Epiſcopi omnes ejuſdem provinciæ, tametſi Cyprianus ſcribat id eſſe *divina traditione* obſervandum, colligitur ex dictis ſuperiori paragrapho: quare oportet in hac quæſtione, ſicut in aliis compluribus, traditiones quæ pertinent ad diſciplinam, ab iis diſtinguere, quæ inviolabilem doctrinam proponunt. Deinde ſufficere ad validam Electi ordinationem Epiſcopos duos, negare non audet Obſervat. 2. in Pontificale Græcorum Habertus, eorum, qui ſententiæ noſtræ adverſantur, anteſignanus, agnoſcens validam fuiſſe ordinationem Armentarii a duobus Epiſcopis ordinati, de quo in tertio Conciliorum Volumine, idest, canone 5. Regenſis Synodi an. 439. Id præterea ſtatuitur canone 1. Apoſtolico, & Conſtitutionibus Clementi affictis, citato in loco. In Vitis quoque Romanorum Pontificum editis ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii legimus

Pela-

Pelagium I. ad Petri ſedem erectum anno 555. conſecratum fuiſſe ab Epiſcopis Peruſino, & Ferentino, atque Andrea Oſtienſi Archipresbytero; quod in tota Italia inveniri non potuerit tertius Epiſcopus, a quo conſecraretur, ob trium Capitulorum condemnationem, ob quam Pelagius falſo in ſuſpicionem venerat violatæ Synodi Chalcedonenſis, prout cap. 9. diſſert. de Synodo v. adverit Noriſius. Idem aſſerendum eſſe de conſecratione Electi facta ab uno tantum Epiſcopo ſuadent ea, quæ ſequuntur. Primo Timotheus conſecratus *impoſitione manuum presbyterii*, dicitur epiſt. 2. cap. 1. 6. peculiari ratione ordinatus a Paulo: unde Eſtius in primam ad Timotheum cap. 4. pag. 776. notat, *ceremoniam quidem impoſitionis manuum a pluribus fuiſſe adhibitam, ſed ſolum Paulum eo peregiſſe, quæ ſacramento ſubſtantialia erant*. II. Titus in magna inſula Cretæ poſt diſceſſum Zenæ & Apollinis ſolus remanſit, ibi, a Paulo relictus, *ut conſtitueret per civitates presbyteros*, quo nomine Epiſcopos etiam intelligi conſtat ex Epiſt. ad ipſum Titum cap. 1. 7. atque ex dictis præcedenti capite undecimo. III. Si recipiatur auctoritas Conſtit. Apoſtolicarum, quæ ſaltem ad confirmandam doctrinam ſæculorum, quæ non magno intervallo diſtant ab Evangelii promulgatione, debent valere plurimum, ibi lib. VIII. cap. 27. legitur, cogente neceſſitate, Epiſcopum ὑπὸ ἑνὸς χειροτονεῖσθαι, *ab uno ordinari*. IV. In 2. canone Synodi IV. Carthaginenſis habetur ab omnibus quidem Epiſcopis tangi caput Electi, ſed ab uno tamen *fundi benedictionem*. V. S. Gregorius Magnus Epiſt. 64. libri x. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, qui illum interrogaverat, an poſſet Epiſcopos ordinare ſine aliorum Epiſcoporum præſentia, reſpondet n. 8. *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi ſine Epiſcopis potes. Nam quando de Galliis Epiſcopi veniunt, illi in ordinationem Epiſcopi teſtes tibi aſſiſtent. Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Epiſcopos ordinare, ut ipſi ſibi ipſi Epiſcopi longo intervallo minime disjungantur, &c.* Ait ergo Gregorius, quod ſi ex Galliis Epiſcopi aliqui in Angliam transfretaverint, iſtos S. Auguſtinus ad ordinationem invitet, id tamen non eſſe abſolute neceſſarium, ac ordinandos Epiſcopos interventu aliorum, poſteaquam *in locis propinquis fuerint conſtituti*. Vide adnot. ad hanc Epiſtolam tom. 2. novæ edit. Pariſienſis pag. 1155. ubi etiam demonſtratur vitioſam eſſe lectionem alteram, *Ordinare Epiſcopum non aliter, niſi cum Epiſcopis potes*: qua lectione nimium geſtit Habertus. Ex eadem Gregorii Epiſtola, atque ex verbis exſcriptis, alii Epiſcopi, qui adſtant Conſecranti, potius *teſtes* ordinationis dicendi ſunt, quam *ordinantes*. VI. Theodoretus lib. v. H. Eccleſ. cap. 23. pag. edit. Valeſ. 230. refert Evagrium ordinatum fuiſſe Epiſcopum Antiochenum a ſolo Paolino: & quamquam in hac ordinatione Paulinus canones infregerit, quoniam vivens ſibi ſucceſſorem, ſolus, & abſque aliis Epiſcopis ordinavit, atque idcirco Orientales ſteterint a partibus Flaviani; Eccleſia tamen Romana diu ſervavit cum Evagrio communionem, donec diſſidia ab Innocentio I. componerentur; nec unquam de validitate ordinationis Evagrii diſputatum eſt, ſed tantum de legitima ſucceſſione in Sede Antiochena: immo prælaudatus Innoc. epiſt. 22. ad Bonifatiac habuit ordinationes factas ab ipſo Evagrio; quod utique demonſtrat illum fuiſſe verum Epiſcopum. Vide Lupum. VII. Non alia de cauſa videtur inſtitutum, ut plures Epiſcopi conveniant ad ordinationem Electi, niſi, ut inquit laudatus Innocentius in Epiſtola ad Victricium, *Ne furtivum beneficium præſtitum videatur*. VIII. Anno 1686. die 29. Decembris Innocentius XI. indulſit Godefrido Duci Franciæ Orientalis, ut ab uno Epiſcopo cum aſſiſtentia duorum Abbatum conſecraretur Epiſcopus, ut ſcribit Fridericus Gavardi tom. VI. Theologiæ Ægidianæ pag. 526. Hoc autem ſummi Pontificis indulto omnis dirimitur controverſia. IX. Ne prætermittam rationis congruitatem; an non habet unus Epiſcopus, quantum ſpectat ad Ordinis poteſtatem, apicem Pontificatus, & plenitudinem ſacerdotii? Præſentia itaque Coepiſcoporum auctoritatem Conſecrantis nec minuit, nec auget: quare ordinatum ab uno ideo canones deponunt & damnant, non quod conſecratione, & charactere ſit deſtitutus, ſed quod illegitime, furtim, & abſque majeſtate, quam poſtulat ſupremus ſacerdotii gradus, fuerit intruſus. Atque hac reſponſione corruit quidquid ex adverſa parte poteſt opponi.

VIII.

Perſpicuum ulterius eſt, atque a Tridentina Synodo ſeſſ. 23. cap. 8. definitum, debere unumquemque ordinari *a proprio Epiſcopo*, nec ab alio ullatenus promoveri, *cujuſvis aut generalis, aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu*; atque ſi ſecus fiat, Ordinantem a collatione ordinum per annum, ordinatum vero a ſuſceptorum ordinum executione ſuſpendi quandiu proprio Ordinario videbitur expedire. Incurri eamdem ſuſpenſionem etiam collatione minorum ordinum, & Clericalis tonſuræ ſi fiat abſque licentia ſuperioris Ordinandorum, aut ſcienter, aut affectata ignorantia, aut quocumque alio quæſito figmento, declararunt Romani Pontifices, Gregorius X. & Bonifacius VIII. prout apparet ex cap. *Eos qui Clericos*, atque ex cap. *Nullus Epiſcopus*, lib. 1. tit. 9. de temp. Ordinat. in Sexto. Sacerdotes a proprio ordinandos Epiſcopo habetur quoque in vetuſto canone, qui ſupponitur Anacleto, diſt. 67. Decreti, cap. *Reliqui*. Conſonant Conciliorum canones, 21. Synodi Antiochenæ, 3. I. Conſtantinopolitanæ, 15. Aurelianenſis III. & alii id genus bene multi. Idem confirmatur ex Eccleſiaſtica Hiſtoria; nam legimus apud Sozomenum lib. 3. cap. 21. & Socratem lib. 2. cap. 24. ab Arianis accuſatum beatiſſimum Athanaſium, quod ordinationes feciſſet in urbibus ad illum nullatenus pertinentibus: immo & S. Joannes Chryſoſtomus apud Nicephorum lib. 13. cap. 13. ægre tulit S. Cyprianum Salaminæ in Cypro Epiſcopum ordinaſſe diaconum in Baſilica ſeptem paſſuum millibus diſtante ab urbe Conſtantinopolis: quod Epiphanius minime feciſſet, *ſi ejus detrimentum fore perpendiſſet*, inquit epiſt. 19. ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem ſcripta anno 1096. Urbanus II. Nonnulli tamen Primates extra diœceſim ſuam aliquando Ordines contulerunt, E. G. in tota Africa Epiſcopus Carthaginienſis, ut conſtat ex canone 45. Concilii ejuſdem urbis III. in Syria Patriarcha Antiochenus, qui Metropolitanos ordinabat *auctoritate ſingulari*, prout epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum inquit ſummus Pontifex Innocentius I. atque in Hiſpaniarum provinciis Archiepiſcopus Toletanus, conceſſione tamen aliorum Epiſcoporum, juxta canonem 6. Concilii Toletani XII. De Romano Pontifice, cujus eſt ſumma & ampliſſima in Eccleſia poteſtas, haud dubium, quin poſſit ubique terrarum presbyteros, & Epiſcopos conſecrare. Tanta demum eſt in promovendis ordinandiſque clericis ſuarum diœceſum juris Epiſcopalis auctoritas, ut qui loco renunciavit, non poſſit ordines conferre, niſi invitatus, & ſi renunciaverit tum loco, tum dignitati, invitatus conferre poſſit *minores, non autem ſacros*, & ſi hos conferre præſumeret, initiati forent ſuſpenſi: ita enim ſtatuitur cap. *Requiſivit*, lib. 1. Decretal. tit. 13. de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit.

IX.

Ab Epiſcopo ordinante *formam* proferendam eſſe, ſive, ut loquuntur canones, *benedictionem fundendam*, adeo, ut ſi Epiſcopus manum imponeret, & aliquis presbyter pronuntiaret verba, ordinatio eſſet irrita, & nulla, res eſt manifeſta, & definita canone 5. Concilii 2. Hiſpalenſis an. 619. cui præfuit S. Iſidorus, adverſus Epiſcopum Egabrenſem, qui detentus dolore oculorum in Ordinatione unius presbyteri, duorumque diaconorum, manum impoſuerat ordinandis, & quidam presbyter contra Eccleſiaſticum Ordinem formam protulerat. Neque hic locum habet quod nonnulli affirmant de baptiſmo, validum ſcilicet futurum fore, ſi mutus funderet aquam, & alter manibus obtruncatus proferret verba; eo quod ille aliena manu, tanquam vicaria tingeret, & baptizaret: presbyter enim nequit eſſe miniſter Ordinationis, nec dextera Pontificis inſtrumentum illius; & potiori jure ſacramentorum miniſter dicendus eſſet qui *formam* pronuntiaret, quam ille, quo obſequente exhiberetur *materia*: quamquam & illa de duplici ejuſdem baptiſmatis adminiſtro ſententia a multis refellitur, & admodum incerta eſt, ſicuti diximus lib. XXXI. cap. 12. quæſtiuncula 4. Vide etiam quæ de unctione infirmorum ſcripſimus lib. XXXV. cap. 8. propoſit. 5.

CAPUT XIV.

Quid aſſerendum ſit de Ordinatione facta ab Epiſcopis illegitime intruſis, aut hæreſi, ſchiſmate, & labe ſimoniaca contaminatis.

Dixi quartodecimo capite libri triceſimi, Donatiſtas nulla & irrita exiſtimaſſe ſacramenta baptiſmi, & ſacræ Ordinationis collata a miniſtris improbis, atque ab illorum communione ſegregatis: inde enim Donatiſtarum ſchiſma exortum eſt, quod Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis ordinationem factam a Felice Aptungitano, quem traditionis crimine accuſabant, pertinaciſſime oppugnarent. Hinc antiquiores Donatiſtæ ordinatos a Catholicis & ad partes ſuas accedentes publica pœnitentia impoſita contra ſtatuta canonum ut oſtendit de ipſa publica pœnitentia pertractans, inter laicos detrudebant. Donatiſtæ vero poſteriores recedentes ab illius diſciplinæ ſeveritate, venientes ad ſe catholicos ſacris Ordinibus initiatos baptizabant iterum, & aliquando rurſus ad Ordines promovebant: quod factum in quibuſdam diaconis narrat S. P. Auguſtinus ep. 23. n. 2. & epiſt. 108. n. 19. Legi poteſt Noriſiana Donatiſtarum Hiſtoria p. 2. cap. 4. Acceſſiſſe Donatiſtis complures poſteriorum ſæculorum hæreticos aſſerui præcitato capite quartodecimo: in quo cum de ſacramentis univerſim diſputatum ſit, ac demonſtratum rata & valida illa eſſe, quamquam conferantur a miniſtris hæreſi, ſchiſmate, aut ſcelere alio turpiſſimo contaminatis: nunc de ſacramento Ordinis peculiariter pertractans rurſus quæſtionem ipſam attingo. De quatuor autem generibus improborum miniſtrorum quæſtio moveri poteſt, ideſt, de Epi-

ſcopis

ſcopis intruſis, quos canones mœchos etiam atque invaſores appellavarunt, quod legitimis paſtoribus ejectis, aut violenta alia, ſeu doloſa ratione ad Epiſcopale ſolium conſcenderint: de hæreticis item, & ſchiſmate ab Eccleſia divulſis, necnon de Simoniacis, ſeu dona Spiritus ſancti pretio temporali ſibimet comparantibus.

Quam anceps, & difficultatibus implicata fuerit olim hæc quæſtio inferri poteſt ex v. Exercitationa Joannis Morini, quæ eſt *de ſacrarum Ordinationum iteratione*; atque ea recentiorum Theologorum lucubrationibus, ut plurimum ejuſdem Morini, qui tamen non uno in loco lapſus eſt, argumentorum collectione compactis. Verum ut nos breviores & faciliores ſimus, nonnulla præmittimus adnotanda. Quorum primum eſt, perantiquos ſcholaſticos, qui cum Magiſtro in iv. diſt. 25. quæſtionem hanc *perplexam, ac pene inſolubilem* eſſe affirmant, aut etiam putant irritas ordinationes factas ab Epiſcopis hæreticis, vel *degradatis*, in qua ſententia ſtetiſſe dicitur Gratianus I. q. 1. n. 45. nulla ratione poſſe invicem conciliari: nam quidam ajunt Epiſcopos exauctoratos, atque e gradu dejectos, *charactere*, & poteſtate Ordinis omnino exſpoliari: alii cenſent hujuſmodi Epiſcopos poteſtatem quidem ordinandi retinere, ſed hac poteſtate carere illos, qui ab iis ordinantur; quod ſcilicet primi in Eccleſia, alii extra Eccleſiam fuerint inaugurati. Nec enim valet conciliatio illa, quam cap. 9. laudatæ Exercitationis tentat Morinus diſtinguens characterem ſacramenti ab ejuſdem characteris virtute, & contendens illum permanere ſemper, hanc vero Eccleſiæ abrogatione, & revocatione reddi quolibet effectu caſſam; atque ita ratas fuiſſe, aut nullas ordinationes, prout Eccleſia virtutem poteſtatemque Epiſcoporum, charactere illorum perſiſtente, firmabat, vel reſcindebat. Enimvero poteſtas ordinis, & character idem omnino ſunt, aut ſaltem ſeparari non poſſunt: nec alia ducti ratione, quam petita ex natura inviolabilis characteris, damnant modo Theologi omnes Reordinationes factas ab Epiſcopis aut improbis, aut hæreticis. Neque opinio Morini eadem eſt ac ſententia Oſtienſis, aliorumque JCC. aſſerentium in Excommunicato *characterem* quodammodo extingui, & hebeſcere, per diſpenſationem vero *calorem ſumere*, & *vivificari*; nam id eo ſenſu eſt intelligendum, ut ſoluti a cenſuris poſſint licita, & ſancte peragere, quæ iiſdem cenſuris innodati impie, & ſacrilege exercent. Hinc & illud præmittendum eſt, non de licita, ſed de valida miniſtrorum Ordinatione controverſiam hanc agitari. Prænotandum ulterius, nil ad hanc dirimendam facere, quod ab hæreticis, vel ſchiſmaticis ordinati, & venientes ad Eccleſiam Catholicam, aliquando ad communionem tantum laicam recepti fuerint, aliquando etiam inter Clericos cooptati. Præſens enim quæſtio pertinet ad dogma, agitque de ſacramenti *validitate*: ea autem de modo recipiendi Clericos ab hæreſi venientes, ſpectat ad diſciplinam: in qua pro criminum qualitate, ac temporum circumſtantiis, reſipiſcentes Clerici aliquando privati fuerunt priſtino honore, aliquando ordinis ſui munus, vel totum, vel ex parte exercere iterum permiſſi ſunt. Etenim legimus Cornelium Papam conceſſiſſe priſtinum presbyteri locum Maximo, qui Novatianis adhæſerat; Nicænos Patres ſuſcepiſſe Epiſcopos, qui Arianam hæreſim deſeruerant, illorum ordinem, dignitatemque ſervantes: Synodum demum Ancyranam tractis per vim ad ſacrificandum reſtituiſſe quidem honorem ſedis, ſed negaſſe exercitium oblationis, aliorumque officiorum ſacerdotalium. Poſtremo notandum eſt, quod etſi antiquiores ſcholaſtici, ut præmonui, plurimum in hac quæſtione hæſitaverint, univerſi tamen qui a quingentis ab hinc annis floruerunt, ſi unus, vel alter excipiatur, conſtantiſſime affirmarunt valere: nec ulla ratione iterandas eſſe Ordinationes, de quibus ſermo inſtituitur; tametſi quantum ad gratiam pertinet, minime illam conſequuntur qui ſcienter ab Epiſcopis, aut ſchiſmate, aut hæreſi ſeparatis, ſive excommunicatis, *degradatis*, vel ſuſpenſis recipiunt Ordines Eccleſiaſticos, non quidem ſpectata ſacramenti efficacitate, ſed prava miniſtrorum, atque ſuſcipientium diſpoſitione, prout q. 38. Supplementi ſcribit Doctor Angelicus, a quo nemo unus hac ætate diſſentit. His vero præmiſſis, id, quod in quæſtione poſitum eſt, ita ſubjecta theſi reſolvitur.

PROPOSITIO: Validæ ſunt Ordinationes factæ ab Epiſcopis quacunque hæreſi, aut crimine pollutis, necnon excommunicatione, aut cenſura alia innodatis; dummodo cum neceſſaria intentione adhibeant materiam, formamque legitimam, atque ipſi eadem ratione inaugurati & conſecrati fuerint Epiſcopi.

Ac primum poſitionem hanc probo communibus argumentis. I. Tenent priorem locum definitiones Eccleſiæ: prohibentur enim omnino reordinationes canone Concilii Capuani celebrati ſub Siricio anno 389. de quo Noriſius in Hiſt. Donatiſt. p. 2. cap. 8. Relatus eſt autem idem canon a 113. Synodo Carthagineuſi an. 397. can. 38. atque his verbis confirmatus, *Non liceat fieri Rebaptizationes, & Reordinationes, quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum*. Extat quoque de Conſecrat. diſt. iv. nu. 7. Plura ibidem Gratianus, quemadmodum diſt. 68. & Cauſa 1. q. 1. Idem poſt innumeros alios canones, quorum nonnullos producam paullo infra, ſtatuit Florentinum Concilium in decreto unionis, ac Tridentinum ſeſſ. vii. can. 9. & ſeſſ. 23. can. 4. ubi definit ſacramento Ordinis *imprimi characterem, ideoque non poſſe iterari*. II. Probatur auctoritate Sanctorum, ac præſertim S. P. Auguſtini, qui tam de Baptiſmo, quam de Ordine ſcribit lib. 2. contra Epiſtolam Parmen. cap. 13. n. 28. *In Catholica utrumque non licet iterari*: & lib. 1. de Baptiſmo cap. 1. *Sicut baptizatus, ſi ab unitate receſſit, ſacramentum baptiſmi non amittit, ſic etiam Ordinatus*, &c. de Bono conjugali cap. 24. loquens de Clericis, improbis, & officio privatis, *Manet tamen in illis ordinatis ſacramentum Ordinationis*; ac demum in Pſalm. 54. n. 19. demonſtrat ſchiſmaticos hæreticoſque manere nobiſcum *in ſacramentis*, quamvis non ſint nobiſcum *in caritate*. Huc ſpectant quæ ſcribit Theodoretus H. Relig. cap. 13. οὐ δυνατὸν δὶς τὴν αὐτὴν ἐπιτεθῆναι χειροτονίαν; *fieri non poteſt, ut bis fiat eadem manuum impoſitio*. Similia Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. III. Accedit manifeſta ratio: nam *poteſtas Ordinis* ſemel collata nunquam auferri poteſt, ut conſtat de poteſtate conſecrandi, quam nullus ſacerdotum propter qualecunque ſcelus amittit. Secus *de poteſtate juriſdictionis* dicendum eſt, quam nemo poteſt exercere in eos, qui ſibi non ſubjiciuntur, prout apparet in abſolutione, vel excommunicatione. At poteſtas ordinandi eſt *poteſtas Ordinis*. Nullus itaque Epiſcoporum hac eadem poteſtate privari poteſt.

Præterea comprobatur aſſertio diſcurrendo per claſſes illorum Epiſcoporum, quorum Ordinationes poſſent nullæ cenſeri. Sit autem prima claſſis *intruſorum*, qui nempe alienam ſedem invaſerunt, aut illam contra fas, & jura canonum occuparunt. Recentiores quidam Theologi cum Witaſſio ſect. iv. de Ordinis charactere, producunt exempla Felicis II. Liberii poſt ſubſcriptam formulam Arianam, & Vigilii Romanorum Pontificum, quos Auxilius in defenſione Formoſi, & S. Petrus Damiani Opuſculo 6. *intruſos* dixere, nec tamen repetitæ fuerunt illorum Ordinationes. Sed hæc exempla ad rem non faciunt. Quanquam enim laudatorum Pontificum Acta varia ſint, & ambigua, ut excuſatione digni videantur Auxilius, & alii: pondus tamen non habent, quo aſſertio illa firmari valeat. Felicem enim, quem ab Arianis intruſum videtur aſſerere S. Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios, atque in catalogo Pontificum nequaquam connumerarunt lib. 2. adverſus Parmenianum Optatus, & Epiſt. 165. Auguſtinus, quorum auctoritate fretus illum Pſeudopontificem exiſtimavit in notis ad Dictatum S. Gregorii VII. eximius Lupus, Felicem, inquam, tanquam verum Pontificem agnoſcunt antiquiores Romanæ Eccleſiæ catalogi, Breviarium, & Martyrologium Romanum, perantiquæ Pontificum imagines in Baſilica S. Pauli Via Oſtienſi, Nicephorus, Theophanes, Anſelmus Lucenſis, aliique permulti. Immo cum de expungendo Felice a Romanorum Pontificum catalogis apud ſacrorum Rituum Congreg. ageretur, contigit anno 1582. ſedente Gregorio XIII. ut in Æde SS. Coſmæ & Damiani detegeretur ſarcophagum cum hac inſcriptione: *Corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Conſtantium*, de qua Baronius ad an. 357. num. 63. Et quoniam nonnulli hanc tumuli inſcriptionem dubiam eſſe contendunt ob ſilentium Marcellini & Fauſtini; prætereundum non eſt, horum ad Imperatores libellum figmentis pluribus a viris Luciferianis fuiſſe compactum, ut alio in loco adnotavi, agens nempe primo volumine de pœnitentia Oſii Cordubenſis Epiſcopi: nullam deinde firmitatem ineſſe huic argumento neganti, ac petito a ſilentio unius libelli de Felice data opera non pertractantis: ſervari demum etiamnum marmoream tabulam conſcriptam tempore Gregorii VII. a Benedicto Titulari Eccleſiæ S. Pancratii prope viam Aureliam; qua in tabula recenſentur ſanctorum reliquiæ ibidem ſervatæ in ſacello ſancti Paſtoris, inter quas connumeratur pars ſacrorum cinerum

Martyris & Papæ Felicis honore ſecundi.

Ut ut ſit, incerta ſaltem ſunt quæ de Felice inter invaſores numerando in hac quæſtione afferuntur. At quæ adducuntur de Liberio, falſa ſunt penitus: nec mirum eſt Pontificem auctorem damnationis Luciferianæ a ſcriptoribus hujus factionis tanquam Arianum fuiſſe traductum, etſi nunquam catholicam fidem violaverit, ut alibi demonſtravimus. Vigilius vero in Petri ſedem intruſus pulſo in exilium Silverio, necis hujus auctor, ſimoniacus, excommunicationis vinculis alligatus, & ſiquid atrocius inveniri poteſt, dicitur quidem a ſcriptoribus multis, adeo, ut fuiſſe illum prius invaſorem, quam Pontificem exiſtimaverit quoque Annalium Eccleſiaſticorum Parens ad an. 538. ſed eruditus Couſtantius in Epiſtolis ſummorum Pontificum Vigilium acerrime vindicavit, demonſtrans quanta ei afficta fuerint ab Africanis trium Capitulorum defenſoribus, Facundo, Victore, & Liberato. Couſtantii judicium confirmari poteſt ex Hiſtoria Arcana Procopii Cæſarienſis, qui ſcripſit Silverium trucidatum fuiſſe ab Eugenio famulo Antoninæ uxoris Beliſarii, apud quam Procopius ipſe degebat: quamquam ex Libro Pontificali Vigilium inter & Antoninam Patriciam magna interceſſerit conſuetudo. Videſis novas in Anaſtaſium adnotationes, & quas ad Procopium addidit Nicolaus Alemannus. Tandem ſi aliquam Vigilii in Silverium machinationem, & cupiditatem Pontificalis

ficalis

Digitized by Google

ficalis honoris velimus admittere; negare tamen non poſſumus poſt mortem Silverii legitimum Papam fuiſſe, infenſiſſimum hoſtem Eutychianorum, Chalcedonenſis Synodi defenſorem, & trium Capitulorum damnatorem, judicemque rectiſſimum. Aliunde ergo, quam ab ordinationibus Liberii, Felicis, & Vigilii, peti debet hujus propoſitionis demonſtratio.

Tria itaque exempla alia producam: quorum primum ſit Anatolii, qui in locum S. Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi a Dioſcoro, & pſeudoſynodo Epheſina, quam Latrocinium appellant, intruſus, a S. Leone Magno ad Marciani Auguſti, & Pulcheriæ preces ſuſceptus fuit, probatis quoque ſingulis ejus ordinationibus; ut conſtat ex epiſt. ejuſdem Leonis 78. alias 54. Alterum exemplum ſit Petri Moggi, qui etſi intruſus in Epiſcopatum Alexandrinum, ac præterea ab uno tantum Epiſcopo adverſus ſtatuta canonum ordinatus, attamen ut Metrophanes narrat apud Lupum Volum. 2. in canones pag. 1526. fecit ordinationes complures, quas Romana Eccleſia ratas habuit: id, quod confirmat aſſertionem præcedentis capitis nu. VII. valere conſecrationem Epiſcopi ab uno tantum peractam. Tertium denique exemplum ſit Photii, qui S. Ignatii ſedem invaſit, & a Gregorio Syracuſano Epiſcopo *degradato* conſecratus fuit, & nihilominus defuncto Ignatio Joannes VIII. Romanus Pontifex in Patriarchalem gradum, & honorem ipſum Photium ſuſcepit, nullo eorum, qui ab illo fuerant ordinati, repetita ordinatione purgato. Qua in re licet nonnulli Joannem nimiæ facilitatis redarguant, immo Baronius ad an. 879. ab illius puſillanimitate natam putet fabulam Joannæ Papiſſæ; defenditur ille tamen a Lupo citato in loco, atque a Petro de Marca lib. 3. Concord. ſacerdot. & imp. cap. 14. apertumque eſt ortam Papiſſæ fabulam ex Valdenſium, aut Lutheranorum laticibus exacto jam nono ſæculo; ſiquidem illam ſediſſe ajunt poſt S. Leonem IV. qui anno 855. puriſſimam efflavit animam. Quamquam etſi Joannes VIII. cedens Baſilii imperatoris precibus, & Photio fidem adhibens molliter ſe geſſiſſet; non inde tamen ſequeretur Photii ordinationes fuiſſe *irritas*, aut repetitas, ut falſo ſcripſit Joannes Morinus, a Chriſtiano Lupo, & ab aliis viris doctiſſimis refutatus.

Sequitur, ut dicam de ordinationibus ſchiſmaticorum: quas minime repetendas eſſe demonſtrat Eccleſiaſtica Hiſtoria. Enimvero Maximum presbyterum, aliosque Novatianos tertio vertente ſæculo ſanctus Cornelius Papa ad Eccleſiam reverſos abſque nova ordinatione in priſtinum locum ſuſcepit, ideoque Romanæ Eccleſiæ judicio character ordinis in ſchiſmate perſeverat. Quarto ſæculo eadem Romana Eccleſia ordinatos in ſchiſmate Donatiſtarum vere inſignitos eſſe Ordinis charactere declaravit, ſcribente Auguſtino adverſus Parmenianum lib. 2. cap. 13. de Ordinatis in eodem ſchiſmate, *Non ſunt rurſus ordinati, ſed ſicut baptiſma in eis, ita ordinatio manſit integra*: & adverſus Creſconium lib. 2. cap. 11. *Quamvis cum apud vos ordinantur, non ſuper eos invocetur nomen Domini, ſed Dei; tamen ita ſuſcipiuntur, ut videtur paci, & utilitati Eccleſiæ convenire*. Etiam S. Melchiades ordinatos a Majorino conſiſtere ſuo loco paſſus eſt: & Melchiadis ſententiam idem Auguſtinus plurimum commendavit, appellavitque *innocentem, providam, integram, & pacificam*, in Epiſt. 43. ad Glorium & Eleuſium, n. 16. E contra Donatiſtæ, qui Ordinationes iterabant, innumeris in locis ab Auguſtino exagitantur & refelluntur, ut conſtat ex univerſis Operibus adverſus ipſos Donatiſtas conſcriptis. Sunt qui illam reordinandi conſuetudinem in Donatiſtis proſcriptam ajunt in Concilio Romano Melchiadis, in quo Donatus a decem & novem Epiſcopis damnatus fuit, *Quod confeſſus ſit rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe*, ut inquit Optatus lib. 1. adverſ. Parmenianum. Verum hoc in loco *impoſitionem manuum* non reordinationem Epiſcoporum, ſed impoſitionem publicæ pœnitentiæ intelligunt, cum Albaſpina viri alii doctiſſimi: quod præmiſſis adnotationibus quadrat quammaxime. Non iteratas tamen a Catholicis ordinationes Donatiſtarum evidentiſſimum eſt; idque confirmant quæ leguntur in Collat. Carthag. diei primæ cap. 16. & in Codice Canonum Africanorum cap. 68. Sunt qui addunt ordinatos in ſchiſmate Meletii, quos Nicæna Synodus in Epiſtola Synodica ad Alexandrinos in Eccleſiaſticam dignitatem, & priorem gradum recepit: at ex hac Epiſtola oppoſitum inferri contendunt Valeſius in notis ad Theodor. lib. 1. cap. 9. Du-Pin in Biblioth. cent. IV. & volum. 2. Originum Eccleſ. Binghamus, unde quod hoc in loco profertur e ſchiſmate Meletiano, potius inter oppoſitiones locandum eſt. Confirmant tamen aſſertionem noſtram exempla permulta aliorum ſchiſmatum poſteriorum, in quibus promoti ad Eccleſiaſticos Ordines nequaquam fuerunt repetita ordinatione recepti, nec etiam in graviſſimo illo, ac diuturno ſchiſmate, quod ab Urbano VI. uſque ad Martinum V. ab anno ſcilicet 1378. uſque ad annum 1417. vexavit Eccleſiam.

Agendum nunc de hæreticis. Octavo Nicæno canone definitur, ut Novatiani, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. Hæc Græca verba ita reddidit Dionyſius, *Ut impoſitionem manus accipientes ſic in clero permaneant*: atque *hanc manuum impoſitionem* quidam Theologi ſacramentum Confirmationis, quidam reconciliationem canonicam intellexerunt. At Morinus citata Exercit. V. cap. 7. *ordinationem* eſſe contendit, unde ſequeretur Novatianos fuiſſe reordinatos. Verum notandum eſt legitimam interpretationem Græcorum verborum hanc eſſe, *Eos, qui manus impoſitionem perceperunt, ita in clero permanere*, ſive, ut habent antiquiores verſiones, atque ipſa interpretatio Dionyſii in ſecunda canonis parte, *Ut qui ex illis erant ordinati, ſic maneant in clero*. Ita quoque Nicænum canonem acceperunt Monachi Studitæ in ſeptima Synodo, quæ Act. 1. Monachorum interpretationem probavit. Collector canonum Arabum n. 18. S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, & Innocentius I. epiſt. 22. ad Epiſ. Macedoniæ cap. 5. Quare Morino concedendum eſt impoſitionem manuum hoc in loco eſſe *ordinationem*, ſed conſtat iſtic ratam haberi ordinationem acceptam in hæreſi, non admitti reordinationem. Emendanda propterea eſt lectio Gratiani diſt. 7. nu. 8. *Placuit ut ordinentur, & ſic maneant in clero*. S. Athanaſius an. 362. coacta Synodo ſtatuit inter clericos recipiendos eſſe, itemque laicos ad communionem admittendos, qui Arianam impietatem, ad quam neceſſitate quadam ac violentia tracti eſſent, deteſtati veniam ſuppliciter petiiſſent, prout extat in Actis ejuſdem Synodi, atque in Epiſtola ipſius Athanaſii ad Rufinianum, necnon actione prima Concilii VII. Generalis. Idem cum Encratitis factum, in Epiſcopalem ſedem ſuſceptis Zoi, & Saturnino, qui huic hæreſi adhæſerant: affirmat in Epiſtola ad Amphilochium can. 1. Magnus Baſilius. Epheſina etiam Synodus hæreticos, quos Syriace Meſſalianos, Græce autem Euchetas dixerunt, ideſt, *Precatores*, eo quod tamdiu orarent, ut vellent ad litteram illud implere, *Oportet ſemper orare*, genus propterea hominum Anabaptiſtis, ceteriſque Enthuſiaſtis ſimillimum, in decreto, quod conſequitur ſextum canonem, recipiendos eſſe ſancivit, dummodo in ſcriptis hæreſim omnem anathematizaverint ea conditione, *ut ſi clerici fuerint, maneant clerici; ſi laici, ad communionem admittantur*. In ſedes quoque ſuas Toletana prima Synodus anno 400. reſtituit Sympholium, Dictinium, & Anterium Epiſcopos, poſteaquam Priſcillianiſtarum hæreſim ejurarunt. De Donatiſtis non tantum ſchiſmate, quam hæreſi contaminatis diximus paullo ſupra. Sanctus Leo Magnus epiſt. 1. n. 6. ait ab Epiſcopali dignitate non repellendum Donatum Salicinenſem, ex Novatianis nuper converſum, ſi exhibito fidei libello, ſe catholicum eſſe manifeſtet, *quoquo modo* Epiſcopalem Ordinem *ſit adeptus*. In ſeptima Generali Synodo an. 787. act. 1. lecti fuerunt prælaudatus canon VIII. primæ Nicænæ Synodi, diverſæ S. Baſilii, S. Cyrilli Alexandrini, & S. Athanaſii Epiſtolæ, necnon Epheſinæ Synodi canones, quibus definitur ſolos hæreſeon principes perpetuo ab Eccleſiaſticis honoribus eſſe dejiciendos, reliquos vero ad Eccleſiam redeuntes recipiendos in priſtinum clericalem gradum: atque ita recepti fuerunt Iconoclaſtæ. Productum ibi a Tharaſio exemplum illorum, quos ſacris initiarunt Sergius, & Pyrrhus Monothelitæ, atque Anatolii, quem ordinavit Dioſcorus Eutychianus, de quorum ordinatione nemo tunc temporis hæſitabat. Actione item octava prælaudatus Tharaſius ſe purgavit, quod Epiſcopos, clericoſque infectos hæreſi in priſtinum recepiſſet honorem, quamquam a Sabba Studitarum monachorum Hegumeno nimiæ in apoſtatas improboſque homines facilitatis argueretur. Denique Magnus Gregorius lib. 2. epiſt. 46. indict. 10. cohærenter ad ea, quæ adverſus Donatiſtas frequentiſſime docet præſtantiſſimus Auguſtinus, ſcribit: *Sicut baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet; ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari*: atque lib. 9. epiſt. 61. indict. 4. jubet, ut Neſtoriani ſuam & reliquas hæreſes anathematizantes, prout mandant venerandæ Synodi, quas univerſalis Eccleſia recipit, *ſervatis propriis Ordinibus in ſuo cœtu ſuſcipiantur*.

Nonnulla addamus de Simoniacis. Antiqui ſane canones, quorum permultos laudavimus cap. 14. libri XXX. & cap. 1. hujus libri pag. 329. ſevere in clericos animadvertebant, qui rei forent ſimoniæ, vel ut quidam Græcorum loquuntur, χριστεμπορίας, *nundinationis gratiarum Chriſti*. Sat eſt modo in mentem revocare canonem 2. Concilii Chalcedonenſis, quo a dignitate, gradu, & officio detruduntur, *qui non venalem gratiam in venditionem deduxerint*: cujus generis canones extant in Conciliis prorſus innumeri. At nullo horum definitur ſimoniaca Ordinatione *characterem* nequaquam imprimi. Quare licet *degradationi*, ceteriſque pœnis obnoxii, non erant tamen irriti, & *characteris* expertes Ordines ſimoniace collati. Deinde quum ſimoniaca hæreſis perniciosiſſima illuvione graſſaretur, ipſi Romani Pontifices, qui ordinationes hujuſmodi reprobarunt, ac ſtatuerunt nullam miſericordiam illis impendendam eſſe, qui ſimoniace, oblato ſcilicet pretio, a ſimoniacis Ordines recepiſſent; permiſerunt tamen, ut in acceptis Ordinibus miniſtrarent, ſi gratis ordinati fuiſſent, aut ignoraſſent Epiſcopum ſibi Ordines conferentem eſſe ſimoniacum, aut etiam ſi hoc ſcientes ipſo Ordinationis ſuæ tempore, poſtmodum egiſſent pœnitentiam, prout conſtat ex Epiſtola Nicolai II. apud Gratianum I. q. 1. num.

Digitized by Google

num. 107. ex Concilio Romano ſub Alexandro II. ex litteris ſancti Gregorii VII. ad Rainaldum Epiſcopum Comenſem, atque ex Romana Synodo III. ex celebratis ſedente Urbano II. Quæ omnia collegit in 2. diſſ. Procemiali 3. p. percelebris Canonum ſcholiaſtes Chriſtianus Lupus. Hi ergo, aliique Pontifices Ordinationes ſimoniacas condemnantes agnoverunt in Epiſcopis execranda ea labe pollutis poteſtatem Ordinis, & characterem. Præterea, quamvis de ſimoniacis Ordinationibus variæ extiterint opiniones, & nonnulli etiam illas iterandas eſſe putaverint, complures tamen ratas cenſuerunt, tum ex antiquioribus, tum ex iis, qui floruerunt controverſiis hujuſcemodi ſerveſcentibus. Nam ex vetuſtioribus, ut mittam illos, qui tradiderunt nullo crimine deleri Ordinis characterem, aſſerentes hujus, atque ſacramenti baptiſmatis parem eſſe rationem, inter quos eminet Auguſtinus glorioſiſſimus Donatiſtarum debellator; S. Baſilius canonum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus in epiſtola ad Epiſcopos ſuæ curæ commiſſos, qui pecuniæ gratia manus imponebant, ſcribit quidem *ſatanæ venumdatum eſſe, qui vendere, aut emere audet donum Dei a ſe gratis acceptum*, atque poſt illam Epiſtolam ab altaris communione arcendos fore *quicunque cauponum ritu quæſtum fecerint rerum ſpiritualium*; at præteritas Ordinationes conſiſtere paſſus eſt, ea tantum lege præſcripta, *ταῦτα εἰ οὕτως ἔχει, τὸ λοιπὸν μὴ γινέσθω, ἀλλὰ διορθούσθω. Hæc ſi ita ſe habent, poſthac non fiant, ſed emendentur*. Vide Vol. 2. ep. 76. Atque ad eumdem modum ſe geſſiſſe S. Joannem Chryſoſtomum in ſimoniace ordinatos ab Antonino Metrópolita Epheſiorum, auctor eſt in illius Vita Palladius Helenopolitanus Epiſcopus. Efferveſcentibus vero de ſimoniaca Ordinatione diſſidiis, S. Petrus Damiani in libro, quem *Gratiſſimum* appellavit, in triginta novem capita diſtributo ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatem, collectis undique argumentis oſtendit eos, qui a ſimoniacis Epiſcopis conſecrati ſunt, non eſſe iterum conſecrandos. Inter quæ argumenta præcipua ea ſunt, quæ petuntur ex quo homines exteriori ritu ſacramenta miniſtrent, & unus ſit, qui inviſibiliter baptizat, & conſecrat; atque Spiritus ſanctus non confeteratur ex merito ſacerdotum, ſed ex miniſterio, & efficacitate ſacramenti: ex quo Eccleſia ratas habuerit ordinationes hæreticorum, ut Anatolii, quem Flaviano in exilium pulſo conſecravit Dioſcorus, eorumque, quos ordinarunt Liberius, & Vigilius, (de quibus tamen vide quæ paullo antea præmiſimus) necnon ordinationes Polychronii ad Hieroſolymitanam ſedem immerito evecti, & alterius lapſi in ſimoniacæ hæreſeos voraginem: ex quo per Epiſcopos ſimoniaca peſte correptos Deus interdum mirabilia patraverit, ac præſertim per Rainaldum Feſulanum, qui pecunia Epiſcopatum obtinuit, & vix aliquando gratis aut clericos, aut Eccleſias conſecravit: ex quo demum, ſicut rebaptizari, ita & denuo conſecrari quiſque non valeat, ut ſcripſit beatus Gregorius Epiſcopo Ravennati; nec ratio ulla poſſit afferri, cur ſimoniacus unum ſacramentum conferat, & non aliud. Verum hæc omnia argumenta partim lib. XXX. cap. 14. partim in hac diſſertatione inſeruntur, & pertractantur.

OBJECTA DILUUNTUR.

At oppones: Quæ producta ſunt hactenus de non iterandis Ordinationibus factis ab Epiſcopo, aut intruſo, aut hæretico, aut ſchiſmatico, aut ſimoniaco, Canonum auctoritati, Patrum doctrinæ, atque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis plurimis adverſantur. Quantum enim ſpectat ad canones; ſexageſimus, alias 68. inter Apoſtolicos ita loquitur: *Si quis Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, ſecundam Ordinationem acceperit ab aliquo, deponatur & ipſe, & qui ordinavit, niſi oſtendat ſe ordinationem habere ab hæreticis: qui enim a talibus baptizati, vel ordinati fuerunt, neque fideles, neque clerici eſſe poſſunt*. Nicænus octavus permittit quidem, ut ordinati a Novatianis in clero permaneant, ſed *accepta manuum impoſitione*, ſive, ut habet latina verſio, ſi iterum *ordinentur*. Idem Concilium in Epiſtola ſynodica apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. ſtatuit, ut quos in Ægypto ordinaverat Meletius ſchiſmaticus, ad nullum Eccleſiæ miniſterium admitterentur, niſi prius *ſanctiore ordinatione confirmati*, *μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας*: ex quo loco, ut diximus, Du-Pin, Valeſius, Binghamus, aliique cenſent aperte demonſtrari reordinationes ſchiſmaticorum. In cujus rei confirmationem addunt conſtare ex libello precum Marcellini presbyteri, Theodorum Oxyrinchi Epiſcopum iterum ordinaſſe presbyteros & diaconos partis Meletii, ſecutus hac in re Synodi Nicænæ decretum. Accedit quod Innocentius I. in Epiſt. 18. de Arianis ſermonem inſtituens inquit: *Quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus, quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti perficitur, nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo baptiſmate, illiſque myſteriis arbitramur, quoniam cum a catholica fide eorum auctores deſciſcerent, perfectionem ſpiritus, quam acceperant, amiſerunt, nec dare ejus plenitudinem poſſunt, quæ maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt*. Quo in loco S. Innocentius evidentiſſime baptiſma hæreticorum diſtinguit ab eorum Ordinationibus; & quemadmodum illud ratum & validum, ita illas nullas, caſſas, irritaſque pronuntiat.

Ex hac vero Innocentii definitione, ſacrorumque canonum auctoritate ad Patrum ſententias progrediendo, memoriæ primum occurrit, quod Cæcilianus a Felice Aptungitano ordinatus apud Optatum lib. 1. dixerit, *Si traditores ſunt qui me ordinaverunt, ipſi veniant* (ſcilicet Donatiſtæ) *& ordinent me*: quod in Collat. tertiæ diei apud Auguſtinum cap. 16. iidem Donatiſtæ objecerunt Catholicis. Præterea S. Baſilius in Epiſtola canonica ad Amphilochium cap. 1. docet *tam baptiſma, quam Ordinationes hæreticorum* nullam vim, ac ſubſtantiam habere. Fuit in eadem opinione Firmilianus, qui in Epiſtola 75. inter Cyprianicas ait Concilium Iconienſe coadunatum an. 256. decreviſſe hæreticos *nec baptizare* poſſe, *nec ordinare*: eamdemque ſententiam tenuit proculdubio ſanctiſſimus Cyprianus Rebaptizantium puppis, ac prora. Eccleſiaſticis itaque definitionibus accedunt teſtimonia Patrum iteratas hæreticorum ordinationes adſtruentium.

His vero addi poſſunt exempla complura ex Eccleſiaſticis hiſtoriis petita. Enimvero nullæ, atque irritæ habitæ fuerunt canone 4. Synodi Conſtantinopolitanæ ordinationes Maximi Cynici, qui ejuſdem Eccleſiæ ſedem dolo occupaverat. Conſtantini item Pſeudopontificis in Romanam Cathedram intruſi an. 767. Stephanus IV. proximo anno irritas declaravit, conſecratis iterum Epiſcopis, & presbyteris, qui ab ipſo Pſeudopontifice fuerant conſecrati, prout litteris conſignarunt ad præcitatum annum Sigebertus, & Anaſtaſius in Vita Stephani. Rurſus Hincmarus Metropolita Remenſis, aliique Galliarum Epiſcopi, in Concilio Sueſſionenſi an. 853. Ordinationes Ebbonis a gradu Epiſcopali dejecti exſufflarunt, & iterarunt. Photii itidem invaſoris ſedis Conſtantinopolitanæ conſecrationes, atque Ordinationes nullas & caſſas declaravit anno 869. canone 4. octava Synodos Œcumenica. Ordinationes quoque factas a Bonoſo Epiſcopo Naxitano, & per Illyricum Photinianæ hæreſeos propagatore, nullas irritaſque affirmavit in Epiſtola viceſima prima ad Marcianum beatiſſimus Pontifex Innocentius. Urbanus II. ad Petri ſedem evectus an. 1088. reordinavit Daibertum, quem ad diaconatum promoverat Moguntinus Epiſcopus Nezelo, invaſor, & ſimoniacus. Ante Urbanum S. Leo Nonus, qui obiit anno 1054. tertiodecimo Kalendas Majas, omnino ſimoniacas ordinationes caſſavit, iterumque conſecravit pleroſque ſimoniace ordinatos. Alibi diximus, Stephanum hujus nominis ſeptimum præcepiſſe, ut cadaver Formoſi extractum e ſepulcro projiceretur in Tiberim, cunctoſque, quos idem Formoſus ordinaverat, gradu proprio dejectos iterum ordinaſſe: quod contigit anno reparatæ ſalutis octingenteſimo nonageſimo ſexto. Atque hæc ſunt, quibus Joannes Morinus Ordinationes ſæpe ſæpius in Eccleſia iteratas fuiſſe, prolixa, & erudita diſſertatione demonſtrat.

Facile me ab hujuſmodi objectis expediam, poſteaquam adnotationes quaſdam præmiſero. Atque imprimis animadverto, iterandas eſſe ordinationes, quæ ab hæreticis peraguntur non ſervata *forma ſacramentali*, quemadmodum repetendus eſt baptiſmus non collatus *cum ſancta Trinitatis invocatione*, ut producta canonum auctoritate demonſtravi lib. XXXI. cap. 15. ubi ulterius dixi, repetendum eſſe ſacramentum juxta ſanctiones Eccleſiaſticas, quotieſcunque gravis oriatur dubitatio, num revera ſub præſcripta & legitima forma fuerit adminiſtratum. II. Deinde præmoneo, eos qui vel extra Eccleſiam, vel a miniſtris e gradu dejectis ſacramenta ſuſcipiunt, recipere quidem *characterem*, ſed non gratiam, atque plenitudinem Spiritus ſancti. ad hanc vero obtinendam neceſſum eſſe, ut Eccleſiæ reconcilientur, legitimiſque miniſtris ſubjiciantur, ut *per manus impoſitionem invocata virtute ejuſdem Spiritus ſancti*, ut verbis utar Leonis Magni Epiſt. 2. cap. 18. ſanctificationem accipiant, quam ab hæreticis, atque ab illegitimis miniſtris recipere minime potuerunt. Atque hanc manuum *impoſitionem* non eſſe ſacramentalem conſtat ex iis, quæ hujus Voluminis pag. 35. diſſerui de ritu, quo olim recipiebantur hæretici ad Eccleſiam Catholicam revertentes, & pag. 223. de impoſitione manuum facta pœnitentibus & ſubſtratis. III. Adverto præterea nomine *Ordinis*, non tantum intelligi ſacramentum imprimens characterem, verumetiam certum gradum in Eccleſiaſtica Hierarchia, in quo gradu tribuitur Ordinatis poteſtas exercendi ſacrum aliquod miniſterium, hujuſque intuitu certis privilegiis, honoribuſque fruuntur: quamobrem ſicut in iis, qui e gradu dejiciuntur, 3. p. Pontificalis tit. 7. dicitur deleri *conſecrationem, unctionem, benedictionem*, quod tamen non ad Ordinis characterem referri debet, ſed ad prædictum miniſterium, & ad participationem honoris; ita illi, quibus reſipiſcentibus Eccleſia Catholica reddit jus miniſterii, honoremque Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, quamquam minime decorentur novo *charactere*, & ſacramenti iteratione, dicuntur nihilotamenminus ſacratiorem manus impoſitionem obtinere, & quodammodo iterum ordinari. Ut enim Eccleſia in ceremonia, quam *degradationem* appellant, aufert Ordinatis ſui gradus inſignia, abradiique etiam exterius unctionem, qui ritus directe opponitur illi, qui ſervatur in ſacris Ordinatio-

nationibus, ſed tamen harum *characterem* animo impreſſum nequit abradere, vel delere: ita ſacra ea ceremonia, qua clericis dejectis reſtituit gradum, ac miniſterium, ipſis vel manus imponit, vel præbet rurſus inſignia, atque *inſtrumenta* ſuorum Ordinum, at non indelebilem *characterem*. Atque hinc IV. Toletana Synodus an. 633. edidit canonem num. 28. *Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcopi; ſi Epiſcopus eſt, orarium, anulum, & baculum: ſi presbyter, orarium, & planetam: ſi diaconus orarium, & albam: ſi ſubdiaconus, patenam, & calicem; & ſic reliqui gradus in reparationem ſui recipiant, quæ cum ordinarentur perceperunt*. In quem canonem vide adnotat. 131. ſecundi Voluminis Conciliorum Hiſpaniæ. IV. Poſtremo adnotandum eſt, quod permulti inter characterem & gratiam non ſatis accurate diſtinguentes reprobarunt tanquam nullum baptiſma hæreticorum, ſed illorum opinio poſt exploratam traditionem refutata eſt, ut demonſtravi libro XXXS. cap. 53. prop. 7. excuſans errorem S. Cypriani: atque ita nonnulli appendentes canones, qui declarent ordinationes factas ab Epiſcopis hæreticis, ſchiſmaticis, & ſimoniacis, deſtitutas eſſe *plenitudine, & gratia Spiritus ſancti*, non attendentes id non affirmari *de charactere*, cui neque hæreſis, neque ſchiſma, neque ſimoniæ crimen opponitur, prædictas ordinationes nullas irritaſque exiſtimarunt; qui tamen ab aliis permultis confutati fuerunt, donec re penitus diſcuſſa, omnes, ac ſinguli veritati plenis calculis ſubſcripſere.

Quamvis præmiſſæ adnotationes ad ſolvenda quæcunque objiciuntur idoneæ ſint, univerſa tamen breviſſime excurram: qui enim plura deſiderat, adire poterit prælaudatam diſſertationem 2. Chriſtiani Lupi; ubi cap. 16. & 17. accurate dirimit argumenta omnia Morini. Canon itaque Apoſtolicus, aut ex Firmiliano depromptus ſit, aut ex Synodo Iconienſi Rebaptizantium, nullius eſt ponderis; niſi forte accipiatur de baptiſmate, & de ordinationibus hæreticorum, qui legitimam *formam* minime adhibuerunt: unde ſicut adverſus hunc canonem recipimus hæreticorum baptiſma collatum *cum ſanctæ Trinitatis invocatione*; ita ſuſcipi debent ordinationes ab Epiſcopis hæreticis *cum debita forma* peractæ. At in octavo Nicæno canone fefellit Latinum interpretem Aoriſtus χειροθετηθεὶς, ſicuti demonſtratum eſt ſupra: tametſi *manuum impoſitio* iterum Novatianis facienda, ſi iſtam canon præſcriberet, foret reconciliationis ritus, non ſacramenti repetitio. Idem dicendum de Epiſtola ſynodica ejuſdem Nicænæ Synodi ad Alexandrinos: in qua *manus impoſitio* ſignificatur participium præteriti temporis, ac præterea *confirmationis* nomine, quo aperte deſignatur canonica approbatio præcedentis ordinationis factæ a Meletio. Quare Sozomenus lib. I. cap. 24. pag. edit. Valeſii 438. de Nicæno illo decreto circa ordinationes Meletii ſcripſit, latam contra Meletium fuiſſe hanc ſententiam, *Ut in urbe Lyco degeret, ſola Epiſcopi nomine contentus, nec deinceps, ſive in urbe, ſive in vico ordinationem ullam faceret. Hi vero, qui ab illo prius ordinati fuiſſent, communionem quidem, ac miniſterium ſuum retinerent, reliquis tamen clericis per ſingulas Eccleſias ac paræcias honore inferiores eſſent: ita tamen, ut in locum morientium per ordinem ſuccederent, dummodo plebis ſuffragio judicarentur idonei, Epiſcopo Alexandrino electionem eorum nihilominus confirmante*. Hæc vidit, veritque Valeſius, qui adnot. in I. librum Socratis cap. 9. & in lib. I. Theodoreti cap. item 9. affirmavit χειροτονίαν non poſſe accipi niſi *pro ordinatione*, tametſi fateatur ſentire alios, ac præſertim virum doctum, qui edidit Gallico idiomate Vitam S. Athanaſii, illamque notis illuſtravit, χειροτονίαν in decreto Nicæno de Meletianis accipiendam eſſe *de ſimplici benedictione*. Veruntamen narratio Sozomeni omnem dirimit controverſiam, commonſtratque Nicænos Patres ratas habuiſſe ordinationes Meletii, indigniſſe tamen ab ipſo Meletio ordinatos, ut ſuccederent in locum morientium, *ſuffragio plebis, & confirmatione Epiſcopi Alexandrini*. Quapropter χειροτονία, de qua in Synodica Epiſtola, vel eſt ipſa præcedens *ordinatio* Meletii, vel ſubſequens *electio* populi, & Epiſcopi *confirmatio*. Recole quæ ſcripſimus cap. I. hujus libri de ſignificatione vocabuli χειροτονίας. Theodorus itaque Epiſcopus Oxyrinchi reordinando presbyteros, & diaconos partis Meletii, id non fecit ſecutus auctoritatem Nicænæ Synodi, ſed *Apollonii cujuſdam ſuaſu*, ut narrat in præcitato libello precum Marcellinus, ſcriptor alioqui fidei ſubleſtæ. At Innocentius epiſt. 18. ait, *ſolum hæreticorum baptiſma ratum* eſſe, non autem *ſolum hæreticorum baptiſma non iterari*; quæ dum longe diverſa ſunt. Etſi enim vocabula hæc duo, *Ratum*, & *Validum* ſæpenumero promiſcue uſurpentur; *Ratum* tamen illud dicitur, quod comprobatur, omnemque effectum poteſt conſequi. Igitur cum hæreticorum baptiſma, licet, ut Theologi inquiunt, *informe*, gratia ſcilicet expoliatum, ad hujus conſecutionem per pœnitentiam reparetur, recte ab Innocentio *ratum* dicitur. At quoniam ordinati ab Arianis Epiſcopis, juxta diſciplinam vigentem Innocentii tempore, quamvis hæreſim deteſtarentur, non admittebantur tamen ad honorem, & miniſterium Ordinis Eccleſiaſtici, ſed donabantur dumtaxat Laica communione; idcirco ſanctus Pontifex Innocentius negat *ratam* eſſe ordinationem Arianorum. Et quidem hoc unum Alexander Epiſcopus Antiochenus petierat ab Innocentio, an ordinati ab Arianis eſſent in ſuo honore & gradu ſuſcipiendi: cui Innocentius reſpondens, allata baptiſmatis, & ordinis diſcrepantia, recipiendos non eſſe *cum ſacerdotii, aut miniſterii cujuſpiam dignitate*, nec Epiſcopum Arianum contuliſſe clericis ſuis jus miniſterii, & plenitudinem Spiritus ſancti, *quam ipſe per impietatis ſuæ perfidiam amiſit*, demonſtrat ſe de hoc jure, & de hac plenitudine inſtituiſſe ſermonem, non *de Ordinis charactere*. Vide autem adnotat. Binii in eamdem Epiſtolam, Gloſſam decreti I. q. I. cap. *Arianos*, Bellarminum lib. IV. de Romano Pontifice cap. 10. & Chriſtianum Lupum in prælaudata diſſertatione ſecunda.

Ea vero, quæ ſecundo loco ſubjiciuntur, nullius ſunt momenti. Cæcilianus enim verba illa protulit Donatiſtas irridens, qui illius conſecrationem, tanquam a traditore factam, nullam eſſe jactabant. Hinc S. P. Auguſtinus in Breviculo Collationis 3. diei cap. 16. num. 29. *Dixerunt* (inquit de Donatiſtis) *ſcripſiſſe Optatum, quod Cæcilianus dixerit, Si traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ipſi veniant, & ordinent me. Quod quidem, ſi dictum eſt, ideo dici poteſt ad illos irridendos, quibus hoc mandaſſe perhibetur, quoniam certus erat Ordinatores ſuos non eſſe traditores*. Revera non illa Cæciliani verba referuntur ab Optato, qui libro I. num. 19. ſcribit, *A Cæciliano mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc diaconum ordinarent Cæcilianum*: quæ verba conditionata ſunt, non abſoluta, demonſtrantque incubuiſſe Donatiſtis oſtendere ordinationem a Felice peractam non contuliſſe Ordinis characterem. Irrideri Donatiſtas optime intellexit illorum unus Porphyrius, qui reſpondit, *Exeat huc, quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de pœnitentia*. Scio quoſdam cum Du-Pin ſentire, quod Cæcilianus bono pacis hanc conditionem, ut iterum ordinaretur a Donatiſtis, obtulerit Numidis. At quis credet ſanctum virum petiiſſe a ſchiſmaticis ſacrilegam conſecrationem? De Baſilio diſſeruimus Volum. III. pag. 298. nec negamus fuiſſe illum in Rebaptizantium errore, ex quo etiam traxit alterum, *hæreticos, utpote abruptos & laicos effectos, nec ordinandi habere poteſtatem, ut qui non poſſint Spiritus ſancti gratiam aliis præbere, a qua ipſi exciderunt*, ut inquit citata Epiſt. ad Amphil. tom. 2. pag. 359. Hæc autem ratio, quæ non diſtinguit gratiam a charactere, & efficacitatem ſacramenti a conditione miniſtri, ſicut modo a nullo Theologorum admittitur, ubi agitur de baptiſmo; ita refelli debet, ubi pertractatur de ſacris Ordinationibus, quarum juxta Baſilium eadem cum baptiſmate eſt ratio. Idem aſſerendum de Cypriano, & Firmiliano; quamvis hujus in præcitata Epiſtola 75. hæc ſunt verba: *Hæretico ſicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare, nec quidquam ſancte, nec ſpiritaliter gerere, quando alienus ſit a ſpiritali, & deifica ſanctitate: quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum, convenientibus ex Galatia & Cilicia & cæteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter, & vindicandum, cum a quibuſdam de ipſa re dubitaretur*. Quæ verba, niſi aliunde conſtaret Firmilianum adhæſiſſe Rebaptizantibus, explicari poſſent de ſancta & licita ſacramentorum baptiſmi, & Ordinis collatione.

Ad exempla quod attinet, primum nihil aliud probant, niſi aliquando Ordinationes fuiſſe ab aliquibus repetitas, nondum hac controverſia finita, id, quod nemo unus inficiatur. Hoc tamen nihil præſenti cauſæ officit; ſicuti non officit validitati baptiſmatis, quod aliquando ſanctiſſimi, doctiſſimique viri rebaptizaverint. Reſpondeo deinde, nequaquam canone Conſtantinopolitano irritas declarari ordinationes Maximi Cynici: etſi enim hoc canone decernitur, *Nec Maximum Epiſcopum eſſe, vel fuiſſe, nec eos, qui ab ipſo in quolibet gradu ſunt ordinati*; id tamen accipiendum eſt de miniſterio, & gradus honore, non de charactere ſacramentali. Atque id conſtat ex quo de Ordinatione ipſius Maximi nequeat ullatenus dubitari; quum illum in Epiſcopum conſecrevit cum tribus aliis Ægypti Præſulibus S. Petrus Alexandrinus. Apud Iſidorum Mercatorem præcitatus canon ita legitur, *Neque ii, qui ab ipſo ſunt ordinati, qualemcunque gradum clericatus obtineant*; & in alia paraphraſi apud Harduinum tom. I. Concil. pag. 819. *Nec ille, qui Ordines ab eo accepit, in quemlibet ſacerdotii gradum admittatur*. Circa Ordinationes Stephani III. vel IV. reſpondent Baronius ad an. 769. n. 6. & Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. VIII. cap. I. art. 8. Anaſtaſium, qui in Vita Stephani ait ordinatos a Conſtantino Pſeudopontifice, *denuo facto decreto electionis, ab eodem ſanctiſſimo Stephano Papa benedictionis ſuſcepiſſe conſecrationem*, hujus *conſecrationis* ac *benedictionis* nomine intellexiſſe ſacram illam ceremoniam, qua ordinati recipiunt coram Altari Ordinum ſuorum inſignia, atque ad priſtinum honoris ſui gradum reſtituuntur. Auxilius tamen lib. 2. de Ordinationibus Formoſi cap. 4. non dubitavit aſſerere, manifeſte in eis peccatum

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, qui ſecundum canones ordinati fuerant, *dum eos nefario auſu iterum in eadem ordinatione conſecrandos eſſe ſtatuerunt*. Vide Sandinum de Rom. Pontif. pag. 230. Quæ vero acta fuerunt, auctore Hincmaro, in Synodo Sueſſionenſi, reſciſſa fuerunt a Nicolao I. in Epiſtola data 8. idus decembris an. 866. in qua etiam juſſit, ut clerici ab Ebbone ordinati *ſuis gradibus reſtituerentur*: quamquam ex Hiſtoria Remenſis Eccleſiæ a Flodoardo conſcripta, quæ extat tom. XVII. Biblioth. PP. lib. 3. cap. 11. conſtet clericos illos a ſolo miniſterio fuiſſe dejectos. De Photio autem, ejuſque ordinationibus dictum ſupra. De Bonoſiacis non eſt cur diu diſceptetur; cum enim fuerint Pauli Samoſatenſis progenies, ideoque morem ſequentes aliorum Paullianiſtarum, & Photinianorum pervam *in nomine Trinitatis* baptizarent, non ſervabant *formam* baptiſmi, ideoque ad Eccleſiam redeuntes juxta canonem 19. Nicænæ Synodi, & 16. et 17. ſecundæ Areletenſis, literaſque Magni Gregorii ad Epiſcopos Iberiæ, iterum baptizandi erant: & ſi antea in Clero irreprehenſibiles extitiſſent, ad ſacros Ordines promovendi. Urbani Epiſtola de Ordinatione Daiberti a viris doctiſſimis dicitur ſuppoſititia: incertum quoque eſt Nezelonem, qui Moguntinam ſedem invaſit, fuiſſe Epiſcopum; atque indubitatum eſt, Urbanum II. in Epiſt. 17. ad Lucium Præpoſitum ſancti Juventii, quæ extat tom. X. Conc. pag 441. agnoſcere in Ordinationibus ſchiſmaticorum & hæreticorum veram *ſacramenti formam*, non autem gratiam, *niſi cum eorum ſacramentis initiati per manus impoſitionem ad catholicam redierint unitatem*. Ita objectio petita ex 2. Epiſtola Urbani infirmior eſt ceteris. Quod ſpectet ad ſanctum Leonem IX. ſcribit quidem beatus Petrus Damiani Opuſc. 6. cap. 35. *omnes ſimoniacorum ordinationes caſſaſſe*: ſed cum idem Auctor in Opuſculo altero de actis ſuis apud Mediolanenſes, ſcribat, *Leo Papa pleroſque ſimoniacos, & male promotos tanquam noviter ordinavit*; inferri inde poteſt, a Leone caſſatas fuiſſe Ordinationes ſimoniacorum quantum ad gradus dignitatem, & ad jus miniſterii, & quaſi repetitas ceremoniali inſtauratione, ac traditione clericalium inſignium, quæ videtur *tanquam nova ordinatio*. Atque id eo vel maxime dici poteſt, quod poſt caſſationem illarum Ordinationum magnus inter ſacerdotes tumultus exortus eſt, pluribus affirmantibus non eſſe honore privandos, qui ordinationis ſuæ tempore ignorabant Epiſcopum conſecratorem eſſe ſimoniacum. Quamobrem Leo temperata ſententia hos *in officio perſeverare mandavit*, idemque indulſit ceteris ſimoniace, ſcienter quoque, ordinatis, dummodo quadraginta dierum agerent pœnitentiam, quæ omnia litteris conſignavit citato cap. 35. ſanctus Petrus Damiani. Ceterum aliquando dubitatum fuiſſe de hujuſmodi ſimoniacis Ordinationibus ingenue fateor, ea confirmans, quæ de hoc argumento produxi Volum. III. pag. 209. Cum Formoſo denique Stephanus impie ſe geſſit: & ſive iterum ordinaverit quos ille conſecraverat, ſeu potius e gradu dejectos rurſus ad ſacrum adſumpſerit miniſterium; apparet non error in fide, ſed violenta tyrannis in facto. Legendus Auxilius tom. XVII. Biblioth. PP. pag. 21. ubi ait Stephanum nec poeticam attendiſſe ſententiam Æn. 3.

Parce pias ſcelerare manus, jam parce ſepulto.

Repetenda & quæ ſcripſit Flodoardus: qui iis recenſitis, quæ Stephanus geſſit in Formoſum, & de quibus diximus alio in loco, tertio nempe Volumine pag. 69. ita narrans illius interitum, ſuppliciumque; proſequitur:

Viſus ab hinc meritis dignam incurriſſe ruinam
Carptus & ipſe, ſacraque abjectus ſede, tenebris
Carceris injicitur, vincliſque innectitur atris,
Et ſuffocatum crudo premit ultio letho.

Extat quoque tom. 3. p. 2. Script. Rerum Italicarum pag. 319. Atque hæc de non iterandis Ordinationibus.

CAPUT XV.

Quale judicium ferendum ſit de Ordinationibus factis ab hæreticis Angliæ Præſulibus.

ANglorum quoque Ordinationes validas futuras fore, ſi fierent ab Epiſcopis rite conſecratis, & legitima *forma* utentibus, infertur ex ſuperiori diſſertatione: et quoniam jure meritoque dubitatur de ſucceſſione illorum præſulum, & ulterius de *forma*, quam adhibent in aliorum Epiſcoporum conſecrationibus, idcirco magna contentione præſens quæſtio agitatur. Pugnant pro ſucceſſione ſuorum Epiſcoporum Proteſtantes Angli, quos inter D. Maſonus Archidiaconus Norfolciæ, Godwinus Epiſcopus Landavenſis, & P. Courayer, qui pro Anglorum Ordinationibus an. 1723. & ſequentibus nonnullas edidit diſſertationes. E contra neque veros Epiſcopos, neque Ordinationes apud Anglos ſubſiſtere, cenſent fere omnes Catholici, inter quos plura de hoc argumento conſcripſerunt Renaudotius, P. Le-Quien, & P. Hardouin in ſuis contra Courayerum Opuſculis, Tournelius quoque in Tractatu de ſacramento Ordinis, & Antonius Boucat in diſſert. de Ceremoniis, & Ritib. ſacramentorum. His omnino ſubſcribendum eſt; ſed quoniam multa producuntur argumenta, quorum aliqua dubia ſunt, pleraque infirma, ſtatui ea proponere in compendium redacta, & quænam me in hanc ſententiam trahant, breviſſime exponere, aliorumque judicio ſubjicere.

Quod priuſquam exequar, adverto quæſtionem nequaquam moveri de Ordinationibus peractis regnante Henrico VIII. quandoquidem licet is a Catholica religione, quam adverſus Lutherum ſcriptis propugnaverat, repudiata legitima uxore Catharina Aragoniæ ob Annam Bolenam, quam infando amore deperibat, ſacrilega apoſtaſia deficiens anno 1534. ſummum Anglicanæ Eccleſiæ Caput ſeipſum temere nominavit, pluraque nefaria dogmata introſpexit; Miſſæ tamen ſacrificium admiſit, necnon Ordinis ſacramentum, in his tantum multa pro libidine permiſcens, & ubique Romani Pontificis nomine abraſo. De quibus legi poteſt Sanderus de ſchiſmate Anglicano lib. 1. pag. 132. & ſequentibus. At poſtquam Henricus an. 1546. fatis ceſſit, Eduardus Seimerus Janæ quondam reginæ frater, & avunculus Eduardi, (quem Henrico ipſa Jana pepererat, & qui ſtatim defuncto patre agens decimum ætatis annum pronuntiatus eſt rex Angliæ, atque Hiberniæ) uſurpans titulum protectoris Regni, rerumque omnium potitus, in Angliam evocavit Martinum Bucerum, Petrum Martyrem, Bernardinum Ochinum, alioſque apoſtatas impuriſſimos, adeo, ut Londini inſtitutis omnium fere hæreſum ſynagogis, animoque adoleſcentuli Regis corrupto, nondum elapſo an. 1547. in Comitiis Londinenſibus cœptis pridie nonas Novembris, ſancitum ſit, ut cum Epiſcopi ac presbyteri Anglicani ad illud uſque tempus ritu fere Catholico ordinati fuiſſent, excepta ſcilicet Romani Pontificis obedientia, in poſterum alia forma peragerentur Ordinationes, atque de ea re ederetur Ritualis liber confirmandus ipſorum Comitiorum auctoritate. Atque hæc iiſdem fere verbis Sanderus lib. 2. pag. 276. In hoc libro, qui vulgo dicitur *Rituale Eduardi VI.* approbato rurſus a Pſeudo ſynodo Londinenſi an. 1562. Epiſcopus conſecrator prius ab Electo exigit mandatum regium, quemadmodum apud nos producitur mandatum Apoſtolicæ Sedis: tum loco interrogationum circa articulos fidei, & juramenti, quod poſt reſponſiones ſuas inter Orthodoxos præſtat Electus; is in Eccleſia Anglicana interrogetur, an hæreticis aſſertionibus, & diſtincte iis, quæ rejiciunt Apoſtolicas traditiones, & Romanæ Eccleſiæ doctrinam aſſentiatur, juratque ſe hæretica illa dogmata intimo corde tenere, promittit in iis commiſſam ſibi plebem inſtruere, addito juramento alio ſacrilego, quo declarat majeſtatem regiam in omnibus Eccleſiaſticis & ſpiritualibus rebus habere ſupremam auctoritatem. Poſt hos vero, alioſque nonnullos hujus generis ritus, Conſecrator ſuper Electum cum impoſitione manuum execrandam hanc orationem effundit: *Deus omnipotens, Pater noſter cæleſtis, qui hanc tibi voluntatem conceſſit, concedat inſuper vires ac facultatem ad hæc efficaciter præſtanda, ut opus iſtud ſuum, quod incepit in te, abſolvat, teque integrum ac inculpabilem inveniat in illo ſupremo die, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Hac autem forma conſecrari Epiſcopos Angliæ fatentur P. Courayer, aliique illarum conſecrationum propugnatores. Etſi vero e vivis ſublato Eduardo anno ætatis ſuæ decimo ſexto, & regni ſeptimo nondum exacto, anno ſcilicet 1552. Maria Henrici, & Catharinæ filia, Philippi Hiſpaniarum principis uxor, Eduardi, & Londinenſium Comitiorum ſtatuta reſcidit, confirmatiſque Epiſcopis in priori ſchiſmate ritu Catholico conſecratis, qui ab Apoſtolica Sede veniam petierunt, & ceteris ſub Eduardo ordinatis e propria ſede dejectis, ſtuduit res ſacras inſtaurare, & Angliæ regnum revocare ad Eccleſiæ communionem; hæc tamen lectiſſima mulier, & Regina præclariſſima, cum regnaſſet tantum quinquennio, & quatuor menſibus, migravit e vita, magno cum Reipublicæ Catholicæ detrimento. Quum enim nullos e ſe liberos reliquiſſet, regnum Angliæ obtinuit Eliſabetha: quam licet incerto parente progenitam, & illegitimo Henrici VIII. cum Bolena matrimonio in lucem editam, in Comitiis tamen ab Henrico indictis an. 1534. ad tertium nonas Novembris, perditiſſimi homines Natalium honore, regnandique jure honeſtarunt. Hæc itaque religionem Catholicam, quam antea diſſimulaverat, adepta regnum palam abjiciens, arripuit, ut Henricus & Eduardus fecerant, Anglicanæ Eccleſiæ primatum, præſcripta forma execrabilis ſacramenti, quam lib. 3. pag. 369. recitat prælaudatus Sanderus. Tunc uſurpare decimas ſpiritualium omnium proventuum, pro ſuo arbitratu, & laicorum ſuffragiis fidei formulas immutare, Miſſam, ritumque adminiſtrandi ſacramenta abolere, deponere & in exilium pellere Epiſcopos, & novum Clerum juxta Eduardi Ritualia inſtituere; quorum princeps, aliorumque conſecrator fuit Matthæus Parkerus ritu illo hæretico Archiepiſcopus Cantuarienſis, ut Franciſcus Godwinus in Commentario de Præſulibus Angliæ pag. 218. nititur demonſtrare, aliique Proteſtantes affirmant, ordinatus die 17. decembris an. 1559. De his ergo ordinationibus, & de illis, quæ poſtmodum eodem ritu ad hanc uſque diem peractæ fuerunt, non de iis, quæ contigerunt regnantibus Henrico VIII. & Regina Maria, controverſia hæc inſtituitur.

Itaque nullas eſſe, & caſſas ordinationes Anglorum demonſtrant docti viri ex eo quod Anglia deſtituta ſit Epiſcoporum legitima ſucceſſione. Parkerus enim, quem Angli recenſent inter Antiſtites Cantuarienſes, aliquam

cum eo conſecrati, Eliſabetha regnante, in Londinenſi hoſpitio, quod appellabant *Cheapſidem*, non ab Epiſcopis legitimis, ſed a Guilelmo Barlow, a Joanne Scoræo, & a Milone Coverdalo umbratili quadam ceremonia conſecratus fuit, ut ego quoque ſcripſi tom. III. pag. 214. Hos vero Epiſcopos non fuiſſe apparet ex Actibus *Parlamenti* a Raymero collectis, in quibus eo temporis Epiſcopatum tribus his ordinatoribus attributum antiſtites alii occupabant. Accedit quod alii ajunt Parkerum conſecratum fuiſſe Lambethæ, nec inter ſe Angli ipſi ſcriptores conveniunt: & quod anno dumtaxat 1614. Proteſtantes produxerunt ſuppoſita quædam hujus ordinationis acta, quæ nunquam antea proferre auſi fuerant. Verum cum hoc argumentum pendeat a factis, in quibus ſcriptores diſcrepant, non videtur penitus os hæreticorum obtundere. Quamvis enim nuper dicta de ludicra conſecratione Parkeri confirmari poſſunt e Noſtratibus Teſtimonio Hardingi, Henrici Fitz-ſimone, D. Champney, aliorumque Anglorum ſcriptorum; affirmant tamen alii, conſecratum fuiſſe Parkerum an. 1559. menſe decembri in Cappella palatii Archiepiſcopalis Lamethenſis, Guilelmum Barlow fuiſſe pridem Epiſcopum Aſaphenſem, tunc vero temporis Ciceſtrenſem electum, apoſtatam Joannem Scoræum Ciceſtrenſem olim, ſed jam electum Herefordenſem, & Milonem Coverdalum tunc Exonienſem ſedem tenuiſſe, ideoque nil mirum, ſi in Collectione Raymeri his diverſi Epiſcopatus adſcribantur: publicas demum tabulas, hujuſque ordinationis regeſta contrectaſſe, ac perlegiſſe Alexandrum Fayrcloth, & Thomam Lathwait Jeſuitas, alioſque Catholicos, qui hujus rei veritatem teſtati ſunt in litteris conſcriptis ad Thomam Fitz-herbert Romæ degentem: idque Jewellum, Maſonum, Godwinum, alioſque Anglos apertiſſime demonſtraſſe. Cum mihi interim deſint ad hos refellendos certiſſima monumenta, & alioquin cum viris pertinaciſſimis agendum ſit, diu immorandum non arbitror in inveſtigando loco impiæ hujus conſecrationis, in diſcutienda prædictorum Epiſcoporum auctoritate, & in fide Catholicis ſcriptoribus conciliandа, atque unice ordinationem illam nullam irritamque fuiſſe contendo ſpectata *forma* conſecrationis.

Hæc, ſi hæreticis credimus, fuit quæ præſcribitur in Rituali Eduardi: ſi Henrico Fitz-ſimons, aliiſque, fuerunt hæc tantum verba, *Accipe poteſtatem verbum Dei ſincere prædicandi*: quæ verba Joannes Scoræus protulit, ſuper caput Parkeri primum, deinde Grindalli, codice ſacrorum Bibliorum impoſito. Quantum ad ritum formamque Eduardi, iſtam ad conſecrationem, & ordinationem ſufficere P. Courayer, aliique pluribus argumentis conantur ſuadere: quæ ad hæc capita reducuntur, orationem impoſitioni manus adjunctam ſatis eſſe ad ſacras ordinationes perficiendas: non eodem verborum complexu conſtare orationem illam in ſingulis mundi Eccleſiis: unam ab altera variare; id jus ineſſe unicuique nationi, ut ritus, & quæ ad diſciplinam ſpectant, pro circumſtantiis temporum valeat permutare: ſubſtantialem quidem immutationem verborum officere ſacramentorum integritati; at non accidentariam, & quæ nihil addat fidei contrarium: neceſſum non eſſe, ut in verborum formulis exprimatur omnis ſacramentalis effectus, immo nec requiri probitatem fidemque miniſtri. Atque hæc omnia facillimum eſt noſtris quoque diſſertationibus comprobare, nec opus eſt pervolutare quas P. Courayer tanto molitus eſt ingenii niſu. Commendo autem, plurimumque laudo illorum operam, qui in hujus hominis confutatione ſtilum exercuerunt: ſed non video cur neceſſum ſit in hiſce momentis diſcutiendis immorari. Omnia illa argumentorum capita admitto, illo tantum excepto, quod per quemcumque Paſtorem mutari poſſint ritus Eccleſiaſtici, ac multo minus, quod in Anglia contigit, per regem impuberem, per laicos, per feminam: hoc enim damnatum eſt ſeſſ. VII. Tridentini can. 13. & a me refutatum lib. XXX. cap. 23.

Ergone factæ ab hæreticis Angliæ præſulibus ordinationes probandæ erunt? Id vero minime gentium. Evidentiſſimum eſt, prædictam Eduardi formam, ſi non expreſſe hæreticum, ambiguum tamen ſenſum habere: non enim exprimit, cur Electo conſecrator ſupernas vires, facultatemque apprecetur. Immo ſi attendantur præmiſſæ ceremoniæ, juramentum quo Rex Angliæ declaratur ſupremum Eccleſiæ caput, profeſſio hæreticorum dogmatum, ac promiſſio in his populum inſtruendi; verba illa, *Deus omnipotens, qui hanc tibi voluntatem conceſſit, concedat inſuper vires ac facultatem ad hæc efficaciter præſtanda*, idem ſonant, ac ſi diceretur, Adſit tibi Deus, ut defendas primatum Regis, ut conculces Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, ut propugnes Novantium blaſphemias, ut commiſſam tibi plebem ſeducas. Hæc ne *forma ſacramentalis*? Altera ejuſdem eſt generis, immo & deterior; idem enim paucioribus verbis exprimit, ac ulterius ſignificat, Epiſcopos & ſacerdotes ordinari tantum *ad miniſterium verbi*, ut contendunt hæretici. Jam vero ſtatutum a nobis eſt libro XXX. cap. 12. in *formis* ſacramentorum, quæ ſenſum patiuntur ambiguum, & quæ verborum vi neque ſacramenti effectum, neque communem Eccleſiæ intelligentiam ſignificant, attendendum eſſe propoſitum, animumque proferentium: quod maxime dicendum eſt de *forma* ab hæreticis Angliæ inſtituta adverſus ritum Romanæ Eccleſiæ, atque ad commonſtrandum conferri in ordinatione miniſtrorum poteſtatem ſolius verbi. Conſtat enim hanc *formam* ita, atque hac de cauſa inductam, ac permutatam, non Chriſtum Dominum auctorem habere, ſed homines iniquiſſimos. Illud præterea a nobis demonſtratum eſt, non tantum *formam* tali nequitia, ac tanta pravitate animi fabricatam, verum etiam *formam* alioqui legitimam, ſi verbis conſtet æquivocis, non eſſe *formam ſacramentalem*, ſi a circumſtantiis, ab intentione miniſtrorum, a præcedentibus, vel ſubſequentibus ceremoniis ad effectum alium determinetur, ita, ut nec etiam illa formula Confirmationis, *Signaculum doni Spiritus ſancti*, qua utitur Eccleſia Græcorum in reconciliandis venientibus ab hæreſi, ſatis ſit ad ſacramentum conſtituendum, ut hujus vol. pag. 37. dictum eſt: atque id multo magis eſt affirmandum de *forma* dubia, adverſus Catholicæ Eccleſiæ praxim ritumque introducta, & procuſa in officinis hæreticorum. Quæ cum ita ſint, abſque ulla hæſitatione pronuntio, *formam* Ritualis Eduardi non ſufficere ad ſacram ordinationem, tum quia ambiguitate verborum, animoque conferendi ſolius verbi miniſterium conflata eſt; tum etiam, quia attentis jurejurando, & profeſſione Electi determinatur ad ſignificandam collationem ſupernorum auxiliorum, quæ ſibi adfutura peroptant heterodoxi ad ſacramenta, & Fidei dogmata conculcanda, id, quod ſatanæ, non divini Spiritus opus eſt. Hoc itaque argumentum, quod utique nulla adverſariorum machinatione ſubruitur, movet me ad nullas, infirmaſque judicandas Anglorum conſecrationes.

Me non latet plura alia argumenta a Theologis noſtris contra Anglorum ordinationes proferri. Sunt illa, quod Eccleſia nunquam hujuſmodi ordinationes probavit: quod poteſtas ordinandi, non a Rege, ſed a Chriſto Domino, & a poteſtate Eccleſiaſtica proficiſcitur: quod *character Ordinis* confertur propter Corpus Chriſti, quod in Euchariſtia adeſſe negabant Angli, ſub Eduardo Zuinglianis addicti: quod miniſtri Angli nullam intentionem habent, niſi conſtituendi Regis miniſtros: quod non exiſtimant Ordinationem eſſe ſacramentum, neque habent amplius Euchariſtiam, & ſacrificium, cujus gratia ſacerdotium fuit inſtitutum. Collegit, produxitque omnia hæc argumenta Antonius Boucat diſſert. I. de factis ceremoniis art. 3. Habent hæc vim ſuam, præſertim ſi omnia ſimul complectantur. Reponere tamen quis poſſet, congruum non eſſe, ut Eccleſia in gratiam Anglorum edat decretum aliquod, poſteaquam plura edita fuerunt circa ordinationes aliorum hæreticorum, & ulterius Julius III. facultatem fecit Reginaldo Polo S. R. E. Cardinali abſolvendi, & deputandi miniſterio Altaris jam ordinatos in ſchiſmate. Quod tamen intelligendum eſt de ordinatis in ſchiſmate Henrici; ordinati enim in ſchiſmate Eduardi nova indigebant conſecratione: ideoque caute Romanus Pontifex ait, Ordines illos *nunquam, aut male* fuiſſe collatos; nunquam ſcilicet ſub Eduardo, male ſub Henrico. Quare Nicolaus Sanderus lib. 2. de ſchiſm. Angl. pag. 350. ait a Polo confirmatos fuiſſe ſolos Epiſcopos *in priori ſchiſmate factos*. Ceterum hæreticos extra Eccleſiam vera ſacramenta retinere, eorumque perfidiam non obeſſe imprimendo characteri, dummodo cum intentione faciendi quod facit Eccleſia Chriſti adhibeant debitam materiam, formamque legitimam, nequit a ſanæ mentis Theologo denegari.

CAPUT XVI.

De iis, qui ad ſacros Ordines ſunt promovendi.

AGendum nunc de Ordinandis, ſive de hujus ſacramenti ſubjecto. Scholaſtici hac in re quæſtiones quatuor inſtituunt, An ſacramenti Ordinis capax ſit femineus ſexus, an maſculus nondum baptiſmate regeneratus, an infans ante uſum rationis, an adultus invitus atque reluctans. Permultas alias pertractant qui ſacrorum canonum lectioni dederunt operam. In iis itaque, quæ primi ſunt generis, verſabimur aliquantulum.

PROP. I. Nequeunt mulieres ſuſcipere Ordinis ſacramentum.

Ex aliis hujus Operis noſtri diſſertationibus theſis iſta conſequitur. Libro enim XXX cap. 13. demonſtravimus non omnes Chriſti fideles eſſe miniſtros ſacramentorum, aut ſacerdotes, ſed quos Chriſtus primum, deinde Apoſtoli, poſtea horum ſucceſſores Epiſcopi conſecrarunt, in quorum numero nulla recenſeri poteſt mulier, nec omnium digniſſima, & Salvatoris noſtri puriſſima Genitrix, ut hæreſi 79. ait Epiphanius. Oſtendimus itidem lib. XXII. cap. 11. adverſus Pepuzianos, & Collyridianos non poſſe mulieribus ſacrificii, ſolemniſque baptiſmatis jus competere, illorumque hæreticorum, uti & Marcioniſtarum ſacra miniſteria feminis committentium temeritatem atque inſaniam fuiſſe compreſſam a Patribus, quod conſtat ex Tertulliano de Bapt. cap. 17. Epiphanio cit. loco, & hæreſi 49. necnon magno Parente noſtro Auguſtino de hæreſ. num. 27. Rurſus XXXIII. libro cap. 13. refutavimus quæ de oblato a mulieribus ſacrificio commentus eſt Hugo Grotius.

Produ-

Digitized by Google

Producta ergo his in locis valent ad poſitionem hanc roborandam. Sunt tamen in Theologorum libris probationes ad id confirmandum aliæ. Prima eſt, quod Apoſtolus I. ad Corinth. XIV. 34. & I. ad Timot. II. 12. non permittit mulieribus palam docere, cum hoc tamen non ſit munus ſacrorum miniſtrorum præſtantius. Altera, quod nec clericalis tonſuræ femina capax eſt, quoniam citata ad Corinthios Epiſtola XI. 6. ſcribit Apoſtolus, *Turpe eſt mulieri tonderi*, eique præcipit ut ſemper incedat *velato capite*. Proxima, quod nec in veteri lege Eccleſiaſticum munus demandatum ſit feminis; in novo autem Teſtamento neque ultimæ Cœnæ adfuerint, ubi inſtituta Euchariſtia, & Apoſtoli conſecrati. Poſtrema, quæ eſt S. Bonaventuræ in IV. diſt. 25. quod Mediator noſter, cujus legatione, & vice ſacerdotes funguntur, vir fuerit, non mulier. His addi poteſt cap. *Sacratas Deo*, diſt. 23. ex Iſidoriana Soteris epiſtola; cui conſonans quæ de Sotere leguntur apud Anaſtaſium, *Conſtituit, ut nulla monacha pallam ſacratam contingeret, nec incenſum poneret in ſancta Eccleſia*. Item quæ habentur cap. *Mulieres*, diſt. 32. exſcripta ex canone 11. Concilii Laodiceni celebrati circa annum 357.

Quæ objici poſſunt, nullius ſunt momenti. Ajunt enim opponi nobis quæ Eccleſiaſtica Hiſtoria refert de diaconiſſis: ſed nullo diaconiſſas fuiſſe ordine inſignitas vidimus ſuperiori capite VII. Addunt non repugnare mulieribus politicum regimen: verum alia eſt ratio politici regiminis inſtituti hominum arbitrio, & alia Eccleſiaſtici, longe perfectioris, quod Chriſtum Dominum habet auctorem; præſertim quod juxta Philoſophum lib. 1. Politic. feminarum principatus *corruptela eſt reipublicæ*. Vide Eſtium in 4. diſt. 25. §. 7. Inquiunt denique præeſſe monialibus Abbatiſſas; at harum munus nihil eſt aliud, quam cura quædam domeſtica ſacrarum virginum, quarum contubernio, ut ſcribit S. Thomas q. 39. Supplem. art. 1. viri uti nequeunt. Nihil nobis dicendum de feminis, quas ad aras Ethnici æque, ac viros admiſerunt, ut in VI. de legibus inquit Plato: non enim vindicandi ſunt inſani idololatrarum ritus. Sciendum tamen eſt, Ægyptios, a quibus Græci hauſerunt ſuperſtitionem, ſacerdotium viris tantummodo commiſiſſe, teſte Herodoto in Euterpe; quod divinis Hebræorum inſtitutis, quæ dæmon auctor idololatriæ imitari curavit, magis eſt conſentaneum. Apud Romanos quoque olim ſacerdotia *non fuiſſe promiſcua* ſcribit Livius lib. X. Hiſtoriarum: immo ſemper feminæ fuerunt ab ara Herculis ſequeſtratæ, Veſtales vero tantum conſtitutæ ad ignem cuſtodiendum, id, quod Levit. VI. 12. viris, non mulieribus demandatur.

PROP. II. Vir non baptizatus ſuſcipiendi ſacramenti Ordinis incapax eſt.

Enimvero Baptiſmus *omnium ſacramentorum eſt janua*, nec poteſt Eccleſiæ juribus, miniſteriis, & facultatibus frui, qui nondum inſertus eſt illius corpori. Vide quæ de ſubjecto Confirmationis ſcripſi lib. XXXII. cap. 8. Præterea nunquam invenimus Eccleſiam ratos habuiſſe Ordines non baptizatis collatos: nemo enim non damnat ordinationem Xanaiæ, quem non baptizatum Petrus Fullo Antiochenus Patriarcha Eutychianus conſecravit Epiſcopum, de quo prope finem V. Voluminis, ubi agit de Conciliabulo Moguntino, decretiſque Gregorii VII. noſter Lupus, ordinationemque hujus generis Georgianorum ſchiſmaticorum, cujus meminere Tract. VI. de Bapt. q. 3. Vercellus, & quæſt. itidem 3. ejuſdem Tractatus Farvacques. Ad hæc Nicæna Synodus canone XIX. de Clericis Paulianiſtarum baptizatis abſque ſanctæ Trinitatis invocatione, inquit, *Rebaptizati ordinentur*, quoniam irrito baptiſmate Ordinationes quoque ſunt nullæ. Extat inſuper in III. Decretal. tit. 43. antiquiſſimus canon, *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*. Similia Innocentius III. cap. *Veniens*, eodem titulo. Quo in loco videtur utique Innocentius in dubium revocare rationem illam paullo ſupra productam, quod Baptiſmus ſit fundamentum, & janua aliorum ſacramentorum: ſed hæc dubitatio ſpectat peculiarem illum caſum hominis nati, & educati inter catholicos, in quo, loco baptiſmatis, ſufficiebat ad ſalutem ſincera fides. Hæc tamen ſicuti errore detecto exigebat collationem baptiſmi, ita poſtulabat ut ordinatus abſque baptiſmate iterum *per ſingulos ordines uſque ad ſacerdotium promoveretur*, ut Innocentius eo loci Epiſcopo Ferrarienſi mandavit.

Unum eſt, quod videtur theſi huic adverſari, id nempe quod lib. V. Hiſt. Eccl. cap. 22. ait Socrates: *In urbe Alexandrina Lectores & Pſaltæ abſque ullo diſcrimine fiunt tam Catechumeni, quam fideles*. Verum id nulla ratione de Lectorum & Pſallentium *Ordinationibus* accipiendum eſt, ſed tantum de legendi, & canendi munere, quod interdum laicis quoque committitur: neque enim Socrates χειροτονίαν, aut χειροθεσίαν iſtorum commemorat, immo immediate proſequitur, *Omnibus ubique Eccleſiis fideles ad Ordinem hunc promoventibus*, τῶν πανταχοῦ ἐκκλησιῶν πιστοὺς εἰς τὸ τάγμα τοῦτο προβαλλομένων. Vide pag. edit. Valeſ. 287.

PROP. III. Quælibet ætas ſufficit ad recipiendum Ordinis *characterem*.

Certam quidem ætatem ad canonicam Ordinationem exigit modo Eccleſia, ut infra dicam; ſed nihilominus quantum ad Ordinis *characterem* pertinet, pueruli quoque & infantes illum, ſi ordinarentur, ſuſciperent, etſi nondum ratione ac libertate uterentur: quod affirmant antiquiores omnes Theologi, uno excepto Durando in IV. diſt. 25. q. 2. cujus opinionem amplectitur q. 4. de Ordine art. 4. Tournelius, haud negans ſe adverſus communem ſcholaſticorum mentem ſentire, eo quod Durandi aſſertio magis ad Eccleſiæ praxim ſibi videatur accedere. At in eorum ſententia, qui minoribus Ordinibus attribuunt ſacramenti rationem, hæc propoſitio ex veteri diſciplina fit evidens. Conſtat enim ex primo canone Toletanæ ſecundæ Synodi, olim parentes ab infantia puerulos *officia clericatus* mancipaſſe; quod ex Epiſtolis Siricii & Zoſimi, necnon ex canone 19. Concilii tertii Carthaginenſis demonſtrat p. 3. de ſacris Ordinat. Exercit. XV. num. 5. Joannes Morinus; ubi vir eruditiſſimus præterea advertit, mancipationem hanc factam non fuiſſe abſque clericali tonſura, & primi Ordinis collatione. Martenius eamdem ſententiam propugnans de Antiq. rit. lib. 1. cap. 8. art. 3. producit ulterius exempla S. Felicis Nolani, de quo Paulinus, *Et primis lector ſervivit in annis*, clericorum infantilis ætatis, quos in Vandalica perſecutione pulſos in exilium narrat lib. V. cap. 9. Victor Vitenſis, ſcribens pag. 78. edit. Ruinart, *Inter quos quamplurimi erant lectores infantuli*, & Euthymii Abbatis, qui, auctore in ejus Vita Cyrillo Scythopolitano, triennis baptizatus eſt, tonſus in clericum, & ordinatus lector. De Eugenio item I. ad Petri ſedem evecto an. 652. legitur in libro Pontificali fuiſſe clericum *a cunabulis*. Plura autem lectu digniſſima ſcripſit huc ſpectantia in Notis ad Anaſtaſium tom. 4. pag. 60. vir præſtantiſſimus Joannes-Franciſcus Baldini; qui ad ea, quæ Martenius ac Morinus mandarunt litteris, addidit perantiquum monumentum, marmoream ſcilicet capſulam, in qua cum oſſiculis Maximi pueruli adinventus eſt anulus, cum reſcriptione, MAX. AEVIT. illius ordinationem exprimente, non quidem in diaconum, ſed in minorem clericum, cui pariter *Levita* nomen tribuerunt antiqui. Hæc autem omnia ad puerum, qui nondum pervenit ad uſum rationis, extendi nequeunt; nam infantia ad ſeptimum uſque annum computatur.

Ergo ſi loquamur de infantibus ante rationis uſum, duo tantum ex allatis exemplis produci poſſunt, Euthymii, & Eugenii; quorum ordinationem ratam & validam fuiſſe probatur inſuper ex cap. *Tua nobis*, De clerico per ſaltum promoto: ubi jubetur ad diaconatum promoveri, qui hoc ordine prætermiſſo ordinatus fuerat ſacerdos; non tamen iteratis ordinibus inferioribus, quos *infra annos diſcretionis* ſuſceperat. Hi ergo Ordines valide primis pueritiæ annis fuerant collati. Atque hæc argumenta urgent Durandum, qui diſt. 24. q. 3. cenſet in minoribus quoque Ordinibus imprimi *characterem*, etiamſi quæſtione præcedenti in ſolo ſacerdotio agnoſcat *plenitudinem ſacramenti*, alios autem ordines appellet *ſacramentalia*. Scholaſticorum probatio inde petitur, quod ſacramenta imprimentia *characterem* nullum requirant in ſuſcipiente actum, ut rata ſint, ac ſubſiſtant: quod conſtat in ſacramentis Baptiſmi, & Confirmationis. Hac ratione utitur S. Thomas q. 39. Supplem. art. 2. Scotus, S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, noſter Argentinas, Eſtius, aliique permulti in IV. diſt. 25.

Opponebat Durandus, non poſſe parvulum fieri ſacerdotem, vel Epiſcopum, ideoque nec ſuſcipere alios Ordines. Addebat requiri ad ſacramenta intentionem aut propriam, aut interpretativam, quarum neutra eſt in puerulis: parentum namque voluntas dici poteſt voluntas interpretativa parvulorum in iis tantum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, cujuſmodi eſt baptiſmus. Adjecit Tournelius, nullum in univerſa Traditione occurrere exemplum ordinationum hujuſce generis. Inquit præterea ſacris ordinibus adnexam eſſe legem continentiæ, ad quam nemo ante uſum rationis poteſt adſtringi.

At nullo negotio hæc diluuntur. Nam quæ Tournelius objicit, verbo diluuntur uno: primum exemplo Eugenii, & Euthymii; alterum diſtinctione ſacramenti a ſuſcipientium obligationibus; quas in hypotheſi nullas fore concedimus. Vide Cardinalem Gotti q. 3. dub. 3. §. 2. hæc perſpicue explicantem. Itaque ad ſola Durandi argumenta reſpondendum eſt. Ad quorum primum reponunt aliqui cum S. Thoma, ad Epiſcopatum requiri ut ſuſcipiatur cura Paſtoralis, & ſpirituale conjugium cum Eccleſia contrahatur, ad quod utique neceſſarius eſt actus voluntatis præcedens: at diverſa eſt aliorum Ordinum ratio; hi namque conferunt ſpiritualem poteſtatem, quæ infundi poteſt ante quemlibet rationis uſum. At ſicut in ceteris Ordinibus, ita in Epiſcopatu diſtinguere poſſumus poteſtatem & characterem a munere, aſſerentes hujus, non illius infantulos conſecratos fore incapaces. Id optime Sotus, Paludanus, aliique plurimi diſtinxerunt; atque ita quoque intelligendum S. Thomam cenſet citato in loco Vincentius Cardinalis Gotti, idemque poſt Soto tradiderat Gonet diſput. 3. n. 31. Ad alterum dicimus requiri ad ſuſceptionem characteris intentionem ſuſcipientis in adulto dumtaxat, non autem in parvulo, ut conſtat ex cap. 18. libri triceſimi. Nec

verum

cum eo conſecrati, Eliſabetha regnante, in Londinenſi hoſpitio, quod appellabant *Cheapſidem*, non ab Epiſcopis legitimis, ſed a Guilelmo Barlow, a Joanne Scoræo, & a Milone Coverdalo umbratili quadam ceremonia conſecratus fuit, ut ego quoque ſcripſi tom. III. pag. 214. Hos vero Epiſcopos non fuiſſe apparet ex Actibus *Parlamenti* a Raymero collectis, in quibus eo temporis Epiſcopatum tribus his ordinatoribus attributum antiſtites alii occupabant. Accedit quod alii ajunt Parkerum conſecratum fuiſſe Lambethiæ, nec inter ſe Angli ipſi ſcriptores conveniunt: & quod anno dumtaxat 1614. Proteſtantes produxerunt ſuppoſita quædam hujus ordinationis acta, quæ nunquam antea proferre auſi fuerant. Verum cum hoc argumentum pendeat a factis, in quibus ſcriptores diſcrepant, non videtur penitus os hæreticorum obtundere. Quamvis enim nuper dicta de indicta conſecratione Parkeri confirmari poſſunt a Noſtratibus teſtimonio Hardingi, Henrici Fitz-ſimons, D. Champney, aliorumque Anglorum ſcriptorum; affirmant tamen alii, conſecratum fuiſſe Parkerum an. 1559. menſe decembri in Cappella palatii Archiepiſcopalis Lamethenſis, Guilelmum Barlow fuiſſe pridem Epiſcopum Aſaphenſem, tunc vero temporis Ciceſtrenſem electum, apoſtatam Joannem Scoræum Ciceſtrenſem olim, ſed jam electum Herefordenſem, & Milonem Coverdalum tune Exonienſem ſedem tenuiſſe, ideoque nil mirum, ſi in Collectione Raymeri his diverſi Epiſcopatus adſcribantur: publicas demum tabulas, hujuſque ordinationis regeſta contrectaſſe, ac perlegiſſe Alexandrum Fayrcloth, & Thomam Lathwait Jeſuitas, alioſque Catholicos, qui hujus rei veritatem teſtati ſunt in litteris conſcriptis ad Thomam Fitz-herbert Romæ degentem: idque Jewellum, Maſonum, Godwinum, alioſque Anglos apertiſſime demonſtraſſe. Cum mihi interim deſint ad hos refellendos certiſſima monumenta, & alioquin cum viris pertinaciſſimis agendum ſit, diu immorandum non arbitror in inveſtigando loco impiæ hujus conſecrationis, in diſcutienda prædictorum Epiſcoporum auctoritate, & in fide Catholicis ſcriptoribus conciliianda, atque unice ordinationem illam nullam irritamque fuiſſe contendo ſpectata *forma* conſecrationis.

Hæc, ſi hæreticis credimus, fuit quæ præſcribitur in Rituali Eduardi: ſi Henrico Fitz-ſimons, aliiſque, fuerunt hæc tantum verba, *Accipe poteſtatem verbum Dei ſincere prædicandi;* quæ verba Joannes Scoræus protulit, ſuper caput Parkeri primum, deinde Grindalli, codice ſacrorum Bibliorum impoſito. Quantum ad ritum formamque Eduardi, iſtam ad conſecrationem, & ordinationem ſufficere P. Courayer, aliique pluribus argumentis conantur ſuadere: quæ ad hæc capita reducuntur, orationem impoſitioni manus adjunctam ſatis eſſe ad ſacras ordinationes perficiendas: non eodem verborum complexu conſtare orationem illam in ſingulis mundi Eccleſiis; unam ab altera variare: id jus ineſſe unicuique nationi, ut ritus, & quæ ad diſciplinam ſpectant, pro circumſtantiis temporum valeat permutare: ſubſtantialem quidem immutationem verborum officere ſacramentorum integritati; at non accidentariam, & quæ nihil addat fidei contrarium: neceſſum non eſſe, ut in verborum formulis exprimatur omnis ſacramentalis effectus, immo nec requiri probitatem fidemque miniſtri. Atque hæc omnia faciliſſimum eſt noſtris quoque diſſertationibus comprobare, nec opus eſt pervolutare quas P. Courayer tanto molitus eſt ingenii niſu. Commeodo autem, plurimumque laudo illorum operam, qui in hujus hominis confutatione ſtilum exercuerunt: ſed non video cur neceſſum ſit in hiſce momentis diſcutiendis immorari. Omnia illa argumentorum capita admitto, illo tantum excepto, quod per quemcunque Paſtorem mutari poſſint ritus Eccleſiaſtici, ac multo minus, quod in Anglia contigit, per regem impuberem, per laicos, per feminam: hoc enim damnatum eſt ſeſſ. VII. Tridentini can. 13. & a me refutatum lib. XXX. cap. 23.

Ergone factæ ab hæreticis Angliæ præſulibus ordinationes probandæ erunt? Id vero minime gentium. Evidentiſſimum eſt, prædictam Eduardi formam, ſi non expreſſe hæreticam, ambiguum tamen ſenſum habere: non enim exprimit, cur Electo conſecrator ſupernas vires, facultatemque apprecetur. Immo ſi attendantur præmiſſæ ceremoniæ, juramentum quo Rex Angliæ declaratur ſupremum Eccleſiæ caput, profeſſio hæreticorum dogmatum, ac promiſſio in his populum inſtruendi; verba illa, *Deus omnipotens, qui hanc tibi voluntatem conceſſit, concedat inſuper vires ac facultatem ad hæc efficaciter præſtanda*, idem ſonant, ac ſi diceretur, Adſit tibi Deus, ut defendas primatum Regis, ut conculces Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, ut propugnes Novantium blaſphemias, ut commiſſam tibi plebem ſeducas. Hæc ne *forma ſacramentalis?* Altera ejuſdem eſt generis, immo & deterior; idem enim paucioribus verbis exprimit, ac ulterius ſignificat, Epiſcopos & ſacerdotes ordinari tantum *ad miniſterium verbi*, ut contendunt hæretici. Jam vero ſtatutum a nobis eſt libro XXX. cap. 12. in *formis* ſacramentorum, quæ ſenſum patiuntur ambiguum, & quæ verborum vi neque ſacramenti effectum, neque communem Eccleſiæ intelligentiam ſignificant, attendendum eſſe propoſitum, animumque proferentium: quod maxime dicendum eſt de *forma* ab hæreticis Angliæ inſtituta adverſus ritum Romanæ Eccleſiæ, atque ad commonſtrandum conferri in ordinatione miniſtrorum poteſtatem ſolius verbi. Conſtat enim hanc *formam* ita, atque hac de cauſa inductam, ac permutatam, non Chriſtum Dominum auctorem habere, ſed homines iniquiſſimos. Illud præterea a nobis demonſtratum eſt, non tantum *formam* tali nequitia, ac tanta pravitate animi fabricatam, verum etiam *formam* alioqui legitimam, ſi verbis conſtet æquivocis, non eſſe *formam ſacramentalem*, ſi a circumſtantiis, ab intentione miniſtrorum, a præcedentibus, vel ſubſequentibus ceremoniis ad effectum alium determinetur, ita, ut nec etiam illa formula Confirmationis, *Signaculum doni Spiritus ſancti*, qua utitur Eccleſia Græcorum in reconciliandis venientibus ab hæreſi, ſatis ſit ad ſacramentum conſtituendum, ut hujus vol. pag. 37. dictum eſt: atque id multo magis eſt affirmandum de *forma* dubia, adverſus Catholicæ Eccleſiæ praxim ritumque introducta, & procuſa in officinis hæreticorum. Quæ cum ita ſint, abſque ulla hæſitatione pronuntio, *formam* Ritualis Eduardi non ſufficere ad ſacram ordinationem, tum quia ambiguitate verborum, animoque conferendi ſolius verbi miniſterium conflata eſt; tum etiam, quia attentis jurejurando, & profeſſione Electi determinatur ad ſignificandam collationem supernorum auxiliorum, quæ ſibi adfutura peroptant heterodoxi ad ſacramenta, & Fidei dogmata conculcanda, id, quod ſatanæ, non divini Spiritus opus eſt. Hoc itaque argumentum, quod utique nulla adverſariorum machinatione ſubruitur, movet me ad nullas, infirmaſque judicandas Anglorum conſecrationes.

Me non latet plura alia argumenta a Theologis noſtris contra Anglorum ordinationes proferri. Sunt illa, quod Eccleſia nunquam hujuſmodi ordinationes probavit: quod poteſtas ordinandi, non a Rege, ſed a Chriſto Domino, & a poteſtate Eccleſiaſtica proficiſcitur: quod *character Ordinis* confertur propter Corpus Chriſti, quod in Euchariſtia adeſſe negabant Angli, ſub Eduardo Zuinglianis addicti: quod miniſtri Angli nullam intentionem habent, niſi conſtituendi Regis miniſtros: quod non exiſtimant Ordinationem eſſe ſacramentum, neque habent amplius Euchariſtiam, & ſacrificium, cujus gratia ſacerdotium fuit inſtitutum. Collegit, produxitque omnia hæc argumenta Antonius Boucat diſſert. I. de ſacris ceremoniis art. 3. Habent hæc vim ſuam, præſertim ſi omnia ſimul complectantur. Reponere tamen quis poſſet, congruum non eſſe, ut Eccleſia in gratiam Anglorum edat decretum aliquod, poſteaquam plura edita fuerunt circa ordinationes aliorum hæreticorum, & ulterius Julius III. facultatem fecit Reginaldo Polo S. R. E. Cardinali abſolvendi, & deputandi miniſterio Altaris jam ordinatos in ſchiſmate. Quod tamen intelligendum eſt de ordinatis in ſchiſmate Henrici; ordinati enim in ſchiſmate Eduardi nova indigebant conſecratione: ideoque caute Romanus Pontifex ait, Ordines illos *nunquam, aut male* fuiſſe collatos; nunquam ſcilicet ſub Eduardo, male ſub Henrico. Quare Nicolaus Sanderus lib. 2. de ſchiſm. Angl. pag. 350. ait a Polo confirmatos fuiſſe ſolos Epiſcopos *in priori ſchiſmate factos*. Ceterum hæreticos extra Eccleſiam vera ſacramenta retinere, eorumque perfidiam non obeſſe imprimendo characteri, dummodo cum intentione faciendi quod facit Eccleſia Chriſti adhibeant debitam materiam, formamque legitimam, nequit a ſanæ mentis Theologo denegari.

CAPUT XVI.

De iis, qui ad ſacros Ordines ſunt promovendi.

AGendum nunc de Ordinandis, ſive de hujus ſacramenti ſubjecto. Scholaſtici hac in re quæſtiones quatuor inſtituunt, An ſacramenti Ordinis capax ſit ſemineus ſexus, an maſculus nondum baptiſmate regeneratus, an infans ante uſum rationis, an adultus invitus atque reluctans. Permultas alias pertractant qui ſacrorum canonum lectioni dederunt operam. In iis itaque, quæ primi ſunt generis, verſabimur aliquantulum.

PROP. I. Nequeunt mulieres ſuſcipere Ordinis ſacramentum.

Ex aliis hujus Operis noſtri diſſertationibus theſis iſta conſequitur. Libro enim XXX. cap. 13. demonſtravimus non omnes Chriſti fideles eſſe miniſtros ſacramentorum, aut ſacerdotes, ſed quos Chriſtus primum, deinde Apoſtoli, poſtea horum ſucceſſores Epiſcopi conſecrarunt, in quorum numero nulla recenſeri poteſt mulier, nec omnium digniſſima, & Salvatoris noſtri puriſſima Genitrix, ut hæreſi 79. ait Epiphanius. Oſtendimus itidem lib. XXXI. cap. II. adverſus Pepuzianos, & Collyridianos non poſſe mulieribus ſacrificii, ſolemniſque baptiſmatis jus competere, illorumque hæreticorum, uti & Marcioniſtarum ſacra miniſteria feminis committentium temeritatem atque infamiam fuiſſe compreſſam a Patribus, quod conſtat ex Tertulliano de Bapt. cap. 17. Epiphanio cit. loco, & hæreſi 49. necnon magno Parente noſtro Auguſtino de hæreſ. num. 27. Rurſus XXXIII. libro cap. 13. refutavimus quæ de oblato a mulieribus ſacrificio commentus eſt Hugo Grotius.

Produ-

Digitized by Google

Producta ergo his in locis valent ad poſitionem hanc roborandam. Sunt tamen in Theologorum libris probationes ad id confirmandum aliæ. Prima eſt, quod Apoſtolus 1. ad Corinth. XIV. 34. & 1. ad Timot. II. 12. non permittit mulieribus palam docere, cum hoc tamen non ſit munus ſacrorum miniſtrorum præſtantius. Altera, quod nec clericalis tonſuræ femina capax eſt, quoniam citata ad Corinthios Epiſtola XI. 6. ſcribit Apoſtolus, *Turpe eſt mulieri tonderi*, eique præcipit ut ſemper incedat *velato capite*. Proxima, quod nec in veteri lege Eccleſiaſticum munus demandatum ſit feminis; in novo autem Teſtamento neque ultimæ Cœnæ adfuerint, ubi inſtituta Euchariſtia, & Apoſtoli conſecrati. Poſtrema, quæ eſt S. Bonaventuræ in IV. diſt. 25. quod Mediator noſter, cujus legatione, & vice ſacerdotes funguntur, vir fuerit, non mulier. His addi poteſt cap. *Sacratas Deo*, diſt. 23. ex Iſidoriana Soteris epiſtola; cui conſonant quæ de Sotere leguntur apud Anaſtaſium, *Conſtituit, ut nulla monacha pallam ſacratam contingeret, nec incenſum poneret in ſancta Eccleſia*. Item quæ habentur cap. *Mulieres*, diſt. 32. exſcripta ex canone 11. Concilii Laodiceni celebrati circa annum 357.

Quæ objici poſſunt, nullius ſunt momenti. Ajunt enim opponi nobis quæ Eccleſiaſtica Hiſtoria refert de diaconiſſis: ſed nullo diaconiſſas fuiſſe ordine inſignitas vidimus ſuperiori capite VII. Addunt non repugnare mulieribus politicum regimen: verum alia eſt ratio politici regiminis inſtituti hominum arbitrio, & alia Eccleſiaſtici, longe perfectioris, quod Chriſtum Dominum habet auctorem; præſertim quod juxta Philoſophum lib. 1. Politic. feminarum principatus *corruptela eſt reipublicæ*. Vide Eſtium in 4. diſt. 25. §. 7. Inquiunt denique præeſſe monialibus Abbatiſſas: at harum munus nihil eſt aliud, quam cura quædam domeſtica ſacrarum virginum, quarum contubernio, ut ſcribit S. Thomas q. 39. Supplem. art. 1. viri uti nequeunt. Nihil nobis dicendum de feminis, quas ad aras Ethnici æque, ac viros admiſerunt, ut in VI. de legibus inquit Plato: non enim vindicandi ſunt inſani idololatrarum ritus. Sciendum tamen eſt, Ægyptios, a quibus Græci hauſerunt ſuperſtitionem, ſacerdotium viris tantummodo commiſiſſe, teſte Herodoto in Euterpe; quod divinis Hebræorum inſtitutis, quæ dæmon auctor idololatriæ imitari curavit, magis eſt conſentaneum. Apud Romanos quoque olim ſacerdotia *non fuiſſe promiſcua* ſcribit Livius lib. X. Hiſtoriarum: immo ſemper feminæ fuerunt ab ara Herculis ſequeſtratæ, Veſtales vero tantum conſtitutæ ad ignem cuſtodiendum, id, quod Levit. VI. 12. viris, non mulieribus demandatur.

PROP. II. Vir non baptizatus ſuſcipiendi ſacramenti Ordinis incapax eſt.

Enimvero Baptiſmus *omnium ſacramentorum eſt janua*, nec poteſt Eccleſiæ juribus, miniſteriis, & facultatibus frui, qui nondum inſertus eſt illius corpori. Vide quæ de ſubjecto Confirmationis ſcripſi lib. XXXII. cap. 8. Præterea nunquam invenimus Eccleſiam ratos habuiſſe Ordines non baptizatis collatos: nemo enim non damnat ordinationem Xanaiæ, quem non baptizatum Petrus Fullo Antiochenus Patriarcha Eutychianus conſecravit Epiſcopum, de quo prope finem V. Voluminis, ubi agit de Conciliabulo Moguntino, decretiſque Gregorii VII. noſter Lupus, ordinationemque hujus generis Georgianorum ſchiſmaticorum, cujus meminere Tract. VI. de Bapt. q. 3. Vercellus, & quæſt. itidem 3. ejuſdem Tractatus Farvacques. Ad hæc Nicæna Synodus canone XIX. de Clericis Paulianiſtarum baptizatis abſque ſanctæ Trinitatis invocatione, inquit, *Rebaptizati ordinentur*, quoniam irrito baptiſmate Ordinationes quoque ſunt nullæ. Extat inſuper in III. Decretal. tit. 43. antiquiſſimus canon, *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*. Similia Innocentius III. cap. *Veniens*, eodem titulo. Quo in loco videtur utique Innocentius in dubium revocare rationem illam paullo ſupra productam, quod Baptiſmus ſit fundamentum, & janua aliorum ſacramentorum: ſed hæc dubitatio ſpectat peculiarem illum caſum hominis nati, & educati inter catholicos, in quo, loco baptiſmatis, ſufficiebat ad ſalutem ſincera fides. Hæc tamen ſicuti errore detecto exigebat collationem baptiſmi, ita poſtulabat ut ordinatus abſque baptiſmate iterum *per ſingulos ordines uſque ad ſacerdotium promoveretur*, ut Innocentius eo loci Epiſcopo Ferrarienſi mandavit.

Unum eſt, quod videtur theſi huic adverſari, id nempe quod lib. V. Hiſt. Eccl. cap. 22. ait Socrates: *In urbe Alexandrina Lectores & Pſaltæ abſque ullo diſcrimine fiunt tam Catechumeni, quam fideles*. Verum id nulla ratione de Lectorum & Pſallentium *Ordinationibus* accipiendum eſt, ſed tantum de legendi, & canendi munere, quod interdum laicis quoque committitur: neque enim Socrates *χειροτονίαν*, aut *χειροθεσίαν* iſtorum commemorat, immo immediate proſequitur, *Omnibus ubique Eccleſiæ fideles ad Ordinem hunc promoventibus*, τῶν πανταχοῦ ἐκκλησιῶν πιστοὺς εἰς τὸ τάγμα τοῦτο προβαλλομένων. Vide pag. edit. Valeſ. 287.

PROP. III. Quælibet ætas ſufficit ad recipiendum Ordinis *characterem*.

Certam quidem ætatem ad canonicam Ordinationem exigit modo Eccleſia, ut infra dicam; ſed nihilominus quantum ad Ordinis *characterem* pertinet, pueruli quoque & infantes illum, ſi ordinarentur, ſuſciperent, etſi nondum ratione ac libertate uterentur: quod affirmant antiquiores omnes Theologi, uno excepto Durando in IV. diſt. 25. q. 2. cujus opinionem amplectitur q. 4. de Ordine art. 4. Tournelius, haud negans ſe adverſus communem ſcholaſticorum mentem ſentire, eo quod Durandi aſſertio magis ad Eccleſiæ praxim ſibi videatur accedere. At in eorum ſententia, qui minoribus Ordinibus adtribuunt ſacramenti rationem, hæc propoſitio ex veteri diſciplina fit evidens. Conſtat enim ex primo canone Toletanæ ſecundæ Synodi, olim parentes ab infantia puerulos *officio clericatus* mancipaſſe; quod ex Epiſtolis Siricii & Zoſimi, necnon ex canone 19. Concilii tertii Carthaginenſis demonſtrat p. 3. de ſacris Ordinat. Exercit. XV. num. 5. Joannes Morinus; ubi vir eruditiſſimus præterea advertit, mancipationem hanc factam non fuiſſe abſque clericali tonſura, & primi Ordinis collatione. Martenius eamdem ſententiam propugnans de Antiq. rit. lib. 1. cap. 8. art. 3. producit ulterius exempla S. Felicis Nolani, de quo Paulinus, *Et primis lector ſervivit in annis*, clericorum infantilis ætatis, quos in Vandalica perſecutione pulſos in exilium narrat lib. V. cap. 9. Victor Vitenſis, ſcribens pag. 78. edit. Ruinart, *Inter quos quamplurimi erant lectores infantuli*, & Euthymii Abbatis, qui, auctore in ejus Vita Cyrillo Scythopolitano, triennis baptizatus eſt, tonſus in clericum, & ordinatus lector. De Eugenio item I. ad Petri ſedem evecto an. 652. legitur in libro Pontificali fuiſſe clericum *a cunabulis*. Plura autem lectu digniſſima ſcripſit huc ſpectantia in Notis ad Anaſtaſium tom. 4. pag. 60. vir præſtantiſſimus Joannes-Franciſcus Baldini; qui ad ea, quæ Martenius ac Morinus mandarunt litteris, addidit perantiquum monumentum, marmoream ſcilicet capſulam, in qua cum oſſiculis Maximi pueruli adinventus eſt anulus, cum reſcriptione, MAX. AEVIT. illius ordinationem exprimente, non quidem in diaconum, ſed in minorem clericum, cui pariter *Levitæ* nomen tribuerunt antiqui. Hæc autem omnia ad puerum, qui nondum pervenit ad uſum rationis, extendi nequeunt; nam infantia ad ſeptimum uſque annum computatur.

Ergo ſi loquamur de infantibus ante rationis uſum, duo tantum ex allatis exemplis produci poſſunt, Euthymii, & Eugenii: quorum ordinationem ratam & validam fuiſſe probatur inſuper ex cap. *Tuæ nobis*, De clerico per ſaltum promoto: ubi jubetur ad diaconatum promoveri, qui hoc ordine prætermiſſo ordinatus fuerat ſacerdos; non tamen iteratis ordinibus inferioribus, quos *infra annos diſcretionis* ſuſceperat. Hi ergo Ordines valde primis pueritiæ annis fuerant collati. Atque hæc argumenta urgent Durandum, qui diſt. 24. q. 3. cenſet in minoribus quoque Ordinibus imprimi *characterem*, etiamſi quæſtione præcedenti in ſolo ſacerdotio agnoſcat *plenitudinem ſacramenti*, alios autem ordines appellet *ſacramentalia*. Scholaſticorum probatio inde petitur, quod ſacramenta imprimentia *characterem* nullum requirant in ſuſcipiente actum, ut rata ſint, ac ſubſiſtant: quod conſtat in ſacramentis Baptiſmi, & Confirmationis. Hac ratione utitur S. Thomas q. 39. Supplem. art. 2. Scotus, S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, noſter Argentinas, Eſtius, aliique permulti in IV. diſt. 25.

Opponebat Durandus, non poſſe parvulum fieri ſacerdotem, vel Epiſcopum, ideoque nec ſuſcipere alios Ordines. Addebat requiri ad ſacramenta intentionem aut propriam, aut interpretativam, quarum neutra eſt in puerulis: parentum namque voluntas dici poteſt voluntas interpretativa parvulorum in iis tantum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, cujuſmodi eſt baptiſmus. Adjecit Tournelius, nullum in univerſa Traditione occurrere exemplum ordinationum hujuſce generis. Inquit præterea ſacris ordinibus adnexam eſſe legem continentiæ, ad quam nemo ante uſum rationis poteſt adſtringi.

At nullo negotio hæc diluuntur. Nam quæ Tournelius objicit, verbo diluuntur uno: primum exemplo Eugenii, & Euthymii; alterum diſtinctione ſacramenti a ſuſcipientium obligationibus; quas in hypotheſi nullas fore concedimus. Vide Cardinalem Gotti q. 3. dub. 3. §. 2. hæc perſpicue explicantem. Itaque ad ſola Durandi argumenta reſpondendum eſt. Ad quorum primum reponunt aliqui cum S. Thoma, ad Epiſcopatum requiri ut ſuſcipiatur cura Paſtoralis, & ſpirituale conjugium cum Eccleſia contrahatur, ad quod utique neceſſarius eſt actus voluntatis præcedens: at diverſa eſt aliorum Ordinum ratio; hi namque conferunt ſpiritualem poteſtatem, quæ infundi poteſt ante quemlibet rationis uſum. At ſicut in ceteris Ordinibus, ita in Epiſcopatu diſtinguere poſſumus poteſtatem & characterem a munere, aſſerentes hujus, non illius infantulos conſecratos fore incapaces. Id optime Sotus, Paludanus, aliique plurimi diſtinxerunt; atque ita quoque intelligendum S. Thomam cenſet citato in loco Vincentius Cardinalis Gotti, idemque poſt Soto tradiderat Gonet diſput. 3. n. 31. Ad alterum dicimus requiri ad ſuſceptionem characteris intentionem ſuſcipientis in adulto dumtaxat, non autem in parvulo, ut conſtat ex cap. 18. libri triceſimi. Nec

verum

verum eſt, quod de intentione interpretativa inquit Durandus; nam ſacramentum Confirmationis non eſt de neceſſitate ſalutis, & nihilominus poſſent lactantes pueri ab Epiſcopis conſignari. Hoc unum fatemur, quod baptizati in infantia tenentur ut adoleverint ſervare Chriſtianam legem, ſed ordinati in infantia non ſubjicerentur legibus clericorum. Verum hæc differentia inde oritur, quod unuſquiſque perveniens ad uſum rationis tenetur conſulere propriæ ſaluti, ideoque baptizari, Chriſto nomen dare, & legem ſervare Evangelicam, non autem tonderi in clericum, ordinari, & cœlibem vitam ducere. Recole quæ ſcripſi lib. xxxi. cap. 16. agens de Pædobaptiſmo.

PROP. IV. Nequaquam ſubſiſtit Ordo collatus homini invito penitus ac reluctanti.

Sunt quidem nonnulli, qui adinvenientes in Eccleſiaſtica hiſtoria exempla complura virorum, qui dicuntur promoti ad Ordines inviti, hoc ita acceperunt, quaſi valida foret ordinatio facta ſubjecto nolente, repugnante & coacto. Videntur in ea ſententia fuiſſe Auxilius in Opuſculo de Ordinationibus Formoſi, & Jo. Morinus de ſacris Ordinat. p. 3. Exercit. 21. cap. 2. quibus ſubſcribunt Florentius De Cocq. de Ord. ſect. 4. Vanroy cap. 1. q. 2. aliique numero pauci. Noriſius quoque in 2. ſomnia Fr. Macedo n. 28. Joannes Salinas adnot. in Vitam Auguſtini ſcriptam a Poſſidio cap. 4. & Auctores alii quamplurimi aſſerunt olim in uſu fuiſſe poſitum, ut inviti promoverentur ad Ordines: ſed ii minime appellaverunt *invitos* reluctantes omnino & conſtantiſſime repugnantes, ſed humiles, a populo apprehenſos, & nihil ea de re cogitantes raptos, oblatoſque Pontifici, cui tandem ſponte acquieverint. Exempla, quæ invitorum ordinationes comprobare videntur, hæc ſunt: Cypriani, de quo Pontius in ejus Vita: Gregorii Nazianzeni, de quo ipſe Nazianzenus in Funere Patris, & Orat. 20. in laudem Baſilii: Nepotiani, de quo in illius Epitaphio Hieronymus: S. P. Auguſtini, de quo citato in loco Poſſidius: Paulini, de quo Epiſtola inter Auguſtinianas 35. Mitto exempla alia hujus generis plurima. At tria difficiliora ſunt, quæ opponuntur, ideſt, Pauliniani, Macedonii Eremitæ, & Baſſiani Epheſini; quibus alia duo addenda ſunt, Salamanis Aſcetæ, & S. Gregorii Thaumaturgi. De Pauliniano itaque fratre Hieronymi S. Epiphanius Epiſtola inter Hieronymianas 60. nunc 110. inquit: *Ignorantem eum, & nullam penitus habentem ſuſpicionem, per multos diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne forte liberari ſe cupiens adjuraret nos per nomen Chriſti, & primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut miniſtraret*. Et poſt pauca: *Et cum miniſtraret in ſanctis ſacrificiis, rurſus eum ingenti difficultate tento ore ejus ordinavimus presbyterum, & impulimus ut ſederet in ordine presbyterii*. De Macedonio autem Theodoretus in Hiſt. Relig. cap. 13. narrat a Flaviano Epiſcopo Antiocheno de montis vertice *per ſpeciem objectæ accuſationis adductum, admotumque altari cooptatum fuiſſe in numerum ſacerdotum: cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicaſſet, ignorabat enim prorſus quid egiſſent, primum quidem conviciis verbiſque aſperis increpaſſe univerſos, deinde arrepto baculo, quo propter ſenium innixus incedebat, Pontificem ipſum, & alios qui aderant inſecutum, ratum ordinationem hanc ſibi montis verticem ereptura*. De Baſſiano ipſemet in Epiſtola ad Valentinianum & Marcianum Impp. quæ extat Act. xi. Concilii Chalcedonenſis, narrans quomodo a Memnone Epiſcopo Epheſino ordinatus fuerit Epiſcopus Evazorum, *Ego autem* (inquit) *non acquieſcebam, ſed ab hora tertia uſque ad ſextam coram altari me plagis afflixit, & ſanctum Evangelium & altare ſanguine eſt impletum*. Vide tom. iv. Concil. pag. 688. Hæc vero ſunt exempla pervulgata magis & obvia; ſed alia ſunt eorum, qui conſecrati ſunt, non invitis tantum, ſed abſentes quoque, & fugam arripientes, inter quos S. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, cognomento Thaumaturgus. Hunc Phedimus Amaſenorum Antiſtes, *cum manu capere non poſſet, & ad ſacerdotium adducere, interjecto ſpatio triduani itineris, loco impoſitionis manuum ſermonem adhibens ordinavit*, ut Tom. 2. pag. 976 ſcripſit ſanctus Gregorius Nyſſenus: & conſimili ratione conſecratum fuiſſe presbyterum S. Danielem Stylitam a Gennadio Conſtantinopolitano animadvertit Lupus in Scholiis ad Epiſtolas variorum Patrum pag. 273. Poſtremum denique exemplum erit Salamanis, de quo Theodoretus in Philotheo cap. 19. narrat, quod Epiſcopus illum ordinaverit, non repugnantem tantummodo, ſed prorſus inſcium, *confracta*, ſcilicet, *parte tuguris, in quo latebat, per quam ſciſſam partem ingreſſus ordinationem peregit, nullaque a Salamane expreſſa voce diſceſſit, juſſitque diruta inſtaurari*. Hæc Theodoretus Tom. 11. pag. 852. His exemplis addunt rationem, propterea quod baptizatus eſt Eccleſiæ ſubditus; ideoque compelli poteſt ad Eccleſiaſticam dignitatem, maxime ſi id neceſſitas poſtulet, eo modo, inquit Vanroy, quo vir religioſus ad monaſterii regimen, & civis ad conſulatum compelli poteſt invitus, quando id exigit neceſſitas ordinis, aut reipublicæ.

Vera tamen eſt propoſitio, prout ſtatuimus libro xxx. cap. 18. Ibi enim produximus verba Innocentii III. cap. Majores, ubi ait: *Ille, qui unquam conſentit, ſed penitus contradixit, nec rem, nec characterem ſuſcipit ſacramenti*. Reſpondet Vanroy Innocentium de ſolo baptiſmi ſacramento locutum eſſe, ac diſparem eſſe rationem de baptiſmo ac de Ordine, quum nemo antequam baptizetur ſit Eccleſiæ ſubditus, ideoque ab Eccleſia nequeat ad ſuſcipiendum aliquod miniſterium compelli. At fallitur vir clariſſimus: nam eo loci Innocentius refellit illorum ſententiam, qui aſſerebant, *quod ſacramenta, quæ per ſe ſortiuntur effectum, ut baptiſmus & ordo, cæteraque ſimilia, non ſolum dormientibus & amentibus, ſed invitis & contradicentibus, etſi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur*. Quod ergo de Baptiſmo, idem de Ordine ab Innocentio III. ſtatutum eſt. Immo potior de Ordine, quam de Baptiſmo videtur ratio. Eatenus quippe noluit Dominus, ut homines baptiſmate tingerentur inviti, quoniam noluit aliquem per vim ſubjici Eccleſiæ, & coacte legem Evangelicam profiteri; tametſi extra Eccleſiam nulla ſit ſalus; & baptiſmus, atque lex Evangelica ſint ad ſalutem penitus neceſſaria. Subjici autem impoſitioni manuum, & exercere Eccleſiaſtica miniſteria, id conſilii eſt, non præcepti: nec qui ad baptiſmum venit, æque ſe obſtrinxit ad legis præcepta, & ad conſilia ſervanda. Perperam ergo aſſeritur poſſe hominem cogi ad ea, quæ in ejus optione fuerunt relicta, quando nec ad præcepta ſummopere neceſſaria compelli poteſt. Accedit, quod ſicut ante baptiſmum unuſquiſque eſt ſui juris, & liber omnino ad ſuſcipiendum eumdem baptiſmum, vel permanendum extra Eccleſiam; ita poſt baptiſmum, & Eccleſiæ unitionem, facultate pollet liberrima, ut laicis, aut clericis adnumeretur: quare ſi extra Eccleſiam poſitus nequit invitus ad baptiſmum impelli, neque unitus Eccleſiæ compelli poteſt ad ordinem clericalem. Hoc ulterius demonſtrat Lupus inſigni Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumento: quum enim poſt Epheſinam Synodum Firmus Cæſarienſis Epiſcopus armata manu veniſſet Thyanam, & loco Eutherii a Patribus Epheſinis e ſede dejecti alium conſecraſſet in Epiſcopum Thyanenſem; is affirmans ſe per vim fuiſſe ordinatum, indutus chlamyde cum laicis in theatrum ludos ſpectaturus ingreſſus eſt, nemine id prohibente, quod ſingulis perſuaſum foret hujuſmodi ordinationem nequaquam ſubſiſtere. Atque id ipſa contraria exempla confirmant. Etenim prioribus Eccleſiæ ſæculis, quando exiguus erat numerus clericorum, eo quod Eccleſiaſtici gradus plus oneris, quam commodi afferrent, & Chriſtiana humilitas illos tantummodo dignos ſacerdotalis honoris exiſtimaret, qui ejuſdem honoris ſemetipſos profiterentur indignos; conſuevit populus probum aliquem virum ſubito, & per vim tenere, eumque ordinandum Epiſcopo præſentare. Id vero in Ambroſio, in Paulino, in Nepotiano, in Auguſtino, atque in aliis pluribus factum eſt. Hi tamen minime ordinabantur, ſi perſeveraſſent inviti, ac penitus reluctantes: ſed Epiſcopus illos hortabatur, moniſque ac precibus percellebat, donec præberent aſſenſum. *Multi* (inquit Auguſtinus epiſt. 173. ad Donatum) *ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni*. Voluntate ergo non accedente, minime ordinabantur. Hinc de Pauliniano (ut iiſdem exemplis utar, quæ objiciuntur) ſcribit citata Epiſtola S. Epiphanius: *Valde quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans. Vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis Scripturarum, & perſuaſione mandatorum Dei*. Vides repugnantiam ex humilitate ortam; vides humilitatem perſuaſionibus tandem cedentem: neque vero, quod Pauliniano, cæteriſque per vim raptis os teneretur, coactionis indicium eſt, ſed potius argumentum aliud neceſſarii conſenſus. Cur id quæſo? Nonnulli cum tenerentur a plebe, jurabant ſe inſervire nulla altaris miniſterio, atque ne perjuri fierent, hi nunquam ordinabantur. Extat in Epiſtola Baſiliana ad Amphilochium canon x. *Qui jurarunt ſe ordinationem non admiſſuros; ſi eam detrectent, ne cogantur pejerare*: atque in ipſamet Epiſtula S. Epiphanii, *Juſſimus teneri os ejus, ne forte liberari ſe cupiens adjuraret nos per nomen Chriſti*. Hac de cauſa Pinianus, dum a plebe per vim raptus oblatus foret Auguſtino, ut ordinaretur, inquit *ſe velle populo jurare, quod ſi eſſet ordinatus invitus, ex Africa diſcederet*; & ita non fuit ordinatus. Vide Auguſtinianam epiſtolam 126. ad Albinam. Ad vitandum ergo perjurium, os in invitis ordinationibus tenebatur. At quodnam, obſecro, periculum perjurii, ſi unquam ceſſiſſet ordinandorum voluntas? Quod etiam de Baſſiano narratur, ſententiam confirmat noſtram: nam cur *ab hora tertia uſque ad ſextam* ita cæſus eſt, niſi ut tandem aſſentiretur?

Unum reſtat Macedonii factum, quod aliquam præfefert difficultatem. At primum ipſe Theodoretus pag. 836. ſcribit: *Scimus ſane haud laudandam multis viſum iri hanc narrationem: appoſui tamen memorabilem judicans, ut idoneam ad mentis ejus ſimplicitatem, animæque puritatem demonſtrandam*. Deinde Macedonius inſcius quidem erat, & rei, quæ agebatur, ignarus, ſed ſponte altari ſe admoveri paſſus eſt, & cum ſacra peragerentur ceremonia, prorſus tacuit: *Plus eſt autem*, inquit loco citato Innocentius III. *expreſſe contradicere, quam minime conſentire*.

Dixi

Dixi hoc duntaxat ſactum eſſe ambiguum, & difficultatem pati aliquam: enimvero Salamanes adeo ſe divinæ voluntati commiſerat, ut libens fineret in ſe agi quidquid aliis placeret; quare illum nec renitentem, nec annuentem incolæ illius vici ex una in alteram domunculam transferebant, *nullu unquam ab eo*, ſicut in illius ordinatione contigit, *expreſſu voce*. Exempla autem Gregorii Thaumaturgi, & Danielis Stylitæ, & ſi quæ ſunt alia iis conſimilia, miranda ſunt, non in controverſiis hujuſmodi proferenda. Si enim probarent aliquid, etiam evincerent poſſe ordinari abſentem, & abſque manuum impoſitione. Igitur hujuſmodi ordinationes aut divinitus contigerunt, ut conſecratio Amphilochii Epiſcopi Iconienſis, qui dicitur ordinatus ab Angelis, de quo tom. III. pag. 204. aut ſaltem in viris illis, poſtquam extraordinariis hiſce conſecrationibus facti ſunt certiores ſuæ ad ſacerdotium vocationis, ſuppleti fuerunt ritus Ordinationis ſacramentalis. Servatum id in Gregorio Thaumaturgo colligitur ex ipſa narratione Nyſſeni, qui citata pagina 976. ſubjicit: *Poſt hæc iis, quæ legitime fieri ſolent, ſuper illum peractis*. τουτων μετα ταυτα των νομιμων επ' αυτω τελεσθεντων. Paritas denique producta a Vanroy nil aliud probat, niſi in maxima neceſſitate aliquos poſſe teneri, præſentari Epiſcopis, & miniſterio altaris deputari; quemadmodum cives cogi poſſunt ad politicum regimen: ſed in utroque diſparitas eſt maxima, quod poteſtas Eccleſiaſtica inhæret animo, in quo nemo patitur violentiam; regimen autem Reipublicæ in exteriori miniſterio coactioni ſubjecto ſitum eſt. Atque de coactis Ordinationibus hactenus.

CAPUT XVII.

De iis, quæ in Ordinandis prærequiruntur.

PAucis multa comprehendam pertractans modo de conditionibus Ordinandorum, quas proponere fuſiori ſtilo munus eorum eſt, qui omnes Conciliorum canones, Romanorumque Pontificum decreta colligunt atque expendunt. Breviter ergo attingam vocationem, ætatem, conditionem, ſcientiam, probitatem, titulum, proximamque præparationem.

DE VOCATIONE.

Nemo, niſi a Deo vocatus, debet Eccleſiaſticis miniſtris accenſeri. Primumquia ſibi Dominus hujuſmodi miniſtros elegit; tum Levitas quando inſtituit ſacerdotium carnali ſucceſſione acquirendum, tum Apoſtolos novum condens teſtamentum ſpiritali gratia cumulatum. Deinde quia Apoſtolus ad Hebræos ſcribens cap. v. monet, ne quis ſibi Eccleſiaſtici muneris honorem ſumat, niſi *qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, propoſito ſingulis exemplo Chriſti, *qui non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret*, ſed a Patre prædeſtinatus fuit, *ut eſſet ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*. Præterea quia Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptis opus eſt adſtare altaribus, plebem inſtruere, cœlibem vitam agere, ſacramenta conficere, tractare divina, aliaque adimplere, quæ abſque peculiari Dei auxilio digne exerceri non poſſunt. II. Hujus vocationis indicia ſunt curarum ſæcularium abjectio, divini cultus ſtudium ſingulare, atque intentionis, & propoſiti rectitudo. De priori enim inquit Apoſtolus 2. ad Tim. II. 4. *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus*: de altero Tridentinum Concilium ſeſſ. XXIII. de Reform. cap. 4. *Prima tonſura non initientur ... de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicis fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*: de tertio ſapientiſſimus Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 16. *Si propterea evangelizamus ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum*. III. In prælaudata vocatione perſeverandum eſt: id enim monet Apoſtolus in priori ad Corinthios VII. 20. & ad Epheſios IV. 1. Antiqui etiam canones prohibent, ne ſemel inter clericos deputati *ad militarem expeditionem, vel munus aliquod ſæculare* pertranſeant, ſub anathematis pœna. Vide Chalcedonenſis Concilii canonem ſeptimum, Turonici quartum, & Triburienſis ſeptimum ac viceſimum. Hujus anathematis meminit quoque, ut adhuc perſiſtentis S. Raymundus in Summa: unde Gaſpar Joenin in Comment. Hiſt. & dogmat. diſſert. IX. q. 8. cap. 4. infert nunquam ante ſæculum XIII. indultum fuiſſe clericis etiam in minoribus conſtitutis a clericatu recedere.

DE ÆTATE ORDINANDORUM.

Infantes & puerulos olim tonſura initiatos demonſtrat 3. propoſitio capitis præcedentis. Factum id vel pietate parentum, vel noxia Eccleſiaſticorum Beneficiorum cupiditate. De hac legendus Chriſtianus Lupus Commentario in can. 2. Toloſani Concilii celebrati ſub Victore II. Contenti erimus exſcribere verba S. Bernardi ex Epiſtola 42. *Scholares pueri, & imberbes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim quod virgas evaſerint, quam quod meruerint principatum*. Ordinabantur nempe immatura ætate, ut Archidiaconatus, ceteraſque acquirerent præpoſituras. Attulit huic malo remedium Tridentina Synodus, præcipiens ſeſſ. XXIII. de Ref. cap. 6. ne prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus *ante decimum quartum annum* beneficium poſſit obtinere: ſeſſione autem proxima cap. 12. ne ad dignitates quaſcunque quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur *qui nondum XXV. annum attigerit*; ad ceteras, quibus nulla ſubeſt cura animarum, qui minor ſit *annis* XXII. Verum hæc ad collationem beneficiorum. Quod ad minores Ordines attinet, ætas illa requiritur, quæ Epiſcopo videatur idonea commiſſis officiis accurate adimplendis. Subdiaconi ante 22. diaconi ante 23. presbyteri ante 25. ætatis ſuæ annum inchoatum nequeunt ordinari, ex Tridentino cap. 12. ſeſſ. XXIII. Veteres tamen neminem ad diaconatum promovebant ante annum 25. quod colligitur ex can. 16. concilii Agathenſis, 14. Trullani, 20. Toletani IV. necnon ex Novellis Juſtiniani, CXXIII. cap. 13. Hujus rei Romanus Pontifex Zacharias epiſt. 13. illam rationem attulit, quod *in lege veteri ab annis* 25. *Levitæ in tabernaculo ſervire mandantur*: eamdemque rationem Hieronymus ſcribens ad Theophilum Alexandrinum aptat adſcendentibus ad ſacerdotium. In promovendis ad presbyteratum olim requirebatur ætas triginta annorum, ut liquet ex canone 11. Concilii Neocæſarienſis, XVII. Agathenſis, & XIX. Toletani IV. Hæc modo ætas neceſſaria tantum eſt in conſecrandis Epiſcopis, quos Auctor Conſtitut. Apoſtol. lib. II. cap. 1. deſiderare videtur *annorum quinquaginta*. At conſtat permultos ad Epiſcopatum promotos fuiſſe juniores, Gregorium Thaumaturgum ejuſque fratrem, Acolium Theſſalonicenſem, Theodoretum, Remigium Remenſem, Eleutherium Illyricum; immo & Timotheum, cui Paulus 1. Epiſt. IV. 12. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*.

DE ORDINANDORUM CONDITIONE.

Cautum a priſcis ſæculis fuit, ne ad ſupremos Eccleſiæ gradus promoverentur neophyti juxta monitum Apoſtoli prima ad Tim. III. 6. Vide ſecundum canonem Nicænum, & in Decreto capp. *Quoniam multa*. *Sicut neophytus*, diſt. 48. Nec ordinandi qui ſeipſos aliqua parte corporis mutilant, & qui carnali vitio repugnare neſcientes ſeſe abſcindunt, ut de Origene narrat lib. VI. H. E. cap. 8. Euſebius, de Leontio Antiocheno Socrates lib. II. cap. 16. atque de hæreticis, quos Valeſios dixere, in libro de hæreſ. n. 37. Auguſtinus. At ordinatos legimus apud laudatum Euſebium lib. VII. cap. 32. Dorotheum quemdam ab utero matris eunuchum, Tigrim etiam a barbaro domino exciſum, de quo lib. VIII. cap 24. Sozomenus, necnon illorum plures, quorum in Deciana perſecutione concuſſum femur, oculuſque dexter effoſſus. Hi nimirum neque *opificii Dei hoſtes*, neque *falſæ pietatis oſtentatores* dici poterant, cujus rei cauſa ne ad clerum perveniant, prohibet canon VII. ſecundæ Synodi Arelatenſis, atque XXI. ex Apoſtolicis. Idem dicendum de inſigni macula notatis, quos ab altari etiam lex vetus amovebat, Levit. XXI. 17. Vide canones diſt. 49. collectos a Gratiano. Præterea non ordinandos qui militiam ſectati ſunt, conſtat ex Epiſtola XXIII. ſancti Innocentii I. ad Hiſpanos, ex canone VIII. Concilii Toletani primi, atque ex ipſis Imperatorum legibus in Codice Theodoſ. lib. VII. tit. 20. Vetitum præterea tum canone Apoſtolico 81. tum 10. Toletani primi, & 80. Concilii Illiberitani, aliiſque hujus generis pluſimis, inter clericos abſque dominorum aſſenſu ſervos, & libertos adſciſcere. Curiales item, decuriones, & in forenſibus exercitationibus verſatos ad ſacerdotium adſcendere non ſinunt antiqui canones, ut laudata Epiſtola XXIII. demonſtrat Romanus Pontifex Innocentius. Ex Apoſtolorum præſcripto non licet digamum ordinare, *propter ſanctitatem ſacramenti*, inquit S. P. Auguſtinus de Bono conjugali, cap. 18. Hujus præſcripti teſtem habemus Tertullianum de Monogamia cap. 11. de Pœnit. cap. 9. & de Exhort. caſtitatis cap. 7. Epiphanium in Expoſit. fidei n. XI. Hieronymum epiſt. X. ad Nepotianum, & 11. ad Gerontium, Ambroſium de officiis lib. 1. cap. 5. & Gennadium de Eccl. dogmat. cap. 72. unde depromptum c. *Maritum duarum*, diſt. 33. Ob clericalis ordinis honorem ac dignitatem ſtatutum quoque ne ordinentur illegitimo concubitu procreati: quod tamen factum poſt ſextum ſæculum ſcribit Auctor Operis de Re ſacrament. tom. 2. pag. 293. Ex his autem colliges, quam recta ſint, & æquitati conſona quæ afferri ſolent a Theologis, & JCC. de *Irregularitate* pertractantibus.

DE SCIENTIA PROMOVENDORUM AD ORDINES.

Vellem, ut unuſquiſque diſceret ex Notificatione edita Bononiæ die 16. Junii an. 1735. a ſapientiſſimo illius Eccleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ Paſtore, nunc totius Chriſtiani populi Parente beneficentiſſimo, Doctore integerrimo, atque Pontifice glorioſiſſimo, qua ſcientia inſtructi debeant accedere ad Epiſcopum ordinandi. Nam qui illam perleget, quid præſcribant vetuſti canones, quid Tridentina Synodus, quid in Conſtitutione *Apoſtolici miniſterii* Innocentius XIII. percipiet facillime. Cur in promovendis ad minores Ordines Tridentina Synodus ſeſſ. xxiii. de Reform. cap. 11. requirat, ut ſaltem Latinam linguam intelligant; in promovendis vero ad majores neceſſum ſit explorare, num ad docendum populum, & ad ſacramenta miniſtranda idonei ſint, illiſque Scholaſticæ, ſeu moralis Theologiæ, aut Juris Canonici ſtudiis danda ſit opera, exquiſite prælaudata Notificatio commonſtrat. Doctrina autem apprime neceſſaria eſt ſacerdotibus, de quibus Malachias II. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam:* Oſeas IV. 6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*: atque Apoſtolus 1. ad Tim. IV. 13. *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*. Hujuſmodi neceſſitatem comprobant rationes multæ, quas in aureo opere de Sacerdotio lib. IV. cap. 4. producit Græcorum Patrum eloquentiſſimus Joannes Chryſoſtomus. Prior eſt, quod ſacerdos curandis variis animorum affectionibus aptus idoneuſque eſſe debet, quod nonniſi Evangelicæ doctrinæ uſu, atque exercitatione conſequi poteſt: altera, quod illi judæorum, gentilium, & hæreticorum, qui artificiis innumeris nos impetunt, conatus ſint reprimendi: tertia, quod concionibus, & diſputationibus habendis ad populum intentus atque aptiſſimus eſſe debeat. Hæc Chryſoſtomus prolixiori, cultiſſimaque oratione. Lege & Nazianzenum de Fuga ſua, Hieronymi ad Nepotianum epiſtolas, atque viceſimam ſecundam Leonis Magni. Inter clericorum ſtudia commendanda principio eſt, ut epiſt. 3. nunc 137. ad Voluſianum, & Tract. 3. in Joannem docet S. P. Auguſtinus, lectio, & meditatio Scripturarum ſanctarum: poſt Scripturas tempus lectioni Patrum impendendum eſt; unde Hieronymus ad Heliodorum ſcribens Nepotianum ſuum laudat, propterea quod data quavis occaſione recitans veterum teſtimonia, *Illud*, ajebat, *Tertulliani*, *iſtud Cypriani*, *hoc Lactantii*, *illud Hilarii eſt*. *Sic Minucius Felix*, *ita Victorinus*, *in hunc modum eſt locutus Arnobius*. Idem Hieronymus epiſt. 141. ad Damaſum reprobat in ſacerdotibus pronunciationem carminum bucolicorum. & canon XVI. Concilii quarti Carthaginenſis libros gentilium. Turonenſis III. Synodus c. 3. inquit: *Epiſcopo nefas eſſe ignorare canones, & librum beati Gregorii Papæ de cura paſtorali*. Hæc pauca me produxiſſe ſat erit.

DE PROBITATE CLERICORUM.

Requiritur præterea in ordinandis morum probitas, eo quod ipſi ſacra miniſteria exercere debeant, & vitæ exemplaritate laicis prælucere. Hac de cauſa vetant canones ordinationem peregrinorum, *quod eorum minime ſit cognita vita*, inquit canon 24. Illiberitanus. Pari ratione publice pœnitentes ad clericatum admitti prohibent can. XXV. concilii ſecundi Arelatenſis, II. Toletani primi, & LXVIII. quarti Carthaginenſis. Siricius Papa in litteris ad Himerium rationem affert pulcherrimam, quoniam *nulla debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum*. Innumeri itidem canones ordinari vetant apoſtatas, homicidas, adulteros. Vide can. 61. inter Apoſtolicos; 9. concilii Neocæſarienſis, 2. Nicæni, 30. Illiberitani, necnon Origenem lib. 3. contra Celſum, Cyprianum ep. 68. atque Innocentium I. epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ. Idem de fœneratoribus, & uſurariis ſtatuit canon 14. Baſilianus, & canon 67. concilii IV. Carthaginenſis. Duo autem hinc inferas: unum, quam veteri diſciplinæ cohæreant, quæ doctores catholici tradunt *de Irregularitate ex delicto*, alteram, quam ſcite, quam ſancte Leo Magnus epiſt. 87. productis Apoſtolicis verbis 1. ad Timoth. V. 22. *Manus cito nemini impoſueris*, hæc ſcripſerit: *Quid eſt autem cito manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ ſacerdotalem honorem tribuere non probatis?*

DE SACRÆ ORDINATIONIS TITULO.

Titulus, quo in primis Eccleſiæ ſæculis clerici ordinabantur, fuit addictio uni tantum Eccleſiæ, atque ſacro miniſterio in illa exercendo, cujus gratia portio eis ab Epiſcopo debebatur Eccleſiaſticorum redituum, oblationumque fidelium; unde promanarunt Beneficiorum collationes. Tanta in ordinationibus hoc titulo peragendis adhibebatur circumſpectio, ut ſexto Chalcedonenſis ſynodi canone qui *abſolute ordinarentur* nuſquam miniſtrare poſſent, *ad Epiſcopi ordinantis injuriam*. Hinc Tertullianus de Præſcript. cap. 42. hæreticos arguit, quod *eorum pleri que ſine matre, ſine ſede, orba fide, nec Eccleſias habent*, quarum ſcilicet titulo ad ſacros ordines promoverentur: vi rique etiam ſanctiſſimi, Hieronymus & Paulinus, a reprehenſione non fuerunt immunes, quod abſque titulo conſecrati eſſent presbyteri. At multa de hoc Ordinationis titulo in præcitata Tertulliani verba, & in canonem VI. Chalcedonenſem Chriſtianus Lupus. Extat quoque apud Gratianum diſt. LXX. hoc caput depromptum ex canone 15. Concilii Placentini ſub Urbano II. *Sanctorum canonum ſtatutis conſona ſanctione decernimus, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur*: quem canonem num Urbani ſit dubitat ibidem Lupus; at dubitationem eliminat volumen X. Conciliorum Collect. Labbei pag. 604. Porro ex hujus tituli præſcriptione factum eſt, ut clerici de una ad alteram Eccleſiam abſque licentia Epiſcopi tranſire non poſſent, ac ſi tranſirent, a clericali gradu dejecti *communionem tantum laicam perciperent*, ut conſtat ex III. canone Concilii Antiocheni, XXI. Arelatenſis primi, V. primi Carthaginenſis, XII. primi Toletani, aliiſque permultis. Inſuper canone LII. concilii Agathenſis communione privantur presbyteri, & diaconi *ſine Epiſcopi ſui litteris divagantes*. Ex quibus apparet, quantum vetus diſciplina expoſtulaverit, ut clerici omnes eſſent Eccleſiæ ſuæ miniſteriis addicti. II. Tametſi autem hoc tantum titulo clerici olim ordinarentur; tamen ob exiguum beneficiorum numerum evenit, ut titulus in majoribus duntaxat Ordinibus neceſſarius judicaretur, & beneficii loco ſubſtitueretur *patrimonium*; id, quod vir præclarus Thomaſſinus de vet. & nova diſciplina p. 2. lib. 1. cap. 9. demonſtrat in uſum fuiſſe receptum a ſæculo duodecimo. Et revera in Lateranenſi Synodo ſub Alexandro III. eodem ſæculo celebrata legimus Epiſcopum, ſi aliquem abſque titulo ad ſacros Ordines promoveat, debere illi tandiu neceſſaria ſubminiſtrare, donec ei in aliqua Eccleſia aſſignentur militiæ clericalis ſtipendia, *niſi tamen talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium poſſit habere*. Quare cum patrimonium loco beneficii conſtituatur ad ſubſidium, honeſtamque vitam clericorum; optime ſacra Congregatio Concilii anno 1589. definivit non poſſe pro titulo patrimonii, induſtriam, & lucrum ordinandorum computari; nec ſat eſſe, ſi in arte pingendâ excellant, ſi Ludimagiſtri ſint, ac doctorali laurea inſigniti: immo nec patrimonium in bonis mobilibus conſtituâ poſſe, eadem ſacra Congregatio ſancivit die 29. Novemb. an. 1670. Præterea ex quo patrimonii titulus ſit pro beneficio ſupplementum aliquod, beneficium vero impendatur pro miniſterio Eccleſiæ exhibendo, aperte conſequitur, neminem ſolius patrimonii titulo ordinandum eſſe, niſi *pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum*, ut definit Tridentina Synodus ſeſſ. XXI. cap. 2. de Reformat. atque id per epiſtolas S. Congregat. Concilii die 13. Maji univerſis Epiſcopis inculcari juſſit fel. recordat. Innocentius XI. At qui plura deſiderat, perlegat Notificationem Bononiæ editam die 1. Februarii an. 1734. a beatiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. a me quidem frequentiſſime, ſed nunquam ſatis laudato. III. Quoniam ii, qui religioſam vitam profitentur ſolemnibus votis emiſſis, mancipantur divino cultui, altaris miniſterio, & Eccleſiaſticæ vitæ, atque monaſteriorum reditibus, vel fidelium eleemoſynis ſuſtentantur, parum a priorum ſæculorum clericis videntur abſimiles; ideoque religioſæ paupertatis titulo promoveri poſſunt ad ſacros Ordines: quod etiam innuit præcitatus canon Chalcedonenſis, in quo nullum ordinandum eſſe decernitur, *Niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis, vel pagi, aut in Martyrio, aut in Monaſterio qui ordinandus eſt pronuntietur*: atque id poſtmodum conſtitutiones aliæ quamplurimæ confirmarunt. *Titulus* ergo ſacrarum ordinationum triplex eſt, Beneficium, patrimonium, & profeſſio Monaſtica.

DE PRÆPARATIONE AD SUSCIPIENDOS ORDINES.

At præter hæc, ſuſceptumque baptiſmum, necnon ſacramentum Confirmationis, quod clericali tonſuræ præmittendum demonſtravi lib. XXXII. cap. 8. neceſſum eſt, ut ſacris Ordinibus præcedant exercitia ſpiritualia, prout S. Carolus ſtatuit in Mediolanenſi Concilio an. 1576. ac poſtea Alexander Papa VII. an. 1662. ſervandum juſſit in Romana, & Suburbicariis Eccleſiis, quod deinceps Innocentius XI. & Clemens item XI. ad univerſas Italorum diœceſes extendi mandarunt. Hinc S. P. Auguſtinus a Valerio Hipponenſi Epiſcopo extemplo, & hac præparatione non præmiſſa presbyter ordinatus, enixe precatus eſt, ut idem Antiſtes ſineret illum certo dierum intervallo, priuſquam ordinem exerceret, præparari ac diſponi, *Petendo* (ut S. Pater inquit epiſt. 148. nunc 21. n. 4.) *quærendo*, *pulſando*, *orando*, *legendo*, *plangendo*. Ex qua Epiſtola cap. *Ante omnia*, diſt. 40. pertractans de laborioſis ac difficillimis ſacrorum miniſtrorum officiis, exſcriptum fuit. Atque de his quoque nos pleniſſime inſtituit Notificat. edit. 11. Januarii an. 1740. Pontifex Maximus; cui humillime, quicquid ab ipſo didicimus, acceptum ferimus.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De hujus ſacramenti duplici effectu.

DUo efficacitate ſua Ordinis ſacramentum producit, *gratiam* nimirum, & *characterem*. De Gratia prolixe egimus libro xxx. capite 19. & duobus ſequentibus, ubi de ſacramentis univerſim diſſerentes explicavimus quænam hæc gratia ſit, quid præſtet, quomodo producatur. Ex primo etiam capite hujus libri conſtat gratiam ſacra ordinatione conferri: id enim docet Apoſtolus in utraque ad Timotheum epiſtola, confirmantque Patres, Nazianzenus, Chryſoſtomus, aliique ibidem producti. Hæc ſacramentalis gratia tam ad ſanctificationem ornatumque animæ, quam ad ſancte exercenda Eccleſiaſtica miniſteria tribuitur, cum *interiorem animum attingat*, *inviſibili vi exornet*, *in meliorem tranſmutet*, *cælumque tranſcendat*, ut utamur eorumdem ſanctorum verbis. Sed vide hujus voluminis paginam 252. necnon proxime conſequentem.

Prolixe quoque pertractavimus de charactere, præcitato libro triceſimo cap. 22. quo in loco etiam diſputavimus neceſſum ne ſit conſtitui illum in re aliqua *phyſica* diſtincta ab anima. Peculiariter vero characterem Ordinis demonſtrant quæ in hoc ipſo volumine pag. 253. & inſequenti producta ſunt, & quæ integro capite quartodecimo aſſeruntur ad demonſtrandum Ordinationes rite peractas permanere, & nunquam eſſe iterandas. Igitur ſat eſt, ſi quæ ſuis in locis fuerunt diſpoſita, in memoriam nunc revocentur. Hoc enim in capite, quoniam ubi nulla impellimur cauſa, abſtinemus a prolixitate verborum, nil aliud nobis præſtandum eſt, quam exſcribere Tridentinum canonem quartum ſeſſionis tertiæ ac viceſimæ, ad effectus illos, quos nuper commemoravimus, pertinentem: *Si quis dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopum dicere, Accipe Spiritum ſanctum; aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui ſacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe; anathema ſit.*

CAPUT XIX.

De quibuſdam ſacrarum Ordinationum Ritibus in hac diſſertatione nondum expoſitis.

ETſi per ſingulos Ordines diſcurrens plura attigimus, quæ in hujus ſacramenti ceremoniis, ritibuſque ſervantur: nonnulla ſunt tamen, quæ in hoc poſtremum caput rejecimus, ut eamdem methodum in univerſo hoc Opere teneremus.

DE SACRARUM ORDINATIONUM TEMPORE.

Igitur primum de tempore, quo ſacri Ordines conferuntur, dicendum eſt. Affirmat Gelaſius Papa in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ ſacras presbyterorum & diaconorum ordinationes deberi tantum exerceri in jejunio quatuor temporum, *mediana* quadrageſimæ hebdomada, & ſabbati dominicam reſurrectionem præcedentis: quod poſtmodum Gregorius II. ep. 4. ad clerum, plebemque Thuringiæ, Urbanus II. in Concilio Claromontano, Leo IX. ad Archiepiſcopum Barenſem, Zacharias in Epiſt. ad Bonifacium, Innocentius III. epiſt. 148. lib. iv. aliique Romani Pontifices, & Conciliorum canones tradiderunt. Pertractant de his Lupus Volum. iv. in x. canonem Toloſani concilii, Martene de Antiq. Eccl. Rit. lib. 1. cap. viii. art. 4. atque ex Theologis Juenin quæſtione poſtrema viii. diſſertationis. Gelaſium omnium primum ſacris Ordinibus conferendis præſtituiſſe ſolemnium quatuor jejuniorum tempora opinatur in Vitis Pontif. Roman. pag. 128. Antonius Sandinus: Paſchaſius autem Queſnellus in notis ad epiſt. 10. Leonis Magni cenſet ſacros Ordines collatos fuiſſe quolibet die dominico, & Binghamus hæreticus Anglus lib. iv. Originum Eccleſiaſticarum cap. 6. §. 7. indiſcriminatim quolibet hebdomadis die, laudans pro ſententia ſua Iſaacium Habertum in Pontificale Græcorum p. viii. obſervat. 4. Sed arbitror horum ſententiam falſam eſſe. Enimvero fatentur & ipſi Romanos Pontifices ad Simplicium uſque, prout conſtat ex libro Pontificali, ordinationes celebraſſe menſe Decembri ob proximam Nativitatis Domini ſolemnitatem, ut inquit de Divinis Officiis lib. ii. cap. 1. Amalarius. Ex quo autem veteres Pontifices in decimi menſis jejunio ſacros contulerint ordines, minime ſequitur non potuiſſe illos conferre in aliis quatuor temporum ſabbatis, quemadmodum optime advertit in ſuis ad Linum adnot. Bencinus. Ivo etiam Carnotenſis noluit in feſto Purificationis ordinare presbyterum, quemadmodum idem ſcribit epiſt. 58. quod hoc prohiberent *Paterni canones, & Apoſtolica conſtitutio*: ac nemo ignorat quantum Ivo perantiquam diſciplinam calleret. Inſuper S. Leo antiquior Gelaſio citata epiſt. 4. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem cap. 6. ait repugnare Patrum traditioni, *presbyteros & diacones qualibet die dignitatem accipere*: quod repetit epiſt. 11. alias 81. ad Dioſcorum Alexandrinum; atque 84. ſive 57. ad Martianum reprehendit Anatolium, eo quod Aetium presbyterum conſecraſſet ſexta ſabbati, *traditionis Apoſtolicæ aut neſcius, aut oblitus*. At quod epiſt. 4. ait S. Leo de Epiſcopis Dominico die conſecrandis, minime opponitur perantiquæ traditioni; hujuſmodi enim conſecratio diei quidem Dominico, aut Apoſtolorum ſolemniis, ſed nulli determinato menſi alligatur. Vide ſupra quæ ſcripſimus de Ordine Epiſcopatus pag. 397. Hæc de ſacris Ordinibus: tonſura enim juxta Pontificale Romanum, *quocunque die, hora, & loco*, & minores Ordines *ſingulis dominicis, & feſtivis diebus* conferri poſſunt.

QUISNAM SIT PERAGENDÆ ORDINATIONIS LOCUS.

Non ubique locorum, ſed in Eccleſia duntaxat peraguntur Ordinationes, atque inter miſſarum ſolemnia: quod tamen poſtremum neceſſarium non eſt in minoribus Ordinibus conferendis. Diximus alibi apud Græcos presbyteros & diaconos in *ſanctuario*, hypodiaconos autem & lectores in *diaconico*, aut ante *portam*, quam dicunt *ſpecioſam*, ordinari. Hujus publicæ Ordinationis præter rituum ſolemnitatem cauſa eſt, quod ad ordines promovendi probari debeant cleri plebiſque teſtimonio: unde habetur in canone 22. Concilii iv. Carthag. *Epiſcopus ſine concilio clericorum ſuorum clericos non ordinet, ita, ut civium conniventiam & teſtimonium quærat*. Cap. *Epiſcopus*, diſt. 24. Hinc Eccleſiaſtica Hiſtoria reprobat ordinationem Novati, clero & plebe reluctantibus factam, apud Euſebium lib. vi. cap. 35. Idem de ordinatione cujuſdam Osberni ſcribit epiſt. 119. Joannes Sariſberienſis. De ordinatione Parkeri dictum ſupra cap. xv. ubi de ordinationibus Anglorum hæreticorum. Huc etiam referri poſſunt quæ de ordinatione diaconi extra templum facta, objecta fuere Joanni XII. apud Luitprandum lib. vi. cap. 7. & Baronium ad an. 963. num. 17. Parkeri autem, ejuſque diaconi ordinatio fuit quoque deteſtabilior ob loci abjectionem ac turpitudinem. De Maximo item Cynico Nazianzenus in carmine Vitæ ſuæ:

Namque in choraulı ſordidam ingreſſi domum
Graves, ſupremo & Numini cari viri,
Ac quoſdam habentes fæce de vulgi infima
Canem reſecta præſulem ſignant coma.

Eſt autem *choraules* qui fiſtulam inflat. Recte itaque Tridentina Synodus ſeſſ. xxiii. de Ref. cap. 8. *Ordinationes ſacrorum Ordinum ſtatutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis publice celebrentur; ſi autem in alio diœceſis loco, præſente Clero loci: dignior quantum fieri poterit Eccleſia ſemper adeatur*. Romanos Epiſcopos conſecrari ex antiqua conſuetudine ad aram S. Petri conſtat ex *Ordine Romano*, idque recte obſervatum eſt a Martenio citato art. 4. Hoc fieri exiſtimo ad demonſtrandam perpetuam Romanorum Pontificum ſucceſſionem, fideique unitatem: nam idcirco Alexandriæ qui ſuccedebant demortuis epiſcopis, dextra primum ſupra illorum cadaver extenta, pallio beati Marci induebantur, ut in Breviculo cap. 20. narrat Liberatus. Eam ob rem in Collatione Carthaginienſi habita inter Catholicos & Donatiſtas, ait Donatus Epiſcopus Sitifenſis: *Supra corpus Epiſcopi catholici presbyterum ordinavi, & Deo volente ordinabitur illic Epiſcopus*. Atque hinc obiter nota, cur *de Corpore S. Petri* ſumatur pallium, quo ornantur Archiepiſcopi, ut habetur in Pontif. Romano P. iii. tit. 14.

DE ORDINUM INTERSTITIIS.

Ex dictis ſupra cap. 2. pag. 255. & 256. ubi de numero Ordinum diſputavimus, colligi poteſt quantum veteres in hoc fuerint ſolliciti, ne de uno ad alterum Ordinem ſtatim aliquis promoveretur, ſed unuſquiſque aſcenderet *per omnes clericalis officii gradus*, ut diuturno diſceret tempore, cujus & ipſe doctor futurus eſſet: ita enim ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcripſit Leo Magnus. Cum autem minoribus Ordinibus permulti inſigniti eſſent adhuc adoleſcentuli, at ſacerdotio non decorarentur, niſi viceſimum quintum, aut etiam triceſimum, vel triceſimum quintum annum agerent, prout conſtat ex capite præcedenti; conſequens eſt, in clericis longioris temporis fuiſſe, quam ſit modo, inferiorum ordinum exercitium. Hinc decimo Sardicenſis concilii canone definitur, exigi ab uniuſcujuſque Ordinis gradu *non minimi temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & conſtantia & moderatio poſſit dignoſci*. Vetuſtiorem Eccleſiæ diſciplinam colligimus ex Epiſtola Siricii ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem: in qua cap. 9. & 10. definitur *ut quicunque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis*, ante pubertatis annos Lectorum miniſterio ſocietur, atque ab acceſſu adoleſcentiæ acolythus, & ſubdiaconus ſit *uſque ad triceſimum ætatis annum*: in officio autem diaconi *quinque annis* ſeſe exerceat, priuſquam presbyteratum conſequatur. Eadem fere ſcripſerunt Innocentius I. epiſt. ad Felicem Epiſcopum Nucerianum, & Zoſimus in Epiſt. ad Epiſcopum Salonitanum

Hæſychium, Jure itaque meritoqua Tridentina Synodus ſeſſ. xxiii, cap. 11. de Reformat. juſſit, ut minores Ordines *per temporum interſtitia*, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videatur, conferantur, nec aliquis promoveatur ad ſacros Ordines, niſi poſt annum a ſuſceptione Acolythatus, *niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat*. Omnino autem capite tertiodecimo ajuſdem ſeſſionis prohibuit, ne *eodem die* duo ſacri Ordines, ſub cujuſvis indulti prætextu, *etiam regularibus* conferantur: quod antea canone 5. Concilii Hiſpalenſis an. 619. & in primo Decretalium libro tit. 2. capp. *Litteras*, &, *Dilectus*, ſtatutum fuerat, ſublata diſpenſandi facultate Archiepiſcopis, aliiſque Præſulibus ſingulis, Romano tantum Pontifice excepto.

DE ORDINIBUS GRADATIM SUSCIPIENDIS,

Quamquam ax dictis pag. 257. & ſequentibus colligi quodammodo videatur clericos aliquando fuiſſe ordinatos *per ſaltum*, ideſt, quibuſdam inferioribus ordinibus prætermiſſis, apud Græcos præſertim, quorum primus ordo eſt *Lectorum*; & quamquam S. Thomas q. 35. Supplem. art. 5. ſcribat in primitiva Eccleſia aliquos ordinatos fuiſſe in presbyteros, *qui prius inferiores ordines non ſuſceperant*: nihilominus ex prælaudatis Romanorum Pontificum, Siricii, Innocentii I., & Leonis Magni epiſtolis decretalibus apertum aſt, clericis *gradatim* adſcendendum eſſe ad ordinem presbyterii. De Græcorum autem ritu plura diximus capite 2. hujus libri. Hæc, quæ affirmamus de Ordinibus non conferendis, ut inquiunt Jureconſulti, *per ſaltum*, confirmari poſſunt capitulo, *Illud nos*, diſt. 77. daprompto ex Caji apiſtola Iſidoriana atque cap. *In ſingulis gradibus*, eadem diſt. quod eſt Zoſimi in laudata ad Heſychium epiſtola. Canones quoque mandant, ut qui ordinatur in presbyterum aliquo inferiori ordine prætermiſſo, nequeat officium ſuum exercere, niſi prius ſuſcepto ordine, qui prætarmiſſus fuit, ut habetur cap. *Sollicitudo*, diſt. 52. & cap. *Tuæ litteræ*, de Clerico per ſaltum promoto, ſiva in lib. v. Decretal. tit. 29. Adde quæ in Conſtitut. *Etſi paſtoralis*, definivit BENEDICTUS XIV. & quæ ſupra pag. 258. & 263. fuerunt inde producta.

DE VESTIBUS, QUIBUS ORDINATI INDUUNTUR.

Igitur primum clericali tonſura, deinda ſingulis ordinibus gradatim decorantur, qui adſcribuntur Eccleſiaſticæ militiæ. Quibus vero inſtrumentis ordines ſinguli conferantur, ab ipſa clericali tonſura ducens initium, dixi de iiſdem ordinibus ſingillatim pertractans. Verum in ipſa initiationa clericali, ordinumque collatione, quædam alia adhibentur, quæ non ſunt penitus omittenda, & præſertim impoſitio ſacrarum veſtium. Clerici enim poſtquam ab Epiſcopo modo deſcripto cap. 2. attonſi ſunt, *ſuperpelliceo* induuntur, ad commonſtrandum quomodo abſque labe & immunditia vitam agere teneantur, ut in quinto Mediolanenſi Concilio inquit S. Carolus. Hujus indumenti vetuſtas colligi poteſt ex quo Clerici a Patribus ob veſtium ſuperiorum nitorem *candidati* paſſim appellentur, ut demonſtrat multiplici eruditione de Rit. Ordinat. cap. 4. art. 2. Franciſcus Hallier. Gregorius Nazianzenus carmine 12. in ſomnium de Anaſtaſiæ templo ita de cœtu clericorum ait:

Veſtibus in niveis adſtabat turba miniſtra,
Splendorem referens agminis Angelici.

Etſi anim clericorum *ſuperpellicea* vix ad genua nunc pertingant, olim tamen ad illas albæ talaria erant & laxa, prout ex Honorio Auguſtodunenſi, & Stephano Tornacenſi demonſtrat libro 1. Rerum Liturgicarum cap. 24. Joannes S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Bona. Hujus generis veſtem, quam ob anguſtiores manicas barbara, & Anglo-ſaxonica voce dixerunt *Rochetum*, Eminentiſſimus Baronius ad annum 261. num. 45. putat fuiſſe *lacernam birri*, qua martyrium ſubiturus ſe expoliavit beatiſſimus Cyprianus, ut in ejus Paſſiona legitur apud Ruinartium pag. 189. At ambiguum eſſe *Birri* vocabulum, neque hinc poſſe colligi ſacrum aliquod ornamentum, cenſet eo loci Ruinartius, necnon Cangius in Gloſſario, Baluzius in notis ad ejuſdem Paſſionis Acta, & hæretici Joannes Fallus adnot. in vitam Cypriani, & Joſeph Binghamus lib. iv. cap. iv. Originum Eccleſiaſticarum. Subſcripſere tamen Baronio poſt Gavantum viri clariſſimi, Dominicus Georgius de Liturgia Romani Pontif. cap. 2. & Joſeph Catalani in Prolegomenis ad Pontif. Roman. cap. xi. Certe clericos *birro* uſos colligimus ex ſerm. 356. S. P. Auguſtini num. 13. ſed quale indumenti genus ſit, non poteſt illinc apertiſſime inferri. Græci paritar Lectoribus ſuper nigram veſtem imponunt lineum indumentum, quod etiam vocant *καμισιον*, *camiſium*, noſtratium albæ conſimile: de quo plura Morinus p. 2. pag. 215. Ad minores tantum Ordines promoti alio ſacrarum veſtium genere non utuntur.

Subdiaconi autem præter hanc albam cingulo præcinctam, lineumque capitis velamen, quibus priuſquam ordinentur ſeſe induunt, accipiunt in ordinatione parvam tunicam, & manipulum in ſiniſtra manu deferendum loco mappulæ, quam ante ſæculum decimum ad uſum Pontificis ferre conſueverunt. Demonſtrat laudato capite 24. piiſſimus & eruditiſſimus Bona ſubdiaconos tempore S. Gregorii Magni ſola indutos alba miniſtraſſe, quam vero appellant *tunicellam*, ſerius illis fuiſſe conceſſam. Apud Græcos quoque hypodiaconi præter *μανδύλιον*, ita ab antiquiorum manutergio nuncupatum, deferunt *στιχάριον*, *tunicam*, non tamen ad inſtar Latinorum utrimque diſciſſam. De Stichario agit citato in loco Morinus, & in Gloſſario Du-Cangius. Diaconis hujus tunicæ loco imponitur cum orario dalmatica, ſed ante Silveſtri tempora utebantur colobiis, *veſte cucullata ſine manicis*, ut lib. 1. cap. 211. inquit Honorius Auguſtodunenſis. De veſtibus, quibus ornantur ad presbyterium promoti, memini me pertractaſſe poſtremo capite libri xxxiii. Electi ad Epiſcopalem conſecrationem procedentes, præter alia presbyterorum indumenta, tunicam, & dalmaticam ax antiqua conſuetudina induunt, prout conſtat ex epiſtola Zachariæ Pontificis ad Auſtrobertum, ex Vita S. Gregorii Magni conſcripta a Joanne Diacono, atque ex Paræneſi ad Epiſcopos carmine edita a Theodulpho Aurelianenſi, ſecundo Volumine inter Sirmondi Opera. Sumunt quoque alia Pontificalis apparatus inſignia, de quibus præter Alcuinum, Honorium, Amalarium, aliosque veteres, fuſa pertractarunt Bona, Georgius, Catalanius, paullo ſupra commemorati. Hæc Electi in Epiſcopum conſecrandi indumenta non abſque myſtica ſignificatione coloris ſunt albi, canente libro 2. in Acta Apoſtolica Aratore Diacono:

Exodus ille liber memorat velamina ſacri
Pontificis, qua nempe queat ſplendeſcere veſte,
Officiique habitum nitido componere cultu.

Dum Electi conſecratio peragitur, ei dantur *Paſtoralis baculus, anulus, mitra, & chirotheca*. Quid Baculus deſignet, colligitur ea antiquiſſimorum Ritualium benedictiona, necnon ea illius forma, tametſi poſterioribus ſæculis paullulum immutata. In illa quippe benedictione apud Morinum p. 2. pag. 288. hi verſus pronuntiabantur:

Tu baculus noſtræ, & rector per ſæcula vitæ
Iſtum ſanctifica pietatis jure bacillum,
Quo mala ſternantur, quo ſemper recta regantur.

De forma autem Hugo a Sancto Victore in ſpeculo Eccleſ. cap. 6. *Baculus Paſtoralis rectitudine ſui rectum regimen ſignificat; quod autem una pars curva eſt, & altera acuta, monſtrat præeſſe ſubjectis, & debellare ſuperbos: unde dictum eſt,*

Curva trahit mites, pars pungit acuta rebelles.

Et iterum:

Curva trahit quos recta regit, pars ultima pungit.

Et item:

Attrahe per curvum, medio rege, punge per imum.

Mitto pervulgatos verſus Gallice editos apud Cangium Volum. 1. pag. 426. de antais pedis negligentium Antiſtitum. *Anulus* Eccleſiæ ſponſum, *Chirotheca* manuum cuſtodiam, *Mitra* autem bifida jus ſpirituale ac temporale deſignant. Vide præter illos, quos hoc paragrapho laudavi, Honorium, Amalarium, Hugonem, Bonam, ceteroſque de rebus Liturgicis pertractantes, clariſſimum quoque Mabillonium Præfat. 2. in Sæculum iv. Benedict. num. 182. & ſeq.

DE PRESBYTERORUM, ATQUE EPISCOPORUM UNCTIONE.

Apud Latinos presbyteris utraqua manus ſacro catechumenorum oleo, Electis vero manus & caput chriſmate liniuntur, ut dictum eſt alibi. Unctionem hanc in Romana Eccleſia antiquiſſimam eſſe colligitur ex epiſtola 3. S. Paciani Barcinonenſis Epiſcopi ad Sympronianum, ex ſermone viii. S. Leonis Magni de Paſſione Domini, ex libro iv. S. Gregorii Magni in 1. Regum cap. 4. ex Nicolao I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 73. atque ex Innocentio III. cap. unico de S. Unctione, in 1. Decretalium tit. xv. Quidam diſputant, an Græci antiquitus unctionem ipſam adhibuerint: nec deſunt veterum teſtimonia, quibus id comprobari videtur, maxime S. Gregorii Nazianzeni Orat. 5. Auctoris vitæ Chryſoſtomi apud Metaphraſtem, aliorumque affirmantium ſacros Antiſtites *chriſmate deliniri*. Verum id accipiendum eſſe de chriſmate myſtica ſignificationa intellecto, contendunt viri rituum Græcorum peritiſſimi, Arcudius ſcilicet lib. vi. da Sacram. cap. 1. Morinus Exercitat. 6. partis tertiæ, & Habertus obſervat. 1. *ad Homiliam Epiſcopi conſecrati*. Pugnant aa adverſo Hallier da Ritibus Ordinat. cap. 10. & Joannes Caturnſyritus Italogræcus in quadam adverſus Arcudium diſſertatione. Ut ut res ſe habeat, duo extra controverſiam poſita ſunt: unum, ſcilicet, ignorare modo Græcos Orientales ritum unctionis, ut conſtat aa illorum Euchologiis, atque ax Simeona Theſſalonicenſi in parvo libro da Sacramentis ſcribente: *Recte vero non unguntur qui ordinantur, propterea quod nihil materiale agant, ſed omnia ſpiritualia.* καλῶς δὲ οὐ χρίονται οἱ χειροτονούμενοι, ὅτι οὐδὲν ὑλικὸν ἐνεργοῦσι, ἀλλὰ πάντα πνευματικά, tametſi nobis hæc ratio a Theſſalonicenſi producta admodum

Digitized by Google

modum videatur infirma, cum in omnibus Sacramentis *res materialis* ſit poteſtatis ſpiritualis myſticum ſymbolum, quo nec ſacrorum miniſtrorum unctionem carere magna eruditionis copia demonſtrat in Myrothecio III. cap. 51. Fortunatus Scacchus inſtituti noſtri vir celebris. Aliud, quod controverti non debet, eſt ritum Unctionis *ad ſubſtantiam ſacramenti* non pertinere, quicquid contendat Arcudii adverſarius Catumſyritus. Etenim hoc aperte tradunt S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Richardus, Paludanus, aliique omnes Theologi in IV. Sentent. diſt. 24. idemque infertur ex Græcorum ordinationibus, quas minime Latini rejiciunt. Ac tantum abeſt, ut Apoſtolica Sedes ordinationes abſque unctione peractas, tamquam nullas irritaſque proſcripſerit, quod ille Italogræcus magnopere peroptabat; quin potius Romani Pontifices juſſerunt, ut *Epiſcopi Græci in Ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio deſcriptum ſervent*: ita nimirum habetur in ſæpelandata Conſtitutione, *Etſi Paſtoralis*, §. VII. num. 4. Cur denique presbyteris manus, Epiſcopis autem caput quoque inungatur, his verbis explicat Stephanus Eduenſis de Sacramento Altaris cap. 9. *Propterea oleo ſancto manus presbyterorum inunguntur, per quod gratia ſancti Spiritus eis collata ſignificatur, & quod abundent operibus miſericordiæ deſignatur. In his etiam manus ſacerdotis, quæ in figura crucis oleo ſancto ſignantur, conformantur manibus Chriſti, & illud inſigne miraculum & ſaluuſerum, quod inter manus ſacerdotis fieri traditur, hoc manus Chriſti operantur, qui ait, Sine me nihil poteſtis facere: unde cum ipſo, & per ipſum, & in ipſo totum agitur ſacrificium. Unctio Epiſcopi fit in capite, quia ordinantur vicarii illius, qui unctus fuit oleo lætitiæ in plenitudine.* Omitto quæ Theologi quidam recentiores agentes de ſacrarum Ordinationum ritibus exſcripſerunt ex Euchologiis Græcorum, & ex Ritualibus Latinorum, cum illa apud Goarium, & Habertum, hæc vero apud Morinum, Menardum, & Martenium utilius legi queant, nos vero de Sacramento Ordinis ſatis ſuperque dixerimus.

Digitized by Google

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER TRIGESIMUS SEPTIMUS,

In quo pertractatur de ſacramento in lege Evangelica conjugibus gratiam præſtante, videlicet, DE MATRIMONIO.

TAndem aliquando Theologici hujus operis finem attingimus; in quod ſi Ariſtarchus, vel rhinocerontis habens naſum conjiciat oculos, cum non ſimus nos ceteris ſcriptoribus feliciores, offenſurum illum in multa cenſoriis notis digniſſima, minime dubiamus. Vel enim abſtruſiorem, & ſcholaſticis inſolitum dicendi modum, vel argumentorum compactam frigidamque mixtionem, vel circumfluentem externarum rerum copiam, vel nimis productam diſſertationum congeriem, vel doctrinam, ſententiarumque delectum, vel demum hæc omnia carpet, & vellicabit. Ego tamen ab iis, qui litteris diuturnam operam impenderunt, aut inſudarunt conſcribendis edendiſque lucubrationibus, quoniam optime norunt quid laboris, quidve curæ ac ſollicitudinis in his inſumpſerint, expecto potius aliquod ingenitæ humanitatis officium, ſive approbationis illud futurum ſit, ſive benevolentiſſimæ correctionis, quam animadverſionem aliquam aſperrimam, atque acerbiſſimam: aliis vero, qui ad ſcribendum inepti, expeditiſſimi ſunt autem ad urgenda convicia repetam cum Valerio Martiali libro 11. Epigr. 8.

Hæc mala ſunt, ſed tu non meliora facis;

atque ad illorum memoriam revocabo quæ ſcripſit Magnus Hieronymus ad Domnionem: *Non eſt grande, mi Domnion, garrire per angulos, & medicorum tabernas, ac de mundo ferre ſententiam; Hic bene dixit, ille male: iſte ſcripturas novit, ille delirat: iſte loquax, ille infantiſſimus eſt. Ut de omnibus judicet, cujus hoc judicio meruit? Contra quemlibet paſſim in triviis ſtrepere, & congerere maledicta, ſcurrarum eſt, & paratorum ad lites. Moveat manum, figat ſtylum, commoveat ſe, & quidquid poteſt ſcriptis oſtendat.* Sunt præterea, quæ facile obtrectatoribus poſſent reponi, niſi forent hac Hieronymiana ferula caſtigandi. Nam quantum ad ſtylum, verborumque complexum attinet, dando operam ne eſſem omnino barbarus, neque affectarem munditiam leporemque orationis, ex æquo vitare ſtudui cum eos, qui ſcholaſticorum balbutiem canino dente lacerant & convellunt, tum alios, qui concertationes diſputantium commutare vellent in forenſem quamdam elocutionem: & hæc pro adoleſcentibus quidem litteris mandare conſtitui, ſed grammaticam artem callentibus, imbutiſque humanioribus litteris, ac philoſophicis inſtitutionibus, non adhuc a pædagogo, aut a ludimagiſtro Latini ſermonis percipientibus elementa. His autem in dialecticorum palæſtra diutius exercitatis, atque nectendæ omnigenæ argumentationi aſſuetis, quid, obſecro, opus erat ubique proponere ſyllogiſmos, & in his conſtruendis inſiſtere, perſiſtere, oppoſitiones urgere, cum diſputandi peritia uſu potiſſimum comparetur, nec raro in texendis verborum aucupiis, teliſque aranearum verſentur qui exiſtimantur ſubtiliores, a tali quoque textura abhorreant Patres univerſi, atque Græcorum, Latinorumque Philoſophi præſtantiſſimi? At nonne multa ex vario eruditionis genere, necnon ex poetarum carminibus addita ſunt, nullatenus neceſſaria, & fortaſſis ad inanem doctrinæ oſtentationem conquiſita, ut libri ad hanc multitudinem, & molem excreſcerent? Ita quidem, ſed non hoc animi propoſito factum eſt. Videbantur enim mihi divinarum ſcientiarum ſtudia, quæ profanis hominibus ſunt inſipida, ad omnium palatum quodammodo condienda: qua in re imitatus ſum Hieronymum, ubi inſectatur Rufinum & Cteſiphontem, Auguſtinum diſſerentem adverſus Paganos, & contra Julianum acutiſſimum Pelagianorum, Proſperum horum reliquias refutantem, Euſebium ſcribentem de Præparatione Evangelica, Clementem Alexandrinum Stromata colligentem, atque, ut alios prætercam, Paulum doctorem Gentium uſum aliquando verſibus Poetarum. Demonſtrandum quoque erat, non eſſe Theologiam conditionis hujus miſerrimæ, ut incedere debeat expoliata omnibus ornamentis, ſed reginam dominamque, ad quam exornandam, tanquam ancillæ, aliæ ſcientiæ concurrant: ne dicam ineptiſſimum, ac prorſus inutile opus cenſendum eſſe, in quo nihil aliud invenias, quam id, quod repetitum, recoctumque in aliis quampluribus reperitur. Accedit quod ea ſuperflua non ſunt, quæ ad ornatum, & ad ampliorem rerum confirmationem deſerviunt. Ulterius neceſſum non eſt, ut ſingula a ſingulis adhibeantur, ſed modo res una, modo altera videtur eſſe opportunior: ille vero, qui ad ſcribendum appulit animum, debet quantum poteſt omnibus, ac ſemper prodeſſe. Cui itaque lectio faſtidium pariat, hunc liber quicumque noſter iiſdem verbis alloquitur, quibus ſubmoroſum lectorem ſuum M. Valerii Martialis liber decimus,

Si nimius videor, ſeraque coronide longus
Eſſe liber, legito pauca, libellus ero.

Quod ſi adhuc breviores, & compendiarii quærantur, neminem ad ſe noſtri compellunt, ſed illos paſſim indigitant, illud tantum repetentes, quod ſcribit ad Voluſianum ſapientiſſimus Auguſtinus, *Quod ſcriptum habetur, ſemper vacat ad legendum, cum vacat legenti: nec oneroſum fit præſens, quod cum voles ſumitur, cum voles ponitur.* Denique quantum ſpectat ad doctrinam, & ad ſententiarum rationem, inconcuſſa Majorum noſtrorum dogmata propugnavi, omnia ſubjiciens Apoſtolicæ Sedis judicio, & ad veritatem vindicandam, erroreſque refellendos paratiſſimus. Verum dum ſupereſt poſtrema de ſacramento Matrimonii diſſertatio, quid rei eſt, quod me ad finem jam perveniſſe affirmavi, & quænam hæc ad agendum de Conjugiis proluſio? Non abs re penitus: ad litus enim proximi illud ſe tenere arbitrantur; & connubia ad gignendos erudiendoſque filios inſtituta, libros noſtros, qui Platonis teſtimonio *filii ſunt mentis, ac proinde liberis cariores*, amare ſinunt, & fovere ac tueri nos jubent.

CAPUT I.

Sit ne Matrimonium naturali jure præſcriptum, in ſe bonum, honeſtumque, & cadens ſub præcepto.

AGendum eſt itaque in hoc poſtremo libro de ſacramento Matrimonii, quod magnam habet cum ſacra Ordinatione ſimilitudinem, propterea quod utrumque myſterium non tantum ad ſanctificationem ſuſcipientium, quod cujuslibet ſacramenti proprium eſt, verum etiam ad publicum commodum & utilitatem Chriſtianæ reipublicæ ſit inſtitutum, ordo nempe ad conſtitutionem ſacrorum miniſtrorum, qui nos ſacramentis gignunt, roborant, nutriunt, ac ſanant, Matrimonium vero ad copulandos conjuges, qui legitime filios procreare, inſtituere, paſcere, ac regere tenentur. Quare inter Eccleſiam quoque ejuſque præcipuos paſtores intercedit ſpirituale quoddam connubium, cujus gratia paſtores *fidelium Patres*, & *Eccleſiarum Sponſi* appellantur. Poſtquam ergo ſuperiori libro de ſacris Ordinationibus pertractavi, nunc de Matrimonio dicturus ſum; ac principio tradam, quemadmodum feci de ſacramentis ceteris diſſerendo, vocabula illius, atque vim & ſignificationem eorumdem vocabulorum. Quatuor hæc vocabula ſunt, *Matrimonium*, *Nuptiæ*, *Conjugium*, *Connubium*. *Matrimonium dici a matris nomine, non adepta jam, ſed ſpe & omine mox adipiſcendo*, tradunt JCC. apud Briſſonium de verborum ſignific. nec diſſentit S. Pater Auguſtinus lib. xix. contra Fauſtum cap. 26. ſcribens: *Matrimonium quippe ex hoc appellatum eſt, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat.* Appellatur autem *Matrimonium* potius, quam *Patrimonium*, quoniam licet pater ſit ſexu & dignitate præſtantior, matri tamen fetus eſt *ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum laborioſus*, prout ſcribit ad Argentinenſem Epiſcopum Gregorius IX. cap. *Ex litteris*, 11. Decret. tit. 33. n. 2. Quod etiam docuerunt Quintilianus declamat. 338. Juſtinianus l. *Aſſiduis*, C. *Qui potiores*, atque Alcimus Avitus, ubi cecinit:

Semina, quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.

Nuptiæ ita appellatæ ſunt a flammeo, quo caput nubentis obvolvebatur, quod antiqui *obnubere* vocabant, ut inquiunt Feſtus, Varro, aliique. De hoc velamine nuptarum fit etiam mentio in ſacris litteris: nam Rebecca Geneſ. xxiv. 65. conſpecto Iſaac viro ſuo, *tollens cito pallium operuit ſe.* Hinc S. Paulinus, ut dixi lib. xxiv. cap. 8. in Epithalamio Juliani canebat:

Pulcra Rebecca ſacrum cum ſponſa veniret ad Iſac,
Simpliciter velo tecta pudoris erat.

Connubium itidem derivat a *nubere*, & definitur in Pandectis Flor. *Conubium*, non geminato n. *uxoris jure ducendæ facultas*. Cum nuptiæ dicantur a mulieris velamine, connubium exprimit quoque *eſſe cum alio*, unde dicimus, *Nuptias contrahere*, & *connubium habere*, *connubium adimere*. Virgilius Æn. I. ſive Juno Dejopejam deſpondens,

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

Idem fere ſignificat *conjugium*, quaſi duorum, maris ſcilicet ac feminæ ad idem jugum alligatio. Græcis Matrimonium vocatur γάμος a δαμῶ, inquit initio libri VII. Arcudius, *eo quod conjuges domet*: eſt enim δαμῶ idem, ac *domo*: ſed non eſt inuſitatum Græcis etiam verbum γαμίω, ſiquidem apud Plutarchum in Theſeo, quæ fuerat Æneæ conjunx, dicitur ἑτέρῳ γεγαμημένη, *alteri nupta*; & in Lycurgo traditur quoque ejuſdem verbi ſignificatio, γαμίσαι eſt γυναῖκα λαβεῖν, *uxorem ducere*: at de vocabulis hactenus.

Ex his colligi poteſt nihil aliud Matrimonii nomine intelligi, niſi viri ac mulieris perpetuum ac ſacroſanctum vinculum, quod Modeſtinus, aliique Jureconſulti lib. I. de Rit. Nupt. dixere *divini & humani juris communicationem*, Hugo Victorinus lib. I. de Sacram. p. II. cap. 4. *duarum perſonarum conſenſum legitimum*, Magiſter diſt. 27. *viri mulieriſque conjunctionem maritalem*. Definitur propterea in cap. *Illud*, de Præſumptionibus, *Matrimonium eſt maris & feminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. Ex quibus colligitur Matrimonii nomine non intelligi quamcunque maris & feminæ commixtionem, ſed conjunctionem illam, qua gignendæ fovendæque prolis cauſa vir ac mulier nexu indiſſolubili copulantur. Eſt autem Matrimonium ſic acceptum *officium naturæ*, & hominibus ſingulis, qui connubia ineunt, commune, ſive infideles ſint, ſive fideles. Iiſdem connubiis Chriſtus Dominus venerabilium ſacramentorum inſtitutor atque perfector promeruit, alligavitque gratiam, quæ indiſſolubilem illam unitatem confirmaret, naturalem amorem perficeret, conjugeſque ſanctificaret: atque ita quod erat officium naturæ, ad ſacramenti dignitatem evexit. Hac ratione communiter definitur, *Matrimonium eſt ſacramentum novæ legis, in quo vir & mulier per conjunctionem maritalem individuam vitæ conſuetudinem legitime ineunt*.

Negant Matrimonium eſſe novæ legis ſacramentum Lutherus in libro de Captiv. Babylon. Calvinus lib. IV. Inſtitut. cap. 19. n. 34. Chemnitius 2. p. Examinis Conc. Trid. aliique Novatores: quos priuſquam exagitemus, operæ pretium eſt refutare inſaniam Simonis Magi, Saturnini, Hydroparaſtatarum, Tatiani, Marcionis, Manichæorum, & Priſcillianiſtarum, qui non tantum denegarunt Matrimonio ſacramenti conditionem, ſed ulterius illud appellaverunt *opus diaboli*, *ſcortationem*, & *impudicitiæ negotium*, aſſerentes non a Deo, ſed a ſatana nuptias fuiſſe introductas. Oſtendam igitur adverſus horum deliramenta, quatenus nuptiæ hominumque connubia conveniant legi naturæ, atque a Deo bonorum omnium auctore ſint inſtitutæ, & quomodo etiam potuerint, ac poſſint etiamnum aliquibus præcipi & inculcari.

PROP. I. Matrimonium naturali & divinæ legi conſentaneum eſt.

Demonſtratur quantum pertinet ad jus naturale: Quicquid enim ſpectat ad naturæ conſervationem, perfectionem atque propagationem, id juri naturali cohæret. Hujuſmodi eſt Matrimonium, quod generationis, nutritionis, & educationis gratia fuit inſtitutum. Igitur Matrimonium juri naturali cohærens eſt. Præterea conſtat inter hominem & bruta animalia hoc intereſſe diſcrimen, quod hæc propagatione quidem egent & nutritione, at non inſtitutione morum, & informatione virtutum, quod exigit longum contubernium & diuturnam vitæ converſationem. Ut ergo mares & famellæ brutorum animantium naturæ inſtinctu congrediuntur, & ſi id poſtulet ſpeciei ſuæ ratio, ſimul quoque partubus nutriendis incumbunt, at poſtea quæ genuerunt, & quæ genita fuerunt bruta, abſque conſortio vitam agunt, quoniam ratione carentes non reguntur alterius animantis eodem genere procreati poteſtate & conſilio: ita hominum connubia, cum hi ratione polleant, & dominii ac regiminis ſint capaces, ac inſuper non unientur ſolius naturæ inſtinctu, ſed & benevolentia, libertate, & communium liberorum cauſa; perpetuo nexu, & indiſſolubili vinculo erant conſtituenda. Atque hinc Deus mulierem *ex una ex coſtis* Adæ fabricavit, ut ſeſe mutua benevolentia, & conjugio indiſſolubili complecterentur: quod percepit ipſemet Adam dicens de uxore ſua Gen. II. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. In quem locum Claudius Marius Victor:

Ex homine effecta eſt mulier, cognatio quædam,
Mutuum & æternum inter ſe ut miſceret amorem.
Hinc Evam partem eſſe ſui mox protinus Adam
Senſit ut exultans, tetigit nova gratia mentem,
Ut jam ſcire daret quod conjunx eſſet & uxor,
Quid dulces nati, poſtponendique parentes
Conjugibus, quidnam una ambos in carne manere,
Æternam pariter vitam ducentibus eſſet.

Denique nonniſi a naturali lege cuique indita proficiſcuntur quæcunque nationibus omnibus communia ſunt: atque hujuſmodi eſſe Matrimonium nullus ignorat: Hinc Iſidorus apud Gratianum diſt. I. definiens Jus naturale inquit: *Jus naturale eſt illud, quod eſt commune omnium nationum, eo quod ubique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habetur, ut viri & feminæ conjunctio, liberorum ſuſceptio & educatio*. Hanc naturæ legem confirmatam fuiſſe inſtitutione divina conſtat ex primorum hominum formatione, atque ex verbis Adæ paullo ſupra productis: cumque viri mulieriſque concubitus poſt prævaricationem evenerit, *Nonne*, inquit Chryſoſtomus Homilia XV. in Geneſ. pag. nov. edit. 110. *Nonne perſpicuum eſt, quod propheticæ gratiæ particeps exiſtens hæc videbat ſpiritualibus oculis?* ἢ δῆλον ὅτι προφητικοῦ χαρίσματος μετέχων πρὸ τῆς παρακοῆς γέγονε ταῦτα ἑώρα τοῖς πνευματικοῖς ὀφθαλμοῖς; Tridentinum pariter Concilium initio ſeſſ. XXIV. *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.* Hanc ipſam Matrimonii inſtitutionem naturali divinæque legi congruentem confirmavit Chriſtus Dominus Matth. XIX. 4. 5.

PROP. II. Matrimonium licita atque honeſta res eſt.

Enimvero quicquid naturali ac divina lege eſt inſtitutum, bonum & licitum eſt. Matrimonium inſtitutum fuit lege naturali, ac divina, ut nuper diximus. Igitur Matrimonium bonum & licitum eſt. Deinde adverſus antiquos hæreticos, qui vetus Teſtamentum rejiciebant, demonſtratur propoſitio auctoritate Teſtamenti novi. Ac primum Chriſtus Dominus loco cit. Matth. *Non legiſtis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos; & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una? Jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet*. Idem Dominus Joann. II. nuptiis voluit adeſſe: idque animadvertens ſapientiſſimus Auguſtinus Tract. IX. in Joannem n. 2. ait: *Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta myſtica ſignificatione, confirmare voluit quod ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apoſtolus, prohibentes nubere; & dicentes quod malum eſſent nuptiæ, & quod diabolus eas feciſſet*. Apoſtolus item in I. ad Corinthios cap. VII. 3. inquit: *Uxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro*: & verſu 10. *Iis autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere*: verſu 27. *Alligatus es uxori? Noli quærere ſolutionem*. 28. *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti*. 38. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit*. Ad Hebræos denique XIII. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*.

Probatur 2. Traditione Patrum. Clemens enim Alexandrinus lib. III. Strom. pag. 470. ſcribit de Tatianis, ſive Encratitis: *Jam vero volunt, viri cum uxore in matrimonio conſuetudinem, quæ dicta eſt cognitio, eſſe peccatum: eam enim ſignificari ex eſu ligni boni & mali per ſignificationem hujus vocabuli Cognovit, ſignificantem mandati tranſgreſſionem. Si autem hoc ita eſt, veritatis quoque cognitio eſt eſus ligni vitæ. Poteſt ergo honeſtum & moderatum matrimonium illius quoque ligni eſſe particeps*. Ac libro proximo pag. 497. matrimonium commendat ex præcitatis, aliiſque Apoſtoli verbis: immo & ex Euripide ubi ait,

οὐ μὲν γὰρ κρεῖσσον, ἢ ἄμεινον
Η῎ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν, οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.

ſcilicet,

Nil melius, nil eſt præſtantius uſquam,
Concordes quam cum in tecto verſantur eodem
Vir ſimul & mulier.

Tertullianus non ſemel demonſtret rectitudinem nuptiarum; ſed præſertim libro I. contra Marcionem cap. 29. ubi etiam objicientes aliquorum conjugatorum intemperantiam refellit hac obvia ſimilitudine: *Non ideo autem & cibi damnabuntur, quia operoſius exquiſiti in gulam committunt; ut nec veſtitus ideo accuſabuntur, quia pretioſius comparati in ambitionem tumeſcunt. Sic nec matrimonii res ideo deſpuentur, quia intemperantius diffuſæ in luxuriam inardeſcunt*. Utitur ibidem alia comparatione, ut diluat oppoſitionem alteram, quam Marcionitæ petebant ex verbis Apoſtoli I. ad Corinth. VII. 29. *Supereſt, ut qui habent uxores, tanquam non habentes ſint*, atque ita Tertullianus proſequitur: *Non tamen ut accuſanda caditur ſylva, nec ut damnanda ſecatur ſeges, ſed ut tempori ſuo parens. Sic & connubii res non ut mala ſecuram & falcem admittit ſanctitatis, ſed ut matura defungi, & ipſi ſanctitati reſervata, cui cedendo præſtat & aſſit. Unde jam dicam Deum Marcionis, cum matrimonium ut malum & impudicitiæ negotium reprobat, adverſus ipſam facere ſanctitatem, cui videtur ſtudere; materiam enim ejus eradit. Quia ſi nuptiæ non erunt, ſanctitas nulla eſt*. Denique S. P. Auguſtinus (addam enim quædam alia teſtimonia Pa-

trum

trum capite proximo) lib. 1. de Nuptiis & concupiſc. cap. 4. *Copulatio*, inquit, *maris & feminæ generandi cauſa bonum eſt naturale nuptiarum*: & cap. 17. *In nuptiis nuptialia bona diligantur, proles, fides, ſacramentum; ſed proles non ut naſcatur tantum, verum etiam & renaſcatur: naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam*. Occurrunt in eodem opere hujus generis innumera. Vide & librum de Bono conjugali cap. 7. de Hæreſibus ad Quodvultdeum num. 25. 31. & 70. contra duas Epiſtolas Pelag. lib. 1. cap. 5. necnon in Evangelium Joannis, & contra Fauſtum Manichæum præcitatis in locis.

Oppones: Matrimonium rem eſſe illicitam plura novi Teſtamenti loca, necnon Theologicæ rationes commonſtrant. Lucæ enim XIV. 20. quidam invitatus ad cœnam Patrisfamilias reſpondit: *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire*. Eſt ergo matrimonium impedimentum ad cæleſtem gloriam, cujus cœna illa myſticum erat ſymbolum. Deinde Apoſtolus ad Romanos VIII. 8. ait: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*; itemque ad Galatas VI. 8. *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem*. Noxia itaque ſunt connubia, quæ exercent carnalia opera, execrabilia Deo, & corruptionis origines. Rurſus ubi venia eſt, ibi eſt culpa, ut docet etiam Auguſtinus de peccat. originali cap. 38. & de Bono conjugali cap. 10. At per Apoſtolum in 1. ad Corinth. VII. 6. matrimonium ſecundum indulgentiam, ſeu veniam conceditur; inquit enim ille: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*: Inſuper matrimonium multiplici titulo adverſatur rationi: primumquidem, quoniam matrimonio conjugati ut plurimum vehementi libidine ardeſcunt, ideoque illis nuptiæ ſunt occaſio peccandi. Secundo iidem conjuges, utut ſint continentes ac temperati, non tamen abſque libidine conjugii opus exercent. Tertio nuptiæ ſunt cauſa originalis peccati, quod contrahitur generatione carnali; & conſequenter aut malæ ſunt, ut ajebant Manichæi & Encratitæ, aut Adæ poſteri non contrahunt originale peccatum, prout Pelagius & Cæleſtius dogmatizabant. Quarto, ſi matrimonium in hoc ſtatu ineundum eſt in remedium incontinentiæ, qui illo ſic utuntur, ſaltem *venialiter* peccant, quum ipſam incontinentiam expleant, ac ſaturent. Tandem quod purificatione expiabatur in lege veteri, nequit eſſe omnino innoxium, atque inculpatum. Hujuſmodi autem fuiſſe tum puerperium, tum σπέρματος deciſionem apparet ex cap. 12. & 15. Levitici.

Reſp. ad 1. ſæpenumero conjugatos propter nimiam uxoris, domeſticæ rei, filiorumque ſolicitudinem abſtrahi a rerum cæleſtium cura; *Qui enim cum uxore eſt*, ut verbis utar Apoſtoli in 1. ad Corinth. VII. 33. *ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori*: quod utique non connubii vitium eſt, ſed conjugatorum. Atque hoc tantum innuit parabola apud Lucam deſcripta, prout conſtat ex comparatione aliorum, qui cœnam patrisfamilias contempſerunt; ejus ſcilicet qui *villam*, & alterius qui *boum juga* emit: in quibus non rerum emptarum poſſeſſio, ſed cupiditas immoderata reprehenditur. Auguſtinus præterea ſerm. 112. num. 6. animadvertit in ea parabula *uxoris* nomine intelligi intemperantiam & voluptatem illorum, qui carnalibus tantum deliciis jucundantur, dicentes, *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*. Ad 2. reſpondeo cum eodem Auguſtino lib. 2. de peccatorum meritis & remiſ. cap. 28. conjugatos fideles, *qui ex eo quod ſunt in Chriſti novitate, dominari ſibi libidinem minime patiuntur*, non eſſe illos, qui ſecundum Apoſtolum ſunt *in carne*, & vivunt ſecundum carnem, ſiquidem eo loci de iis, *qui ipſa carne corruptibili beneutuntur*, inquit Apoſtolus, *Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu*. Quod ſequitur ex Epiſtola ad Galatas dilucide explicatur a magno Chryſoſtomo in eumdem locum, *Quemadmodum enim in ſemente qui ſeminat, non poteſt ex hordeo metere triticum, eo quod oporteat & ſementem & meſſem ejuſdem eſſe generis: ſic & in operibus, qui in carne depoſuerit delicias, temulentiam, concupiſcentiam abſurdam* (ἐπιθυμίαν ἄτοπον) *quæ hinc proveniunt, metet. Quæ autem ſunt iſta? Supplicium, ultio, probrum, deriſio, corruptio*. Adde cum Hieronymo in eamdem epiſtolam ad Galatas, ſicut dicimus eos, qui ſive manducent, ſive bibant, ſive dormiant, in nomine tamen Domini omnia cum ratione perficiunt, ſeminare *in ſpiritu*, non *in carne*; ita aſſerendum eſt, *in ſpiritu*, non in *carne* illos quoque ſeminare, qui cum ratione ſequuntur & impleot primam illam divinamque inſtitutionem, *Creſcite & multiplicamini*. Illud vero, quod objicitur ex 1. ad Corinthios VII. ſolvitur ab Auguſtino ſerm. 51. cap. 13. ubi S. Pater ait *indulgentiam* quidem, & veniam eſſe in iis, qui propter incontinentiam, non autem propter generationem filiorum ineunt connubia, & utuntur uxoribus: qui etſi permittuntur ob intemperantiam uti conjugio, ne invicem continendo irruant in adulteria; tamen committunt peccatum aliquod, *etſi veniale*, dum amplius, quam liberorum procreandorum neceſſitas cogit, exigunt a conjuge debitum. Quamvis enim conjugii actus exerceri non poſſit *ſine aliqua per carnem delectatione*; nihilominus non hi, tum actus alii, qui ad humanam vitam hujuſque ſuſtentationem pertinent, culpa omnino non carent, ſi fiant *non propter officium vitæ, ſed propter ſervitutem concupiſcentiæ*. Hæc ſententia Auguſtini propugnatur a Noriſio in Vindiciis cap. 3. §. 4. 8. & reſponſio noſtra ceteris præfertur ab Eſtio in IV. diſt. 26. §. 4. ad 1. Sunt qui reſpondent idem eſſe apud Paulum, *ſecundum indulgentiam*, ac, *ſecundum monitum, ſeu conſilium*, eo quod in nonnullis Græcis codicibus, teſte Eraſmo, legatur, κατὰ γνώμην, *juxta ſententiam*. Verum ita quidem legitur verſu ultimo ejuſdem capitis, ubi Apoſtolus repetit ſuum de continentia ſervanda, & de virginitate cuſtodienda conſilium: ſed verſu 6. ait, κατὰ συγγνώμην, quod proprie ſignificat *veniam*, prout legunt etiam Cyprianus, Auguſtinus, aliique Patres. Conſtat inſuper attente hunc locum legenti, Pauli verba non *conſilium* ſignificare, ſed *permiſſionem*; cum ibidem indulgeat conjugibus, ut poſt orationem revertantur ad maritales amplexus *propter incontinentiam*, ne alioqui ſatanas illos ad deteriora ſollicitet, neque irruant in adulteria, ſive in turpitudines alias. Atque hæc de locis ſcripturarum, quæ paullo ante objiciebantur.

Quæ innitebantur rationi, facilius diluuntur. Ad primum quippe dicimus, in iis, qui ardent vehementiori libidinis æſtu, nuptias potius eſſe repagulum, ne in fornicationes & impudicitias alias mortifera culpa labantur, quam explendæ effrenis cupiditatis incentivum: & ſi aliquis non cohibens intemperantiam muliere ſibi nupta abutatur, id non honeſtati nuptiarum, ſed incontinentiæ conjugum eſſe adſcribendum. Ad alterum dicimus aliud eſſe uti conjugio cum delectatione carnali, *propter officium vitæ*, aliud id agere *propter ſervitutem concupiſcentiæ*: illud vero, non illud proprium eſt nuptiarum, ideoque libido quæ comitatur conjugii actum, niſi ſit finis concubitus, eumque tantummodo inhiant conjuges, non imputatur ad culpam: quemadmodum criminoſum non eſt manducare, & bibere cum aliqua delectatione, ſed voraciter ſolius delectationis cauſa ad manducandum, & bibendum irruere. Loquar apertius cum Auguſtino: Etiam a continentibus exercetur cum libidine opus conjugii; *cum libidine ſerviente*, concedo; *cum libidine ſubjugante*, nego: *Conjugalis concubitus* (inquit S. P. de Nuptiis & Concup. lib. 1. cap. 12. num. 13.) *qui fit intentione generandi, non eſt peccatum; quia bona voluntas animi ſequentem ducit, non ducentem ſequitur corporis voluptatem: nec humanum arbitrium trahitur ſubjugante peccato, cum juſte redigitur in uſum generandi plaga peccati*. Ad 3. reſponſum fuit Vol. 2. pag. 9. ubi cum eodem Auguſtino diximus nuptias ad generationem tantum & ad propagationem humanæ naturæ fuiſſe inſtitutas, ideoque nuptiarum finem bonum eſſe. Quod ſi generatione contrahitur originale peccatum, hujus cauſa non ſunt nuptiæ, ſed eſt voluntaria tranſgreſſio primi hominis. Vide prælaudatam paginam nonam, & Auguſtini teſtimonia ibidem producta. Quod ſequitur, ex dictis ſolutum eſt, ſiquidem finis nuptiarum non eſt incontinentia, ſed procreatio filiorum; tametſi incontinentia conjugatorum habet *veniam* aliquam, atque *indulgentiam*. Ad ultimum reſpondet ſapientiſſimus Auguſtinus libro de Bono conjugali cap. XX. num. 23. in veteri lege multa fuiſſe ſacramenta & umbras futurorum, & in ſemine, *quod eſt quædam materialis informitas*, ſignificatam fuiſſe *vitam informem & ineruditam, quam oporteat doctrina formæ, & eruditione mundari*; atque in hujus rei ſignum purificationem præceptam fuiſſe *poſt ſeminis emiſſionem*. Addit S. Pater male inferri ex antiquis purificationibus peccatum; nam præcipiebat legis vetuſtas homines expiari, etiamſi emiſſio ſeminis abſque pravo deſiderio contigiſſet in ſomnis: idem ſtatuebat de ſolutis feminarum καταμηνίοις, & de contactu, ac ſepultura mortuorum, quæ utique non ſunt peccata. Ait etiam Auguſtinus potuiſſe in concubitu inveniri aliquid vitii, quod purificatione expiaretur, ſi nempe fuiſſet ille, *qui ſecundum veniam conceditur*.

PROPOSITIO III. Matrimonium cadit ratione aliqua ſub præcepto, non tamen ejus generis, quod poſſit in Evangelica lege aliquem in particulari obligare.

Ut hæc propoſitio ſimul explicetur, ac demonſtretur, varii hominum ſtatus, & varia perſonarum genera ſunt diſtinguenda. Itaque in mundi exordio, quando multiplicandum erat humanum genus, tenebantur omnes ad conjugia ineunda, donec homines ad certum aliquem numerum pervenirent. Id permulti Theologorum demonſtrant ex verbis illis Geneſ. 1. 28. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*; quibus ineſſe vim præcepti exiſtimant Richardus, Gabriel, Durandus, Argentinas, aliique ſcholaſtici in IV. diſt. 26. At ea verba continere potius benedictionem conjugum, & auſpicium quoddam, & munus fecunditatis cenſent alii complures, inter quos Eſtius in citata diſt. §. 2. Sylvius in quæſt. 41. Supplem. art. 2. Baſilius noſter libro 1. de Matrim. cap. 4. num. 4. & alii ab eodem viro doctiſſimo laudati. Et revera eadem verba beſtiis quoque dicta fuere, quæ tamen non ſunt ullius præcepti capaces. Hujus ergo aſſertionis veriſſima & communis ratio eſt, quoniam, ut diximus prop. 1. præceptum conſervandi, & propagandi genus humanum oritur ex ipſo jure naturæ: ſi autem quando homines pauciſſimi erant, non ligati fuiſſent præcepto conjugii; non ſatis proſpe-

Digitized by Google

proſpectum fuiſſet humani generis conſervationi & propagationi. Hinc Auguſtinus de Bono Conjugali cap. 9. n. 9. inquit: *Primis temporibus generis humani, maxime propter Dei populum propagandum, per quem & prophetaretur, & naſceretur princeps & Salvator omnium populorum, uti debuerunt ſancti iſti, non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario bono nuptiarum*. II. Idem affirmandum eſt de tempore, quod proxime conſecutum eſt univerſale diluvium: quo proinde tempore Dominus Geneſ. IX. 1. iterum hominibus benedixit illa futuræ propagationis promiſſione, *Creſcite, & multiplicamini*. III. Haud aliter ſentiendum eſt de populo Dei, cum adhuc exiguo eſſet numero, & Deus non tantum filios hominum, verum etiam ſui cultum, religionemque propagare decreviſſet: unde præcitatus Auguſtinus in libro de Bono Viduitatis cap. VII. n. 10. ſcribit: *Alia quippe Propheticis temporibus ſanctarum feminarum diſpenſatio fuit, quas nubere obedientia, non concupiſcentia compellebat, ut propagaretur populus Dei, in quo præmitterentur prophetæ Chriſti, cum & ipſe populus, per ea quæ in figura contingebant in illis, ſive in iis, qui ſcirent, ſive in iis, qui illa neſcirent, nihil illud eſſet quam propheta Chriſti, ex quo naſceretur etiam caro Chriſti. Ut ergo ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis ſententiam, qui non ſuſcitaret ſemen in Iſrael*. IV. Sufficienter propagato populo Dei, non amplius tenebantur ſinguli, ut inquit Eſtius, ad matrimonium contrahendum: quod citato §. 2. probat vir doctus exemplo Joſue, Eliæ, Jeremiæ, aliorumque, qui tempore Moſaicæ legis cœlibem caſtiſſimamque vitam duxere. Atque hinc infertur, ea quæ leguntur Exodi XXIII. 26. *Non erit infecunda, nec ſterilis in terra tua*, aliaque id genus, eſſe promiſſionem fecunditatis, non præceptum conjugii. Adde beatiſſimam Virginem Mariam jam Deo dicatam, priuſquam de concipiendo Chriſto audiſſet, *ſe voviſſe virginem*, ut cum Auguſtino in lib. de ſancta Virginitate cap. 4. tradunt alii Patres. V. Inſtituta lege Evangelica non urget idem matrimonii præceptum, nec obligat quemquam in particulari. Probatur 1. ex Evangelio Matth. XIX. 12. ubi Chriſtus continentiam commendans inquit: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat*. Deinde ex Apoſtolo, qui in 1. ad Corinth. VII. 38. virginitatem præferens matrimonio, ait: *Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit & qui non jungit, melius facit*: inſuper ex Auguſtino, aliiſque Patribus ſummopere virginitatem commendantibus, nam ſanctus Pater de laudibus virginitatis integrum librum conſcripſit. Ambroſius de eodem argumento tres libros miſit ad Marcellinam ſororem ſuam. Nazianzenus edidit in laudem virginitatis egregium carmen; atque in illam omnes alii Patres commendaverunt. Ulterius idem probatur ex ratione, quam inſinuat S. P. Auguſtinus de Bono Conjugali poſt verba ſuperius exſcripta, ubi ait: *Nunc vero cum ad ineundam ſanctam & ſinceram ſocietatem undique ex omnibus gentibus copia ſpiritalis cognationis exuberet, etiam propter ſolos filios connubia copulare cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utantur admonendi ſunt*. VI. An vero ſi nunc ad tam exiguum numerum reducerentur homines, ut niſi qui vivunt connubia jungerent, timeri poſſet exitium humani generis, teneatur quilibet generationi vacare, non videntur Theologi conſentire. In eo quippe caſu quoslibet obligari ad matrimonium cenſet S. Thomas, eoque magiſtro idem ſentiunt complures alii; propterea quod matrimonium eſt de jure naturæ, quantum attinet ad communem hominum cœtum, cujus propagationi in tali hypotheſi minime conſuleretur, niſi ſinguli uxorem ducerent, ut paullo ſupra diximus de mundi exordio. Lectione etiam 1. in caput VII. epiſtolæ 1. ad Corinthios Doctor Angelicus ait, non poſſe a tota hominum multitudine caſtitatem ſervari, ne impediatur numerus electorum; id enim foret *contra diſpoſitionem divinam*. Alii e contra exiſtimant in hoc Evangelicæ legis ſtatu, jam ſatis propagata, & reſtaurata hominum ſpecie, neminem, quovis urgente caſu, tametſi pauciſſimi eſſent homines, & qui viverent, vellent cuſtodire virginitatem, neminem, inquam, obſtringendum ad ineundum conjugium. Ajunt enim illud juris naturæ præceptum, poſteaquam ceſſavit finis, non amplius urgere: Apoſtolum 1. Corinth. VII. 7. vehementer peroptare, ut omnes eſſent, ſicut erat ille, ſoluti a vinculo matrimonii: Auguſtinum citato libro de Bono conjugali cap. X. adverſus eos, qui obmurmurant periturum humanum genus, ſi omnes vellent ab uxoribus abſtinere, hæc juxta eadem Pauli vota proferre: *Utinam omnes hoc vellent dumtaxat in caritate de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta: multo citius Dei civitas compleretur*. Hi ergo inquiunt Doctorem Angelicum conſideraſſe rerum ordinem, & quod naturæ univerſim ſpectatæ conveniens eſt: Auguſtinum autem parentem noſtrum potius in id animum intendiſſe, quod exiſtimandum foret in illa hypotheſi hominum pauciſſimorum, horumque in vita cœlibe permanentium; credendum nempe tunc finem mundi adventurum, & prædeſtinatorum numerum eſſe completum. VII. eadem eſt ratio alterius hypotheſis, ſi perirent ſæculares omnes, ac viri tantum religioſi, & voto caſtitatis obſtricti efficerentur ſuperſtites: quo in caſu teneri iſtos ad uxorem ducendam aſſeruit Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimon. diſp. 3. n. 5. Sed Baſilius Poncius lib. 1. cap. 2. n. 11. affirmavit ſe potius in tali rerum eventu exiſtimaturum, inſtare jam mundi finem, & numerum cæleſtium civium quamprimum fore perficiendum. Atque hæc eximii Theologi aſſertio votis, verbiſque Auguſtini cohæret maxime. VIII. Quum opponenti Joviniano periturum mundum, ſi e conjugio omnes homines abſtinerent, dederit Magnus Hieronymus gravem hanc reſponſionem, *Noli metuere, ne omnes virgines fiant. Difficilis eſt virginitas, & ideo rara, quia difficilis*: in ea hypotheſi, in qua omnes ſervare vellent virginitatem, jure meritoque ſupponeretur peculiaris Dei providentia, & ſingularis gratiæ inſpiratio, quæ in omnibus cohiberet, & frenaret carnis concupiſcentiam: atque in hac ampliori virtutum ſegete recte ſperaretur adfuturam quamcitius corporum reſurrectionem, & conſummatam Electorum omnium beatitudinem. Id vero confirmat Baſilii noſtri ſententiam: quam non ſolum Vanroy in hoc Tractatu cap. 2. quæſt. 2. verum etiam Sylvius in quæſt. 41. Supplem. art. 2. concl. 2. ad 5. aliique eximii Theologi comprobarunt. IX. Tenentur ad nuptias, qui propoſitum continentiæ ſervare non valent, dicente Apoſtolo in ſæpe laudato cap. 7. Epiſtolæ 1. ad Corinth. *Melius eſt nubere, quam uri*; necnon viri principes, ſi matrimonio exitium reipublicæ, & fidei Chriſtianæ maximum detrimentum, alias irreparabile, poſſint avertere. X. Ex quo demum in lege Evangelica virginitas præferatur matrimonio, & hoc non obliget aliquem, ſaltem in particulari, nequit inferri nuptias eſſe malas & pernicioſas; quum unum bonum ſit alio præſtantius: ac matrimonium commoda habeat plurima, illudque præſertim, quod in carmine in laudem virginitatis deſcribit S. Gregorius Nazianzenus his verbis:

Non confuſa Deus permiſit corpora jungi,
Concubituque vago; ſed frenum injecit amori
Conjugium, carni temere, immodiceque vaganti
Vincula: ne petulans, atque effrenata libido,
Nobis inter nos nullo diſcrimine junctis,
Ex libito coitu, thalami nec lege jugata,
Rumperet humani generis conſortia ſacra,
Ac temere, indomitaque ruens incerta voluptas
Innumeras turbas, atque horrida bella moveret:

quæ Nazianzeni verba doctrinam præcedentium propoſitionum confirmant.

CAPUT II.

Oſtenditur Matrimonium in lege Evangelica fuiſſe ad ſacramenti dignitatem evectum.

S*Acramenti* vocabulum nunc accipi pro quolibet ſigno rei ſacræ, nunc vero preſſius pro tali ſigno, quod efficacitate ſua ſanctificantem gratiam producit, dictum eſt initio hujus *de ſacramentis* Operis, libro nempe triceſimo cap. 1. Sententia Catholicorum eſt rationem ſacramenti utroque pacto competere matrimonio: primo quidem, quoniam matrimonium ex divina inſtitutione ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia; alio autem modo, quoniam in Evangelica lege annexam habet promiſſionem, & vim effectricem gratiæ: & cum utrunque negent hæretici, ut undequaque Matrimonium e numero ſacramentorum diſpungant, illos proximis poſitionibus refutabimus.

PROP. I. Matrimonium ex divina inſtitutione eſt ſignum rei ſacræ.

Id enim Apoſtolus Paulus, omneſque Patres tradiderunt. Nam Apoſtolus ad Epheſios V. 32. exhortans conjuges ad mutuam dilectionem, ex quo, ut habetur Geneſ. II. 24. ſint duo in carne una, ac nemo carnem ſuam odio habeat, ſed nutriat foveatque illam, inquit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Cujus argumenti hæc vis eſt, a nullo viro conjunctam ſibi uxorem eſſe derelinquendam aut contemnendam, quoniam & Chriſtus nunquam deſerit, nec odio proſequitur, ſed quammaxime diligit Eccleſiam ſibi fide & caritate deſponſatam; cujus deſponſationis matrimonium eſt, fuitque a primo Adami & Evæ conjugio, typus ac ſymbolum. Non alio ſenſu Patres illa Apoſtoli verba acceperunt: Chryſoſtomus enim hom. XX. in Epiſtolam ad Epheſios exponens eadem verba, inquit: *Quid eſt magnum myſterium? Ipſe dicit quod magnum quid & admirabile ſignificavit Moyſes, immo vero Deus. Interim autem dicit, In Chriſto dico, quoniam & ipſe dimiſſo patre deſcendit & venit ad ſponſam, & factus eſt in ſpiritum unum*. Eadem fere ſcribit in eumdem locum Hieronymus, narrans idem ſecum ſenſiſſe virum valde eloquentem, & in ſcripturis apprime eruditum S. Gregorium Nazianzenum, cum quo de hoc loco tractavit. Addit non immerito appellari ab Apoſtolo *ſacramentum magnum*, quod *ineffabilibus plenum ſit ſacramentis, & divinum cor quærat interpretis*: Dominum noſtrum ac Salvatorem reliquiſſe Patrem ſuum Deum, & matrem ſuam cæleſtem Jeruſalem, ut veniret ad terras propter ſuum corpus Eccleſiam, & de ſuo eam latere fabricaretur. S. P. Auguſtinus Enarrat. 2. in Pſal. XXX. num. 4. eadem Apoſtoli verba exponit de Incarna-

tione

tiona divini Verbi, præfigurata in matrimonio, *quia ex ſponſo, & ſponſa ſit una quadam perſona*: & de peccato Originali cap. XXXIV. num. 39. inter cetera conjugii bona enumerat *connubii ſacramentum*, expreſſum illis verbis, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Vide Auguſtinum lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 24. lib. 12. contra Fauſtum cap. 8. lib. lxv. q. 46. &c. Horum aliorumque Patrum ſententiam eloquenter complexus eſt Alcimus Avitus, ubi de formatione Evæ ejuſque conjugio cecinit:

Tunc vero cunctis coſtarum ex oſſibus unam
Subducit lævo lateri, carnemque reponit.
Erigitur pulcro genialis forma decore,
Inque novum ſubito procedit femina cultum,
Quam Deus æterna conjungens lege marito,
Conjugii penſat fructu diſpendia membri:
Iſtius indicium ſomni mors illa ſecuta eſt,
Sponte ſua ſubiit ſumpto quam corpore Chriſtus:
Qui cum paſſurus ligni ſublimis in alto
Penderet, nexuſque & culpas penderet orbis;
In latus extenſi defixit miſſile lictor,
Protinus exiliens fluxit cum ſanguine lympha:
Quæ vivum populis jam tunc ſpondente lavacrum,
Fluxit martyrium ſimul & baptiſmatis unda:
Inde reſurgenti, cæleſtiaque aſtra petenti,
De lateris membro ſurgens Eccleſia nupſit.

Hæc in libro de Origine mundi Viennenſis Antiſtes.

Reſpondent hæretici non conjugium viri cum muliere, ſed conjunctionem Chriſti cum Eccleſia dici *ſacramentum*; aut, ſi etiam conjugio priorum parentum ſacramenti nomen attribuendum ſit, id minime convenire connubiis poſterorum, inter quos multi ſunt infideles, qui cum nuptias diſſolvant, & admittant *polygamiam*, nequeunt conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſuis in matrimoniis ſignificare. Adde, quum primum conjugia ſunt inſtituta, nondum fuiſſe peccatum, ad quod diluendum adventurus erat Redemptor.

Sed hæc ex dictis facillime corruunt. Enimvero *Incarnatio* Chriſti myſterium quidem eſt maximum; ſed hinc non infertur ejuſdem myſterii ſignum non præceſſiſſe in Adami conjugio. Præceſſiſſe enim aperta innuunt ea Pauli verba: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, ſive ut Græci legunt, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Quo in loco advertendum eſt pronomen τοῦτο referendum eſſe ad illud, quod proxime præceſſerat, nempe, *Propter hoc relinquet homo*, &c. & Græcam illam ſyntaxim, *In Chriſtum & in Eccleſiam* commonſtrare, quod Chriſti & Eccleſiæ unio ſit terminus myſticæ ſignificationis matrimonii, prout docent Patres. Ad id vero, quod ſequitur, dicimus quod etſi in Adamo & Eva plura ſigna Chriſti præceſſerunt, quæ in connubiis ſingulis non apparent, cujuſmodi ſunt dormitio viri, unius ex coſtis extractio, & excitatio dormientis a ſomno, quæ Chriſti mortem, inſtitutionem Eccleſiæ, & Domini reſurrectionem præfigurabant; quod tamen ſpectat ad illius & Eccleſiæ conjunctionem, in ſingulis conjugiis recte inſtitutis ſignificatur; quum in omnibus impleatur illud Adæ, *Adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Atque hinc infertur quomodo infidelium matrimonia ſint ſacramentum, ut docet Innocentius III. in cap. *Gaudemus*, Extra, de divortiis; & non ſint ſacramentum, ut ſcribit S. P. Auguſtinus de Bono conjugali cap. 7. nempe quod & ipſa matrimonia lege divina, & prima inſtitutione ſint inſolubilia, & cum unica uxore ſint contrahenda: iniquitate vero, & incontinentia fidelium aut ſolvantur, aut contrahantur cum pluribus. Id tandem, quod poſtremo loco addebatur, nullius eſt momenti; quum in formatione Adæ Deus prævidens futuram ipſius tranſgreſſionem potuerit præmittere ſigna ad Redemptorem pertinentia, prout explicavi libro XXV. cap. 12.

PROP. II. Matrimonium in Evangelica lege eſt ſignum efficax gratiæ, ideoque proprii nominis ſacramentum.

Theologorum permolti demonſtrant catholicam hanc veritatem ex præcitatis Pauli verbis ad Epheſios, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, nec non ex verbis aliis, quæ Apoſtolus profert eodem loco, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*. Sed alii exiſtimant dogma Catholicum hinc efficaciter non probari: quod ſentit non tantum Vaſquez refutatus a Vito Erbermanno in Vindiciis Bellarminianis ad cap. 2. libri de Matrimonio, ſed & Eſtius in IV. diſt. 26. num. 7. & comment. in Epiſtolam ad Epheſios, ubi etiam pro hac ſententia laudat Cajetanum, quibus acceſſit cum aliis nonnullis Juenin diſſertat. XI. q. 1. cap. 2. Mediat vero inter ſententias iſtas illa, quam teneo, videlicet, hinc propoſitionem noſtram invicte non probari ſi tantum verba ſpectentur, probari tamen ſi attendantur adjuncta, & Apoſtoli ſcopus inſpiciatur. Fatendum quippe eſt duo hæc teſtimonia ſolitarie accepta non eſſe pro catholicis argumentum prorſus inexpugnabile: nam *ſacramenti* vocabulum, & quod eſt in Græco textu, *Myſterii*, ſignificationem habent ampliſſimam: ſymbolum myſtici conjugii, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam, adinvenitur quoque in matrimoniis infidelium effectu ſpiritalis gratiæ carentibus; atque hi quoque vi connubiorum ad dilectionem mutuam tenentur. Ceterum duo ulterius ſunt advertenda: unum quidem, Chriſtum Dominum uniri cum Eccleſia Catholica non tantum *per humanæ naturæ conſortium*, quæ unitio non eſt peculiaris Eccleſiæ, ſed communis univerſo humano generi; verum etiam uniri *per caritatem & gratiam*, quod ſingulari titulo Eccleſiæ convenit, non autem generi hominum univerſo. Alterum, quod verbis Apoſtoli innuitur, eſt uxores diligendas a viris non ſolum propter procreationem filiorum, ſed ulterius ob ſempiternæ vitæ conſecutionem, cujus rei gratia debent viri ita diligere uxores ſuas, ut nullis impudicitiis eas polluant, nec pollui permittant, ſed ſtudeant imitari Chriſtum, qui Eccleſiam ſponſam ſuam mundat & ſanctificat, ac pro ea tradidit ſemetipſum, ut illam exhiberet ſibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam. Hæc ex illo capite V. ad Epheſios perſpicua ſunt. Si ergo hæc attendantur; illinc demonſtratur matrimonium eſſe verum ac proprium ſacramentum hac, aut conſimili ratiocinatione: Matrimonium per Apoſtolum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Conjunctio autem Chriſti cum Eccleſia non eſt ſolum ſecundum carnem, ſed etiam ſecundum caritatem & gratiam: igitur matrimonium non tantum unit contrahentes carnali vinculo, ſed etiam illos unit in gratia & in caritate. Rurſus debent conjugati ſe invicem diligere, ut Chriſtus dilexit Eccleſiam, atque id maxime in votis habere debent qui Chriſtiano ritu conjugium ineunt. At Chriſtus dilexit Eccleſiam, non ut illam ſibi copularet tantummodo carnis aſſumptione, ſed inſuper, ut illam ſibi exhiberet immaculatam & glorioſam. Igitur qui ritu Chriſtianorum matrimonio junguntur, uniri debent tali nexu, ut invicem ſanctificentur; & Deus illos conjungens gratiam, qua naturalis amor hac ratione perficiatur, iiſdem contrahentibus impertitur. Videtur hæc innuere Tridentina Synodus ſeſſ. XXIV. dum ait: *Gratiam, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, ipſe Chriſtus venerabilium ſacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit: quod Paulus Apoſtolus innuit dicens, Viri diligite uxores veſtras ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea; mox ſubjungens, Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Me non latet Clariſſ. Eſtium reſpondere Synodum non affirmare his verbis quod ſacramentum conjugii conferat gratiam, ſed hoc tantum quod Chriſtus ſacramentorum auctor gratiam, qua conjuges ſanctificantur, ſua nobis paſſione promeruit. Verum ita accipiendum puto verbum illud *promeruit*, ut ſenſus ſit, *Promeruit & alligavit*, quoniam inde Concilium infert matrimonium verum ſacramentum eſſe, & ſanctificantis gratiæ ſignum efficiens, nam hæc immediate addit: *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, merito inter novæ legis ſacramenta adnumerandum ſancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt*. Accepit eodem ſenſu Apoſtoli verba Auguſtinus lib. 1. de nupt. & Concup. cap. X. num. 11. ſcribens: *Quoniam ſane non tantum fecunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides, verum etiam quoddam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis: unde dicit Apoſtolus, Viri diligite uxores veſtras*, &c. Sed de priori argumento dictum ſatis.

Alterum argumentum petitur ex quo Chriſtus Joan. II. invitatus ad nuptias inſignes illas miraculo comprobaverit, veteribuſque connubiis gratiam atque benedictionem ſua præſentia contulerit. Atque Chriſtum nuptiis interfuiſſe, ibique primum ſignum patraſſe aquam in vinum vertendo, eſt in Hiſtoria Evangelica manifeſtum. Addidiſſe autem conjugiis primitus inſtitutis benedictionem & gratiam, exploratiſſima Patrum traditione compertum eſt. S. enim Cyrillus in epiſtola ad Neſtorium confirmata a Patribus Epheſinis, ut habetur in Actis p. I. cap. 26. paullo ante Anathematiſmos inquit: ταύτης γὰρ ἕνεκα τῆς αἰτίας φαμὲν αὐτὸν οἰκονομικῶς καὶ αὐτὸν εὐλογῆσαι τὸν γάμον, καὶ ἀπελθεῖν κεκλημένον ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας ὁμοῦ τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις, *Propter hanc etenim cauſam dicimus eum œconomice ipſis benedixiſſe nuptiis, & ad illas veniſſe vocatum in Cana Galilææ una cum ſanctis Apoſtolis*. Idem Cyrillus lib. 2. in Joannem docet idcirco Dominum ad nuptias veniſſe, *ut illas præſentia ſua cohoneſtaret, & veterem partus triſtitiam depelleret, iiſque quoque qui poſtea naſcituri erant, gratiam præſtitueret*. Epiphanius item in hæreſi Hieracitarum LXVII. num. 6. ſcribit: πῶς γὰρ οὐ σεμνὰ τίμιος ὁ γάμος, καὶ ἐν Θεῷ ἔχων τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν, ὁπότε κέκληται ὁ Σωτὴρ εἰς γάμους, ἵνα εὐλογήσῃ γάμον; *Nam venerabiles eſſe nuptias, & Dei aſpirante gratia regnum obtinere quis vel eo non agnoſcat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret?* S. P. Auguſtinus Tract. IX. in Joan. num. 2. *Per hoc ergo*, inquit, *Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis caſtitas firmaretur, & oſtenderetur ſacramentum nuptiarum*. Maximus denique hom. 1. de Epiphania Domini: *Vadit ad nuptias Dei filius, ut quas dudum poteſtate conſtituit, nunc præſentia ſuæ benedictione ſanctificet*.

Hinc erui poteſt argumentum tertium, univerſalis Eccleſiæ traditione ſuffultum. Matrimonium quippe Chriſtianorum ritu celebratum eſſe verum propriumque ſacramentum

mentum

Digitized by Google

mentum apertiſſime producta, aliaque innumera teſtimonia commonſtrant: ex quibus nonnulla ſeligentes afferemus quæ ſcribunt Tertullianus, Ambroſius, Innocentius I. atque Auguſtinus: reliqua enim legi poſſunt apud Bellarminum citato loco cap. 3. Eſtium diſt. 26. §. 7. Le-Drout lib. x. quæſt. 1. alioſque Theologos. Ergo Tertullianus in ſecundo ad uxorem libro *felicitatem* matrimonii inter fideles initi hinc plurimum commendat, propterea quod illud *Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet*: quibus ſane verbis præter ſolemnitatem hujus ſacramenti, quod ætate quoque Tertulliani in Eccleſia, & tempore incruenti ſacrificii celebrabatur, innuitur ſpiritalis gratia, qua perficitur, atque benedictio, & vinculum quoddam ſanctitatis, per quod a connubiis infidelium diſtinguitur. De Præſcript. item cap. 40. ubi ait diabolum æmulari *res divinorum ſacramentorum in idolorum myſteriis*, ideoque tinguere quaſi credentes ſuos, illos in frontibus obſignare, initiare Mithræ nonnullos, & panis celebrare oblationem, quibus ceremoniis imitari ſtudet Baptiſmatis, Confirmationis, Eucharistiæ, & ſacræ Ordinationis ſacramenta, hæc Tertullianus ſubjicit: *Quid? quod & ſummum Pontificem in unis nuptiis ſtatuit?* Matrimonium igitur a Tertulliano ceteris ſacramentis, & quidem propriis, atque ad animarum ſanctificationem inſtitutis, qualia ſunt nuper commemorata, ibidem adnumeratur. Vide & de Monogamia cap. 5. ubi ait matrimonium ab initio inſtitutum, in lege Chriſti per quem omnia ad initia ſua revocantur, ita tamen, *ut quod animale erat, fiat ſpiritale*, carnali vinculo addere ſpiritualem illam unitionem, quæ *occurrit* (ut illius utar verbis) *in ſpiritu*, & qualem inquit Apoſtolus *ſecundum Adam & Evæ figuram in Chriſtum & Eccleſiam competiſſe*. Ambroſius autem in lib. 1. de Abraham cap. 7. num. 59. ſermonem de iis inſtituens, qui concupiſcunt alienam nuptam, *Cognoſcimus*, inquit, *velut præſulem cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum torum pollui, & ſi quis fecerit, peccare eum in Deum cujus legem violet, gratiam ſolvat: & ideo quia in Deum peccat, ſacramenti cæleſtis amittit conſortium*. Pari ratione n. 65. ſcribit ab iis, qui ſeſe miſcent ancillæ, ut filios ex ea ſuſcipiant, *ſolvi gratiam matrimonii*. In Epiſt. 19. ad Vigilium num. 7. demonſtrans quam grave ſit copulari alienigenæ, ait: *Nam cum ipſum conjugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat; quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia?* Innocentius I. in Epiſtola 12. ad Probum loquens de illius matrimonio, qui legitima uxore in captivitatem perducta, ſibi alteram copulaverat, *Statuimus*, inquit, *fide catholica ſuffragante illud eſſe conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum: conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nec divortio ejectæ, nullo pacto poſſe eſſe legitimum*. S. P. Auguſtinus plura ſcribit, quibus egregie Catholica veritas illuſtratur. Principio enim in libro de Bono Conjugali cap. 24. num. 32. in connubiis fidelium tria diſtinguit, idest, generationis finalem cauſam, conjugii fidem, & ſacramenti rationem, ſcribens: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti*. Eadem repetit lib. 1. de Nuptiis & Concup. cap. x. num. 11. verbaque allata ſunt paullo ſupra. Similia S. P. tradit in lib. v. contra Julianum cap. xii. num. 46. His autem in locis neceſſum eſt, ut *ſacramenti* vocabulum preſſius & ſtrictim accipiatur, tum quia illud attribuit ſolis conjugiis fidelium; tum quia eo nomine aliquid aliud intelligit præter conjunctionem corporum, & fidem maritalem. Deinde S. Pater citato cap. 24. de Bono Conjugali demonſtrans vinculum nuptiale non ſolvi niſi conjugis morte, etiamſi non conſequatur procreatio filiorum, cujus cauſa matrimonium initur, utitur comparatione characteris *Ordinis*, qui remanet in Ordinatis, etiamſi non ſubſequatur congregatio plebis, cujus rei gratia ſacramentum ſacræ ordinationis confertur. Utrumque ergo, matrimonium ſcilicet, & miniſtrorum ſacrorum ordinatio eſt juxta Auguſtinum ejuſdem generis *ſacramentum*: & comparatio, qua utitur Doctor Maximus ac præſtantiſſimus, petita eſt a ſimilitudine, quæ intercedit inter hæc duo ſacramenta, & quam in exordio capitis primi explicavimus. Præterea in eodem libro de Bono conjugali cap. xviii. num. 21. ſanctus Pater appellat matrimonium Eccleſiæ *ſignaculum*; vocat & *ſacramentum* ſignificans unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo futuram in una cæleſti civitate: atque huic *ſignaculo*, huic *ſacramento* gratiam adtribuens his verbis caput illud abſolvit: *In noſtrarum quippe* (mulierum) *nuptiis plus valet ſanctitas ſacramenti, quam fecunditas uteri*. Vide etiam de Peccat. Orig. cap. 34. de Fide & Operibus cap. 7. de ſancta Virginit. cap. 12. & de Geneſ. ad litteram lib. 12. cap. 7.

Accedit argumentum quartum innixum Eccleſiæ definitionibus. Matrimonium quippe inter vera Sacramenta connumerari ſupponit ſeſſione 15. Synodus Conſtantienſis, & Martinus V. in Bulla *Inter cunctas*: de qua præcedenti libro xxv. cap. xi. Concilium itidem Florentinum & Eugenius IV. in Inſtructione Armenorum: Tridentinum ſeſſione vii. canone 1. & ſeſſione xxiv. canone item primo; de quibus vide librum xxi. cap. 5. quo in loco diſputantes de numero Sacramentorum produximus hæc, aliaque plura argumenta petita ex omnium Eccleſiarum conſenſu, ex cenſuris Græcorum adverſus Lutheri, & Calvini hæreſes, ex ipſorum hæreticorum antilogiis, nec non ex congruentiis rationum: quæ omnia, ne rurſus ea repetamus, perlege Volumen iii. a pag. 184. ad 186. His ergo probationibus finem imponam Tridentino canone: *Si quis dixerit, matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre; anathema ſit*.

AD EA, QUIBUS NITITUR HÆRETICORUM ASSERTIO.

Opp. 1. Magiſter ſententiarum diſt. 26. in iv. negat matrimonium eſſe proprii nominis *ſacramentum*, ſcribens inſtitutum fuiſſe *in remedium tantum*, non ut gratiam adjutricem conferret: quod expreſſius initio diſt. 2. tradiderat. Hanc Magiſtri ſententiam propugnavit Durandus in eamdem diſt. 26. q. 3. S. Bonaventura in ipſammet diſtinctionem, tametſi affirmet gratiam ſacramento matrimonii conferri, recitat tamen duas alias Theologorum opiniones, quarum una tenebat nullam hoc ſacramento dari gratiam, neque fuiſſe in nova lege inſtitutum; altera autem gratiam quidem ei tribuebat, ſed quam contrahentes acquirerent ob devotionem, qua ſuſcipiunt benedictionem Sacerdotis, prout contingit in *Sacramentalibus*. Neutram autem ſententiam Doctor Seraphicus ut hæreticam erroneamque refellit. Jureconſulti pariter Magiſtri, & Durandi ſententiam ſecuti ſunt: antiquiores enim Gloſſæ in cap. *Quidquid inviſibilis*, 1. q. 1. num. 101. & in cap. *Honorantur*, xxxii. q. 2. num. 13. ajebant fas eſſe in matrimoniis paciſci de dote, quoniam revera matrimonia non ſunt Sacramenta. Igitur aſſertio, quæ propugnat matrimonium eſſe verum propriumque legis Evangelicæ Sacramentum, atque id pertinere ad fidei dogma, poſterioribus ſeculis nata eſt, atque ab hominibus adinventa.

Reſpondetur ſemper ab Apoſtolorum ætate ad hanc noſtram Catholicæ Eccleſiæ perſuaſum fuiſſe matrimonium inter vera ſacramenta connumerari, prout docet majorum noſtrorum traditio: ſed quoniam hæc, nemine veritatem oppugnante, præter hæreticos, qui nuptias tamquam diaboli opus damnarunt, non obverſabatur oculis ſcriptorum omnium, perpaucos, ut Durandus, a traditione ipſa devios non recte undequaque de hoc ſacramento ſenſiſſe. Ceterum non eſt, cur de illorum perpaucorum numero glorientur heterodoxi. Primum quoniam Magiſter, & Durandus refutantur ampliori ſcriptorum numero, & auctoritate, non Patrum duntaxat, verum & Hugonis Victorini, SS. Bonaventuræ ac Thomæ, Scoti, & illorum Theologorum, qui hos conſecuti ſunt, unanimi conſenſione. Deinde quia Magiſter matrimonium ſaltem ſacramentis adnumerat, & quidem ſacramentis novæ legis; tametſi hæc ſacramenta dividens in ea, *quæ contra peccatum præbent remedium, & gratiam adjutricem conferunt, ut baptiſmus, & pœnitentia, in ea quæ in remedium ſunt, ut conjugium, atque in ea quæ gratia & virtute nos fulciunt*, ut ſacramenta reliqua, videatur permultis denegaſſe matrimonio gratiæ efficientiam & productionem: ac Durandus item citata quæſt. 3. inquit: *Tenendum eſt abſolute, quod matrimonium eſt Sacramentum, quum hoc determinet Eccleſia, Extra, de hæreticis, Ad abolendam*: ideoque nec Magiſtri & Durandi teſtimonia ſuffragantur hæreticis, qui contendunt matrimonium non eſſe ſacramentum & ſignum rei ſacræ. Præterea Magiſter ab Eſtio, imo & a S. Thoma ita explicatus, ut ubi ait matrimonium inſtitutum fuiſſe *ad remedium*, ſcilicet, ad vitanda peccata, intelligendus ſit de fine ejuſdem inſtitutionis, ad cujus tamen conſecutionem neceſſaria ſit virtus Sacramenti, ideſt, gratia. Addo Magiſtrum, ubi ait matrimonium eſſe ſacramentum inſtitutum *in remedium*, non poſſe intelligi de illa inſtitutione, quæ præceſſit Adami lapſum; tum quia pro innocentiæ ſtatu non opus erat tali remedio; tum quia diſtinct. 2. facta partitione illa Sacramentorum, immediate ſubjicit: *Fuit tamen conjugium ante peccatum inſtitutum, non utique propter remedium, nec ad Sacramentum, ſed ad officium: poſt peccatum vero fuit ad remedium contra carnalis concupiſcentiæ corruptelam*. In connubiis ergo Evangelicæ legis agnoſcit Magiſter aliam inſtitutionem, aliam rationem Sacramenti, & alium finem ab iis, quæ fuerunt in conjugio primorum parentum. Quod attinet demum ad JCC. diſtinguendum eſt matrimonium *ut eſt officium naturæ*, atque *ut eſt Sacramentum*. Cum autem ſi accipiatur priori ſenſu, plura temporalia incommoda ſecum afferat, cujus generis ſunt uxorum, & communium liberorum ſuſtentatio; nil mirum, ſi hac de cauſa fas ſit paciſci de dote: quæ nullatenus impeditur ratione ſacramenti, & ſpiritualis effectus. Hoc ſenſu eſt accipienda Gloſſa decreti, quæ loquitur de conjugio, *ut initium habuit in lege naturæ*, non prout tribuit *conſolationem cæleſtis gratiæ*. Hæc enim verba leguntur ad præcit. cap. *Quidquid inviſibilis*.

Opp. 2. Nequit Pauli ad Epheſios Epiſtola hoc Theologicum aſſertum fulciri: eo namque loci matrimonium

dicitur *ſacramentum* ampliſſima ſignificatione, ideſt, ut extat in Græco, *μυςήριον*, *myſterium*. Nec aliter Apoſtoli verba poſſunt accipi; quum ille ſermonem inſtituat de matrimonio Adami & Evæ, quod etiam inter paganos contrahitur. Hinc enim iſta neceſſario conſequuntur, primo matrimonium non eſſe *ſignum rei ſacræ a Chriſto inſtitutum*, cum inſtitutio conjugiorum ad mundi initium ſit referenda: ſecundo non eſſe *ſignum conferens gratiam*, quum matrimonio jungantur etiam pagani & infideles alii, qui ſanctitatis gratia deſtituuntur: tertio rationem ſigni, quæ matrimonio ineſt, habere ſignificationem humanam duntaxat & naturalem, quiſquis enim contrahentes matrimonium & ceremoniam ritumque nuptiarum ſpectat, ſtatim percipit quid rei geratur, ac videt duo homines, marem, ac fœminam ſimul jungi; quum in aliis ſacramentis menti intuentium illorum ritus occurrat occultum aliquid & arcanum. Detur tandem matrimonii ſacramentum eſſe ſignum conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ; nequit hinc inferri alicujus gratiæ collatio: quum ſit perabſurdum aſſerere commiſtione corporum, quæ nunquam eſt abſque libidine, ac turpitudine, ſpiritalem gratiam atque ſanctitatem conferri.

Reſp. a multis non infimi ſubſellii Theologis ultro concedi catholicum dogma, quod propugnamus, non demonſtrari ex Paulina ad Epheſios Epiſtola, ſed ex Eccleſiæ definitionibus univerſali traditioni ſubnixis. Nos vero illam ex Apoſtolo probationem haud reprobantes diſtinximus ſupra in matrimonio duplicem conjugatorum unionem, ſecundum animum, & ſecundum carnem: quam duplicem unionem agnovit quoque diſt. 26. Magiſter ſcribens; *Ut enim inter conjuges conjunctio eſt ſecundum conſenſum animorum, & ſecundum permixtionem corporum: ſic Eccleſia Chriſto copulatur voluntate & natura, quia idem vult cum eo; & ipſe formam ſumpſit de natura hominis. Copulata eſt ergo ſponſa ſponſo ſpiritualiter, & corporaliter, ideſt, caritate, & conformitate naturæ. Hujus utriuſque copulæ figura eſt in conjugio.* Eadem ergo diſtinctione ſuppoſita dicimus in conjugio, prout eſt inſtitutum lege naturæ ad officium, haberi ſymbolum duntaxat conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſecundum conſortium naturæ; & prout eſt ſacramentum legis Evangelicæ, inveniri ulterius ſignum conjunctionis ſecundum naturam & gratiam: prima ratio ſigni eſt communis conjugiis omnibus, tam credentium, quam infidelium; ſed altera propria eſt matrimonii Chriſtiani: ſi attendatur prima, quadrant Apoſtoli verba cuilibet matrimonio; ſi alia ſpectetur, conveniunt tantummodo Chriſtianorum conjugiis: juxta priorem ſignificationem quælibet matrimonia ſunt ſacramentum late acceptum, quia ſunt ſignum rei ſacræ, ut dictum eſt propoſitione prima; & juxta ſignificationem alteram matrimonia tantum fidelium ſunt ſacramentum proprie dictum, quia ſunt ſignum caritatis & gratiæ. Hinc diluuntur oppoſitiones, quæ poſſunt ex Pauli verbis depromi: necnon rationes in contrarium illinc deductæ. Nam ad primam dicimus inſtitutionem matrimonii, quæ repetitur a mundi primordiis, eſſe matrimonii in quantum eſt officium naturæ, non in quantum ad veri ſacramenti dignitatem evectum eſt. Ad alteram dicimus in conjugiis infidelium adinveniri priorem tantum rationem ſigni, ideoque concedimus eadem conjugia non eſſe ſacramentum, aut ſignum efficiens gratiæ. Ad tertiam reſpondemus in matrimonio Chriſtiano præter inſolubilem unionem corporum, ſignificari internam conjunctionem animorum per caritatem & dilectionem Chriſtianam, quæ eſt effectus ſupernaturalis, & vinculum carnalis neceſſitudinis ſuperexcedens. Ad quartam dicimus ſacramentum, in quantum gratiam confert, non conſiſtere in carnali copula, quæ peragitur obſequente libidine, ſed in contractu & conjugum conſenſione; in qua cum ſit ſacramenti efficientia, datur ipſis conjugibus gratia, ut chriſtiana caritate ſe diligant, atque in matrimonii uſu dominanti concupiſcentiæ non ſerviant.

Opp. 3. In matrimonio aliquando deſiderantur illa tria, quæ ad ſacramentum conſtituendum a catholicis requiruntur, ideſt, materia, forma, & intentio: non ergo eſt ſacramentum. Prob. ant. Matrimonium enim contrahitur ſolo viri mulieriſque conſenſu, nullo elemento, nullo materiali ſigno adhibito. Interdum quoque initur per nutus, nulla facta expreſſione verborum: ac licet contrahatur abſque intentione faciendi quod facit Eccleſia Chriſti, ratum erit tamen atque firmiſſimum. Præterea quæ *ad ſubſtantiam* matrimonii pertinent, ab Eccleſia interdum mutantur; quum Eccleſiæ definitionibus irrita ſint clandeſtina conjugia, & quæ in certo conſanguinitatis gradu contrahuntur: ea autem, quæ ab Eccleſia immutantur, habere nequeunt inſtitutionem ac determinationem a Chriſto Domino auctore ſacramentorum.

Reſp. neg. ant. *materia* enim hujus ſacramenti ſunt actus contrahentium exterioribus ſignis expreſſi, quemadmodum in ſacramento Pœnitentiæ materia ſunt actus pœnitentis, *forma* vero ſunt verba, quæ pronuntiantur a legitimo miniſtro ſacramentum conficiente: in quo ſi deſit intentio, de qua ſupra, nec erit ſacramentum. Verum de his omnibus infra. Ad illud autem quod ſubjicitur, dicimus Eccleſiam damnando clandeſtina conjugia, & ſtatuendo matrimonii impedimenta non immutaſſe ſacramenti *ſubſtantiam*, ſed declaraſſe, ac determinaſſe quid opus ſit, ut contractus ſint rati, & perſonæ legitime contrahant: quod itidem in ſubſequentibus explanabitur.

Opp. 4. Matrimonium nullam producit gratiam, cujus *efficax ſignum* ſit. Igitur non eſt ſacramentum veri propriique generis. Antecedentis proferri poſſunt probationes multæ: ac prima eſt illa, quod conjunctio Chriſti cum Eccleſia, ſive ſecundum humanæ naturæ conſortium, ſive etiam ſecundum caritatem, cujus conjunctionis, ut in præcedentibus diximus, matrimonium eſt ſymbolum, nequaquam ipſius matrimonii virtute & efficacitate producitur. Altera, quod matrimonium non confert gratiam *primam*, nec *ſecundam*: non primam, quoniam hanc efficiunt duntaxat (ſaltem per ſe) duo ſacramenta *mortuorum*, baptiſmus & pœnitentia; non ſecundam, quoniam virgo exornata ſanctificantis gratiæ decore, ſi contrahat matrimonium, non ampliorem virtutem nanciſcitur, ſed potius illius, qua pollebat, patitur detrimentum, ſcribente Apoſtolo in priori ad Corinthios VII. 38. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.* Tertia, quod a ſacramento ejuſque gratia nemo eſt repellendus; quum tamen a matrimonio contrahendo impediat Eccleſia ſacras virgines, monachos, ſacriſque ordinationibus initiatos.

Reſp. falſum eſſe antecedens: ad cujus probationem priorem dicimus in conjugiis præter conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, externo ritu connubii ſignificari conjunctionem animorum in caritate & dilectione Chriſtiana, atque hanc eſſe ſacramentalem gratiam, collatam vi ſacramenti conjugibus, ut ſi procreandæ proli dent operam, id non faciant ſubjugante libidine, ut ſuſceptos filios imbuant optimis inſtitutionibus, atque ita inter ſe nexu ſanctæ dilectionis cohæreant, ut neque in cæleſti Jeruſalem ab invicem divellantur. Neque enim repugnat in ſacramentis haberi multiplex ſymbolum, quorum unum ad Chriſtum, alterum ad ſacramenti gratiam referatur; quum in baptiſmo ſit quædam figura mortis & reſurrectionis dominicæ, atque ablutionis animæ eorum, qui baptizantur, illorumque ſpiritalis renovationis: Euchariſtia item figuret, contineatque corpus Domini pro nobis in cruce immolatum, & ulterius ſpiritualis nutritionis ſit Symbolum. Ad alteram hæc ſit reſponſio: virginitatis & continentiæ ſtatus eſt conjugali longe perfectior, quum in illo non ſit impedimentum Dominum obſecrandi, & mulier innupta & virgo nulla ſollicitudine placendi viro a pietatis ſtudio arceatur, & abſque affectuum diviſione cogitet quæ Domini ſunt; ut inquit ibidem Apoſtolus, & Nazianzenus in Carmine de laude virginitatis,

Terrenam vitam queis ſternit firmus & ardens
Virginitatis amor, mentes ad ſidera tollit.

At hinc non ſequitur, quod ii, qui a propoſito ſervandæ virginitatis reſiliunt, non egeant ſacramento adjutricem gratiam conferente: immo ſequitur oppoſitum; nam conjugalem ſtatum ſponte eligens multiplici onere gravatur, cui ne ſuccumbat, indiget gratiæ validiori præſidio: quod eo loci Nazianzenus explicat hac aptiſſima comparatione:

Utque per exiguam venti vis parvula puppim
Incitat, expanſis velis maria alta ſecantem,
Aut etiam remis impulſo, per æquora curſu
Fertur; at ingentem non fert levis aura carinam,
Quæ niſi prægravibus ventis agitata, quieſcit:
Sic etiam innupti, quoniam levioribus ævum
Trajiciunt pedibus, leviore videntur egere
Numinis æterni auxilio, afflatuque minore.
At qui conſortem thalami, qui pignora cara
Curat, opeſque ſuas, & vaſtum navigat æquor;
Arctius ille Deo, quia pluribus indiget, hæret.

Dicam verbo, Apoſtolus comparat ſtatum cum ſtatu; at non ait iis, qui deteriorem ſtatum eligunt, non conferri per Matrimonii ſacramentum gratiæ decorem atque virtutem. Ad tertiam dicimus nonnullos ab Eccleſia a conjugiis arceri, non quod Matrimonii ſacramentum gratiam non conferat, ſed quia ut eſt officium naturæ affert ſecum impedimenta Dominum obſecrandi, rerumque terrenarum curam atque ſolicitudinem; & ex alia parte qui monaſticam & clericalem vitam eligunt (ad quam nulla Eccleſiaſtica lege compelluntur) non indigent ea gratia, quæ confertur conjugibus ad matrimonii onera pie ſancteque ferenda.

Opp. ultimo: Nullum ſacramentum adminiſtratur abſentibus. Matrimonium vero etiam inter abſentes contrahitur. Reſpondeo hanc oppoſitionem proximo capite perlecto inanem, nullamque apparituram.

CONSECTARIUM.

Ex ſecunda hujus catholicæ theſis probatione, in qua diximus cur Dominus nuptiis in Cana Galilææ celebratis adfuerit, infertur probabilem admodum eſſe ſententiam a pluribus Theologis propugnatam, tunc Matrimonium *in ratione ſacramenti* fuiſſe a Chriſto inſtitutum. Cyrillus enim, aliique Patres prælaudati docent a Domino tunc nuptias fuiſſe ſanctificatas, præſtitutam gratiam naſcituris, & aditum ad hanc vitam cæleſti benedictione ſuffultum: quæ

com-

Digitized by Google

commonſtrant connubiis gratiam fuiſſe additam. Amplectuntur propterea hanc ſententiam recentiores, inter quos noſter Aurelius Pietie q. xii. et Tournely q. 2. art. 2. concl. 3. Ab eadem ſententia minime nos abhorremus: nec facit adverſum nos objectio illa, alioqui non multum habens ponderis, quod hoc ſacramentum erat inſtituendum poſt baptiſmum, qui eſt janua ſacramentorum aliorum; ſiquidem & revera exiſtimamus inſtitutum fuiſſe baptiſmum ante nuptias illas, dum Chriſtus baptizatus eſt a Joanne, ut diximus lib. xxxi. cap. 3. & præterea non videretur incongruum, ſi ſacramentum inſtitutum ad ſanctitatem nuptiarum, quorum uſu procreantur & naſcuntur filii, præceſſiſſet ſacramentum aliud, quo filii nati ſecundum carnem, ſalutari lavacro regenerantur in Chriſto. Non deſunt tamen e ſchola plurimi, qui putant ſacramentum hoc fuiſſe inſtitutum, quum Dominus ait Matth. xix. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: quam ſententiam defendit q. 2. de Matr. art. 1. n. 17. Fridericus Gavardi Ægidianæ Theologiæ celebris commentator. Atque hujus opinionis fundamentum eſt, quod tunc Chriſtus expreſſerit hujus ſacramenti *materiam & formam*, ſcilicet mutuam corporum traditionem, & conjunctionem, ac demonſtraverit quoque hujus ſacramenti miniſtrum gerere vicem Dei, qui conjuges indiſſolubili vinculo ſimul unit. At non videtur ratio hæc firma admodum, & quæ comparari valeat cum præcedenti: ſiquidem ea verba intelligenda ſunt de arctiſſimo benevolentiæ jure, quod Deus ab initio ineſſe voluit connubiis; nec alia de cauſa videtur Dominus verba hæc protuliſſe, niſi ad repellendam licentiam eorum, qui uxores ſuas quacunque ex cauſa extrudebant. Atque id obvium erit legentibus caput illud decimumnonum cum ſaniorum interpretum lucubrationibus. Nihil ergo illinc infertur, niſi Chriſtum Dominum ſublata polygamia abrogaſſe repudii conſuetudinem, revocando conjugia ad arctum illud vinculum, quod habent ex primæva Dei inſtitutione. Cum tamen hæc de tempore inſtitutionis quæſtio ſit de genere illarum, in quibus fas eſt unicuique in proprio ſenſu abundare; nec definiam quod ambiguum & in controverſia poſitum eſt, nec addam quod foret ſuperfluum, inane, atque ineptum.

C A P U T III.

Agitur de proxima hujus ſacramenti materia, ideſt, de contractu matrimoniali.

SIcut in ſacramentis reliquis, ita in Matrimonio aſſignari debet *materia* tum *remota*, tum *proxima*. Materia autem remota Matrimonii ſunt perſonæ ipſæ diverſi ſexus, & nullis obſtrictæ impedimentis, quæ tradunt ſibi invicem ſuorum corporum poteſtatem, ſive hæc eadem poteſtas, mutuumque dominium: at materia proxima ſunt actus ipſorum contrahentium, ſive contractus legitimus, quo per mutuum conſenſum exterius manifeſtum jus in propria corpora transferunt, & actu in illa, quatenus pertinet ad uſum conjugii, dominium poteſtatemque ſibi invicem tradunt. Id a Sylvio in quæſt. 42. Supplem. art. 2. explicatur comparatione ſacramenti Pœnitentiæ; in quo perſonæ ipſæ, quæ ſacramentum ſuſcipiunt, actibus ſuis exterius expreſſis materiam perficiendo ſacramento exhibent ac ſubminiſtrant. De materia itaque hujus ſacramenti remota, quoniam de perſonis ad matrimonium contrahendum idoneis diſſerendum eſt infra, neceſſum non eſt inſtituere modo diſputationem. At de materia proxima quæſtiones illæ omnes agitari poſſunt, quæ circa contractus matrimoniales pertractantur a Theologis, ſacrorumque canonum ſtudioſis. Inter eas haud exigui momenti ſunt, quæ verſantur circa conſenſum in commercium, complexumque carnalem, unde pendet quæſtio altera de matrimonio inter puriſſimam Dei Matrem, & ſanctiſſimum illius ſponſum Joſephum: tum diſputatio alia de conjugiis, quæ ineunt filii familias, horum parentibus invitis ac reluctantibus; & alia inſuper diſceptatio de matrimoniis inter abſentes contractis, de quibus ambigitur, & in utramque partem diſputatur an ſint, vel non ſint ſacramenta. Hæc autem omnia in tertio, in quo verſamur capite, diſtinctis poſitionibus dirimentur.

PROP. I. Certiſſimum eſt non pertinere ad matrimonii ſubſtantiam, ut conjuges actu ſe mutuo cognoſcant carnali commercio.

Prob. 1. quoniam ex decreto Eugenii IV. in Florentino Concilio matrimonium perficitur tanquam cauſa efficiente *per mutuum conſenſum* verbis de præſenti expreſſum; atque ex Tridentino ſeſſ. xxiv. necnon ex communi Eccleſiæ traditione, matrimonium aliud eſt *ratum*, aliud *conſummatum*; atque illud firmum eſt, quamvis conjuges ſe mutuo non tangant. Valdenſis quoque Tom. ii. de Sacramentis cap. 30. recenſet inter errores Wiclefi, quod ad matrimonii ſubſtantiam neceſſariam dixerit conjunctionem illam, qua vir & mulier gignendis filiis dant operam. II. Poſſunt conjuges poſt initum matrimonium unanimi aſſenſu caſtitatem vovere; nam S. P. Auguſtinus epiſt. 45. nunc 127. gratulatur Armentario & Paulinæ, quod conſenſu & voluntate communi continentiæ votum emiſerint, illos ad votum reddendum hortatur, ac prope finem epiſtolæ, *Sit veſter conſenſus*, inquit, *oblatio ad ſupernum altare Creatoris, & victa concupiſcentia tanto fortius, quanto ſanctius vinculum caritatis*. Libro item 1. de ſerm. Domini in Monte cap. 14. n. 39. appellat beatiora conjugia, *Quæ ſive filiis procreatis, ſive etiam iſta terrena prole contempta, continentiam inter ſe pari conſenſu ſervare potuerint*: & de Bono Conjugali c. 25. n. 34. ſcribit: *Continentes vel mares, qui defunctis uxoribus, vel fœminæ quæ defunctis viris, vel utrique, qui pari conſenſu continentiam Deo voverunt, ſciant ſibi quidem mercedis amplius deberi, quam conjugalis caſtitas poſcit*. III. Idem confirmant exempla ſanctiſſimorum conjugum, qui poſt nuptias ab omni carnali complexu abſtinuerunt, & incontaminatam virginitatem ſervarunt, ut Valerianus & Cæcilia, Julianus Antiochenus & Baſiliſſa, Henricus II. imperator & Cunegunda, Boleſlaus Polonorum rex & uxor Cunegundis item dicta, aliique complures: inter quos eminent beatiſſima Dei Mater ejuſque ſponſus caſtiſſimus, quorum matrimonium ratum legitimumque fuiſſe negantem Julianum, quod Joſeph eam non cognoverit, refellit lib. v. contra eumdem hæreticum ſapientiſſimus Auguſtinus cap. xii. num. 46. his verbis: *Jam vero de Joſeph, cujus Mariam teſte Evangelio conjugem dixi, multa diu diſputas contra ſententiam meam, & conaris oſtendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuiſſe conjugium, ac per hoc ſecundum te, cum deſtiterint concumbere conjuges, jam non erunt conjuges, & divortium erit illa ceſſatio*. IV. Accedunt rationes evidentiſſimæ; ac prima, quam hic inſinuat præſtantiſſimus Auguſtinus, nequaquam diſſolvi conjugium inter ſenes, qui effœta ætate corporibus agere non poſſunt quod juvenes agebant: altera, extitiſſe matrimonium inter primos parentes antequam procreandis filiis intenderent animum: tertia, dominium ab uſu, & poteſtatem ab actu ſeparari, ideoque non repugnare traditionem poteſtatis ac translationem dominii in corpora conjugatorum abſque uſu, & exercitio poteſtatis ejuſdem.

PROP. II. Ut validus ſit contractus matrimonialis, non eſt neceſſaria in carnale commercium conſenſio.

Demonſtratur primo: Inter Mariam & Joſeph verum interceſſit conjugium, & tamen beata Virgo ſe voto virginitatis obſtrinxerat, & quidem ante deſponſationem, nec ſub conditione, ut quidam exiſtimarunt, ſed abſolute. At cum tali voto nequit conſiſtere conſenſus in concubitum & commixtionem carnalem. Talis ergo conſenſus neceſſarius non eſt ad contractus matrimonialis ſubſtantiam. Major probatur: ac primo beatiſſimam Virginem voto continentiæ fuiſſe Deo dicatam docet demonſtratque S. P. Auguſtinus libro de ſancta Virginitate cap. iv. his verbis. *Ipſa quoque virginitas ejus ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſervaret, ipſe præripuit: ſed prius quam conciperetur, jam Deo dicatam de qua naſceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profecto non diceret, niſi Deo virginem ſe ante voviſſet*. Paucisque interjectis, *Non quæſiſſet utique promiſſum ſibi filium quomodo femina paritura eſſet, ſi concubitura nupſiſſet*. Elegantiſſime Auguſtinianam ratiocinationem expreſſit libro 1. de Partu Virginis Jacobus Sannazarius, Mariæ ad Angelum verba ita deſcribens:

Conceptus ne mihi tandem, partuſque futuros
Sancte refers? mene attactus perferre viriles
Poſſe putas? cui vel intemti matris ab alvo
Protinus inconcuſſum & ineluctabile votum
Virginitas fuit una: nec eſt cur ſolvere amatæ
Jura pudicitiæ cupiam, aut hæc fœdera rumpam.

Hoc virginis votum non fuiſſe conditionatum, expreſſum ſcilicet ea conditione, *niſi Deus aliter juſſerit*, tametſi hoc probabilius cenſuerint Magiſter in diſt. 30. S. Thomas in eamdem diſt. q. 2. art. 1. quæſt. 1. & 3. p. q. 28. art. 4. Gratianus diſt. 27. q. 2. cap. *Beata Mariæ*, aliique permulti, quos laudat ac ſequitur Raymundus Capiſuccus in Controverſiis ſelectis pag. 326. perſpicue demonſtratur primo, quoniam ſi conditio illa in voto Virginis adfuiſſet, non habuiſſet locum admiratio, qua angelo annuntianti commota fuit: atque ex tali nuncio potius percepiſſet Deum aliter jubere, nec voti promiſſionem exigere. Præterea quia hujuſmodi conditio prorſus ſuperflua eſt, atque in omni voto includitur, cum nefas ſit votum edere, editumque ſervare Deo repugnante, ſibique factam promiſſionem reſcindente atque abrogante. Inſuper votum Deiparæ perfectius fuit, & excellentiori modo, quo fieri poterat, editum, necnon propoſitum ceteris virginibus in exemplum. At votum abſolute emiſſum, utpote firmum magis & tenax, conditionato præſtantius eſt; hujuſque generis eſt illud, quo virgines Deo conſecrantur. Ulterius cum Virgo Maria ſicut virtutibus ceteris, ita maxima humilitate polleret, inveriſimile prorſus eſt illam cogitaſſe, dum ſe virginem dicavit, cæleſti revelatione ſibimet ſignificatum iri; an ei in propoſito manendum foret, an ab ipſo propoſito reſiliendum. Tandem docet Anſelmus in libro de Excellentia Virginis cap. 4. & homilia in Evangelium, *Intravit Jeſus in quoddam caſtellum*, Mariam vir-

ginitate perpetua ſe Domino conſecraſſe, & certiſſime credidiſſe ſe nunquam virum cogituram: additque S. Bonaventura in IV. diſt. 30. q. 2. certam quoque extitiſſe de S. Joſeph continentia; ideoque nil impedit, quin ſciens nunquam ſe propoſitum virginitatis violaturam, illud nulla conditione appoſita ediderit. Videſis Eſtium in IV. diſt. 30. §. 4. Sylvium in 3. p. q. 28. art. 4. Fridericum Gavardi q. 2. de Matrim. art. 4. §. 5. &c. Emiſſum autem a Virgine votum ante deſponſationem, quamquam S. Thomas citata quæſt. 28. artic. 4. ſcribat: *Mater Dei non creditur, antequam deſponſaretur Joſeph, abſolute virginitatem voviſſe: ſed licet eam in deſiderio habuerit, ſuper hoc tamen voluntatem ſuam divino commiſit arbitrio; poſtmodum vero accepto ſponſo, ſecundum quod mores illius temporis exigebant, ſimul cum eo votum virginitatis emiſit:* nihilominus oppoſitum a viris doctiſſimis probabilius exiſtimatur; & procuidubio traditur ab Auguſtino, qui de ſancta Virginitate cap. 4. poſt verba ſuperius producta inquit: *Deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtoditura quod illa jam voverat.* Nec aliter ſentiunt Patres alii, qui docent Mariam deſponſatam fuiſſe viro *ad cuſtodiendam virginitatem ejus idoneo.* Atque hæc ſententia, quam propugnant Scotus, S. Bonaventura, Eſtius, aliique in præcitatam diſt. 30. & probabiliorem quoque cenſet Sylvius, quamquam Thomiſticæ doctrinæ præ ceteris addictiſſimus, confirmatur propterea quod beata Virgo, ut demonſtratum eſt, jam votum emiſerat quando illi Angelus conceptum partumque nuntiavit: tunc vero Sanctus Joſeph cæleſtis myſterii nequaquam conſcius, nondum virginitatem voverat; uxoremque duxerat eo conſilio, ut prolem ex ea ſuſciperet, quam ſpem tunc depoſuit, quando revelante angelo virginem Spiritus ſancti virtute fecundatam eſſe cognovit: unde Hieronymus adverſus Helvidium paullo poſt initium ait de Joſeph, *Conveniendi deſiderium uteri conceptione ſublatum eſt:* & S. Pater Auguſtinus lib. v. contra Julianum cap. 12. alias 9. *Neque enim cum eam vidiſſet jam virginem ſacram divina fecunditate donatam, ipſe aliam quæſivit uxorem: cum utique nec iſtam quæſiſſet, ſi neceſſariam conjugem non haberet; ſed vinculum fidei conjugalis non ideo judicavit eſſe ſolvendum, quia ſpes commiſcendæ carnis ablata eſt.* Non ergo unanimi conſenſu Maria & Joſeph poſt deſponſationem ſeſe continentiæ voto obſtrinxerunt; ſed illud jam antea ediderat Virgo, quæ noluit viro propoſitum ſuum Judæorum moribus repugnans manifeſtare, priuſquam noviſſet illud angelica revelatione, aut ratione alia eidem viro patefactum fuiſſe. Accedit, quod ſi Virgini expectandus fuiſſet conſenſus conjugis, non fuiſſet ipſius de virginitate ſervanda propoſitum fixum, immobile ac perpetuum; ideoque certum eſt Mariam Deo ſe virginem conſecraſſe, & quidem abſolute, & priuſquam viro deſponſaretur.

Jam vero inter Mariam & Joſeph verum interceſſiſſe conjugium, demonſtratur ab Auguſtino lib. 1. de Nuptiis & concupiſc. cap. 11. num. 12. primo ex verbis Angeli ad Joſeph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* quibus recitatis inquit S. Pater: *Conjunx vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus; nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio. Erat quippe illa virgo ideo & ſanctius & mirabilius jucunda ſuo viro, quia etiam fecunda ſine viro, prole diſpar, fide compar.* Id deinde S. P. confirmat ex quo vi hujus conjugii S. Joſeph appellatus ſit Pater Chriſti, ſubjiciens; *Propter quod fidele conjugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt, & non ſolum illa mater, verum etiam ille pater ejus, ſicut conjux matris ejus, utrumque mente, non carne. Sive tamen ille pater ſola mente, ſive illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitatis ejus non ſublimitatis, infirmitatis non divinitatis. Neque enim mentitur Evangelium, ubi legitur, Et erant pater ejus & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Et alio loco, Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem. Item paullo poſt, Et dixit mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Tertio Auguſtinus illius conjugii veritatem commonſtrat ea ſerie genealogica parentum Chriſti, quam ait perductam uſque ad Joſeph, ut Mariæ origo innoteſceret, & conjugis debita ratio haberetur: *Unde,* inquit, *& ſeries generationum, cum parentes Chriſti connexione ſucceſſionis commemorarentur, uſque ad Joſeph potius, ſicut factum eſt, fuerat producenda, ne in illo conjugio virili ſexui utique potiori fieret injuria, cum veritati nihil periret, quia ex ſemine David, ex quo venturus prædictus eſt Chriſtus, & Joſeph erat & Maria.* Præterea idem conjugium confirmat Auguſtinus, ex quo illi nullum ex bonis ad conjugium ſpectantibus defuerit, ſubjiciens; *Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, ſacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum; fidem quia nullum adulterium: Sacramentum quia nullum divortium.* Quum hæc Auguſtini argumenta confutare aggrederetur Julianus inter Pelagianos pertinaciſſimus & acutiſſimus, ac reſponderet Mariam fuiſſe conjugem Joſeph in hominum opinione, quemadmodum Lucæ III. de Chriſto dicitur, quod *putabatur filius Joſeph,* ita S. Pater Julianum revincit, eademque argumenta corroborat lib. v. cap. 12. num. 47. *Numquid & Angelus loquens unus ad unum, contra conſcientiam & ſuam & ipſius ea loquebatur, ſecundum opinionem potius, quam ſecundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam? Deinde quid opus erat, ut uſque ad Joſeph generationes perducerentur, ſi non ea veritate factum eſt, qua in conjugio ſexus virilis excellit? Quod ego in libro cui reſpondes cum poſuiſſem, tu prorſus attingere timuiſti. Dicit autem Lucas Evangeliſta de Domino, quod putabatur filius Joſeph, quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falſam voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare conjugem, contra angelum teſtem.* Similia habentur lib. 2. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 1. num. 3. Huc accedunt rationes, ob quas congruum maxime erat, ut Chriſtus ex Virgine viro deſponſata, eique matrimonio juncta naſceretur: quas rationes profert S. Hieronymus citato libro adverſus Helvidium; & quarum prima eſt, *ut per genealogiam Joſeph, cui Maria cognata erat, origo quoque Mariæ monſtraretur:* altera, *ut juxta legem Moyſis ne adultera lapidaretur a populo: tertia ut in Ægyptum fugiens haberet ſolatium.* Eadem repetit commeus. in cap. 1. Matthæi, ubi addit quartam hujus conjugii cauſam ex Epiſtola Ignatii Martyris ad Epheſios, *ut partus Virginis celaretur diabolo.* Quintam addunt Theologorum nonnulli, nempe ut in matrimonio Virginis eſſet expreſſa quædam figura conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ ſimul & mater & virgo eſt: mater quidem propagatione & generatione fidelium, quos aqua baptiſmi, quaſi utero ſuo parturit; virgo autem incontaminatæ fidei profeſſione. Hinc Auguſtinus in Enchiridio cap. 34. num. 10. de Eccleſia ait: *Imitans ejus matrem quotidie parit membra ejus, & virgo eſt:* in pſalmum 147. num. 10. *Una Eccleſia unica columba, atque in hac virginitate millia Sanctorum;* & contra Fauſtum xv. 3. *Sine corruptione fecunda virgo mater.* Poteſt addi ratio ſexta, quod nempe conjugium Virginis initum fuerit vinculo flagrantiſſimæ caritatis; ac de ſpirituali item Chriſti, & Eccleſiæ conjugio ſcripſerit S. Pater Enarrat. in pſal. 88. num. 14. *Matrimonium hoc magna caritate compaginatur.* Sed de priori argumento, in quo etiam de matrimonio Virginis pertractatum eſt, dixi hactenus.

Itaque ad nexum conjugii non requiri conſenſum contrahentium in concubitum, proximis argumentationibus confirmatur. Sit prima: Si quis mulieri de contrahendo matrimonio fidem dederit, & ſe cum ea infra biennium per verba de præſenti contracturum præſtito juramento ſpoponderit, poſtea vero privata lege ductus ſtatuerit ad religionem migrare, is poteſt contrahere, immo tutius eſt, ut contrahat & juramentum adimpleat, & poſtea ſi elegerit, ad religionem pertranſeat, ſi tamen poſt deſponſationem carnalem copulam interveniſſe non dignoſcatur. Ita enim ſtatuit Alexander III. cap. *Commiſſum,* de Sponſalibus lib. IV. Decret. tit. 1. num. 16. Atqui in viro illo, qui ſtatuit ante conſummationem matrimonii religionem ingredi, nequit eſſe conſenſus in carnale commercium. Igitur conſenſus hujuſmodi ad contrahendum matrimonium neceſſarius nequaquam eſt. Altera argumentatio eſt hujuſmodi: Sufficit ad matrimonium conjunctio duarum perſonarum diverſi ſexus, per quam individuam vitæ conſuetudinem ineant. Ad conjunctionem autem hujuſmodi non ſequitur conſenſio in corporum commixtionem. Igitur eadem conſenſio non ſequitur ad matrimonium. Prima propoſitio eſt ipſa matrimonii definitio; altera vero ſequentibus momentis fulcitur. Principio canones a Gratiano collecti XXVII. quæſt. 2. ad hunc modum loquuntur. *Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas, & ideo non ſolvit illud ſeparatio corporis, ſed ſeparatio voluntatis. Sufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. Non defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis.* Ita cap. 1. 2. & 5. Deinde S. P. Auguſtinus docet in libro de Bono Conjugali cap. 1. quod in utroque ſexu poteſt eſſe, abſque commixtione concubitus, *alterius regentis, alterius obſequentis amicabilis quædam & germana conjunctio.* Ait cap. 3. ejuſdem libri conjugium dici *propter naturalem in diverſo ſexu ſocietatem;* idque probat exemplo ſeneſcentium, quo uſi ſumus præcedenti propoſitione, propterea quod *in bono licet annoſo conjugio, etſi emarcuit ardor ætatis inter maſculum & feminam, viget tamen ordo caritatis inter maritum & uxorem.* Scribit quoque in libro 23. contra Fauſtum cap. 8. Joſeph fuiſſe Mariæ conjugem, *non concubitu, ſed affectu; non commixtione corporum, ſed copulatione, quod eſt carius, animorum.* Tertia argumentatio ſit: Quamvis ad amicabilem conjunctionem & ad individuam vitæ conſuetudinem, in qua ſitum eſt vinculum matrimonii, requiratur etiam unius in corpus alterius conjugis dominium atque poteſtas; dominium tamen ipſum ſeparari poteſt ab uſu: quod conſtat cum in ſenibus, & in iis, qui poſt connubii jura ſtatuunt communi conſenſu cælibem vitam agere; tum in contractibus ſingulis, in quibus fit translatio *dominii proprietatis* abſque translatione *dominii utilis,* ſit in exemplo

Digitized by Google

plo venditio aut donatio prædii, cujus qui vendit aut donat, ſibi uſum ad mortem uſque reſervet. At rerum, quæ ſeparari poſſunt, talis eſt conditio, ut una intendi poſſit ſine altera. Igitur conjuges poſſunt intendere alter in alterum translationem dominii in proprium corpus, eamque aſſenſu firmiſſimo ſtabilire, etiamſi nolint, nec intendant ejuſdem poteſtatis uſum atque exercitium. Poſtrema argumentatio ea ſit, qua S. Thomas 3. p. q. 29. art. 2. demonſtrat inter Mariam & Joſeph verum matrimonium interceſſiſſe. Cujuſcunque rei datur duplex perfectio, una princeps & ad ſubſtantiam pertinens, altera autem accidentaria, & a ſubſtantia ſeparabilis: quarum illa petitur *a forma rei*, illa vero in operatione conſiſtit. Atqui forma matrimonii, ſeu perfectio prima eſt individua animorum conjunctio, & mutuæ inter conjuges fidei ligamen; ad quam perfectionem pervenitur per vinculum conjugii: dare autem operam gignendis filiis eſt opus, & perfectio conſequent, ad quam tendit concubitus. Igitur ejuſdem concubitus finis atque intentio ad ſubſtantiam matrimonii non pertinet.

At militant adverſus hanc poſitionem quæ ſequuntur. Non poteſt hæc aſſertio demonſtrari comparationa conjugii Joſeph cum Deipara: quod aut verum matrimonium non fuit, aut ſaltem habuit aliquid peculiare, quod in conjugiis aliorum, qui in concubitum non conſentirent, minime poſſet adinveniri. Ac Mariam inter & Joſeph verum non interfuiſſe matrimonium probatur primo, quoniam inveriſimila ſit virum aliquem aut mulierem alio fine connubia junaiſſe, quam procreandorum liberorum cauſa, ea præſertim vigente lege, in qua uxoribus promiſſa erat fecunditas, & maledicti erant non ſuſcitantes ſemen in Iſrael. Vide Deut. xxv. 7. Præterea Joſeph, cum Mariam inveniſſet habentem in utero, Mat. 1. 19. *voluit occulte dimittere eam*: uxorem autem juxta legem Deuteronomii xxiv. 1. dimittere vir non poterat, niſi dato libello repudii; ideoque Maria non exiſtimabatur a Joſeph ea *uxor*. Inſuper negant Patres Mariam revere Joſepho conjugem nuptamque fuiſſe. Nam Epiphanius h. 78. quæ eſt *Antidico-Marianitarum*, de Virgine ſcribit, *Videbatur uxor, & non erat*. Hieronymus refellens Helvidium aſſerentem virginem, ſi viro deſponſata fuit, *quandoque fuiſſe nupturam*, id contigiſſe negat: & rurſus objicienti, Mariam dici in Evangelio uxorem & conjugem, reſpondet hanc eſſe ſcripturarum conſuetudinam, *ut ſponſæ appellentur uxores*; idque probat ex Deut. xxii. 25. Sponſam itaque fatetur, nuptam negat. S. P. Auguſtinus ſerm. 17. de tempore de Virgine ſcribit: *Concepit Virgo antequam ſponſum haberet, parit antequam nubat*: & Magnus Gregorius in Evangelia lib. 2. hom. 26. num. 7. de Joſeph, *Qui tamen ad ejus nuptias non pervenit*. Adhæc Joſeph in Evangelio dicitur Chriſti pater, quia talis eſſe putabatur, non quia erat. Conſimili ergo ratione dici poterat vir, conjux, maritus; non quod talis foret, ſed quoniam talis exiſtimaretur. Demum detur inter Virginem & Joſeph verum fuiſſe connubium; fuit illic conjugii bonum, ſcilicet, proles e Spiritu ſancto concepta: quod bonum haberi nequit in connubiis aliis initis cum perpetuæ continentiæ propoſito.

Reſp. ad 1. ſervandæ virginitatis inviolabile votum non fuiſſe arduum conjugibus illis, quos ad redemptionis exequendum myſterium conjunxit caritas vinculo animorum, non autem ad generandos filios carnis copulavit conſuetudo legis corporum commixtione. In ipſa tamen lege fecunditas non præceptum erat, ſed promiſſio: & ſuſcitare prolem ad illos, quorum fratres abſque liberis defuncti eſſent uxore ſuperſtite, non ad omnes homines pertinebat. Prænuntiabatur quoque in eadem lege, idest, Iſaiæ lvi. 4. tempus, quo continentia præferenda eſſet conjugii actibus, & ibidem excelſior gloria ſpadonibus promittebatur. Vide Auguſtinum prope finem libri xiv. contra Fauſtum. Ad 2. dico libellum repudii juxta Deuter. xxiv. 1. dandum fuiſſe uxoribus illis, quas viri habuiſſent exoſas, ut hac publica dimiſſione præmiſſa impune cum viris aliis inirent conjugium. At Joſeph nec Virginem oderat, nec illi ut alium virum duceret permiſit unquam. Cur ergo voluit illam occulte dimittere. Aut quia ſe illius contubernio indignum exiſtimaret, eo quod Verbi incarnationem noviſſet, ut ſcripſerunt nonnulli veterum: aut potius quia fœtam videns, & cauſam ignorans, & aliunde perſpectam habens ejus pudicitiam, prudentiſſime judicaret non eſſe traducendam ut adulteram, utpote quæ non concepiſſet concubitu turpi & illicito; & ſe ab ea ſeparandum, ne forte, ſi inexplorata ſibi ratione, aut illata illi vi tumentem uterum gereret, nota aliqua dedecoris ſibimet obveniret. Ad tertium reſpondeo Patres, adverſus hæreticos negantes perpetuam Deiparæ virginitatem, aliquando appellaſſe *nuptias* ipſam corporum commixtionem, & *nuptas* uxores a viris compreſſas: unde Epiphanius citato in loco ſcribit, quod virgo non fuit uxor Joſeph, *quatenus nullam cum eo habuit corporis copulationem*, μὴ ἔχουσα πρὸς αὐτὸν σώματος συνάφειαν: & Hieronymus, quatenus *oſcula amplexuſque non miſcuerunt, nec rem egerunt nuptiarum*. Ita intelligendi ſunt Gregorius, & Auguſtinus, tametſi laudatus ſermo 17. de Tempore ſit ſuppoſititius ac ſpurius. Ad quartum reſpondet S. P. lib. 2. de Conſenſu Evangeliſt. cap. 1. n. 3. *Cum Lucas Evangeliſta narret non ex concubitu Joſeph, ſed ex Maria Virgine natum Chriſtum, unde eum patrem ejus appellat, niſi quia & virum Mariæ recte intelligimus ſine commixtione carnis, ipſa copulatione conjugii; & ob hoc etiam Chriſti patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus ſit, quam ſi eſſet aliunde adoptatus? Unde manifeſtum eſt illud quod ait*, Ut putabatur filius Joſeph, *propter illos dixiſſe, qui eum ex Joſeph, ſicut alii homines naſcuntur, natum arbitrabantur*. Habentur ſimilia in libro v. contra Julianum, ut dictum eſt ſupra. Diſtinguendum eſt igitur antecedens: Joſeph non fuit Chriſti pater per concubitum & carnis commixtionem cum Virgine, conc. per copulationem conjugii, nego. Ad ultim. ex dictis manifeſtum eſt, prolem eſſe conjugii bonum pertinens ad finem ſecundarium, & non ad ſubſtantiam connubiorum.

Præterea nullum eſſe matrimonium, quod abſque conſenſu in copulam contrahatur, videtur demonſtrari proximis argumentis. Primum ſit: Auguſtinus lib. xix. contra Fauſtum cap. 26. inquit: *Matrimonium ex hoc appellatum eſt, quod non ob aliud debeat femina nubere, niſi ut mater fiat*. Idem apud Grat. cap. *Inſtitutum*, xxvii. q. 2. n. 39. ait: *Non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe commixtio ſexus*. Alterum: In ipſa corporum commixtione conſiſtit ratio ſacramenti, ut infertur ex Apoſtoli ad Epheſios Epiſtola, cap. v. 32. perſpicue autem habetur cap. *Cum ſocietas*, eadem quæſt. n. 17. depromptu ex Epiſtola 92. S. Leonis ad Ruſticum, ubi cap. 4. hæc leguntur: *Cum ſocietas nuptiarum ita a principio ſit inſtituta, ut præter commixtionem ſexuum non habeant in ſe nuptiæ conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum*, &c. Rurſus ad matrimonii ſubſtantiam pertinet translatio dominii, ac mutua poteſtas in corpora: hujuſmodi autem dominium, niſi referatur ad actum conjugii, commentitium eſt atque inutile: primo quoniam cui bono deſerviret E. G. venditio domus, aut prædii, hac interveniente pactione, *Modo nunquam utaris, nunquam percipias inde aliquid commodi?* Secundo, quia alias etiam eunuchi ac frigidi poſſent matrimonium contrahere. Tertio, quia nec repugnaret duo mares copulari inter ſe matrimonio, dummodo nullam turpem commixtionem intenderent. Quarto, quia alias valeret matrimonium initum cum ea conditione, *Duco te in meam, ſi tamen prolis conceptum evites, aut abortum procures*. Quinto, quia ſaltem obſtricti voto caſtitatis poſſent uxorem ducere, & ſacræ virgines nuptias agere, quod tamen cap. *Voventibus*, xvii. q. 1. *damnabile* dicitur.

Reſp. ad 1. S. P. Auguſtinum in lib. xix. contra Fauſtum reprehendere Manichæos, qui aſſerebant uxorem *non ad matrimonii fidem, ſed ad concupiſcentiæ crimen habendam eſſe*, & quibus odioſum erat *feminam nubere, ut mater fiat*. Illos itaque revincens ex ipſo matrimonii vocabulo, demonſtrat cauſa duntaxat gignendorum filiorum, non explendæ libidinis uxores ducendas eſſe: quare ſcribens non debere feminam *ob aliud nubere*, verba de iis facit, quæ nubunt ut experiantur viriles amplexus; & commonſtrat quo fine debeant iſtos expetere. Ad alind conſtat verba illa eſſe Gratiani, non Auguſtini, quod & adnotatum eſt in emendatione Decreti. Verba item Leonis in Epiſtola ad Ruſticum ad hunc modum ſe habent: *Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum: dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuiſſe myſterium*. Quibus verbis docet S. Leo non omnem mulierem junctam viro eſſe uxorem, quemadmodum non omnis filius hæres eſt patris, neque concubinam idem eſſe ac nuptam, niſi forte ingenua facta, & publicis nuptiis honeſtata videatur. Ad id, quod ſequitur, conſtat ex dictis poſſe dominium, & poteſtatem ab actu ſejungi; quod magis in contractu matrimoniali, quam in aliis fieri poteſt: quum præter filiorum generationem matrimonium plura commoda afferat, idest fidem qua conjuges profitentur ſe juſtitiam violaturos, ſi alteri ſeſe commiſcuerint; vinculum caritatis, qua ſe mutuo fovent, juvant, ſolantur; familiæ ſervorumque regimen; communionem bonorum omnium, & inſolubile connubium, quo Chriſti cum Eccleſia conjunctio ſignificatur. Neque hanc reſponſionem ſubjectæ rationes poſſunt infringere. Non prima, ſiquidem, ut dictum eſt modo, contractus matrimonialis præter filiorum procreationem affert utilitates quamplurimas; immo & in productis exemplis domus, aut prædii, poteſt contingere, ut dominium ſeparetur ab uſu, & vendens ex ſolo dominio, quod ſibi retineat, aliquid percipiat emolumenti, ſi dominio ſcilicet aliquis titulus ſit adnexus. Non ſecunda, propterea quod ſpadones ac frigidi habent naturalem impotentiam, ratione cujus dominium ſuorum corporum alter in alterum transferre nequit, ut dicam agens de impedimentis matrimonii. Non tertia ob eamdem rationem, quia nempe mares ad illam poteſtatem transferendam inepti ſunt. Non quarta; quoniam etſi conjugibus liberum ſit dare operam liberis procreandis, vel ab hoc abſtinere; non eſt tamen liberum poſtquam in concubitum conſenſere,

Digitized by Google

ſere, aut conceptionem impedire, aut abortum procurare, cum id ſubſtantiæ matrimonii adverſetur, ut ſexto capite declarabo. Non demum quinta ac poſtrema, eo quod emittentes ſolemne votum caſtitatis, ut nullo detineantur impedimento, & impenſius Deo ſerviant, non tantum a carnali corporum commixtione, verumetiam a conjugii vinculo ſe alienos eſſe ſpoponderunt, quum conjugium ipſum abſque ſingulari gratiæ dono ſit frangendi voti maximum irritamentum.

PROP. III. Quamvis communiter loquendo graviter peccent filii, qui matrimonium contrahunt parentibus invitis & reluctantibus; non requiritur tamen conſenſus parentum, ut contractus matrimonialis ratus ſit ac legitimus.

Dixi *communiter loquendo*; nam ſi filius juſtis de cauſis aut ad ſpiritalem ſalutem, aut etiam ad communem exiſtimationem decoramque ſpectantibus ineat patre repugnante conjugium, puta ſi mulierem pollicitatione matrimonii vitiaſſet, aut haberet cum illa ſtupri conſuetudinem, non teneretur patri invito & reluctanti obtemperare, ſed reparare potius injuriam illatam, promiſſa adimplere, & propriæ ſaluti atque alienæ famæ conſulere. At peccare illos, qui propriæ indulgentes libidini inviſam genitoribus uxorem ducunt, nuptiaſque inſtitutas ad augendam benevolentiam convertunt in diſſidiorum fomenta, probatur primo ex cap. *Honorantur*, XXXII. q. 2. n. 13. in quo hæc leguntur: *Conſulitur puella non de ſponſalibus, nam illa judicium expectat parentum, non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum; ſed jam deſponſata viro de profectionis conſulitur die. Nec immerito dilationem non attulit; jure enim properare debuit ad maritum. Unde illud Euripideum, quod mirantur plerique, unde tranſlatum ſit, manifeſtum eſt. Ait enim in perſona mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias:*

Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μέριμναν ἕξει, κ᾽ οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

Hoc eſt, Sponſalium quidem meorum pater meus curam ſubibit; hoc enim non eſt meum. Sunt autem hæc verba S. Ambroſii loquentis de Rebecca, eique aptantis quæ in Euripide ajebat Andromacha, lib. I. de Abraham cap. ult. n. 91. Fieri præterea poteſt, ut juſſio monitumque parentum de una, non alia in uxorem ducenda, non tantum ſpectet honeſtatem commodumque familiæ, verum & Dei cultum, religioniſque incrementum; cujus rei cauſa patriarcha Iſaac juſſit filio ſuo Jacob, ne in conjugem acciperet mulierem aliquam de filiabus Chanaan, ſed unam tantum ex genere Laban avunculi ſui. Hoc autem in caſu quis dubitat adſtringi filios ad parentum ſuorum præceptis monitiſque obſequendum?

At validum ratumque eſſe matrimonium a filiis initum abſque parentum aſſenſu demonſtratur primo cap. *Sufficiat*, XXVII. q. 2. in quo verbis Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum definitur ad matrimonium ſufficere ſolum illorum conſenſum, *de quorum conjunctionibus agitur*: & Tridentinum Concilium ſeſſ. XXIV. cap. I. de Refor. matrim. eos anathemate damnat, *qui falſo affirmant matrimonia a filiisfamilias ſine parentum conſenſu contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe*. Probatur deinde argumentis, quæ producta fuere a Patribus ac Theologis Tridentinis, & quæ legi poſſunt in Hiſt. Pallav. lib. XXII. cap. 4. Sunt autem, non poſſe filiis familias tolli libertatem, quam habent ab ipſa natura; atque in iis, quæ ad ſtatum capeſſendum pertinent, filios parentibus pares eſſe, nec illorum ſubjici poteſtati: a juvene e patria egreſſo parentis aſſenſum haberi non poſſe, ideoque ſi prohiberetur eo non obtento uxorem ducere, perititurum fore in proximo violandæ caſtitatis periculo: matrimonium poſt Adæ lapſum eſſe incontinentiæ remedium, dicente Apoſtolo I. ad Corinth. VII. 9. *Si ſe non continent, nubant*, neque ad id requiri provectiorem ætatem, aut genitorum conſenſionem, cum nec Paulus ſubjecerit, *Sed nubant poſt talem ætatem, & ſi parentes conſenſerint*: divini juris inſtitutionem eſſe, ut homo relinquat patrem & matrem, & adhæreat uxori ſuæ, non autem ut ab uxore ducenda abſtineat, ne ſejungatur a patre & a matre: in ſacramentorum uſu locum non eſſe paternæ poteſtati ex cap. *Cum cauſa*, De baptiſmo, immo nec heri dominio, cum ex cap. *Dignum eſt*, De conjugio ſervorum, rata ſint matrimonia quæ contrahuntur invitis, & contradicentibus dominis, quoniam *in Chriſto Jeſu neque liber eſt, neque ſervus, qui a ſacramentis Eccleſiæ ſit removendus*: poſſe aliquas graves cauſas adinveniri, propter quas non teneatur filius parentibus conjugio adverſantibus obedientiam præſtare, veluti ſi adoleſcens puellam minoris conditionis per pollicitationem connubii pertraxerit ad virginitatis jacturam. Hæc, aliaque ſimilia apud Pallavicinum legi poſſunt. His vero addi poteſt ratio, quam tradit S. Thomas q. 47. Suppl. art. 6. Quum matrimonium ſecum afferat perpetuam quamdam ſervitutem, filii vero ſint liberæ conditionis: non poſſunt hi a parentibus ad matrimonium compelli, ideoque nec a matrimonio prohiberi.

Adverſus hanc ſecundam partem faciunt quæ ſequuntur. Videtur primo dictis adverſari Apoſtolicum divinumque præceptum ad Coloſſ. 3. *Filii obedite parentibus per omnia*. II. Juxta cap. *Noſtrates*, XXX. q. 5. n. 3. nuptialia fœdera *conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur*. Cap. item *Placuit* XXXVI. q. 2. n. 11. habetur quod juſtas nuptias inter ſe contrahunt filii familias, *dum tamen conſenſum habeant parentum, in quorum poteſtate ſunt*; & cap. *Videtur*, De his qui matrimonium accuſare, &c. ſi parentes non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint, *ſecundum leges nullum eſt matrimonium*. III. Definitio Tridentini Concilii, adverſus ſolemnem poſtulationem Oratorum Galliarum edita fuit. IV. Non tantum Imperatorum legibus, Theodoſii præſertim, Valentiniani, atque Juſtiniani prohibita ſunt matrimonia, quibus deſit parentum permiſſio, verum & legibus poſterioribus; nam Henricus II. rex Gallorum an. 1556. ſtatuit, ut filii familias matrimonium contrahentes inſciis parentibus exhæredationi ſubjiciantur, omniumque jurium & emolumentorum, etiam ex contractu matrimonii provenientium, ſint incapaces. Henricus III. an. 1579. inhibuit parochis, ne filios, ceteroſque alienæ poteſtati ſubjectos in matrimonium jungant, niſi ipſis conſtet de conſenſu parentum, tutorum, & curatorum. Eadem decreta a Carolo V. an. 1540. & a Philippo IV. an. 1623. pro Belgicis edita & emanata fuere, ut apparet ex Jure Eccleſiaſtico Zegeri Van-Eſpen p. 2. tit. 12. cap. 4.

Reſp. ad I. utique a filiis obedientiam & honorem præſtandum eſſe parentibus, ſed id juxta patriam poteſtatem, auctoritatemque, quam in præcipiendo habent patres: in his vero, quæ pertinent ad electionem ſtatus, cum filii ſint ſui juris, tenentur quidem monita & conſilia genitorum ob reverentiam illis debitam ſequi; at ſi non ſequantur, eiſque inſciis aut reluctantibus conjugium ineant, quum jure utantur ſuo, nequit nullum irritumque eſſe conjugium ipſum. Ad 2. dicimus præcitatos canones intelligendos eſſe *de honeſtate, non de neceſſitate*, ut habet Gloſſa ad caput, *Sufficiat*. XXVII. q. 2. In cap. *Placuit*, & cap. *Noſtrates*, ait quidem Nicolaus I. nuptialia fœdera celebrari parentum conſenſu, ſed minime aſſerit irrita eſſe, ſi abſque tali conſenſu celebrentur; immo deſcribit pacta omnia conjugiorum ſolemnia, concluditque: *Peccatum autem eſſe, ſi hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus*. In cap. *Videtur*, ait Cæleſtinus II. ſive ut legunt alii, Clemens III. parentes admitti in dirimendo matrimonio, *quoniam unuſquiſque ſuam genealogiam ſcire laborat*. Addens autem, ſi non recipiantur in teſtificationem matrimonii gratia conjungendi, *ſecundum leges nullum* fieri matrimonium, intelligit leges civiles, non canonicas. Vide Sylvium art. 6. q. 47. Supplem. ad 4. Ad 3. dicimus tale quidem fuiſſe ſolemne poſtulatum Oratorum Galliæ, ſed re diligenter diſcuſſa viſum patribus ſtatuendum eſſe contrarium: quamquam poſtulatum illud non fuit, ut a nonnullis refertur, *abſolutum*, ſed ut adhiberetur certus annorum numerus, quo exacto ſi nondum filius a parentibus in matrimonio fuiſſet collocatus, fas illi eſſet per ſeipſum uxorem ducere: quam conditionem apponunt quoque prælaudata Regum edicta. At inde infertur *ad ſubſtantiam* contractus matrimonii, quod filii familias ineunt, conſenſum parentum minime pertinere. Ad quartum primo dicimus, quod ipſum Tridentinum Concilium, tametſi definiat matrimonia contracta a filiis familias abſque parentum conſenſu rata eſſe & legitima, ſubjicit tamen, illa ſemper Eccleſiam deteſtatam fuiſſe; nec eſt, qui ignoret ex hujuſmodi matrimoniis plura mala exoriri, quæ parochi contrahentibus ſignificare debent, niſi gravis aliqua ratio ſuadeat oppoſitum. Civiles itaque leges, & Regum ſtatuta ad hæc mala avertenda, ſervandamque reverentiam parentibus debitam, necnon publicam honeſtatem, lata fuerunt; ſuumque affectum duntaxat obtinere poſſunt *quoad effectus civiles*, non quantum ad conjugii firmitatem jure naturæ ſtatutam, & Eccleſiaſticis definitionibus ſtabilitam: ideoque præcitatus Van-Eſpen nu. XI. ejuſdem capitis 4. contendit leges principum Eccleſiæ obſecundare, ejuſque ſanctiones, ut inquit ille, adjuvare. Aliter tamen huic argumento reſponſum eſt a nonnullis Tridentini Patribus apud Pallavic. lib. XXII. cap. 4. nu. 22. ideſt, in lege Chriſtiana nec patris nec domini poteſtatem extendi ad ea, quæ pietas & ſacramenta ſibi vindicant; atque ob reverentiam a filiis debitam reddi quidem minus decentia, non autem irrita matrimonia abſque parentum conſenſu contracta: quod rurſus confirmatum fuit præcit. cap. *Cum cauſa*, de Baptiſ. & cap. I. de Conjugiis ſerv. necnon ex l. *Filius emancipatus*, ff. de Ritu nuptiarum, qua lege ſtatuitur filium emancipatum poſſe abſque patris permiſſu uxorem ducere, etiamſi parenti debeat reverentiam illam, quæ filios decet. Pari ergo jure nequeunt leges principum irrita reddere quæ pertinent ad pietatem & ad ſacramenta, in quibus omnes emancipati ſunt, & fruuntur ea libertate, *qua Chriſtus nos liberavit*. Oppoſitum denique fuit aliis ſtatutis principum decretum Auguſtanum Caroli V. editum an. 1548. in quo legitur: *Quoniam poteſtas paterna cedit de jure huic conjunctioni inter conjuges, audiendi non ſunt ii, qui nunc volunt ut diſſolvantur matrimonia contracta a filiis familias, ubi non adſit aſſenſus parentum. Nihil hic a nobis detrahitur obedientiæ filiorum debitæ patribus; ſed nolumus ut patres abutantur poteſtate ſua in præpediendis præcludendiſve matrimoniis.*

monii. Veruntamen quia censemus ad honeſtatem pertinere ne filii matrimonia contrahant abſque conſilio & conſenſu parentum, admoneantur crebro a concionatoribus hujuſce ipſorum officii.

Si quæras, an parentes poſſint hæreditate privare filios, ſi abſque eorum conſenſu matrimonium, præſertim indecorum, contraxerint; reſpondendum eſt cum Dominico Soto in diſt. 29. Navarr. cap. 14. nu. 15. Sylvio cit. art. 6. aliiſque permultis non poſſe, ubi id non ſtatuunt leges regni, aut provinciæ: ubi autem extant hujuſmodi leges, poſſe quidem, ſed admonendos tamen eſſe, ne ob libertatem matrimonii, quam jura permittunt longe æquiora, in filios ſuos durius, quam exigat paternus amor, ſe gerant.

PROP. IV. Matrimonium inter abſentes initum, modo præſcriptæ conditiones ſerventur, ratum validumque cenſendum eſt, ſaltem in ratione contractus.

Conditiones, quæ requiruntur ut validum ſit matrimonium inter abſentes contractum per procuratorem, aut per epiſtolas, enumerantur a Boniſacio VIII. in Sexto Decretalium libro 1. tit. xix. cap. *Procurator*, fin. Sunt autem primo, ut procurator ad id mandatum habeat ſpeciale: altera, ut alium deputare non poſſit, niſi hoc eidem ſpecialiter ſit commiſſum: tertia, ut idem procurator antequam contraxerit, a domino non fuerit revocatus, cum per revocationem caſſat conſenſus, ſine quo matrimonium firmitatem nequit habere; idque verum eſt, licet tam procurator, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent. Poſt Tridentinum Concilium, ejuſque promulgationem requiritur conditio quarta, ideſt, ut matrimonium contrahatur coram Parocho, ac teſtibus; & coram his pariter, ſi contrahatur per litteras, legantur ipſæmet litteræ, altero per ſe, vel per procuratorem præſente, & in eum, cujus litteræ leguntur, conſentiente. His conditionibus adhibitis matrimonium ratum eſſe in ratione contractus probetur, quoniam nihil ei deeſt, quod requiretur ad contractus validitatem, ſcilicet, neque eorum, qui conjunguntur conſenſio, neque conditio aliqua naturali, aut humano jure adjecta. Dixi tamen, *in ratione contractus*; enimvero multi probabilius exiſtimant, tunc matrimonium in ratione ſacramenti perfici, quando principales contrahentes conſenſum per procuratores præſtitum innovant coram Parocho, atque is ſuper eos profert ea verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*. Hanc ſententiam propugnant Cajetanus tom. 1. Opuſc. Franciſcus Victoria q. 244. Canus lib. VIII. cap. 5. Sylvius in quæſt. 42. Supplem. art. 1. Vanroy cap. ult. q. 3. aliique Theologi præſtantiſſimi. Sunt quidem aliqui docentes oppoſitum, propterea quod cenſeant omne matrimonium validum in ratione contractus inter fideles eſſe ſacramentum, & ſacerdotis verba eſſe *ceremonialia*, nec pertinere ad formam & ſacramenti ſubſtantiam: ſed præterquamquod nullum aliud ſacramentum adinvenitur, quod perficiatur, niſi miniſter materiam formamque adhibeat in ſubjecto præſente, complures veriſimilius exiſtimant eliam contractus, aliam vero ſacramenti rationem eſſe, atque iſtius miniſtrum eſſe parochum, formamque verba paullo ſupra deſcripta: de quo inferius cap. x. data opera diſputabitur.

CAPUT IV.

Explicantur quædam alia, quæ ſpectant ad matrimonii contractum.

THeologorum quidam exiſtimarunt ſufficere ad matrimonium contrahendum conſenſum *exterioribus verbis expreſſum abſque interiori animo, ſed non apparenti, atque occulta ſimulatione*; requiri enim ad conjugium, & ad contractum quemlibet, ut conſenſus verbis, aut ſignis æquivalentibus innoteſcat, rei certiſſima & extra controverſiam poſita eſt, quum irritus & nullus ſit contractus, quando unius voluntas alteram prorſus latet. Illorum autem Theologorum momenta hæc ſunt: Principio Magiſter in IV. diſt. 27. ait matrimonium contrahi, ſi ſponſi *verbis explicant, quod tamen corde non volunt*. Deinde eſt inter recentiores celebris ſententia, quæ aſſerit neceſſariam non eſſe ad ſacramentum perficiendum intentionem internam, ſed externam ſat eſſe, dummodo ſeria ſit, nec luſoria res peragatur. Eſt inſuper civilis & canonici juris proloquium vulgatiſſimum, *Fraus & dolus nemini debent patrocinari*: patrocinarentur autem fraus & dolus ei, qui ſimulate contraheret cum muliere, ſi neceſſaria foret conſenſio animi, ſiquidem impune uxorem duceret, & cum illa haberet conſuetudinem; ſi autem ab illa ſejungi vellet, poſſet fugam arripere, atque in extera regione aliam mulierem legitimo connubio ſibimet copulare. Rurſus ſi verba exteriori tantum ſono prolata ſufficiunt ad detrahendum; quare ad contrahendum nequaquam ſufficient? Facili demum negotio, niſi matrimonia hujuſmodi firmiſſima cenſeantur, poterunt conjugia quæque diſſolvi: ſubortis enim inter conjuges diſſenſionibus, quod accidit quamfrequenter, fas erit viro, aut mulieri affirmare ſe invitus conſenſiſſe in conjugium, ac propterea nullum iſtud eſſe, ac ſolvendum.

At præcedens aſſertio evidentiſſime falſa eſt, & communiori ac ſaniori judicio refellitur. Enimvero ipſum *conſenſus* vocabulum actum interioris voluntatis ſignificat: atque in proloquio item verſatur, *Matrimonium non coitus facit, sed voluntas*; ut habetur xxvII. q. 2. n. 1. Canones quoque idem ſtatuunt; nam Innoc. III. cap. *Tuæ fraternitati*, de Sponſalibus, n. 25. interrogatus a Brixienſi Epiſcopo, utrum ex ſolis verbis matrimonium contrahatur, reſpondit, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris conſenſum, ſed neceſſaria ſunt quantum ad Eccleſiam verba conſenſum exprimentia de præſenti: ubi aperte verba exterius prolata ab interno conſenſu diſtinguuntur. Atque id Innocentius confirmat exemplo puerorum, *qui per ſola verba non contrahunt, cum intelligantur minime conſentire*. Idem Innocentius proximo cap. *Tua nos*, definit fuiſſe irritum conjugium viri, qui nomen proprium ſimulavit, & finxit ſe vocari Joannem, *non credens eſſe conjugium, eo quod ipſe non vocaretur hoc nomine, nec haberet propoſitum contrahendi, ſed copulam tantum exequendi carnalem*: produxitque Pontifex rationem illam, *Quoniam ex altera parte dolus ſolummodo affuit, & defuit omnino conſenſus, ſine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale*. Inſuper Clemens VIII. declaravit matrimonium initum a nobili quadam femina cum viro item nobili ac primario, animo ejuſdem feminæ a connubiis alieno, quamquam viro liberos pepeciſſet, nullum cenſendum eſſe, & requiri novum conſenſum utrinſque coram parocho ac teſtibus, ſignificata prius marito nullitate conjugii. Legendi ſunt de hac Clementis declaratione Paulus Comitolus lib. 1. Reſp. Mor. q. 120. Baſilius Poncius lib. IV. de Matr. cap. 24. n. 4. & Vanroy cap. 3. q. 7. Accedit auctoritas S. Thomæ ſcribentis in IV. diſt. 27. q. 1. *Expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit*. Similia S. Bonaventura in eamdem diſt. art. 2. q. 2. Poſtremo cum omnis contractus ſit actus humanus, nemo contractum aliquem facit, niſi habeat voluntatem contrahendi. Hæc tamen omnia intellige de foro interno: nam quantum ad externum pertinet, quum Eccleſia, homineſque de internis judicium proferant, quatenus verbis aut ſignis æquivalentibus patefiunt; exiſtimare debent adeſſe animi conſenſionem, ubicumque verba externaque ſigna non deſunt.

Faciliimum autem eſt argumentis in contrarium allatis reſpondere. Ad primum namque reponimus Magiſtrum refutari iis, quæ proximo paragrapho idem ſubjicit demonſtrans auctoritate canonum, ac Patrum, ſolo conſenſu voluntatis, & pactione conjugali matrimonium contrahi. Legatur §. *Quod autem conſenſus*, eadem diſt. 27. nu. 4. Ad 2. reſp. ſententiam illam circa intentionem externam omni argumentorum genere fuiſſe a nobis oppugnatam cap. 16. libri xxx. quamquam latiſſime eſt diſparitas inter conſenſum, qui ex natura rei neceſſarius eſt ad contractum, atque internam intentionem, quæ ex inſtitutione Chriſti requiritur ad Sacramentum. Ad 3. dicimus contrahentibus abſque animi conſenſione non patrocinari dolum & fraudem; ſed præter maximum animæ detrimentum, quod ſubeunt retinendo non ſuam, ac ſe fornicationis crimine polluendo, ſubjiciendos fore graviſſimis animadverſionibus, ſi non demonſtrata coram Eccleſia prioris conjugii nullitate, aliud contraxerint: teneri etiam ad mulierem, quam deceperunt, in uxorem ducendam, ut dicam infra. Ad 4. dicimus ſolis verbis detrahi famæ proximorum, quoniam verba per ſe alienam aeſtimationem lædunt ac denigrant; at ſola verba non ſufficiunt ad contrahendum, quoniam per ſe non efficiunt animorum conſenſum. Læditur enim fama narratione quandoque mendaci; ſed conſenſus non efficitur niſi unanimi voluntate. Ad ult. reſpond. non poſſe matrimonium diſſolvi, niſi judicio Eccleſiæ, quæ, ut dixi, ubi verba ſignaque præceſſerunt, præſumit interfuiſſe conſenſum: de quo non phyſicam quidem, ſed moralem tamen certitudinem habet, eo prorſus modo, quo ſolemnia virorum religioſorum vota, tametſi in foro conſcientiæ abſque animi deliberatione facta eſſent, ideoque nulla, ab Eccleſia tamen legitime emiſſa cenſentur.

II.

Sed oritur alia quæſtio, *num qui abſque interiori conſenſu matrimonium contraxit cum femina, teneatur illam ducere, & quomodo id fieri poſſit?* Ad hanc vero quæſtionem reſpondemus ſimulatorem ad feminam illam ducendam teneri, niſi forte cum alia poſtea contraxerit, aut ipſa quoque gravi deceptione virum ita læſerit, ut injuria injuriæ poſſit comparari. Et ratio eſt, quia juxta ſententiam Theologorum, quos laudat Sylvius in quæſt. 45. Supplem. art. 4. eatenus dicitur ſimulatori, de quo eſt ſermo, dolum aut fraudem minime patrocinari, quatenus ad eam ducendam, quam decepit, in utroque foro tenetur: in foro ſcilicet externo propter verborum ſignificationem, cum Eccleſia judicet verba ab interiori conſenſu non fuiſſe divulſa; in interno autem propter damnum, atque injuriam, qua affecit mulierem a ſe deceptam. Hæc enim ſi alteri vellet nubere, aut non poſſet, quum difficillimum foret demonſtrare ſcelerati conjugis ſimulationem; aut ſaltem ob divor-

tium

Digitized by Google

tium male audiret, & violatæ pudicitiæ damnum pateſeret. Deinde ſimulator, cum æquitatem & juſtitiam violaverit, omnino ad ſatisfactionem tenetur; qua autem ratione poterit ſatisfacere, niſi depoſita ſimulatione, concordi animo in conjugem accipere, quam improbe feſellit & circumvenit? Id quomodo executioni mandandum ſit, conſtat ex n. præcedenti. Innovandus eſt enim conſenſus utrinque, cum prior contractus fuerit nullus ac irritus; quod diximus quoque a Clemente VIII. fuiſſe ſtatutum. Neque dicas conſenſum alterius virtualiter perſeverare, ideoque ſufficere, ut qui ficte contraxerat, in matrimonium conſentiat; nec requiri, ut ſimul conſenſio utriuſque exprimatur, ut docent S. Thomas, Paludanus, Richardus, aliique veteres Theologi in diſt. 29. libri IV. Sent. nam poſt Concilium Tridentinum, ſicut conſenſus debet fieri coram parocho ac teſtibus, utroque conjuge adſtante; ita, ſi nullus fuit, neceſſum eſt ut eadem ratione innovetur & convaleſcat. Sed lege Vanroy quæſtionem hanc erudite pertractantem cap. 3. de contractu matrim. q. 9.

III.

Tertia quæſtio eſt, *an filii ſuſcepti in illo matrimonio ſimulate contracto tanquam legitimi habendi ſint?* Legitimos eſſe affirmamus, dummodo matrimonium bona fide contractum fuerit ab uno ex conjugibus fraudem alterius ignorante; ac præterea non clandeſtine initum ſit, ſed coram teſtibus & in facie Eccleſiæ. His enim duabus conditionibus poſitis matrimonium, quod *putativum* appellant, non afferre filiis præjudicium aliquod, aut damnum hæreditatis docent Jureconſulti omnes in v. Decretal. tit. 17. cap. *Cum inter*, num. 2. ubi Alexander III. definit filios conceptos a parentibus, qui publice, & ſine contradictione Eccleſiæ inter ſe contraxiſſe noſcantur, etiamſi poſtea matrimonium ſolvatur & nullum judicetur, attamen legitimos habendos eſſe, in bona paterna hæreditario jure ſuccedere, & de parentum facultatibus eſſe nutriendos. Similia habentur cap. *Ex tenore*, eodem tit. nu. 14. Ratio eſt, quoniam ſi matrimonium contrahatur in facie Eccleſiæ, jure præſumitur bona fides: unde Joannes Sariſburienſis ep. 89. ait: *Parcit interdum manſuetudo legum his ab ignorantia convictis, qui ab invicem ſeparantur; liberoſque eorum ab infamia & hæreditatis damno liberat, quos Eccleſia per ignorantiam decepta conjungit auctoritas.* Etiam leges civiles legitimos eſſe declarant filios ex viro & uxore ſuſceptos, ſi publice contraxerunt, qualecumque impedimentum dirimens matrimonia poſtea innoteſcat; ſi tamen filii, ut dixi, ante conjugii ſolutionem concepti ſint: immo nec hæreditario jure privari poſſunt, ſi mater accuſata de adulterio ſpurios eſſe fateatur: quoniam tanta eſt matrimonii dignitas ac poteſtas, ut ſi ſemel in Eccleſia cum bona fide contractum fuerit, quotquot non ſeparatis conjugibus naſcuntur filii, proprii ac legitimi cenſeantur. Vide Maribam de ſucceſſ. leg. p. 1. q. 18. Baſilium Poncium lib. 2. de Matr. cap. 8. Menoch. de Præſumpt. lib. v. præſumpt. 3. n. 107. Em. Gonzalez in tit. 17. lib. IV. Decret. cap. 2.

IV.

Quæſtio quarta eſt, *quibus verbis exprimi debeat conſenſus matrimonialis?* Reſpondemus autem exprimendum eſſe verbis, ut canones ac Theologi inquiunt, *de præſenti*; quibus nempe uterque contrahentium ſignificet ſe nunc in conjugium, & translationem poteſtatis in corpus ſuum aſſentiri. Hoc enim inter ſponſalia, & matrimonium intereſt, quod illa ſunt futurarum nuptiarum mentio & promiſſio, matrimonium vero eſt ipſa maris & feminæ conjunctio, conſortium vitæ, & divini humanique juris communicatio. Si tamen contrahentes conſenſum tali ratione exprimerent, ut ſignificarent ſe ab eo tempore ut maritum uxoremque invicem habituros, matrimonium contractum eſſet de præſenti, ex cap. *Ex parte*, de Sponſal. & matr. n. 9. quia licet verba juxta grammaticæ ſyntaxim futuri eſſent temporis, præſentem tamen conſenſionem acceptationemque ſignificarent. In mutis ſurdiſque juxta cap. *Cum apud ſedem*, ibidem n. 23. pro verbis nutus ſufficiunt; cum enim a matrimonio contrahendo nullo jure prohibeantur, *quod verbis non poſſunt*, ſignis valent declarare. Quod ſi ad alterum decipiendum unus contrahentium utatur verbis ambiguis, prout dictum eſt nu. 1. & ab Innoc. III. definitum cap. *Tua nos*, matrimonium contractum erit ſolummodo in foro judiciali & externo.

CAPUT V.

An ad Eccleſiam ſpectet impedimenta matrimonii ſtatuere, atque in iis diſpenſare.

VEtumenimvero permulta ſunt alia, quæ matrimoniales contractus enervant, & inanes irritoſque reddunt, & quæ *matrimonii impedimenta* appellantur. De quibus priuſquam contracte & ſummatim agam, prætermittenda nequaquam eſt illa quæſtio, penes quos reſideat auctoritas ejuſmodi impedimenta conſtituendi. Lutherus enim, Calvinus, & proſtratus Marcus Antonius de Dominis in libro quinto de Chriſtiana Republica ſcripſerunt nullam Eccleſiæ facultatem ineſſe conditiones, & cauſas apponendi, propter quas aliqui nequeant matrimonium contrahere, in eam ſententiam adducti ex quo matrimonium ſit contractus civilis, & ad effectum naturalem, corporeumque pertineat, ac propterea cauſæ ad matrimonium ipſum ſpectantes non ſint a ſpiritualibus judicibus pertractandæ. Quum vero hæreticam illam opinionem damnaverit Tridentina Synodus canone 4. ſeſſ. XXIV. *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit*, & canone 12. *Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos; anathema ſit*: Joannes Launojus Doctor Sorbonicus in Opere quod inſcripſit, *De regia in matrimonium poteſtate*, diſtorta vocabuli acceptione contendit Eccleſiæ nomine comprehendi Regum perſonam, & per Eccleſiam induci impedimenta, quæ inducuntur per reges. Id vero ineptiſſime a Launojo dictum eſt, cum alia Eccleſiæ, alia autem civilis ſocietatis ſit ratio, & longiſſime diſcrepent judex Eccleſiaſticus ac ſæcularis. Inquirendum eſt ergo quid hac in re Eccleſiæ auctoritas, quid principum poteſtas valeat: quod brevi diſſertatione prælibabo, nam qui ampliorem deſiderat, adire poterit Bellarminum de Matrim. cap. 32. Baſilium Poncium in Opere de Impedimentis matrimonii diſtincto ab altero, quod de hoc ſacramento conſcripſit, Joannem Gerbais adverſus Launojum, Du-Hamelium lib. 2. de Matrim. cap. 2. ut mittam Juenin, Tournelium, Le-Droint, alioſque recentiores.

PROP. I. De matrimonio, quod ſacramentum non eſt, ſed contractus tantum civilis, cujuſmodi eſt quod inter infideles contrahitur, poteſt Magiſtratus & Princeps ſæcularis cauſas aſſumere, & conſtituere impedimenta.

Etenim Magiſtratus & Principes habent auctoritatem ferendi leges, quæ ad reipublicæ bonum conducunt: hujus autem generis ſunt contractus omnes civiles; igitur principes ac magiſtratus poſſunt circa omnes contractus civiles legem ferre. At matrimonii impedimenta ſtatuere nihil eſt aliud, quam legem aliquam ferre circa contractus civiles: id ergo auctoritatem poteſtatemque principum non excedit. Præterea matrimonium, prout a ſacramenti ratione ſejungitur, eſt contractus civilis, quo conjugium ineuntes poteſtatem ſuorum corporum invicem ſibi tradunt: atqui ſæcularis poteſtas habet auctoritatem leges condendi, ut contractus, quibus rerum dominium transfertur, fieri non valeant niſi ſub certa forma, atque a certis perſonis; igitur hoc idem a poteſtate ſæculari circa matrimonium decerni poteſt. Confirmari & explicari poteſt hæc ratio comparatione contractuum venditionis, alienationis, emptionis, in quibus certum eſt nonnullos politici regiminis conſtitutionibus declarari & reddi ad contrahendum inhabiles. Quot denique leges ad matrimonium ſpectantes tranſactis ſæculis conſtitutæ fuerunt Romanorum Imperatorum, aliorumque principum auctoritate? Sat eſt perlegere titulum primum ac ſecundum libri vigeſimi tertii Digeſtorum, ideſt, *de Sponſalibus*, & *de Ritu nuptiarum*, in quibus titulis leges hujuſmodi comprehenduntur.

Opp. Quæ ſunt juris naturæ, legibus humanis minime ſubjiciuntur. At contractus matrimonii ſunt juris naturæ. Itaque contractus matrimonii nequaquam humanis legibus ſubjiciuntur.

Reſp. 1. Matrimonialem contractum poſt ſufficientem humani generis propagationem, ut diximus primo capite, non eſſe juris naturæ præceptum, ſiquidem non omnes tenentur ad contrahendum, ſed eſſe juris naturæ inſtitutionem ad commune reipublicæ commodum ordinabile, cujuſmodi ſunt contractus reliqui. In his vero, quæ jure naturæ omnibus non præcipiuntur, humanæ leges vim & directionem habere debent, quatenus ad illas ſpectat expendere, ac definire quænam utilia & percommoda ſint civili ſocietati, quænam vero noxia, & adverſa. Secundo reſpondeo in contractu matrimoniali, quemadmodum & in ceteris, aliquid inveniri quod lege naturæ inſtitutum eſt, ſcilicet, quod ſint voluntarii, quod non fiant per vim & coacte, quod ſint de re juſta nec repugnante: aliquid vero, quo hiſce conditionibus a natura proficiſcentibus additur a locorum, temporum, & perſonarum circumſtantiis, puta, quod fiant adſtantibus teſtibus, poſt pubertatem, & ab iis, qui nullo votorum vinculo ſunt obſtricti. Primum, quod ex naturalis juris fonte immediate promanat, immutabile omnino eſt, nec ſubjicitur humanarum legum diſpoſitioni; alterum vero mutationi ſubeſt, atque hoc eſt, quod principum auctoritati committitur, & ratum ac firmiſſimum eſſe debet, quotieſcunque communibus naturæ præceptionibus non adverſetur, ſed illas dirigat perficiatque, & reipublicæ utilitatem, quam ipſum jus naturæ præſertim intendit, ſuperadditis conſtitutionibus non impediat vel minuat, ſed promoveat magis & augeat.

PROP. II. Statuere impedimenta matrimonii, atque de hoc proferre judicium, poſteaquam ad Sacramenti dignitatem evectum fuit, pertinet ad jus, & ad auctoritatem Eccleſiæ.

Ita

Ita definivit Tridentinum Concilium citato canone 4. & longa antea Concilium Senonenſe ſub Clemente VII. celebratum, in decretis fidei cap. 17. Probatur autem multiplici argumentorum genere. I. Primum depromi poteſt ex Apoſtolo ſcribente in II. ad Corinth. VI. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*: quæ verba etſi a multis accipiantur de jugo, & vinculo conſuetudinis, ideſt, communi hoſpitio, menſa, convictu; poſſunt tamen rectiſſime accipi de conjugio, quum nulla ſit major conſuetudo quam illa, quæ inter virum uxoremque intercedit. Atque ita ſane hunc locum interpretatus eſt lib. I. adverſus Jovinianum pag. 152. edit. Martian. præſtantiſſimus Eccleſiæ doctor Hieronymus. Qui hæc Apoſtoli verba comparans cum aliis, quæ leguntur in I. ad Corinth. VII. 18. ubi mulier fidelis cum viro infideli permittitur habitare, ait, *agnoſcere Apoſtolum infidelium conjunctioni, quæ habentes maritum in Chriſtum poſtea crediderunt; non iis, quæ cum Chriſtianæ eſſent, nupſerunt gentilibus*: ac paulo infra ſubjicit, *quod Chriſtianæ omnino non liceat Ethnico nubere*. Atque id Hieronymus recte ab Apoſtolo præceptum fuiſſe commonſtrat exemplo Abrahami, qui adjuravit ſervum *in femore ſuo*, unde Chriſtus naſciturus erat, ne filio ſuo Iſaac uxorem adduceret alienigenam: ex fœdere inito a populo Dei I. Eſdræ X. 30. de non deſponſandis filiabus ſuis populo idololatræ, neque ex hujus generis fœminis in connubium ducendis; verbiſque Malachiæ prophetæ II. 11. *Contaminavit Judas ſanctificationem Domini, & dilexit & habuit filiam Dei alieni*. Id vero non eſt aliud, quam impedimentum, quod appellatur *cultus diſparitas*. II. Propoſitum ait argumentum auctoritati Patrum innixum. Tertullianus enim de Corona cap. 13. *Coronant* (inquit) *& nuptiæ ſponſos: ideo non nubamus Ethnicis, ne nos ad idololatriam uſque deducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt*. In ſecundo ad Uxorem libro idem Tertullianus totus eſt, ut demonſtret in Evangelica lege prohiberi ne matrimonium jungatur cum infidelibus: quod nuper diximus docuiſſe quoque Hieronymum. S. P. Auguſtinus libro XV. de Civit. Dei cap. 16. ſcribit, *Quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia?* Antiquis enim Romanorum legibus conjugia inter conſobrinos legitima cenſebantur, teſte Caſſiodoro libro VII. variar. lect. cap. 46. & quamvis poſtea damnata fuerint in Codice Theodoſiano l. 2. de inceſtis nuptiis, eo tamen loci Auguſtinus docet, hoc quod terrena civitas ſtatuit *propter multiplicandas affinitates, & numerum propinquitatis augendum*, reprobari a cæleſti civitate, *ob pudicitiam conjugalem*, quæ ab iis continere debet, quibus debet verecundum propinquitatis honorem. III. Demonſtratur propoſitio perantiqua Eccleſiæ conſuetudine, eo quod a priſcis ſæculis ad hæc uſque aut Romani Pontifices aut Concilia matrimoniorum impedimenta decreverint. Siricius enim Papa in Epiſtola ad Himerium vetuit ne monachi, aut ſacræ virgines connubia contrahant *quum id Eccleſiaſtica jura condemnent*. Innocentius I. ep. 9. ad Probum ſententiam protulit de conjugio viri, cujus prior uxor de captivitate reverſa fuit, quod idem profecto eſt, ac definire quod attinet ad *ligamen*. Leo Magnus Epiſt. 92. ad Ruſticum definivit Epiſcopos, & presbyteros, qui cum eſſent laici vel lectores uxorem duxerunt, debere ab operibus nuptiarum ceſſare, non autem repudiare conjugium: non eſſe duplicationem connubii, ſed profectum honeſtatis, ancillam a toro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere: non erraturum fore qui filiam ſuam habenti concubinam in matrimonium dederit; nec idem illud eſſe, ac illam conjugato in matrimonium locare. Gregorius Magnus lib. XI. Epiſt. indict. IV. ep. 64. Auguſtino Anglorum epiſcopo interroganti ad quotam generationem fideles poſſint cum propinquis conjungi, reſpondet non attendendam eſſe legem Romanæ Reipublicæ permittentem, ut ſive fratris, ſive ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filius & filia miſceantur, ſed vel tertia vel quarta generatione connubia fidelium licenter jungi: a ſecunda omnino abſtinendum eſſe: cum noverca miſceri graviſſimum eſſe ſcelus: cum cognata quoque prohibitum eſſe conjugium. Nicolaus item I. ad Conſulta Bulgarorum, qui Romanorum Imperatorum ditioni minime ſubjiciebantur, cap. 3. conſanguinitatis gradus præſcripſit, inter quos jungere connubia non poſſent. Quid vero canones ſtatuerunt? Sæculo IV. Eliberitana Synodus celebrata anno 315. ſive, ut aliis placet, 305. canone 15. ſtatuit ne Chriſtianæ virgines Gentilibus in matrimonium locentur; idem proximo canone 16. decrevit de puellis non conjungendis cum viris hæreticis, niſi hi ad fidem Catholicam venerint; & canone 61. & 66. docuit inceſtas eſſe nuptias cum ſorore uxoris ſuæ, aut cum privigna. Ancyrana Synodus an. 314. cap. XI. ſancivit nullum eſſe matrimonium cum deſponſatis puellis a viro raptis, quamvis raptor delibaverit florem virginitatis: & Neocæſarienſis eodem anno coacta can. 1. confirmavit impedimentum *Ordinis*, & can. 2. abjiciendam uſque ad mortem dixit mulierem, quæ duobus fratribus nupſerit. Œcumenica Synodus Chalcedonenſis an. 451. can. 16. tradidit non licere monacho, & virgini Deo conſecratæ nuptialia jura contrahere. Agathenſis an. 506. canone 61. plures conſanguinitatis gradus

aſſignavit, qui inceſtam reddunt conjunctionem, & declaravit nequaquam conjugii nomine deputandum eſſe, ſi quis relictam fratris carnali commiſtione polluerit: ſi quis frater germanam uxoris acceperit: ſi quis novercam duxerit: ſi quis conſobrinæ ſe ſociaverit: ſi quis avunculi, aut patrui filiæ, vel privignæ ſuæ miſceatur. Concilium Lateranenſe IV. an. 1215. cap. 50. impedimenta conſanguinitatis intra quartum gradum coarctavit, Tridentinum denique an. 1563. ſeſſ. 24. can. 3. anathema intorſit in eos, qui dicere audeant non poſſe Eccleſiam conſtituere ut plures gradus conſanguinitatis & affinitatis, præter illos, qui exprimuntur in Levitico, impediant & dirimant matrimonium: quod ſequenti canone 4. ſancivit univerſim de reliquis impedimentis, declarans ulterius cap. 1. de Reform. matrim. nulla & irrita matrimonia clandeſtina, quæ antea vere & rata fuera. IV. Confirmatur propoſitio ex ipſo jure canonico, quod ante Tridentinum Concilium, atque ante exortam Lutheranam hæreſim, non tantum plura matrimonii impedimenta conſtituerat, verumetiam definierat cauſas natalium & legitimationis pertinere ad forum Eccleſiaſticum, cap. *Tuam*, de Ordine cognit. num. 3. Neminem prætextu conſanguinitatis poſſe propriam uxorem abjicere, & adhærere alteri, donec Epiſcopi cauſam examinaverint, cap. *Multorum*, XXXV. q. 6. num. 10. Eccleſiæ, non autem magiſtratibus impedimenta cognationis ſpiritualis eſſe enunrianda, cap. *Tua nos*, de Cognat. ſpirit. num. 7. Matrimonia in Eccleſiis contrahenda eſſe, & per presbyteros proponenda, competenti termino præfinito, ut intra illud qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat, cap. *Cum inhibitio*, de clandeſt. deſponſat. num. 3. aliaque ſtatuerat bene multa, quæ cap. proximo, & ſequentibus ad lectoris memoriam revocabuntur. V. Neque enim dici poteſt Eccleſiam aut poſtremis ſæculis, aut violata Principum juriſdictione jus ſtatuendi impedimenta matrimonii ſibimet arrogaſſe; quandoquidem ex præmiſſis Conciliorum, & Pontificum Romanorum ſtatutis manifeſtum eſt, jus illud perantiquum eſſe ac perpetuum, & quod caput eſt, eorumdem principum approbationibus, factis, legibuſque firmatum. Vigilius enim Romanus Pontifex, qui Petri cathedram conſcendit anno 540. Theodeberto Francorum regi ſeparationem indixit a vidua fratris ſui, quam duxerat in uxorem. Leo III. ad ſummum Pontificatum evectus an. 795. per legatos ſuos egit ut Philippus Auguſtus reciperet in conjugem, legitimam uxorem ſuam, quam injuſte repudiaverat; atque idem Leo irritum declaravit, diremitque conjugium Henrici I. Caſtellæ regis cum filia regis Luſitaniæ propter conſanguinitatis impedimentum. Gregorius V. renunciatus Pontifex Maximus an. 996. nullum irritumque pronunciavit matrimonium Roberti Franciæ regis, & Bertæ illius conſanguineæ, ſeparato quoque ab Eccleſiaſtica communione Archiepiſcopo Turonenſi, qui præfuerat nuptiis illis inceſtuoſis. Honorius III. inauguratus Romanus Pontifex an. 1216. ad ſe advocavit cauſam natalium Adelæ reginæ Cypri, ex qua cauſa pendebat alia de ſucceſſione comitatus Campaniæ, propterea quod *exceptio illegitimitatis* pendeat a valore matrimonii, de quo ad ſolum judicem Eccleſiaſticum ſpectat ſententiam ferre: atque ne in producendis hujuſmodi exemplis lectorem vexem diu, afficiamque moleſtia, Clemens VIII. an. 1592. amplitudine ſummi Pontificatus adauctus adegit Henricum hujus nominis IV. ad dimittendam Margaretam reginam cum qua contraxerat poſt repudii ſententiam a judicibus Eccleſiaſticis pronuntiatam. Ipſi ergo ſæculares principes, & præditi quoque monarchica auctoritate conſeſſi ſunt, matrimoniorum cauſas ad forum Eccleſiaſticum pertinere. VI. Quid? quod ipſi ſupremi principes decernentes aliquid attinens ad matrimonii cauſas, illud juri Eccleſiaſtico ſubjectum, & ad hujus normam ſervandum eſſe affirmaverunt? Nam Chilpericus in Capitul. editis an. 595. art. 1. juſſit inceſtas nuptias juxta Epiſcoporum ſanctiones emendari; atque ut narrat lib. V. cap. 18. Gregorius Turonenſis, adverſus Prætextatum Epiſcopum in conventu ſacrorum antiſtitum expoſtulavit, quod ille *contra ſtatuta canonum* Merovechum cum amita ſua, ideſt, cum uxore patrui ſui conjunxiſſet. Carlomannus pariter in congreſſu Liptinenſi cap. 3. præcepit, *ut adulteria & inceſta matrimonia prohibeantur, & emendentur Epiſcoporum judicio*. Eadem ſervari mandavit Carolus Magnus, ut apparet ex lib. V. Capitul. num. 5. & lib. V. num. 7. quod & ſingulari confirmavit exemplo abjiciens poſt ſententiam ab Epiſcopis latam, filiam Deſiderii Longobardorum regis Bertam, (quam in uxorem duxerat Bertradæ matris hortatu) *eo quod eſſet ad propagandam prolem inhabilis*, ut ſcribit Monachus Sangallenſis apud Baronium ad an. 771. num. 3. nec niſi poſt divortium factum *ſanctiſſimorum ſacerdotum judicio* duxit nobiliſſimam feminam Hildegardem, quæ proinde in Epitaphio, quod tribuitur Alcuino, dicitur,

Hildegard Carolo quæ bene nupta fuit.

Cur præterea Galliarum Oratores in Tridentino Concilio tanta anxietate regis regnique nomine poſtularunt, ut clandeſtina, & furtiva conjugia in Eccleſiæ ſenatu prohiberentur, ſi matrimoniales cauſæ ad Eccleſiaſticos judices non pertinebant? Poſt Tridentinam denique Synodum Henricus IV. in edicto an. 1606. & Ludovicus XIII. in altero

Rr

tero edicto an. 1639. declararunt in matrimoniis ſervanda eſſe quæcunque a Conciliis præſcripta ſunt, & difficultates in his emergentes in foro Eccleſiaſtico eſſe diſcutiendas. Vide Du-Hamelium tom. 7. edit. Pariſienſis pag. 747. & Juenin quæſt. 6. cap. 1. in argumento deducto ex teſtimonio & praxi principum ſecularium. VII. Nec deſunt argumenta a ratione petita: quorum primum eſt, matrimonium ordinari ad bonum Eccleſiæ, quatenus eſt conjunctio maris & feminæ, qui ſimul nuptiali fœdera copulantur, ut fidelium plebem generatione multiplicent, atque ad Dei cultum enutriant, & inſtruant; *Quod enim ad bonum Eccleſiæ ordinatur*, inquit in IV. adverſus Gentiles cap. 78. Doctor Angelicus, *oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico*. Alterum eſt hujuſmodi: Etiam ea, quæ ſunt juris naturalis, quatenus ad Dei cultum referuntur, & continentur in ordine rerum, quæ Deo conſecrantur, ſubjiciuntur legibus Eccleſiaſticis, propterea quod lex naturæ rem agendam, vel non agendam præſcribat, modum vero, ordinemque conſtituere legis poſitivæ munus ſit. Quamquam enim E. G. Deum colere cuique inditum ſit a natura, ut cultus tamen Deo exhibeatur ſacrificiis, obſervatione feſtorum, rituumque condecentia, ad Eccleſiæ pertinet diſpoſitionem. At matrimonium, etſi jure naturali inſtitutum, multiplici tamen titulo, ſcilicet, ob generationem Chriſtianæ plebis, ob conjugalem pudicitiam, ob caritatis vinculum, ac præſertim ob conjunctionis Chriſti myſterium, & ſpirituale ſignaculum computatur inter res ad cultum Dei, religionemque Chriſtianam maxime pertinentes. Matrimonii igitur modum, tempus, ritumque præſcribere ſpectat ad jura Eccleſiaſticæ poteſtatis. Atque hoc argumentum proponit, multiſque confirmationibus colluſtrat inſignis Auguſtinianus Theologus Fridericus Gavardi Volum. 6. Scholæ Ægid. pag. 589. Tertium argumentum ſit quod proponit Auguſtinianus alter, & etiam illuſtrior Theologus, Baſilius Poncius lib. 6. de Matrim. cap. 2. num. 1. quoniam ſcilicet Eccleſia nullas irritaſque reddit leges civilium Magiſtratuum circa contractus matrimoniales: quod vir doctiſſimus probat ex conjugiis inter conſobrinos, de quibus dixi num. 2. necnon ex cap. *Cum ſecundum Apoſtolum*, De ſecundis nuptiis, quo capitulo abrogatur infamia, qua lege Cæſarum afficiebantur viduæ infra annum luctus iterum nubentes; de qua lege Seneca Epiſt. 63. ad Lucil. ait, *annum feminis ad lugendum conſtituiſſe majores*, atque in 3. Faſtorum Ovidius:

Aſſuetos igitur numeros ſervavit in anno:
Hoc luget ſpatio femina mœſta virum.

E contra vero leges circa matrimonium ab Eccleſia conſtitutæ, a ſeculari principe infringi & abrogari non poſſunt. Addam nonnulla paullo infra in ſolutione ſecundæ oppoſitionis.

PROP. III. In hac quæſtione, quam dirimendo aſſerimus ſpectare ad Eccleſiam cauſas matrimoniales cognoſcere, & matrimonii conſtituere impedimenta, *Eccleſiæ* nomine nequeunt intelligi principes & magiſtratus ſeculares.

Conſequitur aſſertum illud ex præcedenti, & breviter confirmatur. Enimvero quæ decernuntur auctoritate canonum, Epiſcoporum judicio, & Romanorum Pontificum conſtitutionibus, non conſtituuntur ab Eccleſia quatenus comprehendit principes, rectoreſque reipublicæ, ſed quatenus habet formam regiminis, ac poteſtatem a civili & ſeculari diſtinctam. At demonſtratum eſt ea, quæ ſpectant ad matrimonium, præſcribi & judicari canonum, Epiſcoporum, Romanorumque Pontificum auctoritate. Igitur decernuntur, & judicantur a poteſtate Eccleſiaſtica, in quantum a poteſtate politica, & ſeculari diſtincta eſt. Præterea in cap. *Tuam*, 2. Decret. tit. x. num. 3. Honorius hujus nominis Tertius inquit cauſam natalium ad forum Eccleſiaſticum pertinere, cauſam vero ſucceſſionis a foro ſeculari diſcuti nullatenus poſſe, *donec cauſa natalium Apoſtolico judicio finem acceperit*. His autem verbis nonne judicium, & forum Eccleſiaſticum apertiſſime a judicio & foro ſeculari ſecernitur? Inſuper Tridentini Canones editi ſunt adverſus Novatores, qui aſſerebant non poſſe jure Pontificio in gradibus conſanguinitatis & affinitatis aliud ſtatui, quam quæ ſcripta ſunt cap. 18. Levitici, ut in lib. de Captivitate Babylon. cap. de Matr. ſcripſit Lutherus, & lib. IV. Inſtitut. cap. 19. §. ult. Calvinus; effutiebantque immerito legibus Pontificiis ne connubia inter ſe contrahant prohiberi conſobrinis & fratruelibus, ut ad cap. 19. Matthæi commentatur Bucerus. Sicut ergo hæretici *Eccleſiæ* nomina accipiunt ordinem, & Hierarchiam Sacerdotum; ita ordinem & Hierarchiam Sacerdotum intellexit Tridentina Synodus quando figmenta illa hæreticorum proſcripſit. Demum Reges, quos num. 5. præced. prop. commemoravi, confugerunt in cauſis matrimonialibus ad Pontificium tribunal; quod & fecit priuſquam a Catholica religione apoſtataret Henricus VIII. rex Angliæ, cum vellet repudiare Catharinam conjugem quondam germani fratris ſui, quam rato legitimoque connubio duxerat diſpenſatione Julii II. & matrimonium inire cum Anna nomine Bolena, miſſis ad Clementem VII. Stephano Gradinero J. C. & Franciſco Briano, ut ſi artificio aliquo potuiſſent, facultatem ineundi adulterini conjugii extorquerent. Ipſi ergo Reges noverunt optime, tribunal, in quo cauſæ matrimonii diſcutiuntur, longe ab illo diverſum eſſe, in quo ipſi jus dicunt, ſententiaſque pronuntiant.

Militant vero adverſus aſſertam Eccleſiæ poteſtatem quæ ſequuntur. Eccleſia non poteſt immutare *materiam* ſacramentorum, quum hæc a Chriſto Domino determinata fuerit atque præſcripta. At contractus civilis eſt *materia* ſacramenti matrimonii. Igitur Eccleſia non poteſt contractus civiles impedimentis appoſitis immutare. Reſp. Chriſtum utique pro hujus ſacramenti *materia* determinaſſe contractum civilem, ſed minime declaraſſe quinam contractus legitimus ſit habendus; quoniam in iis, quæ ad publicum commodum ordinantur, præter invariabilem formam, & conditionem, quam exigit jus naturæ, addi poſſunt lege poſitiva conditiones acceſſoriæ (puta, ut contractus hac duntaxat ratione, atque ab iis, non ab aliis perſonis fiant) ſine quibus conditionibus pernicioſa potius forent, quam reipublicæ utilia, ideoque non conducerent ad bonum illud commune, quod præcipue lex ipſa naturalis intendit. Explicavi id paullo ſupra prop. 1. necnon libro XXX. cap. 10. addamque nonnulla cap. 7. hujus libri, ubi agam de clandeſtinis conjugiis. Neganda eſt igitur conſequentia, quoniam Eccleſia pro hujus ſacramenti *materia* non conſtituit rem aliquam præter contractum legitimum; ſed definivit qualis contractus in præſentia, rebuſque ſic ſtantibus ratus, & legitimus debeat exiſtimari.

Deinde oppones: Si Eccleſia facultatem habet ſtatuendi impedimenta matrimonii, eadem pariter inducere poterunt magiſtratus ac principes ſeculares: quod oſtenditur proximis argumentis. Principio, ut prop. 1. demonſtratum eſt, matrimonium cum ſit contractus civilis, atque ad politiam, & communem reipublicæ utilitatem referatur, ſubjici debet juri principum quorum curæ politicum regimen commiſſum eſt; nec poſſunt hoc jura, niſi ſponte ei cedant, exſpoliari ſanctione aliqua Eccleſiaſtica, quum ab imperii, & principatus auctoritate ſit idem jus penitus indivulſum. Deinde tranſactis ſeculis imperatores ac principes tulerunt circa matrimonium leges plurimas, quas Eccleſia, non ut illegitima poteſtate conſtituras habuit tanquam nullas & irritas, ſed excepit potius, commendavit, atque executioni mandandas eſſe decravit: cujuſmodi ſunt lex Theodoſii vetans inter conſobrinos connubia, quam legem laudat in Epiſt. 66. ad Paternum Ambroſius; atque leges aliæ imperiales prohibentes ne matrimonia inter conſanguineos jungantur; de quibus legibus mentionem fecerunt in Epiſtula ad Himerium Tarraconenſem Siricius, in litteris ad Ruſticum Narbonenſem magnus Leo, atque in reſcriptis ad conſultationes Bulgarorum Nicolaus Primus. Ad hæc in prioribus Chriſtianæ religionis ſeculis Imperatores idololatræ poterant fidelibus ditioni ſuæ ſubjectis præſcribere conjugiorum impedimenta, æque ac paganis & ethnicis, cum in utroſque dominio imperioque pollerent, neque ob diverſam ſubditorum religionem amitterent proprii juris auctoritatem: ideoque frui debent jure ipſo, eademque facultate Chriſtiani principes, nequaquam ob fidem, quam profitentur atque propugnant, poteſtate exercendæ juriſdictionis privandi. Inſuper non tantum antiquis legibus Juſtiniani, verum etiam recentioribus Regum Galliarum declarantur irrita & nulla matrimonia a filiis familias contracta abſque parentum ſuorum conſenſu, necnon ea quæ inſciis eiſdem regibus contrahuntur a viris fœminiſque regali ſemine procreatis; quæ tamen omnia adverſantur definitionibus ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ.

Huic argumento, quod non exigui momenti eſt, non una ratione occurrunt viri doctiſſimi. Permulti ab illo ſeſe expediunt reſpondendo etiam principibus in impedimentis matrimonii ſtatuendis jus eſſe ſuum; & in conjugiis, quæ lege naturali inſtituta ſunt in quantum ſpectant ad officium naturæ, ſubjiciuntur autem diſpoſitioni juris civilis quatenus attinent ad reipublicæ commodum, & prout cohoneſtantur ſacramenti ratione ad normam juris Eccleſiaſtici ſunt ineunda, ſuas habere partes jus naturale, ſuas item civile, ac ſuas itidem Eccleſiaſticum, neque ab una lege frangi præſcriptiones alterius, proptereaquod leges ſingulæ peculiari ſibique propria ratione de matrimonio ipſo decernunt, atque ſeſe mutuo muniunt & fovent; id vero nullatenus repugnare Tridentino Concilio, quod ſuum quidem jus aſſeruit Eccleſiæ, ſed proprium principibus ſecularibus non ademit. Contendunt vero hanc eſſe mentem S. Thomæ, qui in IV. diſt. 34. quæſt. un. art. 1. ad 4. ſcribit: *Matrimonium in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ; in quantum eſt ſacramentum, ſtatuitur lege divina; in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur lege civili: & ideo ex qualibet dictarum legum poteſt aliqua perſona effici ad matrimonium illegitima.* Similia ſcribit Doctor Angelicus lib. IV. contra Gentes cap. 78. Propugnant vero ſententiam Petrus Soto lect. 4. de Matrimonio, Franciſcus Victoria Relect. 3. Gonet diſp. 7. art. unico §. 1. Gerbeſius in Tractatu de Eccleſiæ & Principum poteſtate & voluntate ſuper impedimentis Matrim. Gamachæus de Matrim. cap. 15. Du-Hamel lib. 2. cap. 3. & 4. Tournely Q. 7. art. 2. Le-Droint q. 6. cap. 1. aliique multi, præſertim ex Doctoribus Sorbonicis. Hi nimirum inquiunt matrimonium ſimul eſſe contra-

ctum

Digitized by Google

ctum civilem, ac Sacramentum, nec repugnare quin principum ſæcularium legibus ſubjiciatur in quantum contractus civilis eſt, & ſolius Eccleſiæ ſubſit definitionibus quatenus eſt Sacramentum. Diſcrepant hi tamen doctores plurimum inter ſe, quoniam aliqui ajunt Chriſtianos principes pietate & religione adactos proprio jura non uti, ut Eccleſiæ ſtatuta vim habeant; immo & tali jure ſponte ceſſiſſe, ut citata lect. 4. ait Soto: alii vero cenſent principes jus ſuum etiamnum retinere, ſed illo nequaquam uti, niſi Eccleſia approbante, ut Tournalius, aliique Sorbonici; quidam denique aſſerto & vindicato Eccleſiaſtico jure, cenſuerunt circumſpectione quadam ais neceſſaria, de magiſtratuum regumque auctoritate non agere, prout fecit in erudito de Sacram. Comment. diſput. x. q. 6. cap. 1. ad 4. Gaſpar Jueninus.

Opinantur quidam alii, præteritis ſæculis jura quidem principum circa cauſas matrimoniales in ſuo robore permanſiſſe, at poſtmodum Eccleſiaſticis definitionibus fuiſſe abrogata & extincta, eo quod Pontifices illas ſibimet reſervaverint. Ita cenſet Thomas Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 3. n. 2. cujus ſententia videtur innixa momentis in præcedenti oppoſitione productis, ac præſertim legibus Principum circa matrimonium emanatis. Et quidem Eccleſiam poſterioribus duntaxat ſæculis nactam fuiſſe poteſtatem ſtatuendi impedimenta, quæ dirimunt matrimonium, eamque poteſtatem dudum ſibimet arrogaſſe ac reſervaſſe Chriſtianos Romanorum Auguſtos, eo quod matrimonium non ſacramentum tantum, ſed & contractus civilis ſit, affirmarunt quoque Chriſtianus Lupus in diſſertatione Proœmiali ad tertium Volumen in decreta & canones conciliorum cap. 10. & Zegerus Van-Eſpen. p. 2. in Jus Eccleſ. tit. XII. cap. 1. tametſi hi duo minime ſcripſerint, ut viſum eſt Thomæ Sanchez, ab Eccleſia principibus ademptum fuiſſe jus priſtinum: quod certa nulla ratione probari poteſt.

Tertia ſententia eſt eorum, qui putant ſæculares principes nullam habere *abſolutam* poteſtatem circa ea, quæ pertinent ad vinculum matrimonii, & vim nexumque indiſſolubilem contractus, nec circa impedimenta illius, nec etiam circa ea, quæ inde neceſſario conſequuntur, cujuſmodi ſunt firmitas conjugii, conditio legitima, vel illegitima prolis, divortium, & quæcunque pendent a ratione contractus, vel Sacramenti; ea vero ſæculari judicio relinqui, quæ acceſſoria & extrinſeca tantum ſunt, ac pertinent ſolummodo ad civilem ſocietatem, cujus generis ſunt cauſæ dotis, atque hæreditatis; quam ſententiam propugnant Cardinalis Bellarminus de Matrim. cap. 32. Baſilius Poncius lib. VI. cap. 2. Cardinalis Gotti q. VII. dub. 1. n. 22. & JCC. quamplurimi, quos citat, & ſequitur Em. Gonzalez in librum 2. Decretal. tit. x. cap. 3. Innititur vero ſententia iſta proximis argumentis. Primo quia contractus legitimus matrimonii apud fideles nequit ſeparari a ratione ſacramenti; de ſacramentis autem judicium ferre ad ſolam Eccleſiam pertinet. Secundo quia etiamſi matrimonium ſacramentum non foret, ad conſcientiam tamen ſpectat, ideoque ejus cauſæ ad paſtores animarum ſunt deferendæ. Tertio quoniam Chriſtus de repudio & divortio judicium protulit, Apoſtolus item de conjugio inter fidelem & infidelem, & Concilia pariter ac Pontifices non ſemel in cauſis matrimonii ſententiam dixere, & conſequenter ſententia hæc praxi totius Eccleſiæ firmatur. Atque hæc tria argumenta proponuntur, & a Kemnitii effugiis vindicantur ab Eminentiſſimo Bellarmino. Addit Baſilius noſter in confirmationem primi argumenti, quod licet contractus matrimonialis in ſe ſpectatus ſubjiciatur juri Magiſtratus politici, poſteaquam tamen ad rationem Sacramenti evectus eſt, Eccleſiæ tantummodo committitur dijudicandus, eo ferme pacto, quo homines initiati ſacramento Ordinis non amplius ſubduntur principibus ſæcularibus, & res quælibet Deo conſecrata ſubtrahitur a dominio hominum laicorum. Adjiciam firmiſſimum argumentum ex quo Honorius III. ut ſupra dixi, cap. *Tuam* de Ord. cognit. affirmaverit *cauſam natalium* pertinere ad ſolum forum Eccleſiaſticum, cauſam vero ſucceſſionis ad politicum, & ſæculare: quod utique idem eſt, ac ſententiam hanc tertiam, prout explicatur a Baſilio Poncio, lege canonica definire. Accedit demum pro hac ſententia, quod ſi princeps ſtatueret impedimentum dirimens matrimonium, non tantum quoad affectus civiles, puta dotis ac ſucceſſionis, verum etiam quoad valorem contractus, & vinculi firmitatem; ſit in exemplo, ſi nullum irritumque redderet conjugium adoleſcentium initum parentibus adverſantibus, quod impedimentum non approbaret Eccleſia, ſicut revera non probat nuper commemoratum, atque in tali diſſidio matrimonium contraheretur; ratum foret lege Eccleſiaſtica connubium, quod lege civili nullum eſſet. Et quamquam nonnulli apud Tournely pag. 246. cenſeant abſurdum non eſſe, ut in uno foro firmum ſit, quod nullum judicatur in altero; abſurdum tamen eſt maximum, quoniam ſacramenti hujus materia eſt contractus civilis & legitimus; & ideo ſi ratum foret ſacramentum, legitimus eſſet quoque contractus: ac præterea ſi princeps matrimonium illud poſſet diſſolvere, ſeparare poſſet quos Deus & Eccleſia conjunxit; ſi ſolvere illud non poſſet, nulla itidem eſſent impedimenta dirimentia a ſe conſtituta. Quod autem Tournely ibidem ait, nihil tale pertimeſcendum eſſe ex principum Chriſtianorum religione ac pietate, bene quidem habet, ſi principes omnes religioſi piique ſint; quid autem, ſi ſpreta Eccleſiaſtica auctoritate jus ſuum exercerent? Tutius ergo eſt, inquiunt tertiæ hujus ſententiæ patroni, jus illud politicis magiſtratibus denegare.

Quamvis hæc aſſertio me judice verior ſit, & juri Eccleſiaſtico magis congruat; quibuſdam tamen exceptionibus circumſcribenda eſt, quibus poſitis facillima eſt objectionis expeditio. Ac prima exceptio eſt, quoſcunque principes, ut juris naturalis cuſtodes, & humanarum legum ad civilem ſocietatem pertinentium auctores, ac dominos poſſe illa impedimenta ſtatuere, quæ juri naturæ ſunt conſentanea, & attinent ad politicum regimen, in omnibus conjugiis, quæ rationem ſacramenti non habent, cujuſmodi ſunt matrimonia infidelium: eademque impedimenta etiam a fidelibus ſervanda eſſe, & ab Eccleſia approbanda, quum Chriſti religio juri naturali & civili non opponatur, ſed utrumque ſanctitate & caritate perficiat. Exceptio altera eſt, quod in conjugiis fidelium, quæ ſacramenti rationem habent, non debet ſeſe immiſcere ſæcularis poteſtas, niſi in rebus illis acceſſoriis, quæ Eccleſiaſticum jus non invadunt, ut ſunt cauſæ hæreditatis & dotis. Tertia exceptio eſt, quod leges politici magiſtratus & principum Chriſtianorum, utpote divino & Eccleſiaſtico juri tamquam nobiliori deſervientes, magna utilitate conſtituuntur, non in iis tantum, quæ ſpectant ad matrimonium, ſed in aliis quoque rebus ad Dei cultum, ad Sacerdotium, & ad templum pertinentibus id ipſa Eccleſia annuente, ut facilius Eccleſiaſtica ſtatuta promoveantur & vindicentur, ut demonſtravi lib. xx. cap. 16. prop. 2.

Hoc, non aliud probat objectio præcedens; nam ſi loquamur de legibus Chriſtianorum imperatorum, latæ fuerunt ad jura Eccleſiaſtica promovenda, leges ipſas imperatorias Eccleſiarum paſtoribus approbantibus: ſi vero de Ethnicis ſermo ſit; & hi nullam ſacramenti rationem habuerunt, & Eccleſia pro temporum conditione, & legum ipſarum æquitate, iiſdem obtemperavit. Quamquam & illud notandum eſt, olim apud Ethnicos cauſas nuptiarum ad eorum pontifices pertinuiſſe, quos conſultos fuiſſe circa conjugium Auguſti & Liviæ ſcribit lib. 48. Dio Caſſius. Hinc in Pandectis leges conjugiorum titulum præferunt *de Ritu nuptiarum*, qui declarat ceremoniam quandam & ſanctimoniam. Adoptio item, quod nuptias imitetur, ad pontifices pertinebat, ut ſcribunt Tacitus lib. 1. Hiſt. Tullius pro domo ſua, & A. Gellius lib. v. noct. Attic. cap. 19. Idem Tacitus lib. XII. Annal. adſcribit temporum infelicitati, quod Senatus poſt Claudii cum Agrippina connubium, inter patruos fratrumque filias permiſerit matrimonium. Ita nempe, quod etiam Ethnici ſuſpiciebant in nuptiis myſterium aliquod religionis. Spectabant e contra quæſtiones hæreditatis ad prætorem. Vide Jacobum Gutherium de Jure vet. Pontific. lib. 2. cap. 7. ſive v. volum. Antiq. Roman. Grævii pag. 86. De Galliarum legibus contra conjugia inita ſine parentum aſſenſu, dixi cap. præced. prop. 3. Leges aliæ circa matrimonia eorum, qui procreati ſunt regio ſanguine, aut latæ fuerunt peculiari indulto Apoſtolicæ Sedis, ut inquit Vanroy tom. v. pag. 512. aut potius vim habent tantummodo quoad hæreditatem & ſucceſſionem.

Opp. ult. Deus in Levitico leges matrimonii conſtituit: nihil ergo iis addere poteſt Eccleſia. Reſp. nego conſeq. tum quia permulta in lege veteri præſcripta fuerunt, quæ nullam in Evangelio vim habent: tum quia in Levitico minime Deus prohibuit, ne in poſterum alia impedimenta ſtatuerentur, prout revera ſtatuta fuiſſe demonſtrat quoque Seldenus in libro, quem inſcripſit *Uxor hebraica*; tum denique, quia Chriſtus contulit Eccleſiæ ampliſſimam poteſtatem, ut quæcunque ad virtutes, ad ſacramenta, ad ſacros ritus, & ad fidelium profectum conducerent, proponeret ac ſtabiliret; nec minus illa valeret in ſpirituali regimine, quam in civili valeat mundana poteſtas.

PROPOSITIO IV. Diſpenſare in impedimentis matrimonii Eccleſiaſticæ poteſtatis munus eſt, idque urgentibus duntaxat cauſis fieri debet.

Pars prima demonſtratur definitione Tridentini Concilii ſeſſ. XXIV. can. 3. *Si quis dixerit eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere ut plures impediant & dirimant; anathema ſit*. Probatur etiam ratione: quoniam neceſſum eſt, ut diſpenſatio fiat ab iis, quibus competit juriſdicendi poteſtas: atqui hæc poteſtas circa impedimenta matrimonii, prout ſupra demonſtratum eſt, convenit Eccleſiæ; igitur Eccleſiæ competit iſtiuſmodi diſpenſatio.

Duo tamen hic notanda ſunt; primum, quod Eccleſia relaxare nequit impedimenta illa, quæ jure naturæ, & jure divino poſitivo conſtituta fuerunt, cujus generis ſunt perfectum ligamen præcedentis conjugii, & impotentia; & conſequenter Eccleſiæ competit auctoritas in

iis impedimentis diſpenſandi, quæ jure Eccleſiaſtico fuerunt inducta. Quare Tridentini Patres recte in præcitato canone verba illa appoſuerunt, *in nonnullis illorum*. Alterum, quod adnotandum erat, id eſt, poteſtatem illam reſidere in Romano Pontifice, quoniam ad ipſum ſpectant quæcunque ſunt juris Eccleſiaſtici, quamvis nonnulla etiam ad idem jus pertinentia, aut perantiqua conſuetudine, aut ipſius Romani Pontificis permiſſione poſſint ab inferioribus Epiſcopis relaxari. Quænam vero hæc ſint, dixi poſtremo capite libri viceſimi, in quo de diſpenſatione univerſim, & de illa etiam, de qua modo agitur, pertractavi.

Altera propoſitionis para demonſtratur primum definitione Tridentini Concilii cit. ſeſs. XXIV. cap. V. de Reformat. Matrimon. *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio vel raro: idque ex cauſa & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſam*. Secundo probatur ratione producta ab eodem Sacroſancto Concilio ſeſs. XXV. cap. 18. de Reform. propterea quod frequenter legem ſolvere, & abſque perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, aditum unicuique aperit ad leges tranſgrediendas.

Cauſæ autem concedendæ diſpenſationis ſunt I. Pernicioſæ diſcordiæ ſedatio. II. Incompetentia dotis. III. Anguſtia loci, unde magna inveniendæ alterius uxoris oriatur difficultas. IV. Infamiæ graviſque ſcandali periculum. V. Illuſtris familiæ conſervatio. VI. Ampliſſimarum divitiarum in eadem cognatione tutamen. VII. In Eccleſiam catholicam aut petentis, aut illius pro quo petitur diſpenſatio, meritum ſingulare. VIII. Ætas puellæ viceſimum quartum annum excedentis, atque hac de cauſa permanentis innuptæ. IX. Conſtitutio dotis, quam contrahendo conjugium vir dives impertiatur conſanguineæ, vel affini pauperrimæ. Sed plura de his Barboſa in cap. 5. ſeſs. 24. Tridentini Concilii, Fagnanus in cap. *Quo circa*, de Conſanguinit. Zerola v. *Diſpenſatio* §. 1. Sanchez lib. VIII. diſp. 21. Poncius lib. VIII. cap. 14. Sylvius in Quæſt. 50. Supplem. aliique Juriſperiti, & Theologi, qui de Matrimonio ſcripſerunt.

CAPUT VI.

Quædam circa impedimenta Matrimonii ex Theologorum diſputationibus, atque ex Jure Canonico acervatim breviterque afferuntur.

Etſi de impedimentis matrimonii ſingillatim agere hujus inſtituti noſtri non ſit, quod libri illi jam ad finem perducti comprehendere, & explicare non valeant quodlibet moralis Theologiæ difficillimum ampliſſimumque argumentum: quoniam tamen temperata ſaltem de iiſdem impedimentis tractatio ad intelligenda ea, quæ diximus de matrimoniali contractu, utilis eſt admodum ac neceſſaria; eamdem capiti huic ſexto inſeremus, contractam quidem, ſed Theologiæ, Juriſque canonici munimentis firmatam. Itaque matrimonii impedimenta alia *dirimentia*, alia vero *impedientia* duntaxat dicuntur: quorum illa faciunt, ut matrimonium contrahi nequeat, & ſi contrahatur, nullum irritumque cenſeatur: hæc autem conjugium quidem non diſſolvunt, neque irritum reddunt; ſed impediunt tamen, atque efficiunt, ne inculpate & ſine crimine celebretur. Impedimenta autem primi generis ſunt quatuordecim, quæ & comprehenduntur pervulgatis hiſce verſibus,

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis affinis, ſi Clandeſtinus, & Impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuta:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De his igitur dicam modo, duo tantum, quæ diſſertationem exigunt peculiarem, rejiciens ad capita proximiora, in quibus agam de clandeſtinis conjugiis, & de matrimoniis hæreticorum.

DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

Error, quemadmodum in Decreto legitur XXIX. q. I. *alius eſt perſonæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error perſonæ eſt, quando hic putatur eſſe Virgilius, & ipſe eſt Plato. Error fortunæ, quando hic putatur eſſe dives, & eſt pauper. Error conditionis, quando putatur eſſe liber, & ſervus eſt. Error qualitatis, quando putatur eſſe bonus, qui malus eſt*. Hæc Gratianus. Error ergo perſonæ & conditionis nullum reddit conjugii conſenſum, eo quod ſpectet ad ea, quæ pertinent ad matrimonii ſubſtantiam: perſona quidem, quoniam illius corpus eſt, quod traditur in alterius conjugis poteſtatem; ſervilis autem conditio, quia eamdem poteſtatem, hujuſque uſum liberrimum impedit. Ita ſi quis paciſcatur ſe Marcello venditurum agrum, aut empturum a fabro aurario laminam auream, alius autem Marcellum ſe eſſe ſimulans agri poſſeſſionem acquireret, vel aurifex pro auro venderet æs cyprium ſive aurichalcum; illegitima eſſet poſſeſſio, & injuſta venditio, propterea quod neque cum hac perſona, neque de hac materia contrahens aſſenſum præbuit, & fraude ab illo extorquetur, quod nec animo cogitavit. Ita dicendum eſt de contractu matrimoniali, ut conſtat ex cap. *Tua nos*, de Sponſal. 26. Quum vero conſenſus jure naturæ requiratur ad matrimonium, ad conſenſum vero actus humanus præcognitus, liber, & voluntarius; conſtat hoc impedimentum reddere matrimonium nullum ipſo jure naturæ. Quod autem ſolet a nonnullis opponi aut de Jacob qui errore deceptus pro Rachele in conjugem accepit Liam, aut de Iſaac qui pro Eſau eidem Jacobo impendit benedictionem, aut de ſacramentis aliis, quæ rite conferuntur, quamvis cui adminiſtrentur ſacer miniſter ignoret; id ea quæ modo dicta ſunt non enervat. Etenim quod ad conjugium Liæ pertinet, ratum iſtud fuit, quando illam Jacob primogenitarum conſuetudine inſpecta, quam deceptus compreſſerat, ſciens ac lubens maritali affectu complexus eſt: quantum pertinet ad benedictionem Iſaac; res fuit plena myſterii, ſuumque effectum ſortita eſt primum ex Dei intentione, deinde ex animo ipſius Iſaac, qui poſtmodum Gen. XXVII. 34. confirmavit benedictionem ipſam datam Jacobo: & quantum ſpectat ad ſacramenta reliqua; hæc non ſunt contractus, nec aliud in miniſtro requirunt, quam intentionem faciendi quicquid facit Eccleſia. Quæ igitur *de errore perſonæ & conditionis* dicta ſunt nuper, nil patiuntur difficultatis, etſi de conditione iterum ſit agendum.

At ſecus *de errore fortunæ, & qualitatis* aſſerendum eſt; quum enim error iſte directe non ſpectet ad contractus matrimonialis ſubſtantiam, ſed ad ea tantum, quæ addititia ſunt atque acceſſoria; ſtat cum tali errore vis & robur contractus, ideoque hinc firmitas connubiorum non enervatur. Si quis ergo ducat mulierem pauperem, ignobilem, & corruptam quoque, viroque ſubactam, quam affluentem divitiis, præclaro genere ortam, & mares non expertam putabat; is adhuc conjugii vinculo plerumque conſtringitur. Dixi autem *plerumque*; enimvero ſi non *abſolute* vir in feminam, aut femina in virum conſentiat, ſed conditione appoſita, *dummodo hæc fortuna bona, aut hæ qualitates perſonæ interſint*; tunc error qualitatis tranſit in errorem perſonæ, eo quod aſſenſus non feratur in virum hunc, aut in hanc mulierem utcunque, ſed in virum, aut mulierem, hujuſmodi qualitatibus præditum, his prærogativis ornatam. Nihilotamen minus ſi de qualitate ac fortuna in deſponſatione pertractaretur, in conjugio autem ineundo abſolute præſtaretur conſenſus; ut recte adnotarunt Navarrus cap. 22. n. 32. Poncius lib. 4. cap. 23. Sylvius in q. 51. Supplem. aliique Theologi præſtantiſſimi, foret ratum legitimumque connubium; quoniam error qualitatis non afficeret *directe* perſonam, quæ nulla conditione adjecta reciperetur in individuum communis vitæ conſortium.

Quid vero ſi in contrahendo error facti, & ſcientia juris interſit, ideſt, ſi contrahentes falſo arbitrantes ligari ſe impedimento aliquo dirimente, E. G. conſanguinitatis, ſive affinitatis, quod tamen nullum reipſa ſit, ineant connubium, nec ignorent hoc propter impedimentum illud eſſe irritum? Non officere eo in caſu errorem, quin ratum ſit matrimonium, cenſet, & variis argumentis probare nititur lib. 2. diſp. 33. Thomas Sanchez. At facile argumenta illa evertuntur, ſi animadvertamus contrahentium conſenſum, cum ſit actus voluntatis utentis deliberatione ſua, ac libertate, pendere a judicio mentis; ideoque ſi mens non judicet poſſe firmari conjugia, neque hæc firmari poſſunt deliberato legitimoque conſenſu. Neque enim ad rem facit quod eo loci ait Sanchez, hæreticum baptizare, quamquam baptiſmum cenſeat eſſe ritum ſuperſtitioſum, & omni effectu carentem; ſiquidem hinc non ſequitur, nequaquam poſſe hæreticum illum habere intentionem faciendi quod in Eccleſia Chriſti creditur ſacrum & religioſum: quæ ſola intentio, ut dictum eſt alibi, neceſſaria eſt in miniſtro ſacramentorum. Valeret nihilo tamen minus cum illo errore facti conjugium, ſi contrahentes conditionem illam apponerent, *Si poſſumus, atque impedimentum iſtud non officit*; propterea quod conſenſus conditionatus firmitatem habet ſuam, quotieſcunque ipſa conditio adimpletur. Vide lib. IV. de Matrim. cap. 23. præſtantiſſimum Auguſtinenſem Theologum Baſilium Poncium.

Et quoniam matrimonium, ſeu conſenſum *conditionatum* commemoravi; non abs re erit ad memoriam lectorum revocare quid de hoc ſcribant moralis Theologiæ Tractatores. Docent hi cum S. Thoma q. 47. art. 5. ratum eſſe connubium ſi conditio ſit *de præterito*, vel *de præſenti*, ſit in exemplo, ſi vir mulierem ducat hac conditione, *Si dives es, ſi nobilis, ſi virgo*; dummodo puella his conditionibus prædita ſit, quoniam ſtatim dominium corporis ſui alter in alterum transfert, neque amborum conſenſus aliqua ratione ſuſpenditur. At ſi conditio ſit de futuro, E. G. *Tecum contraho, ſi pater aſſentiatur, ſi dotem promittat*; contractus nullam ante conditionem extantem vim habet: unde Bonifacius VIII. in Sexto cap. unico, de Sponſalibus, definit quod ſi ante conditionis eventum vir cum alia mulie-

Digitized by Google

muliere *per verba de præſenti* contraxerit, cum hæc ſecunda remanere debeat, & nulla hinc oriatur publicæ honeſtatis juſtitia. Inſuper ſi conditio ſit *de impoſſibili*, aut *de re turpi*, E.G. *Si aſſentiatur pater defunctus, ſi paterna bona ſubripias, ſi occidas fratrem*, quæ conditiones ſubſtantiæ matrimonii non adverſantur, juxta canonico *pro non adjectis haberi debent*; ut conſtat ex cap. *Si conditiones*, de Condit. appoſitis: quamquam ſi contrahentes vere in animo ſtatuant ſe nolle in conjugium aſſentiri iiſdem conditionibus non extantibus; in interiori conſcientiæ foro defectu conſenſus matrimonium ſit nullum, ut docent unanimi ſenſu Theologi, ipſaque conſenſus ratio demonſtrat. Si autem inſerantur conditiones contra ſubſtantiam conjugii, V. G. ſi alter dicat alteri, *Contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas*; definitione Gregorii IX. præcitato capitulo, *Si conditiones*, matrimonialis contractus caret effectu. Eadem habentur cap. *Solet*, xxxII. q. 2. num. 6. & apud Auguſtinum de Bono conjugali cap. 5. Illæ autem conditiones cenſendæ ſunt adverſari *ſubſtantiæ* matrimonii, quæ repugnant tribus ejuſdem matrimonii bonis annumeratis cap. 3. ſcilicet, *proli, fidei, & ſacramento*; eo quod conjuges ſibi invicem tradant corporis poteſtatem ad liberorum procreationem, nequeant violare conjugalem fidem ſeſe alteri commiſcendo, & nexu arctiſſimo atque indiſſolubili copulentur.

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS.

Conditio, quæ matrimonium dirimit, non eſt pactio certam legem in ſe continens, de qua nuper dicebamus; ſed eſt ſtatus ſervitutis quem alter contrahentium ignoret, ut dixi ſuperius agens de errore perſonæ. Nunc ergo de *conditione* hoc ſenſu accepta ſermonem inſtituens præmitto, olim civili jure conjugia ſervorum fuiſſe nulla, tum apud Romanos, ut conſtat ex libro xxIII. Digeſtorum tit. 2. tum apud Longobardos lib. II. tit. 12. lege 10. necnon apud Gallos Lege Salica, tit. 14. §. 2. Immo nec inter liberam & ſervum Romano jure nuptiæ ſubſiſtebant; nam libera, quæ poſt trinam admonitionem ſibi factam a Decemviris ab homine ſervilis conditionis non ſe ſubduxiſſet, cogebatur una cum illo venire in domini poteſtatem. Libertinam quoque, ideſt, e ſervitute manumiſſam lege Julia & Papia ducere prohibebantur Senatores eorumque poſteri, itemque Senatoris filiæ libertos, niſi forte ob corporis quæſtum, vel artem ludicram fœdaſſent generis ſui claritatem. Alicubi tamen ſerviles nuptiæ permittebantur, ajebatque prologo in *Caſinam* M. Accius Plautus.

Quæſo, hercle, quid iſtuc eſt? ſerviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent, aut poſcent ſibi?
Novum attulerunt, quod fit nuſquam gentium.
At ego ajo hoc fieri in Græcia, & Carthagini,
Et hic in noſtra terra, in Apulia.

Inter Chriſtianos autem, quamvis hi ſervilis ſint conditionis, connubia prohiberi non debent, ideoque ſunt rata, quamquam invitis & contradicentibus dominis contracta fuerint. Ita definitur cap. *Dignum eſt*, de Conjugio ſervorum, num. I. & xxIx. q. 2. n. 8. Ratio apertiſſima eſt, quoniam *in Chriſto Jeſu nec Judæus eſt, nec Græcus, nec ſervus, nec liber, nobiſque unus eſt pater*, prout habetur eadem q. 2. cap. *Omnibus*. Idcirco Juſtinianus an. 524. abrogans antiquas Romanorum leges l. *Si quis*, xvI. Cod. declaravit legitimum fore connubium, *Si quis ancillam ſuam libertate donaverit, eamque ſibi ſociaverit in matrimonium*. Pipinus item Gallorum Rex, & Concilium Vermerienſe, ſeu potius Compendienſis Synodus an. 756. ſtatuit eſſe ratum verumque conjugium, ſi fœmina ingenua acceperit ſervum non ignorans quod ſervus eſſet. In Synodo quoque Triburienſi apud Burchardum lib. Ix. cap. 75. ſtatutum fuit non poſſe ſolvi conjugium, ſi ingenuus qui ingenuam duxerat occaſione divortii ſeipſum alicujus domini ſervum fecerit. Atque in Synodo Cabilonenſi ann. 813. canone 30. definitum fuit, ut conjugia ſervorum non dirimantur, etiamſi illi diverſos dominos habeant, *ſed in uno conjugio permanentes dominis ſerviant ſuis*, dummodo conjunctio fuerit legalis, & voluntas dominorum acceſſerit. Atque, ut dixi, hoc etiam quod poſtremo dictum eſt de voluntate dominorum, nullam modo vim habet ex præcitato cap. *Dictum eſt*, & propter rationem ibidem inſertam. Quare ſi quis objiceret, dicens laudato Cabilonenſi canone, immo & 40. Sancti Baſilii ad Amphilochium, irritas declarari nuptias ſervorum præter domini ſententiam contractas; recte illi reſponderemus abrogatam nunc eſſe priſtinam illam conſuetudinem, quæ Chriſtianæ libertati adverſabatur, illamque ab Eccleſia fuiſſe aliquandiu toleratam, ne ſervi initi conjugii prætextu ab exhibendis debitæ ſervitutis officiis cenſerentur immunes. Quare etiamnum, ſi ſervi matrimonium contrahant, tenentur dominis ſuis obtemperare, non autem ab invicem ſeparari; quoniam conjugii vinculum jure naturali firmatur, ſervitus autem inducta eſt jure humano: nec ſervus tenetur ad cedendum iis, quæ ſunt proprii juris, ſed tantum ad obſequia illa impendenda, quæ exigit jus civile. Quare ſi femina ſit ſerva domini in provincia commorantis, & vir ſervus alterius habitantis in alia provincia, exiſtimat Auctor Gloſſæ in Decretum, xxIx. q. 2. cap. ult. aut compellendum eſſe unum dominorum, ut ſervum ſuum vendat alteri, aut unum ſervorum redimendum eſſe ab Eccleſia.

Quum hæc omnia locum habeant in matrimoniis, quæ ſcienter & libere contrahuntur a ſervis; reſtat, ut impedimentum *conditionis* tunc intercedat, quando liber ignoranter contraxit cum ancilla, & ex quo ancillam eſſe cognovit, nunquam in matrimonium conſenſit. Atque hoc eſt, quod definitur capp. *Dignum eſt*, &, *Ad noſtram*, De conjug. ſerv. num. I. & 4. Idem ſtatuitur cap. *Si quis ingenuus*, xxIx. q. 2. num. 4. Hujus impedimenti ratio eſt, quoniam error conditionis verſatur circa rem ſpectantem ad matrimonii ſubſtantiam; quia libere contrahens putat poſſe alterum conjugem tradere ſibi plenam corporis ſui poteſtatem, quam ob conditionem ſervilem tradere nequit: ac præterea officiis, negotiiſque in obſequium domini exercendis impediri poteſt a filiis enutriendis atque inſtruendis, necnon ab uxoris individua conſuetudine, & contubernio. Quoniam tamen ſervilis conditio poteſt conſiſtere cum libero contrahentium aſſenſu, neque prorſus impoſſibilem reddit conjugii actum; ſi ingenuus ancillam ducat, quam talem eſſe ſciebat, & ſimiliter ingenua ſervum, ſciens quod ſervus eſſet, ut dictum eſt paullo ſupra, ratum & legitimum erit connubium, prout habetur capp. *Si quis ingenuus*, &, *Si femina*, xxIx. q. 2. ac rurſus ſi liber cum ancilla ignoranter contraxit, & poſtquam audivit ancillam eſſe, carnaliter illam cognovit, tanquam uxorem eam retinere debet maritali affectione, juxta cap. *Propoſuit*, De conjugio ſerv. n. 2. Neque his obſtat cap. *Ancillam*, xxxII. q. 2. n. II. ubi Leo Magnus ancillam ab uxore ingenua ſecernit: ibi namque, ut conſtat ex titulo, ſermo eſt *de ancilla fornicaria*, non vero ducta in uxorem.

Hic nonnulli quærunt, num libera ſit proles, quæ naſcitur ex uno tantum parente conditionis ſervilis; ac reſpondent Theologi cum S. Thoma Q. 52. Supplem. art. 4. quod *partus ſequitur uterum*, ideſt, filius eſt ejuſdem conditionis, ac erat mater, quando filium concepit, aut peperit: quod utique conſentaneum eſt Juri civili l. 19. ff. *De ſtatu hom.* & l. 7. c. *De rei vendit.* immo & Juri canonico, cap. *Liberi*, xxxII. q. 4. num. 15. & cap. *Indicens*, De natis ex libero ventre. Nihilominus hac in re ſervandam eſſe provinciarum conſuetudinem decrevit Urbanus III. cap. *Licet*, De conjugio ſerv. num. 3.

DE IMPEDIMENTO VOTI.

Votum, cujus nomine Theologi intelligunt deliberatam promiſſionem factam Deo de meliori bono, hoc in loco eſt illud, quo aliquis proponit ac vovet cœlibem vitam agere, oblatione corporis ſui Deo facta. Eſt autem votum duplex, ideſt *ſimplex*, & *ſolemne*. Votum ſolemne, quantum ad dirimendum matrimonium poſtea contractum, illud eſt, *quod ſolemnizatum fuit per ſuſceptionem ſacri Ordinis: aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua vota, etſi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifeſtius ſunt emiſſa, tanto propter plurium ſcandalum & exemplum, durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur: non tamen reſcindere poſſunt matrimonia poſt contracta*. Atque hæc vota ſunt, quæ in his controverſiis appellantur *ſimplicia*.

Itaque vota *ſimplicia* matrimonium non dirimunt, ſed impediunt tantummodo, prout conſtat ex præcitatis verbis, quæ ſunt Bonifacii VIII. in Sexto, *De voto, & voti redempt.* necnon ex capp. *Meminimus*, &, *Rurſus quidam*, Extra, Qui clerici, vel voventes: itemque diſt. xxvII. 3. cap. *Si vir ſimplex votum*: quamquam in Pœnit. Theodori, unde capitulum illud depromptum eſt, vox *ſimplex* deſideretur: Votum autem *ſolemne* eſſe impedimentum dirimens matrimonium, conſtat ex Decreto, capp. *Neque viduas. Quæ Chriſto, Viduas, quæ ſpontanea. Si quis ſacro*, aliiſque, xxvII. quæſt. I. Ex decretalibus itidem, capp. *Meminimus. Conſuluit. Rurſus quidam. Inſinuante*, lib. Iv. tit. 6. ſimiliter ex Extravaganti, *Antiqua*, Joan. xxII. tit. 6. & demum ex canone 9. ſeſſ. 24. Synodi Tridentinæ. Quod ſi opponas, undenam inter ſimplex, & ſolemne votum diſcrepantia ipſa intercedat, quum utrumque ſit promiſſio Deo facta, ac ſimplex etiam irrita reddat ſponſalia poſtea ineunda; primo haud incongrue reſpondebimus, id nobis manifeſtum eſſe Eccleſiaſticis definitionibus: deinde vero dicemus, ita comparari ad invicem votum ſimplex & ſolemne, ſicuti ſponſalia & matrimonium *de præſenti*, adeo, ut in voto ſimplici intelligatur quædam ſervandæ virginitatis promiſſio; in ſolemni autem conſecratio quædam, ſuique corporis traditio facta cæleſti ſponſo, atque ſpiritualium nuptiarum perfectio. Quapropter ſicuti ſponſalia *de futuro* ſolvuntur per ſequentia *de præſenti*, niſi priora per carnalem copulam tranſierint in matrimonium, ut habetur cap. *Veniens ad nos*, & cap. *Is, qui fidem*, De Sponſal. & Matrim. ita vota ſimplicia, quæ ſunt promiſſio tantum, & ſpiritualia quædam ſponſalia, dirimuntur per contractum matrimonialem *de præſenti*, in quo præter promiſſionem adeſt dominii translatio, corporiſque in alte-

alienem poteſtatem traditio. Quod de voto ſolemni dictum eſt, valet quoque de votis ſimplicibus, quæ poſt biennium emittunt Novitii Societatis Jeſu, ex Conſtitutione Gregorii XIII. quæ incipit, *Aſcendente Domino*, §. 18. eo quod illi ſimplicibus votis emiſſis veri ſint religioſi, ac tales ibidem a Gregorio declarentur.

Haud levis inter Theologos movetur quæſtio, num ſolemne religionis votum dirimat matrimonium *ex ſui natura*, an jure duntaxat Eccleſiaſtico. Noſtrates quidam cum Baſilio Poncio lib. VII. cap. IV. & ſeqq. Vanroy cap. IV. q. 4. & Gavardi q. 3. art. 2. docent ſolemni voto dirimi matrimonium jure Eccleſiaſtico, non autem jure naturali, aut divino: eamdemque ſententiam propugnant Theologi alii complures, necnon præſtantiſſimi Juriſconſulti, inter quos Emman. Gonzalez in IV. Decret. tit. 6. cap. 4. & Zegarus Van-Eſpen. p. 2. J. C. tit. 13. cap. 4 n. 3. Ac primum conſtat ſolemnitatem voti *ex ſola conſtitutione Eccleſiæ* fuiſſe inventam, quod & aſſerit loco præcitato Bonifacius VIII. Deinde illud diſcrimen inter votum ſolemne, & ſimplex, quorum unum, non alterum conjugia dirimat, primo inductum videtur can. 7. Concilii Romani celebrati an. 1139. ſub Innocentio II. Præterea ſtatuitur can. 16. Concilii Chalcedonenſis, juxta verſionem Iſidori, & prout habetur in Decreto, XXVII. q. I. n. 22. poſſe *fieri humanitatem* virgini & monacho, qui poſtquam ſe Deo dedicaverunt, matrimonio jungantur. Alii autem priorum ſæculorum canones hujuſmodi matrimonia pœnitentiæ quidem, & interdum excommunicationi ſubjiciunt, ſed nunquam irrita eſſe declarant. Inſuper S. P. Auguſtinus de Bono viduit. cap. 10. rejicit ſententiam illorum, qui aſſerebant, *lapſarum a ſancto propoſito fœminarum, ſi nupſerint, non eſſe conjugia*: quod & habetur cap. *Nuptiarum*, eadem q. n. 41.

Exiſtimant tamen alii votum ſolemne *ex ſui natura* dirimere matrimonium: idque docent S. Thomas q. 53. Supplem. art. 2. S. Bonaventura, Major, Soto in IV. diſt. 38. aliique Theologi præſtantiſſimi: quod probant ex eo quod per hujuſmodi ſolemne votum homo abdicaverit e ſe corporis ſui poteſtatem, eamque tradiderit Deo: & ac quo votum ſimplex propter vim promiſſionis dirimat ſponſalia, ideoque votum ſolemne ob prædictæ poteſtatis abdicationem, et traditionem Deo factam, diſſolvere quoque debeat ac dirimere matrimonium; atque id propter proportionem, quæ intercedit inter ſponſalia & nuptias ex una parte, et alia vero inter votum ſimplex atque ſolemne. Hæc aliaque plura argumenta collegit Sylvius in art. 2. Quæſt. 53. Supplementi.

Ut ut res ſe habeat, arbitramur nunquam ſanctimonialium, monachorumque conjugia rata fuiſſe; ideoque ſi nulla hæc ſunt lege duntaxat Eccleſiaſtica, hanc legem fuiſſe longe vetuſtiorem, quam Poncius noſter crediderit. Et quidem canone 16. & 19. Concilii Toletani primi celebrati Stilicone primum Conſule, ideſt, an. 400. definitur *devotam*, quæ maritum acceperit, non admittendam ad pœnitentiam, neque ad communionem, *niſi adhuc vivente viro caſte vivere cœperit*. Innocentius I. in Epiſtola ad Victricium ſcripta an. 404. virginibus, quæ velatæ non fuerint, ait *aliquanto tempore ſi nupſerint pœnitentiam agendam eſſe*; ſed addens, *Quæ nondum ſacro velamine tectæ*, demonſtret harum conjugiis non eſſe ulla ratione indulgendum. Hujus autem generis non ſolum innumeri extant canones, verum & leges Joviniani, Honorii, et Theodoſii adverſus illos, qui matrimonium cum ſacratis virginibus auſi fuerint attentare. Atque hos canones, legeſque diſſert. I. prœm. in 3. Volum. cap. 10. & in ſcholio ad canonem 16. Chalced. Chriſtianus Lupus induſtrie collegit, & illuſtravit. Neque vero iis opponitur aut adductum ex Auguſtino teſtimonium, aut canon ille 16. Chalcedonenſis. Nam S. Pater commode applicatur *de voto ſimplici*; quamquam locus difficillimus eſt, multorumque torquet ingenia, ut cit. Volum. 3. pag. 72. inquit Lupus: Chalcedonenſis autem canon vere conjugia monachorum ſacrarumque virginum declarat irrita, prout teſtantur Theodorus Balſamon, Arſenius monachus, & Stephanus II. Romanus Pontifex pag. 64. ejuſdem diſſertationis ab eximio Lupo producti; atque facultatem dumtaxat dat Epiſcopis τῆς ἐν αὐτοῖς φιλανθρωπίας, *exercendæ in illas humanitatis*, abſolvendo ſcilicet eos ab excommunicatione ob inceſtas nuptias contracte.

Ex priori ſententia facilius intelligitur, quomodo ſummus Pontifex in voto ſolemni diſpenſare queat, nimirum, quia lege tantum Eccleſiaſtica tale votum dirimit matrimonium: ſed nihilominus diſpenſare poſſet quamquam votum eſſet impedimentum dirimens natura ſua: quemadmodum diſpenſare poteſt in matrimonio rato, non conſummato, ut cenſent Theologi probatiſſimi.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

Cognatio, de qua in præſenti, triplicis generis eſt, *naturalis*, *legalis*, *ſpiritualis*. Conſanguinitas *naturalis* ab Oſtienſi in Summa l. IV. de Conſanguin. hac definitione explicatur: *Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, vel aſcendentium carnali propagatione contractum*; eamdemque definitionem approbant Theologi omnes cum S. Thoma in IV. diſt. 40. q. I. art. I. *Stipes* autem, ſive *radix*, vel *truncus* eſt perſona illa, a qua conſanguinei originem ducunt, aut in qua colligantur, ut reſpectu duorum filiorum pater, duorumque nepotum avus: conſtituuntque maritus & uxor, utpote *una caro*, ejuſdemque generationis origo, ſtipitem vel truncum unum. In conſanguinitate Canoniſtæ et Theologi gradus lineaſque diſtinguunt: & gradum appellant majorem, aut minorem diſtantiam, qua conſanguinei vel a communi ſtipite, vel inter ſe dividuntur: lineam vero productionem illam, & ordinatam conſanguineorum collectionem, qua ab eodem ſtipite deſcendunt, atque ad eumdem referuntur. Atque eſt linea hujuſmodi duplex, *recta* nempe, ac *tranſverſa*, ſive *collateralis*: & *recta* item aſcendentium una, altera deſcendentium. *Linea recta* eſt collectio perſonarum, quarum una procreatur ab alia: quæ adinſtar ſcalæ dicitur linea deſcendentium, ſi e ſtipite progrediamur ad poſteros; atque aſcendentium, ſi e poſteris revertamur ad ſtipitem. *Tranſverſa & collateralis linea* eſt, in qua unus non deſcendit ab altero, ſed ab eodem ſtipite ambo, ita, ut ex latere ſeſe mutuo reſpiciant: ſic avus, pater, filius in linea recta conſtituuntur; fratres & ſorores, patrueles, conſobrini in tranſverſa.

Gradus conſanguinitatis hac ratione Jure Canonico diſtinguuntur. Primum in linea recta tot gradibus unus ab alio diſtat, quot in eadem linea connumerantur perſonæ, una dempta, ſcilicet, ſecluſo ſtipite: ſic pater diſtat a filio gradu unico, & avus a nepote duobus. In linea collaterali, ſi æqualis ea ſit, nimirum ex utroque latere ſit a communi ſtipite eadem diſtantia; tot computantur gradus, quot ex utroque latere ſunt perſonæ, dempta itidem una, nimirum ſtipite; atque ita duo fratres, aut ſorores uno gradu, illorum autem filii gradibus duobus ab invicem diſtant. At ſi linea collateralis inæqualis ſit, ideſt ex uno laterum plures, ex altero pauciores perſonæ enumerentur; tot computandi ſunt gradus, quot ſunt perſonæ a latere magis diſtante, ſtipite pariter non recenſito; atque ita frater & ſororis filius ſecundo inter ſe diſtant gradu, filii autem conſobrini vel patruelis, a conſobrino vel patruele parentis ſui gradu tertio. Hanc computandi gradus conſanguinitatis rationem tradidit Zacharias Papa, ſeu potius Bonifacius Moguntinus an. 743. apud Magiſtrum Sent. in IV. diſt. 40. & apud Gratianum cap. *Parentelæ*: XXXV. q. 4. n. 4. eamdemque probavit Alexander II. an. 1065. cap. *Ad Sedem Apoſtolicam*, ibidem n. 2. necnon an. 1234. Gregorius IX. cap. *Vir, qui a ſtipite*, De conſanguin. & affin. finali. In jure autem civili, atque in ordine ad adeundam hæreditatem, in computatione graduum, non excluditur communis ſtipes, ac duo fratres E. G. duobus gradibus diſtinguuntur, non autem uno.

Non una ſemper fuit in prohibendo conſanguineorum conjugio Eccleſiæ Catholicæ praxis: fuerunt enim connubia aliquando circumſcripta ſeptimo gradu, ut conſtat ex can. 10. Concilii Aurelian. an. 538. ex Concilio Romano ſub Nicolao II. an. 1065. aliiſque Eccleſiaſticis definitionibus, quæ habentur capp. *De affinitate*. *Nullum in utroque*. *Progeniem ſuam*, &c. XXXV. q. 2. Attamen S. Gregorius in Epiſtola 64. lib. XI. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum reſp. ad Interrogat. 6. indulſit, ut *tertia*, *vel quarta generatione* fideles jungerentur, ubi tamen multi codices habent, *in quarta vel quinta*, ſicut & extat in cap. *Quædam lex*, apud Gratianum ibidem n. 20. Sed idem Gregorius epiſt. 17. lib. XIV. ad Felicem Meſſenenſem Epiſcopum de indulto illo ſcripſit: *Quod in his Anglorum genti indulſimus, non formam dando, ſed conſiderando ne Chriſtianitatis bonum quod cœperant, imperfectum dimitterent, egimus*. Jam vero in Lateranenſi Concilio ſub Innoc. III. cap. 50. prohibitio conjugii inter conſanguineos ad quartum gradum coarctata fuit, quod & inſertum fuit in IV. Decret. tit. 14. cap. *Non debet*, & confirmatum a Tridentino ſeſſ. XXIV. cap. 5.

Quæri ſolet, quinam conſanguinitatis gradus jure naturali dirimat matrimonium: & quamquam varia ſint hac in re placita Theologorum, videntur tamen nobis probabiliora eſſe quæ ſequuntur. Principio in primo gradu lineæ rectæ, ideſt, inter patrem & filiam, aut inter filium, & matrem ſunt nuptiæ ipſo naturæ jure prohibitæ: id enim commonſtrat communis hominum perſuaſio, reverentia parentibus debita, necnon exempla ferarum, quarum pleraſque a laſciviendo in parentes abhorrere ſcribunt Ariſtoteles lib. 9. Hiſt. animal. cap. 47. & Varro lib. 2. de Re ruſtica cap. 17. Et quamvis nonnulli Perſarum in tam enorme ſcelus prolapſi fuerint, ut matribus quoque admixti ſint; id tamen, tanquam probrorum omnium maximum Tertullianus in Apol. cap. 9. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, Clemens Alex. in I. Pædagog. cap. 8. aliique plurimi deteſtantur. Hinc Ambroſius ep. 28. ait: *Ne pater filiam ſuam accipiat uxorem interdictum eſt jure naturæ, interdictum lege ſcripta in cordibus ſingulorum*. Civili autem lege non poſſunt nuptiæ conſiſtere inter eas perſonas, *quæ in numero parentum liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulterioris gradus ſint, uſque ad infinitum*; ut habetur l. *Nuptiæ*, ff. De ritu nuptiarum, n. 53. Deinde etiam in primo gradu lineæ tranſverſæ, ideſt, inter fratres

Digitized by Google

fratres atque ſorores; videtur nobis matrimonium adverſari juri naturæ, tametſi oppoſitum ſentiant Thomas Sanchez lib. 7. diſp. 52. necnon Poncius l. 7. c. 32. Etenim S. P. Auguſtinus lib. xv. de Civ. Dei c. 16. perverſas appellat ethnicorum leges, *quæ permittunt fraterna conjugia*; uti fecerunt Athenienſes, qui probarunt aliquando connubia fratrum, ut inquit in Octavio Minutius: quamquam lege Solonis fas erat ducere *germanas uterinas* tantummodo, at non eodem patre progenitas. Romani vero nunquam morem Athenienſium recepere. Videtur Tridentina Synodus hoc juris naturæ impedimentum agnoviſſe; nam definiens nunquam *in ſecundo gradu* diſpenſandum eſſe, niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſam, ſupponit *in primo gradu* nunquam omnino, & quacunque cauſa impellente diſpenſationem concedi. Apparet demum in aliis gradibus nullum jure naturæ impedimentum adinveniri: nam, ut habetur cap. *Gaudemus*, De divortiis, n. 8. Innocentius Tertius definivit paganos, qui uxores duxerunt *in ſecundo*, *vel tertio*, *vel ulteriore gradu ſibi conjunctas*, poſt converſionem ſuam poſſe *inſimul remanere*, eo quod in præmiſſis gradibus a paganis, qui conſtitutionibus canonicis non arctantur, *matrimonium licite ſit contractum*. In quibus autem gradibus Jure divino prohibeantur connubia, conſtat ex cap. XVIII. Levitici, atque ex verſibus, qui apud nonnullos Interpretes leguntur in Commentariis ejuſdem capitis:

Nata, ſoror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Uxoriſque ſoror, privigni nata, nuruſque,
Atque ſoror patris conjungi Lege vetentur.

Cognatio Legalis illa eſt, quæ oritur ex adoptione, ſcilicet, aſſumptione perſonæ alienæ in filium, aut in nepotem proprium, facta ab iis, qui filiis aut nepotibus carent. Iis autem adoptare fas eſt, qui filios naturaliter procreare poſſunt, non autem frigidis & naturaliter impotentibus: prout definitur lege civili 2. ff. *de adoptione*. Qui tamen ex accidenti duntaxat impotentes ſunt, ut ſpadones, & ſacris Ordinibus initiati, extraneos filios adoptare poſſunt, modo attingant viceſimum quintum annum, & valeant de propriis bonis diſponere. Feminis vero ex peculiari tantum Principis privilegio adoptare fas eſt. Duplex autem adoptionis genus diſtinguitur, *arrogationis*, ſcilicet, & *ſimplicis adoptionis*. Arrogatio, quæ ita dicitur, quoniam adoptatus *rogetur* an habere velit adoptantem in patrem, & adoptans item interrogatur an velit habere arrogandum in filium, requirit principis auctoritatem; ac talis eſt *roboris*, ut adoptatus tranſeat in poteſtatem adoptantis, & conſtituatur illius hæres, ac ſi naturalis eſſet filius, adeo, ut etiamſi pater illum exhæredaverit, teneatur ei quartam bonorum ſuorum partem relinquere, juxta Juris civilis Inſtitut. lib. 1. tit. XI. *Simplex* autem *adoptio* eſt, quæ fit abſque Principis reſcripto, aut ſine imperio Magiſtratus, & per quam adoptatus nec tranſit in poteſtatem adoptantis, nec nanciſcitur jus ad hæreditatem; quamvis *ab inteſtato* hæres ſit adoptantis. Ex quibus conſtat filium alienum *arrogari* non poſſe, niſi ſit ſui juris, ſcilicet, aut emancipatus, aut naturali patre defuncto: quod non requiritur ad ſimplicem adoptionem, At de his omnes Juriſconſulti. Exiſtimamus ſolam propinquitatem, ſive cognationem legalem ortam ex *arrogatione* dirimere matrimonium, ut docent Sylveſter v. *Matrimonium*, n. 8. q. 8. Dominicus Soto diſt. 42. q. 2. art. 2. Sanchez lib. 7. diſp. 63. Ledeſma, ac Sylvius in q. 57. Supplem. art. 2. aliique paſſim: quamquam non deſunt auctores graviſſimi, qui ſentiunt matrimonium dirimi utraque adoptione.

Attendendæ ſunt autem, ut in cognatione naturali, ita in legali, duæ lineæ, *recta*, & *lateralis*. In linea recta aſcendentium vel deſcendentium cognatio legalis impedit matrimonium inter adoptantem, & adoptatum hujuſque poſteros, uſque ad quartum gradum, ut recte docent Eſtius diſt. 42. §. 3. & Vanroy cap. 4. q. 9. quod & inferri poteſt ex dictis de Cognatione naturali: quamquam & hic Jus civile ſtatuat impedimentum *in infinitum*, ut conſtat ex l. *Juſtas autem nuptias*, §. *Ergo non omnes*, lib. 1. Inſt. tit. 10. Atque id velet etiam adoptione ſoluta, & poſt emancipationem adoptati, non tantum inter adoptantem & adoptatum, verum etiam inter adoptantem & uxorem adoptati, ſive inter adoptatum, atque uxorem adoptantis; vel quod mulier & vir tamquam *una perſona* habeantur, ut ſupra diximus, vel ob *legalem affinitatem*, ut aliis placet: quod conſtat tam Jure civili l. *Adoptivus*, 14. de Ritu nup. quam Jure Canonico, cap. *Ita diligere*, XXX. q. 3. num. 1. ita, ut nec filius adoptivus, ſi emancipetur, poſſit ducere uxorem patris adoptivi, quæ novercæ ſuæ locum habuit, nec pater uxorem filii, quæ fuit prius nurus loco. In linea *tranſverſa* eſt impedimentum inter filium adoptatum, & inter filiam naturalem adoptantis: ſed adoptatione ſoluta, poſſunt inter illos nuptiæ conſiſtere ex cap. *Si qua*, unico de cognat. legali. Et cap. *Per adoptionem*, XXX. q. 3. num. 6. Conſentit & Jus civile l. 17. de Ritu nupt. ſive lib. 23. Digeſtorum tit. 2. num. 17.

Cognatio denique *ſpiritualis* illa eſt, quæ Jure Eccleſiaſtico oritur ex adminiſtratione & ſuſceptione duorum ſacramentorum, Baptiſmi & Confirmationis. De hoc impedimento plures quidem extant canones apud Gratianum, XXX. q. 1. & in IV. Decretalium tit. XI. Verum ut dixi libro XXII. cap. ult. & libro XXXII. cap. 10. ex definitione Concilii Tridentini ſeſſ. XXIV. cap. 2. cognatio ſpiritualis in baptiſmo contrahitur tantum inter ſuſcipientes ac ſuſceptum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique matrem ac patrem; & ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione derivat, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem non egreditur. Quare ſuſceptores nullam inter ſe contrahunt cognationem; & ſi conjuges ſint, ſuſcipiantque prolem alterius, non impediuntur quin debitum conjugale invicem exigant: baptizatus item, aut confirmatus nullam cognationem contrahit cum ſuſcipientium fratribus, ſororibus, & conſanguineis; nullamque baptizans aut confirmans cum ſuſceptoribus.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

Crimen, quo matrimonium dirimitur, eſt adulterium, aut homicidium, machinatione facta in necem alterius conjugis, aut fide futuri matrimonii præmiſſa. atque hoc impedimentum antiquiſſima Eccleſiæ lege conſtitutum fuit, ut conſtat ex Concilio Meldenſi an. 845. cap. 69. Pluribus autem modis impedimentum iſtud contrahitur. Primo, ſi vir ei, quam polluit adulterio, fidem dederit uxore ſua vivente, quod illam hac demortua ducet in matrimonium, cap. *Propoſitum*, cap. *Super hoc*, cap. *Si quis uxore*, De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, necnon cap. *Laudabilem*, De converſ. infidelium, & cap. *Si quis vivente*. XXXI, q. 1. n, 5. Secundo, ſi vir cum ea, quam adulterio vitiat, conſpiraverit in necem conjugis, ſive mortis machinatio adulterium præceſſerit, ſive etiam fuerit ſubſecuta, cap. *Significaſti*, & cap. *Veniens*, eodem tit. De eo, qui duxit, &c. Tertio, ſi occiſio conjugis ex mutua conſpiratione ſequatur, etiamſi nullum antea, vel poſt acceſſerit adulterium; juxta præcit. cap. *Laudabilem*. Quarto, ſi adulter in mortem uxoris conſpiraverit, ſive fidem dederit, ſive non, quod ea defuncta alteram eſſet ducturus, præcit. cap. *Super hoc*, & Concilii Lateran. III. p. 6. cap. 16. Advertendum tamen eſt, quod ſi homicidium alia de cauſa ſequatur, V. G. ſi quis occidat feminæ alicujus maritum caſu, aut rixa, non autem animo ineundi cum illa conjugii, nullum contrahitur criminis impedimentum, juxta cap. 1. De converſ. infidel. regulamque ibidem inſertam Concilii Triburienſis: ac pariter ſi quis mortua uxore contrahat cum ea, quam uxore ipſa vivente abſque fidei datione cognoverat, tenet matrimonium, dummodo neuter in mortem defunctæ fuerit machinatus, cap. *Significaſti*, lib. IV. Decret. tit. VIII. num. 6.

DE IMPEDIMENTO DISPARIS CULTUS.

Diſparitas cultus eſt, quando unus contrahentium initiatus eſt ſacramento baptiſmatis, alter nequaquam. Hanc diſparitatem cultus eſſe impedimentum matrimonii conſtitutum Eccleſiaſtica lege demonſtratum eſt ſupra. Haud ſecus docent Patres, inter quos Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. IX. cujus verba relata ſunt in canonem, *Cave Chriſtiane*, XXVIII. q. 1. n. 15. Sunt autem in eadem Cauſa capitula hujus generis plura. Dixi hoc impedimentum *Jure Eccleſiaſtico* fuiſſe inductum, propterea quod neque naturali, neque divina lege nullum irritumque cenſetur. Non quidem *naturali*, quoniam conjugium fidelis cum infideli fini matrimonii & filiorum procreationi non adverſatur: nec unquam legimus nulla fuiſſe conjugia, quæ ante legem ſcriptam, vel hac etiam lata, credentes cum Ethnicis inierunt, ut Joſeph, Iſmael, & Moyſes cum mulieribus Ægyptiis, Eſau cum Chananæis, Heſter cum rege Perſarum, Salomon cum alienigenis, Roboam cum Ammonitide, ut mittam alia id genus connubia plurima. Lege quoque *divina* conſtat permanere fidelis cum infideli connubium, ſcribente Apoſtolo 1. Corinth. VII. 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſenſit habitare cum illo, non dimittat illam; & ſi qua mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum*. Hieronymus in Epiſt. ad Lætam agens de inſtitutione filiæ ait, *conſilium Apoſtoli illuc profeciſſe, ut radicis amaritudinem dulcedo fructuum compenſaret, & viles virgulæ balſama pretioſa ſudarent*: ſubjiciens, *Tu es nata non impari matrimonio, & de te & Toxotio meo Paula generata eſt*, Imparis illius conjugii fructus fuit tum filia ſanctiſſima, tum infidelis parentis converſio. Ex conjugio pariter S. M. Monicæ cum Patricio municipe Thagaſtenſi a Chriſtiana fide alieno prodiit Auguſtinus ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen, atque ex Monicæ conſuetudine viri ſalus. Idem, quod traditur ab Apoſtolo, definitur cap. *Si quis gentilis*, citata q. 1. n. 2. quod Gratianus tribuit Eutychiano Papæ, depromptum eſt autem ex Pœnitentiali Theodori. Accedit, quod ex definitione Innocentii I. relata ibidem cap. *Nunquid*, & exſcripta ex litteris ad Euſebium & Epiſcopos Macedoniæ an. 414. filii ſuſcepti

ex ea,

Digitized by Google

ex ea, quæ ante baptiſmum fuit uxor, legitimi appellandi ſunt, *non autem naturales vel ſpurii*, & defuncto patre habent cum ceteris filiis *herciſcundæ hæreditatis* conſortium.

Quamquam autem ſtet inter infideles conjugium, & ſi ante ſuſceptionem baptiſmi contractum fuerit, perſiſtat etiam altero tantum conjuge ad fidem converſo, ſi uterque ſimul permanere conſentiat, ut docet Apoſtolus, explicatque Auguſtinus lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap. 13. & 14. nihilominus incongruum ſemper ac perniciosum viſum fuit, ſi fidelis infidelem mulierem duceret in uxorem, præſertim cum matrimonium in diſpari cultu contractum non careat ſubverſionis periculo, atque exercitio veræ religionis, concordiæ animorum, natorumque piæ educationi adverſetur. Quapropter hujuſmodi conjugia in veteri lege fuiſſe communiter prohibita, tametſi aliquando propter gentium converſionem, maximumque Hebraici populi commodum contigiſſe legantur, & repugnare etiam Apoſtolo, qui ſexto capite ſecundæ ad Corinthios Epiſtolæ ait, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, docent, ut diximus, Tertullianus ad uxorem ſcribens, Ambroſius lib. 1. de Abraham, & adverſus Jovinianum Hieronymus.

Factum propterea eſt, ut ob incommoda, quæ nuper recenſui, Eccleſia diſparem cultum adnumeraverit ceteris matrimonii impedimentis: unde S. Thomas q. 59. Supplem. art. 1. inquit: *Principalius matrimonii bonum eſt proles ad cultum Dei educanda; cum autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, uterque ſecundum fidem ſuam intendit ad cultum Dei prolem educare: & ideo ſi ſint diverſæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit; & ita inter eos non poteſt eſſe conveniens matrimonium. Et propter hoc diſparitas cultus præcedens matrimonium impedit ne contrahi poſſit.* Adde quod Cyprianus de Lapſis, & S. Pater Auguſtinus de Fide & Op. cap. 19. ajunt, *nihil aliud eſſe jungere cum infidelibus vincula matrimonii, quam proſtituere gentibus membra Chriſti*. Hinc ergo conſuetudo Eccleſiæ, ut poſt Dominicum Soto in IV. diſt. 39. recte animadvertit Sylvius concl. 3. in art. 1. quæſtionis LIX. firmiſſimam legem induxit, qua matrimonium inter fidelem & infidelem contractum ſit irritum; quæ utique conſuetudo rationi & æquitati eſt maxime conſentanea: ideoque cap. *Si quis Judaica pravitati*, petito ex Concilio Arvernenſi an. 535. & cap. *Non oportet*, deprompto ex Agathenſi an. 506. quæ duo capita habentur in Decreto, XXVIII. q. 1. n. 16. & 17. qui conjugali vinculo Judæis, vel hæreticis ſociantur, potius a fidelium cœtu, atque a convivio & communione Eccleſiæ ſunt ſegregandi. Verum de Conjugiis hæreticorum agendum eſt paullo infra.

DE IMPEDIMENTO VIOLENTIÆ, SEU COACTIONIS.

Vis, & coactio non tantum Jure Canonico, ſed etiam naturali dirimit matrimonium. Jure quidem canonico: nam id ſtatuit Toletana III. Synodus an. 589. can. 10. Hormiſdas apud Ivonem p. 8. cap. 24. Urbanus ibidem cap. 23. quæ definitiones habentur in Decreto cap. *Hoc ſanctum*, XXXI. q. 2. n. 16. & capp. *De neptis*, &, *Si verum*, XXXI. q. 2. n. 1. & 3. Plures hujus generis canones extant in IV. Decretal. tit. 1. ſive, De ſponſalibus, paullo poſt laudandi. His accedit Tridentina Synodus, quæ ſeſſ. XXIV. cap. 9. præcipit *omnibus cujuſcunque gradus & conditionis exiſtant*, ſub anathematis pœna ipſo facto incurrenda, ne aliquem cogant, quo minus libere contrahat matrimonium. Id quoque naturali jure firmari inde conſtat, quod conjugium faciat aſſenſus a plena libertate proficiſcens: ubi autem contractus vi, & illato metu extorquetur, conſenſio, & animorum conjunctio eſſe nequit. Sed quoniam *inter vim & vim differentia eſt*, ut inquit Innoc. III. cap. *De muliere*, De ſponſ. n. 6. oportet diſtinguere violentiam, qua principio extrinſecus impellente aliquis movetur renitens omnino atque invitus; & violentiam alteram, qua metu incuſſo aliquis eligit, quod metu illo nequaquam perculſus minime eligeret. Ac violentia primi generis, utpote quæ ab omni deliberatione ſejungitur, omnem prorſus conſenſum excludit. Violentia autem illa, quæ in metus incuſſione ſita eſt, tunc matrimonium dirimit, quando eſt metus cadens in virum conſtantem, non autem quando metus levis eſt, & exilis. Metus cadens in virum conſtantem ille dicitur, quo vir minora, ac majora mala ſibi impendentia animadvertens, ut evadat malum grave ſibique imminens, puta mortem, mutilationem, exilium, infamiam, malum minus amplectitur, ut ſolutionem pecuniæ, bonorumque jacturam. E contra metus levis dicendus eſt, quando imminet minimum duntaxat incommodum, hujuſque timore perculſus vir inconſtans, animoque imbecillis præbet aſſenſum. Itaque metus prioris generis impedit matrimonium, non metus alter inaniter trepidantium. Cenſetur autem metus gravis etiam pavor ille puellarum, quæ cum parentes habeant auſteros, & hi quamcunque filiorum inobedientiam ſevere ulciſcantur, nec facile mandent oblivioni, illorum juſſu & comminatione eligunt nuptias, a quibus animo abhorrent.

Memoria hic repetenda ſunt, quæ ſcripſimus lib. XXI. 3. perſiſtere quidem in iis, quæ fiunt impellente metu, rationem liberi ac voluntarii: ſed nihilominus contractibus ad humanam ſocietatem inſtitutis hanc a legibus additam conditionem, ut ſint nulli ſi terroribus minisque fiant. Quamquam in contractibus matrimonialibus adeſt ratio quædam peculiaris, ob quam irriti eſſe debeant, quotieſcunque ſunt violenter extorti. Qui enim violentiam patitur, querelam movere poteſt apud legitimum judicem, & hujus ſententia per reſtitutionem in integrum a vi, quam injuſte patitur, reddi immunem. At conjugium, quum ſit conjunctio perpetua, retineatque individuam conſuetudinem, talis contractus eſt, qui actionem aliquam adverſus illatam vim non admitteret, ſemel ac eſſet legitimus, & ex ſe ratus. Quare Scotus, Eſtius, & quidam alii Theologi in IV. Sent. diſt. 29. magna probabilitate docuerunt coactionem non jure tantum humano, verum etiam naturali impedire nullumque reddere matrimonium. Videtur mihi hæc ſententia eſſe vera, & perſpicua, eamque firmari cap. *Cum locum*, De ſponſal. n. 14. ubi aſſignatur hæc ratio, cur matrimonium ſolo conſenſu contrahatur, debeatque ille qui contrahit plena ſecuritate gaudere, *Ne*, videlicet, *per timorem dicat ſibi placere quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire.* Eam ob rem ſtatuerunt canones, ut ubi timetur, ne puellæ violentia inferatur, auctoritate judicis tuto honeſtoque loco detineatur: ut ſi in contractus ſtipulatione apponatur pœna, quæ ſolvi debeat a parte ſi contraveniat, improbetur ſtipulatio, & pars altera ab extorſione pœnæ deſiſtat; ac præterea ut ſi mulier ſe nupturam interpoſito juramento firmaverit, & poſtea jurisjurandi religione neglecta nubere omnino detrectet, monenda potius ſit, quam cogenda. Ita enim ſtatuitur capp. *Cum locum*, *Gemma mulier*, &, *Requiſivit*, præcit. tit. De ſponſalibus & matrim. Quoniam tamen cum matrimonii, tum juramenti vinculum ſacroſanctum & inviolabile eſt, ac profani etiam homines perditiſſimum illum cenſent, cui, ut ſatyra 13. ajebat Juvenalis,

Tam facile & pronum eſt, ſuperos contemnere teſtes:

ideo iſtud quoque Jure Canonico ſtatutum fuit, ut ſi uxores reclament ſe numquam in matrimonium conſenſiſſe, viri autem legitime probent contrarium, illæ non audiantur, & ſi juramentum futurarum nuptiarum præſtiterint, ad hoc implendum omnino teneantur; prout conſtat ex cap. *Conſultationi*, & ex cap. *Commiſſum*, ejuſdem tituli.

Etſi autem vis & coactio matrimonium impediant; ſi tamen poſt violentiam intercedat conſenſus, aut ſi non expreſſo oretenus conſenſu, cohabitatio ſpontanea excludat probationem coactionis; juxta cap. *De muliere*, & cap. *Ad id, quod per tuas*, conjugium per vim contractum convaleſcit: ſecus vero, ſi mulier invita contrahat cum aliquo, & ſe ab eo cognoſci nullo modo permittat, prout definitur cap. *Veniens*, 13. De ſponſalibus.

DE IMPEDIMENTO ORDINIS, LIGAMINIS, ET HONESTATIS.

Quum ea, quæ paullo ſupra dixi de Voto, ſpectent quoque ad impedimentum *Ordinis*, perpauca de hoc ſubjiciam. Itaque *minores Ordines* matrimonium non impediunt, niſi forte ratione voti, & religioſæ profeſſionis, ut docuerunt Magnus Gregorius Epiſt. 31. lib. 12. & Humbertus Legatus Leonis IX. adverſus Nicetam, quorum verba habentur capp. *Si quis vero*, & *Seriatim*, diſt. 32. n. 3. & 14. Idem univerſæ Eccleſiæ praxis, omniumque ſæculorum diſciplina confirmat. Impediunt ergo matrimonium contrahendum, & dirimunt poſtea contractum *Ordines ſacri*, inter quos comprehendi etiam *Subdiaconatum* dixi præcedenti libro cap. 5. & definitum eſt ab Alexandro III. in IV. Decret. tit. 6. cap. *Ex litterarum tuarum*, 2. Clerici quoque Græcorum, apud quos conjugium permittitur, ſi mulieri velint copulari jure nuptiali, id tantum permittuntur facere priuſquam ſuſcipiant ordinem *hypodiaconatus*, juxta canonem 27. Apoſtolicum, & 6. Trullanum, de quo cap. *Si quis eorum*, diſt. 32. n. 7. Recte idcirco Tridentina Synodus ſeſſ. XXIV. can. 9. ait: *Si quis dixerit clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto; anathema ſit.* Apertum eſt, hoc Ordinis impedimentum lege Eccleſiaſtica inductum eſſe, & vim habere majorem ob votum ſacris Ordinibus adnexum. Græci, quibus permiſſum eſt ante ſacros Ordines uxorem unam, & virginem ducere, ſi poſt ſacram ordinationem uxore mortua aliam ducant, vel ſi uxorem non habeant, ducere illam præſumant, conſtitutione *Etſi Paſtoralis* BENEDICTI XIV. puniuntur excommunicatione latæ ſententiæ, & ab ordine ſtatim deponendi ſunt, atque matrimonium ante recenſitos Ordines contractum, nullum irritumque declaratur. Tenentur quoque juxta eamdem Conſtitutionem presbyteri Græci conjugati, antequam ad peragendum ſacrum accedat, *per hebdomadam*, vel ſaltem *per triduum* ab uxoribus abſtinere: quum ſacros miniſtros deceat quammaxime continentia, juxta ſacras

litte-

Digitized by Google

litteras, canones, Patrum documenta, & paganorum quoque inſtituta; canente Tibullo:

Vos quoque abeſſe procul jubeo; diſcedat ab aris
Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Impedimentum *ligaminis* eſt matrimonium cum alia uxore antecedenter contractum. De hoc impedimento ſcribit Hieronymus lib. I. contra Jovinianum: *Ubi numerus maritorum eſt, ibi vir, qui proprie unus eſt, eſſe deſiit. Una coſta a principio in unam uxorem verſa eſt; Et erunt, inquit, duo in carne una, non tres, neque quatuor: alioquin non duo, ſed plures.* Extat in cap. *Siquidem*, XXXI. q. I. n. 10. Hoc ſpectant, quæ dicentur de Polygamia. Notandum hic eſt primo, matrimonium, quo aliud dirimitur, eſſe matrimonium contractum *per verba de præſenti*, ſive matrimonium ratum; nam ſponſalia *de futuro* ſolvuntur per ſponſalia *de præſenti*, ut dictum eſt ſupra; ſecundo matrimonium ratum, ſive ſponſalia *de præſenti* nullum reddere ſubſequens matrimonium *etiam carnali copula conſummatum*: quorum primum definitur cap. *Duobus modis*, De ſponſa duorum; alterum vero capp. *Licet præter ſolitum*, &, *Tuas dudum*, eodem loco, ſive IV. Decretal. tit. 4. Denique advertendum eſt, quod etſi leges civiles ſtatuerint, ut uxor, cujus maritus in militiam profectus, aut alia de cauſa abſens eſt, ad ſecundas nuptias tranſire valeat, poſt quatuor vel quinque annos, *ſi nullum ſoſpitatis potuit habere indicium*, l. *Uxor*, C. de repud. & l. *Uxores* ff. eodem tit. aut poſtquam per alium jurejurando deponatur virum illum obiiſſe, dummodo annus exinde prætereat, Auth. *Hodie*, C. de repud. omnino tamen mulieres junctæ viris rurſus contrahere prohibentur, *donec certum nuncium de morte illorum recipiant*, ſive, *donec conſtet quod ab hac vita migraverint*; qua certitudine habita poſſunt abſque ampliori mora ad aliorum conſortium canonice convolare, prout definivit Clemens III. cap. *In præſentia*, De ſponſal. & Lucius III. cap. *Dominus*, De ſecundis nuptiis.

De impedimento *publicæ honeſtatis* nulla in Decreto Gratiani fit mentio. Eſt autem hoc impedimentum illud, quod oritur ex ſponſalibus, & ex matrimonio rato, non conſummato: & ideo appellatur impedimentum honeſtatis, propterea quod Eccleſia inhoneſtum & indecorum exiſtimet, ſi quis matrimonium ineat cum ſponſæ, vel uxoris ſuæ, etſi non cognitæ, conſanguineis. Impedimentum illud ex ſponſalibus proveniens, nullum eſt ubi ſponſalia quacunque ratione non fuerint valida: ubi autem valida fuerint, ex definitione Trident. Concilii ſeſſ. XXIV. *primum gradum non excedit*, quum antea ad quartum uſque gradum extenderetur, juxta cap. *Juvenis*, De ſponſalib. num. 3. Perſiſtit vero hoc impedimentum, etiamſi ſponſalia mutuo conſenſu ſolvantur, prout teſte Fagnano prope finem Commant. ad cap. *Ad audientiam*, De ſponſal. 4. poſt maturam diſcuſſionem definivit die ſexta Julii an. 1658. S. Congregatio Concilii, ac decima die ejuſdem menſis Alexander VII. Congregationis definitionem confirmans. Pari ratione perſeverat poſt mortem ſponſi, vel ſponſæ, propterea quod impedimentum ſemel contractum ſolius Eccleſiæ auctoritate diſſolvatur: atque id colligitur etiam ex cap. *Si quis deſponſaverit*, XXVII. q. 2. num. 31. Hoc demum publicæ honeſtatis impedimentum ſi contrahatur ob matrimonium ratum, non ad primum gradum coarctatur, ſed extenditur ad quartum uſque, prout definivit S. Pius V. an. 1568. in Conſtitut. *Ad Romanum*. Definitio itaque Tridentini Concilii ſpectat ſolummodo ad ſponſalia *de futuro*, quæ proprie ſponſalia ſunt, ſtipulatio ſcilicet & promiſſio futurarum nuptiarum: quumque Tridentinum nihil innovaverit circa impedimentum ex matrimonio rato, ſive ex ſponſalibus *de præſenti*; conſequitur induci impedimentum illud, etiamſi matrimonium ratum nullum ſit quavis ratione, ſputa conſanguinitatis, affinitatis, impotentiæ, & clandeſtinæ deſponſationis, *dummodo non ſit nullum defectu conſenſus*: id enim Jure Canonico decretum fuerat cap. Unico, *Ex ſponſalibus*, in Sexto lib. IV. tit. I. Secus, ut diximus, affirmandum eſt de ſponſalibus *de futuro* reipſa nullis. Vide Fagnanum in cap. *Ad audientiam*, num. 20. Vanroy cap. 4. q. 9. Theologiam Semin. Petrocorenſis vol. IV. pag. 385. ubi demonſtratur quod poſtremo dictum eſt de matrimonio nullo, ex quo hoc impedimentum inducitur; in reliquis enim conſentiunt Theologi, & JCC. univerſi.

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

Affinitas, de qua in præſentiarum, eſt propinquitas & neceſſitudo, quæ oritur ex viri mulieriſque commercio, & conſummato concubitu, ſeu licitus ſit iſte, ſeu turpis atque inhoneſtus. Contrahitur autem affinitas inter virum & conſanguineos mulieris, atque inter mulierem & conſanguineos viri; non autem inter conſanguineos utriuſque, ut ſcribit Toletus, vir alioqui accuratiſſimus, lib. VII. Inſtruct. cap. XI. Ut enim eſt in proloquio, *Affinitas non parit affinitatem*, eo quod affinitas in conjugibus conſiſtat, in quibus fit unitas illa carnis, unde affinitas ipſa promanat. Hinc fratres vel ſorores conjugis nullo modo affines fiunt fratrum aut ſororum alterius, ac poſſunt inter

ſe inire nuptiale fœdus. Hoc itaque affinitatis impedimentum requirit primum, ut ſequatur concubitus; ex ſponſalibus namque, ſive ex matrimonio duntaxat rato *publica honeſtas* naſcitur, non affinitas: nec truſare, & obſcene urgere puellam ſat eſt abſque ulteriori effectu ad contrahendam affinitatem; cum ſolus niſus non inferat carnale vinculum juxta caput fin. *Adoleſcens*, De ſponſal. & matrim. Concubitus quoque, unde affinitas oritur, debet eſſe naturalis, ex cap. *Extraordinaria*, XXXV. q. 3. num. 11. Eamdem affinitatem contrahi etiam concubitu illicito conſtat ex capp. *Ex litteris*, & *Veniens*, De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ.

Habet *Affinitas* lineas, & gradus ſuos, eo prorſus modo, quo ſupra diximus de conſanguinitate. Hi gradus hac ratione computantur ex Magiſtro diſt. 41. atque ex cap. *Porro de affinitate*, XXXV. q. 5. cap. 3. Cum vir & uxor ſint *una caro*, unius quoque & alterius fit una propinquitas. Tanta ergo erit diſtantia affinitatis inter virum, & conſanguineos mulieris, quanta eſt diſtantia conſanguinitatis inter mulierem ipſam, ejuſque conſanguineos. Itaque in linea recta uxor eſt affinis in primo gradu cum ſocero, ſive patre mariti; in ſecundo cum avo, ac ita deinceps: in linea autem laterali primus gradus affinitatis eſt uxoris cum fratre aut ſorore viri, alter gradus cum viri nepote vel nepte. *Quocirca* (inquit Zacharias, vel Gregorius cap. *Porro*, nuper laudato) *ego & ſoror uxoris meæ in uno & primo gradu ſumus: filius vero ejus in ſecundo gradu erit a me: nepiis vero tertio; idque utrique in cetris agendum eſt ſucceſſionibus*. Affinitas olim uſque ad ſeptimum gradum matrimonium impediebat, cap. *Nullum ex utroque*, XXXV. q. 2. num. 7. at definitione Tridentini Concilii ſeſſ. XXIV. cap. 4. impedimentum, quod inducitur propter affinitatem fornicatione contractam, & dirimit matrimonium poſtea contractum, ad eos tantum reſtringitur, *qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur*. Affinitas autem, quæ ex honeſto & matrimoniali concubitu provenit, impedit connubium, ſicut facit conſanguinitas, uſque ad quartum gradum incluſive: quod & ſtatuitur cap. *De propinquis*, XXXV. q. 3. num. 3.

Si affinitas ob inceſtum concubitum matrimonio jam contracto ſuperveniat, puta ſi vir cognoſcat ſororem uxoris ſuæ, aut hujus filiam propriamque privignam, privatur jure petendi debitum conjugale, quoadusque obtinuerit diſpenſationem juxta capitulum, *Tranſmiſſæ nobis*, De eo, qui cognovit conſ. &c. non autem ſi comprimat conſanguineam uxoris in tertio, vel quarto gradu; quoniam, ut dixi per definitionem Tridentini concubitus illicitus inducit impedimentum in primo tantum, atque in ſecundo gradu affinitatis. Hæc itaque non ſolvit matrimonium ratum, cui ſuperveniat, ſed impedit contrahendum, tametſi interſint ſponſalia; ipſumque matrimonium, ſi ante diſpenſationem contrahatur, dirimit ac nullum reddit.

DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIÆ.

Proximum impedimentum eſt impotentia coeundi, quæ vel ex naturali cauſa proficiſcitur, vel ex maleficio. De hoc impedimento prolixe agitur in IV. Decretal. tit. 15. *De frigidis & maleficiatis*. Impedimentum iſtud tunc adeſſe creditur, quando id fatetur uterque conjux, ibid. cap. *Accepiſti*, num. 5. Si vero id vir aſſerat, neget autem mulier, viro potius fides habenda eſt, *quum ſit ille caput mulieris*; ſecus autem ſi per inſpectionem rectumque judicium aſſertio mulieris vera eſſe probetur, prout legitur in fine præcitati capituli. Hæc impotentia non ſtatim dijudicari poteſt, ſed comprobanda eſt *cohabitatione triennii*, juxta cap. *Litteræ veſtræ*, eodem tit. num. 7.

Quod ſpectat ad naturalem impotentiam, ex parte viri adeſſe dicenda eſt, quotieſcunque nimiæ ſit frigidæ, aut aliis de cauſis, quæ nobis ſilentio prætereundæ ſunt, ad actum conjugii cenſeatur ineptus; dummodo ope medicorum nequeat impotentia illa juvari, prout eo loci habetur cap. *Ex litteris*, 3. necnon cap. *Requiſiſti*, XXXIII. q. 1. num. 2. Impotens itidem eſt ſpado τῷ διδύμῳ utroque exſectus, & qui impura tantum tentigine, non prolifico ſemine poteſt uxoriam rem exercere: de quo plura Summus Pontifex Sixtus V. Conſtit. 59. *Cum frequenter*, edita an. 1587. Eadem ratio habenda eſt de pueris nondum ad gignendam prolem idoneis, cap. *Quod ſedem*, tit. cit. num. 2. atque capp. *Atteſtationes*, &, *Tua nobis*, De deſponſat. impub. Ex parte feminæ impedimentum impotentiæ, oritur *ex arctatione*, cui præter divinum miraculum abſque corporali periculo nequeat remedium afferri, uti habetur cap. *Fraternitatis*, De frigid. & malef. n. 6. Eidem periculo æquiparant nonnulli inciſionem; negantque permulti ad hanc cogendam eſſe mulierem, qua in re neceſſum eſt animadvertere cujus generis inciſione opus foret. Præcitato cap. *Fraternitatis*, §. *Similiter*, legitur mulierem viro cui nupſerat adeo arctam, ut nunquam ab eo valuerit deflorari, poſſe per judicium Eccleſiaſticum ab eo ſejungi, & nubere alteri, cui arcta non ſit: quod paucis ab hinc annis in nobiliſſima muliere, approbante Sede Apoſtolica, certum eſt contigiſſe. Hinc eruitur falſam eſſe opinionem illorum, qui cenſent, nullam dari impotentiam

Digitized by Google

reſpectivam, quæ dirimat matrimonium, contendentes mulierem, quæ poſt ſeparationem a priori conjuge ab alio cognoſcitur, reddi etiam apte primo viro, & debere ad illum redire, cum quo prius fœdus inierat conjugale, propiereaquod, inquiunt, non eſt *perpetua impotentia*, quæ poſtea tollitur: idque ſtatuitur cap. *Requiſiſti*, xxxiii. q. 1. num. 2. & cap. *Accepiſti*, &, *Laudabilem*, De frigidis & maleſ. num. 1. & 5. Amplectitur hanc ſententiam Sylvius in quæſt. 58. Supplem. art. 2. q. 3. ſed utut hæc opinio vera eſſe poſſit de impedimento frigiditatis, quod poſteriori eventu conſtat non adfuiſſe: aut ſaltem non fuiſſe perpetuum, nec arte, vel tempore ſuperandum; profecto vera non eſt, ſi loquamur de impedimento *arctationis*, quæ etiamſi perpetuum non fuerit abſolute, & reſpectu utriuſque viri, perpetuum tamen erat *reſpective*, ideſt, comparate ad virum, cum quo mulier primum contraxerat, quoniam is nunquam eam deflorare potuiſſet: ideoque ſaniori judicio propugnant dari impotentiam naturalem *reſpectivam*, ob quam matrimonium dirimitur, Sanchez lib. 7. diſput. 93. Baſilius Poncius lib. 7. cap. 71. & Gibertus in Corp. Juris Can. de Sacram. tit. 13. cap. 4. ſect. 1.

Unum circa naturalem impotentiam addendum eſt, nempe, ſi hæc ſuperveniat contracto jam matrimonio, nequaquam hoc dirimi, capp. *Hi qui*, xxxii. q. 7. num. 25. &, *Si uxorem*, xxxii. quæſt. 5. num. 18. & rurſus cap. *Quanta*, De divortiis, §. *Si vero*. Senes quoque tametſi ob effœtam ætatem reddantur ad conjugii actum inhabiles, debent cum uxoribus ſuis commorari *ad humanitatis ſolatium*, cap. *Nuptiarum bonum*, xxvii. q. 1. num. 41.

Maleficium, quo impediuntur connubia, eſt faſcinatio, cujus vi conjuges ne coire valeant devinciuntur, ut de rege Amaſi Herodotus, de Sylvano Tacitus, de Theodorico Æmilius ſcripſere. Hanc faſcinationem fieri poſſe virtute dæmonum nullus ignorat: unde & Ovidius lib. 3. Amor. El. 7. canebat,

Quis vetat & magicam nervos torpere per artem!

Neque enim dæmonum ſuperat facultatem efficere innumeris artibus, ut frigeſcant membra, nec ſentiatur verminetque prurigo, ſi tamen id Deus permittat. Impotentia hinc orta, *perpetua* ac dirimens conjugia erit exiſtimanda, ſi per experientiam triennalem adhibitis Eccleſiaſticæ medicinæ remediis non potuerit ſanari, juxta præcit. cap. *Laudabilem*, De frigid. & maleſ. Sunt autem hæc remedia peccatorum ſacramentalis confeſſio, largiores eleemoſynæ, orationes, jejunia, & exorciſmi facti ab Eccleſiæ miniſtris: de quibus remediis legendum cap. *Si per ſortiarias*, xxxiii. q. 1. num. 4. Etſi enim aliquando faſcina faſcinix ſolvuntur, quoniam dæmones ut facilius in ſuperſtitionem perducant, a nocendo ſponte deſiſtunt; nefarium tamen eſt ac ſacrilegum hac ratione avertere maleficia: immo ineptiſſimum quoque iſtud eſt, infirmiſſimumque remedium, utpote quod non a ſuperiori poteſtate vim habet, ſed ab ipſius dæmonis ludificatione: qua deceptus Poetarum quidam ajebat:

Quid prodeſt, quod me peregrini mater Amyntæ
Ter vittis, ter fronde ſacra, ter thure vaporo
Luſtravit, cineresque averſa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes ſulphure lauros?

Sed lege quæ de Magicis incantationibus diximus lib. x. cap. 21.

DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

Raptus eſt violenta mulieris abductio ad contrahendum cum ea matrimonium, aut ad explendam libidinem. Hinc raptor dici non debet, qui cum habuerit mulieris aſſenſum, a parentibus invitis abduxerit, prout ait Lucius III. cap. *Cum cauſam*, De raptoribus. Statuerunt hoc impedimentum etiam leges civiles, ſublata omnino ſpe a raptore potiundi tamquam legitima conjuge, muliere rapta, tametſi accedat partium *ratihabitio*. Vide Theodoſianum Codicem lib. 1a. tit. 24. De raptu virginum & viduarum, & Codicem Juſtinian. eodem tit. Galliarum leges raptum eſſe cenſent, etiamſi puellæ prætextu matrimonii ſubornentur, & abſque expreſſo parentum, vel tutorum conſenſu abducantur, modo non attingant viceſimum quintum annum: & raptores ulterius tam puellarum, quam puerorum, capitis pœnam ſubeunt. Extat de Raptu celebre edictum Bleſenſe Henrici III. art. 42. ſucceſſorum regum approbatione firmatum. Quid de raptu ſtatuerit Jus Canonicum conſtat ex Cauſa xxxi. q. 2. Ibidem cap. *Eos, qui rapiunt*, cap. *Si quis virginem*, & cap. *Nullus neque viduam*, raptores anathemate feriuntur: in capitulo, *Si quis non dicam*, confirmatur quod de pœna capitali habent leges quædam civiles: atque cap. *Placuit*, decernitur, ut qui rapiunt feminas vel ſeducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis poſtmodum conveniant, & accedat quoque parentum ſuorum conſenſus.

Verum quia non eſt hac in re concordiſſima veterum canonum auctoritas; ſiquidem cap. *Denique & puella*, permittitur habere cum voluntate parentum raptas in conjugium, idemque poſt pœnitentiam peractam permittit capitulum, *Si autem nedum eas*; idcirco Synodus Tridentina ſeſſ. xxiv. cap. 5. rebus omnibus accuratiſſime conſideratis decrevit nullum poſſe matrimonium conſiſtere inter raptorem & raptam, *quandiu ipſa manſerit in poteſtate raptoris*: tunc eam poſſe a raptore in uxorem duci, quando *in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit*: raptorem nihilominus eo quoque in caſu excommunicatum eſſe ipſo jure, ac perpetua infamia notatum, omniumque dignitatum incapacem, iiſdemque pœnis ſubjici *omnes raptori conſilium, auxilium, & favorem præbentes*: ſi clerici hi fuerint, *de proprio gradu dejiciendos eſſe*; & demum mulierem raptam decenter arbitrio judicis a raptore eſſe dotandam, *ſive illam duxerit uxorem, ſive non duxerit*.

DE IMPEDIMENTIS NON DIRIMENTIBUS.

Sunt & impedimenta alia, quæ matrimonium non dirimunt, ſed faciunt ne licite contrahatur; *impedientia* vulgo appellata: quæ hiſce verſibus comprehenduntur,

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechiſmus, crimen, ſponſalia, votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Primum ergo eſt *Eccleſiæ inhibitio*; vetare enim poſſunt ne jungantur conjugia, tum Judex Eccleſiaſticus lite circa matrimonium pendente, cap. *Tua nos*, De ſponſalibus, tum Parochus ſi illi denuncietur aliquod impedimentum, vel hujus oriatur ſuſpicio, cap. *Cum inhibitio*, eodem tit. Quærunt nonnulli, num ſi Eccleſia, ac præſertim Romanus Pontifex prohibeat ne matrimonium contrahatur, ea prohibitione irritum fiat. Qua in re videntur canones pugnare invicem: nullum quippe futurum fore, colligitur ex cap. *Ad diſſolvendum*, De deſponſ. impub. ratum vero, atque poſt pœnitentiam peractam permittendum eſſe, infertur ex cap. *Cum in Apoſtolica*, De ſponſa duorum. Verum ipſa prohibitionis formula attendenda eſt, an ſcilicet illi clauſula irritans inſit, qua poſita matrimonium utique foret nullum: atque ita facile ad concordiam prælaudata capitula revocantur. II. *Tempus feriatum* illud eſt, quo prohibentur nuptiarum ſolemnitates, nempe *ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſive*, inquit Tridentinum Concilium ſeſſ. xxiv. de Reform. matrim. cap. 10. Similia in cap. *Non oportet*, ac duobus ſequentibus, xxxiii. q. 4. Idem olim ſervabatur per tres hebdomadas ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ, aut a prima die Rogationum uſque ad octavam Pentecoſtes ob jejunium per id temporis ſervatum a multis, cap. *Capellanus* De feriis. Cum enim nuptiarum celebritas ad voluptates animum trahat, jejuniorum, ſolemniumque feſtorum diebus plurimum adverſatur. Ethnici quoque id animadverterunt; unde in 2. Faſtorum,

Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ.

Hæretici impedimentum illud damnant novitatis, ac *tyrannicæ ſuperſtitionis*, inſcitiam, ſuumque Eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptum commonſtrantes: jam enim ab anno 364. ſive ut aliis placet 357. Laodicena Synodus edidit hunc canonem num. 52. *Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ γάμους ἢ γενέθλια ἐπιτελεῖν, quod non oportet in Quadrageſima nuptias, vel natalitia celebrare*. Coercentes ergo Tridentini Patres procacitatem illam hæreticorum inflicto anathemate, canone xi. ſeſſ. xxiv. perantiquæ traditioni adhæſerunt. III. *Catechiſmi* nomine intelligitur ea ceremonia, qua dum ſupplentur in puero domi regenerato ritus baptiſmatis, quis ſuſceptoris fungens munere reſpondet interrogationibus, quæ fiunt ante fores Eccleſiæ, & quæ fiebant olim catechumenis, priuſquam unda regenerationis abluerentur. Hac enim ceremonia contrahitur ſpiritualis affinitas, quæ olim matrimonium impediebat: ſed impedimentum illud ſublatum videtur a Tridentina Synodo, ut diximus paullo ſupra pertractantes de cognatione ſpirituali. IV. *Crimen* hoc in loco intelligitur grave ſcelus a flagitioſo homine perpetratum, propter quod illi antiqui canones vetabant contrahere cum qualibet perſona, tametſi conſcia non eſſet ejuſdem criminis. Hujuſmodi autem ſcelera erant multa, ideſt inceſtus, raptus alienæ ſponſæ, mors illata uxori, vel ſacerdoti, propriæ prolis ſuſceptio, matrimonium cum moniali attentatum, aliaque omnia, quæ publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur; hujus enim tempore inhibitum erat matrimonium contrahere, ut diximus de Publica pœnit. in hoc volumine pag. 221. Poſtquam vero pœnitentia publica abiit in deſuetudinem, ea tantummodo crimina attendi ſolent, quæ matrimonium dirimant, de quibus hoc eodem capite diſſeruimus. V. *Sponſalia* faciunt, ut matrimonium cum alia muliere initum culpa non careat, cum non ſit abſque promiſſorum violatione: illud tamen non dirimunt, quoniam vinculum conjugii, quod per *verba de præſenti* contrahitur, arctius eſt futurarum nuptiarum ſponſione. Vide quæ diximus de impedimento *ligaminis*, & quæ *de ſponſalibus* afferuntur capite nono. *Votum* tandem, quod matrimonium impedit, ſed non dirimit, eſſe votum ſimplex caſtitatis, emiſſum extra Societatem Jeſu, ex hoc ipſo capite apertum eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

In quo agitur de Clandeſtinis conjugiis.

Connumeravimus inter impedimenta matrimonii clandeſtinum conjugium; de quo hac brevi diſſertatione pertractandum eſt ſingillarim. *Clandeſtinum* itaque dicitur, quod clam & in ſecreto peragitur: unde *clandeſtina colloquia* inquit Cicero de Senect. *clandeſtina conſilia* vii. Belli Gal. Cæſar; *clandeſtinam ſuſpicionem* Plautus Amphit. 5. Hoc in loco *matrimonium clandeſtinum* dicimus, quod abſque ſolemni forma præſcripta a Concilio Lateranenſi iv. cap. 51. & confirmata a Tridentino ſeſs. xxiv. de Reformat. matrim. cap. 1. ideſt abſque præmiſſis in Eccleſia proclamationibus, & aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus contrahitur. Sed quoniam Tridentinum ibidem docet poſſe proclamationes omitti, ſi id Ordinarius judicaverit expedire; contractus autem matrimoniales ſine Parocho & ſine teſtibus factos, *irritos ac nullos* ſacroſancta Synodus aperte declarat: hinc denunciationes præmittendæ ſunt quidem, ut dicam poſtea, ſed illarum prætermiſſio non eſt, quemadmodum Parochi ac teſtium abſentia, ipſius matrimonii dirimens impedimentum. Quia inſuper hæc clandeſtina conjugia facta libero contrahentium conſenſu fuiſſe rata & vera matrimonia, *quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit*, initio ejuſdem capitis teſtatur ipſa Synodus Tridentina; & aliunde non poteſt Eccleſia mutare quæ ſpectant ad ſacramentorum *ſubſtantiam*, ideſt. *ad materiam & formam*, prout colligitur ex ipſomet Concilio ſeſs. xxi. cap. 2. merito quæritur, an revera poſt illam Generalis Synodi definitionem eadem clandeſtina conjugia ſint rata, quum in illis appareat *materia*, quæ antea ſufficiens erat, videlicet, liber contrahentium conſenſus.

Dixi nonnulla de hac quæſtione libro xxx. cap. 10. atque hoc ipſo in quo verſamur, cap. 5. Nunc eadem illuſtraturus primum fateor ante Tridentinam Synodum clandeſtina connubia rata fuiſſe; nam Lateranenſis iv. eadem quidem improbavit, ſed tamen irrita eſſe non definivit, neque ante Tridentinum Concilium Eccleſia unquam eadem matrimonia voluit dirimere, ut cum permultis Theologis in iv. diſt. 28. §. 7. inquit Eſtius. Eſt tamen quorumdam opinio, ac præſertim Gentiani Herveti in Oratione ad Tridentinum Conc. Ferdinandi Mendozæ lib. 3. de Confirm. Conc. Illib. cap. 32. & noſtri Pontii lib. v. de Matrim. cap. 3. quod priſcis Eccleſiæ ſæculis hujuſmodi clandeſtina conjugia irrita & nulla fuerint, ſed poſtmodum antiquas leges in deſuetudinem abiiſſe, adeo, ut plurium ſæculorum intervallo rata & legitima fuerint, donec rurſus Tridentini Patres illa prorſus illegitima & irrita eſſe ſtatuerunt. Ceterum & qui hoc ſentiunt, fatentur, ut conſtat, diu matrimonium clandeſtinum fuiſſe ratum. Id ergo ultro lubenterque fatendum eſt; ac præterea concedendum, adhuc clandeſtina matrimonia contracta ſine forma a Tridentinis Patribus præſcripta, eſſe valida ubicunque ipſum Tridentinum promulgatum non fuit, quoniam Tridentinum ipſum Concilium declaravit ſuam de clandeſtinis connubiis definitionem in unaquaque parochia ſuum robur habere *poſt triginta dies a die primæ publicationis in eadem parochia factæ*. Quidam ajunt humanas leges nunquam obligare niſi acceprentur: ſed horum opinionem exagitavimus capite 13. libri vigeſimi.

PROP. I. Quamquam clandeſtinæ nuptiæ ante Tridentinum ratæ fuerint, ſemper tamen illas Eccleſia Chriſti deteſtata eſt.

Fuiſſe clandeſtina conjugia olim rata, nec juri naturali repugnantia, conſtat primum ex cap. 3. prop. 2. in qua demonſtravimus juxta legem naturæ ſufficere ad matrimonium contrahendum liberum eorum conſenſum, de quorum conjunctionibus agitur. Secundo ex Jure Canonico, ac præſertim ex capp. *Matrimonium quidem*. *Sufficiat*. *Omnis res*. xxvii. q. 2. atque ex capp. *Si quis clam*, &c. *Quod nobis*, De clandeſtina deſponſat. ſcilicet in iv. Decret. tit. 3. Inſuper ex Tridentina Synodo, cujus præcit. cap. 1. hæc ſunt verba: *Tametſi dubitandum non eſt clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit*, &c. Poſtremo ex ratione, eo quod nihil magis naturæ conſentaneum ſit, quam ut unus ſponte ac libere conjugem ſeſe tradat alteri, & individuam vitæ conſuetudinem cum ipſo ineat; omnia vero quæ ulterius ad pactionem hanc & neceſſitudinem ſtabiliendam addita fuere, humani ſunt inſtituti.

Ceterum Eccleſiam ſemper deteſtatam fuiſſe hujus generis matrimonia probatur 1. ex cap. *Aliter*, xxx. q. 5. deprompto ex Epiſtola Iſidoriana Evariſti, ubi legitur: *Aliter legitimum non fit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur & a quibus cuſtoditur, uxor petatur, a parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter (ut mos eſt) cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur.* Et infra, *Ita peracta legitima ſcitote eſſe connubia: aliter vero præſumpta, non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia eſſe non dubitate; niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima.* Hoc canone Baſilius noſter, aliique prælaudati exiſtimarunt, ut præmonui, clandeſtinum matrimonium primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe nullum. At revera non ita res eſt: illinc enim non aliud inferas, niſi clam contrahentes violaſſe decreta ab Eccleſia, & Imperatoriis quoque legibus lata pro matrimonii ſolemnitate atque honeſtate; & deſponſationes illas clandeſtinas in ſe inſpectas non habere unde diſtinguantur ab illegitimis contuberniis, ac in reipublicæ conſpectu eamdem turpitudinis ſpeciem præſeferre, ac adulteria & inceſta connubia, tametſi propria voluntate ratæ eſſe queant & firmiſſimæ. Eodem ſenſu inquit in lib. de Pudicit. Tertullianus cap. 4. *Penes nos occulta quoque conjunctiones, ideſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Accedunt canones connubia hujuſmodi clandeſtina inhibentes, ut cap. *Nullus fidelis*, quod a Gratiano xxx. q. 5. num. 2. tribuitur Hormiſdæ: & cap. *Noſtrates*, ibidem, exſcriptum ex Epiſtola Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum. Jure quoque Cæſareo clandeſtinæ deſponſationes improbantur l. *uxorem* C. de repudiis; nuptiiſque Ethnicorum aderat ſacerdos Cereris, ut litteris conſignarunt qui *de Ritu nuptiarum* ediderunt erudita commentaria, Joannes Baptiſta Caſalius, & Joſeph Laurentius Lucenſis. Præterea Innoc. III. & Concilium iv. Lateranenſe illegitimam declaravit ſobolem ex clandeſtinis, vel interdictis conjugiis ſuſceptam, cap. *Cum inhibitio*. §. *Si quis vero*, De Cland. deſp. n. 3. ac demum Tridentina Synodus cit. cap. 1. animadvertit gravia peccata ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habere: *præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt.*

PROP. II. Potuit Tridentinum Concilium nulla & irrita declarare clandeſtina conjugia, ac talia declarando optime ſe geſſit; ideoque poſt hujus Concilii ſacroſancta decreta non ſolum hujuſmodi conjugia noxia & illicita ſunt, verum etiam irrita prorſus ac nulla.

Demonſtro propoſitionis priorem partem; ex iſta enim reliquæ ſuapte natura conſequuntur. Ac principio, ut dictum eſt præcedenti cap. 5. quamvis Chriſtus Dominus pro hujus ſacramenti *materia* conſtituerit contractum civilem, qui naturali jure exigit liberum contrahentium conſenſum; non excedit tamen auctoritatis Eccleſiaſticæ limites, talem formam conditionemque præſcribere, qua non appoſita cenſeantur perſonæ inhabiles ad contrahendum; nec propterea quod hanc formam conditionemque conſtituat Eccleſia, dicenda eſt *materiam* a Domino determinatam immutaviſſe, quoniam eadem *materia* eſt contractus civilis, de cujus ratione eſt, ut præter conſenſum liberum, quem exigit jure naturæ, ſubjiciatur diſpoſitioni legum humanarum, a quibus præſcribuntur aliæ conditiones, ſine quibus ad contractum corroborandum nudus conſenſus non ſufficit. Atqui hoc tantummodo præſtitit Tridentina Synodus prohibendo clandeſtinum conjugium: ſiquidem præter liberum contrahentium conſenſum, quem exigit jus naturæ, præſcripſit præſentiam Parochi ac teſtium, atque ſine hac forma aut conditione declaravit perſonas ad contrahendum inhabiles. Igitur Tridentinum Concilium irrita ac nulla declarando matrimonia clandeſtina nequaquam poteſtatis ſuæ exceſſit limites. Probatur major manifeſtis comparationibus. Etenim religioſa profeſſio ſi fiat in aliquo Ordine ab Eccleſia approbato ante decimum ſextum ætatis annum, nulla declaratur a Patribus Tridentinis ſeſs. xxv. de Reg. cap. 15. extantque vetuſtiora decreta pariter profeſſionem hujuſmodi irritam declarantia, ſi emittatur ante certam ætatem, ut conſtat ex capp. *Ad noſtram*, &, *Significatum eſt*, in 3. Decretal. tit. 31. de Regularibus, nec non ex cap. *Is, qui monaſterium*, eod. tit. in Sexto. Quamvis itidem matrimonia inter conſanguineos & conſobrinos legi naturæ non adverſentur; nulla ſunt tamen Eccleſiaſtico jure, prout dictum eſt præcedenti capite: & licet confeſſio facta Sacerdoti juriſdictionem habenti ſit ſacramenti Pœnitentiæ idonea materia; nihilo tamen minus quia juriſdictionem conferre attinet ad Eccleſiam, hæc jure ſuo ſtatuit ut quædam peccata a presbyteris ſolvantur, quædam vero ſummis ſacerdotibus reſerventur: ita nimirum, quoniam ſicut juriſdictionem ampliare vel coarctare, ſic prorſus impedimenta matrimonii relaxare aut inducere, munus eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis. Addamus exemplum magis accommodum ex ipſa natura contractuum. Quicquid jus naturæ præſcribit de libero contrahentium aſſenſu in contractibus matrimonialibus, idem profecto ſtatuit de contractibus reliquis, V. G. venditionis, & alienationis. Jure autem humano nulli ſunt contractus ejuſmodi vel a prodigo, vel a pupillo facti, niſi ſub certa forma civili jure præſcripta, l. 1. ff. De curat. furioſi, & l. *Pupillus*, ff. de regulis juris. Ut ergo jure civili perſonæ quædam declarantur inhabiles ad contrahendum, non immutato jure naturæ circa ſubſtantiam contractus; ita jure Eccleſiaſtico qui-

clam ducunt fœminam in conjugem, redduntur ad conjugium inepti, contractus matrimonialis ſubſtantia minime variata. Præterea demonſtratur propoſitio ex quo contractus civilis ad bonum commune dirigi debeat; ea enim, quæ ad commune bonum diriguntur, ſubjici debent legibus humanis, quibus jure naturali non immutato, apponantur certæ conditiones, ſine quibus idem commune bonum ſummopere læderetur: quemadmodum nuper dixi de propriorum bonorum alienatione, quæ etiamſi fiat ſecundum modos legitimos legis naturæ, ſine quibuſdam tamen conditionibus irrita humanis legibus redditur, proptereaquod iiſdem conditionibus non appoſitis conſequi poteſt jactura rei domeſticæ, filiorum egeſtas, familiarumque depreſſio. Ex contractu autem matrimoniali *clandeſtine* inito non tantum civilis ſtatus detrimentum, verum etiam plurium bonorum oriri poteſt amiſſio; ſiquidem inde non ſemel labefactatur læditurque unitas cognationum, fides conjugalis, beneficium prolis, & gratia ſacramenti, prout in diſputationibus habitis in Tridentino Concilio Patres ac Theologi demonſtrarunt. Vide Hiſt. Pallav. lib. xxii. cap. 4. Neque id obſcurum eſt, atque ad demonſtrandum difficile. Enimvero ſi conjugum alter poſſit arbitratu ſuo denegare nodum maritalem, ut revera poteſt, ſi abſque ullo teſte contraxerit; jam uxorem dimittere, atque adulteram uxoris loco in torum adducere, & liberos legitimos tamquam nothos deſpicere, nothoſque legitimis anteferre in ejus erit arbitrio: quod idem eſt, ac detrimenta nuperrime commemorata afferre chriſtianæ reipublicæ. Atque hinc infertur propoſitionis pars altera, in qua dixi clandeſtina conjugia eſſe noxia quoque & illicita. Et revera Tridentina Synodus ſeſſ. xxiv. de Reformat. c. 1. declarat ſe ad clandeſtinum contractum nullum irritumque decernendum moveri *ob gravia peccata, quæ ex clandeſtinis conjugiis ortum habent; præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt:* quod & alii canones, Patreſque tradunt, ut priori propoſitione dictum eſt. Poſtremo hæc conjugia eſſe irrita conſtat: inquit enim eo loci Synodus ſacroſancta: *Qui aliter, quam præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujuſmodi contractus nullos & irritos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.* In hac autem definitione Eccleſiam non exceſſiſſe auctoritatis ſuæ fines commonſtrant ſuperiora argumenta, necnon quæ ſupra de impedimentis antiquitus conſtitutis diſſeruimus: ex quibus manifeſtum eſt, ipſam Eccleſiam non ſemel duos homines ineptos declaraſſe ad quovis modo contrahendum, puta conſanguineos, affines, uxoricidas. Quis vero, niſi ratione omnino careat, affirmabit non habere facultatem ſtatuendi certum contrahendi modum eamdem Eccleſiam, ſi poteſt nonnullis abſolute præſcribere ne aliquo modo contrahant?

At objicies: Principio decretum adverſus clandeſtina conjugia in Tridentina Synodo latum eſt, præcipuis ac præſtantiſſimis Patribus repugnantibus, inter quos Cardinales Ludovicus Simonetta Concilii Legatus, Cardinalis Jo. Moronus Legatus alter, Cardinalis Madrutius, Antonius Patriarcha Jeroſolymitanus, aliique plurimi, ut lib. xxiii. cap. 9. fatetur Pallavicinus. Immo in decreto illo pugnantia & abſurda leguntur: ibi enim aſſeritur clandeſtina matrimonia rata & vera fuiſſe, *quandiu Eccleſia ea irrita non fecit*; tum ſubjicitur, *nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.* Quid vero abſurdius, quam Eccleſiam Dei ſemper deteſtatam fuiſſe vera ſacramenta? Hæc objicit in Hiſtoria Concilii Paulus Sarpi. Deinde vero, ſi matrimonia clandeſtina olim conſiſtebant, & quidem jure naturæ, neceſſum eſt, ut etiamnum rata ſint; quandoquidem jus naturæ nulla Eccleſiaſtica definitione perverti poteſt. Ad hæc, ut ſæpe diximus, Eccleſia non poteſt mutare *materiam* ſacramentorum; ideoque nec facere quin contractus clandeſtinus, ſi fuit aliquando *materia* ſufficiens matrimonii, etiamnum non ſit talis. Præterea, ſi Parochi, ac teſtium præſentia ſemper neceſſaria non fuit ad matrimonii contractum; eadem præſentia non ſpectat ad invariabilem contractus ſubſtantiam, ſed accidentaria eſt, atque adventitia. At Eccleſia facere nequit, ut ad *eſſentiam* ſacramenti pertineat quod illi eſt duntaxat *accidentale*: alioqui poſſet irritum reddere baptiſmum, & quodlibet aliud ſacramentum abſque rituum ſolemnitate collatum. Tandem ex Tridentini definitione deterius incommodum derivavit; ubi enim *clandeſtine* contrahentes innoxie, & tanquam veri conjuges conveniebant; poſtea hujuſmodi conjugia attentantes perpetuo fornicationis crimine maculantur: atque hujus generis ſunt fere omnia hæreticorum conjugia, abſque decretis a Tridentino conditionibus inita.

Reſp. ad 1. Tridentinos omnes Patres, re diligentius diſcuſſa, & Summi Pontificis, cui laudati Cardinales opinionem ſuam ſubjecerant, agnita approbatione, in eamdem ſententiam deſcendiſſe; ut citato cap. 9. num. 5. demonſtrat Pallavicinus. Nec in Tridentino decreto abſurdi aliquid invenitur; non enim ſancta Dei Eccleſia deteſtabatur antea clandeſtina conjugia, his in ſe ſpectatis, & ob ſacramenti rationem (cum tamen an ſacramenta fuerint, res ſit ambigua, & oppoſitum doceant qui hujus ſacramenti miniſtrum eſſe ſacerdotem propugnant) ſed attenta contrahentium nequitia, quo ſenſu execramur ſacramenta quælibet ſacrilege, aut pravo animo adminiſtrata, aut ſuſcepta. Atque hinc apparet oppoſitionem primam nugis ineptiiſque conſtare. At ceteris abunde ſatisfactum eſt ſupra. Diximus enim non perverti, ſed confirmari potius jus naturæ, quando præter id, quod ipſum jus naturæ præſcripſit, humanis legibus apponuntur conditiones ad commune bonum directæ; prout conſtat in contractibus venditionis, & alienationis propriorum bonorum, atque in exemplis aliis, de quibus ſupra. Neque enim lex naturæ præcipiens, ut contractus liberrime fiant, vetat ne adjiciantur propter publicum commodum conditiones aliquæ, nec licentia eorum qui libertate abutuntur valeat contineri & compeſci, id, quod eſſet velle exitium atque perniciem, non utilitatem & commodum Reipublicæ. His vero ſecunda objectio evaneſcit. Nam ad tertiam ſemel iterumque dictum eſt, nunc quoque contractum civilem eſſe hujus ſacramenti *materiam*, neque hanc cenſendam eſſe immutatam, proptereaquod Eccleſia certis ſaluberrimis conditionibus fecerit ne aliqui ſint ad contrahendum idonei. Diluitur eadem ratione objectio conſequens: quamquam enim præſentia Parochi vel aliorum non fuerit ſemper neceſſaria ad ſubſtantiam contractus; ſemper tamen neceſſum fuit, ut contractum inirent perſonæ legitimæ; Eccleſia autem præſentiam illam requirit, ut perſonæ ſint habiles ad contrahendum, non autem ut contractus ſit actus humanus & liber, eo pacto, quo ad emittendam profeſſionem exigit certum annorum numerum, ut qui profeſſionem emittunt, juxta canonum ſtatuta habiles ſint atque idonei. Ad oppoſitionem ultimam dicimus, Tridentinam Synodum damnando clandeſtina conjugia conſuluiſſe vinculo fideique maritali, bono legitimæ prolis, & ſacramenti gratiæ & ſanctitati: neque hinc fornicationi patere aditum, cum ubicumque hæc ſynodus promulgata eſt, ſciant omnes nuptias clam initas æque, ac adulteria & mœchiam, reprobari. E contra haud leve adverſus fornicationem remedium eſt, cavere ne tamquam uxores impune ſcorta pelliceſque detineantur. Ad hæreticos quod attinet, etſi nil commodi ex propria inobedientia & perfidia percipere mereantur, eis tamen Apoſtolicæ Sedis cura, & ſolicitudine proviſum fuit, prout proximo capite ſum dicturus.

CAPUT VIII.

De matrimoniis hæreticorum, quæ præſertim contrahuntur in Hollandia, & fœderatis Belgii provinciis, atque de BENEDICTI XIV. *Conſtitutione, qua hæc controverſia tandem finita eſt.*

Circa matrimonium Catholici viri cum muliere hæretica, vel e contra mulieris catholicæ cum viro hæretico, omnes fere Theologi conſentiunt, valida quidem eſſe, ſed noxia & illicita: ita nempe ſentiunt innumeri illi auctores, quos laudant Sanchez lib. 7. diſput. 72. & Baſilius Poncius in Appendice cap. 1. aliique omnes, qui poſt horum tempora floruerunt. Et quidem hæc matrimonia valida eſſe demonſtratur, quoniam nulla prorſus lege decernitur nulla & irrita eſſe: non lege naturali, quoniam ut ſupra diximus, exempliſque veterum Patriarcharum, necnon celeberrimarum mulierum Monicæ & Lætæ confirmavimus, *diſparitas cultus* non fuit olim impedimentum conjugia dirimens: non divina lege, nam quod Apoſtolus Paulus, multumque traditio reprobet hujuſmodi matrimonia, illicita quidem & flagitioſa ea demonſtrat, non autem nulla: non demum Eccleſiaſtico jure, cum cap. *Decrevit*, De hæreticis in vi. ubi agitur de non confiſcandis mulierum dotibus propter maritorum hæreſim, firma & valida ſupponantur. Cur vero Eccleſia patiatur hæc matrimonia ſubſiſtere, cauſas plures proferunt Scholaſtici, quas vide apud Sylvium in q. 59. Supplem. art. 1. & Eminentiſſ. Gotti q. 8. dub. item 8. Præcipuæ cauſæ ſunt, quod hæretici inter Chriſtianos connumerentur, ſubjiciantur juriſdictioni Eccleſiaſticæ, atque ad fidem profitendam vi ſuſcepti baptiſmatis teneantur. Adde quod matrimonium, de quo loquimur, Sacramentum ſit, licet contrahentium ſacrilegio pollutum. Sed vide prælaudatos Theologos, quorum unus alterum diligenter exſcripſit. Videtur his opponi canon 72. Trullanus: *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari: ſed & ſi quid ejuſmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimare, & nefarium conjugium.* At Sanchez reſpondet Trullanos canones nullius eſſe auctoritatis; Baſilius vero inquit id quod priſcis ſæculis ſervabatur, permutatum fuiſſe contraria conſuetudine, aut hæreticos eo in canone intelligi, qui nondum ſuſcepere baptiſmum. Verum Trullanus canon de ſeparatione fidelis conjugis a viro hæretico accipiendus eſt, niſi cum illo habitare conſentiat, nam ſequitur, *Si fidelis*

homini

Digitized by Google

homini placeat cum infideli cohabitare, aut e contra, ne a ſe invicem ſeparentur: ex divini enim Pauli ſententia, ſanctificatus eſt infidelis vir in muliere, & ſanctificata eſt mulier infidelis in viro. Immo ee verba, *ἄκυρον ἡγεῖσθαι τὸν γάμον, καὶ τὸ ἄθεσμον διαλύεσθαι συνοικέσιον*, quæ latine reddite fuerunt, *irritas nuptias exiſtimare, & nefarium conjugium diſſolvi*, nil alíud ſonant, quam, *Inconveniens judicari conjugium, & vetandum reſcindi contubernium.*

Hujuſmodi antem matrimonia eſſe illicita demonſtratur primo, ee quo ſacræ litteræ inhibeant omnem cum hæreticis conſuetudinem, ut conſtat ea Ep. ad Titum III. 10. ea 11. Joannis 10. & eapreſſius 2. ad Corinth. VI. 14. ubi ait Paulus, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*; quæ verba, tametſi a multis explicentur de vinculo conſuetudinis & amicitiæ, a Hieronymo tamen lib. 1. adverſus Jovinianum, & epiſt. 91. ad Ageruchiam accipiuntur de matrimonio. Quod etiam Apoſtolus ait de virgine 1. ad Corinth. VII. 40. *Cui vult nubat, tantum in Domino*, Theodoretus, Ambroſiaſter, S. Thomas, aliique interpretantur de viro tantum fideli; quamquam planior ſit ſenſus, nubat quidem, ſed juxta temperantiæ præcepta, nec a Chriſtiana religione deſciſcens. Prætereae matrimonia, de quibus loquimur, illicita eſſe demonſtrant canones Conciliorum, LXVII. Laodiceni, unde depromptum eſt cap. *Non oportet*, XXVIII. q. 1. canon item XIV. Chalcedonenſis, XXI. concilii Carthaginenſis primi, XVI. Illiberitani, necnon epiſtola Stephani IV. ad Carolum regem Francorum, qui uxorem duxerat Bertam filiam Deſiderii regis Longobardorum: de qua Epiſtola Baronius ad an. 770. n. 9. Accedit apertiſſima ratio, quæ petitur ex periculo ſubverſionis, alteri conjugum, filiiſque impendente quam ſcite prælaudatus Baſilius Poncius cap. 2. Appendicis urget confirmatque teſtimoniis Tertulliani lib. 2. ad Uxorem cap. 3. Ambroſii libro 1. de Abraham cap. 9. & Chryſoſtomi hom. 48. in Geneſim. Verum qui probe novit quanta ſit vis neceſſitudinis, quid valeat uſus individuus, & quot eximios viros deceperint mulierum illecebræ, elia non indiget probatione.

Ob memoratum ſubverſionis periculum, quidam ſcripſerunt matrimonia catholicorum cum hæreticis adeo eſſe illicita, ut jure naturali repugnare videantur, & nunquam permitti debeant; in quam ſententiam abiit Juenin in Comment. diſſert. e. q. 7. cap. 6. art. 3. Sed falſiſſima eſt hæc opinio, & penitus rejicienda. Nam invenimus matrimonia complura, non cum hæreticis tantum, verum etiam cum Ethnicis, non violato jure naturæ, perſtitiſſe, complura etiam valuiſſe ad fidei incrementum, & conjugum ſanctificationem. De Monica, & de Læta dictum ſupra. Cæcilia item, & Lucie paganis viris nupſerunt, Saturus Arianam fœminam duxit, Crotildis ſanctitate conſpicua matrimonio juncta eſt Clodoveo ethnico, Ringundis Recaredo Ariano, Brunichildis eamdem hæreſim profeſſa Catholico regi Chilperico. Mitto exempla alia quamplurima. Prætera non ſemel Romani Pontifices in hujuſmodi matrimoniis canonica lege prohibitis diſpenſarunt, præſertim Gregorius XIII. Urbanus VIII. & Clemens item VIII. atque ætate noſtra cum fœmina Piſana, quæ nupſit hæretico Anglo, Benedictus XIII. Quod vero Juenin reſpondet hanc diſpenſandi praxim eſſe in Romana Curia valde recentem, Romanoſque Pontifices ſecutos opinionem, quæ illis viſa eſt probabilior, ex eodem auctore refellitur: ſuperiori enim articulo recte ſcripſerat matrimonia Chriſtianorum cum infidelibus valida fuiſſe uſque ad quintum ſæculum, eodemque art. 3. concl. 2. ſtatuerat nullum jus irritas feciſſe nuptias Catholicorum cum hæreticis. Prohibentur ergo duntaxat jure Eccleſiaſtico, in quo diſpenſandi habet Romanus Pontifex pleniſſimam auctoritatem. Dummodo ergo cauſa hujuſmodi diſpenſationis interſit, qualis eſſe poteſt ſpes converſionis conjugis infidelis, vel etiam ſi vir permittat uxorem filioſque vivere juxta ritum religionis Catholicæ, poteſt Pontifex legum Eccleſiaſticarum prohibitionem relaxare: quamquam hac diſpenſatione edhuc poſita, ſi revera adſit ſubverſionis periculum, non liceat matrimonium illud contrahere, ut fuſe explicat Poncius cap. 8. num. 6. eo quod quiſque vitare teneatur periculum perditionis; de quo tamen Pontifices priuſquam hujuſmodi diſpenſationes concedant, diligentiſſime inquirunt. Ex his autem, quæ ſuperiori capite diximus de clandeſtinis conjugiis, evidentiſſimum eſt, hæc matrimonia nulla eſſe, ſi in Catholicorum regionibus ubi Tridentinum promulgatum eſt, *clandeſtine*, & abſque forma ab eodem Concilio praſcripte celebrentur.

Quum autem quæſtio de hæreticorum conjugiis univerſim pertractata ad hunc modum ſe habeat; difficillima foret, & pene inextricabilis controverſia de matrimoniis, quæ coram Magiſtratu, abſente parocho, contrahuntur in Hollanda, Zelandia, Friſie, aliiſque fœderatis Belgii provinciis, niſi maturo conſilio, maximoque in Chriſtianam rempublicam ſtudio controverſiam ipſam componere & definire curaſſet Paſtor totius Eccleſiæ vigilantiſſimus, BENEDICTUS XIV. Theologi enim, qui ante hunc Pontificem Maximum eamdem quæſtionis partem attigerunt, toto inter ſe cælo diſcuſſi ſunt. Et permulti quidem irrita matrimonia illa dixerunt, quod in iiſdem provinciis Tridentini Concilii decretum promulgatum fuerit an. 1565. opera Margaritæ Parmenſis, quæ tunc temporis pro Philippo II. Belgium regebat. Atque de hac promulgatione hæſitandum non eſſe ſcribunt Huygens, De-Cocq, Zypæus, Neuſſer, Reiffenſtuel, aliique cum Hiſtorici, tum Theologi, quorum permultos laudat vol. 6. pag. 465. Aurelius noſter Piette. Neque auctoritati decretorum concilii opponi poteſt inobedientia & pervicacie impiorum hæreticorum: quippe, ut ajebat prope finem Commentarii in diſt. 28. lib. IV. Sent. eruditiſſimus Eſtius, de prævaricatoribus, qui Eccleſiæ leges contemnunt, uſurpare poſſumus illud Apocalypſis ultimo, *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Atque hæc eadem verba pronuntiabant, cum primum hæretici jugum legitimi Regis excuſſerunt, Catholici animarum paſtorem, matrimonia ritu hæreticorum contracta, tanquam nulla, & tanquam fornicantium conſuetudinem condemnantes. Bellarminus quoque doctrina æque ac purpura inſignis, in litteris an. 1600. conſcriptis ad Nuntium Apoſtolicum Epiſcopum Tricaricenſem, nec non ſacra Cardinalium Congregatio in datis anno 1605. ad Sasboldum Vicarium Apoſtolicum per Hollandiam, matrimonia illa coram hæretico Magiſtratu inita, eſſe prorſus nulla, evidentiſſime affirmaverunt. Nec deeſſe videtur aperta ratio; quum Eccleſia omnes baptiſmate regeneratos, etſi hæretici ſint atque apoſtatæ, ſtatutis ſuis decretiſque conſtringat.

Theologi tamen alii bene multi, haud negantes iſtiuſmodi matrimonia fuiſſe irrita initio revolutionum, quando Parochi adeſſe poterant; tradiderunt tunc rata extitiſſe, cum jugo religionis excuſſo, politici tantum, & hæretici Magiſtratus vigeret auctoritas. Hujus vero ſententiæ præcipua momenta ſunt, quod lex e Tridentino lata in provinciis, de quibus quæſtio inſtituitur, ſervari non poſſit, immo & perniciosa ſit, cum hæretici, ſi noſcerent matrimonia ſua haberi a Catholicis illegitima, non tantum quemlibet alium contrahendi modum, verum etiam qualecunque religionis exercitium ipſis Catholicis interdicerent. Accedit quod iidem hæretici, necnon Catholicorum plurimi, qui continere non poſſent, damnatis nuptiis in profundum turpiſſimarum libidinum pelagus immergerentur. Rurſus ſi nulla ex catholicis feminis nuberet viro hæretico, intercluderetur hujus converſioni aditus; ſi nuberet autem, communionis & abſolutionis foret incapax, niſi adulterina conjugia reſcinderet. Præterea forma illa matrimonii ab hæreticis conſtituta nequaquam adverſatur ſcopo Synodi Tridentinæ: cum enim & præmittantur denunciationes, & coram Magiſtratu maritale fœdus jungatur, jam nec mulier adultera pro legitima uxore, nec filius ſpurius pro ingenuo poteſt introduci: quod utique movit Tridentinos Patres, ut matrimonia clandeſtina proſcriberent. Tandem cum Romani Pontifices non ignoraverint decretum Tridentinæ Synodi in fœderatis Belgii provinciis a multis annis non obſervari, ac ſiluerint, & matrimonia illa celebrari paſſi ſint; videtur ibidem eadem lex ſilentio, atque indulgentia legiſlatoris, necnon diuturna & contraria conſuetudine vim ſuam amiſiſſe.

Dum ita hæc controverſia penderet, probique theologi optarent, ut Eccleſia illi etiam malo, quod pervicacia hæreticorum invexerat, aut explicando definitionem Tridentini, aut novum condendo decretum occurreret; BENEDICTUS XIV. divina providentia ad Petri ſolium evectus, cauſam hanc ſedulo expendendam commiſit doctiſſimis, ac præclariſſimis viris, Guidobono Cavalchini tunc S. Cong. Concilii a ſecretis, Joachim Beſozzi Monaſterii Ciſtercienſium S. Crucis in Jeruſalem Abbati, & S. Inq. G. Conſultori, qui duo nunc Vaticana purpura fulgent, necnon Thomæ Sergio Piorum Operariorum, itemque S. R. Inq. Conſultori, viro optimo atque integerrimo, ac præterea duobus S. J. Theologis celeberrimis, Dominico Turani, & Ægidio Mariæ Giulii. Horum primus productis variis S. Congregationis Concilii decretis, & controverſiæ ſtatu accuratiſſime expoſito, eam ſententiam amplexus eſt, quod matrimonium Catholici cum hæretica, aut hæretici cum Catholica, coram politico Magiſtratu contractum, ſi Parochus vel Epiſcopus adeſſe non valeant, validum & ratum ſit, modo etiam teſtes adhibeantur, idque ex decreto S. Cong. die 27. Martii an. 1632. Matrimonium pariter hæretici cum hæretica validum pronuntiavit, eo quod hi catholicum parochum non agnoſcant, nec talis parochus poſſit eorum conjugiis intereſſe, ac præterea pro illis Concilii decretum minime latum fuerit, producto altero ejuſdem Congregationis decreto die 6. Martii an. 1694. At matrimonium duorum Catholicorum coram miniſtro hæretico Amſtelodami celebratum, nullum ab eadem Congregatione die 1. Decembris an. 1696. declaratum fuit. Videtur quoque Cardinalis ampliſſimus in ea ſententia, quod in tota Hollandia & Friſia decretum Concilii non fuerit ſufficienter promulgatum, quum ab anno 1563. quo primum Romæ promulgatum eſt, uſque ad an. 1572. quo fœderatæ Belgii provinciæ ab Hiſpaniarum Rege, & a fide Catholica defecerunt, ſeditionibus, graviſſimiſque bellis exarſerint. Verum quid hac in re ſit aſſerendum, facile ex dictis ſupra, atque ex poſtremo S. Congregationis de-

creto

Digitized by Google

ricto an. 1556. inſeri poteſt. Joachim Cardinalis Beſozzi matrimonia, de quibus agitur, valida pariter exiſtimavit, quod fieri non poſſit, ut juxta Tridentini decreta conitahantur, addita tamen ea particula, *in ratione ſaltem contractus*: quæ recte ac ſapienter fuit appoſita ad evitandam quæſtionem ſcholaſticam de hujus ſacramenti miniſtro. Valida itidem cenſuit Thomas Sergius, permotus maxime ratione petita ex vi obligandi legum humanarum, quæ pondus non habent, ubi inutiles, perniciosæ, & obſervatu moraliter impoſſibiles evaſerunt: id, quod paullo ſupra tetigimus, & 1. 2. q. 96. ar. 6. traditur a S. Thoma. Addit Sergius noluiſſe Concilium aliquid pro hæreticis definire; tum quia declaravit decreto ſuo neminem obſtringi, niſi poſt illius promulgationem in parochiis, quibus, ſi proprie loqui velimus, carent hæretici; tum quia ſcopus Concilii fuit cavere, ne matrimonia in concubinatus evaderent, quod in fœderatis quoque provinciis publica matrimonii celebratione vitatur. At matrimonium inter partem Catholicam & hæreticam in Hollandia contractum Thomas Sergius nullum aſſeruit, quod pars Catholica ſit ad contrahendum inepta, niſi ſervetur forma Tridentini, cui ſubjicitur: quod tamen aſſerit in eo caſu, quo Parochus abſque gravi detrimento valeat adeſſe, juxta prælaudatum Decretum S. Cong. die 27. Martii 1632. Ægidius Maria Giulii (nam Dominicus Turanus nil attulit peculiare, vel hactenus non productum) pluribus præmiſſis, rationem illam amplectitur, quod Tridentinum decretum non obliget, niſi in parochiis fuerit ante triginta dies promulgatum, ut conſtat ex cap. 1. ſeſſ. xxiv. de Reform. matr. Negat autem vir doctus decreti publicationem factam fuiſſe in Hollandiæ republica, quæ modo extat; cum novo regimine inducto, hæreſi confirmata, dirutiſque parœciis, ibi diverſus omnino cœtus hominum coaluerit. Hinc ad concordiam revocare nititur diverſa ſacræ Congregationis decreta, aſſerens ea, quæ nulla hujuſmodi conjugia declarant, referenda eſſe ad ea tempora, quibus Belgium ſub Catholico rege degebat, nec penitus prima Reipublicæ facies evanuerat; cetera, quæ eadem matrimonia probant, reſpicere tempora poſteriora: cumque varia fuerit temporum provinciarumque Belgii conditio, Clementem XI. Pontificem Maximum Nuncio Colonienſi ſignificaſſe, nihil *generatim & univerſe* de matrimoniis ab hæretico & Catholico coram Miniſtro hæretico in Provinciis Hollandiæ contractis adhuc ſtatutum fuiſſe ab Eccleſia. Dum autem auctor iſte valida ea matrimonia pronuntiat, agit & ipſe de matrimonio in ratione contractus, quoniam de matrimonio conſiderato in ratione Sacramenti diſputant in utramque partem Theologi.

Horum virorum perlectis conſultationibus, atque ad examen revocatis aliorum Theologorum momentis, quorum ſpeciem aliquam, ſummamque exhibuimus, ac forte permultis aliis menti ejus omniſciæ obverſantibus, Beatiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. Conſtitutione, quæ incipit, *Matrimonia*, die 4. Novembris an. 1741. ad hunc modum graviſſimam, difficillimamque controverſiam definivit. Primum, quod attinet ad matrimonia ab hæreticis inter ſe in locis fœderatorum Ordinum dominio ſubjectis celebrata, non ſervata forma per Tridentinum præſcripta, negocio mature perpenſo, omnibuſque rationum momentis hinc inde ſedulo libratis, declaravit, ſtatuitque, *pro validis habenda eſſe, dummodo aliud non obſtiterit canonicum impedimentum*. Adeoque ſi contingat utrumque conjugem ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum ſe recipere, *eodem quo antea, conjugali vinculo ipſos omnino teneri*, etiamſi mutuus conſenſus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; ſin autem unus tantum ex conjugibus, ſive maſculus, ſive femina convertatur, *neutrum poſſe, quamdiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire*. Quod vero ſpectat ad ea conjugia, quæ pariter in iiſdem fœderatis Belgii provinciis abſque forma a Tridentino ſtatuta contrahuntur a Catholicis cum hæreticis, ſive Catholicus vir hæreticam feminam in matrimonium ducat, ſive catholica femina hæretico viro nubat; Sanctitas ſua Epiſcopos omnes, Vicarios Apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, & alios quoſcunque Dei & Eccleſiæ fideles miniſtros in iis partibus degentes ſerio graviterque hortatur & monet, *ut Catholicos utriuſque ſexus ab hujuſmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis quantum poſſint abſterreant, eaſdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant*. At ſi forte aliquod hujus generis matrimonium, Tridentini forma non ſervata, ibidem contractum jam ſit, aut in poſterum (quod Deus avertat) contrahi contingat; *matrimonium hujuſmodi alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum eſſe, & neutrum ex conjugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe ſub obtentu dictæ formæ non ſervatæ novum matrimonium inire*. Id vero debere ſibi potiſſimum in animum inducere conjugem catholicum, ſive virum, ſive feminam, ut pro graviſſimo ſcelere, quod admiſit, pœnitentiam agat, & veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem a vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejuſque animam lucrari, ſciens de cetero, ut mox dictum eſt, *ſe iſtius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri*. Idem ſancitum dictumque intelligendum eſt de ſimilibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti ſunt legionibus, ſeu militaribus copiis, quæ ab iiſdem fœderatis Ordinibus mitti ſolent ad cuſtodiendas, muniendaſque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*, dummodo uterque conjux ad eaſdem copias, ſeu legiones pertineat. Et hanc declarationem complecti etiam civitatem Moſæ Trajectenſis, a Republica fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, ſed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine poſſeſſam. Tandem nihil de novo Sanctitas ſua decernendum vel declarandum duxit *circa conjugia, quæ contrahuntur vel in regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus Catholicorum Principum*. Hac itaque SS. D. N. BENEDICTI XIV. Conſtitutione nos tandem conſecuti ſumus quod diu complures Theologi, probique homines exoptaverant.

CAPUT IX.

De his, quæ præcedunt Matrimonii celebrationem, ſponſalibus nimirum, atque denunciationibus.

QUoniam agentes de Matrimoniali contractu fere omnia attigimus, quæ pertinent ad ſponſalia, illud caput breviter expediemus. Sunt igitur ſponſalia *futurarum nuptiarum promiſſio*, ut inquit cap. *Noſtrates*, xxx. q. 1. Nicolaus I. Ad illa idcirco neque interior animi cogitatio, mentiſque propoſitum, neque indeterminata ducendæ uxoris voluntas, neque unius duntaxat aſſenſus ſufficit; ſed requiritur viri ac mulieris mutua promiſſio, aut verbis, aut æquivalentibus ſignis expreſſa. Propter Jure Eccleſiaſtico ad ſponſalia ſeptem annorum ætas requiritur, prout ſtatuit Alexander III. capp. *Litteras* &, *Acceſſit*, De deſponſat. impuberum. Si autem pro minoribus ſeptennio parentes contrahant, ſponſi uſque ad legitimam ætatem expectare tenentur, & tunc initum contractum confirmare, aut reſcindere; niſi ante annos pubertatis carnalis commixtio interfuerit, aut majores ſeptennio facti mutua inter ſe voluntate conſenſerint. Vide cap. *A nobis*, De deſponſ. impub. & cap. unicum in Sexto, eodem tit. Interveniente urgentiſſima tantum cauſa, ſi ex exemplo bonum pacis, & ſalus atque incolumitas Reipublicæ, fas eſt parentibus ante ætatem legibus conſtitutam celebrare natorum ſponſalia, ex Nicolao Papa cap. *Ubi non eſt conſenſus*, titulo præcitato. Cum ad ſponſalium validitatem neceſſarius ſit contrahentium aſſenſus, ſequitur ea Hormiſdæ verba, *Poteſt autem filium nondum adultum, voluntas cujus diſcerni non poteſt, pater cui vult matrimonio tradere, & poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere*, quæ verba habentur cit. tit. cap. *Tua nos*, accipienda eſſe *de ſolo debito honeſtatis*, ut inquit Gloſſa, & colligitur ex Bonifacio VIII. cap. *Si infantes*, in VI. Enimvero pervenientibus filiis ad rationis uſum, ceſſat in iis, quæ liberi arbitrii ſunt, patria poteſtas, cujus intuitu,

Sponſalium quidem meorum pater meus
Curam ſubibit, hoc enim non eſt meum,

ajebat Hermio in Andromacha Euripidis.

II.

Dum vero adultus contrahit ſponſalia, quod faciat æquum eſt parentibus annuentibus, oportet principio animadvertat, *ut non luxuriæ cauſa, ſed ſola poſteritatis dilectione* quærat uxorem, prout inquit Tobias junior, cap. 12. 9. De uxoris eligendæ conditionibus meum non eſt pertractare. Norunt omnes adagium, *Si vis nubere, nube pari*. Inferior quippe uxor deſpicitur, & ſuperior facile deſpicit. De tempore itidem nuptiarum non agam, ſiquidem & pervulgati ſunt ii verſus Heſiodi,

Junge tibi uxorem, firmus dum adhuc vigor adſit,
Annos cum numeras ter denos, pluſve, minuſve,
Aptum eſt conjugium, decimo ſed femina quarto
Anno pubeſcit, nubat mox inde ſequente.

Memoria hoc in loco repetenda ſunt, quæ de impedimentis matrimonii diſſeruimus. De uxoris ducendæ dotibus pulchre Auctor Prov. xxxi. 30. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, mulier timens Dominum ipſa laudabitur*. Ecc. xxvi. 19. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata*; & eodem capite, *Noli diſcedere a muliere ſenſata & bona, quam ſortitus es in timore Domini; gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum*. Haud illepide quidam,

Quæ tibi ducenda eſt, habeat P. quinque puella.
Sit pia, ſit prudens, pulchra, pudica, proba.

At de tali femina Satyra IV. Poeta Aquinas:

Rara avis in terris, nigroque ſimillima cycno.

Inter ſponſalia ac matrimonium debet aliquod tempus intercedere; *ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam*, inquit lib. VIII. Confeſſ. cap. 3. ſapientiſſimus Auguſtinus, itemque ut in ſtatum, moſeſque

Digitized by Google

reſque contrahentium fieri valeat diligentior inquiſitio. Poſt ſponſalia debet virgo quantum fieri poteſt, ſe oculis ſponſi ſubducere, quod libro de Velandis Virginibus cap. 11. comparatione Rebeccæ, & multiplici ratione docuit Tertullianus; quare ſponſos monendos eſſe, *ne ante contractum matrimonium ſub eodem tecto ſimul habitent*, docet ſeſſ. 24. de Reformat. Matrimon. Synodus Tridentina.

III.

Diſſolvuntur ſponſalia primum utriuſque partis conſenſu, cap. *Præterea*, De ſponſalibus. 2. Per matrimonium cum alia muliere *per verba de præſenti* contractum, cap. *Si inter*, eodem tit. & cap. *Tua fraternitas*, De ſponſa duorum. 3. Si appoſitæ conditio non impleatur, quod tamen intellige, niſi accedat conſenſus de præſenti, ſeu carnalis commiſtio, capp. *De illis*, *Per tuas*, &, *Super eo*, De conditionib. appoſitis. 4. Per profeſſionem monaſticam, & per ſuſceptionem Ordinis ſacri, necnon per ſimplex votum caſtitatis præcedens, cap. *Rurſus*, tit. Qui clerici, vel voventes. 5. Per unius contrahentium fornicationem, cap. *Quemadmodum*, de jurejurando. 6. Si alter conjugum proficiſcatur in regionem longinquam, præſertim inſcio altero, nec redeat præſtitutum nuptiarum tempore, cap. *De illis autem*, De ſponſalibus. 7. Si inter ſponſos, vel eorum parentes graves inimicitiæ oriantur, ut docent Panormitanus, aliique JCC. in caput *Requiſivit*, eodem titulo. 8. Si contrahentium alter abjecto pietatis ſtudio ſeſe in turpitudinem vitiorum immerſerit, aut ei ſumma paupertas & inopia, vel lepræ morbus, ſeu furor, vel inſania ante maritalem copulam ſupervenerint, cap. *Paſtoralis*, De exceptionibus, & cap. *Literas fraternitatis*, De conjugio leproſorum. Has ſolvendorum ſponſalium cauſas Gloſſa in cap. *De illis*, lib. IV. decretal. tit. 1. verſibus hiſce comprehendit:

Lepra ſuperveniens, furor, ordo, ſanguis, & abſens,
Læſaque virginitas, membri damnum, minor ætas,
Hæreſis ac lapſus, fideique remiſſio prorſus
Sponſos diſſociant, & vota futura retractant.

IV.

Præter ſponſalia, celebrandis nuptiis præmittendæ ſunt proclamationes, faciendæ *tribus continuis diebus feſtivis inter Miſſarum ſolemnia*, juxta definitionem Concilii IV. Lateranenſis can. 51. ac Tridentini ſeſſ. XXIV. de Reformat. matrim. cap. 1. Cum hæ proclamationes præſertim fiant ad detegenda matrimonii contrahendi impedimenta; recte præcipit Rituale Romanum, ut fiant *a proprio utriuſque* contrahentis *Parocho*, ſi deſponſi ad diverſam parochiam pertineant. Permittit nihilominus Tridentina Synodus, ut, *ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel una tantum fiat, vel ſaltem parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur*. Verum hanc diſpenſationem *ſolius Ordinarii*, ideſt, Epiſcopi judicio committit, quod Gregorio XIII. approbante confirmatum fuiſſe a S. Congregatione Concilii, ſcribunt celebres JCC. Fagnanus in cap. 3. De clandeſtina deſp. Gonzales ibidem nu. 7. & Van-Eſpen p. 2. tit. 12. cap. 3.

CAPUT X.

Agitur de hujus ſacramenti Miniſtro.

THeologorum fere omnium antiquorum ſententia fuit, miniſtros ſacramenti matrimonii eſſe contrahentes, ſacerdotis autem benedictionem, ac verba eſſe *ſacramentale* quoddam, ritumque ad ſacramenti ſubſtantiam minime pertinentem, ut 3. p. q. 42. art. 1. ait S. Thomas, cui ſubſcribunt alii Scholaſtici in IV. diſt. 26. & fere omnes Juriſconſulti cum Fagnano in cap. *Quod nobis*, de Cland. deſponſat. ubi inquit ille, ſententiam oppoſitam eſſe *periculoſam in fide*. Solus Guilelmus Pariſienſis ae vetuſtioribus oppoſitum ſenſiſſe dicitur a Vaſquesio diſp. 3. de Matrim. cap. 3. & a Tournelio q. 3. art. 2. tametſi Guilelmus de Matrim. cap. 9. videatur tantum ad ſacramenti hujus virtutem requirere, *Ut nuptialis benedictio non contemnatur*, non autem huic benedictioni attribuere ſacramenti efficientiam. Hinc Dominicus Soto citata diſt. 25. q. 2. art. 3. aſſerit opinionem Guilelmo attributam eſſe *ſingularem*, nullumque hactenus habuiſſe aſſertorem. Illam tamen poſtmodum amplexati ſunt plurimi, propugnantes miniſtrum matrimonii, in quantum eſt ſacramentum, eſſe ſacerdotem, hujuſque benedictione ad ſacramenti dignitatem matrimonium ipſum attolli. Ita enim poſt Cardinalem Cajetanum tom. 1. Opuſc. tract. 12. q. 1. virumque nominatiſſimum Melchiorem Canum lib. VIII. de Locis Theolog. cap. 5. ſenſerunt Toletus, Ledeſma, Maldonatus, Eſtius, Sylvius, atque ut recenſeam nonnullos ex recentioribus J. B. Du Hamel. de Matrim. cap. 6. Florentius De-Cocq. ſect. 7. Gaſpar Juenin diſſert. 12. q. 3. Honoratus Tournely loco paullo ſupra citato, ac Noſtratibus vero Leonardus Vanroy cap. ult. q. 2. Aurelius Pieite q. 13. Ætate ergo noſtra multo magis dici poteſt quod in 1. partem S. Thomæ q. 1. ajebat Dominicus Bannes, *Cum ſententiam multos alios ſequi abſque ullo temeritate*.

Igitur ſententia eorum, qui cenſent miniſtrum hujus ſacramenti eſſe contrahentes ipſos, potiſſimis innititur argumentis. Principio, inquiunt, hæc in decreto Eugenii leguntur: *Cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*. Hæc autem verba ſunt quæ proferuntur a contrahentibus. Iidem ergo contrahentes ſunt, qui verbis ſuis mutuum conſenſum exprimentibus efficiunt ſacramentum. Neque enim hoc argumentum diluunt, qui reſpondent agi in eo decreto de matrimonio, *ut contractu*, quum potius ſit evidens pertractare Eugenium de ſacramentis Eccleſiæ, atque ſub hac ratione proponere doctrinam matrimonii, paragraphum illum incipiens, *Septimum eſt ſacramentum Matrimonii*. Habetur propterea in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis edito nomine Concilii Colonienſis, incaute a quibuſdam producto pro contraria ſententia: *Verbum itaque hujus ſacramenti, quo accedente ad elementum fit ſacramentum, id nimirum eſt, quo ambo, mas & femina, cum pietatis reſpectu, quæ in Deum eſt, ſibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque, nec quovis modo, ſed in Dei nomine conjunguntur, & copulantur*. II. Idem demonſtrare nituntur auctoritate Tridentini Concilii, quod ſeſſ. XXIV. cap. 1. de Reformat. matrim. definit, *clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit*. Reponentibus vero Theologis, matrimonia illa declarari a Tridentino *vera & rata* in ratione contractus, idque confirmantibus teſtimonio Pallavicini ſcribentis lib. XXIII. cap. 9. n. 13. *Nunquam declaraſſe Concilium ea fuiſſe ſacramenta, adeo ut graves quidam Theologi id negent*, obſtare videtur cap. *Quanto magis*, de divortiis, in quo legitur: *Etſi matrimonium ſit verum quod inter infideles exiſtit, non eſt tamen ratum; inter fideles autem verum quidem & ratum exiſtit, quia ſacramentum fidei, quod ſemel admiſſum nunquam amittitur, ratum efficit conjugii ſacramentum*. Ex quo loco apparet in Jure Eccleſiaſtico, ubi matrimonium & verum, & ratum ſimul dicitur, non *de contractu* tantum agi, verum etiam *de ſacramento*. Accedit quod Tridentina Synodus eadem ſeſſ. can. 11. aperte benedictionem nuptiarum *inter cæremonias enumerat*. III. Adhæſerunt olim huic ſententiæ univerſi Theologi, uno excepto Guilelmo Pariſienſi, cujus etiam, ut nuper diximus, ſententia eſt ambigua: a majorum autem communi doctrina non eſt abſque gravi rationum pondere recedendum. Scio Melchiorem Canum adniti, ut ad ſe trahat Doctorem Angelicum, multaque ex ejus operibus colligere Sylvium ad commonſtrandum plura ab illo in Sententias dici, quæ maturius digeſta limavit in Summa. Verum S. Thomas nunquam retractavit quod ſcripſerat in IV. diſt. 26. 2. q. 2. art. 1. *Verba quibus conſenſus exprimitur, ſunt forma hujus ſacramenti, non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale*. Idem enim repetit ad Annibaldum lib. IV. diſt. 27. art. 2. atque in iiſdem locis, quæ adducit Canus, ſi integra perlegantur. IV. A ſacra Congregatione Concilii declaratum eſt, non eſſe de ſubſtantia ſacramenti Matrimonii, ut Parochus loquatur; ac ſatis eſſe, ſi præſens ſit, & intelligat id quod agitur. Vide Concilium cum declar. Congreg. pag. 342. Certum tamen eſt hujuſmodi declarationes nullius eſſe roboris, niſi munitæ ſint ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii ejuſdem Congregationis, ex decreto ab ipſamet edito 2. Auguſti an. 1631. impreſſas etiam una cum Tridentino Concilio fuiſſe inſertas indici librorum prohibitorum decreto ipſius Congregat. 6. Julii 1631. Verumtamen confici ſacramentum, etſi ſacerdos verba non proferat, confirmari poteſt cum ex ipſo Concilio, quod requirit Parochi, ac teſtium præſentiam, non ut ſacerdos miniſter ſit ſacramenti, ſed ut vitentur incommoda, quæ oriuntur ex clandeſtinis conjugiis; tum ex innumeris Latinorum, Græcorumque Ritualibus libris, quos volumine 2. de Antiq. Ritibus collegit Martenius, in quorum pleriſque extant utique preces ſacerdotum multæ, ſed ſpectant omnes ad benedictiones annuli, coronæ, thalami, poculi, nec in iis apparet alicujus *ſacramentalis formæ* veſtigium: ideoque ſunt ritus, & cæremoniæ, quæ non pertinent ad ſacramenti ſubſtantiam. V. Si verba a ſacerdote prolata haberent rationem *formæ*, id canone aliquo, aut Eccleſiaſtica definitione conſtaret; aut ſaltem ſtatutum foret, ut nullatenus ipſa verba vario contextu, & varia ſignificatione pronuntiarentur. Utrumque autem eſt falſum. Etenim quod verba a ſacerdote prolata habeant rationem *formæ*, nullibi expreſſe legimus: immo haud obſcure infertur ex cap. *Licet præter ſolitum*; & ex cap. *Tua fraternitas*, De ſponſa duorum, *formam* ſitam eſſe in verbis contrahentium, ſignificantibus conſenſum de præſenti, *Ego te accipio in meam*, *Ego accipio te in meum*, aut verbis aliis, vel ſignis æquivalentibus. Diverſa quoque ſunt verba a Parochis pronuntiata, etiam in Latinis Eccleſiis; nam Dominicus Soto vol. 2. in IV. pag. 101. ait in quibuſdam locis adhibitam

a ſacer-

Digitized by Google

a ſacerdote formulam hanc eſſe, *Ego vos ſponſo, & ſacramentum confirmo*, in aliis iſtam, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: quæ potius ſupponunt matrimonium jam factum, quam illud efficiant. Hujus generis eſt forma, quam Parocho præſcribit Rituale Salisburgenſe pag. 264. *Matrimonium in facie Eccleſiæ inter vos, me annuente, contractum Deus confirmet, & ego illud approbo, perficio, atque ſolemnizo: In nomine Patris, &c.* Nec Tridentina Synodus univerſos Parochos ad unam eamdemque formulam pronuntiandam adſtrinxit: ſed inquit, *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum.* VI. Contrahentes ii ſunt, qui ſacramentalem *formam* pronuntiant, ideoque & miniſtri. Ea quippe *forma ſacramentalis* dicenda eſt, quæ effectum ſacramenti, ſcilicet, indiſſolubilem nexum, & conjunctionem ſignificat, & producit. Hunc vero effectum conſenſus contrahentium verbis, aut ſignis expreſſus efficit & ſignificat, & conſequenter verba ſacerdotis, *Ego vos conjungo, &c.* tametſi eamdem conjunctionem videantur exprimere, quia tamen conjuges proprio conſenſu conjunctos eſſe ſupponit, nil ſonant aliud, quam, *Ego approbo, confirmo, & benedico conjugium veſtrum*. Atque hæc ſunt prioris ſententiæ argumenta præcipua, ita a nobis confirmata, inſertiſque adnotationibus ſuffulta, ut facile a recentiorum oppugnationibus vindicentur.

At hi Parochum eſſe hujus Sacramenti miniſtrum, nituntur primo demonſtrare traditione Sanctorum Patrum, affirmantium conjugia ſanctificari ſacerdotum benedictione. Tertullianus enim in libro de Pudicitia damnat matrimonia apud Eccleſiam non celebrata, uti vidimus agentes de Clandeſtinis conjugiis: & lib. 2. ad uxorem cap. 9. *Unde ſufficiam* (inquit) *ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliet, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet?* Ambroſius Epiſt. 70. nunc 19. n. 7. ait: *Ipſum conjugium Sacerdotali benedictione ſanctificari oportet*. S. P. Auguſtinus in Pſalmum 149. n. 15. comparans matrimonii vinculum compedibus, *Tales compedes* (inquit) *conſolidant vobis & Epiſcopi manus*: ubi ait Vanroy, S. Pater *per manus* intelligit *poteſtatem*. Innocentius I. epiſt. ad Victricium, Synodus IV. Carthaginenſis can. 13. & Siricius Epiſtola I. ad Himerium meminerunt ejuſdem benedictionis. Neque hæc *tantum ceremonialis* dici poteſt, cum ad ſignificanda conjugia, & ad gratiam ſacramento alligandam ſit neceſſaria. II. Ritualia quamplurima Sacerdotem appellant hujus ſacramenti *miniſtrum*, ac præſertim Romanum, quod in Præfat. ait adminiſtrationem hujus Sacramenti ad Parochum pertinere: his accedit Concilium Colonienſe an. 1536. p. 7. cap. 4. & Cameracenſe an. 1567. cap. 1. quæ non tantum docent parochos eſſe hujus ſacramenti *miniſtros*, verum etiam affirmant, gratiam, & donum Spiritus ſancti *illorum precatione* conferri. His vero, quæ poſt Sylvium proferunt recentiores, addit Vanroy cap. 55. Concilii Petricovienſis an. 1551. in quo habemus: *Magna itaque eſt firmitas vinculi conjugalis, quam non deſignat modo, verum etiam efficit, accedente verbo, viſibilis quæ fit per ſacerdotem copulatio: confertur enim per illam donum perſeverantiæ peculiare, modo quis animum habeat capacem, & eo quo debet affectu ad Sacramentum hoc accedat*: quamvis oppoſitam ſententiam ſtatuere videantur, quæ ibidem leguntur; *Simul ut ad elementum viſibile acceſſerint verba, quæ præſente ſacerdote profert uterque conjunx, fit Sacramentum*. III. Sacerdotale Romanum, quod anno 1494. edidit Albertus Caſtellanus, Romanum item Rituale, immo & Tridentina Synodus præſcribunt Parocho, ut explorata conjugum voluntate dicat: *Ego vos conjungo &c.* Igitur cum Parochus non conjungat virum & mulierem *in ratione contractus*, & alioquin hæc verba ſenſum habeant expreſſum, neceſſum eſt, ut eos conjunget *in ratione Sacramenti*. Ad hæc ſi ratio *formæ ſacramentalis* ineſt illis verbis, *Ego te baptizo, Ego te abſolvo, &c.* cur non conſtituent formam ſacramentalem hæc verba præcedentibus conſimilia, *Ego vos conjungo, &c.* IV. Matrimonium in Evangelica lege habet Sacramenti rationem: quum ergo ad ſacerdotes præſertim pertineat divina diſpenſare myſteria, ipſis hujus ſacramenti miniſterium commiſſum eſt. V. Si contrahentes ſacramentum recipiunt, quo pacto efficere illud poſſunt? Accedit quod ante Tridentinam Synodum per commercium carnale ſponſalia tranſibant in matrimonium *de præſenti*, ideoque concubitus ſupplebat vicem illorum verborum. *Accipio te in meam*: abſurdum eſt autem maximum aſſerere quod carnalis commixtio ſacramentum perficiat, & convertat rem profanam in ſacram. V. Tandem Alexander III. cap. *Cum in Eccleſia*, De ſimonia, inquit: *Horribile eſt quod pro ſepultura, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & aliis Sacramentis aliquid requiratur*; quo in loco aperte *aliis Sacramentis* adjungit Pontifex nuptiarum benedictionem.

Probabilem admodum hæc omnia reddunt ſententiam poſtremam: at prior, antiquior, & communior hiſce argumentis inviſtiſſime non oppugnatur. Ad Patres enim quod attinet, docent hi nuptias ſanctificari *ſacerdotum precibus, & oblationibus*, additque Ambroſius, *ſacerdotali velamine*. Ergo ne velamen, & oblatio pertinent ad ſacramenti ſubſtantiam? Nequaquam. Itaque nil aliud ex Patrum teſtimoniis infertur, niſi nuptias in faciem Eccleſiæ celebrandas eſſe, ut ſecernantur a nefariis contuberniis, & ſolemnitate atque benedictione ſacrorum miniſtrorum firmiorem nexum, honeſtatemque Chriſtianam acquirant. Enimvero Patres eadem ratione deteſtantur nuptias occulte a ſacerdote benedictas, ut conſtat ex cap. *Nullus*, xxx. q. 5. ac Turonenſe Concilium ſub Nicolao V. cap. 12. aliique canones eaſdem nuptias clam a ſacerdote benedictas prohibent ſub pœna excommunicationis, quamquam eo in caſu non deſit, ſententia recentiorum, verus ſacramenti miniſter. Occultas autem conjunctiones Concilia & Patres damnarunt ad evitanda peccata, & conjugia propinqua & adulterina: quare Martyr Ignatius ſcribens ad Polycarpum ait nuptias in Domino celebrari, *Si fiant Epiſcopi arbitrio, & non ad concupiſcentiam explendam*. Secundum vero argumentum nil probat; Parochus enim eſt miniſter matrimonii, quoniam eſt miniſter ſacrorum rituum, quibus matrimonium juxta Eccleſiæ conſuetudinem celebratur; nam revera ille nuptias benedicendo miniſterium ſuum præbet & exhibet ſacramento. At tertium ex dictis in quarto, & in quinto prioris ſententiæ momento ſatis ſuperque refellitur. Proximum vero ſolvitur a S. Thoma in IV. diſt. 28. art. 3. dicendo, Sacerdotem eſſe miniſtrum aliorum ſacramentorum: quoniam in iis actus ſuſcipientium non ſufficiunt ad inducendum effectum Sacramenti, V. G. abſolutionem a peccatis: *in matrimonio autem actus noſtri ſunt cauſa ſufficiens ad inducendum proximum effectum*; vinculum ſcilicet, & ligamen, *quia quicumque eſt ſui juris, poteſt ſe alteri obligare, & ideo ſacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quaſi de eſſentia ſacramenti*. Quintum pariter faciliimæ eſt ſolutionis: nam ideo contrahentes poſſunt conficere ſacramentum, quoniam mutuo conſenſu ligari poſſunt, & ſociari in individuam vitæ conſuetudinem: quo conſenſu, non quidem ut actus humanus eſt, ſed ex divina inſtitutione, ubi de futuro tranſit in præſentem, Sacramentalis gratia confertur, eidem propterea conſenſui, non autem commercio carnali attribuenda. Non deſunt præterea qui doceant, duplicem conſenſum diſtinguendum eſſe, unum, quo contrahentes *ex affectu naturali, vel ex libidine* ſe invicem uniunt; alterum, quo *fide imbuti, & religioſa intentione* contractum ineunt, affirmantes hoc tantum conſenſu perfici ſacramentum: quod colligi videtur ex præcitato Enchiridio Colonienſi, immo ex decreto Eugenii; in quo conſulto appoſita fuit particula, *Regulariter*. Vide Theologiam Moralem ad uſum Seminarii Petrocorenſis tom. IV. pag. 294. Ad ultimum reſpondet Gonzalez in caput, *Cum in Eccleſia*, male ex vi: *aliis* deduci benedictionem nubentium eſſe ſacramentum, quum ſecundæ nuptiæ ſacramentum ſint, nec tamen juxta antiquos canones cum benedictione ſint celebrandæ, ut erudite idem Gonzalez demonſtrat in cap. *Capellanum*, De ſecundis nuptiis. Sed ad vitandas cavillationes ſcholaſticas, fatemur nos benedictionem nubentium eſſe *benedictionem ſacramenti*, quoniam nubentes benedicuntur, dum in faciem Eccleſiæ mutuo conſenſu ſacramentum efficiunt: at negamus hujus ſacramenti *formam* eſſe benedictionem ſacerdotalem, & ſacerdotem eſſe ejuſdem ſacramenti *cauſam efficientem*. quæ tamen dicta ſint in confirmationem antiquioris, & communioris ſententiæ, altera minime repudiata.

ADDITAMENTUM.

Quidquid ſtatuas de præcedenti quæſtione, quum matrimoniis contrahendis Parochus, aut illius juſſu ſacerdos alius adeſſe debeat, quæritur quinam *proprius Parochus* ſit nuptiarum celebrandarum. Multi quidem, Sanchez, Poncius, Leander, Sylvius, Salmanticenſes, ac Moralis Theologiæ Tractatores reliqui, nec non JCC. in caput, *Cum inhibitio*, De cland. conjug. de hac re peculiariter agunt, ſed nemo melius BENEDICTO XIV. qui ex authenticis S. Congregationis Concilii decretis illam explicuit Notificatione, quam edidit Bononienſis Eccleſiæ Paſtor 20. Septemb. 1734. Primum igitur celebrandæ ſunt nuptiæ coram Parocho, *non originis, ſed domicilii*, ex decreto edito jam ab ann. 1573. *Domicilii* autem nomine nequit intelligi rus, aut locus alius, ad quem *recreationis, vel peragendæ rei cauſa acceditur*, decr. 1. Decembris 1640. nec civitas, aut locus alius, ad quem vir & mulier veniant *ſolo animo illic celebrandi matrimonium*, priori domicilio non relicto, decr. 22. Febr. 1631. & 13. Julii 1725. bene tamen ſi ad aliam civitatem, vel locum tranſeant ibidem *domicilium permanens* habituri, decr. 22. Febr. 1723. Præterea qui animo domicilium ſuum retinendi, proficiſcuntur ad loca, in quibus Tridentina Synodus nondum eſt promulgata, ut ibidem contrahant abſque præſentia Parochi, nullum verum, nec ratum connubium ineunt; ut ſecus, ſi in iiſdem locis ſedem figant, decr. Congregationis Concilii, & Conſtit. Urbani VIII. die 14. Auguſti 1627. Qui inſuper extra patriam commorantur ſtudiorum cauſa, aut Rectoris, Judicis, vel Medici officia

exer-

Digitized by Google

exercentes, famuli quoque, aliique *quaſi domicilium* habentes, coram Parocho illius urbis, vel oppidi contrahere valent, decr. Congreg. apud Nicolaum Garciam De Benef. p. 5. c. 7. Qui perpetuo carceri addicti ſunt, Parochum in cujus parœcia ſiti ſunt carceres, qui vero ad cuſtodiam tantum illic detinentur, domicilii ſui Parochum debent arceſſere, decr. 26. Maji 1707. Puellæ, quæ in Monialium ſeptis educantur, initeræ conjugium extra, domumque propriam adire debent, decr. 13. Januarii 1634. & 8. Octobr. 1753. quod ſi fieri nequeat, a Parocho, ſub quo ſitum eſt Monaſterium, niſi paternum aut maternum domicilium habeant, ſecus *a Parocho domicilii* ſunt in matrimonium jungendæ, decr. 11. Januarii 1702. At quæ in hoſpitiis ſervantur orbatæ parentibus ac derelictæ, non a Confeſſario, ſed *a loci Parocho* ſunt in matrimonium copulandæ, decr. 25. Aprilis 1651. Ægyptii, quos *Zingaros* dicunt, aliique errones, in quorum numero non comprehenduntur peregrini, nec alii habentes alicubi domicilium, tenentur contrahere apud Parochum, in cujus parochia eo temporis conſiſtunt, hac in re nullo Scriptorum diſſentiente. Poſtremo ſi in parochia ſponſæ celebretur matrimonium, huic illius Parochus aderit; & ſi in parochia viri, Parochus hujus præſens erit, decr. Sacr. Congr. anno 1573. Hæ vero ſapientiſſimi Pontificis præceptiones, firmatæ tantæ auctoritatis præſidio, Doctorum ceterorum placitis erunt omnimode præferendæ.

SCHOLION.

QUoniam ſuperiori *additamento* laudavi Sapientiſſimum Romanum Pontificem *Benedictum XIV.* ſunt autem inter recentiores Theologos nonnulli, qui ægre ferunt me in quæſtione *de miniſtro Sacramenti matrimonii* ſolam non adoptaſſe ſententiam, comprobatam ſuperiori cap. x. §. *At hi Parochum*, atque vellent me, invitum licet, & repugnante aliquando ratione, ſuis adhærere opinationibus; operæ pretium duxi hic ejuſdem Pontificis Maximi ſubnectere locupletiſſimam adnotationem; ex qua poterit unuſquiſque deprehendere, quam librato, prudentique judicio (niſi forte mea me fallat opinio), in hac ambigua & perdifficili quæſtione me geſſerim. Perlecta autem ſequenti *Benedicti* lucubratione, oro, obteſtorque ut legatur quoque Ven. Bellarminus, & Auctor Theologiæ Moralis ad uſum *Seminarii Petrocorenſis*, in locis ab eodem Pontifice Maximo laudatis; illic enim, quamvis Auctores alii non pervolutentur, oppoſita momenta facilem habent, obviamque ſolutionem. Præſtantiſſimi itaque, & omnigena eruditione ornatiſſimi Summi Pontificis, hæc eſt doctrina in libro 8. de Synodo Diœceſana cap. 13.

I. *Cum prædicta controverſia inter Tridentinos Patres ferveret, aliquot Theologi Pariſienſes, duce Simone Vigorio, in medium protulere ſententiam Guillelmi Pariſienſis, qua rem totam facile componi, arbitrabantur. In unoquolibet matrimonio, etiam Fidelium, diſtinguendam volunt Guillelmus* in ſuo Tract. de Sacram. matrim. cap. 9. *rationem contractus a dignitate Sacramenti; docuitque, illam quandoque ab hac ſeparari; etenim (ajebat) Miniſter Sacramenti matrimonii eſt Sacerdos, qui ſolus poteſt contractum conjugii, de ſe mere civilem, & profanum, ſua benedictione conſecrare, & efficere, ut per eam, tanquam formam, elevetur ad cauſandam gratiam ex opere operato: eo pacto, quo aqua elementaris, quæ eſt materia Sacramenti Baptiſmi, per verba a Miniſtro prolata, quæ ſunt ejuſdem Sacramenti forma, virtutem acquirit abluendi interiores animi ſordes, producendique gratiam: quare, pergebat Guillelmus, ſi contingat, matrimonium ſine Sacerdotis præſentia iniri, validum & firmum utique erit in ratione contractus; nequaquam autem Sacramenti naturam, ac virtutem participabit. Poſita porro hac opinione, omnem explanatam difficultatem, deprædicabant Pariſienſes: prajactis quippe Guillelmi principiis, perſpicuum fit, matrimonia clandeſtina, quamvis ſemper ab Eccleſia vetita, ſemper nihilominus firmitatem habuiſſe inſolubilis contractus, ſed Sacramenti natura, dignitate, ac virtute caruiſſe: Canones proinde, & Patres validitatem illis attribuentes, ſolum reſpexeraat civilem contractum: quibus vero eadem viſa ſunt irrita, conſideraverunt in illis rationem Sacramenti, quam ſine Sacerdotis benedictione minime aſſequi, exiſtimarunt.*

II. *Hæc Pariſienſium doctrina, a Vigorio propoſita, ſi vera narrat Pallavicinus* cit. hiſt. lib. 20. cap. 4. n. 1. *paucos quidem habuit ſectatores: attamen non erat adeo ſingularis, uti dictitavit Sotus* in 4. diſt. 26. quæſt. 2. art. 3. *ſiquidem, præter Guillelmum, eamdem tradiderat Paludanus* in 4. diſt. 5. quæſt. 2. *eidemque adſtipulati fuerant Patres Concilii Provincialis Colonienſis I. anni 1536.* part. 7. cap. 40. tom. 9. *Collectionis Harduini* col. 2010. *ubi non obſcure inſinuarunt, contractum matrimonii nonniſi per Sacerdotis benedictionem Sacramentum effici, ajentes:* Quod Sacramentum, ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus diligit Eccleſiam: *& clarius id ipſum expreſſit, qui eidem Concilio præfuit, & poſtea ad Lutheranos defecit, Hermannus, Archiepiſcopus Colonienſis, in ſuo Catechiſmo, ubi pag. 273. agens de Sacramento matrimonii, hæc habet;* De Miniſtro hujus Sacramenti poſtremo videndum eſt. Ut forſan quidam non improbanda ratione dicant, matrimonium certum Miniſtrum non exigere, quod conjuges in ſe caſto amore, ac religioſe conſentientes Deus ipſe conjungat; tamen videmus, & in veteri lege quoſdam fuiſſe, qui Dei vice conjuges conjungerent: quanto ergo magis putandum eſt, in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus Sacramenti Miniſtros eſſe? *Præterea paulo ante, quam Vigorius Guillelmi opinionem Tridentinis Patribus exponeret, anno nimirum 1562. publici juris factum fuerat, etſi fortaſſe nondum omnibus innotuiſſet, celeberrimum Opus Melchioris Cani* de Locis Theologicis, *ubi* lib. 8. cap. 5. *doctiſſimus Auctor Guillelmi ſententiam inſtaurat, & validiſſimis ſuſtentat argumentis: nam, præterquamquod (inquit Canus) nunquam Patres Chriſtianorum matrimonium verum Sacramentum nominarunt, niſi ſimul meminerint Sacerdotalis in illo intervenientis miniſterii, quod percurrenti, quos jam præmiſimus, textus, patebit; certum eſt, quodlibet Sacramentum eſſe opus Divini cultus, & religionis. Matrimonium autem, ſolis verbis viri, & fœminæ contractum, ſine ullo miniſterio Sacerdotis aliquam ponentis ſacram cæremoniam, licet rei ſacræ ſignaculum ſit, non poteſt tamen dici opus Divini cultus, & religionis. Ad hæc, Auguſtinus* in epiſt. ad Bonifacium *tradit, oportere, res ipſas corporeas, quibus Sacramenta conſtant, imaginem, & ſimilitudinem gerere ejus ſanctificationis, cujus ſunt ſigna, & cauſæ: eam autem connubiale fœdus, ſine ullo ſacro ritu, & Sacerdotis miniſterio contractum, nullam externam exhibeat ſpeciem interioris ſanctificationis, conſequens eſt, ut proprie Sacramentum non ſit. Deinde Concilium Florentinum docet, omnia Sacramenta conſtare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma: nemo autem ſibi facile ſuadebit, formam Sacramenti matrimonii eſſe verba, quibus contrahentes ſuum exprimunt conſenſum, quæ mere profana ſunt, atque etiam ab Ethnicis uſurpata. Inſuper verba, quæ ſunt alicujus Sacramenti forma, non poſſunt ſuppleri per nutus, ſcripturam, aliudve ſignum, eorum loco ſubſtitutum; quod conſideranti alia Sacramenta eſt manifeſtum: at contrahentes, ſi, verborum loco, nutus, ſcripturam, aliudve ſignum ſupponant, æque matrimonium perficiunt, ac ſi verbis uterentur: non igitur eorum verba ſunt Sacramenti matrimonii forma. Tandem Auctores, qui tenent, contrahentes eſſe Sacramenti matrimonii miniſtros, multum inter ſe diſſentiunt in determinanda ejuſdem Sacramenti materia, ac forma. Aliqui enim cum Catharino* de Matrim. quæſt. 1. *docuere, conſenſum contrahentium, exterioribus ſignis expreſſum, eſſe materiam; verba vero a Chriſto Domino ſemel prolata* Matth. 19.: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: *eſſe formam pro omnibus Fidelium matrimoniis. Alii cum Victoria* in Summ. de Matrim. n. 245. *opinantur, verba unius contrahentis, qui primo ſuum præſtat conſenſum, eſſe materiam, & verba ſecundo proferentis eſſe formam, per quam prima determinantur ad conſtituendum contractum, & Sacramentum; quam quidem opinionem probabilem putat Henriquez* de Sacram. lib. 11. cap. 2. *Alii cum Coninc.* 2. part. de Matrim. cap. 1. n. 8. *Vaſquez* in 3. part. tom. 2. diſp. 129. cap. 3. & diſp. 3. de Matrim. cap. 5. *& Baſilio Pontio* de Matrim. lib. 1. cap. 7. n. 12. *exiſtimant, conſenſus utriuſque contrahentis, verbis, ſeu ſignis manifeſtatos, eſſe formam, corpora eſſe materiam remotam, eorumque traditionem, & acceptationem (quam neſcimus quo pacto a conſenſu diſtinguant) eſſe materiam proximam. Alii cum Cardinali de Lugo* diſp. 2. de Sacram. n. 29. *dicunt, contrahentium verba, ſeu ſigna, prout ſunt traditio corporum, eſſe materiam; ut vero ſignificant, & cauſant perſonalem obligationem in utroque contrahente, eſſe formam. Alii demum, magiſque communiter, cum Soto* in 4. diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. *Bellarmino* lib. 1. de Matrim. cap. 6. *Suarez* tom. 3. in 3. part. de Sacram. diſp. 2. ſect. 1. *Sanchez* de Matrim. lib. 2. diſp. 5. n. 6. *& Gonet* diſp. 2. art. 5. *defendunt, utriuſque contrahentis conſenſum, verbis, ſeu ſignis expreſſum, eſſe materiam ſimul, & formam, ſed ſub diverſa conſideratione: eſt enim materia, quatenus ſignificat corporum traditionem; eſt forma, quatenus mutuam exhibet eorumdem acceptationem. Jam vero, clamat Melchior Canus, nonne tanta, in re graviſſima, varietas, & diſſonantia haud leve indicium eſt falſitatis opinionis, ad quam adſtruendam coguntur illius aſſertores tot diverſas aſſignare unius Sacramenti materiam, & formam, quarum pleræque hæreticis nugatoriæ, ipſiſque Catholicis aut commentitiæ, aut certe parum ſolidæ videntur? Ad tot igitur evitandas ineptias, concludit Canus, a junioribus Theologis excogitatas, teneamus, oportet, Sacramenti matrimonii Miniſtrum eſſe Sacerdotem; formam eſſe benedictionem, ſeu ſacra verba, quibus ille conjugibus bene precatur; materiam vero eſſe contractum civilem, ab ipſiſmet contrahentibus mutuo conſenſu perfectum.*

III. *Hactenus Melchior Canus, cujus argumenta etſi totis viribus convellere ſtuduerit Bellarminus* cit. lib. 1. cap. 7.

„ non ideo tamen a Cani opinione omnes retraxit: ſiquidem eamdem ſunt poſtea ſectati Sylvius in 3. part. D. Thom. tom. 4. diſt. 42. art. 1. quæſt. 1. Eſtius in 4. ſent. diſt. 26. §. 10. Juenin de Sacram. diſſert. 11. quæſt. 3. Serry cit. præfat. ad Opera Melchioris Cani cap. 7. du-Hamel Theolog. tom. 7. tract. de Matrim. cap. 6. Tournely de Sacram. matrim. pag. 120. & ſeq. edit. Pariſien. Hermnier tract. de Sacram. tom. 3. cap. 5. Piette part. 6. Quæſtion. theologicar. quæſt. 13. Gibertus Conſul. Canonic. de Matrim. tom. 1. conſul. 55. & alii.

„ IV. Verum, quamquam hucuſque explicata Melchioris Cani ſententia, tot Doctorum ſuffragiis communita, ſit valde probabilis, ac cuique liberum, abſque ulla erroris nota, eam amplecti, uti fatentur Habert in Theolog. dogmat. & moral. tract. de Matrim. cap. 4. Natalis Alexander Theolog. dogmat. & moral. de Sacram. matrim. art. 5. §. 2. & Genet Theolog. moral. tom. 5. tract. 9. cap. 4. attamen nullus inficiabitur, communiorem eſſe contrariam aliorum opinionem, qui conſtanter defendunt, ſolos contrahentes eſſe miniſtros Sacramenti matrimonii; quod proinde neceſſario ab illis confici docent, ſimul ac validum inter ſe ineunt conjugii contractum. Hanc quippe ſententiam propugnarunt fere omnes antiqui Theologi, Juriſque Canonici Interpretes, quos citant, & ſequuntur Vaſquez cit. diſp. 3. de Sacram. matrim. dub. 3. Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 5. & 6. Theophilus Raynaudus in Heteroclit. ſpiritual. punct. 14. Oper. tom. 16. Fraſſen in ſuo Scoto Academico tom. 12. tract. 3. diſp. 2. art. 1. quæſt. 3. concluſ. 2. Cardinalis de Laurea in 4. tom. 3. de Matrim. diſp. 13. art. 6. Clericatus deciſ. 6. de Matrim. Cardinalis Gottus tom. 4. in 3. part. dub. 5. §. 1. quæſt. 2. Nec verum eſt, quod nonnulli jactitant, hanc opinionem, ultra montes, eſſe jam fere antiquatam: ex illis quippe, qui ultra montes non diu antea ſcripſerunt, eamdem tuentur Van-Eſpen Jur. Eccleſ. univerſ. tom. 1. part. 2. tit. 12. cap. 5. n. 4. Simonet. Inſtit. Theolog. tom. 3. tract. 18. diſp. 1. & 2. Boucat in Theologia Patrum tom. 5. diſp. 7. de inſtitutione matrimonii art. 5. ſect. 1. & ſect. 2. Auctor Theologiæ moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis tom. 4. cap. 4. Merbeſius in Summa Chriſtiana tom. 2. de Sacram. matrim. diſſ. 7. quæſt. 5. Pontas in ſuo Dictionario verb. Matrimonium tertio caſ. 1. aliique non pauci: quocirca Tournely, quamquam Melchiori Cano adhæſerit, nihilominus ingenue faſſus eſt c. l. Si ex auctoritate, & numero Scholaſticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie oppoſita ſententia.

„ V. Neque tam ingens Theologorum numerus tanta animi fortitudine pro hac ſententia dimicaret, niſi & ipſi validiſſima haberent argumenta, quæ ſuis adverſariis opponant; inter quæ non contemnendum utique eſt, quod in hunc modum inſtaurant. Quidquid ſit, an matrimonia clanculum celebrata, fuerint unquam ante Tridentinum irrita, apud omnes tamen indubitatum eſt, ea, aliquot ante Tridentinum ſeculis, firmitate non caruiſſe: id quippe diſerte declararunt ipſimet Tridentini Patres cit. cap. 1. hiſce verbis: Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant: & ſiquidem idem Tridentinum, ſuum decretum, quo irrita illa fecit, robur habere noluit, niſi poſt triginta dies a die prima ejuſdem publicationis in unaquaque Parochia facta numerandos, certum pariter eſt, etiam nunc matrimonia clandeſtina, vera, ac rata eſſe in locis, in quibus prædictum decretum nunquam fuit promulgatum. Jam autem nunquam Tridentini Patres illa vera, ac rata conjugia dixiſſent, & declaraſſent, niſi credidiſſent, ea eſſe vera Sacramenta; uti enim perpendit Bellarminus cit. cap. 7. ſapientiſſimis illis Patribus notum erat, a ſacris Canonibus, quibus ſuum loquendi modum conformaſſe eſt præſumendum, ea tantum matrimonia dici vera, ac rata, quæ non ſolum ſunt contractus civiles, ſed etiam Sacramenta religionis: quod potiſſimum diſcimus ab Innocentio III. in Cap. Quanto, de divortiis, ubi ait: Etſi matrimonium verum inter Infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter Fideles autem verum, & ratum exiſtit, quia Sacramentum Fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum. Porro ſi ſemel evincitur, matrimonium ſine Sacerdotis præſentia clanculum contractum, aliquando fuiſſe, & alicubi nunc quoque eſſe Sacramentum; neceſſario inde conficitur, illius miniſtros eſſe contrahentes, & non Sacerdotem.

„ VI. Præterea, ſi Sacerdos eſſet Miniſter Sacramenti matrimonii, verba ab eodem prolata: Ego vos conjungo &c. eſſent ejuſdem Sacramenti forma; quod ultro concedunt Doctores Cano adſtipulantes. At, inquiunt adverſarii, nec ea verba, nec alia illis æquivalentia, ſemper, atque ubique adhibita fuere, neque eadem, aut illis ſimilia inveniuntur in omnibus Ritualibus; quemadmodum teſtatur Martene de antiq. Eccl. ritib. tom. 2. lib. 1. cap. 9. art. 3. n. 6. inquiens: Inaudita apud eos (majores noſtros) erant illa verba Parochi: Ego vos conjungo &c. in quibus aliqui ex recentioribus Scholaſticis formam hujus Sacramenti conſtituunt, quæ tamen deſideratur in duobus antiquis Ritualibus Mss. Beccenſis monaſterii, in Pontificali Senonenſi annorum 300. in antiquo Rituali Bituricenſi, & in aliis pene omnibus, quæ a nobis poſtea exhibebuntur: additque Simonet. cit. tract. 18. diſp. 2. art. unic. §. 3. alicubi hæc tantum verba a Sacerdote fuiſſe pronunciata: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet: quæ certe nihil commune habent cum illis: Ego vos conjungo &c. Et quamvis Tridentinum cit. loc. hanc poſteriorem formulam indicaverit, quamcumque tamen aliam, juxta cujuſlibet regionis uſum, adhiberi permiſit: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum. Tantam porro varietatem Eccleſia non toleraſſet, multoque minus cujuſlibet provinciæ arbitrio permiſiſſet, ſi exiſtimaſſet, per verba a Sacerdote prolata confici Sacramentum matrimonii.

„ VII. Sunt qui inſuper hoc idem argumentum confirment exemplo ſecundarum nuptiarum, quæ quamquam valide, & licite contrahantur, quidquid in contrarium ſentiunt aliquot Orientales, quos, hac in re errantes, nos redarguimus in noſtra Conſtit. 57. §. 8. n. 3. & in alia noſtra Conſtit. 129. §. 29. Bullarii noſtri tom. 1. attamen prohibentur benedici tum apud Latinos, ut habetur in Cap. 1. de ſecundis nuptiis, quam apud Græcos, ut in cit. noſtra Conſtit. 57. §. 8. n. 4. hinc quippe iterum inferri autumant, Sacerdotis benedictionem neceſſariam non eſſe ad perficiendum matrimonii Sacramentum. Verum ejuſmodi argumentum inane, & fallax eſt: etenim ſecundæ nuptiæ non ſunt quidem benedicendæ ea ſolemni benedictione, quæ continetur in ſpeciali Miſſa pro ſponſo, & ſponſa, de qua nos egimus in noſtra Inſtit. 80. quamque nullus unquam dixit pertinere ad eſſentiam Sacramenti matrimonii; ſed, ut validæ ſint, contrahi debent coram Parocho, qui eodem plane ritu, eademque verborum formula, in quam unice cadit præſens controverſia, illis bene precatur. Non ignoramus, Gloſſam Canonicam adnotaſſe, ideo ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, ne Sacramenta iterentur; ſed nomine Sacramenti intellexiſſe arbitramur Sacramentale, quod licet in ſe ſpectatum ſemper iterari queat, hic tamen obſtat ſpecialis ratio, ne iterari permittatur: ſiquidem, uti ſcite, atque ad rem ponderat S. Thomas in 4. diſt. 42. quæſt. 3. art. 1. quamvis ſecundum matrimonium verum Sacramentum ſit, deficit tamen ab illa perfecta ſignificatione unionis Chriſti cum Eccleſia, quæ cum fuerit, & ſit unius cum una, melius, & perfectius repræſentatur per primum: propter hunc autem ſignificationis defectum Eccleſia denegat ſecundis nuptiis eam ſolemniorem benedictionem, quam primis impertitur.

„ VIII. Melius, & ſolidius fulciri poteſt eadem opinio alia ratiocinatione, quam a ſuis Auctoribus prætermiſſam advertimus. In locis, in quibus Tridentinum jam eſt promulgatum, non raro contingit, virum, & fœminam matrimonium inter ſe contracturos, inopinantem Parochum adire, & coram eo, quamvis invito, & reluctante, ac duobus teſtibus, ibidem fortuito aſtantibus, mutuum in conjugium conſenſum exprimere, atque inde ſtatim ſe ſubducere, quin Parochus ullum, niſi fortaſſe objurgationis, verbum protulerit. Ejuſmodi matrimonium, in ſententia Melchioris Cani, eſt validum in ratione contractus, ſed, ob defectum Sacerdotalis benedictionis, non eſt Sacramentum. Ne itaque ſic copulati Fideles perpetuo careant gratia, quæ ex Sacramento matrimonii in contrahentes derivatur, deberet Eccleſia illos compellere, aut ſaltem hortari, atque inducere ad ſuum contractum legitime, conſuetiſque adhibitis ſacris ritibus, iterum renovandum coram eodem Parocho, cujus verbis fiat Sacramentum; atque, ob eamdem rationem, coram Sacerdote aut præciperet, aut ſaltem inſtaurari curaret clandeſtina conjugia, in locis inita, ubi Tridentini decretum non eſt receptum. Cum autem in neutro caſu conjugii renovationem ab Eccleſia urgeri videamus, non temere inde conjicimus, utrumque contractum, quamquam Sacerdotis benedictione non obſignatum, jam ab Eccleſia haberi pro Sacramento. Ad hanc enunciendam difficultatem, reſpondere poſſunt Cani aſſeclæ, ideo Eccleſiam nequaquam ſolicitam eſſe de prædictis conjugiis, debito ritu inſtaurandis, quia contractus conjugii ſemel valide initus, niſi, cum initur, Sacramenti naturam induerit, nunquam deinceps poterit Sacramentum effici: quod docent Durandus in 4. diſt. 26. quæſt. 3. n. 14. Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſp. 138. cap. 5. tom. 4. diſp. 2. de Matrim. cap. 10. aliique, quos citat, & ſequitur Baſilius Pontius de Matrim. lib. 1. cap. 9. n. 8. Verum hac reſponſione difficultatem non evadunt: ſiquidem alii longe plures Doctores, quos recenſet, & ſequitur Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 9. exiſtimant, matrimonium, quod fuit validum ſolum in ratione contractus, poſſe deinde renovari, & aſſequi virtutem Sacramenti, qua prius caruit. In hac porro dubietate, non negligeret Eccleſia Fideles urgere, ut in prædictis rerum eventibus ſua connubia debito modo renovarent, ne fruſtrarentur ad minimum ſpe conſequendæ gratiæ, quæ, ſaltem in multorum probabili, & communiori ſententia, ex contractus iteratione ipſis obveniret.

„ IX. Utriuſque opinionis ſolidiora fundamenta innuimus, non animo quemquam inducendi ad unam, aut alteram amplectendam; ſed ut Epiſcopis ſit perſuaſum, utramque eſſe probabilem, ſuoſque habere magna auctoritatis

„ patro-

,, *petrones: atque inde non decere diſcant, ut ipſi Judicis*
,, *partes aſſumant, quæſtionemque definiant, de qua Eccle-*
,, *ſia nihil hactenus pronunciavit, ſed Theologorum diſpu-*
,, *tationi permiſit. Quare acturi in Synodis de matrimonio,*
,, *proponant quidem, explicentque doctrinam a Conciliis Flo-*
,, *rentino, & Tridentino de ejuſmodi Sacramento diſerte*
,, *traditam; ſed caveant, ne aut Parochum, aut ipſos con-*
,, *trahentes, ejuſdem miniſtros appellent: ſuorum vero Præ-*
,, *deceſſorum Synodos, in quibus miniſtri nomen vel iſtis,*
,, *vel illi inditum reperient, intactas relinquant; ne, eas*
,, *corrigendo, aut approbando, in idem incidant vitium al-*
,, *terutri ſuffragandi ex controverſis inter Theologos opinio-*
,, *nibus: a quo Diœceſanas Synodos prorſus immunes eſſe*
,, *debere, hucuſque inculcavimus.*

CAPUT XI.

De Matrimonii unitate, eique oppoſita Polygamia.

Πολυγαμία Græce, Latine idem eſt, *ac multiplicatio conjugii*; ac duplex eſt, *ſimultanea*, quando ſimul unus vir plures uxores ducit; & *ſucceſſiva*, quando altero conjugum vita functo tranſit ſuperſtes ad alias nuptias. Quod viris pluribus nupſerit ſimul eadem mulier nullo ſacrarum ſcripturarum exemplo comprobari poteſt, atque id repugnare juri naturæ, *apud omnes certum & exploratum eſt*, inquit libro I. De matrimonio cap. 10. Bellarminus. Huic Joannes Friſchmuth opponit Thomam Sanchez diſp. 80. n. 15. Ægidium Conick diſput. 26. dub. 2. Laymannum lib. V. Theolog. Moralis tract. 10. & Adamum Tannerum tom. IV. q. 4. dub. 6. At neque hi negant eſſe contra jus naturæ ſi plures uxores ab eodem ducantur, ſed in eo tantum diſſentiunt, quomodo id legi naturali adverſetur. Plurium autem uxorum cum uno viro conjugium non ſemel in ſacris litteris commemoratur: Lamech enim Geneſis IV. duas uxores accepit, Adam, & Sellam; cujus exemplum imitati ſunt Gentiles impellente libidine. Abraham itidem duxit Saram, & Agar: tum Jacob in Meſopotamia ſorores duas, Liam, & Rachelem, aliique Patriarchæ uxores plures habuerunt. Hos peccaſſe contra jus naturæ affirmarunt Sadducæi, atque hac de cauſa Jacobum ab Angelo fuiſſe percuſſum commenti ſunt, ut legitur in Thalmud, *Maſſechet* cap. 10. In eamdem ſententiam abierunt cum Joanne Calvino, Junio, Tarnovio, Beza, ac Tremellio Novantes plurimi, repugnantibus tamen Catholicis, necnon Glaſſio, Brentio, Cunæo, & Lutheranæ ſectæ fere univerſis: atque huic diſſidio occaſionem præbuit varia lectio verſus 18. capitis XVIII. Levitici, de qua poſtmodum. Vera, atque inter Catholicos communior ſententia eſt, polygamiam muliebrem primario conjugiorum fini, qui eſt prolis ſuſceptio & educatio, non adverſari, etſi repugnet fini ſecundario, perfectæ nimirum ſocietati, pacique domeſticæ: ideoque ad propagationem hebraici populi abſque læſione primarii juris naturæ cum Patriarchis fuiſſe diſpenſatum, ut cum pluribus uxoribus inirent conjugia. At Chriſtus Dominus matrimonium ad priorem inſtitutionem reduxit: & conſequenter in lege Evangelica omnino polygamia condemnatur. Lutherus tamen, Melanchthon, Leningus, aliique ejuſdem ſectæ anno 1539. opprobrioſa conſultatione docuerunt, fas eſſe Philippo Landgravio Haſſiæ uxorem aliam ducere adhuc vivente priori. Vide Benignum Boſſuet lib. VI. Variationum, & Juenin q. IV. cap. I. decimæ diſſertationis De ſacramentis. Subſcripſerunt Luthero Hetzerus Anabaptiſta, David Georgius, & Bernardinus Ochinus. Polygamiam denique *ſucceſſivam*, ſive ſecundas nuptias damnarunt Montaniſtæ, ad quos defecit quoque Tertullianus, necnon hæretici Novatiani. Catholici omnes polygamiam illam approbant, ac ſplendide mentitur Kemnitius, dum in 2. p. Examinis inquit, a nobis ſecundas nuptias exiſtimari fornicationes atque proſtitutiones. Jam vero hæc omnia diſtinctis aſſertionibus curabimus explanare.

PROP. I. *Polygamia virilis*, ideſt, matrimonium plurium virorum cum una uxore, inauditum ac turpiſſimum ſcelus, & omnino juri naturæ contrarium foret.

Hanc theſim evidenter demonſtrant quæ in libro de Bono conjugali cap. XVII. num. 20. ſcribit S. P. Auguſtinus: ubi primum oſtendit quomodo non eadem ratione repugnet naturæ ſi eidem viro plures mulieres jungantur, ac ſi unam feminam ducant viri plures. Nam cum homo ſit caput mulieris, & hæc illi ſubjiciatur, non pervertitur omnino naturæ ordo, dum uni uxores multæ ſubduntur. *Non ſicut uni viro* (inquit S. Pater) *etiam plures habere licebat uxores, ita uni feminæ plures viros. Occulta enim lege naturæ amant ſingularitatem quæ principantur: ſubjecta vero non ſolum ſingula ſingulis, ſed ſi ratio naturalis, vel ſocialis admittit, etiam plura uni non ſine decore ſubduntur. Neque enim ſic habet unus ſervus plures dominos, quemadmodum plures ſervi unum dominum.* II. Idem ab Auguſtino confirmatur ex eo quod nullibi legamus unam ex fidelibus feminis multis viris eodem tempore conjunctam: *Duobus*, ait, *ſeu pluribus maritis vivis nullam legimus ſerviſſe ſanctarum, plures autem feminas uni viro legimus, cum gentis illius ætas ſinebat, & temporis ratio ſuadebat, neque enim contra naturam nuptiarum eſt.* Et quod de

ſanctis mulieribus inquit Doctor eximius; de ethnicis quoque, modo pellices, & ſcorta non fuerint, dici debet: nemo quippe illico non perciperet turpitudinem fornicationis, ſi mulier duorum virorum uxor eſſet; eique merito objurgaret quod Gelliæ Martialis,

Mœchum Gellia non habet, niſi unum.
Turpe eſt hoc magis, uxor es duorum.

III. Addit Auguſtinus rationem tertiam, quoniam matrimonii finis princeps eſt filiorum procreatio; idem autem fœtus gigni nequit a pluribus viris. *Plures feminæ* (ita proſequitur) *ab uno viro fœtari poſſunt; una vero a pluribus non poteſt* (*hæc eſt principiorum vis*) *ſicut multæ animæ uni Deo recte ſubduntur, idcoque non eſt verus Deus animarum, niſi unus, una vero anima per multos falſos Deos fornicari poteſt, non fecundari.* IV. Ex poſtremis verbis infertur ratio quoque Theologica: cum enim in matrimonio, etiam ut eſt officium naturæ, ſit ratio quædam ſacramenti, quemadmodum ait Innocentius III. cap. *Gaudemus*, De divortiis, ſi eadem mulier nuberet pluribus viris, haberent hujuſmodi nuptiæ idololatriæ ſymbolum ac myſterium, neque unitionem ſupremi numinis cum humano genere, ſed animæ fornicationem cum diis gentium ſignificarent.

PROP. II. Uxorum pluralitas finibus matrimonii ſecundariis repugnat, ac primævæ illius inſtitutioni, & perfectioni adverſatur.

Enimvero Deus unum maſculum duntaxat creavit, eique unam feminam ex latere ejus productam matrimonii vinculo conjunxit,

Mutuum, & alternum inter ſe ut miſceret amorem,

inquit lib. I. in Geneſim Marius Victor. De Lamecho, qui omnium primus accepit uxores duas, ſcripſit Tertullianus de Exhortat. Caſtitatis cap. 5. *Duabus maritatus tres in unam carnem effecit.* Hieronymus item in Epiſt. 85. ad Salvinam, *Unam coſtam diviſit in duas;* & Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 51. *Adulterii flagitium in duabus uxoribus perpetravit.* Conſtat præterea ex antiqui Teſtamenti hiſtoria ortum ex uxorum pluralitate habuiſſe diſſidia, & fuiſſe turbatam ſocietatem, pacemque domeſticam: in exemplo ſint quæ inter Saram & Agar, atque inter Liam & Rachelem contigerunt, jurgia, & zelotypiæ ſeminaria. Inter fratres quoque non eodem utero natos raro cuſtoditur amoris neceſſitudo, neque enim qualis inter Joſephum & Benjamin, talis hos inter aliosque fratres interceſſit benevolentia. Idem ex profanis hiſtoriis, & ex fabulis poetarum infertur: enimvero Medea Glauces nuptias ferre non potuit, & Clytemneſtra Agamemnonem interfecit, quoniam pati non poterat Caſſandram conſortem ejuſdem thalami. Hinc Euripides *polygamiam* expertus, utpote *qui duas ſimul uxores habuerat, cum id decreto ab Athenienſibus facto jus eſſet*, ut inquit XV. Noctium Atticarum cap. 20. Aulus Gellius, in Andromacha ajebat:

Οὐδέ ποτ' ἂν δίδυμα
Λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
Οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρους,
Ἔριν μὲν οἴκων,
Δυσμενεῖς τε λύπας.

ideſt,

Nunquam geminos
Lectos laudabo mortalium,
Neque binas matres habentes liberos,
Rixam quidem domorum,
Triſteſque offenſas.

Damnarunt denique *polygamiam* tanquam humanæ ſocietati contrariam leges quamplurimæ. Cecrops enim Athenis unicam uni viro junxit mulierem: cumque Socrates duxiſſet Xanthippen, & Mirto, id illi a Satyro Peripatetico, a Calliſtene, & a Demetrio Phalereo fuit objectum. Poſterior eſt ergo lex ab A. Gellio commemorata. Romanorum legibus eum qui duas ſimul haberet uxores comitabatur infamiam, l. *Eum*, Valeriani, & Gallieni, C. ad l. Jul. de Adult. & Conſtantinus *Polygamiam* ſub pœna capitali proſcripſit, l. *Uxor* C. de repudiis. De Valentiniano quidem ait Socrates lib. IV. H. Ec. cap. 31. ſanxiſſe, ut cuilibet duas ſimul uxores habere fas eſſet. Verum cum ipſe Severæ ſuperinduxiſſet Juſtinam, legem hanc tulit ad avertendum a ſeipſo ejuſdem conjugii dedecus, ſi tulit tamen; nam hujus legis nulla uſquam fit mentio, ne quidem apud Ammianum Marcellinum, qui res a Valentiniano geſtas accurate deſcripſit. Vide Annotat. Valeſii in Socratem pag. 58.

PROP. III. Antiqui Patres, qui uxores plures duxerunt, immunes fuerunt a culpa.

Ita Patres docuerunt: Tertullianus enim citato cap. 5. de Caſtit. ſcribit. *Sed & benedicti*, inquit, *Patriarchæ non modo pluribus uxoribus, verum etiam concubinis conjugia miſcuerunt. Ergo propterea nobis quoque licebit in numerum nubere? Sane licebit, ſi adhuc typi futuri alicujus ſacramenta ſuperſunt, quos nuptiæ tuæ figurent, vel ſi etiam nunc locus eſt vocis illius, Creſcite & multiplicamini:* & infra, *Unius & ejuſdem Dei utraque pronuntiatio & diſpoſitio eſt, qui tunc quidem ſeminatem generis emiſit indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec nova diſciplinæ materia proficeret: nunc vero ſub extremitatibus temporum compreſſit quod emiſerat, & revocavit*

quod induſſerat, non ſine ratione prorogationis in primordio, & paſtinationis in ultimo. Chryſoſtomus Hom. LVI. in cap. 29. Geneſis n. 3. hæc de Jacob: *Audiens eum accepiſſe majorem natu, & poſtea minorem, ne turberis, neque ſecundum ſtatum qui nunc eſt, opera quæ tunc facta ſunt judicet. Tunc enim quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus vel tribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur.* Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. IV. ejus polygamiam excuſat primum, quia *nondum interdictum adulterium videbatur*, quo in loco polygamiam appellat *adulterium* lata ſignificatione, ut efficacius abſterreat catechumenos a pellicatu. Deinde excuſationem hanc profert, quod Abraham ancillæ contubernium quæſierit, *non ardore aliquo vagæ libidinis, ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ ſobolis.* Tertiam quoque affert excuſationem ex Apoſtolo, quoniam *illa quæ geſſit Abraham ut de ancilla ſuſciperet ſobolem, in figuram facta ſunt, & ſecundum allegoriam dicta*, ut ſcilicet ſignificarentur duo Teſtamenta, & duo populi, Judæorum & Chriſtianorum. Idem non uno in loco docet S. P. Auguſtinus, ac præſertim lib. XVI. de Civit. Dei cap. 25. & lib. XXII. contra Fauſtum cap. 30. & 47. *Nullo modo*, ait priori in loco, *eſt inurendum de hac concubina*, idest Agar, *crimen Abrahæ; uſus eſt ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem.* Altero in loco vellicans Manichæos, qui nuptias damnabant, *Non igitur Abraham*, inquit, *prolis habendæ inſana cupiditate flagrabat, ſed Manichæus prolis devitandæ inſana vanitate delirabat. Proinde ille naturæ ordinem ſervans, nihil humano concubitu agebat, niſi ut homo naſceretur: iſte perverſitatem fabulæ obſervans, nihil in quolibet concubitu timebat, niſi ne Deus captivaretur.* In tertio tandem loco ſermonem inſtituens de Jacob ita Doctor præſtantiſſimus loquitur: *Jam vero filio ejus Jacob quod pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores, generali prolocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint; quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: ſi præceptum, nulla lege prohibebatur.*

Neminem autem movere debet, quod ab Auguſtino Agar *concubina Abrahami* dicatur, ſicuti illam quoque appellarunt Tertullianus de Monogamia cap. 6. & Leo Magnus ep. ad Ruſticum cap. 4. *Concubinæ* enim vocabulum non inepte tribuebatur *ſecundariis uxoribus*, quod non eſſent ea dignitate, qua uxor prima, nec filios gignerent paternorum bonorum hæredes, atque ad prolis generationem, non ad familiæ regimen ducerentur. Atque hinc eſt, quod Hebræorum doctiſſimi Joſephus, & Philo, tametſi agnoſcant Patriarcharum polygamiam, nuſquam tamen ſecundarias illorum uxores alio nomine vocant, quam *concubinas*. Vide adnot. in novam Operum Ambroſii editionem tom. 1. pag. 290.

At enim Sadducæos olim, poſtea Calvinianos traxerunt in contrariam ſententiam duo Scripturæ loca, Levitici XVIII. 18. & Deut. XVII. 17. Primum enim juxta Hebraicum textum, אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ לֹא תִקָּח ita vertendum eſſe contendunt, *Mulierem unam ad alteram ne aſſumito*, alterum vero, לֹא יַרְבֶּה נָשִׁים, *Non multiplicabit uxores*. Adde repugnare *polygamiam* ſubſtantiæ conjugiorum, in quibus eamdem poteſtatem, quam habet vir ſupra corpus mulieris, habet mulier in corpus viri, ut docet quoque S. P. Auguſtinus lib. 1. de Adult. conjug. cap. 8. unde infert Eſtius in diſt. XXXI. ſect. 1. *polygamiam* illicitam eſſe ſpectato jure conjugali, quia tam uxori, quam viro fit injuria, quando alii cuique traditur alterius corpus.

Verum ut Sadducæi, ita Calviniani turpiſſime allucinantur. In primo enim textu vocabulum hebraicum אֲחֹתָהּ recte in Vulgata noſtra redditur *ſororem ejus*, ut habent quoque verſiones Chaldaica, Samaritana, Syriaca, Græca, Arabica, tom. 1. Polygl. pag. 484. exigitque fatentibus Catholicis omnibus, necnon hæreticis initio productis, ac Druſio, Grotio, Fagio, aliiſque, hebraicæ linguæ proprietas. In alio autem loco non pluralitas, ſed nimia uxorum multitudo regibus prohibetur, & optime, atque cohærenter ad verſiones alias Vulgata, *Non habebit uxores plurimas*, ſiquidem & in Hebraico textu repetitur, וְלֹא יַרְבֶּה מְאֹד, *Et non multiplicabit valde*. Non enim ut animus luxuria difflueret, ſed ut filii procrearentur, permittebatur polygamia. Eſt autem monitum Plutarchi in Vita Lycurgi, & in libello de Garrulitate, nimio uxorum numero gignendi vim enervari: quod confirmat exemplum Salomonis, qui ex ſeptingentis reginis uxoribus, & concubinis trecentis marem unicum Roboamum, duaſque femellas Eraphet, & Baſemat legitur ſuſcepiſſe. Quod vero de jure conjugali, & de poteſtate uxoris dictum eſt, diluitur ex prima propoſitione, in qua oſtendimus ex *polygamia virili*, idest conjugio plurium virorum cum unica muliere lædi finem connubii primarium, & ſobolis propagationem: quod non evenit in conjugio plurium uxorum cum uno viro. Eſt itaque inter unam & alteram *polygamiam* diſpar ratio. Præterea circa poteſtatem unius conjugis in corpus alterius dici poteſt ſupremum Dominum Patriarchis poteſtatem feciſſe diſponendi de ſuo corpore per novum contractum, non diſſoluto priori, ut diximus volum. II. pag. 180. Non enim aliud aſſeritur in cap. *Gaudemus*, De divortiis, ubi Patriarcharum *polygamia* excuſatur a crimine adulterii, quod fuerit *divina revelatione conceſſa*, eo modo, quo excuſantur Iſraelitæ a furto, & Samſon ab homicidio. Idem hebræis perſuaſum fuit; nam Joſephus lib. 1. Antiq. cap. 10. num. 4. ſcribit Abrahamum duas accepiſſe uxores, τῷ θεῷ κελεύσαντος, *Deo præcipiente*: fuitque hoc præceptum, ut puto, ne liberis & promiſſo ſemine carerent, intima perſuaſio. Ne plura addamus, Abraham, Jacob, David, Elcana, Joas, aliique polygami plurimum in ſacris litteris commendantur, neque uſpiam reprehenduntur ob uxorum pluralitatem; quod ſufficit ad Sadducæos hæreticoſque refutandos.

PROP. IV. In lege Evangelica nequit cum pluribus ſimul uxoribus iniri conjugium.

Spectat hæc theſis ad fidem; nam Tridentina Synodus ſeſſ. XXIV. edidit hunc canonem n. 2. *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.* Probatur autem primo ex Matth. XIX. ubi Chriſtus matrimonium revocans ad primæ inſtitutionis perfectionem inquit: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ex quibus verbis Innocentius III. cap. *Gaudemus*, De divortiis, hanc illationem deducit: *Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu circa matrimonium reprobandam.* Demonſtratur quoque auctoritate Patrum; qui, ut diximus propoſitione præcedenti, ita *polygamiam* Patriarchis conceſſam docent, ut nunc prorſus vetitam eſſe pronuntient: unde Innocentius I. epiſt. 9. inquit: *Secundæ mulieris conjugium, priori ſuperſtite, nullo modo poteſt eſſe legitimum.* Huc facit, quod Eccleſia eum, qui per verba *de præſenti* contraxit cum una, & poſtea duxit alteram, eamque cognovit, compellit, ut ab hac ſeparatus redeat ad primam, & illam ſolam tanquam legitimam uxorem habeat. Vide cap. *Licet*, De ſponſa duorum. Tandem æquum erat, ut in lege Chriſtiana, quæ eſt ſpiritalis, ceteriſque perfectior, ſegregarentur conjugia ab illis incommodis, quæ ſecum affert polygamia, atque ad priorem originem gratia quoque ſuperaddita revocarentur: ideoque Nicolaus I. ad Conſulta Bulg. num. 51. ait: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum ulla permittit.*

His videntur obſtare exempla imperatorum Chriſtianorum Valentiniani, Conſtantii, & Lotharii, qui ſimul uxores duas habuerunt. Cap. itidem *Quod propoſuiſti*, XXXII. q. 7. in quo Gregorius II. cuidam permittit, ut propter diuturnam prioris uxoris ægritudinem contrahat cum alia. Demum quod etiamnum, ſicut in lege Moſaica, concupiſcentia vigeat, & fidelis populus longa lateque ſit propagandus.

Sed hæc nullius ſunt momenti. De Valentiniano enim, ejuſque lege dictum eſt ſupra: Conſtantius Arianus fuit: Lotharius cum pellice a Nicolao I. communione privatus, cap. *An non*, XXXIV. q. 3. Ægritudo, de qua in cap. *Quod propoſuiſti*, erat impedimentum dirimens *impotentiæ*, ac præterea Gregorii reſcriptum a compluribus dubium, ac ſuppoſititium exiſtimatur. Ad fornicationem denique vitandam Apoſtolus 1. ad Corinth. VII. 2. uxorem unam permittit: neque explendæ libidinis cauſa plures in lege veteri ducebantur, ſed gratia duntaxat poſterorum; qui non ſemine & generatione carnali, ſed regeneratione ſpiritus ad legem pertinent Evangelicam.

PROP. V. Soluto cum priore uxore per mortem, aut alia de cauſa conjugio, fas eſt aliam ducere, eademque ratione tertiam, & quartam, &c.

Agendum nunc *de polygamia ſucceſſiva*: quam haud eſſe illicitam, evidenter demonſtrat Apoſtolus I. ad Corinth. VII. 39. his verbis: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino.* Quæ verba explicans S. Joannes Chryſoſtomus hom. XIX. *Quid eſt, in Domino*, inquit? *Cum temperantia, cum honeſtate.* τί δέ ἐστιν ἐν κυρίῳ; μετὰ σωφροσύνης, καὶ μετὰ κοσμιότητος, & infra, *In primis, & ſecundis nuptiis illam*, honeſtatem, *perſequamur*, ἐν πρώτῳ γάμῳ καὶ ἐν δευτέρῳ ταύτην μεταδιώκωμεν. Hinc theſis confirmatur auctoritate Patrum; & Chryſoſtomo accedit Ambroſius, qui de Viduis cap. 2. n. 10. ait: *Secundas nuptias Apoſtolica præcepta non damnant*; & cap. XI. n. 68. *Non prohibemus ſecundas nuptias*: Hieronymus epiſt. 27. ad Marcellam, *Non ſecundas nuptias*, inquit, *concedimus, Paulo jubente ut viduæ adoleſcentulæ nubant*, & epiſt. 91. ad Ageruchiam, *Damnamus ſecunda matrimonia? Minime, ſed prima laudamus. Abjicimus de Eccleſia digamos? Abſit, ſed monogamos ad continentiam provocamus*, atque epiſt. 30. ſive Apologia pro libris ſuis adverſus Jovinianum,

Digitized by Google

num, *Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Eccleſia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto & ſexto & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere: ſed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miſeriæ ſunt, non laudes continentiæ.* Auguſtinus denique in libro de Bono viduitatis cap. XII. n. 15. *De tertiis, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis ſolent homines movere quæſtionem: unde ut breviter reſpondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre.* Adde Eccleſiæ definitiones; Synodus quippe Nicæna can. 8. adverſus Catharos definivit *digamis eſſe communicandum*. Secundas nuptias permitti ab Apoſtolo definierunt Urbanus III. cap. *Super alia*, & Innocentius III. cap. *Cum ſecundum Apoſtolum*, IV. Decret. tit. 21. & Eugenius IV. in decreto pro Armeniis, in quo hæc leguntur: *Declaramus non ſolum ſecundas*, nuptias, *ſed etiam tertias & quartas, atque ulteriores, ſi aliquod canonicum impedimentum non obſtat, licite contrahi poſſe.*

Tria autem ſunt, quæ præſertim catholicæ huic poſitioni adverſantur: ac primum eſt, quod veteres ita *polygamiam* inſectantur, ut Baſilius in Epiſt. ad Amphil. can. 4. tertias nuptias non matrimonium appellaverit, ſed *caſtigatam fornicationem*, & Auctor Conſtitut. Apoſtol. lib. 3. cap. 2. *indicium intemperantiæ*. Alterum quod digami *irregulares* habeantur, nec poſſint ad ſacros ordines promoveri, ut colligitur ex Apoſtolo I. ad Timoth. 3. affirmatque Tertullianus lib. I. ad Uxor. cap. 7. Epiphanius Hæreſi XLVIII. num. 9. Hieronymus præcitata ad Ageruchiam epiſtola; quod & conſtat ex Apoſtolico canone 17. aliiſque permultis apud Gratianum diſt. 24. & in I. Decretal. tit. 21. Tertium, quod ſecunda conjugia celebrari non debent cum benedictione Sacerdotali, ut habetur capp. *Capellanum*, &, *Vir autem*, De ſecundis nuptiis.

Ad hæc autem facillimum eſt reſpondere: Patres enim *monogamiam* commendant, & repetita conjugia non laudant propter incontinentiam nubentium, non propter honeſtatem nuptiarum. At digami *irregulares* ſunt propter ſacramenti defectum, ut inquit Innoc. III. cap. *Debitum*, de Bigamis, non quod ſecundæ nuptiæ non ſint ſacramentum, aut bigamus adhærendo uxori ſuæ non ſignificet Chriſti cum Eccleſia unionem, ſed quia hanc ſecundæ non æque repræſentant ut primæ nuptiæ, *quoniam bigamus non eſt unus unius*, inquit eo loci Innocentius. Scripſerat antea Auguſtinus de Bono conjugali cap. XVIII. num. 21. *Propter ſacramenti ſanctitatem, ſicut femina etiamſi catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt baptiſmum inter Dei virgines conſecrari, ita non abſurde viſum eſt eum qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quamdam ſacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.* Quæ verba habentur in cap. *Acutius*, diſt. XXVI. num. 2. Ob eamdem rationem, cui potius quia ſolemnis benedictio *iterari non debet*, ut inquit Urbanus III. cit. cap. *Vir autem*, ſecundæ nuptiæ cum ſolemni benedictione minime celebrantur. De *polygamia* hactenus: progrediamur nunc ad

CAPUT XII.

In quo agitur de indiſſolubili nexu, & firmitate conjugii.

SI per varias hominum conſuetudines legeſque vagemur, non ſemel legitimæ uxores invenientur repudiatæ & a viris dimiſſæ. Principio enim obtinuit repudium apud Macedones, alioſque Græcorum: nam Juſtinus lib. IX. ſcribit a Philippo ductam in matrimonium Cleopatram *expulſa Alexandri matre Olimpiade*, & Demoſthenes Orat. I. contra Onetorem ait, repudium ſcribi ſolitum *apud Archontem*. Romani quoque uxores aliquando repudiarunt *ob illarum moroſitatem & ſterilitatem*, juxta legem XII. Tabularum: quamquam *per ſexcentos fere annos* ab V. C. nullum apud Romanos contigiſſe repudium, ſcribit Tertullianus in Apolog. cap. 6. idque confirmatur teſtimonio Valerii Maximi lib. II. cap. I. & A. Gellii lib. IV. cap. 3. qui narrant primum omnium uxorem repudiaſſe Sp. Carbilium, cui Ruga cognomentum fuit. Neque ad nutum viri nuptæ dimittebantur, ſed apud Cenſores legitimæ cauſæ jurejurando erant comprobandæ, & connubia tabulis firmata, tabulis tantummodo ſolvebantur. Repudii formula hæc apud Romanos erat, *Res tuas tibi habeto. Res tuas tibi agito. Conditione tua non utor*: ad quam formulam animum intendens in Amphitr. ait Plautus,

Valeas, tibi habeas res tuas, redde meas,

& in quodam epigrammate Martialis lib. X. num. 41.

Menſe novo Jani veterem Proculeja maritum
Deſeris, atque jubes res ſibi habere ſuas.

Judæis quoque repudium fuiſſe permiſſum conſtat ex cap. XXIV. Deuteronomii: repudiare autem uxorem ſuam non poterant, niſi dando ei libellum, quem Hebræi appellant *Sepher Cherituth*, ספר כריתות, Græci βιβλίον ἀποστασίου, quorum utrumque Latine dixeris *ſchedam abſciſſionis*. Ejus formam, ritumque continet pars tertia *Miſchnæ* libro V, גיטין, *Githin*; necnon III. Volumen Theſ. Antiquitatum ſacrarum, in quibus colligendis exornandiſque ſedulam impendit operam Blaſius Ugolinus, pag. 415. Viris tantum repudiare uxores permiſſum erat, non uxoribus viros: unde Salomem, quæ libellum repudii miſit Coſtobaro, non feciſſe κατὰ τοὺς ἰουδαίων νόμους, *juxta Judæorum leges*, ſcribit Joſephus lib. XV. Antiq. cap. 7. n. 10. Hac in re non conveniunt Theologi, num per libellum repudii uxore dimiſſa, fas eſſet novum inire matrimonium: affirmant quippe Bellarminus De matrim. cap. 17. Sanchez lib. 2. diſput. I. noſter Poncius lib. 7. cap. 50. atque ex junioribus Du-Hamel cap. 3. ac Tournely q. 5. art. 2. Sed Bellarmino ipſo fatente, *ſententia communior Magiſtri diſt. 33. libri IV. & ibidem Bonaventuræ, Richardi, Dominici a Soto, & aliorum id habet, ut illicitum ſemper fuerit, ſed permiſſum tamen ut impune fieret, cauſa majoris mali vitandi*; atque idem ſentiunt Eſtius in eamdem diſt. 33. §. 9. Sylvius in q. 67. Supplem. art. I. Florentius de Cocq. ſect. 12. Cardinalis Gotti q. 5. dub. 2. Vanroy cap. V. q. 4. & Le-Droint lib. IX. cap. V. q. 4. Nutat in utramque partem q. 3. Aurelius Pietre. Quidquid ſit de illa Hebræorum lege, adhærendum eſſe uxori ſuæ, nec dimittendam niſi ob fornicationem, atque dimiſſam quoque non poſſe ad alia vota tranſire, docet Chriſtus Matt. XIX. Sed hinc oritur quæſtio inter nos, & hæreticos, Græcoſque plurimos agitata, an per adulterium ſolvantur conjugia; cui accedit altera, an diſſolvantur ſaltem per monaſtica vota, ſive per religioſam profeſſionem. Igitur in his tribus quæſtionibus, num per libellum repudii matrimonium diſſolveretur, num illius vinculum abrumpatur propter adulterii crimen, num ſaltem per profeſſionem ſolemnem, immorandum eſt aliquantulum: hinc enim facile inferri poteſt quid de legibus paullo ſupra commemoratis ſit aſſerendum.

PROP. I. Per libellum repudii non ſolvebatur vinculum prioris conjugii, neque fas erat Judæis cum alia uxore contrahere; ſed hoc illis Moyſes indulſerat *propter cordis duritiam*, & ne exoſas mulieres interno odio proſequerentur, vel morte afficerent.

In hanc ſententiam, ut Bellarminus fatetur, communiorem, Chriſti verba Matthæi XIX., eximiorum Patrum expoſitiones, atque probabiliora momenta me trahunt. Phariſæis Dominum interrogantibus, an fas eſſet *uxorem dimittere quacunque ex cauſa*, reſpondit id repugnare inſtitutioni matrimonii, ejuſque vinculo, quoniam Deus *maſculum & feminam conjungens*, oſtendit *ſecunda vitanda conjugia*, & maſculum unum, unamque feminam condidit, & connubio ligavit, *ut unius conjugis conſortia ſectarentur*. His addidit Chriſtus: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ideſt, *Si Deus conjunxit unam faciendo carnem viri, hanc homo non poteſt ſeparare*. Reponentibus autem Judæis, *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* ſubjecit Salvator: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, ideſt: *Numquid poteſt Deus ſibi eſſe contrarius, ut aliud antea juſſerit, & ſententiam ſuam novo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt: ſed Moyſes cum videret propter deſiderium ſecundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores eſſent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere diſcordiam, quam odia & homicidia perſeverare*. En aperte *Repudium*, etſi illicitum, permiſſum a Moyſe ad homicidia, & odia evitanda. III. Neque violenta eſt hæc interpretatio, ſed plana, & magni Hieronymi contexta verbis. Conſonat Chryſoſtomus homilia 63. in Matthæum, ubi ait, Dominum totam Phariſæorum accuſationem in caput eorum convertiſſe, demonſtrando *præter naturam, & contra legem eſſe repudium: præter naturam quidem, quia una caro efficitur, contra legem autem, quia cum Deus conjunxerit, & juſſerit non ſeparari, ipſi contra præcepta Dei facere auſi ſunt*. Addit in Catena Corderii pag. 263. *Dominus omnes eorum impetus ſubmovens defenſionem Moyſis ſuſcipit, affirmans nil eum ſtatuiſſe contrarium Deo, ſed protervia male morati populi coactum permiſiſſe bene rem non bonam, metu majoris mali*. Iſidorus item in altera Catena ejuſdem Auctoris pag. 611. *Non tantum non excuſavit Moyſen, ſed inſuper etiam defendit, crimen in illos convertens, per quos etiam ipſe coactus eſt quod naturam decebat negligere, ac permittere ut conſentientem dimitterent, melius eſſe ducens eam dimittere, quam occidere*. Similia Theophylactus pag. 110. S. P. Auguſtinus de Bono conjugali cap. 8. num. 7. commemorata conſuetudine Gentilium repudio utentium ſine reatu alicujus ultionis humanæ. *Cui conſuetudini* (inquit) *ſimile aliquid propter Iſraelitarum duritiam videtur permiſiſſe Moyſes de libello repudii: qua in re exprobratio, quam approbatio divortii magis apparet*: & cap. 18. num. 21. *Itaque ſicut duobus* (maritis) *pluribuſve ſervire, ſic a viro vivo in alterius tranſire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit*. Vide & librum XIX. contra Fauſtum cap. 26. de quo infra. Ex his apparet, quantum ſententia noſtra ad Patrum mentem accedat, maxime quod Bellarminus, aliique adverſarii neminem pro ſe hactenus laudarunt, niſi forte Auctorem Operis imperf. in Matth. hom. 32. quem non eſſe Chryſoſtomum,

quod indulſerat, non ſine ratione prorogationis in primordio, & perſtinationis in ultimo. Chryſoſtomus Hom. LVI. in cap. 29. Geneſis n. 3. hæc de Jacob: *Audiens eum accepiſſe majorem natu, & poſtea minorem, ne turberis, neque ſecundum ſtatum qui nunc eſt, opera quæ tunc facta ſunt judices. Tunc enim quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus vel tribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur.* Ambroſius lib. I. de Abraham cap. IV. ejus polygamiam excuſat primum, quia *nondum interdictum adulterium videbatur*, quo in loco polygamiam appellat *adulterium* lata ſignificatione, ut efficacius abſterreat catechumenos a pellicatu. Deinde excuſationem hanc profert, quod Abraham ancillæ contubernium quæſierit, *non ardore aliquo vagæ libidinis, ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ ſobolis.* Tertiam quoque affert excuſationem ex Apoſtolo, quoniam *illa quæ geſſit Abraham ut de ancilla ſuſciperet ſobolem, in figuram facta ſunt, & ſecundum allegoriam dicta*, ut ſcilicet ſignificarentur duo Teſtamenta, & duo populi, Judæorum & Chriſtianorum. Idem non uno in loco docet S. P. Auguſtinus, ac præſertim lib. XVI. de Civit. Dei cap. 25. & lib. XXII. contra Fauſtum cap. 30. & 47. *Nullo modo*, ait priori in loco, *eſt inurendum de hac concubina*, ideſt Agar, *crimen Abrahæ; uſus eſt ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem.* Altero in loco vellicans Manichæos, qui nuptias damnabant, *Non igitur Abraham*, inquit, *prolis habendæ inſana cupiditate flagrabat, ſed Manichæus prolis devitandæ inſana vanitate delirabat. Proinde ille naturæ ordinem ſervans, nihil humano concubitu agebat, niſi ut homo naſceretur: iſte perverſitatem fabulæ obſervans, nihil in quolibet concubitu timebat, niſi ne Deus captivaretur.* In tertio tandem loco ſermonem inſtituens de Jacob ita Doctor præſtantiſſimus loquitur: *Jam vero filio ejus Jacob quod pro ingenti crimine quatuor objiciuntur uxores, generali prolocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint; quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur: ſi præceptum, nulla lege prohibebatur.*

Neminem autem movere debet, quod ab Auguſtino Agar *concubina Abrahami* dicatur, ſicuti illam quoque appellarunt Tertullianus de Monogamia cap. 6. & Leo Magnus ep. ad Ruſticum cap. 4. *Concubinæ* enim vocabulum non inepte tribuebatur *ſecundariis uxoribus*, quod non eſſent ea dignitate, qua uxor prima, nec filios gignerent paternorum bonorum hæredes, atque ad prolis generationem, non ad familiæ regimen ducerentur. Atque hinc eſt, quod Hebræorum doctiſſimi Joſephus, & Philo, tametſi agnoſcant Patriarcharum polygamiam, nuſquam tamen ſecundarias illorum uxores alio nomine vocant, quam *concubinas*. Vide adnot. in novam Operum Ambroſii editionem tom. I. pag. 290.

At enim Sadducæos olim, poſtea Calvinianos traxerunt in contrariam ſententiam duo Scripturæ loca, Levitici XVIII. 18. & Deut. XVII. 17. Primum enim juxta Hebraicum textum, אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ לֹא תִקָּח ita vertendum eſſe contendunt, *Mulierem unam ad alteram ne aſſumito*, alterum vero, לֹא יַרְבֶּה נָשִׁים, *Non multiplicabit uxores*. Adde repugnare *polygamiam* ſubſtantiæ conjugiorum, in quibus eamdem poteſtatem, quam habet vir ſupra corpus mulieris, habet mulier in corpus viri, ut docet quoque S. P. Auguſtinus lib. I. de Adult. conjug. cap. 8. unde infert Eſtius in diſt. XXXI. ſect. 5. *polygamiam* illicitam eſſe ſpectato jure conjugali, quia tam uxori, quam viro fit injuria, quando alii cuique traditur alterius corpus.

Verum ut Sadducæi, ita Calviniani turpiſſime allucinantur. In primo enim textu vocabulum hebraicum אֲחֹתָהּ recte in Vulgata noſtra redditur *ſororem ejus*, ut habent quoque verſiones Chaldaica, Samaritana, Syriaca, Græca, Arabica, tom. I. Polygl. pag. 484. exigitque fatentibus Catholicis omnibus, necnon hæreticis initio productis, ac Druſio, Grotio, Fagio, aliiſque, hebraicæ linguæ proprietas. In alio autem loco non pluralitas, ſed nimia uxorum multitudo regibus prohibetur, & optime, atque cohærenter ad verſiones alias Vulgata, *Non habebit uxores plurimas*, ſiquidem & in Hebraico textu repetitur, וְלֹא יַרְבֶּה מְאֹד, *Et non multiplicabit valde*. Non enim ut animus luxuria difflueret, ſed ut filii procrearentur, permittebatur polygamia. Eſt autem monitum Plutarchi in Vita Lycurgi, & in libello de Garrulitate, nimio uxorum numero gignendi vim enervari: quod confirmat exemplum Salomonis, qui ex ſeptingentis reginis uxoribus, & concubinis trecentis marem unicum Roboamum, duaſque femellas Eraphet, & Baſemas legitur ſuſcepiſſe. Quod vero de jure conjugali, & de poteſtate uxoris dictum eſt, diluitur ex prima propoſitione, in qua oſtendimus ex *polygamia virili*, ideſt conjugio plurium virorum cum unica muliere lædi finem connubii primarium, & ſobolis propagationem: quod non evenit in conjugio plurium uxorum cum uno viro. Eſt itaque inter unam & alteram *polygamiam* diſpar ratio. Præterea circa poteſtatem unius conjugis in corpus alterius dici poteſt ſupremum Dominum Patriarchis poteſtatem feciſſe diſponendi de ſuo corpore per novum contractum, non diſſoluto priori, ut diximus volum. II. pag. 180. Non enim aliud aſſeritur in cap. *Gaudemus*, De divortiis, ubi Patriarcharum *polygamia* excuſatur a crimine adulterii, quod fuerit *divina revelatione conceſſa*, eo modo, quo excuſantur Iſraelitæ a furto, & Samſon ab homicidio. Idem hebræis perſuaſum fuit; nam Joſephus lib. I. Antiq. cap. 10. num. 4. ſcribit Abrahamum duas accepiſſe uxores, τῷ Θεῷ κελεύσαντος, *Deo præcipiente*: fuitque hoc præceptum, ut puto, ne liberis & promiſſo ſemine carerent, intima perſuaſio. Ne plura addamus, Abraham, Jacob, David, Elcana, Joas, aliique polygami plurimum in ſacris litteris commendantur, neque uſpiam reprehenduntur ob uxorum pluralitatem; quod ſufficit ad Sadducæos hæreticoſque refutandos.

PROP. IV. In lege Evangelica nequit cum pluribus ſimul uxoribus iniri conjugium.

Spectat hæc theſis ad fidem; nam Tridentina Synodus ſeſſ. XXIV. edidit hunc canonem n. 2. *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit.* Probatur autem primo ex Matth. XIX. ubi Chriſtus matrimonium revocans ad primæ inſtitutionis perfectionem inquit: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ex quibus verbis Innocentius III. cap. *Gaudemus*, De divortiis, hanc illationem deducit: *Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu circa matrimonium reprobandam.* Demonſtratur quoque auctoritate Patrum; qui, ut diximus propoſitione præcedenti, ita *polygamiam* Patriarchis conceſſam docent, ut nunc prorſus vetitam eſſe pronuntient: unde Innocentius I. epiſt. 9. inquit: *Secundæ mulieris conjugium, priori ſuperſtite, nullo modo poteſt eſſe legitimum.* Huc facit, quod Eccleſia eum, qui per verba *de præſenti* contraxit cum una, & poſtea duxit alteram, eamque cognovit, compellit, ut ab hac ſeparatus redeat ad primam, & illam ſolam tanquam legitimam uxorem habeat. Vide cap. *Licet*, De ſponſa duorum. Tandem æquum erat, ut in lege Chriſtiana, quæ eſt ſpiritalis, ceteriſque perfectior, ſegregarentur conjugia ab illis incommodis, quæ ſecum affert polygamia, atque ad priorem originem gratia quoque ſuperaddita revocarentur: ideoque Nicolaus I. ad Conſulta Bulg. num. 51. ait: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipſa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Chriſtianorum ulla permittit.*

His videntur obſtare exempla imperatorum Chriſtianorum Valentiniani, Conſtantii, & Lotharii, qui ſimul uxores duas habuerunt. Cap. itidem *Quod propoſuiſti*, XXXII. q. 7. in quo Gregorius II. cuidam permittit, ut propter diuturnam prioris uxoris ægritudinem contrahat cum alia. Demum quod etiamnum, ſicut in lege Moſaica, concupiſcentia vigeat, & fidelis populus longe lateque ſit propagandus.

Sed hæc nullius ſunt momenti. De Valentiniano enim, ejuſque lege dictum eſt ſupra: Conſtantius Arianus fuit: Lotharius cum pellice a Nicolao I. communione privatus, cap. *An non*, XXXIV. q. 3. Ægritudo, de qua in cap. *Quod propoſuiſti*, erat impedimentum dirimens *impotentia*, ac præterea Gregorii reſcriptum a compluribus dubium, ac ſuppoſititium exiſtimatur. Ad fornicationem denique vitandam Apoſtolus I. ad Corinth. VII. 2. uxorem unam permittit: neque explendæ libidinis cauſa plures in lege veteri ducebantur, ſed gratia dumtaxat poſterorum; qui non ſemine & generatione carnali, ſed regeneratione ſpiritus ad legem pertinent Evangelicam.

PROP. V. Soluto cum priore uxore per mortem, aut alia de cauſa conjugio, fas eſt aliam ducere, eademque ratione tertiam, & quartam, &c.

Agedum nunc *de polygamia ſucceſſiva*: quam haud eſſe illicitam, evidenter demonſtrat Apoſtolus I. ad Corinth. VII. 39. his verbis: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino.* Quæ verba explicans S. Joannes Chryſoſtomus hom. XIX. *Quid eſt, in Domino*, inquit? *Cum temperantia, cum honeſtate.* τί δέ ἐστιν ἐν κυρίῳ; μετὰ σωφροσύνης, μετὰ κοσμιότητος, & infra, *In primis, & ſecundis nuptiis illam*, honeſtatem, *perſequamur*, ἐν πρώτῳ γάμῳ καὶ ἐν δευτέρῳ ταύτην μεταδιώκωμεν. Hinc theſis confirmatur auctoritate Patrum; & Chryſoſtomo accedit Ambroſius, qui de Viduis cap. 2. n. 10. ait: *Secundas nuptias Apoſtolica præcepta non damnant*; & cap. XI. n. 68. *Non prohibemus ſecundas nuptias*: Hieronymus epiſt. 27. ad Marcellam, *Non ſecundas nuptias*, inquit, *concedimus, Paulo jubente ut viduæ adoleſcentulæ nubant*, & epiſt. 91. ad Ageruchiam, *Damnamus ſecunda matrimonia? Minime, ſed prima laudamus. Abjicimus de Eccleſia digamos? Abſit, ſed monogamos ad continentiam provocamus*, atque epiſt. 30. ſive Apologia pro libris ſuis adverſus Jovinianum,

num, *Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Eccleſia digamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto & ſexto & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere: ſed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miſeriæ ſunt, non laudes continentiæ.* Augustinus denique in libro de Bono viduitatis cap. XII. n. 15. *De tertiis, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis ſolent homines movere quæſtionem: unde ut breviter reſpondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre.* Adde Eccleſiæ definitiones; Synodus quippe Nicæna can. 8. adverſus Catharos definivit *digamis eſſe communicandum*. Secundas nuptias permitti ab Apoſtolo definierunt Urbanus III. cap. *Super illo*, & Innocentius III. cap. *Cum ſecundum Apoſtolum*, IV. Decret. tit. 21. & Eugenius IV. in decreto pro Armenis, in quo hæc leguntur: *Declaramus non ſolum ſecundas, nuptias, ſed etiam tertias & quartas, atque ulteriores, ſi aliquod canonicum impedimentum non obſtat, licite contrahi poſſe.*

Tria autem ſunt, quæ præſertim catholicæ huic poſitioni adverſantur: ac primum eſt, quod veteres ita *polygamiam* inſectantur, ut Baſilius in Epiſt. ad Amphil. can. 4. tertias nuptias non matrimonium appellaverit, ſed *caſtigatam fornicationem*, & Auctor Conſtitut. Apoſtol. lib. 3. cap. 2. *indicium intemperantiæ*. Alterum quod digami *irregulares* habeantur, nec poſſint ad ſacros ordines promoveri, ut colligitur ex Apoſtolo I. ad Timoth. 3. affirmatque Tertullianus lib. I. ad Uxor. cap. 7. Epiphanius Hæreſi LIX. num. 9. Hieronymus præcitata ad Ageruchiam epiſtola; quod & conſtat ex Apoſtolico canone 17. aliiſque permultis apud Gratianum diſt. 24. & in I. Decretal. tit. 21. Tertium, quod ſecunda conjugia celebrari non debent cum benedictione Sacerdotali, ut habetur capp. *Capellanum*, &, *Vir autem*, De ſecundis nuptiis.

Ad hæc autem facillimum eſt reſpondere: Patres enim *monogamiam* commendant, & repetita conjugia non laudant propter incontinentiam nubentium, non propter honeſtatem nuptiarum. At digami *irregulares* ſunt propter ſacramenti defectum, ut inquit Innoc. III. cap. *Debitum*, de Bigamis, non quod ſecundæ nuptiæ non ſint ſacramentum, aut bigamus adhærendo uxori ſuæ non ſignificet Chriſti cum Eccleſia unionem, ſed quia hanc ſecundæ non æque repræſentant ut primæ nuptiæ, *quoniam bigamus non eſt unus unius*, inquit eo loci Innocentius. Scripſerat antea Auguſtinus de Bono conjugali cap. XVIII. num. XI. *Propter ſacramenti ſanctitatem, ſicut femina etiamſi catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt baptiſmum inter Dei virgines conſecrari, ita non abſurde viſum eſt eum qui excesſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quamdam ſacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.* Quæ verba habentur in cap. *Acutius*, diſt. XXVI. num. 2. Ob eamdem rationem, aut potius quia ſolemnis benedictio *iterari non debet*, ut inquit Urbanus III. cit. cap. *Vir autem*, ſecundæ nuptiæ cum ſolemni benedictione minime celebrantur. De *polygamia* hactenus: progrediamur nunc ad

CAPUT XII.

In quo agitur de indiſſolubili nexu, & firmitate conjugii.

SI per varias hominum conſuetudines legeſque vagemur, non ſemel legitimæ uxores invenientur repudiatæ & a viris dimiſſæ. Principio enim obtinuit repudium apud Macedones, alioſque Græcorum: nam Juſtinus lib. IX. ſcribit a Philippo ductam in matrimonium Cleopatram *expulſa Alexandri matre Olimpiade*, & Demoſthenes Orat. I. contra Onetorem ait, repudium ſcribi ſolitum *apud Archontem*. Romani quoque uxores aliquando repudiarunt *ob illarum moroſitatem & ſterilitatem*, juxta legem XII. Tabularum: quamquam *per ſexcentos fere annos* ab V. C. nullum apud Romanos contigiſſe repudium, ſcribit Tertullianus in Apolog. cap. 6. idque confirmatur teſtimonio Valerii Maximi lib. II. cap. I. & A. Gellii lib. IV. cap. 3. qui narrant primum omnium uxorem repudiaſſe Sp. Carbilium, cui Ruga cognomentum fuit. Neque ad nutum viri nuptæ dimittebantur, ſed apud Cenſores legitimæ cauſæ jurejurando erant comprobandæ, & connubia tabulis firmata, tabulis tantummodo ſolvebantur. Repudii formula hæc apud Romanos erat, *Res tuas tibi habeto. Res tuas tibi agito. Conditione tua non utor*: ad quam formulam animum intendens in Amphitr. ait Plautus,

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas,

& in quodam epigrammate Martialis lib. X. num. 41.

Menſe novo Jani veterem Proculeja maritum
Deſeris, atque jubes res ſibi habere ſuas.

Judæis quoque repudium fuiſſe permiſſum conſtat ex cap. XXIV. Deuteronomii: repudiare autem uxorem ſuam non poterant, niſi dando ei libellum, quem Hebræi appellant *Sepher Cheritut*, ספר כריתות, Græci *βιβλίον ἀποστασίου*, quorum utrumque Latine dixeris *ſchedam abſciſſionis*. Ejus formam, ritumque continet pars tertia *Miſchnæ* libro V.

גיטין, *Gitin*; necnon XXX. Volumen Theſ. Antiquitatum ſacrarum, in quibus colligendis exornandiſque ſedulam impendit operam Blaſius Ugolinus, pag. 415. Viris tantum repudiare uxores permiſſum erat, non uxoribus viros: unde Salomem, quæ libellum repudii miſit Coſtobaro, non feciſſe *κατὰ τοὺς Ἰουδαίων νόμους*, *juxta Judæorum leges*, ſcribit Joſephus lib. XV. Antiq. cap. 7. n. 10. Hac in re non conveniunt Theologi, num per libellum repudii uxore dimiſſa, fas eſſet novum inire matrimonium: affirmant quippe Bellarminus De matrim. cap. 17. Sanchez lib. 2. diſput. I. noſter Poncius lib. 7. cap. 50. atque ex junioribus Du-Hamel cap. 3. ac Tournely q. 5. art. 2. Sed Bellarmino ipſo fatente, *ſententia communior Magiſtri diſt. 33. libri IV. & ibidem Bonaventuræ, Richardi, Dominici a Soto, & aliorum id habet, ut illicitum ſemper fuerit, ſed permiſſum tamen ut impune fieret, cauſa majoris mali vitandi*; atque idem ſentiunt Eſtius in eamdem diſt. 33. §. 9. Sylvius in q. 67. Supplem. art. 1. Florentius de Cocq. ſect. 12. Cardinalis Gotti q. 5. dub. 2. Vanroy cap. V. q. 4. & Le-Drouin lib. IX. cap. V. q. 4. Nutat in utramque partem q. 3. Aurelius Petrus. Quidquid ſit de illa Hebræorum lege, adhærendum eſſe uxori ſuæ, nec dimittendam niſi ob fornicationem, atque dimiſſam quoque non poſſe ad alia vota tranſire, docet Chriſtus Matt. XIX. Sed hinc oritur quæſtio inter nos, & hæreticos, Græcoſque plurimos agitata, an per adulterium ſolvantur conjugia; cui accedit altera, an diſſolvantur ſaltem per monaſtica vota, ſive per religioſam profeſſionem. Igitur in his tribus quæſtionibus, num per libellum repudii matrimonium diſſolveretur, num illius vinculum abrumpatur propter adulterii crimen, num ſaltem per profeſſionem ſolemnem, immorandum eſt aliquantulum: hinc enim facile inferri poteſt quid de legibus paullo ſupra commemoratis ſit aſſerendum.

PROP. I. Per libellum repudii non ſolvebatur vinculum prioris conjugii, neque fas erat Judæis cum alia uxore contrahere; ſed hoc illis Moyſes indulſerat *propter cordis duritiam*, & ne exoſas mulieres inteſtino odio proſequerentur, vel morte afficerent.

In hanc ſententiam, ut Bellarminus fatetur, communiorem, Chriſti verba Matthæi XIX., eximiorum Patrum expoſitiones, atque probabiliora momenta nos trahunt. Phariſæis Dominum interrogantibus, an fas eſſet *uxorem dimittere quacunque ex cauſa*, reſpondit id repugnare inſtitutioni matrimonii, ejuſque vinculo, quoniam Deus *maſculum & feminam conjungens*, oſtendit *ſecunda vitanda conjugia*, & maſculum unum, unamque feminam condidit, & connubio ligavit, *ut unius conjugis conſortio adhærerentur*. His addidit Chriſtus: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ideſt, *Si Deus conjunxit unam faciendo carnem viri, hanc homo non poteſt ſeparare*. Reponentibus autem Judæis, *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* ſubjecit Salvator: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, ideſt: *Numquid poteſt Deus ſibi eſſe contrarius, ut aliud antea juſſerit, & ſententiam ſuam novo frangat imperio? Non ita ſentiendum eſt: ſed Moyſes cum videret propter deſiderium ſecundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores eſſent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere diſcordiam, quam odia & homicidia perſeverare.* En aperte *Repudium*, etſi illicitum, permiſſum a Moyſe ad homicidia, & odia evitanda. III. Neque violenta eſt hæc interpretatio, ſed plana, & magni Hieronymi contexta verbis. Conſonat Chryſoſtomus homilia 63. in Matthæum, ubi ait, Dominum totam Phariſæorum accuſationem in caput eorum convertiſſe, demonſtrando *præter naturam, & contra legem eſſe repudium: præter naturam quidem, quia una caro efficitur, contra legem autem, quia cum Deus conjunxerit, & juſſerit non ſeparari, ipſi contra præcepta Dei facere auſi ſunt.* Addit in Catena Corderii pag. 263. *Dominus omnes eorum impetus ſubmovens defenſionem Moyſis ſuſcipit, affirmans nil eum ſtatuiſſe contrarium Deo, ſed protervia male morati populi coactum permiſiſſe bene rem non bonam, metu majoris mali.* Iſidorus item in altera Catena ejuſdem Auctoris pag. 611. *Non tantum non excuſavit Moyſen, ſed inſuper etiam defendit, crimen in illos convertens, per quos etiam ipſe coactus eſt quod naturam decebat negligere, ac permittere ut conſentientem dimitterent, melius eſſe ducens eam dimittere, quam occidere.* Similis Theophylactus pag. 110. S. P. Auguſtinus de Bono conjugali cap. 8. num. 7. commemorata conſuetudine Gentilium repudio utentium ſine reatu aliquo ultionis humanæ. *Cui conſuetudini* (inquit) *ſimile aliquid propter Iſraelitarum duritiam videtur permiſiſſe Moyſes de libello repudii: quæ in re exprobratio, quam approbatio divortii magis apparet:* & cap. 18. num. 21. *Itaque ſicut duobus* (maritis) *pluribuſve ſervire, ſic a viro vivo in alterius tranſire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit.* Vide & librum XIX. contra Fauſtum cap. 26. de quo infra. Ex his apparet, quantum ſententia noſtra ad Patrum mentem accedat, maxime quod Bellarminus, aliique adverſarii neminem pro ſe hactenus laudarunt, niſi forte Auctorem Operis imperf. in Matth. hom. 32. quem non eſſe Chryſoſtomum,

Digitized by Google

mum, ſed hominem Arianum norunt omnes. Laudat quidem Bellarminus Sanctum Thomam, Scotum, Durandum, & Paludanum in iv. diſt. 33. aliosque nonnullos, ſed minime negat ſententiam hanc eſſe *communiorem*. Thomas præterea eo loci utramque cenſet probabilem; ſed libro iii. contra Gentiles cap. 123. & 1. 2. q. 105. art. 4. necnon q. 108. art. 3. noſtram amplectitur, ut demonſtrat Franciſcus Sylvius. III. Nec deſtituimur præſidio rationis. Quæ enim cauſa afferri poteſt, ob quam Deus adverſus matrimonii inſtitutionem legemque naturæ repudium cohoneſtaret, atque licitum eſſe ſtatueret? Nulla quidem: ſobolis namque propagationi ſatis conſultum fuit permiſſe *polygamia*; duritia autem Judaica Deum ad malum approbandum movere non poterat. Adde quod mulier poſt repudium alteri viro nupta Deut. xxiv. 4. dicitur *polluta & abominabilis coram Domino*: quæ verba de ſola *pollutione legali* nequeunt accipi, cum ſimili phraſi apud Ezechielem xxxiii. 26. pollutæ dicantur adulteræ, & Jeremias iii. 2. repudiatam comparet fornicariæ.

Opponunt nullum eſſe præceptum niſi de re honeſta: repudium autem juberi Deut. xxiv. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua*. Malachiæ ii. 16. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael*, & Matth. xix. 7. *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?*

At præclara eſt reſponſio Auguſtini citato in loco adverſus Fauſtum: Non ait, *Qui voluerit, dimittat uxorem ſuam, cui eſſet contrarium non dimittere: ſed utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interpoſuit moram, ut in diſcidium animus præceps, libelli conſcriptione refractus obſiſteret, & quid mali eſſet uxorem dimittere cogitaret*. Addit S. Pater libellum repudii conſcribendum a legis interpretibus, ut diſcidii eſſent diſſuaſores, atque inter virum & uxorem pacifice agendo dilectionem ſuaderent. Verbo dicam, præceptum non ad uxoris dimiſſionem ſpectat, ſed ad conſcriptionem libelli. Malachiæ autem verba hæc ſunt: *Uxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere: cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael; operiet autem iniquitas veſtimentum ejus*, ſcilicet, ſi facultate tibi e lege permiſſa uſus fueris, non tamen culpa vacabis: unde lxx. ἀλλὰ ἐὰν μισήσας ἐξαποστείλῃς, καλύψει ἀσέβεια ἐπὶ τὰ ἐνθυμήματά σου, *Sed ſi odio habens dimiſeris, operiet iniquitas ſuper cogitationes tuas*. Sequitur idcirco Propheta, *Cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere*, nempe uxorem: *Etiamſi pauper ſit, aut deformis*, inquit in hunc locum Hieronymus.

Opp. 2. Sacerdotibus tantum Levit. xxi. 7. prohibetur eam ducere, *quæ repudiata eſt a marito*: id ergo aliis fas erat. Et revera ubinam lex vetus lata ad peccatum redarguendum id prohibet? Nonne etiam Abraham repudiavit uxorem ſuam Agar?

Reſp. hæc nullius eſſe momenti: Sacerdotibus enim non permittebantur quæ in aliis tolerari poterant, quia erant in ſublimiori gradu conſtituti, ſive, ut legitur eodem verſu Levitici, *conſecrati Deo ſuo*. Ne ducerentur repudiatæ, non expreſſe Moyſes prohibuit, quoniam ea tali prohibitione nullam correctionem ſperare poterat, inquit ſanctus Thomas q. 67. Supplem. art. 3. id tamen ratione aliqua prohiberi conſtat cap. iii. Jeremiæ, & 2. Malachiæ, imo Deut. 24. ubi mulier repudiata dicitur *polluta & abominabilis coram Domino*. Agar denique divortio, non repudio, fuit ab Abraham ejecta. Ajunt probabile non eſſe, Agar deinde fuiſſe cœlibem: ſed hoc illius incontinentiæ, ſi accidit, tribuendum eſt. Inquiunt, viros poſt repudium uxoris cum alia licite contraxiſſe: verum id non ex ſolutione matrimonii, ſed ex permiſſione *polygamiæ* maribus conceſſum erat. Aſſerunt poſtremo nuptas poſt viri repudium non fuiſſe tamquam adulteras lapidibus obrutas: et id recte, quoniam *propter duritiam* Judæorum tolerabantur conjugia repudiatarum, & lex jubebat eas lapidari, quæ vel abſque conjugio, vel abſque ſpecie conjugii maſculis ſuccumbebant.

PROP. II. In Evangelica lege non diſſolvitur per adulterium nexus & vinculum matrimonii.

Catholicam hanc theſim S. P. Auguſtinus libro 1. de Adult. conjugiis demonſtrat primum Scripturarum ſanctarum auctoritate: atque initio producit verba Apoſtoli 1. ad Corinth. vii. 10. 11. *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat*. Quæ verba nequeunt accipi de muliere, quæ e viro diſceſſit abſque cauſa fornicationis, quoniam *ſi nullam vir ejus cauſam fornicationis habuerit*, non diceret Apoſtolus, *eam diſcedentem manere innuptam*; ſed mandaret, *ne omnino diſcederet*, ſiquidem ob ſolam fornicationem viro fas eſt uxorem dimittere, Matt. xix. 9. Hoc argumentum tractat S. P. cit. lib. 1. uſque ad num. 10. Addit iſtic, quæ leguntur apud Marcum x. 11. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*; atque apud Lucam xvi. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur*. Quo in loco aperte aſſeritur nulli prorſus fas eſſe alterius nuptam ducere, etiam ob fornicationem dimiſſam: unde allato Lucæ textu, *Quid ergo nos ſumus* (inquit Doctor maximus) *ut dicamus, Eſt qui mœchatur, uxore ſua dimiſſa alteram ducens, & eſt qui hoc faciens non mœchatur, cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit?* Atque his S. Pater explicat ſubobſcurum Matthæi locum, de quo infra.

Priuſquam enim ad objecta procedam, theſis probationibus aliis firmanda eſt; atque poſt ſcripturarum teſtimonia audiendi ſunt Patres. Ex Græcis Hermas cognomento Paſtor libro ii. mandato 4. hæc habet: *Si ſcierit vir uxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione ſua, & convivit cum illa, reus erit peccati ejus, & particeps mœchationis ejus.... Quod ſi dimiſerit mulierem, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur*. His verbis refellit Chemnitium, & Novatores alios audacter aſſerentes quæſtionem hanc poſt Auguſtini tempora *horridius diſputari*, obſervat eruditus Nicolaus Le Nourry in Apparatu ad Biblioth. PP. diſſert. iv. art. 24. S. Baſilius in lib. De Virginit. pag. 755. *Non audis*, inquit, *quoniam qui dimiſſam duxerit mœchatur? Etſi enim, ait, pro culpa dimiſſa eſt, vivit tamen vir ejus*: οὐκ ἀκούεις δὲ ὅτι καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμῶν μοιχᾶται; εἰ γὰρ καὶ ἀπολέλυται, φησὶ δι' αἰτίαν, ἀλλὰ ζῇ αὐτῆς ὁ ἀνήρ. Nazianzenus Carmine 2. Billio interprete inquit:

Femina non parva mercatur dote maritum,
Quodque etiam gravius, vitioſum ſæpe, & ineptum:
Rurſus emenda viro conjunx, nec moribus illa [illegible]
Prædita ſæpe bonis, quæſita attractaque peſtis,
Peſtis, quam nulla liceat ratione fugare.

Chryſoſtomus Hom. xvii. in Matthæum ait, *Expulſa quoque uxor eſſe ejus, qui eam expulit, perſeverat*. καὶ ἐκβληθεῖσα μένει τοῦ ἐκβεβληκότος οὖσα γυνή. At plura ex Græcis Patribus Arcudius lib. vii. Concordiæ cap. 13. Latini quidem hanc doctrinam expreſſius tradiderunt. Hieronymus enim in Commentariis ad caput 19. Matthæi exponens ea verba, *Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, ait: *Sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam prima vivente non habeat*; infra: *Et quia meretrix, & quæ ſemel fuerat adultera, opprobrium non timebat, ſecundo præcipitur viro, quod ſi talem duxerit, ſub adulterii ſit crimine*. Et Epiſtola 84. alias 30. ad Oceanum peccaſſe fatetur Fabiolam, *quod repudiato marito*, adultero quidem, & qui ſe ſcorto vilique mancipio miſcuerat, *non innupta permanſerit*; tametſi eam excuſat, quod adoleſcentula eſſet, & civilibus legibus permitteretur repudium, ſcribens: *Igitur & Fabiola, quia perſuaſerat ſibi, & putabat a ſe virum jure dimiſſum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi univerſa cauſſatio, viventibus viris, feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit*. Hac de cauſa Fabiola poſt mortem ſecundi viri in ſemet reverſa egit publicam pœnitentiam, quam in eadem Epiſtola Hieronymus ornate deſcribit. Vide tom. iv. pag. 658. Innocentius I. in Epiſt. ad Exup. cap. 6. *De his*, inquit, *requiſivit dilectio tua, qui intervenienti repudio, alio ſe matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt: qui ergo, vel quæ viro vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, nec poſſunt adulteri non videri, ſecundum illud quod legimus in Evangelio, Qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur; ſimiliter & qui dimiſſam duxerit, mœchatus; ideo tales a communione fidelium volumus abſtinendos*. Auguſtini mens ex dictis dignoſcitur, ac legi ulterius poteſt lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 26. de Bono conjugali cap. 7. lib. 1. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 10. aliiſque in locis, quæ collegit Torrenſis lib. 3. Confeſſ. Auguſtin. cap. 12. n. 7. Omitto brevitatis cauſa alios Patres, tertio loco propoſitionem auctoritate canonum demonſtraturus.

Canones pro hac ſententia permultos laudant Coccius in Theſauro lib. ix. art. 3. Cotelerius in Adnotationibus ad PP. Apoſtol. tom. 1. pag. 88. & JCC. in cap. *Quæſivit*, De divortiis. Paucos proferam. Milevitana ii. Synodus, cui S. P. Auguſtinus interfuit an. 416. canone 17. inquit: *Placuit, ut ſecundum Evangelicam, & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito alteri conjungatur*. Triburienſis an. 895. can. 46. de muliere adultera, & a marito divulſa, ait: *Maritus vero, quandiu ipſa vivat, nullo modo alteram ducat*. Florentina in Inſtruct. Arm. an. 1439. *Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit*. Demum Tridentina an. 1563. ſeſſ. xxiv. canone vii. *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimiſſo adultero alii nupſerit; anathema ſit*.

Addo aſſertionem hanc humana ratiocinatione firmari; incommoda enim plura ex oppoſita ſententia promanant; ac pri-

Digitized by Google

æ primo illud, quod improbis viris præberetur occaſio pro legitima conjuge adulteram intrudendi. Audiatur Hieronymus citato loco in Matth. *Quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam prima vivente non habeat*. Conſimilia habet Auguſtinus lib. 2. de Conjugiis adult. cap. XVII. n. 18. Incommodum alterum eſt, nam poſt fornicationem alio inito matrimonio, pro matre adhuc vivente filiis proponeretur noverca; quam injuſtam, ſævamque merito appellat Ecl. 3. & 2. Georg. Poeta. & quali in privignos interdum ſit animo, commonſtrant Conſtantinus Heraclii filius, Eduardus II. Rex Anglorum, Sigiſmundus Rex Burgundiæ, aliique hujuſmodi mulierum odio in exitium adducti. Quare Ambroſius lib. VIII. in Lucam n. 6. inquit: *Paterisne, oro, liberos tuos vivente te eſſe ſub vitrico, aut incolumi matre degere ſub noverca? Pone, ſi repudiata non nubat. Et hoc viro tibi debuit diſplicere, cui adultero fidem ſervat? Pone, ſi nubat. Neceſſitatis illius tuum crimen eſt, & conjugium quod putas, adulterium eſt*. Hæc poſtrema verba incommodum innuunt alterum; nam ſi mulier dimiſſa nubat, cedit hoc in prioris viri crimen & dedecus. Adde quod ſi adultera eſt, tranſitque ad alterius amplexus, videtur ex perpetrato ſcelere commodum reportare.

Opp. 1. Apud Matth. XIX. 9. ait Dominus: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & alium duxerit, mœchatur*. Cauſam ergo fornicationis interpoſuit, ob quam ſicut fas eſt uxorem fornicariam dimittere, ita licet dimiſſa fornicante aliam ducere.

Reſp. nego conſequentiam: exceptio enim illa, *niſi ob fornicationem*, ad præcedens verbum *dimiſerit*, non ad ſubſequens *duxerit*, referenda eſt, ut ſenſus ſit, non eſſe dimittendam uxorem non adulteram, illum autem, qui dimiſſam duxerit, ſive ob adulterium, ſive quacunque ex cauſa dimiſſa ſit, cum aliena pollui & mœchari. Hunc eſſe Matthæi ſenſum demonſtrat S. P. Auguſtinus lib. 1. de Conjug. adul. cap. XI. n. 12. Marci & Lucæ contextu; hi enim Evangeliſtæ, quibus cum Matthæo nulla pugna, nullum diſſidium, ſcribunt adulterium ab eo patrari, qui ab alio dimiſſæ ſeſe copulaverit. Quærentibus ergo, num mœchetur qui duxerit fornicantem a priori viro dimiſſam, *Nonne*, ait Auguſtinus, *ſecundum Marcum reſpondebitur nobis, Quid quæris, utrum ille ſit mœchus, & ille non ſit? Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit. Nonne etiam ſecundum Lucam dicetur nobis, Quid ambigitis utrum ille qui propter cauſam fornicationis uxorem dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur? Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & ducit alteram, mœchatur*. Idem S. Pater proximo n. 13. confirmat ſignificatione illius verbi *mœchatur*, quod eſt; *alienæ miſcetur uxori*, additque, *Porro ſi aliena eſt, hoc eſt, ejus a quo dimiſſa eſt; etiamſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt, nondum dimittentis uxor eſſe ceſſavit*. Libro quoque II. cap. 3. eamdem reſponſionem confirmat ex Apoſtolo ſcribente ad Rom. VII. 3. & 1. ad Corinth. VII. 39. mulierem alligatam eſſe, *quamdiu vir ejus vivit*: ſubjicitque: *Proinde ſi alligata eſt quamdiu vir ejus vivit, nullo modo niſi viro mortuo ſoluta dicenda eſt ab hoc vinculo*. Vide ſupra priorem theſis hujus probationem.

Præterea oppones: Adverſantur aſſertioni noſtræ permulti Patres, Tertullianus lib. IV. contra Marcionem cap. 34. ut ſcribit Maldonatus in caput XIX. Matthæi, Origenes Tractatu VII. in Matthæum, Theodoretus lib. IV. hær. fabularum cap. 6. Apertiſſimus eſt autem locus Epiphanii Hær. LIX. n. 4. *Sed cui mortua una non ſufficit, cum occaſione aliqua ſtupri, adulteriique, aut alterius flagitii cum ea divortium fecerit; is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, ſacrarum litterarum auctoritas eb omni culpa illos abſolvit: neque ab Eccleſia, aut æterna vita rejicit, ſed propter imbecillitatem tolerandos exiſtimat*. Haud ſecus Ambroſius in caput VII. ad Corinthios. Ob horum Patrum auctoritatem Cajetanus, Catharinus, Eraſmus, Launojus, alii, oppoſitæ ſententiæ adhæſerunt.

Reſp. Tertullianum citato in loco affirmare juxta Evangelium dimittendam eſſe uxorem adulteram, ſed ea conditione, ne quis illam dimittat, *ut alium ducat*. Videtur quidem Pamelius adnot. 537. fateri Tertullianum erraſſe: ſed legenda quæ præmittit in *Paradoxis* n. 30. At Origenes aliorum ſententiam recitat, ſubjiciens, *Scio quoſdam, qui præſunt Eccleſiis, extra ſcripturam permiſiſſe aliquos nubere, priori viro vivente. Et contra ſcripturam quidem fecerunt, dicentem, Mulier ligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit*. Cenſet tamen Origenes illos, qui mulieribus permiſerunt nubere, viris adhuc viventibus, eſſe excuſandos, quod minus malum permiſerint, ut majus devitaretur. Hac de cauſa, ut diximus, S. Hieronymus excuſat Fabiolam in Epiſtola ad Oceanum. Theodoretum de ſolutione matrimonii *quoad torum*, non quoad vinculum, accipiendum eſſe contendit Du-Hamel tom. VII. pag. 79. Sane Theodoretus ibi comparationem inſtituens inter veterem legem ac novam, hæc tantum profert tom. IV. pag. 289. *Nova adulterium appellat citra fornicationem repudium*, ὁ νέος μοιχείαν καλεῖ τὸν δίχα πορνείας ἀπολύοντα. Epiphanii locum depravatum eſſe putat in Animadverſ. ad hæreſim Novatianorum pag. 254. Petavius, haud tamen negans illum erraſſe in re nondum ab Eccleſia definita. Et quidem Epiphanius affirmans ſecundas nuptias permitti *occaſione ſtupri, adulterii, & cujuslibet flagitii cauſa*, aſſerit quod nemo unus probare potuit. Verum Nicolaus Le-Nourry ſupra laudatus ait Epiphanium agere de nuptiis poſt mortem conjugis contrahendis, cui opinioni favent ea verba, *Cui mortua una non ſufficit*. Commentaria in Paulinas Epiſtolas falſo adſcribi Ambroſio compertum eſt omnibus. Eraſmus, Launojus, & quicunque oppoſitum tradiderunt, convincuntur ex dictis a veritate aberraſſe.

At rurſus objicies: Eccleſiaſticis quoque definitionibus conſtat ſolvi propter adulterium conjugii vinculum. Nam Arelatenſis I. Synodus an. 314. can. 10. ait: *De his, qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & non prohibentur nubere, placuit, ut in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant*. Ita hunc canonem legendum eſſe demonſtrat loco ſuperius laudato Petavius, non autem, ut quidam Codices habent, *Et prohibentur nubere*; nam ſi prohibentur, non conſilium ad illos coercendos, ſed præcepti neceſſitas adhibenda fuerat.

Reſpondeo nullam me rationem, nullumque codicem adinvenire, quo Petaviana correctio defendi queat. Habent, *Et prohibentur nubere*, Collectiones Conciliorum Binii tom. I. pag. 221. Harduini pag. 265. Philippi Labbei pag. 1428. poſtrema Veneta pag. 1452. Ita pariter legitur apud Ivonem lib. VIII. cap. 258. Quare hoc Arelatenſi canone, quemadmodum Illiberitano 9. ſeu cap. *Fidelis*, XXXII. q. 7. aliiſque innumeris Catholica poſitio magis firmatur. Idcirco autem non præcepti rigore, ſed conſilio potius & hortatione utitur Arelatenſe Concilium, quoniam per leges Imperatorum licebat poſt repudium alia inire connubia; nec Patribus videbatur tunc temporis opportunum, ea damnando invidiam ſibi conflare, & ciere tumultus. Alia aderat cauſa, quod nempe hæc quæſtio implicata adhuc, & ita obſcura videbatur, ut *venialiter* fallerentur nonnulli, prout in libro de Fide, & Operibus cap. XIX. n. 34. ait Auguſtinus.

Objicies ulterius: Igitur principibus Chriſtianis viſum eſt conjugia adulterio diſſolvi; & revera extant hujuſmodi leges in Codice Juſtiniani lib. V. de Repudiis tit. 17. & lib. IX. de Adulteriis tit. 9. & in Codice Theodoſ. lib. III. tit. 16.

Reſp. 1. Imperatoriis legibus, quibus datur facultas repudii, non ſemper permitti ut aliæ uxores ducantur, ſed ubi jubent, ut a femina repudium mittente probetur maritum ſuum fuiſſe homicidam, vel maleficum, vel ſepulcrorum diſſolutorem, & ne maſculi repudium dent uxori, niſi mœcha ſit, aut medicamentaria, aut conciliatrix, adultera, ſcilicet, venefica, & lena, nimiæ repudiorum licentiæ modum adhibuiſſe. Olim quidem apud Gentiles connubia paſſim diſſolvebantur, unde Juvenalis ſatyra 6.

Ornatas paullo ante fores pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virideis in limine ramos.
Sic creſcit numerus, ſic fiunt octo mariti.

Deinde reſpondeo, non de civilibus, ſed de Evangelica lege a nobis pertractari. Chryſoſtomus enim hom. 19. in 1. ad Corinth. & hom. 5. in 1. ad Theſſalonicenſes conqueritur legibus Romanorum *mœchiam* in viris fuiſſe impunitam. Hieronymus item ad Oceanum ſcribens, & agens de repudio Fabiolæ, *Aliæ ſunt*, inquit, *leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit*: & denique Auguſtinus ſerm. 392. n. 2. *Non vobis licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt; nec vobis, feminæ, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt. Adulterina ſunt iſta conjugia, non jure fori, ſed jure cœli*. Vide & lib. 1. de Nupt. & Concupiſc. cap. 10. & de Bono conjugali cap. VIII. n. 7.

Ulterius oppones: Niſi ob aliam cauſam, ſaltem ob filiorum procreandorum neceſſitatem, dimiſſa uxore adultera, poterunt mariti alteram ducere; quamquam & ad puniendas adulteras id ipſis videatur eſſe permiſſum.

At ad hæc objecta Pollentii reſpondet S. P. Auguſtinus lib. II. de Conjug. adult. cap. XI. & XIV. Ad primum quidem, quod cum alteram ducere, quamdiu vivit dimiſſa uxor, adulterium ſit, fruſtra obtenditur procreandorum cauſa filiorum: nam cauſatio iſta, *etiam non adulteras, ſed caſtiſſimas feminas, ſi forte ſint ſteriles, cogit dimitti, & alteram duci*: quod nullus Catholicorum affirmat. Ad alterum inquit, debere viros peccatricibus præbere miſericordiam, *ut & ipſi pro ſuis peccatis miſericordiam conſequantur: & multo magis hoc eis faciendum eſt, qui dimiſſis uxoribus adulteris cupiunt vivere continenter. Tanto quippe debent eſſe miſericordiores, quanto volunt eſſe ſanctiores*. Sed lege, ac perlege utrumque de Conjugiis adulterinis librum cum altero de Bono conjugali, ad illuſtrandam univerſam de matrimonio tractationem aptiſſimos.

PROP. III. Matrimonium ratum, & non conſummatum, per religioſam profeſſionem diſſolvitur.

Quæ-

Quæſtionem hanc adverſus Novatores definivit Tridentina Synodus ſeſſ. xxiv. can. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum, non conſummatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi; anathema ſit*. Idem antea ſtatuerat Alex. III. cap. *Verum poſt conſenſum*, De converſione conjugat. Ubi ait, *poſt conſenſum legitimum de præſenti licitum eſt alteri, altero ita repugnante, eligere monaſterium, ſicut quidam etiam ſancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodo inter eos carnalis commixtio non intervenerit, &c.* Similia habentur cap. *Ex publico inſtrumento*, & cap. *Ex parte tua*, eodem titulo, necnon cap. *Commiſſum*, De ſponſalibus, & matrim. II. Nec deſunt exempla Sanctorum, quibus id comprobetur, prout legitur cii. cap. *Verum*. Proferuntur hæc a Bellarmino lib. 2. de Monachis cap. 38. ab Eſtio in iv. diſt. 27. §. 4. ab Emmanuele Gonzalez ad tit. 32. libri tertii Decretalium, atque a Hyacintho Serry prælect. 8. Ad rem faciunt exemplum Theclæ, quæ Paulo admonente *copulam fugit nuptialem*, ut ait Ambroſius lib. 2. De Virginibus cap. 3. n. 19. illorum, qui auditis rebus ab Antonio geſtis ad Monaſterium convolarunt, relictis ſponſis, quæ item Deo dicarunt virginitatem, quod a Pontiano audiens S. P. Auguſtinus viii. Confeſſ. cap. 6. ac 7. intus rodebatur ſeipſum appellans *deſertum*, *ſordidum*, *& maculoſum*; Gregoriæ virginis, quam *conſtitutis jam nuptiis* in Eccleſiam fugiſſe, ſcribit S. Gregorius lib. iii. Dialog. cap. 14. Addi poſſet exemplum Joannis Apoſtoli, quem fuiſſe ſponſum in nuptiis Canæ Galilææ tradiderunt nonnulli; ſed refutantur ab Eſtio, & Serry paullo ſupra laudatis, necnon a Baronio, quod inveriſimile videatur voluiſſe Chriſtum nuptias diſſolvere, quando illas benedicendo ſacramentum iſtud inſtituit. Illa de Joanne ſententia, præter Rupertum, Bedam, alioſque interpretes, ac Theologos bene multos, ut inquit in Controverſiis ſelectis Raimundus Capiſucchius contr. 13. videtur aſſertorem habere Hieronymum, ſcribentem lib. 1. adverſ. Jovinianum: *Petrus Apoſtolus eſt, & Joannes Apoſtolus; maritus, & virgo. Sed Petrus Apoſtolus tantum: Joannes & Apoſtolus & Evangeliſta & Propheta*. Hoc tamen in loco *Maritus* ad Petrum, *Virgo* ad Joannem refertur; erratque illius controverſiæ auctor Hieronymum ad ſe trahens. III. Poſitionem hanc non poſſe congrua ratione demonſtrari arbitrantur quidem nonnulli, ut Sotus, & Major. Verum S. Thomas in iv. diſt. 27. q. 1. hanc rationem adducit, quod religio ſit *quædam mors ſpiritualis*: unde ſicut matrimonium conſummatum, per quod conjuges fiunt una caro, diſſolvitur morte corporis; ita matrimonium ratum, quo uniuntur duntaxat animo & voluntate, morte ſpirituali, qua vir religioſus ut Deo vivat, moritur mundo, diſcinditur ac diſſolvitur. Invenio apud Juriſconſultos rationem parum abſimilem. Duo, inquiunt, in vinculo matrimonii ſpectanda ſunt, conjunctio animorum, corporumque commixtio: illa eſt ſymbolum caritatis, qua Deus adhæret juſtorum animæ; hæc vero ſymbolum eſt Incarnationis Chriſti, qua humanam carnem aſſumens factus eſt Eccleſiæ redemptor ac ſponſus. Hinc Innocentius III. cap. *Debitum*, De bigamis, *Conjugium illud*, inquit, *quod non eſt commixtione corporum conſummatum, non pertinet ad illud conjugium deſignandum, quod inter Chriſtum & Eccleſiam per Incarnationis myſterium eſt contractum*. Hinc ſequitur conjunctionem, quam efficit matrimonium ratum, eſſe ſpiritualem; illam, quam facit matrimonium conſummatum, eſſe corpoream, cap. *Omne*, xxvii. q. 2. cumque religioſa profeſſio ſit mors ſpiritualis, cap. *Placuit*, xi. 16. conſequitur quod per ipſam religioſam profeſſionem matrimonium ratum, & non conſummatum diſſolvatur. Addunt, omnem obligationem commutari poſſe in bonum melius, cap. *Pervenit*, de Jurejur. quod præſertim fieri poteſt, ſi inde non conſequatur detrimentum alterius. Id vero in ſolutione matrimonii rati, de qua agimus, adinvenitur: nam unus conjugum tranſit ad ſtatum perfectiorem, alter vero *ad alia vota licentiam habet tranſeundi*, cap. *Ex publico*, De converſ. conjugat.

Plura ex his conſequuntur, quæ adnotatione ſunt digna. Primum, quod ubi in Evangelio legitur, *Non licet viro uxorem ſuam, niſi ob cauſam fornicationis dimittere*, intelligendum eſt de his, *quorum matrimonium eſt carnali copula conſummatum*, ut definitur præcit. cap. *Ex publico*: quod etiam confirmatur ex quo Dominus Matth. xix. 6. ubi agit de matrimonio non ſolvendo, inquit, *Jam non ſunt duo, ſed una caro*, nempe, ob corporum commixtionem. Alterum; quod matrimonium conſummatum, quo conjuges fiunt una caro, profeſſione religioſa dirimi nequeat, uti declaratur cap. *Agathoſa*, xxvii. q. 2. ideoque ſi quis uxore invita monaſterium ingrederetur, deberet cogi ut ad illam rediret, cap. *Quidam intravit*, De converſ. conjugat. & ſi forte profeſſionem fecit, niſi etiam uxor ad religionem tranſierit, aut caſtitatem perpetuo ſervare promiſerit, nec promittere velit, poteſt, ac debet de monaſterio auctoritate Epiſcopi revocari, cap. *Præterea*, eod. tit. Tertium, quod propter eamdem rationem, quia nempe vir & uxor una caro ſunt, non poteſt unus ad Deum converti, & alter in ſæculo remanere, ſed uterque ad religionem migrare, & ad frugem melioris vitæ tranſire debet, aut ſaltem uterque continentiam profiteri, ne fiat conjugalis fœderis proſtitutio, ſed potius deinceps fiat de carnali copula ſpirituale conjugium, capp. *Cum ſis prædictus*, &, *Conjugatus*, ibidem. Poſtremum, quod magnopere cavendum eſt, ne ſub monachalis ſtatus prætextu deſponſata aliqua mulier ab inito connubio reſiliat; ideoque ſi nondum carnaliter ſit cognita, & ad monaſterium migrare voluerit, *infra duorum menſium ſpatium*, aut religionem ingredi, aut ad virum ſuum redire tenetur, juxta prælaudatum cap. *Ex publico*. Plura, quæ huc ſpectant, dicta ſunt præcedenti cap. 6.

CAPUT XIII.

Pertractans de divortiis, ideſt, ſeparatione conjugum quoad torum.

Fornicationis cauſa poſſe conjuges ſeparari, & unum ab altero dimitti, ita ut *non aboleatur confœderatio nuptialis*, prout cap. 7. de Bono conjug. loquitur Auguſtinus, infertur ex præcedenti diſſertatione. Hanc ſegregationem a Latinorum verbo *diverto*, divortium appellant, & eſt unius conjugis ab alio quoad torum divulſio, conjugali fœdere permanente. Poſſe fieri aliquando divortia, inde ulterius probatur, quod ex cap. *Pervenit*, De jurejurando, nemo tenetur debitum ei reddere, qui fidem frangit. Adde inhumanum eſſe, ſi honeſtus ac probus compellatur ad ſervandam individuam conſuetudinem cum illa, a qua honor læditur, & ſacroſanctum connubii jus violatur. Inſuper ſi ſaluti uxoris, & propriæ famæ conſulendum ſit, non expediens tantummodo, verum etiam neceſſum eſt dimittere fornicariam: legitur enim Proverb. xviii. 22. *Qui tenet adulteram, ſtultus & inſipiens eſt*. Etſi vero minus decorum videtur ſi mulier virum, quam ſi vir mulierem a ſe dimittat, quoniam vir eſt *caput mulieris*, 1. ad Corinth. xi. 3. immo uxor cum marito adultero abſque ſcandalo, & nota dedecoris valeat permanere, præſertim ſi tori diviſione non ſperet ejus emendationem; attamen quantum ſpectat ad facultatem divortii, par eſt jus utriuſque, uti apparet ex cap. *Præcepit*, xxxii. q. 5. & cap. *Uxor a viro*, ibidem q. 7. Egregie id probat S. Pater Auguſtinus in primo libro de Conjugiis adulterinis cap. viii. propterea quod Apoſtolus præcitata ad Corinthios Epiſt. cap. vii. 3. 4. ſcribat: *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*. Vide & Hieronymum ubi in Epiſtola ad Oceanum excuſat Fabiolam.

II.

Quoniam ex quinto hujus libri capite manifeſtum eſt, ſpectare cauſas matrimoniales ad forum Eccleſiaſticum, conſequitur ſæcularis Judicis ſententia ſeparari non poſſe uxorem a proprio viro. Id quoque confirmatur ex *Concordato* inter Carolum V. & Epiſcopum Leodienſem: de quo Van-Eſpen p. 2. Juris Eccleſ. tit. xv. cap. 2. num. 25. Quare ſi uxor a viro ſeſe propria auctoritate ſeparaverit, ut ad illum redeat ſententia Ordinarii compelli poteſt. Vide cap. *De illa*, De divortiis, & cap. *Litteras*, De reſtit. ſpoliat. Hoc tamen de ſeparatione conjugum quantum ad torum ſimul, & cohabitationem accipiendum eſt: nam ſolius tori denegare conſortium poteſt pars innocens, non expectata ſententia judicis; cum ipſo jure naturali compertum ſit, fidem ei, qui fidem ſervat, non ei qui illam frangit, deberi: atque id S. Thomas, S. Bonaventura, aliique Theologi graviſſimi tradiderunt in iv. diſt. 35. Quantum vero ad cohabitationem attinet, ubi habetur cap. *Sæculares*, xxxiii. q. 2. ſi mariti, *antequam apud Epiſcopos comprovinciales diſſidii cauſas dixerint, & priuſquam in judicio damnentur, uxores ſuas abjecerint, a communione ſanctæ Eccleſiæ, & populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur*. Quod ſi abſque ullo ſcandalo innocens conjunx ab adultero marito diverterit, tenetur ad hujus querelam aut probare crimen, aut ad ejus contubernium convictumque reverti, prout dictum eſt paulo ſupra.

III.

Præcipuam divortii cauſam eſſe alterius conjugis *fornicationem*, conſtat ex capite præcedenti prop. ii. Fornicationi accedit idololatria, apoſtaſia a fide, atque hæreſis, cap. *Idololatria* xxviii. q. 1. & cap. *De illa vero*, De divortiis. Ibi tamen ſtatuitur, ut niſi alia diſſidii cauſa intervenerit, ac mulier a viro diſceſſerit ut confuſione affectus ab errore ſuo convertatur, *ei cum converſus fuerit reddenda eſt, & etiamſi reverti noluerit, compellatur*. Accedit cauſa alia divortii, quando nempe vir uxorem ad ſcelera trahere nititur; ideoque Alexander III. cap. *Quæſivit*, titulo præcitato de Divortiis, *Mulier*, inquit, *pro furto, vel alio crimine viri ſui, niſi ipſe eam ad maleficia ſua trahere nitatur, & fidei ſuæ religionem corrumpere velit, non debet ab eo ſeparari, nec ei aliqua ratione*

copu-

Digitized by Google

copulari. Verum ſi conjugem ſuam ad maleficium traxerit, mulier a viro recedere poterit, & ſeparari, ita quod ei alii nubere non licebit, quia licet ſeparentur, tamen ſemper conjuges erunt. In viris quoque præſentis ſententia forma ſervetur. Divortii itidem alia eſt cauſa, ſi mulier mariti ſui necem machinata fuerit, vel de illo occidendo cum alio inierit conſilium, & ſi vir machinationem hanc, vel conſilium juridice demonſtraverit, cap. *Si qua mulier*, eodem titulo. Si maritus item adeo ſit ſævus, ut uxorem graviter cædat, & huic trepidanti nequeat *ſufficiens ſecuritas* provideri, ab eo amovenda, eique *ſufficienti ſecuritate proviſa* reſtituenda eſt, ut ait Innocentius III. prælaudato cap. *Litteras*, De reſtitut. ſpoliatorum. Laxiores in divortiis, repudiiſque permittendis fuerunt, ut ſupra diximus, Cæſarum leges. Etenim Conſtantinus Magnus l. *Placet*, tit. 16. libri 3. Codicis Theodoſiani permiſit quoque, ut maſculi dimitterent uxores medicamentarias & conciliatrices, & mulieres viros homicidas, maleficos, & ſepulcrorum violatores, non autem ebrioſos, aleatores, & mulierculavios. Theodoſius autem & Valentinianus L. *Conſenſu*, in Cod. Juſtinian. lib. v. tit. 17. dimitti ulterius permiſerunt ab uxoribus maritos contra imperium aliquid molientes, falſitatis crimine condemnatos, aliquid ſacris ædibus ſubtrahentes, abactos, plagiarios, latrones, & ad ſui contemptum cum impudicis mulierculis coetum ineuntes; a viris autem mulieres illis invitis, aut inſciis, appetentes convivia, foris pernoctantes, ac ſe delectantes Circenſibus vel Theatralibus ludis, ſive ſpectaculis arenarum. Verum juvat cum Hieronymo repetere: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti.*

IV.

At cum Evangelium Matthæi xix. ſolam cauſam fornicationis commemoret, cur hæreſim quoque, machinationem mortis, incitamenta peccati, & viri ſævitiam Jus Eccleſiaſticum ſuperaddit? Quomodo propter ſolius adulterii crimen, ut Chriſtus ait, atque *ob multas cauſas* poſſunt conjuges ſeparari quoad torum, & cohabitationem, ut ſeſs. xxiv. can. 8. loquitur ſynodus Tridentina? Magnus Auguſtinus quæſtionem hanc pertractans lib. 1. De ſerm. Domini in monte cap. 16. n. 46. putat fornicationis vocabulo apud Matthæum ſignificari quaslibet concupiſcentias, *quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & pernicioſe turpiterque corrumpi:* quæ Auguſtini verba habentur cap. *Idololatria*, xxviii. q. 1. n. 5. Sed quoniam ex hac doctrina videtur inferri, quodlibet peccatum divortiis cauſam præbere; idem S. Pater in 1. Retractationum libro, cap. 19. n. 16. ait, quomodo fornicationis vocabulum in præcitato Evangelii textu limitandum ſit, vel ampliandum, *quæſtionem eſſe latebroſiſſimam*. Ex cap. tamen *Quæſivit*, De divortiis, evidens eſt, quodlibet crimen eſſe cauſam divortii, quando vir ad illud perpetrandum compellit uxorem, quod perinde eſt, ac *illius fidem religionemque corrumpere*, ut ibidem loquitur Romanus Pontifex. Itaque hoc ſenſu quæ de Sermone Domini ſcripſerat S. Doctor, inconcuſſa ſunt, & certiſſima. Theologorum quidam reſpondent in Evangelio ſolam fornicationem acenſeri, quod hæc ſit cauſa faciendi divortii graviſſima; id tamen quæſtionem non ſolvit, quoniam ab Evangelio aliæ cauſæ excipi videntur illis verbis, *Niſi ob fornicationem*. Propius ad veritatem accedunt qui aſſerunt alias divortii cauſas, quæ non oriuntur ex violatione fidei conjugalis, illud inducere duntaxat ad tempus, atque ad malum proprium, incommodumque vitandum: adulterium vero, utpote lædens conjugii fidem, eſſe *per ſe* divortii occaſionem. Atque id confirmatur iis, quæ de ſævitia mariti cap. *Litteras*, & de apoſtaſia vel hæreſi cap. *Quæſivit*, diximus præcedenti §. iii.

V.

Neque tamen admiſſum adulterium ſemper inducere poteſt conjugum ſegregationem. Si enim uterque conjux violavit connubii fidem, debent ſibi parem injuriam mutua compenſatione condonare. Ita ſtatuerunt Alexander III. cap. *Significaſti*, De divortiis, & Innoc. III. cap. *Tua Fraternitas*, De adulteriis. Juxta civiles leges negabatur uxoribus facultas maritos reos adulterii poſtulandi criminali judicio: & iniquitatem hanc arguere videtur Plautus in Mercat. act. 4. ſc. 7.

Utinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt, viro.
Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro:
Qui minus vir una uxore contentus ſiet?

Antoninus imperator id perpendens conſtituit, ne maritus de adulterii crimine accuſaret uxorem, *cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum*: quam legem lib. 2. de Conjug. adult. cap. viii. laudat præſtantiſſimus Auguſtinus. Idem dicendum eſt, ſi vir uxorem ad patrandum adulterium impulit, aut illius criminis conſcius ſit, eique connivet: itidem ſi mulieri vis inferatur, nec ullatenus conſentiat in ſtuprum; necnon ſi per fraudem aliquis pro vero conjuge ſe in torum ingeſſerit. Vide cap. *Puto*, xxxii. cap. 5. & capp. *Si virgo neſciens*, atque, *In lectum*, xxxiv. q. 2. Denique ſi vir poſt crimen cognitum, vel etiam poſt divortium commiſceatur uxori, ei reconciliatus eſſe cenſetur, capp. *De Benedicto*, & *Quod autem*, xxxii. quæſt. 1.

VI.

Si poſt divortium dimiſſa uxor redeat ad meliorem frugem, æquum eſt, & Chriſtianæ caritati conſentaneum, ut a viro in priſtinam conſuetudinem recipiatur. Hoc ab Auguſtino in libro 2. de Conjug. adult. cap. 6. n. 5. triplici momento ſuadetur. Primum, quia adulteri deputandi non ſunt, *quos pœnitentia credimus eſſe ſanatos*. Deinde quia David in veteri Teſtamento, quando nullus recipiebat ab alio contaminatam, gratiam Evangelii præfigurans, Saulis filiam, quam pater ab eo ſeparatam tradiderat alteri, ſine ulla cunctatione recepit. Inſuper quia maritus imitari debet pietatem Chriſti, qui Joannis viii. 11. adulteræ mulieri pepercit. Exſcripta fuerunt Auguſtini verba in Decreto cap. præcitato, *Quod autem*, & immediate proximo, *Non erit turpis*. Gratiano canonum collectori digna viſa ſunt, quæ poſt Auguſtini verba ſubjiceret, ea, quæ leguntur apud Ambroſium libro ii. de Cain, & Abel cap. iv. n. 16. *Cum enim renuntiatur improbitati, ſtatim adſciſcitur virtus: egreſſus enim malitiæ, virtutis operatur ingreſſum. Eodemque ſtudio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Præclara quidem ſententia, qua hoc de divortiis commentariolum abſolvimus.

CAPUT ULTIMUM.

De ſacramenti Matrimonii ritibus, & ceremoniis.

UBi quædam de hujus ſacramenti ritibus dicta fuerint, ad propoſitum finem Opus univerſum perductum erit: de Bonis namque conjugii, atque de gratia, quæ hujus ſacramenti effectus eſt, in primo, & ſecundo capite diſſeruimus. Ergo de ritibus pertractantes nil dicemus de ceremoniis, quibus nuptias celebrarunt Gentiles, omittendo virides ramos, accenſos funales cereos, epithalamia, & cetera, quæ in Opere de Ritibus nuptiarum explicavit J. B. Caſalius. Mittimus quoque ritus, quibus in nuptiis utuntur Judæi, de quibus compluta in *Miſchna* libro קדושין, *Kidduſchin*, de Conjugiis, atque apud Thomam Goodvinum Volumine iii. Antiq. ſacrarum pag. 410. & Joannem Seldenum in libro, quem inſcripſit, *Uxor Hebraica*. Silentio quoque præterimus quæ apud Indos Orientales ſervari ſuperſtitioſo ritu dicuntur, circulos ad avertenda maleficia, hordeique auſpicium, ex confarreatione, ideſt, farreo libo gentilium, aut e ſatione in hebræorum nuptiis adhibita derivatum, atque inhibitum a viro eximio Alexio de Menezes act. vii. decreto 14. Synodi Diamperitanæ, quam nuper latinitate donavit, notiſque illuſtravit vir præſtantiſſimus Jo. Facundus Raulin: necnon funiculum, quem *Taly* appellant, ſuperſtitioſum numerum ferculorum, luteа vaſa, arborem *Areſciomaram*, aliosque Sinenſium ritus, non ſemel ab Apoſtolica Sede, atque anno elapſo 1744. damnatos a BENEDICTO XIV. P. O. M. in Conſtitutione, quæ incipit, *Omnium ſollicitudinum*. Itaque his prætermiſſis, obſervantur maxime apud nos ſacerdotalis benedictio, porrectio annuli, ac dexterarum conjunctio; nam impoſitio velaminis, & coronæ in deſuetudinem abierunt.

DE SACERDOTALI BENEDICTIONE.

Quædam de nuptiarum benedictione egimus pertractantes ſupra de clandeſtinis conjugiis, atque de hujus ſacramenti miniſtro, ac diximus illam commendari a Tertulliano lib. 2. ad Uxorem cap. 9. Ambroſio epiſtola ad Vigilium n. 7. & Innocentio I. ad Victricium. De eadem benedictione Siricius in Epiſtola ad Himerium cap. 4. ait: *Illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur*; & in Hormiſdæ decretis, xxx. q. 5. legitur, *Nullus fidelis, cujuſcunque conditionis ſit, occulte nuptias faciat, ſed benedictione accepta a ſacerdote publice nubat in Domino*. Cum benedictione celebrandas eſſe nuptias Hincmarus aliique Epiſcopi in Epiſtola ad Cæſarem, quæ eſt ad calcem opuſculorum Petri Bleſenſis, colligebant ex ipſa conjunctione primorum parentum Deo auctore firmata, unde gentes quoque, quæ nullam legem acceperunt, conſimilem quemdam ritum ſervarunt. Et ſevera Alexandrina apud Photium Cod. 242. legitimas nuptias eſſe negabant, quibus non interfuiſſet ſacerdos Iſidis, & ex Nommo quoque Adriani apud Occonem pag. 223. colligimus nuptias coram ſacerdote peractas. Inter hebræos inviolabilis erat ea lex, quam refert Joſeph de Voiſin pag. 665. ſect. כלה בלא ברכה אסורה : ויצא יעקב, *Non licet accedere ad ſponſam abſque benedictione*. Multo magis id a Chriſtifidelibus ſervandum eſt, apud quos matrimonium habet ſacramenti dignitatem, præſertim cum viri doctiſſimi contendant formam ſacramenti in ipſa benedictione conſiſtere. II.

Hanc

Digitized by Google

Hanc benedictionem *in facie Eccleſiæ* dandam eſſe, inquit Tridentina Synodus ſeſſ. xxiv. cap. 1. de Reformat. matrim. Idem confirmant Synodi Mechlinienſis, Antuerpienſis, & Audomarenſis productæ a Van-Eſpen p. 2. tit. 12. cap. 6. necnon ſtatuta Iſaac Lingonenſis Epiſcopi, aliorumque apud Martenium lib. 1. Antiq. rituum, cap. 9. art. 2. Affert tamen eo loci Martenius exempla nuptiarum, quæ domi celebratæ fuere: atque ita celebrari etiamnum poſſe, modo adſit Parochus, & ſerventur Tridentini Concilii forma, ſcribit Sanchez lib. 3. diſp. 15. num. 20. At ex Tertulliano ſcribente citato in loco felix eſſe matrimonium, *quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio*, inſero antiquiſſimam eſſe conſuetudinem, ut fideles non in Eccleſia tantum, verum etiam ſacrificii tempore inirent conjugium, aut inito ante fores templi, prout Ritualia multa præſcribunt, intus ad oblationem & ſynaxim ingrederentur. Et quidem ſponſos matrimonium contrahentes tranſactis quoque ſæculis ſacram percepiſſe communionem, demonſtrant Græcorum Euchologia, & canones Latinorum. Videſis Arcudium lib. vii. Concordiæ cap. 32. Martenium citato in loco, & Menardum not. 1140. in Sacrament. Gregorii. III. Hujus benedictionis intuitu Concilium iv. Carthaginenſe anno 398. edidit canonem 13. *Sponſus & ſponſa, cum benedicendi ſunt a ſacerdote, a parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant*. Habetur etiam in cap. *Sponſus, & ſponſa*, xxx. q. 5.

DE ANULO NUPTIALI.

Anulus, quem arrhæ loco ſponſus dat ſponſæ, fuiſſe olim ferreum ſcribit de Habitu mulierum cap. 15. Tertullianus: nec pretioſiori utebantur Ethnici, ſed ferreo itidem, & abſque gemma, auctoribus Plinio lib. 33. cap. 1. & Plutarcho in Præceptis connub. cap. 36. Hebræi argenteum quoque adhibebant, aut ex lapide Onychino: illius generis eſt anulus S. Annæ conjugis beati Joachim, hujus vero generis anulus Deiparæ: quorum primum Romæ apud ſanctimoniales *S. Annæ*, alterum Peruſiæ aſſervari vulgaris opinio eſt, pro qua an. 1622. eruditum opuſculum edidit J. B. Lauri. II. Anuli notas deſcribit S. Clemens Alexandrinus lib. iii. Pædagogi cap. 11. his verbis: *Sint nobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel navis, vel lyra muſica, vel anchora, vel piſcantes*: ubi docet non eſſe anulis ſculpendas imagines idolorum, ſed hæc ſigna, quæ commonſtrant Spiritum ſanctum, baptiſmum, Eccleſiam, concordiam, ſpem, Evangelium, vel alia his conſimilia. Anulos quoſdam fidelium ex ruderibus effoſſos inſculptos Chriſti nomine, vel ſigno crucis adnotavit Cæſar Cardinalis Baronius ad an. lvii. num. 52. Vide etiam obſervationes eruditi viri Marci Antonii Boldetti libro 2. cap. 14. necnon libro vi. Romæ ſubter. cap. 50. Paulum Aringhum. Hinc apparet non Chriſtianam modeſtiam, ſed gentium luxum oſtentare quiſquis, ut Martialis utar verbis,

Sardonichas, ſmaragdos, adamantas, iaſpidas uno
Portat in articulo, &c.

III. Anulus eſt *ſymbolum fidei conjugalis*, ut inquit Nicolaus I. in Reſponſis ad Bulgaros apud Gratianum, xxx. q. 5. Idem ſcribit Iſidorus lib. 2. de divinis Officiis cap. 19. addens ideo inſeri quarto ſiniſtræ digito, quod in eo ſit vena quædam, vel potius nervulus ad cor uſque perveniens: quod affirmat etiam lib. x. Noctium Attic. cap. 10. Aulus Gellius, id confirmans teſtimonio Appionis Ægyptii. Nec aliter lib. vii. Saturnalium cap. 13. Macrobius. Ex Geneſi quoque xxxviii. 18. & Lucæ xv. 22. inferimus anulum eſſe *arrham, & ſinceræ fidei ſignaculum*, idque advertit libro vii. in Lucam num. 231. ſanctus Ambroſius. Ulterius *ſilentii ſymbolum* in anulo agnovit Caſalius lib. de Inſignibus cap. 3. forte quod anulis imprimerentur ſigilla, ut conſtat ex cap. xiv. Danielis verſu 10. Hinc anulus etiam *rei domeſticæ cuſtodiam* ſignificat: ideoque S. Clemens Alexandrinus, laudato cap. xi. Pædagogi pag. 246. ait uxoribus *τῶν οἰκουριῶν ἐπιτρέπειν*, *domus cuſtodiam committi*. Recte itaque, ut hæc ſancto, & chriſtiano fine ſerventur, nuptialis anulus benedicitur.

DE SPONSORUM DEXTERIS MUTUO DANDIS.

Ante, vel poſt traditionem anuli, ſcilicet, quando actu matrimonium contrahunt, ſponſi ad ampliorem conſenſus expreſſionem, dexteram ſibi invicem tradunt. Meminerunt ritus hujus Tertullianus de Velandis virginibus cap. 11. ſcribens per dexteram *reſignari pudorem ſpiritus*, & Nazianzenus, qui epiſt. 57. loquens de nuptiis Olympiadis, tom. 1. pag. 815. ait: *τὰς τῶν νέων δεξιὰς ἀλλήλαις τε ἐμβάλλω, καὶ ἀμφοτέρας τῇ τοῦ Θεοῦ*, *Juveniles dexteras inter ſe jungo, atque utraſque Dei manui*. Claudianus item in Epithalamio Palladii & Serenæ,

Tu dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradis, & his ultro ſancis connubia dictis.

At de hac re, quandoquidem compertum eſt omnibus jungendo dexteras miri fœdus, animoſque conciliari, non opus eſt plura dicere.

DE FLAMMEIS, SERTISQUE NUPTARUM.

Conſueverunt antiqui, tam Ethnici, quam Judæi & Chriſtiani tegere nuptarum capita velo croceo, quod *flammeum* dixere, quia referret flammæ colorem: Ab hoc velamine, eo quod obnuberet mulierum faciem, appellari *nuptus* dixi capite 1. hujus libri, Rebeccæ exemplum proferens, necnon quoſdam Sancti Paulini verſus ex Epithalamio Juliani. Addi poſſunt Tertullianus de Velandis virginibus cap. 11. Ambroſius in Epiſt. ad Vigilium, & Iſidorus lib. 2. de divinis Off. cap. 19. Conſentiunt autem omnes *flammeum* fuiſſe virginei pudoris indicium: ideoque Paulinus commemorato Rebeccæ palliolo inquit:

Quo pudibunda ſuum texit velamine vultum
Oblatum ſponſi virgo pavens faciem.

Digami, qui virginalem verecundiam exuerant, minime flammeis obtegebantur. Fuit & in nuptiis uſus coronandi ſponſos, ut inquit de Corona militis cap. 13. Tertullianus, & Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 3. Multiplex quidem in nuptiis coronarum genus: de quibus Seldenus in Uxore Hebraica, Caſalius de Vet. Connub. & in Gloſſario Du-Cangius: ſed frequentior corona ex olivæ ramuſculis, de qua in fine Epithalamii Sidonius,

Para ligat, nectit dextras, & fœdera jungit.

Verum flammea & coronæ nuptiales, ut ſupra diximus, obſoleverunt.

Jam vero hoc opere abſoluto, quemadmodum ei manum admovens exordium duxi a Parænesi ad Auguſtini diſcipulos, ſignificans me provinciam hanc ſubjiſſe hortante atque impellente Ordinis noſtri Magiſtro, in quo ſanctiſſimi Protoparentis perſonam ſuſcipere ac venerari debebam, illuſque ad Theologiæ cultum, ad meliora ſtudia capeſſenda, atque ad exhibendam mihi benevolentiam, indulgendumque ignorantiæ meæ magnopere hortatus fui: ita in librorum iſtorum exitu ad eoſdem Auguſtini diſcipulos animum orationemque converto, & ne ulterius eorum aures inconditis abjectiſque verbis offendam, ea repetam, quæ in concione, ac ipſo Auguſtino præſente, amantiſſimus æque ac modeſtiſſimus Eraclius recitavit: *Suſcepi* (inquit ſermone, qui extat ad calcem Auguſtinenſium) *ſuſcepi nuper officii neceſſitate compulſus, quia hoc munus effugere non habebam. Sed facile eſt abſentis magiſtri locum ſuppleat quicunque diſcipulus: arduum vero eſt atque difficile docere condiſcipulos ſub magiſtro, tali præſertim magiſtro, cujus verbis ex eo eſt major auctoritas, quod docentem linguam vita comitatur. Ad omne enim bonum, quod nobis inſinuatur eruditionis verbo, præcedit nos converſationis exemplo. Præcedit nos, inquam, utinam vel ſequamur. Quidquid enim in hoc viro miramur, veneramur, amplectimur, tunc creditur vere a nobis amari, ſi non pigeat imitari. Pro modulo ergo noſtro ad eum nos unuſquiſque tendamus, atque exiſtentes de radice cordis ejus diverſas virtutum ramos prout valemus ſinguli decerpamus. Qui poteſt, aſſequatur ejus eloquentiam: qui non poteſt, teneat continentiam. Qui poteſt, impleat ejus auctoritatem: qui non poteſt, ſectetur humilitatem. Qui poteſt, apprehendat ejus ſcientiam: qui non poteſt, imitetur ejus patientiam. Atque in omnibus viis Domini, qui poteſt, ambulet cum illo; & qui non poteſt, diſcat ab illo.*

F I N I S.

598224

Digitized by Google

Prem. Legatoria Artistica
ACH ORE
Via Grande Archivio, 3 - Napoli
Digitized by Google